THEOPHILI

BONETI

MEDICINÆ DOCTORIS,

SEPULCHRETUM

SIVE

ANATOMIA PRACTICA,

In III. *Tomos distributa.*



THEOPHILUS BONETUS. D. M.

THEOPHILI

BONETI

MEDICINÆ DOCTORIS,

SEPULCHRETUM

SIVE

ANATOMIA PRACTICA,

EX

CADAVERIBUS MORBO DENATIS,

Proponens

HISTORIAS ET OBSERVATIONES

Omnium Humani Corporis Affectuum, ipsorumq; Causas reconditas revelans.

Quo Nomine, tam PATHOLOGIÆ *Genuinæ, quàm* NOSOCOMIÆ *Orthodoxæ Fundatrix, imo* MEDICINÆ VETERIS *ac* NOVÆ *Promptuarium, dici meretur.*

Cum INDICIBUS necessariis.

EDITIO ALTERA, QUAM NOVIS COMMENTARIIS

Et OBSERVATIONIBUS *innumeris illustravit, ac tertia ad minimum Parte auctiorem fecit*

JOHANNES JACOBUS MANGETUS; MEDICINÆ DOCTOR, & Serenissimi Electoris Brandenburgici Archiater.

TOMUS PRIMUS.



LUGDUNI.

Sumptibus CRAMER & PERACHON.

M. DCC.

VIRIS

Consultissimis, Nobilissimis, Praeclarissimis
Dominis D. D.

GABRIELI CRAMERO;

DANIELI CLERICO,

ESAIÆ DE COMMUNI;

Medicis Practicis Genevensibus
Fælicissimis

Omni Virtutum & Doctrinarum genere
verè Illustribus,

ARTIS ASCLEPIADEÆ
Magnis Columinibus;

COLLEGIS,
FAUTORIBUS
ET AMICIS SINGULARIBUS;
Æternâ Observantiâ
Sibi
merito colendis

COLLECTIONEM ANATOMICO PRACTICAM
Hîc à se adjectam
Sacram facit

JOHANNES JACOBUS MANGETUS, M.D.
& Serenissimi Electoris Brandenburgici Archiater.

JOH·JAC·MANGETUS LECTORI

S. P.

MINIME necessarium est, *Lector Diligentissimè*, ut in hujus Anatomiæ Practicæ Limine Te multis compellatum detineamus: præterquàm quod etenim Clarissimum Theophilum Bonetum in ea Editione quàm priùs non mediocri Nominis sui celebritate vulgavit, super utilitate & dispositione Operis à Se, magno molimine & verè improbo labore congesti, abundè & doctè edisserentem audivisti, ac jamjam etiamnum audies, nos ipsi ex hujus Editionis Titulo quid priori illi adjecerimus palam facimus: Novos scilicet Commentarios, novas Observationes, quibus tertia ad minimum parte auctior prodeat, accumulavimus. Unum tantùm aut alterum admonendus venis, quòd scilicet Commentarios nostros Autoris Scholiis hinc inde intersertos, pro majori distinctione Asterico ✻ adnotatos, quando ex Operarum oscitantia illud non neglectum fuit, reperturus sis; Observationes verò; nomine Additamentorum ad Sectionum quarumque calcem adpositorum, donatas, in aliquibus capitibus numerosiores, in alijs verò parciores, Tibi exhibeamus, & Autorum unde illas vel habuimus, vel exprompsimus nomina uniuscujusque fini subjecerimus, dum nostras illo consultò omisso tradimus: Quòdque præterea multiplices Indices, tum Sectionum, tum Morborum, tum Materiarum, indiligenter nimis confectos, sub uno solo eoque, ut credimus, non parum adcurato, ac Medicorum Filiis qui in hisce Extispiciis pervolvendis insudant, verè profuturo concluserimus, dum in aliis omnibus, Operis scilicet vel materia, vel dispositione, nihil immutatum facimus. Speramus autem per prædictos Commentarios ac Observationes Operi præclaro nihil derogatum, quin potius æstimationem majorem conciliatum iri; selectiores namque, quantùm potuimus ac rationibus in puriori Anatomia fundatis, firmatas attulimus. An spes nostra nos fallat tuum erit pronunciare; Iudex etenim nobis sedes, à quo causam nostram, si propter incuriam, cujus satis non simus conscij, eà cadere contingat, ad aliud Tribunal evocare nec licet nec lubet. Vale & nos, si placet, Tui studiosissimos ac amantissimos, redama.

AD

AD LECTOREM PRÆFATIO.

Νεκροπομπὸς nomen Mercurio olim inditum, quod animabus ad inferos ducendis præesset, in me derivatum iri est quod metuam B. L. qui Te non ad Tempe, aut campos Elysios, ut alij (Scriptoris enim officium est miscere utile dulci) sed ad cadaverum acervum, ad Sepulchretum, imo ad χειρουργίαν deducam, & loca in quibus.

Luctus ubique, pavor, & plurima mortis imago.

A vestigiis tamen Medicorum non discedo, quibus Mortis prænuntii Morbi perpetuò obversantur: Nihilo felicior est Theologorum & Jurisconsultorum sors, qui Peccata & Lites, Legum Divinæ & Moralis παρέκβασεις, assidua objecta habent: De Peccatis Illi agunt, devios à cœlesti tramite revocaturi: De Litibus Hi, pacem & concordiam conciliaturi. Medici morbos arcere satagunt, bonæ valetudinis gratia, atque ut flammam vitalem à σβέσει & μαρασμῷ defendant. En undique ex malo bonum emergit, ex Peccatorum abolitione, Salus æterna; Ex Litium compositione, redux, quæ terras reliquerat, Astræa, & ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία: Ex morborum profligatione Sanitas, bonorum omnium suavissimum, cæterum condimentum. At mortem, ultimam lineam rerum, quid manet? Ad Theologorum castra transilire nobis liceat, Legimus in sacris (*Ezechielis* 37.) Prophetæ objectam fuisset planitiem, cujus superficiem arida ossa (telluris inutile pondus) tegebant, Illa vi afflantis Spiritus collecta fuisse, coadunata, suo quæque loco coaptata, carne, nervis & cute vestita, tandem Anima adveniente, vitæ munia sequuta. Hoc beatæ resurrectionis ἔμβλημα instituto nostro componere liceat: Morbo denatum quempiam, ex naturæ lege resurgere etsi non contingat, ut tamen cujuspiam mors alteri salutifera sit, ac qui libitinæ destinatus erat ope Medica postmodum quasi resurgat, & dias in luminis auras evadat, in aperto positum est: hinc sicut ex mortuo leone apum examen exiliit, & ex forti exorta dulcedo, sic ex illius amara morte, huic vita suavis accedat: Quin Æsculapium, Apollinis filium, non solum ægros persanasse, verum etiam mortuos ad vitam revocasse perhibent; Hyppolitum, Glaucum & Androgeon.

Tuque potens artis, reduces qui tradere vitas,
Nosti, atque in cœlum manes revocare sepultos,
Qui colis Ægeas, qui Pergama, quique Epidaurum,
Huc ades.

Empedocles, teste *Diogene Laertio*, Philosophus & Medicus insignis, maximam ex eo gloriam consecutus est quod mulierem defunctam vitæ restituerit. Ex *Plinio* & *Apuleio* lib. Florid. Asclepiades, magni inter Medicos nominis, hominem exanimatum, domo elatum, rogo jamjam imponendum, vivum reduxit. Nemini hæc ἄτοπα videantur, Animam enim jam sui juris, corporis claustris liberam, iterum in ea revocare, Aut eandem prorsus sepultam, corporis consortium evadentem, artis vinculis intus coercere & cohibere, perindè esse videtur: Adeo ut pari passu hæc incedant, jam mortuum suscitare, & mox moriturum Orci faucibus eripere: Nec hæc solum in Medici potestate, sed potiora, Cum sterilitatis causas aufert, artis efficacia præstat ut producantur alias nunquam nasci turi: Præstat Idem ut fœtus in utero ad statutum usque partus tempus degant, quo non exacto abortus & exitii indubia occasio est: Quantus illorum numerus, qui absque periti Medici opera vitali aura non fruerentur, innumera in lucem fœliciter prodeundi obstacula amoventis? Multa

etiamnum spondet *Anatome cadaverum morbosorum*, quæ vitia intus abscondita expromit, eo fine ut qui talia in sinu se fovere deprehendet, imminens inde exitium præcavere studeat, ab eo mature se subducat, fiatque ex alieno periculo cautus: Ne itaque horrescas, Lector, ad tot cadaverum tibi objectorum stragem, quibus vita & salus succedanea est: molestus fœtor nullus nares feriet, contagiosi affectus abest metus: quin perpende quantum beneficij ex intimo viscerum scrutinio tibi accessurum sit: Cadavera olim, ne horrifera essent, floribus spargebantur: idem facturi sumus, flores hinc inde decerptos, tædij removendi gratia, aspersuri: Quantum vero utilitatis apparo Tibi Lector, tantum mihi laboris & molestiæ impendet, calli devio, nec prius trito insistenti, & sine duce viam inviam ingresso; ideoque temeritatis nota signando, qui tantum itineris ardui emetiri aggrediar. Utinam aliquis occupasset, & operi immensæ utilitatis peritam manum admovisset, onus humeris impar non imposuissem, imo detrectassem: Illustriss. *Harveo* id olim in mentem venisse tradunt. *Pet. Castellum*, Medicum Romanum, necrotirises amplissime professum, ac justo has volumine complexum notat *Mar. Aur. Severinus* lib. de Abscessibus pag. m. 187. Eundem ducentorum cadaverum eviscerarorum historias collegisse, titulo *Sepulchreti* emittendas, asserit Clar. *Velschius* initio Sylloges Observationum: Novissime utilissimo operi annos plusculos dedicavit Illustr. *Thomas Bartholinus*, qui universam Anatomen, (*ait Ipsus Dissertatione de Bibliothecæ incendio*) non ad morem vulgarem aliorum Prosectorum, qui hactenus in hoc pulvere desudarunt, ex sanis corporibus, sed morbo defunctis composuit. Quod Opus orbi humano invidit Vulcanus, xx. annorum laborem (irreparabili jactura) momento absorbens. Quod integrum susceperat, & perfecerat, Vir Illustris, idem in particularibus aliquot morbis alij adgressi sunt, quos inter eminent *Thomas VVillis & Ioh. Iac. VVepferus*, qui Dissertationem de Apoplexia absolutissimam, ex αὐτοψίᾳ eo morbo defunctorum concinnavit. His priores *Fernelius, Fel. Platerus, Car. Piso, Franc. Sylvius de le Boë* Pathologias suas, solidissimo huic fundamento innixi, struxerunt. In censum veniant, viri Clarissimi, *Gul. Ballonius*, passim Operibus suis cadaverum dissectiones interserens, *Sennertus* & alij: E quibus præsertim affectuum aitiologias excerpsimus: nemini tamen vi illata, ut antiquorum vel recentiorum placita respuere vel amplecti quisque sit sui juris. Opus vero qui à capite ad calcem pertexisset cum deesset, temerarius negotium suscepi, tenuitatis propriæ conscius

Quid valeant humeri, quid ferre recusent.

Revera quis non doctrinæ, peritiæ, industriæ, sedulitatisque concursus & apparatus requiritur? Anatomes præsertim, accuratæ illius & subtilis, quam profitentur Neoterici, intima quæque & abscondita scrutantis, absoluta cognitio? Consummata præterea experientia & in opere practico inveterata γυμνασία, quem requisitorum cumulum in me desiderari, sat scio, alienis quippe oculis plusquam proprijs qui vidi in arte Anatomica, oculatas manus exposcente. At si in magnis voluisse sat est, conatibus nostris & ingentibus laboribus qui faveant, & boni consulant non defuturos spero. Sed quandoquidem jacta est alea, ac *fecit indignatio versum*, liberque evasit prælum, & *qui me vendit Bibliopola putat* Medicum, Agedum, quædam de Operis ordine & dispositione dicamus: multa enim præfandi labore me sublevarunt Viri Illustres & Clarissimi *Thomas Bartholinus*, qui me hæsitatorem impulit, & *Ioh. Conradus Peyer*, quorum Iudicia (Operis perfectissimi typi) luce publica fruuntur: Id monitum antecedat, quanquam Anatomiæ Practicæ titulo superbiat liber, non usque tamen stare fidem: neque enim, quod Practicis in more est, morbi nomen, essentiam, causas, signa & curationem ex ordine prosequor: Prohibeor ab instituto, quod est notiora, Affectus ægro ipsi & assidentibus manifestos, exhibere, à quibus ad ignota, morbi scil. sedes, causasque abditas transitus fiat: Affectus autem illi plerumque symptomata sunt, sensibus fere obvia: ideoque nullę peculiares morborum latentium, quos sensus non assequitur (e.g. intemperiei alicujus partis, obstructionum, &c.) adducuntur observationes: Qui vero in propatulo sunt morbi, corporis habitum obsidentes, tumores, ulcera, &c. quemadmodum symptomata suis quique locis collocantur: Demum palam est tyronibus opus hoc ἀνάλογον non esse, viam tritam sequuturis, sed provectioribus, qui ex usu, toto practico, rem metientur: atque ex casibus rarius occurrentibus, practicas cautiones elicient: Anatomes ergo Practicæ ex fine nomen deducatur, cum Medicum ad praxim dirigat, in ea confirmet, necnon in Diagnosi, illius fundamento, Cum ex *Hippocr.* lib. de Lege, *Is qui morbum novit, valeat non ad curandum tantum, sed etiam ad sanandum; Eum recte curaturum dicunt*, ait Celsus, *quem prima origo causa non fefellerit.* Quamobrem compendium nacti, cum Observata anatomica operis materies sint & basis, hæc congerere, collocare, servato, quantum licuit, ordine practico, è re visum est: his affuendo scholia, quæ vel dedere Observatores, vel mutuatitia, eruta exiis, qui maxime curant Anatomen vel propria: Id quoque innotescere volumus quoad assignatas in titulis observationum morborum causas, etsi plerumque innuere videar affectum ejus, quod aperto cadavere se exhibuit, progeniem fuisse, non ubique tamen id causas illius adæquatas me existimare, ob varias quæ extincto calore, vel ad interitum vergente, accidunt in corporibus muta-

mutationes: cavillandi enim ansam sæpius præberem & erroris objiciendi: Notum enim illud *Celsi*, *Nihil est stultius quam quodque homini vivo ita est, tale existimare morienti, imo etiam mortuo: Et Valerii Maximi lib. 9. cap. 12. Fine namque vitæ nostræ variis & occultis causis expositæ, imprimis quædam immerentia supremi fati titulum occupant, cum magis in tempus mortis incidant quam ipsam mortem accersant.* Flamma enim vitalis quandiu micat omnia expansa sustinet, in ordinem cogit, à putredine & corruptione vindicat: Eadem extincta, aut ad interitum vergente, concidunt, subsident, dissolvuntur: putredo & corruptio humores æque ac solidas partes invadit, adeo ut prioris formæ non omnia supersint vestigia. In id quoque notandum quod ait Eruditissimus *Glisson* lib. de Rachitide, *Morbos fere omnes tractu temporis alios diversi generis sibi adsciscere, ideoque chronicos plerumque ante obitum esse complicatos: Ne ergo putet Medicus in defunctis corporibus quicquid præternaturale reperitur ad hunc affectum (rachitidem) pertinere necessario: forte etiam magis ad alium morbum, huic ante mortem supervenientem quam hunc ipsam respiciat.* Idem cap. de Gibbositate, *Anatomici frequenter ad hanc cautionem non satis attenti, graviter in suis observationibus lapsi sunt, dum quæ ad alium morbum spectant, alteri, cum quo ante obitum complicatus erat, adscripserunt: Hunc ergo errorem quo præcaveamus, non temere ex unius aut alterius corporis inspectione pronuntiandum est, at multiplici seduloque facto experimento, distinguendum prius est quæ perpetuo, quæ plerumque frequenter, quæ raro, in dissectis ab eodem morbo occumbentibus occurrant: Enim vero sciendum est quicquid non perpetuo adest in corporibus apertis, eodem morbo extinctis, ad primam id intimamque ejus essentiam spectare non posse, Utique etiam neque illud quod in variis corporibus reperitur, quibus morbus abest. Neque enim morbus ipse existere potest separatus à sua essentia, neque essentia à morbo.* Ideo Medicus insignis credit Pulmonem, qui ut plurimum corruptus aperto corpore reperitur, sæpe talem ante mortem non esse qualem anatome ostendit: At ut concedam post obitum alterari, præsertim si diu corpus insectum servetur, initium tamen corruptionis præcessisse verisimile est, cum aliquando inalteratus deprehendatur, maxime in præcipitibus morbis: à chronicis enim, ob varium partium consensum, vix labem declinare potest: De Iecore cavendum jubet Clar. Theod. *Kerkringius* Observat. Anat. 77. ne inventa ejus corruptione Medici decipiantur, existimantes dum eam in cadavere inveniunt, ægrum diuturna illius tabe laboravisse; eo quod viscus hoc subitæ obnoxium sit colliquationi, ut brevissimo temporis spatio crasin omnem possit amittere. Quod confirmat exemplo Equorum, qui concitato nimis cursu extincti erant, eodem quo conciderant die, hepar insigni & profunda putrilagine correptum apparuisse. Id tamen assertum dubium reddit *Riolanus* Anthropogr. lib. 2. cap. 19. qui hepar humanum elixatum, sub mensam anatomicam projectum, toto anno incorruptum permansisse tradit, adeo ut equorum ille morbus occultæ vi, hepati infestæ, imputandus videatur. Nec silentio involvendum quod idem Vir. Clariss. de Polypis variis, qui sæpius in vasis occurrunt, tradit, morbi antecedentis potius esse productum & effectum quam causam, quod illos producere artificio noverit. Sed concesso dari quæ sanguinis in polypos concretionem excitent, non proinde negandum causarum intrinsecarum sobolem eos esse posse, ac proinde multum morborum authores (quos præsertim parere maxime apti nati sunt) syncopes, cordis palpitationis, pulsus interruptionis, apoplexiæ, &c.

Hæc quoque eo collineant ut Medicus in prædicendo sit cautus; præsertim quoad morbos qui cerebro assignantur. Nam, animadvertente *Ballonio* cons. 71. lib. 3. Sæpe capita hominum morbo caditis consumptorum aperta sunt, in quibus nihil commemorabile repertum est quod mortem intentasset; cum alioquin Medicus, aut abscessum, aut simile quid repertum iri pronuntiavisset, *Spes augurantium ipsa inspectio fefellit, & eorum fiducia & expectatio in stuporem vertit, ac si eum ipsa anima mortis occasio evolasset.* Nec prætereundum quod circa causas morborum productrices adnotat Excell. *Wepferus* Exercit. de Apoplexia pag. 286. *Plurimas earum, quæ continentes vocantur, ac immediate morbum producunt & fovent, plerumque sensim coacervari, Sæpe diu in corpore delitescere nullasque molestias exhibere, & non raro pauca sui indicia præbere: Aut si quandoque molestæ sint, nondum tamen illum morbum efficere quem parituræ sunt, si vel virtute validiores, vel quantitate abundantiores evadant, vel sepultæ quasi ab occasione aliqua excitentur,* Tunc enim sæpe subito in actum deduci morbosque gignere. Huic consentiens Clar. *Theod. Kerkringius* Observat. Anat. 42. *Fatearis*, inquit, *mecum, Lector, latere sæpenumero in corpore morborum causas, quæ & ipsæ morbi sunt, quas ne suspicari quidem Medicus potest, Frequenter autem ab Anatomicis qui eas invenerunt: Observationes in lucem datæ id afferent generi humano commodi, ut dum medicamenta ordinaria ad speratam sanitatem parum conferent, Medicus mentem advertat ad hæc, ludibria dicam potius quam ludos naturæ, quæ dum sic ludit, nobis illudit.* Cum in tali caligine animus versatur, *Tullii* illud observemus, *In re nova atque admirabili investigato si potes: Si nullam reperias causam, illud tamen exploratum habeto nihil potuisse fieri sine causa, eum errorem, quem tibi rei novitas attulerit, natura ratione depellito.*

Caliginem vero discusserunt nova quæ affulserunt numina; olim abditas morborum causas in apricum deducentia: Ex quo Illustrissimus *Harveus* circularem sanguinis motum,

novum jam in medicina fundamentum invexit, nihil mirum si Neoterici diruto cadaco ædificio, prope novam instaurandam curaverint artem Medicam: Nec in Opere isto solus desudavit *Harveus*, alios excivit qui ad structuram operas conferrent, *Bartholinos, VVillisios, Sylvios, Glissonios, Diemerbrochios, VVepferos*, & alios, ex quorum præsertim concursu & præsidio opus hoc conflatum est; ut non tam meum quam ipsorum esse confitear, ac sicut Plautina illa mulier; *Alienos labores eam suppositum mihi.* Porro fit, ut eleganter *Hildanus* in Præfat. Operum, *Anatome clavus est & clavis Medicinæ*, an solidior basis, cui inniteretur Ars, quæri debuit? Regio animo Viri illustres, qui Anatomen ad perfectionis culmen deduxisse videntur, Ægyptorum Reges imitati, *Quibus*, teste *Plinio secundo*, lib. 4. cap. 1. *erat studium corpora scrutari mortuorum, & causas valetudinum oculata fide recognoscere*: Ex stabili hoc fundamento, juxta partium quarumcunque phænomena, per observationes anatomicas affectuum hypotheses veræ & reales cuduntur: hinc ægrotantium symptomata quæque melius solvuntur & explicantur, causæ clariores evidentioresque evadunt: Et quanquam antiqua receptaque medendi methodus exinde non concutitur, rationes tamen unicuique affectui accommodatiores eruuntur, certiorique ictu morbi eorumque causæ impetuntur: Gloriemur ergo hoc nostro ævo multa incognita, populoque ignota profano quotidie succrescere.

Potiori jure Ars exultaret, si jactis fundamentis, congestaque materia, accederet idoneus architectus, qui ædificij structuram ab imo ad summum adgrederetur: Materiem uberem, maceriem forte dixeris, intuli: manum operi admovi, marmoreum, aut potius lateritium, daturus, donec aureum per alium exeat: At vero nulli rei contigit ut protinus & inchoata fuerit & perfectionem adepta, sua cuique & eruptionis & maturationis tempora: Opus hoc, adhuc dum in incunabilis, etsi mole vastum, indigitetur rudis indigestaque moles, congeries incondita, arena sine calce, imo monstrum horrendum ingens cui lumen ademptum, per me licet,

Non potes in nugas dicere plura meas

Ipse ego quam dixi:

Qualecunque autem patronos nactum est & defensores, imo Divos majorum gentium, umbonem hunc opponam non neminis telis, quæ sic irrita fient: Iatrarchias ille molitus Medicos quosdam Principes designat, Alios mediocribus officiis destinat, *Vade tu ad flumen Inachi*, *Tu autem ad Portas Thebaas*. Quosdam densa caligine obvolvit, nec fulgore quidem radiorum suorum (qui tam late splendent quam Solis parieti adpicti) illustratione dignat. Antistes è specula saluti totius Reipublicæ Medicæ prospicit, ac præcavet ne falsa, supposititia, fictitia, perniciosa, pro veris, genuinis & utilibus irrepant: vereturque alter Atlas ne impositus humeris fractus illabatur orbis Medicus: statim ac prælum opere meo gravidum nuntiatum est, monstrum ali edicit, partum non expectandum, suffocandum in exitu, ne grandius incautos impetat, *Fugite, fugite hinc pueri, latet anguis in herba*, Imo de parentis fama sollicitus est ne caduca fiat; at illius aucupio nequaquam intentum esse, norunt omnes quibus intus & in cute patet; perpetuus fere incola loci musarum cultui dicati, quem vir πολυπράγμων Morphei domicilium statuit: Gloriæ si litavit, à vijs legitimis nunquam deflexit: Aviculas educare neglexit quæ occinerent *Paphos est Deus*: Adversario si fides, toto in opere veri nihil, omnia ficta: Cautio tamen adfuit ut quæ vel male fidis firmata testibus, aut ab auritis tantum, credulasque aures præbentibus, vel inexpertis manarunt, exularent. Oblatas observationes, quarum laboraret fides, respui: Ex. gratia nuperam de Medico, cui ante decem lustra alterum lumen ademptum, & marasmo senili in primo senio confecto, decumbente in superstitem oculum humore, hiantibusque oculorum tunicis, crystallinus humor, omnibus obvius ex centro excussus est, nihilosecius tamen, (sic visum Superis) & objectam papyrum designare valuit, & candelam admotam digitis indicare: Alteram item narrationem de fœtu in utero putrefacto, cujus pars à muliere, Superstite adhuc & incolumi, per os exclusa. Hæc, & similia, fœdare opus passus non sum, quæ nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur, aut qui intemperie pietatis laborant, & *falsa superstitio mentes queis fascinat agras*. Quin tamen quædam irrepserint à vero forte aliena inficias non ibo, pro quorum tutela tanquam pro aris & focis decertaturus non sum: liberum est Lectori illis fidem adhibere vel detrahere. Nec tamen Opus totum falsitatis aut inutilitatis redarguendum: cum quæ bona sunt multitudine mala superent, & sine pondere habentia pondus. Ne hos in scopulos impingerem præmonuit Excellentissimus Medicus, à veridicorum historicorum censu quosdam Medicos arcens, *Forestum, Schenckium, Zacutum*, qui, quia apella, male audit: At severum hoc est judicium nisi falsitatis reatu aperte convincantur, An quia quæ rara afferunt, à Viro Excell. visa non sunt, ideo suspecta? *quod non nosti fortassis novit Ofellus*: Notum est illud Averrois *Monstra in morbis fiunt*, Si in morbis, quidni & in corporibus: An monstra in magno mundo admissurus non est? si in hoc, quidni & in microcosmo? Si à *Zacuto* manasset historia cruciarij illius, in quo viscerum omnium situs præposterus inventus est, à Medicis popularibus Viri Excellentissimi tradita, nunquid ut figmentum traduceretur?

Ma-

AD LECTOREM.

Magis vero mihi metuo à curiosis & in evolvendo opere nimis sedulis, ob quædam typotheratum culpâ malè collocata; quædam etiam quæ iterato irrepserunt: Perpendat quæso B. L. hoc Opus non unius sed plurium esse annorum: neminem mihi fuisse συνεργὸν in colligendo, scribendo, exscribendo, recognoscendo: ideoque grandem laborem in errorem proclivem fuisse, ut quæ prioribus annis consignata erant, posterioribus tanquam nova se obtulerunt: Addeà pluribus anthoribus unam eandemque observationem traditam fuisse, quæ tanquam simplex advenit: Professorum privilegio frui concessum non fuit, qui candidatos habent amanuenses, idque muneris illis assignant: Amoliri quoque objectionem debeo, ob quasdam scil. Observationes vix inter se dissimiles, identitatem, ut sic dicam, referentes, unde inutili mole liber turgeat, fastidium lectori inducatur: Cùm vero certum sit plurimos morbos varia specie illudere, paucissimorum signa esse univoca, ea utilitas erit congestionis multarum homogenearum, ut si affectus alicujus symptomata eadem in pluribus ægris, & conformia, se prodant, Medicus certius se causam morbi deprehendisse credat audaciusque pronuntiet. Sin dissimilia, cantus fit in enuntiando, memor effati Hippocratis, *Iudicium difficile*: Ea porro quæ fidem superabant multiplici exemplorum serie roborare necesse fuit. Grande autem Opus, varia variorum judicia subiturum scio, at qui bene consulant repertum iri spero, & conatibus nostris qui faveant, alios ad studium istud melius excolendum instigaturis. Aristoteles etiam male philosophantibus gratiam habendam esse dicit, quod ansam offerant vera inveniendi: Scopum me quam minime assequutum esse satis scio, id tamen profitebor me primum in hoc pulvere desudasse, & forte aliqua pars erit laudis temerariis ausis excidisse. Quicquid ab invidis ac malevolis opprobrii metuam, operæ meæ me nunquam pœnitebit, eritque unde placeam mihi, vel quod

Functus vice cotis acutum
Reddere quæ ferrum valet exors ipsa secandi.

Sequuntur

Sequuntur Monitoria & Hortatoria Clarissimorum Virorum.

rumpantur, ut Ilia Codro.

Fridericus Christianus Winclerus, *Serenissimi Principis Electoris Palatini Archiater.*
Heidelbergh xvii. Februar. 1673.

ANatomiam tuam *Practicam* quod attinet, si promisso modo evulgaveris Orbis te mirabitur & laudabit, ea enim demonstratio causarum morbificarum, quæ hoc modo à posteriori fit, certissima semper & ferè infallibilis mihi visa fuit. Hactenus tale opus Maximè desiderabat ars nostra, & expectabat anxie ab Amico meo æternum venerando, celeberrimo Thom. *Bartholino*, &c. qui per proprias accuratissimas observationes causas omnes morborum à capite ad calcem cultro Anatomico detexerat, opusque (ut ipse oretenus conquebatur) ad umbilicum ferè perduxerat, cum lugendo fato crudelis & invida flamma cum incomparabili Bibliotheca etiam hunc Thesaurum devoraret, & proinde nos omni spe frustraret. Sed en! Phœnix ex igne resurgit, infinita enim lectio & diligens crebraque observatio tua nobis amissum restituunt, & artem nostram, hactenus multis incertam visam, certam & benè in axiomatibus suis fundatam efficiunt. Na dubites itaque, Vir Excellentiss. quin manibus Doctorum teretur iste liber, & quin tuum nomen æternitati hoc opere commendes: melius enim de Repnbl. Medica mereri non poteras.

Lucas Scrœkius, *Senior, Doctor & Reipubl. Augustanæ Physicus; Augustæ Vindelicorum.*
15. *Novembr.* 1673.

ANatomiæ cognitio quàm necessaria sit Medico, cui morbos rite cognoscere, eosdemque feliciter propellere, curæ cordique est, plures in saluberrimæ Artis mysteriis explanandis solertissimi, eruditè demonstrarunt. Quibus jam jure suo merito annumerandus venit Clariss. *Theoph. Bonetus*, dum præter lucidum Orbi literario exhibitum scriptum, *Pharos Medicorum* nuncupatum, insuper *Praxin Anatomicam* divulgare, atque sic laborem maximè commendandum continuare parat. Huic propterea illud veterum *Feliciter!* adclamare, mecum omnes veri benè dictorum factorumque æstimatores lubentissimè assurgent, & symbolum petenti annuent. Quod autem meum benevolè requirere placuerit, per virum Amplissima D. Rectoratus ac Syndicatus Almæ Universit. Artist. quæ Patavij est, functa dignitate illustrem Dn. *Ioh. von Flammerdinge*, M. D. & Divi Marci Eqnitem Auratum, amicâ conversatione mihi gratissimum, henevoli in me animi τεκμήριον æstimo. Ast cùm per rarò apud nos cadavera lustrare, inque causas morborum in-
" trinsecas inquirere, superstitiosa ergà demortuos veneratio, quę (magni *Sennerti* effato) piaculum vulgus
" habet, cadavera hominum, aliàs vermium escam, Anatomiæ debitæ committere, cùm tamen Summorum Imperatorum, Regum & Principum autoritati in nihil deroget prohibeat, voto Autoris in communicandis ratrioribus observationibus unam alteramque notare vix datur optio. Ne tamen ἀσύμβολος planè sim, aut hoc officij genere, tam amico petito, deesse velle videar, sequentes, non quidem luce publica dignas, sed meæ gratificandi promptitudinis indices, subministrare constitui, &c.

Iohannes Gothof. Geilfusius *Medicinæ Doctor*, *Butisbach*, *die* 16. *Novemb.* 1673.

NUllus dubito Anatomiam Practicam, æque ac curiosam, Medicis omnino profuturam, plurimos approbatores habituram, &c.

Ioh. Caspar Bauhinus *Archiater & Primarius Professor Basiliensis.*
Basileæ 5. *Januar.* 1674.

LAudo institutum tuum Clar. *Bonete*, qui edendorum scopum tibi præfigis utilitatem publicam, quæ inde in rem medicam emanare poterit. Secus faciunt Observationum aliqui collectores, qui ut soli emineant sibi videntur cæteris omnibus plus sapere, quorum ant scripta legerunt, aut consiliis adjuti sunt, quorum trunc atas sententias publico propinant minus suo arrident palato; imo ne convitiis abstinentes dum eos ignorantium albo adscribunt qui erant ipsis non reticendi, quorum Umbra terrori esse posset, forte etiam deberet.

Antonius Menjotius *Consiliarius & Medicus Regius.*
Parisiis xxvii, Aprilis 1674.

DE munere, quo me cohonestasti, gratiam habeo, Autorque sum ut rempublicam literariam juvare pergas, Utilissimas & cum judicio collectas emittens Observationes Tuas: Gratissima mihi fuit & frugifera lectio fragmenti à te mihi transmissi: Stylus inest sincerus & genuinus, materia autem rara, quæ curiosorum animos explet, adeo ut futurum sperem ut hene merearis de Republica literaria si ulterius progrediaris: Imperti quæso deinceps amicitiam tuam, quam honorificam habiturus sum. Quantum in me est enitar ut eam commerear, &c.

Idem

Idem Parisiis 15. Maii 1675.

Redditæ mihi sunt paginæ à Te mihi nuper transmissæ, à me cum fructu & avide perlectæ: Stylo nativo & puro conscriptæ sunt, ac me judice opus novitate & utilitate publico profuturum est: Eapropter, Domine, autor Tibi sum ut in instituto pergas: Si enim eadem serie cæteros humani corporis affectus prosequutus fueris, proculdubio universi Medicorum cœtus gratiam inituros es: Condonabis vero mihi si hanc cautionem addidero, ut ne *Foresti*, *Schenckii* & *Zacuti* vestigiis insistas, qui operibus suis fabulas plusquam Judaicas interseruerunt; rati admirabundos se habituros Lectores, si stupendas historias adducerent: Candoris Tibi sat inesse scio ac propriæ famæ consulere Te velle: Posthac ubicunque se obtulerit occasio & Operis & Authoris perpetuus præco futurus sum, &c.

Henricus Glasser, *Anatomes Professor in Academia Basileensi.*
Basileæ 29. Maii 1674.

Fragmentum Anatomiæ Tuæ Practicæ mihi destinatum tradidit Clariss. Dom. D. Mengolt, quo me cohonestare voluisti. Opus id insignem lucem allaturum est, indagandis plurimorum morborum causis: assensum habiturum eorum quibus perspectum est insigne discrimen quod intercedit certitudinem consequentiarum quas plerumque Authores à nudis conjecturis deducunt, & illam quæ fundamentum habet αὐτοψίαν, Multum debeo Domine quod me participem facere voluisti, &c.

Carolus Offredi *Medicus Patavinus.*
Patavii Octobris xiii.

Anatomiæ Practicæ mirandi sunt usus, nec satis extolli queunt, quod ex naturæ libro colligantur quæ errare nequit.

Ioh. Nic. Binninger, *Serenissimi Principis à VVirtemberg Medicus, Poliater Montisbelgardensis.*
Montbelgardi xxvi. Nov. 1675.

Ex tuis colligere licuit me ab amicitia Tua non excidisse, ac librum Observationum à me editarum pergratum fuisse: Utroque nomine gaudeo, præsertim quod ex iis aliquas selegeris, inferendas operi quod luci exponere satagis, *De abditis morborum causis ex cadaverum dissectione revelatis.* Votum est ut institutum illud Tuum, elegantissimum, utilissimum & laudatissimum cito prodeat, Ex quo quippe ornamentum, robur & certitudinem Ars sibi comparatura est: Celeberrimi quique Medici in constructionem Operis concurrere deberent, communicatis rarissimis Observationibus Anatomicis, quo decenti ornatu cito prodeat completum in nominis Tui gloriam.

Gulielmus Groun *Societatis Regiæ Anglicæ Socius.*
Londini Maij 10. Stylo Novo 1676.

Gratulor admodum, Cl. *Bonete*, temporibus hisce nostris, in quibus Opus, & Reipub. Medicæ, & universo generi humano utilissimum, sed hactenus frustrà desideratum, Ex Te tanto Viro nasci contigit: Qui cùm excellenti rei medicæ cognitione, tum Græcis ut video, Latinisque literis sis Instructissimus, Illud & oportunè aggredi, & omnibus numeris perficere potuisti, & quod propterea adjicio, etiam debuisti. Equidem vehementer dolebam cùm ante aliquot menses è Bartholini Opusculo à Te memorato intellexissem, pretiosam illam Anatomiæ Practicæ supellectilem, plurimum annorum laboribus à se collectam, incendio periisse; Verùm ex hoc dolore confestim recreabar, cùm apud Eundem illud mox occurrisset, Virum qualis Tu es, in eodem Argumento versari: unde & facile augurabar fore ut jacturam hanc æquiori animo pati possemus. Nuperis diebus cùm Prodromi Tui Anatomici exemplum ab ornatissimo Filio Tuo accepissem, sane nequeo dicere quanto sum animi gaudio perfusus: cùm & ipse nescio quid de mechanica cerebri constructione, vitiorumque, hoc est morborum ejus emendatione jampridem moliar. Tu interim Vir Clariss. Partum hunc Tuum, quem sane vitalem, Imò immortalem futurum spondere ausim, favente Lucinâ Diisque nixiis in lucem publicam quantocyus depropera ac Vale,

---

Thomas Bartholinus, *Regis Danorum Archiater, &c. Actorum Danicorum ann. 74. 75. 76. Obserυ. 28.*

Præclaros Tuos conatus in promovenda Anatome Practica non possum non publice laudare, quos privatim hactenus tacitoque pectore æstimavi, Dignum genio malitiscio opus aggressus es, immortali orbis encomio pensandum. Mihi istam fortunam invidit vulcanus ut Tuæ gloriæ reservaretur. Intererat sane Reipubl. Medicæ ne diutius argumentum illustre negligeretur, cui Te parem monstrasti: Placuit institutū, quod ex primis foliolis mihi missis lætus hausi, sicut in Consilio meo de Anatome Practica publice testatus sum. Majori gaudio me implevit *Prodromus* Tuus, anno currente 1675. Genevæ typis expressus de Doloribus capitis ex illius apertione manifestis, ut de perfecti operis complemento optima quæq; ominari debeā, nisi quid sinistri portendat nomen meum, cui illustrem libellum inscripsisti: Non meritus sum tantum amorem, quem Tibi mecum debebunt eruditi, quod serio ad desideratum argumentum totque votis provocatum accesseris. Perge in amore incepto, & qui tanto applausu particulam operis exire in publicum passus es, quod complementum adeptum est, noli invidere omnium expectationi.

Dominus Monin *Medicus Divinionensis, 7. Iunii* 1677.

MIhi semper in pretio fuere Observationes ex cadaverum Anatome desumptæ: Inque animo meo altè infixum est nihil æque Medico medicinam facienti utile esse:ejusmodi exempla congessit *Benivenius* libro de Abditis morborum causis inscripto.Quod aggressus es opus illi persimile est (cujus particulam mihi exhibuisti,) Medico practico summo usui futurum,eoque nomine mihi pergratum: Porro etsi ejusmodi observationes non frequenter occurrant,sæpe tamen occasiones cadavera dissecandi obviæ fiunt Medicis, quas elabi permittunt:non negligendæ tamen cum morbi,quorum causa occulta est, interimunt. Futurum spero ut cœpto insistas ac seriem Operis propediem depromas Omnium qui Artem excolunt eo pacto gratia initurus es.Ego autem palam facio Prodromi tui lectionem gratissimam fuisse,quo nomine gratias ago,&c.

Raimundus Iohannes Fortis, *In prima Sede Patavina Practicam Ordinariam profitens.*
Patavij die xxiv. Septembris 1677.

NOn in alium finem ab Antiquioribus Anatome fuit instituta , nisi ut internarum partium affectiones nobis ignotæ,faciliùs innotescerent *Gal.lib.de Anat.parva*.adeò ut dissensiones,atque disputationes in Arte Medica per Anatomen dirimantur, cùm Autopsia *lib.An sang.in art.cont*.8.& 2. *de decret*. 5. etiam demonstrationes superet, atque vincat, cui acquiescere coactus fuit & Erasistratus ipse. ut propterea Anatomes imperiti Medici non secùs , ac cæci iter agentes,3.*per loca* 2.errantes periclitentur;quare mirum non sit, si Anatomen ipsam tanti fecerit,& ad sydera extulerit Flavius Boëthus *p.de Anat.adm p.*Romanorum Consul.Galenum exorans,ut libros suos de Anatomicis administrationibus in publicam utilitatem ederet,quavis moneat ipse Galenus 2 *de usu part.*3 Anatomiæ scriptoribus credendum non esse, sed Dissectoribus tantù plenam fidem habendam.Quæ si ita se habent,quis inter Medicos erit ità cæcus,ut non videat Anatomes necessitatem ad Morbos internarum partium dignoscendos: Verùm si ulterius consideremus,quod quantacùque diligenti industria à Medico adhibita,ejus tamen cognitio conjecturalis *Introduct. cap*.5. fallaxque fit, tanto acutiora humana debent evadere Ingenia , fortioresque conatus intellectus edere, ut conjectura non multum à certitudine distet. Quòd si quispiam Medicorum inveniatur, qui nos ad internorum affectuum cognitionem certam ducat, erit mihi alter Apollo. Quam Methodum à Te Vir Præstantissime modo tentatam audio, dum à posteriori autopsia ipsa non modo contemplabilem , sed sensibilem nostram cognitionem reddere intendis, in rimandis, & indagandis abditis abstrusorum affectuum causis:Opus equidem Posteritati futurum utilissimum,dùm cognitis causis, & locis affectis, plurimi Morbi , hucusque incurabiles habiti,atque experti,curabiles evasuri sint.Ut igitur in tanto opere absolvendo pergas , non solum hortor, sed exoro summam Virtutem tuam,ut de Republica Medica optimè meritus fias.Diutissimè vale, dùm ego vivam P.& Exc.D.T.Æt.Add.

Andreas Falconet *Pater* , *Medicinæ Doctor Lugdunensis.*
Lugduni Gallorum xx. Octobris 1677.

MUltum debere me profiteor Domine *Sponio*,amico singulari & Collegæ , quo internuntio literis me cohonestas,quin simul elegantis Tui instituti commones:De eo ante cum sermo incidisset,quæ mea esset sententia, gratulabundus prædixi: Nomen jampridem atque merita mihi innotuerant ex libro à Te edito,cui materiem præbuerunt opera Viri præstantissimi & subacti judicij *Gul.Ballonij*, in quo omnia eleganter concinnoque ordine disposita,eximia cum utilitate:De eo differendi ubi se occasio obtulit,cum Excellentissimo *Sponio*, in eam semper coivimus sententiam bene Te de Republica Medica meruisse. Ille verò cum adjungeret commercium literarium intercedere , rogavi testatum faceret quanti Te æstimem: Facta quoque nuper mihi copia libelli à Te editi,per quem reviviscit Excellentissimus ille Practicus Dominus *De Mayerne*, cujus aliquot Consilia,cum Tractatu de Arthritide jam luce fruuntur: Celeberrimus ille fuit Medicus, Opulentissimus, Experientissimus:Quicquid deinceps à Te proditurum est, ut pote bonæ notæ, pergratum mihi futurum est, &c.

Carolus Sponius, *Medicus Regius,Doctor Monspeliensis, Collegii Lugdunensis Vicedecanus.*
Lugduni Gallorum die xxvij. mensis Octobris 1677.

SP. Clarissime Dom. D. BONETE, Amicorum Optime , summóque cultu mihi prosequende , Humanissimis tuis Literis significas, animo destinasse Te, publicis usibus propediem impertiri SyllogenObservationum,depromtarum ex Anatomis & extispiciis personarum morbis omnis generis è medio sublatarum, prout sese oggesserint , eamque Syllogen Practica serie disponendam,juxta ordinem IOH. SCHENCKII τῶ πάνυ in simili materia pridem usurpatum, adjectis pro re nata Scholiis quibusdam , ad pleniorem rerum minùs perspicuarum illustrationem: quo super cœpto quid mihi videatur , rogitas. Ego vero, Vir Eximie , propositum istud tuum non possum non præclarum admodum , imò tantæ frugis,ut nihil suprà pronunciare, quanquam perarduum quoque agnoscam , vastissimum ac laboriosissimum: quo fit ut ipsum non immeritò compellere liceat titulo facinoris Heroici, Herculani , συγαλισάτε, solisque rarioribus ingeniis , quale tuum, apprimè digni. Nullus omnino dubito quin tuas inter manus adeo industrias,mirificos successus acquirat, incredibilisque voluptatis sensu tam Teipsum auctorem, quàm curiosos omnes Philiatros sit affecturum , qui nullâ unquam Tua lectitandi satietate capientur. Ecquod enim amœnius(obsecro) spectaculum ipsis exhiberi queat,quàm in multiplici Cadaverum dissectione,Morborum prægressorum funestas quasque clades oculatæ fidei perlustrandas exponere ? quæ nonnisi imperfectè intelligi , aut potiùs subolfieri tantùm poterant ante corporis apertionem : ut idem heic evenire dicendum sit,ac in obsidionum solutione,ubi spectatores ejus rei satagei poliorceticos omnes hostis labores oculis usurpare cominùs facilè

lè possunt, si velint, puta castrorum situm, munimenta, cuniculos, ruinas ac subversiones parratas, quæ singula, præsente adhuc hoste, obsessis minùs erant explorata, Consilium ergo Tuum, nunquam profectò satis laudandum, famaque unicè celebrandum, non alio spectare mihi videtur, in abditorum Microcosmi recessuum detectione, quàm collimabat olim modernorum Argonautarum, Christophori Columbi & Americi Vesputii votum, quo sibi proposuerant Terrarum nova, alio (ut ait ille) Sole calentia, hactenúsque ignotata indagare ac detegere, quemadmodum etiam faustis avibus tandem præstiterunt, eoque ipso admirandi ac θεσπέσιοι apud universam posteritatem evaserunt. Nostra etiam Patrúmque memoria non pauci extiterunt, quibus de meliore luto finxerat præcordia Titan, qui præcipuo studio ad Anatomicum negotium seriò pertractandum se contulerunt, naturalem partium humani corpòris Diathesin accuratè rimaturi, quo ipso non parum sibi pepererunt gloriæ. Quòd si tali scrutinio gloria debeatur, nonne longè majorem merebitur alterum istud, cui litas, scrutinii genus, utpote multò majoris abollæ, & ad Medicum potiùs quàm Physicum pertinens, quo scilicet perlustrari solet Diathesis præternaturalis, quæ in corporibus morbo defunctis apparet, quæ quidem ipsa levi admodum brachio à plerisque Pathologiæ Practicesque delineatoribus hactenus fuit excussa atque expensa: etiamsi citra hanc speculationem nunquam solidè exploratæ esse possint infinitæ quorumlibet morborum noxæ, neque ad unguem reddi possint rationes omnium & singulorum φαινομένων quæ per totum morborum tractum occurrerunt, quas ad res assequendas hoc pacto commodissimè perveniri potest.

Quapropter summopere Te adhortatum velim, non tantùm ut à suscepto molimine minimè Te absterreri sinas, sed contrà ut huic gnaviter incumbas, quantum scilicet tum propriæ valetudinis, tum Tui abs rebus aliis otii ratio patietur: imò ut quantocyus tam amabile pensum auspiceris; persuasissimum habens, Te Rempublicam Medicam hoc ipso impensè demeriturum, ac in stuporem quodammodo abrepturum, adeoque Nomen immortale Tibi comparaturum, aliisque fortassis ansam præbiturum Tuum exemplum imitandi, præsertim cùm fieri non possit, ut tantæ molis tantique momenti Opus ab uno duntaxat homine & incboari, & summam ad absolutionem perduci possit: quem ad scopum obtinendum vix ac ne vix quidem pares esse valeant aliquammultorum Vitæ. Si vultis ergo Tu, Tuique similes alii, reliquorum Asclepiadarum gratiam inire, atque ut Vobis applausus omnium concilietur efficere, non aliam puto Vobis viam esse calcandam. Assurgetur passim Vobis, Amor & Deliciæ Medicorum audietis, Elogia denique non inferiora tribuentur quàm quæ primis Astronomiæ Cultoribus accinebat Ovidius,

Felices animæ, quibus hæc cognoscere primum,
Inque domos superas scandere cura fuit!
Credibile est ipsas, positis vitiisque jocisque,
Altius humanis exeruisse caput.

Vale Vir Clarissime, Tui Nominis officiosissimus Cultor, &c.

Carolus Drelincurtius *Medicus Regius in Galliis, nec non glor. m Principi de Turenna à Consiliis olim Medicis, Nunc vero Lugduni in Batavis Rector Magnificus, & Professor Medicus Primarius.*

Lugduni Batavorum exeunte Octobri 1677.

ANatome Tua, Ars potior cùm nulla sit, quò Veritas è puteô eruatur, debitis illam laudibus nullus extulerim, sed Tuam, mi Bonete, τήν τε ἐγχείρησιν τήν τε ἀγχίνοιαν per Apollinis sacra contestor, ut perdius & pernox veritatem illam, *quæ Medicinæ tenebras dispellat*, expromas.

Id profectò suis numeris si absolveris; rerum momenta brevibus si perpendis, *inanibus missis, quæ ad rei pondus vel hilô leviora*; symptomata si fidus enarras, quibus, *cum Libitinæ Satellitibus*, in tumulum est Æger compulsus; Cadavera demum, industrius si penetras, rerum medullâ nos ut exsaties, universus Tibi assurget Medicorum Chorus.

Macte igitur peritiâ Tuâ, Clarissime BONETE, & quam nactus es Spartam, exornato, Nobisque nucleum cedito, relictis pigriori putaminibus. Sic ibis ad Astra, nec Te conticescent seri Nepotes, vaticinante Tibi C. D.

Natalis **Falconet**, *Andreæ Filius, Professor Medicus Lugdunensis.*

4. Calend. Ianuar. 1678.

FRueris tandem famâ nominis tui, & Lucubrationibus tuis tantopere optatis vicissim fruimur; cùm exquisitum penes nos sit opus tuum Pathologicum, verus Therapeutices gnomon: Qui enim meliùs quàm tuâ σπλαγχνοψίᾳ tot φαινομένων in morbis prorsus dissimilibus similium, explorata ratio poterat haberi? qui facilius, pars affecta, cui debetur medicamentum, integræ damnosum, poterat internosci? Qui demùm tutiùs tot syrtes ac scopuli in vorticoso affectionum pelago exurgentes poterant declinari quàm novâ hac observationum tuarum cynosurâ? novum mehercle est opus, solo te Machaone altero dignum, nec sanè novum ex sola novitatis gratiâ, ex raro dictionis nitore, ac variis concinnitatis & elegantiæ quibus coruscat ornamentis, sed potissimùm ob insignem πολυμαθείαν optimâ fruge sparsam, atque maximum quod curanti & curando cedit emolumentum: opus ergo nomine multiplici novum, quippe quod nulli vel inter eos qui Anatome inclaruere, magis conspicui parem ætiologiam cum pari felicitate fuerint persequuti. Omnibus curis, muneribus nec non periculis labori huic impositis tam gloriosè defunctus es, ut quæ in te invidi tela foliis sub prælo sudantibus converterant, iisdem apricantibus aliò detorserint: mirum equidem quòd ad eum Evectus locum in quo Litterati ab omnibus invidiæ ventis solent circumflari, invidorum morsus & improborum contumeliam aufugeris; ad tot enim veritatum splendorem conniventes quid aliorum opera dente Theonino solent rodere, defixis in terram oculis rabiosa videntur rodere silentia. Sed quid quæso *Zoilis* foret carpendum? nisi quod stolidi velut canes, nascenti in publica commoda, majoris magnitudinis allatrent sideri: quis enim majori lumine artem Medicam decoravit? quis diligentiùs excoluit? quis auxit uberiùs? occlusa, Vir Præstantissime, aperuisti, irretita explicuisti, impervia

penetrasti, angusta ampliasti, universæ domus Medicæ fines eò usque protulisti quò salebrosa & prærupta Diagnoseos via, ut offendiculorum plena, sic omnium errorum caussa, jamjam nedum sit illustrata sed complanata, iis artibus affectas partes primas necis hospites tantâ cum diligentiâ perscrutatus es, & secundum vel minimas sui particulas erugasti, ut par paribus impendens fatū, nemini, quantū natura rei concesserit, nō liceat avertere; sic tandē quæ solo conjecturæ nomine, alias audire consueverant validiora rationum momenta, diorismo ex Disquisitionibus tuis orto, nunc ferme ad demonstrationis pondus accedunt. Qui sint ergo qui obstrepant anseres? qui ogganniant scioli! qui subsannent Momi? qui rixentur Aristarchi? rumperentur sanè si qui forent miserrimi Cleones, cùm tot inter plausus ac solemnia, Panathenæis celebria non minùs Literatorum gaudia, nec cachinni, nec sibili, nec ipsimet scurrarum magis vociferantium, tumultus ad auriculas quantumlibet avidiores possent pervenire, gratulabatur in musæo suo amicorum constantissimus. N.F.

Ioh. Iacobus *Harderus* Medicinæ Doctor & Philosophiæ Professor Basileensis.

Basileæ xxiv. Junii 1678.

Judicium de Opere Tuo in ultimis Tuis à me efflagitas, certe levius illud foret, nisi Nominis Tui stipatum prodire posset auxilio; ea enim ejus fama est apud Rei Medicæ peritos & Antistites hoc sæculo, ut vel solo Nomine audito, liber Tuus facilem apud omnes sit inventurus locum, Ea insuper Operis Tui utilitas, ut non tantum φιλιατροι*, sed etiam ij quibus paulò uberius Medicinæ delitias gustare datum est, optima exinde depromere queant Theoremata, quibus adjuti, & in morborum horumque causarum cognitionem facilius devenire, inque his profligandis feliciori manu desudare poterunt: imo insignem hoc Tuum Opus, Tui ingenii spirat aciem* φιλοπονία *junctam egregiæ, adeò ut, si licitum foret, totus eruditus Orbis Te ad ulteriora nobis pandenda, jure esset stimulaturus.* Habes itaque hic judicium meum leviusculum æquidem sed ὁλόκληρον & ἀκίβδηλον.

Iohannes Conradus Peyer, *Schaphusanus Med.*

Lutetiæ Paris. 5. Julii 1678.

Opus Tuum historiarum Anatomico-Medicarum & novitate & utilitate adeò præclarum est, ut non possit non ab omnibus expeti, quibus curæ Medicina. Neque enim ad artis nostræ perfectionem quicquam desiderari potest accommodatius: Talibus sane historiis pathologicis ad partes affectas & morborum causas dignoscendum vis multo potentior quam nudis tot systematum præceptis dubiisque regulis, quæ sine exemplo sunt ferculum sine sale: In Philosophia naturali hodie obtinuit ut nihil verum putetur quod sensibus percipi nequit, aut experimento demonstrari. Hac methodo si & medicina traditur, plurimum in ea certitudinis atque soliditatis eminebit, nec eam adversarij velut conjecturalem, & fortunæ tota instabiliorem amplius traducent. A cadaveris cujuscunque dissectione, aut historiarum anatomicarum lectione nunquam ædepol tedeo nisi doctior & oculatior, ut cæcos omnino putem qui ista floccipendunt.

Ioh. Baptista Fantonus *Medicinæ Doctor, Augustæ Taurinorum Collegii Medicorum Socius, Et in alma Universitate Anatomes Professor. xv. Sept. 1678.*

Dum ignotas in cadaveribus vias, per quas effugerit vita scrutatis; extrema longè præcellis humanæ vitæ non minus, quam ingenij (Excellentissime Vir, Celebetrime) Eò quidem pervenit Anatome in Bartholinis, Riolanis, &c. ut incrementa assumpturam desperent sæcula: deerat nullatenus perfectio, tibi soli servata, quam cæteris respuere fata; Illi naturales partium status, vel morborum locos, ex sanorum cadaverum dissectionibus recensent, Tu ulterius morborum non tantum locos, verum locorum affectus oculorum examini præbes observatos: *Neque quisquam* (monet Harvéus Exercit. 1. Anat. ad Joan. Riolan.) *facile crederet quantum ex morbis, præsertim Chronicis, interiora pervertantur, & quanta partium interiorum Monstra in morbis gignantur, Ausim dicere, plus una dissectio, & apertio tabidi, aut Morbo aliquo antiquo, vel venenato confecti corporis ad Medicinam attulit commodi, quam decem corporum strangulatorum,* Et hoc hactenus expectat Orbis, pollicitusque fuit Petrus Castellus Romanus in Hipp. Aph. p lib. Epist. ad Dominicum Panarolum, editurus bis centenas ex dissectis cadaveribus observationes, sub titulo Sepulchreti, quod sepulchri inter umbras secum involutum firmiter credo: Anxium quoque sub spe detinuit Orbem *Magnus Harveus* publicandæ Anatomiæ Medicæ, quod exequi negarunt Parcæ: Celeberimus denique Bartholinus Anatomiam utilem sivè Practicam, quam Publico erat oblaturus, invida nimis incendia consumpsere: sic erat in fatis, ut præcluderetur occasio Anatomiæ tuæ Practicæ publicandæ: Pari titulo gloriatur Clarissimi Pauli Barbette Anatomia, Riolani Pathologia & Molinetti, Eæ tamen subalternantur Physiologiæ: Tua verò *Victimarum* erit *Anatomicarum Catastrophe*, vel potius *Theatrum Anatomicum Tragediæ vitæ humanæ*, tot scenis divisum quod partibus distinctum, Varium tot actibus quot morborum capita: Festina itaque (Vir Clarissime) publicæ utilitati editionem, Anatomia nostro hoc seculo si ita adaucta, ut hoc tantum egeat complemento, Tu perfice, & dum oculis uteris in testes, quænam occurret dissensio? proferat Hippocrates, *longam Artem dificile judicium*, Si re includit, erravit: quæ enim comprobat sensus non difficilis sunt judicij: Denique tua hæc volumina mutilo prædicabunt eloquio immortalitati (Harvei loco citato) elogia. *Omnium* nempè *Morborum sedes ante oculos ponere onus est non nisi divino ingenio exantlandum: gravem sanè subiit provinciam, qui morbos penè intellectus aciem fugientes oculis prospiciendos tradidit: decent hæc conamina Anatomicorum principem,* Ego verò tuo lætabundus applausu, partiali devinctus beneficio, glorior ex Animo.

Iohannes

Iohannes Iacobus Wepferus *Poliater Scaphusanus xxv. Octobr. 1678.*

LAndatissimum opus tuum quod attinet, Anatomiam scilicet Practicam, nec me applausore nec desensore indiget, cum vel solû nomen se commendet atque ex Prodromo de Capitis dolore ceu ex ungue Leo cognoscatur, ex illo enim perspicitur non solû sedulitatem & diligentiam tuam laude dignissimam, verû etiam in seligendo, & ad suum locum quamlibet historiam referendo exactissimum judicium & in commentando incomparabilem eruditionem magno tuo merito singulariter æstimandam esse. Quilibet, cui vel mica salis in pectore est, Anatomiam Practicam non solum utilem sed quoque plane necessariam esse facile agnoscet: in omnium ore est Medicum tantum ad Curationem sufficere, quantum in cognoscendo valeat. At quis sine prævia hac luce plurimorum morborum loca præcipue affecta & causas proximas intelliget? nonne horum ignarus Andabatarum more hæc sacra prosequetur? experimenta per mortes faciet? quos enim in medendo rerum locorumque gnarus scopos sibi præfiget? qui medicamenta adhibebit? quorsum diriget, aut quibus locis apponet? Plura absurda præterea: id tamen ausim dicere ob studij hujus neglectum nimium quam diu nobis falsa & delira obtrusa fuisse, & neminem hoc studium improbaturum, nisi quem absurda dediscere pudet, aut nescio qua philautia fascinatum, ut nihil rectum putet nisi qnod ipsemet comminiscitur, quorum semidoctorum scilicet turba quotidie nobis occurrit.

At studium hoc noxium effutire, prorsus diabolicum dixerim, cum non nisi è schola illa proficiscatur cui Generis humani juratus hostis præest: quibus enim damnum aliqnod affertur? mortuis ne? at paulo post esca vermium fient? An vivis? verum illorum bono labor iste suscipitur, nimirum ut præsens sanitas conservari, amissa feliciter restitui possit: si quam noxam parit, illis afferet qui Reipubl. Med. commodis impensius invigilant, atq; ut proximo bona conscientia in medendo inservire valeant, propriam vitam vilipendant: Id Viri Excellentissimi & optime de Rep. Med. meriti Spigelius & Veslingius cum vitæ jactura, alij cnm valetudinis incommodo fecerunt: eo laudabiliores quod Charitate Christiana nihil prius sub venis habuerint.

Ioh. Daniel Horstius *Diversorum, S. R. I. Electorum Principum & Magnatum Medicus, Collegii Medici Francofurtensis Senior.*

Francofurti 20. *Dec.* 1678.

QUæso, *Vir Celeberrime*, noli diutius Orbi invidere doctissimos illos labores tuos, sed propediem in publicum publici boni causa illos emitte, quod mereantur plane: Non multa sed multum legisse præstat; nec multos sed bonos Authores noscere facit peritum & eruditum: Multis vero non amplius opus habebimus, si lucem aspiciat Tuum clarissimum & consummatum scriptum, quod ad Theoriam discendam & Praxim exercendam sat validnm illud ut & commodum, atque citra ambages commoda monstrat Philiatro committenda & omittenda, sicque ad solidam Artis Medicæ notitiam feliciter ducat, generalia specialibus, pro diversitate ægrorum & ægritudinum apposite applicando: Non contemno quidem libros controversiarum & dissertationum, sed ad bene medendum unicum Artis scopum, non faciunt tantum quantum Observationum collectio, à qua lecta relectaque plus solatii quàm à doctissima quavis, in novatorum maxime, erudita, & subtili contentione, morbidi accipiunt, ipseque Medicus cum adstantibus: Cum ante annos quadraginta Professionis Medicæ munus mihi in Academiæ Marpurgensi concrederetur, in omnibus meis Prælectionibus hoc egi ut cuncta prolata exempli potius Anatomicis & Nosologicis elucidarentur, quam spinosis disputationibus difficilia redditerim, inculcante nempe *Arte* nostra *longa* & *Vita brevi*. Fac itaque ut brevi nos beet Tuum Opus desideratissimum & Vale. T. T.

Iosephus Du Vernay *Doctor Medicus & Regius apud Parisienses Anatomicus. Parisiis die xiv. Ianuarii 1679. ex Horto Regio.*

TUum de Historiis Anatomico-Medicis Completum jam Opus Summa cum Animi Delectatione cognovi, mihi certo constat nihil ad promovendam Artis Medicæ praxim accommodatius, nihil ad illustrandam Medicinæ Theoriam, eamque à tot inanium Systematum commentis expediendam, aptius hac Tua Elucubratione posse reperiri, quæcunque enim præceptiones sedulis istis ac certis Observationibus, iisdemque tot solertissimarum tuarum meditationum accessione locupletaris innitentur, fidem plane locupletissimam, ac celeberrimam apud litteratos quoscunque viros existimationem sibi jure merito vendicabunt; Itaque hujus Operis utilitate permotus meum hoc de ejusdem Excellentia Testimonium ad te libentissimè demandavi.

Ad Perillustrem Virum, Dom. TH. BONETUM.

Immensas grates fundet Tibi qualibet ætas,
Gloria Pæonii prima, BONETE, *chori,*
Quòd ferè inexhaustis Artem conatibus ornas,
Déque Cadaveribus parta trophæa doces.
In putribus sunt mella feris qui quærere certant,
In microcosmo aperis mille, BONETE, *favos.*

Carolus SPONIUS Med. Lugdun.

Ad Excellentiss. Clariss. Doctissimumque Virum Dom. D.

THEOPHILVM BONETVM.

Med. Doct., cum Opus utilissimum περὶ τῆς τῶν πτωμάτων ἀνέξεως in lucem Princeps ederet.

Τετράστιχον.

Si dum vivo meum corpus reserare liceret
Conspiceres animæ pars tua quanta meæ:
Pectora sed nisi cum post fata recludere mos sit,
Mortem ero ad usque meam Clare BONETE *tuus.*

VINCENTIUS MINUTOLI in Academia Genevensi politioris Literaturæ Professor.

Sur la même pensée

MADRIGAL.

Aprenés Illustre BONET
Medecin consommé par l'Art & par l'Usage
(Car enfin je le dis tout net
Au sujet de ce bel Ouvrage)
Que si comme les morts l'on ouvroit les vivants,
Vous pourriés dans mon cœur lire les sentiments
D'une estime pour vous toute particuliere,
Mais puis que l'on attend qu'on ait fini son sort,
Je les conserverai d'une telle maniere
Qu'on pourra les y voir encore aprés ma mort.

Le Même.

In laudem Auctoris & Anatomiæ Practicæ.

At bona Bonetus, *mala cur tu Mome rependis?*
Non tibi de luto cor meliore fuit.
Theophili *bonus omnis enim, nomen studiúmque*
Laudatum sera posteritate capit.
Magnæ molis opus præclaro Herculis ausu
Is dedit, ancipitis Gordia vincla secans.
Ferro quæ patrat tacitas Libitina per artes
Ut jugulet miseros, ut struat insidias:
Felix qui potuit mortis cognoscere causas.
Hunc igitur librum volve, revolve, tenes:
Te cruor absterret, vel mors cantata! sed ecce
Hæc manet innocuo vulnere parta salus.

Jo. CONRADUS PEYER Medicus Schaffusa Helvetius.

Se bona diffundunt, arcto nec carcere claudi
Dum prodesse volunt se patiantur ea.
Non mirum est igitur lucem præclare Bonete
Affectare tua nobile mentis opus.
Hoc Medici est, multis gratiam præstare salutem
Hoc præstas cunctis ore manúque bonus,
Hinc nomen clarum splendentibus inseris astris
Atque æterna tibi præmia fama canet.

Jo. GEORGIUS MANGOLDT D. Medicus Basileensis.

INDEX EORUM

Qui hoc in Opere adducuntur.

Hippo-

Hippolitus Boscus,
Robertus Boyle,
Petrus Boysseu.
Antonius Musa Brassavolus,
Joh. Henricus Brechifeld,
Brengerus.
Brugelius,
Rudolphus Burkardus.
Joh. Burgovver,
Thomas Burnet,
Joh Burzius,
Lucas Bylerus.
Caspar Caldera,
Barthol Cabrollius,
Franciscus Cailleus,
Jacobus Camenicenus,
Joachimus Camerarius.
Joh. Rudolphus Camerarius.
Hieron. Capivaccius.
Hieronim. Cardanus,
Julius Casserius Placentinus.
Petrus Castellus,
Isaacus Cattierus,
Prothus Casulanus,
Gedeon Chabræus,
Gualterus Charleton,
Moses Charras.
Johannes Chiffletius,
Franciscus Chomel,
Volkerus Coiter,
Caspar Collichen.
Tobias Cnaulinus.
Andreas Cnoffelius.
Theodorus Collado.
Realdus Columbus,
Ludov. Herman. Combach,
Conradinus.
Paulus Constantius de Rebeque,
Mauritius Cordæus,
Gaspar à Costa,
Samuel Coster,
Joseph Covillardus,
Joh. Crato.
Alsarius Cruccius,
Alardus Hermanus Cummenus,
Tobias Czazkelius.
Stephanus Dentand *Chirurgus.*
Alexander Deodatus,
Antonius Deusingius,
Isbrandus à Diemerbroeck,
Petrus Salius Diversus,
Joh. Jac. Venceslaus Dobrzenski,
Rembertus Dodonæus,
Joh. Dolæus,
Leonardus Doldius,
Michael Doringius,
Dovynetus,
Carolus Drelincurtius,
Ludovicus Duretus,
Sebastianus Eckerti,
Joh. Henricus Egermeier.
Gallus Eischneiterus,
Joachimus Georgius Elsner,
Joh. Sigismundus Elshostius,
Thomas Erastus.
Bartholinus Eustachius,
Gulielmus Fabritius Hildanus.
Hieronymus Faber,
Antonius Faius.
Andreas Falconet,
Natalis Falconet,
Johannes Faber,

Nathanael Fairfax,
Adrianus Falkenburgius,
Gabriel Fallopius,
Joh. Baptista Fantonus,
Michael Fehr,
Johannes Fernelius,
Ferrandus Senior,
Thomas Fienus,
Joh. von Flammerdinge,
Robertus Flud à Fluctibus,
Martinus Fogelius,
Cæcilius Folius,
Rodericus à Fonseca,
Jacobus Fontanus,
Nicolaus Fontanus,
Lælius à Fonte,
Petrus Forestus,
Samnel Formius,
Raimundus Joh. Fortis,
Carolus Fracassatus,
Dominicus Fracassatus,
Melchior Fribe,
Christophorus Fromannus,
Osvvaldus Gabelchovverus,
Gaien *Chirurgus,*
Claudius Galenus,
Georgius Garnerus,
Petrus Gassendus,
Achilles Gasserus.
Daniel Geiger,
Conradus Gesnerus,
Petrus Gassendus,
Cornelius Gemma,
Hector Gibaltus,
Johannes Gilbertus,
Matthias Glandorpius,
Henricus Glaser,
Franciscus Glisson,
Reinerus de Graaf,
Gras.
Georgius Grasceccius,
Ioh. Georgius Greiselius,
Iacobus Greiselius,
Osvvaldus Grembs,
Christophorus Guarinonius,
Jacobus Guillemeau,
Philippus Hæchterrerus,
Samuel Hafenrefferus.
Ehrenf. Hagendorn,
Paterson Hain,
Fridericus Hammericus,
Georgius Hannæus
Joh. Ludov. Hannemannus
Christophorus Harder
Ioh Iacobus Harder
Johannes Hartmannus
Gulielmus Harveus
Ioh. Hebenstrett
Henricus ab Heers
Ioh. Heinsius
Moses Heldt
Ioh. Bapt. Helmont.
Johannes Henen.
Augustinus Hermannus
Siboldus Hemsterhuys
Matthæus Franciscus Hertodus
Ioh. Ferdinandus Hertodus
Johannes Hessus
Joh. Heurnius
Ottho Heurnius
Hiarne
Nathanael Highmorius

Hippocrates
Fridericus Hofmannus
Gaspar Hofmannus
Mauritius Hofmannus
Cosmas Holtzachius
Martinus Holtzapelius
Jacobus Hollerius
Wolfgandus Hœferus
Johannes van Horne
Hornungus
Gregorius Horstius
Ioh. Daniel Horstius
Houppeville
Ioh. Fridericus Huldenreichius
Emanuel Hurterus
Leonardus Iacchinus
Matthias Iacobæus
Oliger Iacobæus
Desiderius Jacotius
Julius Iasolinus
Ioh. Iessænius à Iessen
Frider. Ferdinandus Illmerus
Ingrassias
Antonius Iodon
Thomas Iordanus
Laurentius Ioubertus
Iulienus
Georgius Sebastianus Iungius
Lucas Iustus
Ioh. Kentmannus
Theodorus Kerkringius
Athanasius Kirkherus
Tobias Knoblechius,
Albertus Kyperus
Frider. Lachmund
David Laigneau
Ioh. Lamont *Chirurgus*
Ioh. de Lamomiere
Ioel Langelot
Iohannes Langius
Nicolaus Larcheus
Ioh. Henricus Lavaterus
Andreas Laurentius
Lævinus Lemnius
Dominicus Leonus
Fridericus Lepnerus
Franciscus de Lestang
Andreas Libavius
van der Linden
Jodocus Lommius
Acta Londinensia
Loselius
Fridericus Lossius
Joh. Petrus Lotichius
Richardus Lovver
Marcellus Lucius
Cyriacus Lucius
Adam Lucthenius
Daniel Ludovici
Eduardus Maij
Ioh. Daniel Major
Marcellus Malpighius
Magnenus
I. Georgius Mangolt
Prosper Martianus
Matthæus Martini
Henricus Martinius
Jeremias Martius
Dominicus de Marchettis
Petrus de Marchetis
P. Andreas Matthiolus
Ioh. Marquardus

Theod.

Theod. de Mayern
Henricus Meibomius
Philippus Melanchon
Antonius Menjorius
Menzelius
Ludovicus Mercatus
Edmundus de Mera
Hieronymus Mercurialis
Thomas Mermannus
Georgius Abraham Merolin
Marinus Mersennus
Franciscus Michinus
Joh. Mingaultius *Chirurgus*
Iacobus Moccius
Gothofredus Mœbius
Henricus à Moinichen
Molinettus
Valentinus Andr. Mollenbroccius
Monconis
Ioh. Baptista Montanus
Paulus Moth
Mouronus
Iohannes de Muralto
Abrahamus Murgelius
Sebastianus Nasius
Ioh. Neander
Neretus Neretins
Benjamin Noel *Chirurgus*
Ludovicus Nonnius
Gregorius Nymmanus
Obstetrix Gallica
Adolphus Occo
Jacobus Oethæus
Fridericus Orthlobius
Matthias Paifenius
Georgius Palma.
Dominicus Panarolus.
Aureolus Theophrastus Paracelsus.
Ambrosius Pareus.
Guido Patin.
Simon Pauli.
Jo. Henricus Panli.
Pausanias.
Petrus Pavvius.
Pechlinus.
Conradus de Peniin.
Petrus Paulus Pereda.
Philippus Persius.
Henricus Petræus.
Georgius Christoph. Petri.
Gaspar Pencerus.
Joh. Conradus Peyer.
Philotheus.
Petrus Pigray.
Severinus Pinæus.
Carolus Piso.
Pillement.
Simon Pimpernelle.
Gulielmus Plantius
Georgius Plassius
Felix Platerus
Plazzonus
Scipio du Pleix
V. Fortunatus Plempius
Plinius.
D. Pollet
Johannes Posthius
Petrus Poterius

Antonius de Pozzis
Pressius
Jacobus Primerosius
Daniel Puerarius
Franciscus Puteus
Puylon
Petrus Quentzius
Josephus Quercetanus
Justus Raphelengius
Carolus Rayger
Nardus Antonius Recchius
Salomon Reiselius
Joh. Renodæus
Petrus Rex, *Pharmacop.*
Cœlius Rhodiginus
Ioan. Rhodius
Ioan. Riolanus Pater
Ioan. Riolanus Filius
Lazarus Riverius
Christophorus Rœslerus
Guernerus Rolfinckius
Gulielmus Rondeletius
Ronseus
Henricus Roonhusius
Abel Roscius
Franciscus Rota
Iacobus Rorhius
Franciscus Roussetus
Hieronymus Rubeus
Olaus Rudbeck
Christianus Rudnicius
Henricus Rufus
Ioan. Udalricus Romlerus
Ruyschius
Phil. Iacobus Sachs
Angelus Sala
Dominicus Sala
Philippus Salmuth
Rudolphus Saltzmannus
Sanctorus Sanctorius
Antonius Saporta
Henricus Sampsonius
Philibertus Saracenus
Hercules Saxonia
Iul. Cæsar Scaliger
Schmid
Conradus Victor Schneiderus.
Laurentius Scholtzius
Ioan. Schenckius
Ioan. Theodorus Schenckius
Schrodrer
Simon Scultzius
Lucas Scrockius Senior
Lucas Scrockius Iunior
Ioan. Sculterus
Melchior Sebisius
Georgius Segerus
Iacobus Seidelius
Daniel Sennertus
Ioannes Serrarius
Marcus Aurelius Severinus
Ioan. Baptista Silvaticus
Benedictus Salvaticus
Slegelius
Cosmus Slotanus
Henricus Smetius
Reinerus Solenander
Cornelius à Sommeren
Paulus de Sorbait

Lazarus à Soto
Petrus Sphererius
Petrus Specth
Adrianus Spigelius
Samuel Spilemberg
Carolus Sponius
Georgius Fridericus Stoffel
Nicolaus Steno
Carolus Stephanus
Bernardus Stiebetus
Stockerus
Famianus Strada
Ioan. Uldaricus Streiter
Suecus *Chirurgus*
Franc. Sylvius de le Boe
Georgius Tanstetterus
Ioan. Tardinius
Bernardus Telesius
Iacobus Thevart
Ignatius Thiermair
Augustinus Thonerus
Raphael Thorius.
Iac. Augustus Thuanus
Franciscus Tidicæus
Gothofredus Tilesius
Matthias Tilingius
Balthazar Timæus
Bernardinus Tornamita
Ioan. Fridet. Trafelmannus
Fridericus Treublerus
Victor Trincavella
Simon Aloysius Tudecis
Nicolaus Tulpius
Leonardus Turnheiser
Franciscus Valleriola
Franciscus Vallesius
Antonius Valetius
Ioan. Valverda
Constantius Varolius
Christoph. à Vega.
Thomas à Veiga
Georgius Hieronymus Velschius
Franciscus Vertunianus
Andreas Vesalius
Ioannes Veslingius
Bernardus Verzascha
Vidus Vidius
Vischerus.
Antonius Vitaglianus
Ioan. Georgius Volkamer
Laurentius Vostfrigel
Ioannes Walæus.
Thomas Warthon
Wolfgangus Wedels
Ioan. Iacobus Wepferus
Ioan. Iacobus Wecker
Abrahamus Werner
Ioan. Valeus Willius
Ioannes Christianus Wilhelmi.
Thomas Willis
Ioan. Christianus Winclerus
Henricus Wolgnad
Laurentius Woltzrigel
Paulus Zacchias
Zacutus
Ioan. Zecchius
Iacobus Zvvingerus
Theodorus Zvvingerus

Aliique praterea quamplures qui in Additamentis adducuntur, quorumque Nomina singulis Observationibus subjecta passim videre licebit.

THEO-

THEOPHILI

BONETI

MEDICINÆ DOCTORIS

ANATOMIA PRACTICA,

SIVE

DE ABDITIS MORBORUM CAUSIS

Per Cadaverum Dissectionem revelatis.

LIBER PRIMUS.

DE AFFECTIBUS CAPITIS

SECTIO I.

DE DOLORE CAPITIS

OBSERVATIO I.

Capitis dolor diuturnus, in apoplexiam desinens, à sanguine vasa duræ meningis, parte præsertim sinistra, distendente, Ejusdem meningis crassitie & duritie insigni genitus.

MORBORUM successiones per quas, infausto sæpe transitu, invicem sese excipiunt, notæ sunt Practicis: Cerebro præsertim eæ familiares sunt, cùm ab ejus substantia in ventriculos humores commigrant, aut in cerebellum ac nervos vel basin decumbunt: Ejusmodi μεταςάσεις, ob διαδέξεις τῶν χυμῶν, cephalalgicis accidunt, qui doloris molestiam, quia inducias concedit, vel acriùs non urget, sed surdo verbere cædit, diutiùs circumferunt, at tandem vel ob dictam μεταςάσιν, vel ob [illegible] patientiæ incautæ pœnas luunt: Exemplum insigne dedit exiens October anni 1675. Nobilis & Lectissima N. uxor Viri Clarissimi & Celeberrimi Dom. N. annos circiter xx. nata, temperamenri laudabilis, coloris subfusci, aliquot ante matrimonium annis, sexto per mortem dissolutum mense, capitis dolori obnoxia vixit, sinistræ præsertim parti infesto, & ubi fluerent menses, graviori, quo vigente cervix in id latus invitè distorquebatur: Quindecim ante obitum diebus de ingravescente conqueritur, absque dilucidis intervallis, nec tamen à domesticis officiis distrahente, ac si gravior fieret, oculus sinister introrsum corripi videbatur: Consultus Medicus lienem maleficii accusat, quia conjugium viscerum obstructiones præcesserant: Eò collineat, syrupos & apozemata ex succis herbarum composita præscribit, necnon venæ sectionem, à quibus præsidiis nonnihil solatii percipit, generosioribus, in graviditatis suspicione, prætermissis. Pridie ante fatalem diem aliquid in cerebro crepitasse exclamat, mox tamen inficiatut, metum incutere satagenti & sollicito de salute marito verita: Nox eam diem excipiens utcunque tranquilla, mane vultum insolitus pallor obsidet: accedit in prandio præter morem aposi-

tia, unde graviditatis opinio certior Medico. Circa meridiem visitantes coætaneas hilari excipit vultu, sed paulo post dimittit invaletudinis prætextu, earum ad cubiculi usque limen comes, quod dum repetere intendit, subotta vel vertigine, quod verisimilius, vel leipothymia, humili sedili obvio insidere volens, concidit: Jacens deprehensa in cubiculum defertur, cui imposita vires brevi reparatas iri ait, ac quietem sibi permitti postulat: Interim absente Medico de confectione hyacinthorum aliquid præbetur, à qua vomitus excitatur: Superveniens ille hystericum πάθος suspicatur, alvum enemate prolui jubet, & cucurbitulas internis femoribus affigi: dehinc somnus conceditur, qui diutius protractus assidentibus suspectus fieri incipit, quod vix verbum extorquerent: erectæ caput nutabat, cum insigni & plumbea corporis gravitate, unde serius animadversum *Apoplecticam paßionem* Ægram invasisse: Exinde ad extrema concurritur præsidia: Syrupus emeticus Salæ exhibetur, à quo ἐρεθισμοὶ & irriti ad vomendum conatus, sed nulla exclusio, mors quarta à decubitu hora subsequitur. Præceps ille & lugubris obitus mœstissimos maritum & consanguineos ad causę cognitionem per cadaveris reserationem impulit, quæ eodem die instituta est, Hæc est Prosectorum, Medico adstite exatante, relatio.

Nos subsignati D. Medici & M. Chirurgi, rogante Clariss. D. N. instituimus dissectionem cadaveris Conjugis suæ, initio ducto ab apertione capitis: Remoto cranio, statim se obtulerunt venæ duram matrem petreptantes ultra modum & morem dilatatę ac expansæ, nigrę & varicosę, minimi digiti crassitiem pene æquantes, parte pręsertim sinistra: inde cerebri superficies livida admodum apparebat: Hinc ad duræ meningis separationem progressu facto, ea deprehensa est insignis & insolitæ tum crassitiei tum duritiei; circa præsertim basim cerebri, in qua venæ distentæ etiamnum & admodum lividæ apparebant. Dein ad Thoracem devenientes, omnia in eo integra visa sunt, pulmones à connexione cum costis liberi, ad livorem tamen utcumque vergentes; Quoad imum ventrem, nulla in eo labes adfuit: examini enim subjecti Renes & Lien, integritate donati reperti sunt, Uterus insigniter parvus, citra ulla conceptionis rudimenta: Quibus perpensis, Censemus insignem dolorem capitis, Ægræ olim molestum, ortum duxisse à crassitie & duritie extraordinaria cerebri meningum, liberam vaporum & fuliginum, à cerebro manantium, difflationem impediente, à quibus diuturnus ille capitis dolor excitabatur, qua de causa sanguis ad hoc allicìebatur, qui ideo illuc uberiori copia confluens, vasa præter modum replebat & distendebat; cujus etiamnum portio in cerebri substantiam basimque decubuit: Cum autem sanguis nimiam venarum distentionem pareret, ejus circuitus & reditus ad cor ideo prohibitus fuit, ac postmodum concrescens quasi & immobilis redditus, basis cerebri ab eo compressione facta, syncopen apoplecticam, ac tandem mortem intulit.

EX hac historia elucescit quantum ad felicem τέκμαρσιν diagnosis rite instituta valeat: atque verissimum esse tritum illud Ὁ ἄριστα γνοὺς ἄριστα θεραπεύει: Eò quippe quis in medendo felicior est, quò in causarum discretione callidior & mentis sagacioris: Singularem vero solertiam & στοχασμὸν requirit affectus idiopathici ab eo qui per consensum est dignotio, ne pars innocens plectatur, rea vero absolvatur: Id præsenti in casu contigit, ubi caput insons pronuntiatum, culpa inferioribus adscripta. Revera sympathiæ aliqua erant argumenta, obstructiones scilicet viscerum conjugium antecedentes, & levamen τῶν ἐμφρακτικῶν usum consequuntum: Sed potiora & dilucidiora doloris qui per essentiam affligit, & causam indigenam agnoscit, indicia se prodebant. Illius nempe assiduitas fere citra inducias, ac plurium annorum series: Etsi verò primordia ab inferioribus duxisse suspicari licuerit, id tamen perpendendum fuerat quod monet *Rondeletius*, Galenum sequutus. Non rarò scilicet accidere ut dolor qui à consensu partium initium accepit, in affectum proprium desinat, adeò ut partis primariò laborantis affectu sublato, posterior per se subsistat, quod in cephalalgicis frequentissimum esse ait: Imbecillitas enim tandem & non delebilis διάθεσις parti inducitur, à qua congestionis supervacaneorum occasio: Retractio præterea oculi sinistri, & in orbitam, exacerbationis tempore intrusio, ac cervicis levis in id latus inclinatio, sympathicæ afflictionis opinionem excludebant: Prius enim symptoma cerebri membranas contrahi, convelli, distendi, aut quomodocunque p. n. affici à causa non advena indicabat, ad quarum consensum oculus intrò rapiebatur. Posterius, vasa cervicem perreptantia plenitudine insolita distendi, (sic nervorum distensiones circa lumbos ex atrabilariis humoribus in venis oriri ait Hippocr. lib. de rat. victus in acutis) Aut nervosas partes membranis cerebri consentire: Plethoræ certè signa desiderabantur, neque enim insigni pulsu micabant arteriæ; nec venæ habitum corporis perreptantes extraordinariè eminebant, quin & vultus decolor erat & concidens, nedum floridus & plenus: nullæ etiam aderant de æstu capitis querelæ: Sed quod ad colorem attinet, nec semper εὔχροια plethoræ index est, cum ex Hippocr. decreto in Coacis Prænotionibus, 224 Bene colorata facies vetusta stercora subesse aliquando indicet; Nec vicissim sanguinis ubertas per coloris suavitatem semper se prodit: meminisse enim oportuit effati Divini Senis, initio libri de Humoribus, *Humorum color, nisi ad profunda corporis se receperint, veluti in cute efflorescens conspicitur.* Porrò, nec semper plethora æquabiliter diffusa est, datúrque particularis, quæ hoc in casu adfuit; sanguis enim ambitum corporis deseruerat, cerebri vasa & intimos recessus occupaturus. Cur

vero

vero flammeus adurensque calor in capite ideò non perciperetur, causa fuit interceptio sanguinis in vasis, (*αἱματοφλεβοστάσιες* eleganti voce appellat Hippocr.) ob quam pene concrescens calorem exuit: *Spiritus enim*, ait Idem 3. lib. citati *non potentibus naturales in ipso vias permeare, perfrigerationes fiunt exstatione, & vertigines, & vocis interceptio & capitis gravitas*: at verò observatum in apoplecticis sanguinem etiamnum concrescere, nedum refrigerari: atqui apoplexia, eaque brevi funesta, cephalagiam hanc excepit: Pulsus vero arteriarum solito non vehementioris, præsente sanguinis exuberantia, causa repetenda est à nimia vasorum plenitudine, ob quam sufficienter explicari nequeunt, id quod in plethoricis corporibus sæpe contingit, quibus dempto superfluo, commeatusque libertate restituta, arteriæ systoles & diastoles munia feliciùs explent, unde faciliùs & liberiùs micant. Id porrò sympathici doloris fidem facere videbatur, quod de vehementia & acutie ex intervallis aliquid illi decederet; at id contingebat quia causa vasis conclusa, pro vario æstu & orgasmo, à causis intrinsecis, vel extrinsecùs advenientibus inducto, sive ab uberiori succi nutritii affluxu, mitiùs vel graviùs membranas afficiebat. Solatium quod spectar ab usu obstructiones reserantium emergens, causam non magis imô ventre quam summô conceptam fuisse indicat, cùm eorum vis non minùs ad caput, mediante sanguinis circulatione tendat, quam ad abdominis & pectoris loca: nam adhuc an dentur quæ ex destinato in hac vel illa parte obstructiones reserent, sub judice lis est. Ita ut ejusmodi medicaminum ope, sanguis in Ægri vasis capitis cespitans ad motus redintegrationem impulsus fuerit.

Quæsitum vero quibus presidiis, nisi medentis *εὐστοχίαν* elusisset fallax morbi idea, expugnari vel præcaveri potuisset lethalis affectus? Certissimum sane auxilium in liberali & repetita sanguinis missione quærendum fuit, quæ eo in casu *ἡγεμονικὸν* est; quandoquidem ejus luxuries, & cohæsitio in vasis, aperta fuit affectus & lethi causa. Eaque juxta præceptoris libro de *locis in hom.* præceptum instituta, *In doloribus ait proximum ventrem secato*: Tundendo scilicet vel jugulares venas, vel ad arteriotomiam recurrendo, Earum quidem apertio citissimi levaminis fuisset, atque, experientia teste, tutissimi: reducem nempeè cerebro sanguinem segniúsque procedentem elicit, eôque pacto sinus cerebri & torcular, cujus occlusio præcipua, imò unica apoplexiæ causa est *Nymanno*, prompte expedit, cruorémque recta & sine ambagibus educit: Arteriæ autem cujuspiam apertio sanguinem in cerebrum irrumpentem, atque amplius vasa repleturum evocat. Sicuti enim arteriæ cujuspiam obstructio, aut constrictio quævis, sanguinis motum in partibus vicinis concitatiorem reddit, ita ubi canalis ejus aliquis aperitur, aut prorsus discinditur, adeo ut sanguinis torrenti exitus pateat, quoniam per apertum quasi ostium magis libere & expedite effluit, quam per poros corpori urgeri poterat, ideo ubi facilius porrò fit, copiosior affluit, & via qua datur liberiore erumpit, adeò ut pulsus simul cum influxu ejus in vicinis partibus multum diminuatur. Atque hinc optima reddi potest ratio, (inquit Clar. *Louver.* Tract. de corde cap. 2.] quare Arteriotomia ad dolores, inflammationes, & plura hujusmodi symptomata mitiganda in tantum conferat, ut præsens juvamen afferre semper videatur: hoc autem ideo accidit, quod cùm sanguis per arterias è corde impulsus ægrè magis & difficulter per poros & habitum corporis circulatur, idcirco ubi liberam & apertam viam nactus fuerit, totus torrens ejus simul erumpit & exundat, unde proximis vasis solito suo liquore depletis & destitutis, impetus & impulsus inibi multum diminuitur. Sic expertus sum (addit) si arteria cervicalis ex hoc latere aperiatur, statim pulsum alterius cervicalis multum fatiscere: pariter etiam si arteria cruralis altera pertundatur, pulsum illico arteriæ oppositi cruris plurimum deficere.

Quæ de Jugularium venarum apertione supra dixi firmabo nupero experimento simili in casu, 16. scil. Decembris anni 1676. D. Martinius Genevensis, vir obesus & brevis cervicis, sexagenarius, genio indulgens, dum coram Senatu star, lingua simul & pedibus titubat: domum reductus lectóque impositus, destitui se cruribus ait, alterius esse quæ illi accubabant: Accedunt vertigo & cephalalgia, quam mulceri appositis & appressis sincipiti manibus jubet, excutiens pileum cujus erat impatiens: Secta fuit è brachio vena, & postridie è malleolo, quia desierat stupor pedum, sed præsentissimum levamen attulit jugularis dextræ sectio, amplo foramine, è qua prodiit sanguis crassus & putridus: hinc apoplexiæ, quæ præ foribus erat, metus discussus, remissus capitis dolor, paucísque post diebus redux fuit sanitas, nonobstante hyemis rigiditate: Illud vero notandum, nullo periculo secari eas venas, nec alium apparatum quam in aperiendis brachiorum venis requiri: hoc uno discrimine, quod hic infra ligaturam, illic supra scalpellus admovendus sit; sanguine ab admotis splenio & ligatura, citra gluten, quantumvis amplum sit foramen, & affatim effluat, illico coercito: Unde vero præsens in affectibus cerebri illius phlebotomiæ levamen pendeat ostendit idem *Clar Louver* Tract. de corde cap. 2. p. 159. Experimento probans nihil catarrhi, a cerebro in partes subditas ullas descendere, sed quicquid seri ibi redundat in sanguinem denuo refundi, eique commisceri, per jugulares venas excludendum.

Crassities & durities insolita) Imo diuturnis doloribus capitis meningum siderationem succedere aliquando inferius videbitur. Crassitiem autem illam contrahunt ab uberiori, sed lento sanguinis affluxu, qui in nutricatum abit.

Venæ duram matrem irrigantes) *Riolanus* vasa duræ meningis arteriosa potius quam venosa esse censet: *Willis*, ejus vasa aut arterias esse ait, & sanguinem adducere; aut Ductus venosos, qui sanguinem illinc, ac à toto capite versus cor reducunt: utraque sanguine præter modum distenta fuisse verisimile est.

Lien integritate donatus, &c.) Qui in affectibus plurimis, præsertim melancholicis, immerito sæpe malè audit, quamquam, experientia teste, nullum viscus, excepto corde, in cadaveribus plurimis minus labefactatum reperiatur, sic idem laudatur ab his culpatur ab illis.

Hystericum πάθος suspicatur, &c. Lien incolumis) Sympathicæ Cephalalgiæ, suspicio nata est. Circa hanc vero notanda quæ tradit Exc. *Willisius*. Propter spasmos alt in partibus aliis inceptos, ab iisque ad *ἐγκέφαλον* continuatos cephalalgiæ non raro atroces succedunt: usitatum est ab hypochondriis, nec non è regione stomachi, mesenterii, uteri, imò interdum à membris aut partibus externis, quendam quasi formicationis sensum in caput prorepe-

re, ibidemque mox dolorem aliquandiu postea diuturnum excitare. Hujusmodi affectio, quæ non rarò vertiginis, etiam Epilepsiæ aut Apoplexiæ proemium esse solet, Vaporum ascensus vulgo creditur, cum revera sit tantum spasmus in nervi cujusdam extremitate inceptus, qui versus originem ejus sursum proreptans, & dein cranio superato, quatenus aut ipsi ἐγκεφάλῳ, aut etiam meningibus, scilicet aut alteri aut utrique communicatur, convulsiones aut dolores ciet. Quæ tamen pathemata formicationem istam aliunde traditam, modò velut signum, & quandoque velut causam sequuntur. Prioris rationem alibi explicuimus, ostenso nimirum quod cum materies morbifica nervorum origines, aut partes iis proximas in capite occupans spasmus sæpenumero ab eorundem nervorum extremitatibus incipiens, illinc sursum traditus, versus loca primario affecta quasi perreptando ascenderet: quare non tantum vertigini, sed & cephalææ vomitio crebro supervenit. Attamen præterea irritatio, in viscere quodam aut membro dissito Cephalalgiæ interdum occasio & quadantenus causa est: nempe cum materies morbifica usque ad turgescentiæ plenitudinem jamjam in capitis parte affecta aggeritur, fibrarum continentium vellicatione levi tantum opus est, ut materies ista concita morbi paroxysmum inferat: ad quam acciendam non raro sufficit quod visceris cujusdam dissiti, puta ventriculi, lienis aut uteri, cui scilicet cum capite intimus intercedit consensus, fibræ nerveæ vellicentur, nam proinde statim molestia per nervos communicata, fibræ quædam capitis membraneæ, male dispositæ, & materia morbifica onustæ stringi & corrugari incipiunt; cumque adeo morbi minera commovetur, à particulis ejus commotis, fibræ in corrugationes graves ac diuturnas urgentur, cephalalgiæ ad hunc modum à visceribus exotiri visæ & vulgo *Sympathicæ* dictæ, vaporibus adscribi solent, videlicet supponendo humoris noxii mineram in viscere quodam delitescere, è qua commota, dum effluvia in caput ascendunt, ibidemque fibras nerveas acrius percellunt vellicantque, dolores excitantur: Doctrinam hanc olim ita plane redarguimus, ut non opus fuerit rationes hic alias apponere; Interim verò disquiramus annon aliis etiam modis præter communicationem per nervos spasmodicam, capitis dolores propter causam morbificam in stomacho, liene aliisque locis hospitantem, oriantur? Super his opinari fas sit materiem sæpe degenerem in partibus remotis congeri, quæ sanguinis commeatu, sive trajectu, capiti noxam inferat: Usitatum est humores corruptos, scilicet modo acres, modo acidos aut austeros in ventriculo, bilem in Epate, feculentias atrabilarias circa Lienem, quin & aliusmodi degenerem materiam circa mesenterium, uterum, aut alias partes congeri, à quibus demum ad turgescentiæ plenitudinem aggestis, miasma fermentativum sanguini infigitur, à quo iste velut œstro imbutus, impetuose effervescit, & partim turgescentia sua, partimque in membranas capitis quod incongruum est transferendo dolorum paroxysmos atroces ciet &c. Quoad *Ventriculum*, rem nonnunquam ita habere, quidam morbo isti obnoxii plane experiuntur: quippe horum nonnulli post bilem in stomacho fluctuantem, aliique post insignem illic acorem & famem caninam, cephalalgiæ paroxysmum certissime expectant. Cujus ratio ex parte videtur esse, quod ista ventriculi contenta, à sanguine absorpta, ipsum effervefatiunt & turgescentiam cephalalgicam in eodem concitaunt: Insuper ab ejusmodi materia acri, vitriolica aut alias infesta, intra stomachum aggesta & commota, spasmus, sive corrugatio molesta fibris, nervorumque extremitatibus illic insertis imprimitur, qui mox eorundem nervorum paris octavi & intercostalis ductu in caput continuatur, membranis fibrisque nerveis in corrugationes dolorificas prædispositis communicatur. Propter eandem inter *Stomachum* & caput communicationem reciprocam, Nauseæ & vomitus cephalalgiæ non raro superveniunt, scilicet membranis à materia morbifica, (non secus ac à plaga aut vulnere illato assolet) in corrugationes dolorificas incitatis, noxamque nervorum ductu ad ventriculum ex se insontem transferentibus, vomendi nixus interdum inanis oritur, nihilo quod rejiciatur intra ventriculum superstite, quandoque tamen ab immani viscerum inter vomendum succussione, humor felleus aut pancreaticus, nempe alter tantum aut utrique simul, in duodenum explosi & vomitu rejecti, pro materia cephalalgica perperam sumuntur. Dolores capitis lieni haud minus quam ventriculo imputari solent, & quidem passim observare est in hypochondriacis, isti etiam morbo obnoxiis, dum in sinistro latere dolor, inflatio, borborygmi, aut alia quævis, velut lienis affecti perturbatio, contingit, cephalalgiam quasi exinde suscitatam mox crebro succedere: hinc statim vox populi est vapores à Liene perturbato emissos capitis dolorem ciere: Verùm enimvero ut concedamus cephalalgiam lienis culpa interdum oriri, rejecta tamen ista per vapores αἰτιολογία, hujus causa imputari debet, aut malo fermento à liene in sanguinem transmisso; aut spasmo illinc capiti per nervos communicato: quippe in liene male affecto, humor atrabilarius, inque naturam modo vitriolicam, modo acrem aut acidam vel alias infestam degener sæpenumero aggeritur, qui sponte ob plenitudinem, aut occasionaliter ob perturbationem quandam excussus & sanguini confusus, ei fermentationem imprimit, qua liquor ejus capitis membranis irruens per se, aut cum liquore nervoso effervescens vellicationes dolorificas ciet: Porro, haud minus probabile est, quod interdum spasmus in fibris nerveis, quæ circa lienem quam plurimæ disponuntur, excitatus, illinc per nervorum paris vagi ac intercostalis ductus, ad ἐγκέφαλον continuatur, parem membranis ad id prædispositis affectionem imprimat. *Th. Willis Tract. de Anima Brut. parte 2. c. 2. p. 257. 258. 259.*

Observatio II.

Cephalalgia à vasis meningum & cerebri sanguine turgidis & distentis, Abscessu parvo seroso in parte cerebri anteriore.

Mercator Occitanus, nomine Montolius, quadragenarius, melancholicæ ad atrabiliariam vergentis constitutionis, gravibus curis implicitus, dum Helvetiæ nundinis celebria

lebria peragrat loca, ardente fyrio, cephalalgia prehenditur, qua diutius circumlata, tandem Morati, Ditionis Bernensium oppido, præ doloris vehementia decumbere cogitur. Illuc Neocomo evocatus, anno 1662. pedis venas tundi jubeo, brachiorum, narium vasa, admotis hirudinibus, reserari; temporum, quæ pone aures decurrunt, ac frontis; cucurbitulas dorso cum scarificatione apponi; Quarta nihilominus die nullo alio succedente affectu, occubuit: Si secandarum arteriarum peritus adfuisset artifex nec illis pepercissem.

Cranio ablato vasa meningum & cerebri sanguine ad summum turgida deprehenduntur: Cranium vix cerebri videbatur capax, præ summa illa plenitudine & distensi ne vasorum membranarum, quodammodo liventium. Repertus & exiguus abscessus, avellanæ magnitudine, sero plenus, ad levem attactum dissiliens, parte cerebri anteriore circa frontem.

GRavibus curis implicitus, Ardente Syrio &c.) Explanans historiam Sileni Galenus, quem ἐκ κόπων καὶ ποτῶν, καὶ γυμνασίων ἀκαίρων febrem validã contraxisse dixit Hippocrat. morbum successisse ait ad ejusmodi causas externas, ob prævias viscerum dispositiones: Idem 1. ad Glauc. c. 2. dicit quosdam ab antecedente causa, ut οἰνοφλυγίῃ, adustione solis, ira & similibus, in graves morbos incidere: Eos autem aberrare censet qui totum morbum causæ antecedenti adscribunt, neque aliam subesse præparationem arbitrantur: At certum est è procatarcticarum classe alias aliis graviores affectus inducere, maxime si plurium sit concursus, aut unius diu protrahatur actio, etiam citra prævium morbi dum apparatum, morbum erompere. Inter ea. curæ, & vehementes mentis sollicitudines, præ cæteris morbos pariunt, adeò ut etiam assiduam cogitationem occæcare asserat Celsus: ob eas enim humorum & vaporum facil.s est ad caput συῤῥοὴ. hinc plurimos rei cuipiam nimis intentos cephalalgia prehendi notum est: Ἡλιώσεως vero, ardente præsertim Syrio, quanta vis sit ad dolorem capitis ciendum ostendit experientia: fidem facit Sunamitidis filii historia, 7. Regum, qui graviter à solis radiis percussus, inducta σειρίασει, non diu post interiit: Geminatæ hæ causæ mercatori dicto funestæ fuere: Curæ quidem & sollicitudines, (sub quibus attentiora studia & meditationes comprehendere est) quomodo cephalalgiam parere valeant, elegantissime & doctissime proponit. Exc. *Ignatius Thiermair* cons. medic. 10. lib. 2. Dolores capitis, ait, ex plenitudine fieri ordinarium est, in otiosis præcipuè & crapulæ deditis, nisi forsan caput habeant robustius, quandoquidem diversos homines novi, diu noctuque poculis egregiè certantes, capite tamen semper firmissimo; Vidi præterea multos juvenes, etiam Religiosos, qui, licet boni habitus, atque tenerentur, more religionis, cibo potuque admodum moderatè, vexabantur tamen doloribus capitis & inc lescentiis, seu, ut ipsi loquebantur, inflammationibus, maximè si studiis & meditationibus majori cum animi contentione, vacarent: Hujus doloris causam duplicem esse cognovi, 1. Spirituum insultum, quorum beneficio studia perficiuntur, 2. Cerevisiæ potum, studiosis, eo in loco ordinarium: Spirituum quidem insultum quod attinet, dubium non est quin illi, in corporibus sanorum juvenum abundantes, facilè per menti laborem, ad animasticam facultatis sedem copiosius trahantur feranturque, & si meditationes, ac studia intenduntur, rapiant præterea unà secum sanguinis calidioris quantitatem, unde necessariò venis meningum repletis ac distentis, caput frequentiùs incalescit ac dolet: In istis proinde ita dolentibus, studia, & meditationes moderandas suasi, crebriores purgationes cephalicas, maximè vulgares & aciores pilulas diagryd. ostimulatas inhibui, utpote quæ caliditate suspectæ humores plus justo accendunt, fundunt & liquant: horum loco lenientia suasi, lotiones pedum cum decocto rosar. flor. nymphææ &c. Opiatas contemperantes, sanguinis missionem &c. Alteram causam, seu *Cerevisiæ nigræ potum* quod attinet, observavi sæpius omnes fere illos qui ex regionibus viniferis huc ad studia pervenere, magis à continuato potu cerevisiæ nigræ accendi & lædi, quam moderato vini usu sibi consueto: Credo id esse, quòd cerevisiæ copiosior lupulus incoquatur, vel potiùs quòd plurimum fermentum in Cerevisia nigra crassiori, & potu nunquam satis defæcato latitet: In corporibus denique juvenilibus hæsitans, facillimè fermentans & incalescens, vinô interim in assuetis longè promptiùs per corporum meatus dilabente.

OBSERVATIO III.

Capitis dolor à vasorum meningum repletione; Seri copia in ventriculis.

SArtor annorum 35. temperamento calidus & biliosus, *facilis ad iram*, utcunque temperanter vivens, anno 1670. incidit in ossis frontis dolorem gravativum, compressivum & lacerativum, ita ut sinciput vix aut parum doleret, eratque dolor sine omni febri, pulsum habebat tardum similem melancholicis, cætera sanus toto corpore: *Exinde Vigiliæ, deliria* per intervalla, subinde etiam *somnus* ad horas 3. vel 4. extensus, adeò profundus, ut qui ipsi totum corpus dilaniasset, vix excitasset; tandem sponte evigilans nullam doloris remissionem sentiebat, dierum 14. spatio elapso sine convulsione fatis cessit: Prædixi adstantibus apostema frigidum adesse, utens vocabulo ad captum vulgi:

Mortuo aperio caput, Ecce vasa turgent in meningibus, cranium nimiam cerebri molem non poterat capere: Interiora rimando, occurrunt in ventriculis anterioribus *unciæ viij*. seri flavi, & plexus choroideus subalbicans, preterea nihil: *Ex Frider. Ferd. Illmeri Medici in VVartenberg Observation. in Miscellaneis curiosis anni* 1670.

IUdico hinc vel vas lymphaticum vel vasa capillaria sanguifera aliqua rupta fuisse ob excessum iræ, in qua ebullientes humores nimia quantitate propulsi vasa minima distendunt, & minorem locum affectando, eadem disrumpunt, unde paulatinæ transsudationes fieri, cerebri vasa particularia

& cavitates replendo, distendendo & comprimendo hæc symptomata causaverunt: Curationis gratia extraxi sanguinem ex pede, brachio, manu; applicui vesicatoria, hirudines, cucurbitulas ad lateralia capitis, dedi purgantia &c. Dedi soporifera, verùm omnia incassum: Curiosius aliquis si legat lib. *Hippocrat.* de morbis, varia ibi de dolore capitis deprehendet, sed textum qui huc ex integro accommodari posset nullum inveniet; vel enim intra 4. aut 2. dies mortui sunt, vel accessit febris quæ in nostris casibus non observabatur: Quòd si tamen quis vellet analogiâ quadam uti, cum ipso non pugnabo. *Idem ibidem.*

Facilis ad iram) Capite sequenti generaliter dicit Clar. Illmerus se sæpius in convulsis & iratis vasa meningum sanguine turgida reperiisse, quod speciatim de hoc sartore annotat.

Pulsum similem melancholicis) De pulsu melancholicorum vide *Herculem Saxoniam* l. 3. de Pulsib. c. 38. & 100.

Observatio IV.

Capitis dolor ob vasa piæ duræque meningis sanguine turgida; Vlcus oblongum sub medio ossis sincipitis dextri, ad os Temporis extensum, Copiam seri in ventriculis anterioribus &c.

VIr Nobil. 46. annorum, temperamento supra temperatum calidior nonnihil & gracilis aliquomodo, ultimò complexionis melancholicæ: mulris annis antehac phthisicus & asthmaticus, 4. diebus ante æstivum solstitium anno 1670. incidit in dolorem gravativum, tensivum & lacerativum *sincipitis* totius & frontis, quem insequuntur continuæ vigiliæ: elapso octiduo deliria interpolata, pòst continua, suavia tamen, non irata aut furiosa; tandem uno ante mortem die, motus totius corporis convulsivi leviores. Toro tempore nec vel exiguum signum alicujus febris aut caloris, sive vehementis, sive lenti, sive essentialis, sive symptomatici, præter ultimam diem, ubi ad præsentiam convulsivorum motuum exigua aliqua & lenta caloris exuperantia apparebat in pulsu, qui per 12. dierum cursum erat tardissimus, instar pulsuum melancholicorum: Vrina primo die usque ad xi. prodibat tincta instar Ictericorum: Concluseram dolorem hunc *oriri ab evaporatione bilis per arteriosum genus*, lege circulationis, in caput, unde adhibitis cholagogis lenioribus, & emulsione laxativa Mynsichti per epicrasin, urina tandem reddebatur coloris & consistentiæ naturalis, ne hilum quidem remittente dolore & dictis symptomatibus: revulsionis, derivationis, ventilationis, evacuationis causa, quantum in corpore phthisico vires vitales permittebant, *extraxi sanguinem ex pede*, manu, hæmorrhodibus, applicari curabam cucurbitulas ad homoplatas, hirudines post auriculas, vesicatoria ad venarum jugularium latera: galline disruptæ capiti applicatæ &c. sed frustra omnia.

Vt igitur cognosceretur causa tam pertinacis doloris, mortuo aperio caput, & ecce reperio, 1. venas arteriasque duræ & piæ meningis turgentes plenasque nigro sanguine, ac ita particularem vasorum capitis repletionem, uti sæpius in convulsis & iratis observavi. 2. Sub medio ossis sincipitis dextri, à processu falcato usque ad os temporis, extensum video ulcus oblongum cum sanie crassa & multum flava, quod ego habui pro maligno, quia ante aliquot annos à Pharmacopæo sciolo, in curatione gonorrhææ exhibita fuerant mercurialia, forte non bene præparata: 3. Interiora cerebri rimando, in ventriculis anterioribus *uncias xii.* seri limpidissimi occurrebant; 4. Plexus choroideus nonnihil erat arrosus & putrefactus; Inquisivi quoque in vasa lymphatica cerebri, sed ut ea viderem tam lynceus non fui: 5. In pectore aperto, Pulmones dextri lateris duplo erant majores solito, unde forsan causa quod æger semper in dextrum latus, etiam invitus decubuerit; Sinistri verò, à sterno usque ad spinam dorsi, ita pleuræ & costis accreverunt, ut judicarem eos mille clavis affixos, quorum interiora plena erant sanie, pure & scirrhis; cor autem optime constitutum. *Ex observat. D. Friderici Ferdinandi Illmeri Medici in VVartemberg. in Miscell. curiosis anni 1670.*

SAlvo aliorum judicio, dico huic ægro ob ferinam tussim, qua ultimo anno vexabatur, in cerebro ruptam fuisse aliquam arteriolam vel venulam, vel vas lymphaticum, præcipue in plexu choroideo, unde exsudavit serum, quod paulatim augmentum sumendo, massam cerebralem distendit, in majorem molem elevavit, ip as meninges earumque vasa compressit & capacitatem cranii ita occupavit, ut non fuerit sufficiens ad continendum capessendumque cerebrum, quemadmodum in ipsa apertura apparuit: exinde & forinsecus & intrinsecus meningum compressio, ac pericranii per sympathiam tensio, sensum illum molestum seu dolorem, ad tactum etiam externum, inducens, simulque ostendens in cerebro & meningibus diminutam sanguinis circulationem. Mirabar non fuisse phrenitidem excitatam, verum dubium præsentibus solvi, Phrenitidem fieri à sanguine in cerebro vel meningibus extravasato, stagnante, & cum fit extra locum suum naturalem, p. n. effervescente & putrescente: hic verò sanguinem nihil ejusmodi fuisse passum, & ita usque ad xi. diem, ac ulterius absque inflammatione cerebrum potuisse persistere, donec tandem ultimò longâ morâ ipsis in vasis in putredinem præcipitaretur, sic vitium capiunt ni moveantur aquæ. *Idem ibidem.*

Extraxi sanguinem ex pede, &c.) Opem fortasse tulisset arteriotomia in temporibus celebrata, quæ expers periculi & certissimi solatii, cum causa in arteriis latet: cujus efficaciam (mense Aprilis anni 1672.) expertus est Genevæ Vir

Con-

Consularis, qui immani capitis dolore, latere sinistro vexatus, irritis omnibus vacuationibus, tandem aperta temporis ejusdem lateris arteria, eductóque ad uncias sex sanguine, illico levamen sensit, brevique sequuta sanitas, sola superstite virium debilitate, à crebris venæ sectionibus inducta.

Oriri ab evaporatione bilis, &c.) Capitis dolor est vel ἰδιοπαθικὸς, qui fieri potest modo duplici, aut per πρωτοπάθειαν, in ipso capite, materia secundam congestionem, generationem & pravam dispositionem producta: aut per δευτεροπάθειαν ἢ ὑστεροπάθειαν, materia in idem aliunde translata & coacervata, nec per circulationem cum sanguine alimentali superfluo revecta: Vel est συμπαθικὸς, qui certas habet differentias; Doda facta per communitatem, inquit *Avicenna*, alia est cum communitate integra, alia cum non integra: Integra, seu Positiva cerebri condolentia, fit cum communitate materiarum, & in ea aliquid noxii aliunde accipit; Tale est humor, spiritus, vapor, flatus: obvia est in partibus quæ συμφύσει venarum & arteriarum junguntur: Vicinia si adsit, consensui huic patentiores aperiuntur fores: Sic Pulmones cerebro materiam censentur sub-instillare in peripneumonia, indéque genæ rubent: Privativa condolentia fit sine communitate materiæ, locúmque habere censetur in partibus inter quas substantiæ & operarum officiorúmque similitudo, quæque συμφύσει nervorum junguntur: Gentilitas consistit in substantiæ similitudine. Sic cerebrum membrani consentientem habet ventriculum νευρωδέστατον ἢ εὐπαθέστατον. Societas consistit in operis communione; Sic cerebrum consentit nervis in ordinariis officii partibus: Nervosæ aliæ partes consentiunt nervosis: Locum in privativo consensu habent, non solum actiones animales abolitæ & imminutæ, ut in paralysi deficiente spirituum animalium influxu, verum etiam depravatæ dolorificæ: Tristi sensione percusso ventriculo, dolet etiam caput, absque eo quòd vel humor vel vapor sensibilis accusari queat, nisi quis sit in conceptu mentis: Alternata successione Matrona affligitur capitis & ventriculi dolore, nihil habet quod accuset. In febribus sæpe oriuntur dolores translata materia, duplici modo 1. μεταπτώσει cum transfertur ad caput relicto priori foco; iterúmque duplici modo, vel critico salutari & διαδοχῇ, vel symptomatico funesto & μετάστασις appellatur: 2. ἐπιγένεσις dicitur cum superstite priori foco causa morbifica propagatur in caput, rarò, imò nunquam salutaris. Uteri ob consensum creberrimi dolores, non solùm generales, totum occupantes caput, verùm etiam speciales, certas inter partes: Toti capiti sæpe infesti ab utero dolores, sincipiti autem præcipuè insidiantur: Cur sinciput & interior capitis pars sæpius doleat quam posterior, hanc reddunt rationem quòd meninx circa frontem reduplicata venas & arterias plures habeat, cùm ob molem copiosiori ibidem nutrimentu indigeat; Demonstratiu videtur desumpta ex Hipp. lib. de Vulneribus, *Universum capitis id os tenuissimum & maxime infirmum est ubi apparet bregma, idemque tegitur carne paucissima: hoc item loco plurimum subjectum est cerebri.* Ab utero frequentissimi nascuntur in sincipite dolores, non desunt tamen aliis partibus, imprimis ventriculo, affectis: Hippocr. 6. Epid. comm. 1. t. 2. *Quibus ex abortu, aut uteri tumoribus, in capitis gravitatem permutatio fit, in sincipite dolores.* Galen. in comm. Quòd in abortibus capitis uriatur gravitas, rem ipsam sensibus apparentem docet: Quòd autem inter alias partes sinciput magis doleat, diversas adducit opiniones, quas tamen omnes fere rejicit, & tandem hanc subjungit: Primu quidem, quare ab uteri affectibus caput repleatur, causam refert in venarum constitutionem: Inter omnes, *inquit*, corporis partes plurimas grandissimasque venas uteri habent: Cúmque eos aut menses aut lochia affligunt, sanguine compleri necesse est, hoc deinde putrescente, vapores calidi ad caput mittuntur: Deinde quare sinciput maximè doleat, plures proponit rationes, quarum prima est anatomica, deducta à vaporibus calidis, qui per arterias in caput subvolant, arterias autem ipsas per collum ab utraque infundibuli parte rectà in sinciput discurrentes videre licet: 2. est, quod sanitatis tempore tenuia & halituosa cerebri excrementa per sinciput difflentur: ibi enim suturæ laxissimæ, calvaria tenuissima plurimis meatibus est prædita. 3. est, qood circa eundem locum membranæ plurimæ per suturas transeant, quæ à fuliginibus illis lædi queant. His ostendit Galen. quare sinciput ab uteru potissimum trahatur in consensum, & ut plurimum doloribus infestetur *Joh. Langius* lib. 1. Epist. 43. & lib. 2. epist. 55. se plusquam centies in hystericis passionibus solum verticem capitis propesuturam coronalem, ubi mulieres etiam persentiunt glaciei frigus, dolere adnotavit. *Rolfinkius Tractatu de Dolore cap. pag.* 68. *&c.* Attamen certum est quamlibet capitis partem ejusmodi doloribus patere, prout hæc vel illa illius pars debilior est; (natura quippe in maximè debiles onus excutit) aut calidior, ideoque humores alliciens: Utplurimùm autem afficiuntur sinciput & occiput: Illud cum humorum per vasa sanguifera transmissio fit: hinc in idiopathico dolore fere anterior pàrs afficitur, cerebrum quippe per nares & os à molestiis se liberat, anterioris partis emunctoria: Occiput autem, si sympathia contingat lege similitudinis substantiæ & generis; hinc uterini dolores ibi se produnt, uterus enim spinæ per nervos & vincula connectitur; nam nervosa nervosis συμπάσχουσι

Per arteriosum genus, &c.) Affluxus humorum duplici nituntur circunstantia, 1. ut Fluant opus est, 2. ut Excipiantur: Fluxionis ipsius modus in sympathico, ratione partis mittentis est Pulsio; ratione partis affectæ, Aptitudo ad recipiendum: Pulsio, Impulsiu, Expulsio, provenit à partis robore: viscera & corporis habitus pellunt humores ad extremitates vasorum, nec ante relinquunt quam movendu expellant in caput; Pellunt autem quia robustiora: Recipiendi aptitudo dependet ab imbecillitate capitis, ἀσθενέστερον μέρος est cerebrum: Recipiendi aptitudinem egregie delineat Avicenna l. 3. f. 1. ti. 2. c. 6. Hæc receptiu est secundum duos modos, unus eorum est receptio à debilitate resistentiæ, 1. ab imbecillitate, Etiam scivisti quod cum membrum debilitatur, recipit quod ei advenit ex materiis: Alter modus est ab attractione ejus, sicut si calefiat cerebrum, & attrahitur id à quu cerebrum calefiat: Adjuvat fluxionis motum hunc naturalis humorum inclina-

clinatio, & ad motum innata propensio, ut etiam impulsio, ejusdem naturæ lege instituta in circulatione naturali, in qua unda trudit undam, ita sanguis sanguinem. Tradiderat Averroës lib. 2. colliget. cap. 8. per arterias sanguinem ex sinistro cordis ventriculo alendis partibus advehi: cum hoc alimentario sanguine miscentur multæ atomi, biliosæ, pituitosæ, melancholicæ, caliditate, frigiditate, siccitate, imò etiam figuris inæqualibus exasperatæ: Non desunt excrementitiæ, quæ dum non legitimè coquuntur, membranarum, imò substantiæ medullaris poris communicari possunt: Recipiunt autem easdem arteriæ à venis, quæ tum ex primæ, tum ex secundæ, (cui jecur & cor destinantur) tum tertiæ coctionis regionibus illas hauriunt & ad cor deferunt. Præternaturalis propensio excitatur à Turgentia: in febribus ardentibus & intermittentibus hoc modo humores furore quodam concitati sæpe caput petunt, symptomaticè vel criticè modò, doloresque magnos excitant. Hoc modò qui influit humor, cùm restitat & propter vasorum angustiam non effluit, circulatione abreptus, κατωσικῶς in carnes innominatas membranarum ejectus, quodam quasi vomitu continuitatem solvere potest. *Rolfinkius Tract. de Cap. dolore pag. 75.*

Observatio V.

§. *Capitis dolor à vasis cerebri sanguine adusto repletis, Meningibus velut sideratis.*

QUibus in capite focus est, ut jam doctrinæ gratia febris Capitalis dicatur, oculi rubent, dolor pulsatilis percipitur, est velut ὑπέρεμεσις venarum capitis; ut prisco quidem verbo, sed non inepto explicat Hippocr. An non *arteriotomia* confert? Audimus D. Cardinalis Lotareni, qui febre veluti capitali interiit, aperto capite repertas venas omnes adusto plenas sanguine, & meninges veluti tactas de cœlo & sideratas. *Gul. Ballonius Epid. & Ephem. l. 2. p. 129.*

Ὑπέρεμεσις) Sic describitur ab Hippocrate initio lib. 2. de morbis: Si circa cerebrum venulæ supervomant, nomen quidem rectum morbo non est, (neque enim fieri potest ut aliqua vena, sive magna sive parva, supervomat) nominant tamen supervomitum: Si verò etiam quàm maximè supervomant, morbum ab hoc fieri non est verisimile: nam à bono malum fieri non potest, neque à malo uti bonum fiat: neque rursus bonum plus justo fieri potest: Verùm supervomere videntur quum ad venas bilis aut pituita ingressa fuerit: Elevantur enim venæ & pulsant, & dolor per totum caput dispergitur, & aures sonitum percipiunt ac nihil audiunt: Et sonitum quidem percipiunt, ut pote venis pulsantibus & palpitantibus: tunc autem sonitus est in capite: Graviter autem audiunt, partim præ interno strepitu ac sonitu, partim quum cerebrum & venæ circa ipsum elevantur: præ nimia enim caliditate vacuam circa aurem partem cerebrum de se ipso implet: & quum æqualis aëris copia non insit, velut priori tempore, neque æqualem sonum exhibeat, ea quæ dicuntur non æqualiter se imprimunt, atque ex hoc gravem auditum habent: Hic siquidem erumpat ipsi ad nares, aut ad os aqua & pituita, sanus fit: Si verò non erumpat, septima die maximè moritur: Atsi in capite venæ supervomant, id quod ab iisdem fit, & quæ prius relata sunt: Signum verò quòd tali modò supervomat hoc est, Quum quis aut manum, aut aliam quandam corporis partem hoc patiente incidat, sanguis niger profluit & turbatus ac morbosus: quanquam neque sanguis nominari justè meretur, nisi tunc quum rubicundus ac sincerus fluit: Quum itaque supervomant ab iisdem causis, dolor & vertigo, & gravitas caput occupant: Dolor quidem præ nimia sanguinis caliditate: vertigo autem, quum acervatim ad faciem processerit sanguis: gravitas autem, quòd copiosior sanguis sit in capite, & turbulentior ac morbosior quam intrinsecus, *Videatur comm. P. Salij Diversi in hunc locum pag. 181.*

Arteriotomia) De hac sic *Ballon.* statuit, Potest obstinato malo arteriotomia decerni & cùm redit dolor, est velut accessio febrilis, maximè existente febre particulari & velut capitali. *Consil. 1. lib. 3.* Yvoni chirurgo ἀπυρέτῳ ἐόντι ferè, dolores aderant capitis profundi, vehementes, lancinantes, divellentes, σφύζοντες, ut inde vires penè consternarentur: Omni modò laboratum est, ut dolores sedarentur, sed præsentissimum attulit remedium arteriotomia, dicto enim citiùs conquievere: An non tutò idem fieri potest? At sunt qui ut audacter arteriotomiam in capitis dolore celebrent, & de capite sanguinem ducant, dicunt multùm sanguinis esse in capite, & sæpe etiam mortuis turgere venas, At primùm nosse debent cerebrum esse natura frigidum & facilè refrigescere secta vena: 2. abundare cerebrum sanguine per modum raptus tantùm, non propter generationem: 3. cùm in cerebro venæ turgent, hoc fuit morbosum non naturale: Et *Aristoteles l.* de somno, ait sanguinem capitis esse tenuissimum, contra partium inferiorum crassissimum: Ideò non fieri potest quin tenuissimum sanguinem multi comitentur tum fixi tum fluentes spiritus: Nisi fortè dicat quis istam tenuitatem non posse esse nisi cum caliditate, & ideò metu inflammationis & majoris mali non esse alienum è capite ipso demere sanguinem: contrafaciunt superiores rationes; Item quod cerebrum ab Hippocrate dicatur esse glutinosum, frigidique metropolis: Vide Hippocratem in historia Halicarnassensis ad dissuadendam phlebotomiam, præsertim frequentem in dolore capitis.

Observatio VI.

§. *Capitis dolor à phlegmone meningum, vasis & sinubus sanguine repletis, Aqua plurima in anfractibus.*

NOn minus à phlegmone & abscessu quam ab hujusmodi meningum Vasis & Tuberculis nonnunquam cephalalgiæ lethales aut incurabiles oriuntur; olim Juvenis Academicus

demicus cùm per duas septimanas de gravissimo capitis dolore, ipsum incessanter affligente conquestus erat: Tandem *febre* aucta, mox *vigiliæ*, *motus convulsivi* ac confabulatio *deliræ* succedebant; Quo tempore Medicus accersitus; phlebotomia, enematis, emplastris revulsivis, vesicatoriis. Item remediis internis, quæ fluxionem sanguinis ac humorum à capite revocent, sedulo adhibitis, nil proficere potuit quia mors brevi successerit.

Calvaria aperta, vasa meningas obducentia erant sanguine referta & plurimum distenta, quasi cruoris massa tota illuc confluxerat, Ita ut Sinibus dissectis & apertis cruor affatim erumpens ad plures uncias, supra ℔ß pondus effluxerit: Porro ipsæ membranæ tumore phlegmonode per totum affectæ discolores apparebant: Integumentis hisce sublatis, cerebri anfractus omnes, ejusque ventriculi aqua limpida erant pleni, ejusque substantia, utpote nimis irrigata, madida erat & minus firma.

PRocul dubio in hoc casu sanguinis effervescentis in meningas incursus, ejusque ibidem aggestio phlegmonem excitans, cephalalgiæ & subsequentis delirii causa fuit: Dein sanguis ibidem accumulatus, cum circulare nequiret, seri copiam à se rejecit, à quo totus ἐγκέφαλος cito inundabatur; proinde ut morbus forsan ab initio per phlebotomiam curabilis, postea lethalis evaserit. *Th. Willis Tract. de Anima Brutor. parte 2. cap. 2. p. 286.*

Febris, vigiliæ, motus convulsivi, delirium] Hæc symptomatum syndrome suspicionem injicit materiem morbificam non humore unico, quod ut plurimum contingit, sive singulari, compositam fuisse, cujus ideò dolorum paroxysmi paulò mitiores sunt & citiùs pertranseunt. Sed alteram adfuisse morbi causam, cùm scilicet duo humores, (ait idem p. 251.) instar salinorum diversi generis, simul congressi, mutuò effervescunt, adeoque à particularum dissimilium ictu, fibræ plurimum vellicantur, inque dolores valdè acutos & lancinantes aguntur, iisque non rarò diutiùs infestantur: Hoc in casu pugil unus semper erit Liquor nerveus, alter Latex serosus aut Succus nutritius: Liquorem nerveum, ob vitia modo citata, interdum per se fibras continentes vellicare, inque spasmos dolorificos ciere statuit. Sanguinem, quia fibrarum ductus tantum alluit, ac non intima subit, eximit: Hic tamen sæpe è visceribus materiam incongruam & infestam suscipit, qui ideo effervescens & cephalalgiam & dicta symptomata inducere potis est.

Observatio VII.

§. *Capitis dolor à vasis meningum & cerebri distentis sanguine, Aqua limpida cerebri plicas implente & totam compagem inundante.*

DOmina Perillustris per multos annos *affectibus spasmodicis* obnoxia, variosque & diversos perpessa, de capitis dolore & gravitate insigni conquesta, cum circa initium noctis alte dormiverat, expergefacta in paroxysmum convulsivum incidit, qui statim in *Apoplexiam* lethalem transiit:

Ejus calvaria exempta, *vasa meningas & cerebrum* perreptantia *sanguine plena & distenta* apparebant, cùm in reliquo corpore inter dissecandum vix quicquam sanguinis effluxerat: Meninge crassiore amotâ, per alteram tenuem & pellucidam, aqua limpida cerebri plicas & anfractus implens, ejusque totam compagem quasi inundans cerebatur; Revera omnes cerebri cavitates & recessus *colluvies serosa impleverat*: Plexus Choroeides aquæ diu immersus, & velut elixus discolor & semicorruptus evaserat. *Willis Pathol. cerebri. Cap. X.*

SAnguine plena & distenta) Quomodo sanguis cephalalgiam excitet, explicat Willis cap. de Cephalalgia. Interdum ait, ipse sanguis in motum rapidiorem incitatus, ac in caput ebulliens, circa loca prædisposita inter transeundum angustatur aut sistitur, proindeque uberiùs mox ibidem aggestus, vasa distendit, membranas valde inflat, fibrasque nerveas ab invicem divellit, illique adeò corrugationes dolorificas inducit: Propter hanc rationem cephalalgiæ obnoxii occasiones omnes à quibus sanguis supra modum effervescit, uti vini potum, exercitium, balneum evitare coguntur.

Vasa meningas & cerebrum &c.) Turgida & distenta eò confluente à toto corpore sanguine, tanquam ad partem (caput) jam pridem debilem: Inter causas autem quę sanguinis & seri à capite ad inferas partes refluxum prohibent, circulationique liberæ impedimento sunt, recenset Clar. *Lower* Tractat. de corde cap. 3. supinum decubitum, si collum occipite magis attollitur, quia tunc sanguis in venas jugulares ascendere potius quam influere necesse habet; unde ab ejus motu retardato, foveas utrinque in occipite imprimi ait: Si vero ista refluxus cohibitio in tam durum os temporis tractu adeò valeat ut sinuosos & profundos tractus in eo sibi excavet, quantò magis si sanguis ipse, ejusque serum in cerebrum redundet, ipsumque aggravet? At vero quocunque modo, *addit*, sive in sinubus sive in venis sistitur, malum tandem in cerebrum resilit, atque inibi futuris morbis & materiam congerit & fomitem abunde subministrat: quippe serum ob hujusmodi causas inter anfractus cerebri accumulatum, piam matrem eousque distendit, donec tandem vel acrimonia sua eam erodit, vel copia sua perrumpit, unde in basin cerebri defluens, medullam oblongatam atque nervos ex ea ortos, stagnatione sua corrumpit, aut acredine sua continuò lacessit; unde Hydrops cerebri, convulsiones & dirus mortis apparatus in capite accumulatur: Si verò serum illud à substantia cerebri imbibatur, paralyses, sensuum torpores, lethargum, somnolentiam aliosque graves affectus capiti inducit.

Colluvies serosa impleverat] Si quidem pluribus experimentis certò mihi constet nihil Catarrhi à cerebro in partes inferiores ullas descendere, operæ pretium erit ostendere qua via atque ductu aqua omnis è plexu choroeide & glandulis

pone

pone cerebellum, in ventriculos cerebri, & per infundibulum in glandulam pituitariam deposita & percolata, extra calvariæ limites deponatur: Atque in cranio vitulino (idem in humano postea expertus sum) aquam aut lac in foramina in osse calvariæ, pro sero à glandula excipiendo excavata, injectum, statim omne in venas jugulares utrinque exilire & effundi: Certò utique indiciò quicquid seri à cerebrò secernitur in sanguinem denuò refundi, eique commisceri. *Idem Ibidem.* Serum ergo in capite congeritur cum refluxus illius ob obstructionem, compressionem, aliumvè affectum jugularium venarum inhibetur: *De causis autem collectionis seri in capite, vide plura Titulis de Hydrocephalo & Catarrho.*

Observatio VIII.

Capitis dolor à sanguine nigro venas implente & quasi varicosas reddente, cum siccitate cerebri ac membranarum ejus: Sero multo in ventriculo medio.

Aurelius adolescens medio Octobri capite doluit; lex vitæ neglecta, dolor tamen capitis indies aggravescebat: Febris acuta, dolor capitis auctior: febris vere κεφαλικὴ τυφώδης: Æstus erat viscerum sed major capitis, oculus ardens, facies rubra: *dolor* capitis major *ad sinciput*: Per 40. dies traxit, mors. Ægro in sua initia resoluto, sectione internæ partes oculis subjiciuntur, Aperto capite, *vena quasi varicosa*, tabo & sanguine nigro turgentes videntur. Item observatum in ventriculo medio serum multum: medulla cerebri, quæ mollior & friabilis esse deber, siccior, membranæ siccissimæ, &c. *Vide Tit. de Delirio & Phrenitide.*

* *Febris acuta, dolor capitis auctior*] Capitis dolor in febribus excitatur propter meningas cerebri vaporibus & sanguine acri, & effervescente vellicatas, etenim sanguis impetuose commotus, propter arteriæ magnæ directionem majori copia ad caput quam ad partes infernas defertur: quippe transitus è cordis sinu in caput directus est, ex eodem in membra inferiora obliquus, & velut reflexus: quare cum cerebri membranæ sint valde sensiles, ibidemque sanguis in cursu rapido sistatur ac reverberetur, nihil mirum est si immanes cephalalgiæ in febribus concitentur: Præter impetuosum hunc sanguinis affluxum, quo (velut arietatione quadam) capitis membranæ perculsæ & distentæ graviter dolent, etiam cephalalgiæ interdum oriuntur propter succum nervosum [qui à sanguine æstuante suppeditatur] nimis acrem & pungitivum; quare, cum eodem membranæ & nervosæ partes irrigantur, acrimonia ejus vellicatæ, in dolores & spasmos aguntur. *Willis de Febr. cap.* 10.

Dolor capitis major ad sinciput] Cur sinciput magis quam alia capitis pars doleat ostendit *Galen.* comm. 1. in lib. 6. Epid. Ex putrescente, *inquit*, sanguine febres accenduntur quæ plurium vaporum copiam ad caput mittunt, à quibus cum repleatur, dolores in sincipite molestiam inferentes exoriuntur, eo quod vapores illi calidi per arterias in caput subvolare ratio ostendit. Ipsas quoque arterias per collum, ab utraque vocati Infundibili parte, recta in sinciput discurrentes videre licet; Præterea omni sanitatis tempore tenuia ac halitnosa cerebri excrementa maxime per sinciput difflari solere affirmamus; siquidem in ipso suturæ laxissimæ sunt, & ipsa calvaria subtilissima plurimisque meatibus pervia: adhæc & multa sensibilia corpora per suturas evadunt: membranulæ enim quædam crassum cerebri involucrum, pericranio vocatæ tunicæ connectunt, & multitudo tenuium conceptaculorum per suturas exiliunt: æquos autem magnitudine affectus sensibiliora natura corpora magis percipiunt; magis vero sentientia ab inferentibus dolorem causis magis cruciantur: His sane de causis in sincipite dolores fiunt: Hactenus *Galenus.* Hinc patet non ideo quod posterior capitis pars frequentioribus evidentioribusque vasis est prædita, dolorem firmari in ea potius debere quam in anteriore: Ostendit enim Anatome ramos vasorum in occipite latiores esse, anterius vero exiliores, quod ab illa in hanc partem ferantur & desinant: Hoc tamen fieri intelligi vult *Rondeletius* cum nulla pars capitis altera magis imbecilla est, aut injuriis opportuna: quæ enim aut ab initio, aut à casu, vel aliqua læsione talem conditionem sortita est, in eam fluxiones & humorum decubitus fieri semper consueverunt, adeo ut quamplurimis in ea parte, per temporum mutationes, aut alias etiam leves occasiones, repetat semper dolor. Nec solum qui per consensum, sed & qui primario affecto cerebro fit dolor, anteriori frequentius, quam posteriori parti molestus est, præsertim cum à materia pituitosa cum excrementis in capite collectis excitatus est: Solent enim illa anteriore magis quam posteriore parte congeri, ut patet ex meatibus per quos expurgatur; Posterior autem capitis pars omnibus doloribus minus est obnoxia, nisi ab utero origo fit, ob peculiarem illius partis cum cerebro per spinalem medullam societatem: tunc enim dolores in occipite sæviunt & molestiæ initium faciunt, modo non per fumos

fumos aut vapores ob utero transmissos, sed per solam condolentiam caput afficiatur.

Venæ quasi varicosæ) I. e. varices colore & forma referentes, succo crasso & inæquali contentis donato turgidas: Varicum causa in eo consistere videtur, (inquit *Excell. Th. Bartholinus* Anat. Reform. p.m. 409.) quod sanguis crassior, & gravitate sua motui sursum resistens, in valvulis diutius retentus dilatationem Valvularum faciat: absque his si esset, uniformiter intumescerent venæ, & non varicum modo: Veræ ergo Varices non adfuerunt, quia vasa duram meningem perreptantia, arteriæ sunt non venæ, uti superius annotatum, arteriæ autem in toto corpore valvulis destituuntur: Extraordinarie autem repleta vasa illa & sanguine distenta, scil. tum arteriæ tum sinus, varicum speciem exhibuere: Hic Harveanis ex principiis, & universalis circulationis fundamentis, eum usum habent ut superfluum tum à cerebri nutritione, tum à spirituum animalium elaboratione sanguinem resipiant, & per venas jugulares cordi reddant: Occursus horum rivorum à Galeno vocatur ἐνάντησις, procedunt enim sibi invicem obviam more illorum qui in platea montosa sibi occurrunt, ascendentes descendentibus veniunt obviam: Venosi rivi à vertice descendunt, arteriæ carotides ascendunt, inque illo mutuo occursu præstant sibi invicem officia quæ alias in toto corpore faciunt per anastomoses omnibus notas: Mutuus hic concursus, & sanguinis per eum commeatus, impediri potest ab omnibus iis causis, quæ circulationem alibi impedire queunt, unde retentionis & congestionis occasio.

Observatio IX.

§. *Occipitis dolor ab humore acri crassam meningem erodente, Atro sanguine vasa tenuis & crassæ meningis distendente.*

Quidam per biennium conquestus fuerat de *dolore in occipite*, Huic crassa cerebri membrana *aliquot locis exesa* erat variis foraminibus, idque potissimum in bregmate sub sagittali sutura, ubi ea cum coronali jungitur: Ex iis foraminulis effluebat, & per membranam dictam effusus erat *sanguis* ferme concretus, *ater ac adustus*: Tali quoque sanguine distenta erant vasa per exteriorem crassæ meningis superficiem discurrentia, quin & ea quæ per tenuem disseminantur: Ipsa cerebelli substantia flaccida omnino mollior que multo quàm cerebri substantia. *P. Pavvius Observat. Anat. VIII.*

Sanguis ater & adustus &c.] Sanguis non solum è proprio penu capiti noxam impertit, sed eam aliunde suscipiens illuc defert: Sæpenumero cruor è stomacho, liene, mesenterio, hepate, utero, aliisve partibus, aut visceribus materiam incongruam, aut sibi, aut nervoso generi infestam suscipit, quam brevi postea ut extrudat effervescens, membranis capitis suffundit, adeoque cephalalgiam, vulgo sympatheticam dictam, scil. per consensum ab aliis partibus excitatam producit: *Willis cap. de Cephalalgia. De capitis dolore per consensum, vide notas ad cap. 1.*

De Dolore in occipite) Dolor capitis vel universalis est, vel particularis, in quanrum sanguis, aut serum ejus, modò per omnes simul arterias, scil. tum carotidas, tum vertebrales: modò seorsim per has aut illas, aut symbolas aut oppositas, noxam in meningas transferunt: Hinc fit quòd dolor interior, aut caput totum, aut maximam ejus partem infestet; aut regioni cuipiam privatæ limitatus, Hemicraniam modò in latere, modò in syncipite, aut occipite producit.

Crassa cerebri membrana) Dolor capitis vel extra cranium est, vel intra cavitatem ejus: prior iste & rarior & mitior affectus est, quia scilicet partes supra cranium, nec tam sensiles quam meninges interiores existunt, nec tam uberi sanguinis affluxu irrigantur, ut à subito ac vehementi incursu ejus supra modum distendi aut inflammari facilè possint.

Crassa membrana aliquot locis exesa) Sæpissime tales dolores fiunt ab ossis carie destillante & supra meningem aggregato humore, (adde & eam exedente) ac ossis particulis propter cariem secedentibus, *inquit Th. Fienus Tract. 1. de præcipuis artis Chirurg. controv. cap. 4.*

Observatio X.

§. *Anatome Iuvenis cum intenso capitis dolore, ob datum philtrum, extincti, in quo cerebri venulæ nigricantes repertæ, Saniosa materia pauca in superficie, &c.*

Iuvenis xxx. annorum melancholia laborans hypochondriaca & vera, caput præter morem in sinistrum latus contorquens: vertigine Epilepsiæ finitima, capitisque & visus paulo post debilitate affectus, de intenso Capitis dolore affectus est; cui ad materiæ peccantis revulsionem Chirurgus, me jubente, vesicatorium ad nucham apposuit, & postea vesiculas aperuit: Temporibus & fronti, quibus de potissimum querulus erat, applicatum istud ℞. Ungu. Alabastr. ℥j. ungu. de nucleis Persic. ʒiij. opii Thebaici aceto solut. ol. nuc. mosch. expr. ana ℈ß. m. f. ungu. Interdum sacculis ex herbis abrotani. puleg. ruta, flor. chamom. thymi. &c. fovebantur tepide tam regio frontis quam lienis, ad repercussionem vaporum: Perseverante dolore intenso, vena frontis tusa, facta embrocha seu lotio capitis, Emplastrum vertici raso inductum. ℞. Empl. nervini, ceronei ana ℥iij. cum olei costini q. s. malaxetur pro Empl. Sed nihilo minus morbus nullas dedit inducias: Interim narrabat mater, filium, desperatè ægrotantem, è philtro, ab ancilla meretricula in spem matrimonii propi-

propinato, contraxisse virus istud: Revulsionis à capite igitur utrique carpo vesicatorium appositum, ac tandem remediis nequicquam proficientibus, & implacabili perseverante cephalalgia, me jubente, quod extremis extrema debeantur remedia, Chirurgus in summo vertice, crinibus novacula abrasis, incisuram transversalem peregit sub forma literæ X, unde sanguis præsto nigricans effusus, ægrô dolorem apprime sentiente: mox cucurbitulam vitream cum flamma adhibuit per horæ quadrantem, quæ sanguinem attrahendo evacuavit: Quibus factis parum de pulvere hoc vulneri inspersum. ♃. *rad. helleb. n. asari, bryoniæ, gentianæ, peoniæ*, ana. ℈ij. *flor. beton. lavend. cheiri, anthos*, ana. gr. iv. *castor. gr. vj. mosch.* gr. j. *m. f. Pulvis subtil.* Postridie cucurbitula denuò applicata, una cum cruore vapores luculentos extraxit, sed parum profecit. Vesperi omissâ cucurbitulâ Columbam viventem, è medio sectam cruentamque desuper imposuit: Trimestre post supervenientibus convulsionibus exspiravit.

Aperto Capite, prodiit Cerebrum, post remotionem duræ meningis, quà venulas nigricans & lividum, cui in superficie inerrabat materia pauca saniosa cerebro impressa; &c. *Vide Tit. de melancholia:* Unde liquet à veneni violentia extinctum fuisse. *Lotichius lib. iv. cap. 4. Observ. 3.*

Observatio XI.

Capitis dolor ab inflammatoria affectione meningum & partis exterioris cerebri, ubi nigredo intensa deprehensa.

GEnerosus Baro De Monts, in Valle Equestrium, Bernensium Ditione degens, vir pusillæ staturæ & biliosi temperamenti, fumo Tabacci adeo se addixit per aliquot ante obitum annos, ut inde prostratus sit appetitus, solô merô, absque alimentis vitam sustinens; Vertici perpetuò manus admovebat, leniturus dolorem in syncipite cum ardore molestum.

Ablato mortui cranio deprehensa superna cerebri pars, cum meningibus, adeò insigni nigrore infecta, ut atra fuligine tinctum omnes adstantes crediderint. Obiit anno 1660 ætatis 70.

Observatio XII.

Capitis dolor à vasis tenuis meningis cruore oppletis & amplioribus; Sinu tertio sanguine turgido, Sero flavo per cerebrum circa falcem diffuso; humore purulento in utroque ventriculo, &c.

BArthol. Fher adolescens xix. annor. Capite doluit assumpta evomuit, &c. hinc in lethargum lethalem incidit. Sublata cranii olla, per duram meningem vasa tenuis in sincipite ad sinum tertium meantia, vidimus valde cruore oppleta & triplo ampliora quam alias existunt: ipse quoque sinus tertius sanguine turgidissimus erat: Remoto corpore falciformi, serum flavum satis copiose effluxit. Sublato prorsus fornice, conspeximus utrumque ventriculum cerebri lateralem, maxime sinistrum, humore putulento, viscido imbutum, &c. *Vide Tit. de affectibus soporosis,*

VAsa cruore oppleta, *serum multum &c.*) Observare est quod ubicunque sanguis in partem aliquam copiosius influit, eamque irrigat, illic secedere serum superfluum; quod nisi aut per venas, aut per vasa lymphatica reducatur, in parte redundare necesse est.

Observatio XIII.

Capitis dolor casum sequutus à Sanguine circa occiput inter cranium & pericranium effuso: Seri copia in anteriore capitis parte, inter membranas & cerebrum contenta.

ANno 1644. Filius Generosissimi Bernardi Budæi, Domini de Verasse, &c. Illustris Gulielmi Budæi Nepotis, septennis, vivacissimi ingenii puer, sedile cui insidebat antrorsum & retrorsum quatiens, supinus cecidit, occipitiúmque pavimento graviter allisit, Illico exortus est ingens capitis dolor, [de quo ante, sed leviori, perpetuò querulus fuerat cum *oculos attollendi impotentia*, quos humum versus defixos semper habebat:] nullis exterius læsionis notis apparentibus: Decima die accessit *Ischuria*, ad interitum usque, qui xv. die accessit, cephalalgiæ comes: Eo mortuo urina profluxit per horæ quadrantem: Nullæ convulsiones obitum præcesserunt, nec ullius membri resolutio. Venter autem multum intumuit.

Aperto cadavere, viscera omnia imi & medii ventris optime constituta & absque labe depre-

deprehensa sunt: Unicus vermiculus in colo inventus: Urinæ excretione destinata organa nihil vitii præ se tulerunt. Dissectis cranii integumentis, in occipitio ubi ictus fuerat, sub his amplius libra una sanguinis concreti delitescebat, in anteriori vero capitis parte, inter cerebrum & meningas, ingens seri copia cohibita apparuit.

Similem casum & graviorem, felicior excepit successus in Carolo, unico Philippi Hispaniarum Regis Filio: cui cum ex præcipitio caput mirum in modum intumuisset, magna cum omnium admiratione, obluctantibus aliis Medicis, insignis ille Andreas Vesalius pericrani incisionem instituit, unde totus humor collectus expurgatus, cute demum ossi cohærente: Sic audaces fortuna juvat.

Circa occiput inter cranium & pericranium sanguis, Seri copia anteriori parte &c. Sicut duplex fuit dolor, antiquus & recens, sic & duplex causa, duplex itidem sedes: Inter cephalalgiæ differentias hæc vulgatissima est, quòd alius dolor sit extra cranium, alius intra cavitatem ejus: prior mitior habetur, quia partes cranium ambientes nec tam sensiles quàm meninges interiores existunt, nec tam uberi sanguinis affluxu irrigantur: Posterior, & crebior, & vehementior censetur, ob sensum exquisitum membranarum cerebrum investientium, ad quas sanguis aditu multiplici, & per plures longeque majores arterias suffunditur: Efficacia tamen causæ, & putredo extravasato sanguini, inter cranium & pericranium collecto, inducta, ad lethum inferendum satis fuit, ob neglectam illius eductionem. A sero in anteriori cerebri parte congesto, tandem lethifera cephalalgia, aut alius affectus subsequi potuisset.

Observatio XIV.

Gravis Cap. dolor à Sero in ventriculis cerebri, Vasis meningum sanguine fœculento turgidis, & ab ulcerato Ventriculi orificio.

Juvenis robustus cùm lauto convivio interfuisset, eadem nocte *dolore stomachi* correptus fuit, qui ab initio mitis, sed post auctus & vagus factus est: nunc de dolore acutissimo Capitis, mox, & in ipso momento, de maximo cruciatu oris ventriculi, ventris & artuum conquerebatur, cum vomitu omnium ingestorum: quandoque febris adfuit continua, *anorexia*, vigilia, à prædictis doloribus vagis ejulare cogentibus: multa à D. *Roscio* frustra præscripta, nam post tormenta 18. mensium, tandem anno. 1599. obiit:

Inspecto Cerebro, in ejus ventriculis ad duas libras aqua limpida inventa; arteriæ item & venæ membranarum cerebri *sanguine crasso & fœculento turgebant*: In ventriculi orificio superiori, parte anteriore, ubi ramus sextæ conjugationis inseritur, *ulcus erat magnum* ac fœtidum, in vacuum usque ventriculi penetrans: cætera in ventre inferiore rectè se habebant. Ventriculus prætereà humoribus corruptis, fœtidis & atrabilariis refertus erat: *Fabricius Hildanus Centur. 3. Observat. 20.*

Ulcus magnum &c.] Dubitat Hildanus num ulcus hocce in orificio ventriculi, cum præsentia humorum corruptorum, fœtidorum & atrabilariorum in ejus cavo, causa fuerit vehementissimi istius doloris Capitis, ob maximum consensum qui intercedit nervi beneficio, cùm uno læso, alterum quoque statim affici contingat? Revera inde atrociorem dolorem extitisse, ob dictas rationes verosimile est; idiopathicum tamen quoque fuisse ostendit meningum cerebri constitutio, quarum vasa sanguine crasso & fœculento turgebant, accedente seri copia in ventriculis reperta, à quo ingentes dolores excitari constat.

In ventriculi orificio superiori &c.] Caput per consensum laborat quà aut universo corpore, aut aliqua ejus parte laborante in consensum trahitur, affectusq; particeps redditur: quod diverso modo pro vario inter partes consensu fit, transmissis scil. pravis vel vaporibus vel humoribus, aut non transmissis: Jecore enim inflammationem patiente sicut dolor ad jugulum pervenit, & oris ventriculi morsum sequitur labri inferioris tremor, sic affectis interdum partibus quibusdam infernis per continuationem quam cum capite habent, sine ulla humorum aut vaporum transmissione dolor ad ipsum defertur: Hoc modo fieri potest ut ore ventriculi morso, aut vellicato, aut quovis modo affecto, dolore afficiatur caput ob retractionem, cùm affecto cerebro stomachus pati è converso deprehendatur propter nervorum insignium, per quos illi cum stomacho consortium est, offensam: Quamvis non dubitemus ex vaporum fumorumque è ventriculo ad cerebrum ascensione dolorem excitari: De quo tamen jure posse dubitari videtur, cum nulla manifesta via per quam deferantur, appareat: Si enim per oesophagum, ut vulgus Medicorum credit, & ab oesophago per nares & odoratus organom & palatum ascendant, cur non semper & naribus appertis & ore patente potius illac exeunt? Quare existimamus non è sinu ventriculi solum, sed ex ipsius tunicis externis fumos ad cerebrum efferri; & qui è sinu, partim per oesophagum & viam odoratus, partim per rectitudinem & ambitum nervorum sextæ conjugationis ad cerebrum pervenire; Ea enim rectitudo eam vim habet quam baculus oblongus in camino erectus ut fumum sursum intra canalem dirigat ne extra effundatur: nam illa ratione Torpedo per baculum tacta tangenti manuum stuporem inducit, ejus vim dirigente & deducente baculo ad manum, ne per aërem divagetur, quam vim alioqui non habet etiamsi manui quam proxime admoveatur: Qui vero ex tunicis exterioribus, per arterias magis quàm per venas quæ in illa parte sunt, quæ à vena porta originem sumunt, sursum feruntur: Nec porrò dubitandum ne tanta humorum copia non possit inde efferri, quanta ad dolorem generandum requiritur; Cur enim hi aliqua insigni agente qualitate, ex putredine vel corruptione humorum contracta præditi, minorem vim afficiendi capitis & pungendi, quam pusillum quod ex scorpionis morsu prodit vi-

rus, ut statim epilepsiam pariat, obtinebunt: *Rondeletius. methodi lib. 1. cap. 5.*

Ventriculus humoribus corruptis &c.) Cephalalgiæ paroxysmos quandoque per consensum ab aliis partibus, scilicet stomacho, utero, liene, &c. oriri, licèt Ægrorum experientia & querelæ prædicant, attamen hoc alia ratione quàm per vapores à viscere affecto ad caput elevatos fieri, ex illorum historiis & phænomenis ritè perpensis non minùs luculenter patescit: Et primò quod spectat ad dolores capitis ab utero excitari visos, nihil frequentius occurrit quàm à mensibus aut lochiis suppressis cephalalgias immanes succedere: Porrò tamenia licèt ritè fluunt, tamen aliæ fluxu instante, aliæque eodem desinente, atroci capitis dolore affligi solent: Verùm enim verò, quamvis eodem tempore quo caput, etiam uterus afficiatur, non tamen sequitur noxam hanc inde immediate transferri, sed ipse sanguis est qui materiam morbificam capiti affigit, eam scilicet modò in proprio sinu genitam & utero destinatam perperam in cerebri meningas defert, & modò eam ab uteri partibus surripiens, cum majori malitia capiti tradit. Hujusmodi Ætiologia etiam cephalalgiæ, stomacho, Lieni, aliisque partibus vulgo attributæ convenit. *Willis Tract. de Anima Brutor. p. 289.*

APPENDIX.

De Cephalalgia stomachi vitio adscripta.

MUlier formosa & juvenis, gracili corporis habitu, & sanguine calido prædita, cum Cephalalgiæ hæreditariæ obnoxia fuisset, paroxysmos ejus crebros & vagos, alios nempe de levi occasione, aliosque sponte, h. e. absque causa evidenti oriundos, pati solebat: Pridie morbi accessionem spontaneam vesperi valde esuriens, cœnam uberiorem cum appetitu famelico, ne dicam canino devorabat, hoc signo dolorem capitis mane sequenti invasurum certissime præsagiens, cui augurio eventus nunquam defuit. Quàm primùm enim evigilabat, cruciatu per totum syncipur acerrimo afflicta, insuper vomitu humoris modò acidi, & quasi vitriolici, modò biliosi & summè amaricantis, afficiebatur, hinc ut indicium daretur Cephalalgiam istam à stomachi vitio exorram fuisse.

HUjus rationem ut reddam, imprimis constat vomitionem capiti læso, nempe post plagam, vulnus aut casum ab alto succedere, attamen vomitus, cardialgiæ aut stomacho alias laboranti, dolor capitis, nisi intercedat sanguinis effervescentia, raro aut minime supervenit: Quarein prædicto casu, cùm planè liqueret cerebri meningas ad cephalalgiam prædispositas fuisse, ejusque paroxysmos sanguinis agitationem quamvis excitasse; hinc obvium erit concipere, quando particulæ heterogeneæ ob chylosœos vitium, in massa sanguinea ad plenitudinem congererentur, statim ob molesti expulsionem fluore ejus oborto, eas utpote malè congeneres à cruore secretas, partim ex arteriis in ventriculum suffusas fermentum ejus exsuscitasse, adeoque famem produxisse: partimque in capitis meningas prædispositas, irruisse, ibidemque cephalalgiæ mox sequuturæ fomitem, seu potius incentivum deposuisse: *Idem ibidem. De Cephalalgia per consensum vide plura Observ. 1.*

OBSERVATIO XV.

Capitis dolor à turgentibus atro sanguine cerebri venis, & aqua in ventriculis.

FRatri N. (Vide Titul. de melancholia) ingens capitis dolor, mortuus; Venæ sublato cranio apparent plenæ sanguine melancholico: magnis satis aquæ quantitas in ventriculis reperta fuit: An id occasio mortis esse potuit? *Ballonius.*

V*Enæ plenæ sanguine melancholico &c.*) Causam vehementiæ doloris humoris qualitatibus adscribendam non esse rectè censet idem lib. 1. p. 44. Capitis dolores, *ait*, non tam surgunt ob humorem melancholicum aut frigidum, qua enus ejusmodi remanet: quæ enim humori melancholico inest siccitas, ea parum ad dolores excitandos idonea est: frigiditas verò & humiditas, quæ tanquam qualitates propriæ pituitæ quadrant, parùm quoque ad dolorum generationem valent, Nam, opinione *Galeni*, frigus torporem potius & stuporem inducit; itaque cum in fluxionibus tam acerbis dolores excitantur, vel tales humores sunt pituita salsa aut acida (nam de fluxionibus biliosis sermo non est) vel flatulenta materia est: Ac credibile nullum penè dolorem excitari quin aliquid sit de natura flatulenta & ichorosa, quod videbatur Medicis πνδμαλικὸς, quorum dogma *Hippocrates* videtur sequutus lib. de Flatibus; Istas ventositates ἀνεμίας vocare possis, & flatus sub ventaneos, vagabundos, leves, irritos: nam ἄνεμ⊕ idem aliquando, significat quod ὑπηνέμι⊕, id est subventaneus: In talibus autem phlebotomia solvit.

OBSERVATIO XVI.

Capitis debilitas à sero copioso inter meningas diffuso & ventriculos replente.

EMinent. Cardinalis N. Catarrhis obnoxius aliquam Capitis debilitatem advertit &c. Cranio aperto plusquam libra seri tenuioris inter duram & tenuem meninges diffusa videbatur, quo turgida pia mater solitam crassitiem quater superabat: Eodem sero, sed rubicundiore, ventriculi cerebri erant referti. *Vide l. 2. Titulo de Pectoris dolore.*

CUm massa sanguinea sero abundat, nonnunquam mera plenitudine ad illud excernendum excitatur, quare fluorem seu velut deliquium quoddam, quo nempe tenue & aquosum à spissiori & cruento secernatur, concipit; Dein, siquidem cruor dilutior factus, inter turgescendum celerius & copiosius trajicitur per arterias quam reduci possit per venas, fere quicquid serosum est

juxta vasorũ intercapedines amandatur, inque partes modo has modo illas suffusum, prout in quibusdam locis tumores aut catarrhi, ita in capitis membranis decumbens, dolorũ paroxysmos ciet: Cæterum ob plures alias causas, à sanguine fluorem passo serosa colluvies exundans, in meningas & pericranium irruit, inque ipsis cephalalgias valde molestas parit: Subita pororum à frigore aut madore constipatio, talem affectum in plerisque huic morbo obnoxiis fere constanter producit: Vini acidi ac tenuis, pomacei, quin & cerevisiæ propter acorem fermentescere aptæ potus, quatenus sanguinem fundunt, & serositates ejus præcipitant, cephalalgicis tanquam venena prohibentur: Denique quicquid fere Podragricis, idem etiam & his ob similem in utrisque feri turgentis ad partem affectam, ubi cum humore nerveo sæpe effervescit, fluxionem, obesse solet.

Porro non tantum meram simplexque sanguinis serum in capitis membranas exundans, dolorum paroxysmos ciet, ast interdum homores alii sese adjungunt, hujusque ductu ad partem affectam admissi, morbi tragœdiam adaugent: sæpe accidit humorem tenuem & aquosum à vasis lymphaticis, glandulis, forsan & partium solidarum meatibus & poris (in quibus aggerebatur, subito effluere, inque sanguinem venosum suffundi, unde statim cordis sinus trajiciens, & sanguini arterioso confusus, ab eo denuo statim secernitur & qua data via rejicitur; idcirco partim per renes amandatus, urinæ limpidæ & copiosissimæ profluvium facit, quandoque etiam partim in cerebrum, aut nervorum origines redundans, affectos soporosos aut convulsivos producit: Quinimo interdum pars quædam ejusdem humoris limpidi in capitis membranas cum sero correpta, cephalalgiæ atrocioris paroxysmum ciet: Enimvero in pluribus *observavi urinam limpidam, & valde copiosam* morbi hujus paroxysmum aut præcedere aut comitari.

Cæterum opinari fas sit aliusmodi aliarum partium recrementa, scilicet bilem ab Epate; fæculentias atrabilarias à liene, & forsan homores incongruos à stomacho pancreate, renibus &c. à sanguinis sero absorberi eique penitus incoqui: quibus dum inficitur, effervescentias multo promptius concipit, proindeque in vasa cephalica impetuosius irruens, cumque liquore nerveo ibidem fermentescens, spasmos & vellicationes dolorificas valde molestas parit.

Serosa colluvies, sive hæc simplex, seu, ut ostensum est, complicata fuerit, adhuc amplius capiti infesta est. si quando solennis ejus evacuatio per debitas & assuetas vias præpeditur, videlicet, si vel poris constrictis transpiratio inhibetur, vel propter renes male affectos διάρῥησις haud satis commode peragitur, utrumq; defectum cephalalgici graviter luunt: Porro ob sanguinis transitum in aliis locis præclusum, capitis membranæ plectuntur: quibus enim viscera imi aut medii ventris, præsertim Epar aut pulmones, obstructione laborant, ita ut sangois ibidem vix trajici possit, plenior ejus torrens in alias partes, ac præcipue versus ἐγκέφαλον dirigitur, ita ut propter hanc causam non tantum cephalalgias, sed affectiones soporosas & interdum lethales successisse norim. *Willis de Anima Brutor. parte 2. cap. 1. p. 254. 255. & 256.*

Observatio XVII

Cephalalgia à sero inter duram meningem & cerebellum latente.

Dominus Albertus dolore capitis vexabatur cum destillatione tenui, tandem cum convulsionibus obiit &c. Aquæ cochlearia tria erant collecta inter duram meningem ac cerebelli posteram sedem. *Vide Tit. de convulsionibus.*

A *Quæ cochlearia tria*) Exiguam adeo aquæ quantitatem dolorem intulisse mirum videri poterit; Sed salsam illam, fuisse, acrem, muriaticam vel acidam ostendunt subsequutæ convulsiones: Potest & adscribi doloris causa crassitiei duræ meningis, inibi quadruplicatæ, acutiorique quam qua cranium respicit parte sensu præditæ: adde & densitatem, detentionis humoris causam, diuturnioris actionis & difficilioris resolutionis. Huc quadrare potest solutio dubii, Quis major dolor tenuium intestinorum an crassorum? Tenuium quidem intensior censetur, quod membranea exquisitiori sensu polleant; ratione autem tenuitatis tunicarum, exitum humori facilius concedenti, secus ac crassa, quæ densitatis causa illum diutius cohibendo, pertinaciæ, si non acutiei doloris causa sunt.

Observatio XVIII.

§. *Hemicrania ab ingenti seri copia inter cranium & duram meningem contento, tum in hujus falce & reduplicationibus.*

Matrona Nobilis (de qua titul. de Apoplexia) fluxum hæmorrhoidalem passa ab anno XVIII. postmodum hemicraniæ obnoxia vixit, totam capitis partem anticam & sinistram occupanti, *plerumque semel in hebdomada vexanti*: usu purgantium pilularum, XV. interdum dierum inducias concedenti, imo & mensis integri: dolore remittente oculus affecti lateris copiosas fundebat lacrymas; quod illi certum erat indicium affectus ad exitum properantis: Interdum nares è directo multo stillabant sero, quam vacuationem lætissima ferebat, quod per menses integros postea concederet dolor.

In defunctæ cadavere, inter duram matrem & cranium, in singulis hujus cavitatibus tàm anticis quàm posticis: Præterea in falce & duræ matris reduplicatione (abscissis prius fibris, quarum interventu cranio adhæret) Inventa aquæ flavescentis mediocriter salitæ, Pinta una, seu libræ Medicinales circiter quinque. *Ex communicatione Mag. Bailly, Chirurgi Genevensis peritissimi.*

Plerumque semel in hebdomada vexanti &c.) Cephalalgia Habitualis, aut Continua est, aut Intermittens, cujus periodi modo ad certum tempus determinantur, vagæ ac incertæ existunt: hæc frequentior continuâ, cujus accessiones cum certæ ac periodicæ fuerint, sæpissime intra nycthemeri spatium redire solent: Casus quorundam rariores audivi, & novi qui diebus alternis, imò qui semel in hebdomada aut mense affectus istius paroxysmos exacte repetentes pertulerant: Usitatum est Cephalalgiæ profligari visæ, circa æquinoctia aut solstitia accessiones recrudescere, quia scilicet his temporibus sanguis ac humores turgescentias solito majores concipiant,& proinde cum liquore partium capitis nervearum irriguo effervescere magis apro, solitos dolorum insultus redintegrare: Verumtamen cum circa has anni τροπὰς cephalalgiæ repetunt, haud unica longiore accessione diu prorogantur, sed plerumque periodos subordinatas nactæ, nycthemeri cujusque spatio statis quibusdam horis infestare solent: Cum itaque cephalalgia periodica accessiones quotidianas plerumque habet, harum, uti febrium intermittentium, rationes à materiæ mortificæ stato tempore ad plenitudinem assurgentis & tunc effervescentis vitio peti debet: Enimvero supponere licet alicubi circa capitis membranas, fibras nerveas male dispositas, liquorem proprium pervertere, aut non bene trajicere, quare cum succus nutritius, iisdem etiam partibus à sanguine appositus, non statim assimilatur, nec cum altero humore bene convenit, demum ab utrisque simul aggestis & discrepantibus, mutua effervescentia, proindeque fibrarum vellicatio dolorifica exoritur: Quod autem dolorum paroxysmi non eadem semper à pastu distantia, sed in aliquibus citius, inque aliis tardius, atque modo ante somnum, modo post eum oriuntur, in causa est, partim quod alimentorum coctionis & distributionis munera, modo citius modo tardius obeuntur; & partim quia in his liquor nerveus, inque aliis succus nutritius plus peccat, quare prout hujus plenitudo citius, ac illius tardius contingit, ita paroxysmi tempora variantur: 3. Cùm cephalalgiæ intermittentis paroxysmi sint vagi ac incerti, nec morbi procatarxis magna est aut constans, nec causa evidens assidua existit: Quare cum utraque causa sæpe deest, & non raro altera desideratur, morbi insultus non ad certa alligatur tempora, quin isti in quibusdam sunt velut fortuiti & accidentales, in aliis, quibus prædispositio ad hunc affectum paulo firmius radicatur, dolores capitis frequentius molestant, & propter varias accessiones passim excitantur, imo & ob quasdam certissime expectari solent: Paroxysmorum ita variè contingentium rationes ex morbi hujus aitiologia liquido patent. *Willis Tract. de Anima Brut. par. 2. cap. 2.*

Inventa seri pinta &c.) D. *Malpighius*, Professor in Sicilia, alium usum adscribit cerebro ab eo qui hactenus ei attributus est: Vult enim dimidiam, vel tertiam minimum sanguinis alicujus animalis partem, ad cerebrum deferri, neque tamen ibi consumi; Igitur subtilius sanguinis serum per medium Exterioris partis percolari, & in cerebri fibras postea ingressum, inde in nervos deduci: Hinc esse dicit cur caput sæpè aqua plenum reperiatur, quando cerebrum quodam vulnere læsum aut aliquo morbo sit affectum: Se enim derexisse ait partem cerebri Exteriorem & molliorem tegere non solum corpus callosum, uti hactenus creditum, sed inserere se etiam ibi pluribus in locis: Corpus etiam callosum non nisi plurium exiguarum Fibrarum, ex medulla Dorsi spinali exeuntium, inque dicta parte Exteriore cerebri finientium texturam esse advertit. *Ex Actis Regiæ Societatis Anglicæ Anni 1667. pag. 510.*

APPENDIX.

De Hemicrania à sero producta, errhinis & vesicatoriis curata.

Foemina querebatur de hemicrania dextri lateris frontem potissimum infestante, adeo ut oculos vix aperire valeret: ab administrata V. S. & pilulis cephalicis pejus habuit: ajebat se vertigine corripi ad quemvis motum capitis, & quocunque inclinaret caput, eò impendere vesicam aqua plenam: Applicantur ad aures vesicatoria: formantur turundæ immerganturque in spiritum salis Armon. volatilem, spiritusque per nares in cerebrum attrahitur: Non diu his remediis usa, stillicidium ipsi aquæ ad tactum frigidissimæ accidit, & maximâ copiâ, unde dolores evanuerunt. *Herm. Cammenus in Misc. Cur. anni* 1672.

APPENDIX.

De Cephalæa per aquæ limpidæ è naribus stillantis copiam soluta.

Novi Fœminam illustrem cephalæa immani infestari solitam, quæ cum à gravi paroxysmo melius habere cœpisset, primo in cerebri fastigio motum formicantem, velut aquæ irrepentis sentiebat, dein motu istô paulatim anteriùs & deorsum progrediente, demum aquæ limpidæ plures guttæ è naribus exstillabant: hoc symptoma illi passim obtingere solebat, ut minimè dubitaret ægra quin lympha ista ab ipso cerebro exstillaverit, *Th. VVillis Anat. Cerebri cap. xij.*

Observatio XIX.

Capitis dolor à sero ventriculos replente & spatia intra meninges &c.

Isperlinus Victor 70. annor. 1657 phthisi obiit, fere ad ultimum usque halitum loqui poterat, ac ingentem dolorem in utraque femoris interna parte pertulit, quin etiam assidue *Caput doluit.*

R:moto

Remoto cranio, plurimum feri fubpallidi in omnibus ventriculis & fpatio intra meninges reperi, *ita tamen ut cerebrum nondum comprimeret*: Quin etiam univerfa anfractuum fuperficies humore fuperfluo lentoque, ceu gelatina, oblita erat: Si fuperficiem illam fauciavi, exftillavit ichor ferofus. *Ioan. Iacob. VVepferus exercitat. de Apopl. pag.* 300.

De caufa collectionis feri tantâ copiâ, paucis dico Obftructionem infundibili, ac confuetam catarrhorum fupppreffionem ad feri accumulationem multum facere: Et diuturnos capitis dolores fero ad affluxum ftimulos addere, prout meliceriam vulneratis nervis valdeque dolentibus quotidie profundi experimur. *Idem Ibidem.*

Ita tamen ut cerebrum nondum comprimeret] Alias fuborta effet Apoplexia: De generatione autem apoplexiæ à fero cerebrum comprimente. Vide intra Tit. de Apoplexia: Illud vero admiratione dignum, quòd cùm paralyfis particularis ab humore, in nervos oriri cenfeatur &c. hic in *Sperlino*, cui plurimum feri fubpallidi in omnibus ventriculis, & fpatio intra meninges continebatur, excitata non fuerit, & quidem faciliùs, cùm nervis fit mollius: Aliud tamen docent hydrocephali *Vefalii* & aliorum: Ea ergo copia requiritur quæ cerebrum & cerebellum comprimere valeat: Nam fi ferum quicquam extrinfecùs humectando valuiffet, unam vel alteram faltem actionem hic aboleviffet, & loquelam præ multis, cùm undique ferum diffufum extitiffet, ac fuperficiei cerebri fe jam infinuare cœpiffet.

Humore ceu gelatina) In quam faceffit Lympha per moram; adeò ut credere fit ferum intra meninges & in ventriculis contentum, vel lympham fuiffe, vel hanc fero propriè dicto permixtam.

Observatio XX.

§. *Cephalæa à fero cohibito in cerebri ventriculis & ejus anfractus alluente.*

Virgo cephalæa immani diu affligebatur, atque intermedios cruciatus multùm feri flavi & tenuis quotidie naribus effluebat: noviffima hyeme hæc excretio aliquandiu fubftitit, & tunc demum ægrotans, & capite deteriùs habente, in convulfiones atroces cum ftupore incidebat, atque intra triduum apoplectica interibat.

Capite aperto, latex flavus cerebri anfractus profundiores, ejúfque cavitatem interiorem feu ventriculos inundabat: *Th. VVillis Anat. Cerebri Cap. xij.*

Efficaciam feri effluvio cohibiti in generando capitis dolore oftendit *Ballonius* l. Epid. & Eph. 2. p. 113. Anno 1675. deprehendimus, ait, feri biliofi, efferi fiquando alias, magnitudinem & malignitatem: atque hujus maximè vis & copia in cerebro apparebat: Capitis dolores viguere tantúmque longi ut Medicorum opera eluderetur: Seri malignitas remediorum vim fuperabat: necnon conclufum ibi in capite, & exitum non habens, non poterat non affectionem nutrire: Et, quod nobis videbatur, illud ferum peculiarem in cerebro generationem habens, quòd indomitos capitis dolores inferebat, diathefin quandam in cerebrum induxerat, quæ tantæ diuturnitatis caufa effe potuit: Unde cùm fine febre ægri viderentur, tamen erat nefcio quæ oris ficcitas, oculorum rubedo, pulfus in temporibus manifeftus fenfus punctionis & lancinationis.

Observatio XXI.

Capitis dolor à copiofa aqua cerebrum alluente, cum ventriculi vitio.

Puella unius anni patiebatur capitis dolorem ac tandem *Epileptica* obiit. Cerebrum librarum quinque copiofa aqua circumfufum erat: Aderant ipfi puftulæ aqua plenæ: Ventriculus in finiftra parte nigricans, viridi humore refertus. *Vide lib. 4. tit. de Febribus.*

Observatio XXII.

Capitis dolor inductus ab aqua duæ matri incumbente.

Puella *Epilepfiâ* correpta de Cephalagia & frontis dolore querebatur: Cranio dempto duræ matri incumbentis aquæ dimidium fere cochleare repertum eft *Vide lib. 2. tit de Tuffi.*

Observatio XXIII.

Capitis dolor à Sero fupra, intra & infra meninges contento: Abfceffu grandiore intra dextrum ventriculum, &c.

Urfula Aberlin (cujus hiftoria Tit. de Paralyfi videatur) ex gravis ponderis geftatione fenfit manifeftè aliquid intra cranium ruptum fuiffe. Dehinc conquerebatur de fyncipitis dolore fæviffimo, quafi fumma vi furfum capilli ibidem raperentur continue; Oculus quoque dexter intenfiffime doluit, ac videbatur ipfi ac fi ex orbita evelleretur, &c. Cephalalgia diu continue afflixit, atque hanc unice caufabatur, quæ à vini potu exacerbatur, tota itaque æftate aquam aut ferum lactis caprini bibit, &c. Hæc præcipue dextram capitis partem occupans, nunc occiput nunc fynciput, nunc tempus, nunc frontem mifere excruciavit: quandoque præ dolore exclamavit abfceffum intus fub fyncipite latere, imo jam exitum parare, unde quoque non raro ut ille opera chirurgica maturareturexpetiit.

Mortuæ cadavere aperto, Cute capillata decussatim incisa, tum ex vasis capillaribus sauciis, tum ex cranio ipso denudato exstillavit sanguis ichorosus, &c. Olla ablata, integra dura meninge aliquid serosi excidit. Divisa dura meninge, copiosius serum occurrit: corpore falciformi à cristagalli resecto, ac retrorsum flexo, superficies cerebri ubique ceu gelatina flava transparente tegebatur; Sanciata tenui meninge, exstillavit copiosum serum flavum, tenue, admodum fluxile: Cerebri portione ad ventriculum dextrum usque ablata, protinus ex illo exiliit aqua turbida; Dilatato amplius hoc ventriculo, occurrit abscessus ovi gallinacei magnitudine, peculiari tunica vestitus, &c.

Cephalalgia continuo & diu affligens post invasionem Hemiplecticam in dextro latere, qua etiam capillatam sursum trahi, & oculum ex orbita evelli putabat; non solis tumoribus dextri ventriculi adscribenda videtur, quia ante insultum de nullo dolore conquerebatur, & postea permanentibus tumoribus mense Februario remisit partim sua sponte, partim à medicamentis serum evacuantibus & absorbentibus: Rediit quidem subinde, & à vino exacerbabatur, sed non tam vehemens ut pridem usque ad mensem Augustum, quo denuo quidem ipsam crudeliter, inprimis in dextro syncipite excruciavit, ibique abscessum latere se distinctè sentire dixit, ejusque maturationem & apertionem à Chirurgo efflagitavit: Verum ob plurimos errores in victu commissos, & frigidorum abusum: quibus serum augebatur, adeo ut ne hæc cephalalgiæ recidiva solis tumoribus attribui possit, sed & ipsi quoque seu lymphæ seu sero meninges tendenti, idque magis in dextro latere, ob tumores ad hunc affectum concurrentes. Serum autem non solum copia, sed etiam acrimonia læsit, nam illud quod per meningem tenuem gelatinæ instar transparuit, subflavum erat: forte quoque serum non impune intra cranium & duram meningem fluctuavit. *J. Jac. Wepferus Histor. Apoplect. xiv. Exercit. de Apoplexia p.* 403.

Observatio XXIV.

§. Capitis dolor à sero ventriculum cerebri dextrum implente.

Puer 14. annorum caput casu ex alto allisit, hinc febris, stupor, Dolor capitis, absque rubore aut inflammatione, &c. mors. Inventus ventriculus dexter cerebri aquæ libram continere. *Vide infra Tit. de Soporosis affectibus.*

Observatio XXV.

Capitis dolor à Sero spatium inter utramque meningem replente, cerebri anfractus alluente, &c.

Jac. Reutinger aliquot septimanis ante obitum, (ex Apoplexia) crudelissima cephalalgia totum caput frontem præcipue & occiput, afflixit, à qua ipsi nec mora nec requies; pre dolore quandoque amens erat, ut quid vel diceret vel faceret non raro nesciret, &c.

Altero die ab obitu cranium aperui; saucia dura meninge, profluxit serum pallidum spicei coloris, cum impetu quodam, non secus ac mediana vena brachii secta sanguis erumpit, & quidem tanta copia, ut cyathi aliquot unciarum capaces eo impleri potuissent, Hoc serum maxima ex parte colligebatur in spatio quod inter duram & piam matrem est, quod mihi amplius & capacius esse videbatur quam naturaliter existere solet, sero præ nimia copia duram matrem undiquaque expandente. *I. Iac. VVepferus Dissertat. de Apoplexia hist* 4.

Observatio XXVI.

Capitis dolor gravativus, à serosorum humorum inter duas meninges collectione ortus.

Dom. Lud. Saladinus (vide historiam lib. 2. Tit. de morte repentina) de capitis dolore, gravativo, cum summo virium languore diu conquestus est, Frigoris adeo impatiens, ut ad primum hyemis appulsum non domo solum sed cubiculo omnino, quasi carcere, conclusus maneret, cujus omnes rimas, (quanquam densa aulæa parietes circumvestirent) papyro glutine inducta obstrui curabat: provectum ver & hirundinum ultimarum adventum expectans priusquam liberiori aëri se committeret.

Illius subita syncope abrepti, aperto capite, inter duas meninges insignis serosorum humorum colluvies deprehensa est.

F *Rigoris impatiens*) De affectu hoc, qui vulgo dicitur Aptitudo ad frigus suscipiendum. Vide *Willis* Pharmacop. Ration. Part. 1. sect. 5. cap. 3.

Observatio XXVII.

Pungitivus Capitis dolor, excitatus ab aqua perspicua copia in posteriorib. cerebri ventriculis contenta.

Cerebrum facultatum animalium principem sedem esse, jamdudum contra Aristotelem Galenus disputavit, ipsasque functiones eò præstantiores reddere quò purius, tempera-

tius

tius, ac magis pervium extiterit; quanquam autopsia contrarium demonstret. Nam filiola cujusdam Comitissæ annorum quatuor, habitus corporis gracilis, biliosi temperamenti, correpta febre ardente, sine notabili operationum principum læsione, crescente morbo, decima quarta die succubuit.

In ventriculis cerebri posterioribus inventa fuit libra aquæ, ipsi puteali magis perspicuæ, sine operationum principum læsione, nisi quod aliquando de *Pungitivo* capitis dolore exclamaret. Forsan ideo quia paucæ urinæ prodibant, & ad calefactum caput fecerunt metastasin. *Antonius de pozzis miscell. curios. anni iv. observ. xxxvj.*

Observatio XXVIII.

Capitis dolor à cerebro nimis humido.

Virginem febris, quam ἡμιτριταῖον vocat *Galenus*, infestabat, & meridie exacerbationes, septima vespertina frigidi sudores; circa 6. diem κάρος per proropathiam genitus, nam & remissionis tempore perseverabat *Carus*: 7. Sudor erupit calidus satis: alvus adstricta, nec nisi πρὸς ἀνάγκην dejiciens; si fluxisset spes aliqua superfuisset: die 14. convulsa interiit: omnes corporis partes convellebantur: Illa quamdiu vixit doloribus capitis erat obnoxia: perpetuo incumbebat operi, quod ad capitis imbecillitatem faciebat, Austrina constitutio præcedens, facilè caput repleverat.

Aperto capite, cerebrum erat humidius quam è natura foret. *Ballonius Epid. & Ephem. lib. 2. p 5.*

C*Erebrum erat humidius*) Humiditatem cerebri, indéque ortum dolorem, (qui Gravativus est, ideo Gravedinis nomine donatur) à lympha vitiata deducit *Franc. Sylvius* Pract. l. 1. c. 29. & glandulis in cerebro existentibus simul affectis; qua distillante fiant Catarrhi (cujus comites sunt febres Catarrhales dictæ) Eadem acriore facta, & falsa muriatica, vel simul acida, vellicatis nervis, convulsiones.

Observatio XXIX.

Cephalalgia ab aquæ copia in capite, ob evaporationes per aures susceptas.

Mulieri acerbissimi capitis dolores & aurium: Sine intermissione admittebat fumum cephalicorum per infundibulum: allevabatur: deteriores fiunt dolores, mors.

Aperto capite aquæ magna Copia reperitur: Causam Medici retulerunt ad vapores ita frequenter susceptos: Nec abs re, cautos esse oportet in excitandis in aurem vaporibus. *Gull. Ballonius parad.* 143.

A*Quæ copia*) In ejusmodi doloribus à sero oriundis hidroticorum usus forte utilis est: Narrat idem Epid. l. 2. Hemicraniam intolerabili quendam cruciatum, usum pilularum potentium juvatum fuisse: hine naturam particularem in tempore sinistro sudorem excitasse, quo conferente, arte provocatum esse ampliùs, unde ægro melius fuerit.

Observatio XXX.

Gravis circa frontem dolor à seroso humore in substantia & ventriculis.

Anno 1626. invisi filiam D. Freson septem annos natam, quæ à duobus mensibus affligebatur dolore *capitis gravissimo circa frontem* & supercilia, qui singulis propemodum horis recurrebat, ita acutus ut illa cultro sibi caput dividi frequenter postularet: Jam verò à duobus diebus tres aut 4. paroxysmos epilepticos passa erat cum spuma in ore: multa remedia frustra præscripta: Consilium inituris nuntiatum nobis eam novo paroxysmo epileptico sublatam, ac post mortem puris aliquid per nares effluxisse, quod nobis abscessus latentis suspicionem injecit.

Sed cerebro aperto, nihil repertum præter serosum humorem in cerebri substantiam & ventriculos effusum. *Lazarus Riverius Observ.* 37. *Cent.* 1. *Rolfinkius Tract. de cap. dolore pag.* 84.

Hic casus mihi in memoriam revocat historiam cujusdam virginis simili dolore per multos menses vexatæ, cui, cæteris irritis, totum caput, deraso capillitio, vesicatoriis contractum est instar cucuphæ, & vesicis excitatis, effluente copia serosi humoris liberata est, quod remedium alteri ex usu fuisset: *Idem ibid.*

Dolore capitis gravissimo circa frontem) Inter præcipuas doloris capitis differentias ea quæ à sede causæ desumitur, quæ aut interna est aut externa, cùm dolor internus periculosior sit & curatu difficilior: Hic ex *Galeno* 3. de loc. c. 1. & 2. de comp. med. κατὰ τόπ. c. 1. Dolorem capitis internum hoc peculiari signo distinguit ab externo, quòd ille ad radices oculorum pertingit, hic minimè: hac ratione quod tunicæ oculorum à cerebri meningibus prodeant, hinc fit ut dolor eò usque extendatur: Obstat *Fernelius* pathol. l. 5. cap. 1. asserens externos etiam dolores ad radices oculorum pertingere, quod pericranium, cui insident, oculorum cavum succingat: Reponit *Rondeletius*, meth. med. cap. 5. ad dolorem pericranii oculi cavum non dolere; licet illud eò usque pertingat, propterea quòd pericranii dolor a frigore externo ut plurimum oritur, quia pars frigida à simili facillimè patitur qualitate: Illud autem frigus ad oculi cavum non potest pervenire, quia à calore oculorum, spiritibus & sanguine conser-

vatur: Si verò interdum ab æstu, aut simili causa dolor capitis externus excitetur,tunc cutem capitis tantùm affici affirmat,non autem pericranium, in profundiori loco situm: Verùm hæc *Rondeletii* doctrina non omnem omnino tollit difficultatem: licet enim omnia quæ ille adstruit ipsi concederentur, tamen si dolor excitetur ab aliquo tumore juxta pericranium collecto, aut ab alia causa continuum solvente, nulla ratio erit cur dolor ad oculi cavum non feratur. Dicendum ad *Galeni* defensionem, duplici ratione hoc signum fuisse à Galeno positum, 1. quia membrana, quæ à pericranio ad oculi cavum fertur, est hebetioris sensus, atque ita non compatitur dolori pericranii, nisi admodum obtusè, Tunicæ vero oculi, quæ prodeunt à meningibus,sunt exquisitissimi sensus, atque adeò insigniter dolent: Deinde, membrana illa, quæ à pericranio oritur, non ita intrinsecè & profundè attingit oculum versus nervos opticos, sicut tunicæ quæ à meningibus procedunt: unde fit ut dolor ille externus non possit sese extendere ad fundamenta oculorum, ut loquitur *Galenus. Riverius Pract. Lib.1.cap.16.*

Difficultas quoque est in dignotione doloris meningem crassam aut tenuem afficientis: hinc tamen conjecturam aliquam capere possumus, quod cum affectus in crassiore residet, ad exteriora dolor vergit, ob pericranium illi connexum: Si vero tenuis, dolor profundior fit, cerebróque immersus quasi esse videatur, quòd per omnes cerebri anfractus disseminetur cōsque ambiat: In utraque tamen affectâ dolor ad oculorum radices, cum oculi globus à cerebri membranis tunicas accipiat,pertingere potest.

Observatio XXXI.

Capitis dolor à colluvie serosa in cerebro, & corruptione omnium principum viscerum.

INter alia ex cadaveribus notata, hanc in Jurisprudentiæ studioso observationem ante aliquot annos notavi Cassellis Gattorum, & Excel. D. Wepfero Med. D. & Practico Schaphusiano Celeberr. Medico sanè in Anatomicis curiosissimo, communicavi; quam & Tibi Excell.Vir, tanquam amico integerrimo negare nolui:Hic juvenis xxx. circiter annorum, ab amico amicè exceptus, & domum redux, *post exacerbatum Capitis Dolorem* multa evomuit,Palpitationes cordis, Tremores artuum, Convulsiones subsequuntur, & sequenti die de subito moritur.

Judicis jussu apertum cadaver: omnia penitus viscera principaliora corrupta fuerunt inventa: Ventriculus intus coloris viridis, in quo materia quædam cineritia erat contenta, Intestina gangrænosa, flatibus turgida & vermibus dimidii cubiti scatentia: Epar corruptum: Pulmones flaccidi, coloris albi;hinc & inde exulcerati: Cor lividum, contractum & cruore quodam nigro repletum: Cerebrum serosa colluvie usque ad principium nervorum repletum; Cutis exterior maculis rubris inferius punctata, superius instar apoplecticorum coloris nigri & subviridis, fœtidissimo odore, licet statim post mortem cultro anatomico subjiceretur corpus, adstantium nares implebantur.

ITa ut non exigua veneni exhibiti σημεῖα innotuerint, cujus tamen nemo reus inventus, utut etiam curiosè inquisitum fuerit: Ægrotans ipse mente adhuc constans aliquid extra prandium assumpsisse negabat, Ita ut Judicis & Medici judicium suspensum, & insignis cujusdam malignitatis venenatæ,in ipsis corporis penetralibus progenitæ, suspicio saltem relicta fuerit, quæ quomodo tam brevi temporis spatio omnia viscera corruperit, & ad vitæ continuationem inepta reddiderit mirum est, cùm antea semper ægrotans firmissimæ & robustissimæ fuerit constitutionis. Dabam Genevæ die 17. Martii 1675. *Ex amica communicatione Excellentiss. & Clarissimi Dom. D. Ludov. Hermanni Gombâch. Aulæ Hassiacæ Medici.*

Post exacerbatum capitis dolorem &c.] Inter notas capitis doloris per consensum affligentis hæc præcipua est,quod ad effectum partis primariò affectæ ingravescat. Notandum tamen aliquando fallacem esse hanc regulam. Cùm fieri possit ut capitis affectus,seu alterius loci,cum alterius partis affectui invalescat,& cum eo levetur,nec ideo ab illa parte per consensum afficiatur, quandoquidem fieri potest ut ex eodem foco seu fonte, materia in plures partes divisa simul influat, & in parte mittente nullus dolor, nec aliquis affectus se exserat: Sic Agesii filiæ (6. Epid.3.4.) cùm doleret coxendix, asthmate premebatur,dolore sedato,cessabat etiam suspirium: Et cum nullus datetur consensus inter coxam & pectus, suspicandum fuit ab eodem loco in utramque partem humorem confluere.& eodem etiam tempore dissipari: In enixa autem fortis est conjectura ab uteri ligamentis coxendicem, & asthma pectoris cum utero consensu provenisse, & maximè non bene lochiis expurgatis, quæ utrumque affectum producebant; hinc verisimile est utrumque accidens etiam quievisse lochiis expurgatis:Uterus enim,maximè in enixis,omnium malorum scaturigo est.

Tremores artuum, convulsiones subsequuntur &c.] A diffusa serosa colluvie è cerebro ad nervorum principium, hinc ad eorum propagines: Sæpenumero verò accidit, ut citra causæ doloris effectricis propagationē, hic uno in loco excitatus in altero sentiatur, ejusque effectus per totam animam diffundatur:Ejus verò productio (juxta Cl.Willis) in hoc consistit, quòd fibræ nerveæ à quodam incongruo, & valde improportionato,irritantur plurimum & invicem divelluntur,proinde ut spiritus in iis scatentes mox distrahantur.& ab æquabili sua expansione correpti in confusionem agantur: attamen doloris sensus efficitur,quatenus illa spirituum perturbatio undulatione quadam per ductus nerveos, ad commune sensorium,scilicet corpora striata delata,spiritus ibidem cōsitos in parem distractionem concitat;cujusmodi affectio,ulterius ad cerebri meditul-

ditullium pergens, imaginationem commovet, indeque mox reflexa, per totam spirituum hypostasin molestiam sive inquietudinem quandam diffundit.

Evomuit, palpitationes cordis, tremores artuum &c.) Quomodo tam varia symptomata à serosa colluvie in cerebro reside criantur, ostendit Cl. Piso sect. 2. pag. 1. cap. 1. lib. de morbis à sero: Ita sanè statuendum, *ait*, aquam in capite residem, & susque deque à repentina ambientis commotione, concepto veluti fervore agitaram & longè latèque desp umantem, primò membranas cerebri impetere, violentaque earum distensione dolorem infligere, quoad ebuil tio ipsa sensim conquiescere incipit per se, perturbatione externa pariter sedata, tum eandem sive sponte sua, sive compressione membranarum excussa, partim per palati latam viam: recta in ventriculum decumbere, partim in nervi sexti paris principium deerrantem, implentemque ac distendentem, viscera & partes abdomine contentas contrahere atque, convellere, non sine acerbo quodam dolore, partim denique in meatus cerebri sensorios irruere: quare errabundo illo varias in partes motu, diversa symptomata paucas intra horas inferre, scilicet dolorem capitis hanc vel illam partem vellicantem, vomitum aquæ & bilis, dolorem alterutrius hypochondrii aut utriusque: Quoniam verò convulsivos illos motus capitis dolor prævertit semper, hinc elici potest caput per idiopathiam laborare, reliquas partes per consensum.

Ventriculus intus coloris viridis, in quo materia quædam &c) Hinc capitis doloris causa arcessenda videtur: ab elato scilicet vapore ex ea materia membranas cerebri percellente: Sed hanc vulgo receptam hemicraniæ causam, à bilioso vapore deductam, impugnat Clar. *Piso* loco allegato: Si namque à vapore è bile in epate fermentata commotaque elato, hemicrania semper excitatur, quid causæ est, cur vel in principiis paroxysmorum febrium tertiani generis, & præsertim erysipelatis initio, hemicrania ægros non vellicat ac pungit semper. Equidem cùm erysipelas si quis alius tumor sit frequentissimus, isque cum bilis fervore necessariò conjunctus, ut vomitus biliosus, bilisque eruptio præter febrem indicant, tamen eum, quanquam in faciem bilis impetat, hemicraniæ non conjungi unquam, nec caput condolescere experientia quotidiana docet:

Multa evomuit) Cephalagiæ cui vomitus accedit, causa ut plurimum ventriculo aut subditis visceribus adscribitur: hanc contra idiopathicam statuit, laudatus Piso, vomitusque hanc rationem statuit: Nimirum, *inquit*, dum membranæ capitis in excutiendo sero molesto sponte contrahuntur, peritonæum certè ejusque soboles omnes unà quoque convellantur oportet: itaque quoque vesicam choledochum convulsam, bilem in ventriculum exprimere effundereque necesse est, quæ actutum è ventriculo pariter quoque convulso, aut etiam sponte resupinata, per bilis irritationem vomitu simul cum aqua è capite deorsum fluente rejicitur: Certe eam aliquando meningum cerebri in hemicrania & præsertim in ipso vomitu contractionem persensi, ut manifestè e anium à seipso divelli, suturaque coronalis aperiri mihi propemodum videretur, non sine atroc issimo dolore: tum quippe ventriculus, tum sponte, irritatus scilicet à bile, sursum; movetur tum quasi per vim, per sympathiam membranarum cerebri primò contractarum, sursum trahi ur; & tractus ossendés aquã è cerebro distilantem, eam inter dilabendum in medio cursu circa proprium orificium, necdum in fundum delapsam abripit; cujus argumentum est salivatio crebra, jamjam instantem vomitum prænuntians: Nam quòd ventriculus contractis cerebri membranis vi sursum convellatur, aliquatenus luculenter demonstrant convulsi & evidentes totius abdominis dolores qui in me hemicraniæ successere, sed in aliis eandem comitantur.

Observatio XXXII.

Capitis debilitas à copia seri inter meninges collecta & in ventriculis.

Eminent. Cardinalis Catarrhis obnoxius, aliquam capitis debilitatem advertit. Cranio mortui aperto plusquam libra seri tenuioris inter meninges collecta cernebatur, quo turgida pia mater solitam crassitiem quater superabat. Eodem sero, ventriculi erant repleti. *Vide lib. 2. Tit. de pectoris dolore.*

Observatio XXXIII.

Capitis dolor à maxima collectione serosis humori inter duas meninges.

Dom. S. (*Tit. De morte subita*) De capitis dolore Gravativo diu conquestus est: Ablato mortui cranio, inter duas meninges deprehensa serosorum humorum extraordinaria collectio.

Observatio XXXIV.

Cephalæa à sero largius meningibus affuso, copioso in ventriculis.

Viator (*de quo Tit. de Paralysi*) assiduè caput doluit, comite nonnunquam vertigine: Discissa mortui dura meninge plurimum seri sub pallidi effluxit, quod in spatio inter utramque meningem continebatur. Hujus quoque seri plurimum in omnibus ventriculis repertum fuit.

Cephalæa à multis annis propemodum continua, totum caput occupans, & quandoque cum vertigine juncta, potius sero meningibus largius affuso, quam sanguini intra arterias illarũ, eb motum impeditũ stagnanti, vel flatibus meninges distendẽtibus attribui po est, cum à sanguine pulsans dolor exitetur, qui nec tamdiu, nec tam continuo, citra graviorem noxam tolerarur: A flatibus verò

vero tensivus, & brevi evanidus producatur, & plerumque citra vertiginem, cum medullam, spirituum animalium sedem, non attingant, nec indra meninges diffusi spiritibus permisceantur: Et revera serum hanc effecisse ex sectione constitit, quod copiosum inter utramque meningem, & sub tenui intra anfractus repertum fuit. *Joh. Jac. Wepferus Exercit. de Apopl. p. 378.*

OBSERVATIO XXXV.

Capitis dolor à cerebro aqueo humore copioso irriguo, & Tumore globoso in parte interiore.

GAllus quidam Dolore capitis correptus est, mox sequuta febris, qua cessante cephalalgiæ reliquiæ nihilominus remanserunt cum vigiliis & capitis imbecillitate, &c. Invenimus cerebrum aqueo copioso humore irriguum: Præterea inventus globus quidam glandulæ instar inclusus in cerebri substantia. *Vide Tit. de occulorum affectibus.*

OBSERVATIO XXXVI.

Capitis dolor ab aqueo & pituitoso Sanguine plures cerebri partes occupante.

MUlier febre ardenti cum capitis dolore correpta est, manum capiti admovebat. Aperto capite effluxit aqua loturæ carnium similis: Tenuis membranæ & *plexus choroeidei vasa aquoso & pituitoso sanguine turgebant*: uterque ventriculus aqua plenus. *Vide Tit. de Delirio.*

PLexus Choroidis vasa aquoso & pituitoso sanguine turgebant. Non defæcato antequam ad cerebrum delatus fit: Arteriæ enim (ait eleganter *Exc. Rolfinkius differ. Anat. lib. 6. c. 56.*) sanguinem ex chylo natum, adolescentem & vix juvenem, ex sinistro cordis haurientes ventriculo, & deorsum vehentes, in Lienem deponunt τὸ πετρῶδες melancholica; in Jecur χολώδεα; In Renes ὑδατώδεα ἐῤῥώδεα; Sursum vero τὸ φλεγματώδες pituitosa: Debuit omnino alimentarius sanguis, singulas in partes deferendus, suis spoliis scoriari, imprimis vero cerebro cessurus in alimentum: purus hic esse debebat ὡς δυνατὸν, ideo in vestibulo mundari debebat seorsim positis inquinamentis & excrementis, ablegantur ergo illa per carotidis interneramum exteriorem ad spongiosas narium, palati, faucium, oris partes omnes, glandulas σιαλόχες, ipsam etiam linguam.

OBSERVATIO XXXVII.

Capitis dolor cujus nulla alia in corpore causa deprehensa quam bilis cystim felleam distendens.

BIlem subfuscam in vesica fellea; hanc distendentem, in puero aliquando cephalalgiæ sævissimæ & paraphrenitidis, subsequente tandem sopore, mortis causam fuisse reperi, nullo ad sensum vitio in cerebro animadverso. *I. Iac. VVepserus exercit. de Apopl. p. 435.*

AN forte redundans bilis vasis conclusa, in conspectum non veniens, doloris author fuit? Cystis sane nimis turgida non fuit capax majoris copiæ nec à massa sanguinea bilis ulterius secernendæ, ideóque cruori confusa ad cerebrum delata est, quod videtur innuere paraphrenitis à bile in vasis turgente ortum ducens.

OBSERVATIO XXXVIII.

Capitis dolor à bile meninges suffundente, & liquore inter eas contento.

ICtericus (*de quo lib 3. Titulo de Ictero*) Capitis doloribus continuo infestabatur. Cadavere aperto; cranii exterior superficies flavens deprehensa, ossis frontis interior superficies colore flavo infecta, cæterorum non item. Dura meninx flavescens, ut & liquor sub ea conspicuus, cujus sapor non erat notabilis. Tenuis meninx minùs flava. In ventriculis, liquor satis copiosus, limpidus, subsalsus: plexus choroides valde glandulosus, &c.

HIc moveri potest dubium, An bili adscribenda sit doloris causa, quandoquidem Ictericis, quorum habitum inficit bilis, indolentes eam ferunt, vix de pruritu queruli? An id membranarum eximio sensui imputandum, qui exquisitior quam in cute, ex parte tantùm membranosa? An ab occursu aëris externi hebescit bilis, retunduntúrque ejus aculei, qui ad membranas cranio investitas pertingere nequit? An quia hæ densiores, minúsque quam cutis poris perviæ arctiùs bilem cohibendo gravius ab eo afficiuntur?

OBSERVATIO XXXIX.

Capitis dolor à vaporibus vel flatibus piam matrem distendentibus.

SÆpius vidi in capite recens post mortem aperto, Piam matrem vesicæ instar distentam ac pellucentem, ut aqua plurima subtus inclusa eadem intumescere videretur, quod tamen omnino fieri compertum est *à flatu* membranam distendente: ipsa enim dissecta, sine lymphæ effusione, tumor illico subsidebat. *Thom. VVillis Anat. Cerebri. cap. 8.*

Vulgaris

Vulgaris opinio est quòd acres & tetri vapores à visceribus imi ventris, ac imprimis à ventriculo, hypochondriis aut utero elevati hanc membranam feriunt, adeòque eam dolore percellunt: Nos autem, licet impossibile hoc dicamus ut vapores tot viscerum ac ossium interstitia ac obices, sine molestia quavis penetrantes, unquam ad caput perveniant, eique noxam inferant, verùmtamen haud inficias imus quin à sanguine intra cerebri confinia æstuante, interdum effluvia vaporosa procedant, quę sub pia matre conclusa, ac velut in nubem aggesta, eam valdè infiant ac distendunt, adeòque dolore afficiunt. *Idem ibidem.* Vide Notas ad cap. de dolore cap. à venis atro sanguine turgentibus.

Aflatu) Materia dolorem capitis faciens est vel vaporosa vel humorosa. Hæc potest esse alimentalis vel excrementitia, biliosa, pituitosa, vel melancholica, sero permista: Imprimis autem & sæpius alimentalis, atomis biliosis, pituitosis, melancholicis & serosis inebriata: Vaporosa dolores excitat tensivos, flatus enim distendunt: Audito nomine Vaporum, non intelligendi illi præcisi & separati ab humoribus, sed conjuncti, ita ut potius sint vapidæ & tenuissimę sanguinis exhalationes, membranosis capitis partibus communicatæ: Viæ vaporosi hujus sanguinis sunt arteriæ, ex certis partibus vel toto advenientes corpore; quod sic exprimit *Avicenna cap. 1. Soda fit ut plurimum propterea quod arteriæ afferunt capiti vapores fraudulentos.* Arteriolę, cum ductibus aliis, turgidę sanguine factę, per ναυτίασιν ἢ ὑπερέμεσιν, nauseabundam supervomitionem quandam tandem emittunt: Venæ Lacteæ ad cor advehentes, per arterias ex corde emittunt vaporosum cum sanguine chylum: Ductus lymphatici officio suo non exactè defungentes operas conjungere possunt; *Rolfinkius.*

Observatio XL.

Capitis dolor à Pure inter Piam matrem & Cerebrum contento, illuc ab inflammatis Pleura & Pulmonibus delato.

Domina de Chalange, Brito-Galla, Luteriam venit Medicorum consilium contra Fluorem muliebrem expetitura; Paucis ab adventu diebus magnus eam lateris dolor prehendit, comite febre: Dom. D. *Magnus*, *Duretus*, & *Rebourssius* convocati fuere, qui pleuritide & peripneumonia simul eam affectam judicarunt: Quamvis eodem tempore fluerent menses, præscriptus tamen clyster, nec non sanguinis missio, quam ægra omnino renuit: Postridie, morbi septima, quòd ingravescerent symptomata, phlebotomiam admisit: Dom. *Duretus* bis singulis diebus illam visitabat, prædixitque si supervenires capitis dolor cum pruritu, mortem sequuturam, translata scilicet materia peripneumoniam efficiente ad cerebrum: Postridie dolor capitis cum prurigine successit, paucisque post horis interiit: Quarta aut quinta ab ejus obitu die, Ego, Domini Rebourssius & Viardus, Sacrificuli cadaver aperuimus, pleuritide & peripneumonia complicatis interempti, cui quoque accessit Capitis dolor, exploraturi num præmissum prognosticum veritati esset consonum, ac num humoris facta esset à pleura ad caput metastasis? Dempto cranio, omnia pure referta comperta sunt, intra piam matrem & cerebrum, ut in prædicta matrona, concluso: *Ambr. Paræus Oper. lib. 24. cap. 68.*

Vulneribus capitis abscessum Jecoris sępe consociari, pure è cerebro illuc delato, ostensuri sumus lib. 4. Tit. de vulner. capitis: Quòd autem facilior illi sit descensus quàm ascensus, disquirendum per quas vias in cerebrum irrepserit: Verisimile est illud aberrasse à solito tramite, dimissisque arteriæ trach[e]æ bronchiis, Venam Pulmonalem subjisse, è qua tum in auriculam, tum sinistrum cordis thalamum infusum fuit, hinc in arteriam magnam, postmodum per ejus propagines in cerebrum, ubi depositum Dolorem capitis cum pruritu, ob acrimoniam, produxit: Mobilitatem autem puris, ritè cocti, observare est in urinis purulentis; concussa enim leviter phiala, illico diffilit totique remiscetur lotio; quo indicio à pituita distinguitur: Insignis autem renuitatis argumentum, qua densissima quæque, hydrargyri instar, trajicit, vidi in Pastore quodam Ditionis Bernensis, cui ab absc[e]ssu in Dorso neglecto, nec tempestivè aperto, sphacelus abortus est, pure pulmones subeunte, quod copiosè exspuebat, nil sibi sinistri metuens: Exitium instans cùm uxori prædixissem, conviciis exceptus sum, sed mors postridie incautum opprimens, à temere emissi prognostici errore vindicavit.

Observatio XLI.

Gravedo à pure ad os ethmoides delato.

Quidam vulneratur in occipite, succedente rima patente & cœca; male à Chirurgis tractatur, die 9. febris oritur, XL. moritur? Aperitur cranium; & inter secandum copiosissimum pus ex naribus rejicitur, *materia* per vulnus expurganda *ad os ethmoides delata*, unde etiam de *Gravedine supra nares* conquestus fuerat. *Vide l. 5. Tit. de vulneribus.*

Materia ad os ethmoides delata.) Insigne cerebri emunctorium, quo obstructo pus cohibitum fuit: Accidit interdum obstructio meatuum per quos excrementa cerebri expurgantur fuliginosique halitus excernuntur, à qua dum retinentur intus, sua multitudine aut qualitate capiti offensionem pariunt. *Rondeletius Pract. cap. 5.*

De gravedine supra nares) Per Gravedinem hic intellige non tenuis & incocti humoris per nares cursum, sed gravitatem vel ponderis sensum cir-

circa summas nares, illi similem quem patiuntur coryza afflicti. Sed si blenna & mucus, humor viscidus & tenax, per os ethmoides viam sibi parat; Cur pus, summa tenuitate partium, & pervadendi vi insigni, illac exitum non quæsiit? Hoc favere videtur sententiæ Clarissim. *Rolfinkii*, *Schneiderii* & aliorum, qui impervium illud iter statuunt, nec per os ethmoides quicquam transmigrare, quanquam amplis poris scateat, existimant; Quæ per nares exeunt arteriarum ad cerebrum tendentium esse ἐκβράσματα & ejectamenta à massa sanguinis secreta, quò is purior & defæcatior eò feratur. Objicies illud *Hippocratis*, *Capite dolenti & circumdolenti, sanguis pus per aures aut nares exiens, morbi solutio*, aph. 10. s. 6. Iterum, Quô sublatô alterum tollitur, id illius est causa; Si pus per nares excretum dolorem capitis solvit, id hujus causa fuerat & ex cerebro prodiit? Si stabilitam Clariss. Virorum doctrinam velis, dic, Pus illud sanguini residuo à nutritione cerebri & reducendo permixtum per venas, ad illas partes derivatas & hiantes exitum habuisse. Demum, certum est suppurationem in cerebro, citra vomicæ concursum, sæpe contingere, cùm scilicet in canalibus, seu sulcis duræ meningis, præter naturam cohibitus, & restagnans plus justo sanguis incalescit, inflammationem concipit, & tandem in pus abit, abscessus alterum genus constituit, hinc cruori ad cor revehendo commiscetur.

Observatio XLII.

Capitis dolor à pure supra membranas & cerebrum effuso.

Quidam leviter vulneratus media capitis parte, tribus post mensibus incolumis vixit: dolor postea capitis subortus in loco vulneris inflicti, &c. Secta calvaria pus supra membranas & cerebrum deprehendi. *Vide l. 4. Tit. de vulneribus.*

Observatio XLIII.

Gravis circa oculum dolor, puncturam ossis temporis sequutus, ab ingenti puris copia inter membranas & cerebrum.

Vulneratur quidam punctim circa os Temporis; sequitur gravitas quædam intolerabilis circa oculum partis affectæ, Inter membranas & substantiam cerebri ingens copia puris, libræ civilis unius pondo, reperta est. *Vide l. 4. Tit. de vulner.*

Observatio XLIV.

Capitis dolor vulnus sequutus, a putredine inducta dimidiæ cerebri parti; Pure & aqua in ventriculis.

Quidam ab equo vehementer in capite percutitur: Ab initio conquestus est de capitis, præcipue de colli intenso dolore: Inventa putredo dimidiæ partis cerebri: In ventriculo tertio plurimum tum puris tum aquæ, subrubro colore tinctæ vidimus. *Vide lib. 4. Tit. de Vulneribus.*

Observatio XLV.

§. Capitis Gravitas ab abscessu & pure in anteriore cerebri parte.

Mulier quædam aliquot diebus capitis gravitate laboravit, quæ succedente somno, pòst febre obiit: Capitis cranii osse sublato, abscessus in anteriore cerebri parte repertus, & pus interiori ossis crani parti adhærescens &c. *Dodonæus observat. med. cap. 7.*

C*apitis gravitate*) Dolor capitis gravans καρηβαρία dicitur: Gravis autem Dolor, Barbaris Gravativus, dicitur cum æger veluti ponderis loco affecto incumbentis sensum percipit: Provenit hæc doloris species à causa in membro per se sensu destituto, membrana involuto, qualia membra sunt Epar, Lien, Renes, Pulmo; Nam si tale membrorum parenchyma, vel inflammatio, vel abscessus, vel calculus, vel humor occupet, etsi ipsa caro visceris non sentiat, tamen dum ambiens membrana tenditur, aut deorsum trahitur, fit inde dolor talis gravis: In cerebro ejusmodi dolor fit à pituitosorum humorum copia, à plethora, abscessibus, puris copia &c.

Observatio XLVI.

§. 1. Capitis dolor ab abscessu seroso, natibus cerebri & infundibulo adhærente.

Puella 12. annos nata, temper. pituitoso & pingui habitu prædita, maximo *dolore fixo verticis* laboravit per quatuor menses: Vocatus ad ejus curam, eam ferè inveni sine febre sed omnia alimenta rejicientem, aqua autem sola cum saccharo per multos dies vitam traduxit: solum de dolore futuræ coronalis conquerebatur: Frustrà fuere omnia remedia: nullus aderat tumor vel rubor: Tandem mors finem miseriis & doloribus imposuit:

Aperto capite, *omnia optimè conformata* & sine corruptione (præter spem tamen) reperta sunt: existimaveram enim pus copiosum latere, præcipuè quoniam paulò ante obitum per oculum dextrum aliquid purulentum emisisset: Sed cùm de causa agnoscenda desperaremus, dum curiositatis gratia Rete mirabile & alias partes Chirurgus discipulis suis demon-

monstrare voluit, digitis abscessum rupit, naribus & infundibulo cerebri inhærentem, ex quo statim aqua clarissima cum impetu & ad libras duas exivit, quasi è fonte scaturiens & in altum prosiliens.

QUo pacto contractus fuerit ille abscessus, vel species hydrocephali, facillimum est dicere: Pituitaria enim glandula, pituitam tanquam aqua spongiam alliciens & coacervans, temperamento juncta pituitoso puellæ, calorique debili aquas cumulavit: Serum verò è venis transcolari potuit ibique coacervari: Præterea, ex Hippocr. Caput est humanorum morborum radix & pituitæ metropolis: Non parum ad morbi generationem contulit quod 5. aut 6. ante morbum mensibus, scabiem capitis passa erat puella, ad cujus curam Monachi quidam repellentibus & unguentis frigidis usi fuerant, unde caput refrigeratum & serositates cumulatæ, causaque morbifica, paliodromia facta, intus repulsa est, calorque naturalis ab ea materia extinctus: *Petrus Borellus centur. 1. observat. 37.*

Dolore fixo verticis) Plures deinceps vidi à doloribus verticis fixis cruciatas mulieres, quas phlebotomia venæ rectæ, frontis, vel ranularum, cucurbitulis scarificatis, apophlegmatismis, errhinis, cephalicis, hidroticis, & purgationibus levavi: vidique uxorem Advocati, quæ ex dolore distorta, semperque hoc pro matrici symptomate à Medico ordinario accepto, tandem obiit, quam tamen existimo bis remediis curari potuisse: Semper tamen ab hoc fonte dolor ille ortum non ducit, mulierem enim vidi quæ de ingenti capitis dolore fixo & in minima circumferentia conquesta, nec S.M. nec vesicationibus aliisve levari potuit, quæ tandem multis vesiculis sponte obortis curata fuit: Aliamque quæ tumore in fronte nato apertoque, maximam puris copiam effudit, sicque curata remansit: In alia nihil ex his profuit, sed incisione cruciali celebrata; vermes latentes reperti sunt à quibus procedebat dolor, quibus detractis fuit curata. *Idem observat. sequenti.*

Præter spem tamen) Caveant Medici prædicere se deprehensuros aliquid in capite eorum qui morbo cerebri interierint: *Gul. Ballonius annot. 37. in hist. 1. lib. 2.* Nescio qui fiat ut morborum Cerebri & Notitia & Curatio sit difficillima: Notitia quidem, quoniam multi convulsi sunt, apoplexia, epilepsia sublati, in quibus ferè nullum vestigium mali aperto cranio inventū est: nec sanguis, nec aqua, nec ichor, quanquam medici qui historiam morbi vidissent, certò affirmarent, sibique persuaderēt se aut inter membranas, aut in cavitatibus, aut alia parte, aut abscessū; aut sanguinis, aut aquæ copiam deprehensuros: Ut tantò cautiorem prudentioremq; esse Medicum oporteat, & in investigandis rerum causis diligentiorem quantò res sunt abditiores: adeò est obscura morborum capitalium ratio & evolutio difficilis. *Idem consil. 71. lib. 3.* Ea cautio quanquam necessaria, contingere tamen potest ut à minùs accurata indagine & evolutione anfractuum cerebri, in lucem non veniat quod disquiritur. Revera si Chirurgus in primo scrutinio substitisset, nec penitùs manus intulisset, omnino morbi causa delituisset: Cerebri autem consectio trifariam administrari solet: modò enim à suprema parte inchoant Anatomici; modò à nervorum principio, juxta Varolium; vel à summa quoque parte, sed secundùm alterutrum tantùm latus: Prior dissectionis ratio, qua globus cerebri quasi in taleolas rescinditur, manca est, nec in aperto ponit omnes cerebri partes: Secunda & tertia accuratiùs eas exhibent.

Omnia optime conformata) Figura vitiosa magnum ad diuturnos dolores inferendos conferre censetur momentum; potissimum acuta, si adsint conditiones ab Hippocr. & Gal. 6. Epid. s. 1. t. 5. Nimirum ὀξυκέφαλοι capite dolent, si aures madeant sordibus, palatum sit cavum, dentes serratim commissi, i. e. inferiores superiorum & vicissim interstitia subeant, ut in canibus, ut tales figuræ, ita etiam dolores varii contingunt.

§. 2. Puella annorum circiter octo, filia D. Lefortii Aromatopolæ Genevensis, per plures annos de gravitate capitis conquesta est, & ad obitum usque: Obiit autem à frequenti syncope, inducta à lumbrico orificio ventriculi affixo.

Reserato capite, quo pateret causa pertinacis illius capitis gravitatis, inventus est medio in cerebro abscessus serosus, Sive cystis sero referta. Anno 1659.

Observatio XLVII.

Capitis dolor ab abscessu sanioso circa nervum opticum, cum glutinosa & pellucida aqua.

SOda Subethica puerum corripuit & interfecit: Dissecto corpusculo, in media parte cerebri sinistri, supra oculum, prope nervos opticos, sinus apostematis, castaneæ magnitudine, vacuus deprehensus: Erupit preterea clara & mucilaginosa aqua. *Vide Tit. de Soporosis affect.*

Soda Subethica) Capitis doloris cum propensione ad somnum, causa statuitur pituitosus humor in cerebro redundans & torporem spiritibus animalibus inducens: Istius Sodæ causa fuit abscessus in media parte cerebri substantiæ sinistræ genitus, spirituum animalium liberum excursum, imò generationem impediens: & segnitiem vel torporem functionum animalium simul inducens, ut in Equite Bonecurtio *de quo inf. a. Tit. de Soporosis affectibus:* Id verò adnotandum de cerebro pituitosis humoribus obsesso, quod monet *Zecchius* consult. 72. fieri scil. posse ut in tali statu vigiliæ ægro sint molestæ, si scil. pituitosa excrementa statim cùm gignuntur, concitato motu delabantur & catarrhum excitent, præcipuè si cerebri calor nativus absumtus sit & cerebrum secundum substantiam exsiccatum.

Observatio XLVIII.

Capitis dolor à vomica in cerebro, sequuta ossis frontis fracturam.

NObilis duo vulnera accepit, unum in fronte &c. Cum utrumq; pene consolidatum esset, præter expectatum moritur, 4. septimana ab iis acceptis: Toto illo tempore conque-

stus fuerat de ingenti capitis dolore, non fixo, sed qui vicissim modo in fronte paulo supra supercilium, modo in supercilio affligeret, &c. Ablata superiore cranii parte usque ad aures & dura meninge, profluxit subito per aurem dextram magna sanguinis vis: deprehensum etiam vomicam in contigua cerebri parte latuisse &c. *Vide l. 4. Tit. de Vulneribus capitis.*

HUnc capitis dolorem ab ea vomica ortum habuisse certum est, quæ tenui meningi intus proxima erat & fibris etiam alligata, unde non poterat non ei summe molesta esse: De origine autem istius vomicæ *consule locum signatum.* Ab ea proculdubio sanies tenuis decisa doloris istius non fixi, sed vicissim modò supra supercilium, modò infra molesti, causa fuit: imò forte effusi sanguinis, per aurem dextram manantis, corroso aliquo vase ab illius acrimonia.

OBSERVATIO XLIX.

Cephalalgia ab abscessibus in processibus mammillaribus, Erosione ossis Frontis.

IHualdus de dolore capitis quæritur, pòst *occæcatur*: præ mali vehementia & diuturnitate interiit. Reperti sunt abscessus in processibus mammillaribus. Os frontis erosum erat & perforatum vi humoris. *Vide oculor. affectus.*

OBSERVATIO L.

Dolor intolerabilis & fugax ad frontem & tempora, ex abscessu in media cerebri parte.

VIdimus in Nobili Viro Villanovano, cùm media cerebri pars ob ictum concussa foret, unde statim *abscessus* ea parte altus, conceptus ac nutritus est, conquestum illum de intolerabili dolore, eoque fugaci, *ad utrumque tempus & frontem*, cum tamen ea parte non foret abscessus. *Ballon. lib. de Convulsion. p. 27.*

DOlore ad utrumq; tempus & frontem] Unde id? Excussa vi naturæ portiuncula tenuioris saniei à majore quadam mole puris, medio cerebro contenti, defectæ & manantis: Et talis sanies implacabiles dolores excitabat, convulsiones alioqui, si in ventriculos cerebri immigrasset, provocatura: unus enim & idem humor varia edit symptomata pro variis partibus quas obsidet & occupat: *Idem ibidem.*

Abscessus conceptus &c.) Cerebrum quia sedes est frigidi & humidi, ipsum facile non inflammatur ex Hipp. sententia: In partibus carnosis & humidis facile & inflammario & cancer, ab atra & adurente bile, concipitur, non autem facile in cerebro, quia temperamentum frigidum & humidum resistit. *Idem ibid.*

Intolerabili dolore eoque fugaci] Fugacis doloris, i. e. Desultorii nec certo loco consistentis, sed modo hanc modo illam partem in uno latere lacessentis, altera incolumi & intacta, ab humore extra cranium consistente, insigne exemplum tradit *Hildanus* cent. 4. observat. 6. Pertinax fuit, ait, per annos XI. in dextra capitis parte, mox circa partem extremam auris, aut ipsam mandibulam inferiorem, aut oculi partem inferiorem, vel labium inferius, vel superius &c. sæviens, nunquam dimidiam partem faciei transgrediens: Irrita fuere omnia medicamenta, ipsa etiam narcotica frequenter exhibita & adhibita; soli setaceo cedens, sed bimestri tantum ab ejus applicatione, qui meo judicio vesicatoriorum efficacia citius fuisset sublatus, cum humor acris & copiosus copiose exstillaret.

OBSERVATIO LI.

Circa Tempora dolor ab abscessu in cerebri penetralibus; vulnus sequuto.

DN. catapultæ ictu circa tempus dextrum læsus est insigniter, occaluit tandem pars longo tempore: Cum vino Venerique indulgeret, dolor in veteris vulneris loca oborrus est, mox in parte antiqua sæviens, mox in alteram partem velut desultorius rediens: comatosus factus, mors.

OBSERVATIO LII.

Capitis dolor ab abscessu purulento & fœtido.

OBservavi quendam ex diuturno capitis dolore, longisque vigiliis afflictum, tandem levi delirio & convulsione correptum periisse.

Et aperto cranio inventus fuit *abscessus cum pure* admodum fœtente & corrupto. *Sebastianus Nasius meth. Med. part. 2. quæst. 16.*

ABscessus cum pure &c.) Imo ipsum cerebrum Apostemari posse quidam asserunt, quod aa posse pluribus *Conciliator* tractat, Celeberr. *Greg. Horstius* Operum parte 2. lib. 2. Observ. 4. exemplum adducit, Idem lib. 7. Observ. 14. ex *Joh. Bilgero* narrat Cerebrum apostematum ovi anserini magnitudine visum, extra calvariam ceruptum propendens, fermenti instar fermentans: Arrepto specillo, in cerebrum sinistri lateris apostematum intromissum usque quo postica capitis pars attingeretur, nullum dolorem intulisse, imo ne sensu quidem perceptum fuisse, ægro cum ingentibus convulsionibus X. die intereunte.

Observatio LVII.

Capitis dolor à gravi in cerebro abscessu, suppressionem saniei ex auribus manantis sequuto.

Filia D. N. manantem aurem habebat, suppressum id quod effluebat, dolor inde capitis ejusdemque gravitas: Nullis malum capitis cessit remediis. Mors. Inventus gravis in cerebro abscessus. *G. Ballonius Epidem. & Ephemer. l. 2. p. 270.*

Manantem aurem habebat) Quam periculi plena sit cohibitio manantis è cerebro per aurium meatum saniei, Vide infra tit. de *Aurium affectibus*: Novimus Virum Clarissimum qui obruso capitis dolore diu vexatus fuit, nec tamen munia & officia publica intermisit; Auris interim dextra saniem modicam effundebat, quæ vacuatio dolore ipso erat magis importuna: ideoque eam cohiberi curavit: Vix suppressam ingens capitis dolor sequutus, aphonia, convulsiones, ad diaphragma pertingentes & tertio die mors. Si aperiendi capitis fuisset potestas, proculdubio abscessus fuit deprehensus: Solutæ autem per abscessum auris Hemicraniæ exemplum habetur apud *Horstium* Observ. 10. lib. 2. Sexagenarius *inquit* incidit in gravissimum & diuturnum capitis dolorem: Supervenis gravis auditus ac vehemens auris internæ dolor pulsatorius, donec rupto abscessu purulenta materia per auris cavitatem profluerer ac vehementissimum dolorem terminaret: Abscessuum autem capitis varius est eventus prout proximi aut remoti sunt ab emissariis; qui enim ab iis sunt dissiti & intimas cerebri partes occupant, necis propemodum omnes sunt authores; ab aliis salus speranda si vacuatio sit ἀξιόλογος & materiæ copiæ analoga &c.

suppressum quod effluebat) Lethalis suppressæ saniei ex auribus manantis vide exemplum apud *Marianum S. Barolitanum* comm. in *Avicennam* de Exituris internis.

Observatio LIV.

Capitis dolor ab abscessu sub cranio: Duræ matris, Piæ & subditi Cerebri putredine, parvo spatio circumscripta.

Anno 1663. mense Octobri, per septimanas aliquot in Oppido Fenouillet, duobus milliaribus Tolosa dissito, juxta Garumnam, moram feci, Illustrem Priorem Collegii Sancti Martialis Tolosæ, educationi Nobilium egenorum destinati, curæ meæ commissum habens, cui lapidem ex vesica magno apparatu feliciter eduxeram: Interea oblatus mihi dives agricola, Claudius Bertrandus, dicti oppidi incola, annos 42. natus, de intenso capitis dolore prima visitatione conquestus, partem anticam & dextram sub coronaria sutura fatigante, quem ab insolatione contractum ajebat, Solis radiis diu caput simplici pileo contectum verberantibus, & nocte sequenti sub dio vigili traducta, unde postridie ægritudo emersit: Doloris capitis gravativi illico comites fuere febris ardens, nausea, rigor, vigiliæ, anxietas summa; oculi cor usfoabant & rubebant: Die v. accessit Phrenitis: Advocati in curationem Dom. Junseria, Facultatis Tolosanæ Medicus Aggregatus, & Dom. Sapotra, Granatæ, Oppido tribus milliatibus Tolosæ proximo, Medicinam faciens, qui remedia omnia ex arte præscripserunt: iis tamen irritis nona die mortuus est æger circa quintam vespertinam.

Cum paulò ante obitum per os, narem & aurem dextri lateris, pus fœtidissimum effluerer, de capitis apertione cogitatio incidit, quæ ultrò concessa est: Dempto ergo per me cranio, id conspectum venit Tumor avellanæ magnitudine, qui adapertus pus effudit fœtidissimum viridantis coloris: Dura & Pia mater putredine affectæ erant: Ulterius progressus ipsam substratam cerebri substantiam labem passam & fœtidissimam deprehendi, quæ ea parte à me resecta ad usque ventriculum anteriorem dextrum: Doloris sedes & circumscriptio assis Gallici magnitudinem vix excedebat: mirantibus D. D. Medicis & Mag. Iohanne Daiguebelle dicti oppidi Chirurgo perito, dissectionis testibus: *Ex communicatione M. Bally Chirurgi & Operatoris Genevensis peritissimi.*

Solis radiis diu caput &c.) Coacervatur sanguis in capite vel ob plethoram in corpore redundantem; vel eò allectus aut impulsus, ut à calore Solis, balnei, hypocausti, vel clamore, tussi, ictu, casu &c. Ab iisdem causis caliditatem concipit majorem: In primis vero in morbis calidis, quorum symptoma familiare cephalalgia est, ac præsertim in febribus, in quibus sanguis unà cum spiritibus, tum in majoribus vasis, tum in cerebro accenduntur: In plerisque ergo febribus capitis dolor & hac de causa, & ab evaporationibus molestus est; in quibus uti omnes corporis partes sic & cerebrum incalescit.

Observatio LV.

§. I. *De Capitis dolore ab Abscessu sub cranio latente.*

In vacuo illo spatio, quod inter Cranium ac duram cerebri meningem intercedit, inflammatur aliquando sanguis, suppuratusque in abscessum convertitur, cujus abscessus

duo animadverti genera, ut sedibus, ita subjecto, seu materia & causis multum inter se differentia: Prior istarum suppurationum fit in canalibus, seu sulcis duræ membranæ, tum anteriori seu superiori, qui ipsum cerebri corpus, amplo altoque hiatu à sese dehiscens, sub ductu suturæ sagittalis, notabili interstitio adusque callosum corpus in duas partes separat: tum posteriori, quo in occipitis regione cerebrum à cerebello distérminatur: In horum ductuum, seu canalium, alterutro, interdum verò utroque simul, restagnans sanguis, si plus justo calescat atque inflammetur, tandem in pus abit atque abscessum constituit: Inflammationis istius occasionem ibi, uti in aliis corporis partibus, variæ causæ præbere possunt: *sed quum nobis propositum non sit speculationibus indulgere, nec quid fieri queat exquirere, sed quæ facta scimus fideliter repræsentare, reliquis omissis, de iis loquamur, quas ipsi observavimus, ubi iste morbus sese nobis obtulit:* Fit igitur hæc inflammatio quando sanguis iste multa salsæ pituitæ admistione infectus, ac plusquam par est calefactus, amittit eodem rempore beneficium ventilationis per compages suturarum, aliosque cranii & circumjectorum corporum meatus isti officio destinatos, per vehementem subiti frigoris incursationem densatos ob structosque. Largiori autem talis pituitæ in stam partem affluxu atque acervationi, obnoxii sunt qui per aliquot annos experti periodicam coryzam, seu catarrhale per nares profluvium, postea solenni hoc evacuationis genere privati sunt, eoque diu caruerunt: unde fit ut serosi ac pituitosi humores, statis temporibus pro solito in caput delati, nec consueto olim itinere foras prorrui, alias sibi vias moliantur, ac postremò in prædictos duræ meningis canales regurgitantes, atque permixti sanguini, quem vel invenerunt ibi, vel secum detulerunt, effervescere eum faciant, ac majori quam antea ventilatione indigere: ut mirum non sit si defraudatus eadem tempestate, ob capitis perfrictionem, transpirationis beneficio, exæstuet penitus ac inflammetur, & inflammationem, ut fieri solet, suppuratio subsequatur: Fit autem fere ista inflammatio ac suppuratio, non simul ac universim, sed sensim ac per partes, unde aliquando ægrius initio cognoscitur.

Cerebri functiones ac mentis sensuumque actiones, hoc morbo nequaquam vitiantur aut interpellantur, somnus duntaxat corrumpitur, ac perpetuæ ferè vigiliæ infestant, ob doloris assiduitatem, qui non quidem dirus immanisque, admodum tamen molestus & cruciabilis, ac semper ferè sui similis, noctu, atque interdiu, pari fermè tenore ægrum divexat: unde tandem febricula quoque, quæ primis diebus nulla, accersitur, appetitusque prosternitur; Capitis à principio magna adest gravitas, ac si grandi aliquo pondere premeretur, & calor major quàm reliquo corpore: quibus omnibus signis peritus ac sagax Medicus haud difficilem hujus mali conjecturam capere potest, idque à reliquis capitis affectibus ac doloribus discriminare: Omnem verò dubitationem illi eripiet præcipuum hoc ac pathognomonicum signum, quòd, uti in Empyemate pro decubitus ratione, pus modo ab intersepiente pectoris membrana, seu mediastino ad costas, modo ab his ad illam provolvitur, ita hic quoque materia vitiosa, pro vario capitis situ huc atque illuc impellitur, vel à fronte ad occiput, aut contra, si in canali illo sub sutura sagittali subsistit: vel ab uno occipitis latere ad alterum, si ibi stabulatur: vel utroque modo, si ambos canales occupavit.

Medicus si tempori satis advocetur, omnibus modis id operam dare debet ut ne ad suppurationem deveniatur: Itaque sanguinem ex alterutrius brachii cephalica detrahet copiosè, idque repetet semel atque iterum, si vires ferant, justis temporis spatiis interpositis: cucurbitulas grandes lateribus cervicis ac scapulis apponet cum magna flamma, siccas primùm dein scarificatas: Purgabit plus semel (injecto prius, si adstricta sit alvus, uno atque altero clystere) blandius primùm, Senna, agarico, mechoacanna, Jalappa, gummi Gambodia, Mercurio dulci: deinde valentiùs, elaterio, colocynthide, diaphœnico, pilulis Cocciis, turbetho minerali, prout quodvis istorum in rem præsentem aptius videbitur: ubi autem corpora non fuerint ferendis vehementibus istis, tota purgatio peragi poterit decocto concinnato ex betonica, salvia, majorana, roremarino, stœchade, senna, cnici semine, agarico, turbetho, jalapa; cujus bini terve haustus in diem exhibeantur, per tres quatuorve dies continuos: Interea non negligenda quoque topica, ablatis prius capillis: ubi summa cautione opus est ne nudatum crinibus caput novi frigoris incursione amplius lędatur, atque ita malo, cui remedium quęritur, vires addantur: In Topicis hic adhibendus delectus, ut & devitentur refrigerantia insigniter ac repellentia, ne magis etiam impediatur transpiratio, ac materia impingatur: & valenter discutientia, ne calore immodico attrahant plus in locum laborantem quam discutiendo inde evacuent: Bene itaque faciet decoctum serpilli, verbenæ, hederę, betonicæ, semen papav. albi cum oxyrrhodino & camphoræ momento; admovendum tepidum in pannis, lanis succidis, aut spongiis, post longam, sed clementem capitis frictionem; ungendi à fotu olei rosacei ac chamæmelini paribus portionibus inter se permistis.

Quod

Quod si serius ad ægrum accesserit Medicus, aut omnibus ritè administratis nihil profecerit, nec suppurationem impedire potuerit, sciat de cætero totum negotium naturæ committendum, adhibita tantùm diligentia nequid ab ægro fiat unde in opere suo interturbetur; id quod solicitè si observetur, solet ipsa toto negotio ritè defungi, ægrumque tandem in integrum restituere: Quippe puri jam per cocto viam sponte quærens, idque per nares ferè expellens, sensim itnac evacuat ita, ut tandem nihil ejus reliquum fiat: quod certum quidem ad salutem iter, tædii tamen ac molestiæ plenissimum est, cùm in multos dies, interdum verò complures quoque septimanas, soleat extrudi: cujus temporis maximam partem pleraque aut omnia symptomata perdurant; cum nulla aut exigua remissione; Quod si hac via se exonerare, aut omnino non tentaverit natura, aut ægri errore aliquo impedita fuerit quo minùs id peragerer, in summo discrimine res versatur, neque aliud remedium superest quàm ut perforato in idonea regione cranio, frustuloque ejus exempto, exitus materiæ pateat: quæ curationis ratio, si cum viro forti atque corporis bene constituti res sit, æque certa est ac tuta ac prior illa sponte naturæ suscepta, multoque breviori tempore patratur: Sin verò hanc quoque curationem aut ægri pusillanimitas renuerit, aut Medici prudentia, ob ejus imbecillitatem aliasve causas, non attentandam censuerit, omnino pernicies præ foribus est, neque aliud quam certissima mors expectanda: Quippe vel sola doloris, vigiliarum, aliorumque malorum symptomatum assiduitas, ægrum tandem conficiet: & si hoc non foret, tamen aliunde etiam exitium imminet: quum fieri non possit quin purulenta ista materia, intra cranium penitus conclusa, procedente tempore membranas ipsamque cerebri substantiam labefactet, & novo atque atrociori morbo, ad priorem adjuncto, miserum ægrum jugulet.

Ex hac observatione discere obiter licet, inflammationem atque *suppurationem* neque in Tumorum genere necessario collocandas esse, uti vulgò ab omnibus fit Medicis: nec accidere semper parti alicui corporis, multò minùs solis carnibus, aut partibus carnosis, sicuti acriter & verbosè à multis disputatur; quum clarè hic appareat eas *in ipso per se sanguine*, vel sincero, vel aliis humoribus mixto interdùm consistere: cranium enim & meninx in hoc casu, non pro parte affecta, sed pro loco simpliciter continente haberi debent: quod ipsum quoque locum habet in omni vomicarum genere, ad quarum classem pertinet altera Abscessus Hypocranici species, de qua sequenti observatione acturi sumus.

Experientissimus Medicus *Lazarus Riverius*, mense Aprili anni 1646. in observationibus à Petro Pachequo communicatis observat. 38. loquitur de tribus capitis abscessibus, qui omnes, si quis rectè circumstantias consideret, videntur inter cranium ac duram meningem constitisse: Quare etiam abscessus Hypocranici, à capitis contusione aut allisione facti, ferè lethales sunt, ut in omnibus illis tribus apparuit; Quo etiam referendum videtur; quod idem Medicus observavit 18. observ. Quotquot vidit ex casu per aures saniosam materiam reddere, omnes de medio sublatos fuisse: Quum abscessus isti ab internis causis orti, de quibus proprie egimus isto capite, haud raro salutariter terminentur, ejus rei haud difficilis est periti, conjectura. *Arnoldus Boottius de Affect. omissis cap. 1.*

S*peculationibus indulgere*) Hinc collige ab *αὐτοψίᾳ*, aut propria, aut fide dignorum hæc tradidisse, non conjectura tantum aut suppositione adstruxisse.

Suppurationem interdum in ipso sanguine consistere, &c.) Consentaneè *Hippocrati*, qui 1. de morb. mul. menses purulentos evadere ait ubi duobus aut tribus mensibus moram fecerint; Idem asserit lib. de loc. In Coac. 324. 524. 537. 542. Item lib. de Nat. Pu. *Est ubi*, inquit, *Sanguis quinque aut sex mensibus in utero immoratus, ibique putrescens in pus vertitur, quod quibusdam per pudendum extra fertur.* Quod citra abscessum & ulcus contingere certum est: Id & in urinis cernitur quæ sæpe purulenta secum evehunt ejusmodi absentibus causis: Alvus quoque humores puriformes deponit in iis quibus longæ & maximæ fuerunt mesenteriæ obstructiones: nam humores qui pepasmum admittere non potuerunt, tandem in mucorem vertuntur pus referentem: Idem in capite accidere verisimile est, atque huc quadrare videtur aphorism. 10. sect. 66. *Caput dolenti, & vehementer laboranti, Pus vel aqua, vel sanguis per nares, aut os, aut aures effluens, morbum solvit*: *περιωδυνέοντι* vertunt vehementer dolenti, ut Abscessus in cerebro suspicionem faciant, quasi citra illam causam pus in cerebro gigni non possit. Melius *Circumdolenti* verbum id reddideris, quo dolor late diffusus & vasorum ambitu conclusus intelligatur, non secus ac aqua vel sanguis similem dolorem invehentes: Revera abscessus cerebri utplurimum funesti sunt; qui periculum declinant, id contingit quia ii cerebri emunctoriis proximi, naribus, auribus, palato, iique exigui, magni enim impunè non feruntur; Ferè autem dolorem angusto certoque loco circumscriptum pariunt, non toto capite diffusum.

DE VOMICA HYPOCRANICA.

§. 2. Reperitur quoque alterum inter cranium ac meningem Abscessus genus, in diversiore capitis parte, ad alterutrum latus, secus ossa petrosa oriri suetum, non ex sanguine cum alienis humoribus affatim permixto, uti illud modò explicatum, sed ex mero simplicique (qualis in venis continetur) idque inter cystin propriam; cujusmodi abscessus peculiari nomine Vomicæ appellantur. Origo illi ab externa violentia, validóque capitis ictu

aut allisione, unde rupta aliqua ex venulis cranium vel meningem perreptantibus, aut hanc illi alligantibus, sanguinem in intermedium spatium profundit; cui solers natura confestim tenuia quædam ex ipso fila deproperans, ac undique retis instar circumtendens, iisque alia super aliis interserens, ac obliquis quoque transversisque fibris omnia inter se firmiter atque arctè ligans, eodem artificio quo membranæ in utero semini genitali statim à conceptu circumdantur, parvo temporis spatio detexit firmum densúmque folliculum, intra quem conclusus cruor, paulatim à statu suo demutatur, atque in pus excoquitur: hic Abscessus, seu folliculus pure plenus, semper una in sede stabilis permanens, quum neque evagandi spatium detur, ut emissis quoque quibusdam filamentis vicinæ meningi alligetur, efficit in eo latere, in quo consistit, jugem cujusdam ponderis sensum, ac molestissimum dolorem à compressione ac distensione meningis, cui à latere incubans, eam longius à cranio divellit, atque, ut sibi locum faciat, ad interiora impellit obnixam, inque antiquum ac naturalem statum redire semper adnitentem: Hujus mali, si omnia attentè examinentur, cognitio handquaquam difficilis est, curatio verò à Medico nequicquam speretur: quandoquidem cranii perterebrationem, quæ sola ei succurrere posset; nullo modo hic moliri licet, ob ossis petrosi naturam constitutionemque, isti perforationi, variis de causis, cuivis Anatomiæ perito sponte obviis, penitus ineptam: quòd si ulteriùs in osse sincipitis eandem institueris, frustra ægrum excarnificabis; siquidem distantia, ac situs incommodiras, præpedient ne ullus inde ad extrahendum abscessum fructus capi queat: Medico tamen necessarius scitu hic est casus, ut si quando ei se obtulerit, possit existimationem suam tueri, noscénsque haud suæ opis rem esse, absistat vana, nihilque profutura curatione, ægrum torquere: cui hoc tamen in rebus mœstis solamen superest, quòd sicuti pestem in capite circumgestat, humanis præsidiis omnino insanabilem; ita fortè casu improviso, ubi Deo visum fuerit aliquando ab eo liberabitur, id quod cuidam civi Londinensi haud ita pridem usu venisse compertum habeo.

Hic quum ad sex septemve annos ista ærumna laborasset, & plurima in Medicos, utpote in re lautissima constitutus, erogasset incassum, cum vix quisquam, ut in affectu insolenti, exploratum haberet ejus malum, plerique verò ne tenuissimam quidem ejus suspicionem animo conciperent, quodam die dum in publico obambulat, illisa est in aurem ejus lateris, in quo molestos illos ac diuturnos cruciatus perpetiebatur, grandis pila sive follis, qualibus per hiemem ac gelu, (erat ea tempestas anni) Londini alisque Angliæ locis, in plateis ludere pueri consueverunt. Felix hic ictus suo impetu, ac capitis concussione, rupit vomicæ cystin, unde prosiliens affatim pus viam sibi vi fecit in auris meatum, per quem copiosè ac subitò foras profluens, momento ægrum omni dolore liberavit, atque pristinæ sanitati, tot jam per annos in omne deinceps ævum desperatæ, inopinantem restituit, & vixit postea incolumis valénsque, nullis prioris mali vestigiis reliquis; quanquam cysti intus relicta, sive ea pòst excussum omne pus, penitus exarefacta & levissima effecta, desiit meningi molesta esse: sive ipsi sensim agglutinata, tanquam eogener substantia, in unum cum ipsa corpus coaluit, sive alio quopiam modo obliterata est. *Idem ibidem cap. 2.*

Observatio LVI.

Cephalæa à substantia quadam callosa in cerebro.

Dissectum fuit cadaver mulieris in Xenodochio Aquensi, In cujus cerebri substantia, prope meninges, fuit reperta quædam substantia callosa in cerebro, quæ ea vivente perpetuæ *Cephaleæ* fuit occasio. *Iacobus Fontanus Pract. lib. 1. cap. 3.*

Observatio LVII.

§. Capitis dolor ab ossiculo duram meningem pungente, & abscessu purulento in cerebri substantia.

Rusticus phalange in palpebram superiorem oculi sinistri vulneratur, Hic ob imminentem capitis dolorem Chirurgum accedit; Die vero IX. obiit: cranio aperto, interius orbita oculi ita erat læsa, ut officulum, in duram meningem dilacceratam imprimeretur: Sub tenui abscessus purulentus latitabat, &c; *Vide Tit. de Soporosis aff. ex Horstio.*

Observatio LVIII.

§. Capitis gravitas ab abscessu in anteriore cerebri parte.

Mulier aliquot diebus gravitate capitis laboravit, tandem adeo somniculosa facta ut excitari non potuerit: cranii osse sublato, abscessus in anteriori cerebri parte repertus, &c. *Vide Tit. de Soporosis affectibus, Ex Dodonao.*

OBS.

Observatio LIX.

Capitis dolor, vulnus sequutus, à pure supra membranas & cerebrum effuso.

Quidam leviter vulneratus media capitis parte. Tribus post mensibus dolor capitis subortus est, loco vulneris inflicti, in quo jam ad cicatricem deducto, nihil apparuit. Secta post mortem calvaria, pus supra Membranas & cerebrum apparuit. *Vide lib.4.tit. de Vulneribus.*

Observatio LX.

Capitis dolor à phlegmone ingenti intra calvariam excitata; dura meningis inflammatione, puris copia.

Mulier in capite percutitur, relicto minimo ac contemnendo vulnere. Tertio die Dolor gravis sequitur, febris, &c. Ingens phlegmone intra calvariam inventa; Dura mininx tumens, dura, livore affecta & ingenti puris copia suffusa. *Vide tit. de Vulnerib. l. 4.*

Observatio LXI.

Dolor continuus à tumore juxta processum mammillarem.

Poteft nasci tumor p. n. in substantia cerebri, quod contingit, cuidam Damicellæ Dignensi; Ei námque juxta processum mammillarem natus erat tumor ab humore tenui, bilioso, cysti concluso, à quo dolor continuus profectus ad mortem usque comitatus est. *Iacobus Fontanus Tract. lib. 1. cap. 3.*

Tumoris insignis supra callosum corpus geniti, non capitis dolorem, sed stuporem & hebetudinem præ mole sua inducentis, *Vide Exemplum Tit. de Mentis stupore.*

Observatio LXII.

Capitis dolor ab Hydatidibus obortis circa temporales arterias.

Puer præceps in caput ceciderat, inde domum delatus maximis cœpit urgeri capitis doloribus, tandem *apoplecticus* obiit, &c. Illi circa temporales arterias hydatides repertæ quamplurimæ, quarum pars incrassatis humoribus, atheromata, pars steatomata, alia meliceridas referebat. Vide lib. 4. tit. de vulneribus.

Observatio LXIII.

Capitis dolor à Tumore globoso in cerebro, Aqua plurima per id diffusa.

Gallus quidam dolore capitis correptus est, post cœcus, &c. evasit, Aperta calvaria invenimus cerebrum aqueo copioso humore irriguum: Præterea tumor seu globus quidam adfuit, glandulæ seu strumæ instar inclusus in cerebri substantia. *Vide tit. de oculorum affectibus.*

Observatio LXIV.

Capitis dolor ob tenuis meningis cum crassa concretionem.

Iuveni (de quo Tract. de soporosis affectibus) Cranii superiore parte dempta, anterius sub fronte, dura mater admodum rugosa apparuit, acsi ibi à flatu vel aqua distenta fuisset. Dura matre à crista galli utrinque juxta sinum tertium ad sinus laterales incisa, vidimus in sinistro latere sub osse syncipitis versus tempus, duram matrem tenui meningi, fere dimidii daleri amplitudine, præter naturam intermediis fibris validissimis accretam fuisse; ob quam concretionem sævam proculdubio diu cephalalgiam sustinuit. *I. Iac. VVepferus Exercit. de Apoplexia p.* 430.

Observatio LXV.

Meminialium Academicum, qui post diuturnam Hemicraniam, sub sutura temporali per tres septimanas; eum perpetuò & gravissimè affligentem, in Apoplexiam brevi funestam incidit.

Capite apertô Phlegmon juxta locum dolentem in meningibus accreverat, à qua demum suppurata & disrupta, sanies in cerebrum decidens substantiam ejus livore & putredine affecerat. *Th. VVillis Tract. 2. de Anima Brutor. cap. 2. p.* 286.

I*N Apoplexiam incidit, &c.*] Quanquam cephalalgia continua, (præsertim si in plures septimanas sine intermissione producatur) periculo non vacat, attamen de curatione ejus non illico desperandum est, quoniam hujus causa, utut fixa, sæpe longo remediorum usu, imò interdum sine illis, natura & tempore sanatur, utcunque in casu fere deplorato medicina quadam opus erit, ne præsens affectus in deteriorem, nempe soporosum aut velut convulsivum transeat. *Idem Ibidem.*

Observatio LXVI.

Frontis dolor æstuosus, à cerebri & membranarum dispositione inflammatoria, sequuta puncturam membranarum & cerebri.

Brederus (*Vide hist. l. 4. Tit. de vulneribus*) vulneratus circa os frontis: At vero cum ictu isto cranii particula de lamina interiori omnino per meninges in cerebri substan-

tiam transadacta esset, fieri non potuit quin paucos post dies pars læsa inflammationem pateretur, quam ob causam ingens æstus imprimisque capitis subsequebatur. *Greg. Horstius Tom. 2. l. 2. Observ. 1.*

Observatio XLVII.

Cephalalgia à Tumore scirrhoso membranis cerebri accreto è latere Sinus tertii, Et Aqua liquida anfractus alluente.

MUlier quinquagenaria postquam per sex circiter menses gravissimo capitis dolore, sub sutura sagittali eam perpetuò ferè molestante, nullisque medicamentis aut methodo cedente laborasset, tandem in *Lethargum* cum membrorum *Resolutione* partiali incidit, à quibus tamen per remedia tempestivè adhibita brevi recuperata, in cephalalgiam uti priùs atrocem expergiscebatur: porrò deinde intra duas vel tres septimanas in affectionem soporosam relapsa è vita discessit.

Craniô apertô è latere sinus tertii, Tumor scirrhosus tres digitos latus membranis accreverat cujus interventu & dura meninx aliquantò spatiô piæ accreverat, Et vasa sanguifera, quæ illic in sinus cavitatem dehiscere debuerunt, constipabantur. Porrò Cerebri anfractus tum exteriores, tum cavitas interna, fuerunt aqua limpida repleta.

EX his observatis, morbi istius invincibilis & demùm lethalis causa liquidò patebat, scilicet meningum fibræ maximè sensiles, partim ob solutionem continui, partimque ab humore nervoso ibidem aggesto & stagnante simúlque ab aliis affluis, cumque eo effervescentibus, continuò vellicatæ & lacessitæ, in spasmos aut distensiones dolorificas perpetuò ciebantur. Postea cùm sanguis propter Tumorem istum in circuitu sat diu præpeditus, ut quoquo saltem modo pertransiret, laticem serosum (uti mos ejus est ubicumque obicem offendit) à se copiosè amandaret, tandem hydrops cerebri, qui lethargi funesti causa erat, excitabatur: Casum in alio quodam huic similem me quondam per Anatomiam observasse memini. *Thomas Willis Tractatu de Anima Brutorum cap. 2. p. m. 281.*

Observatio XLVIII.

Capitis dolor à Gummatibus duræ matri inhærentibus.

NEc miranda cranii caries: In theatro enim Anatomico Patavii anno 1651. à V. C. Antonio Molinetto aperto capite rustici lue venerea inquinati, tria Gummata candida inhærebant duræ membranæ, Pia illæsa, cujus vestigia in calva corrosa erant conspicua. Talia etiam tradit Lud. Mercatus *de morbo Gall. l. 2. c. 6. Joh. Rhodius Observ. 33. l. 1.*

GUmmata) Præduri sunt tophi, de quorum generatione videndus Fernelius cap. 5. lib. de Lue venerea: Consulendus quoque Mercatus l. c. qui exactè ejusmodi tumorum naturam & differentias persequitur; Quanquam verò doloris capitis in allato exemplo nulla fiat mentio, absuisse tamen non verisimile est, cùm cephalalgia luis soboles eis ferè adscribatur: Innoxiè quomodo delitnerit, saltem circa generationis primordia, non videoin parte eximio sensu prædita, Apud *Forestum* lib. 10. Obs. 53. Bononiæ Sartor, post cranium ablatum, grano quodam duro sub cranio latitante ablato, illico sanatus fuit. Alibi ex *Willisio* ostensum capitis dolorem pertinacem plerumque fequi ad membranarum cerebri morbos confirmationis, tubercula, tumores scirrhosos, &c.

Observatio XLIX.

Caphalalgia orta ex gangræna duræ meningis, à sutura coronali usque ad frontem, excitata ab osse acuto in medio cerebro circa falcem latente.

CApitaneus obsidioni civitatis intentus, aphonus ex equo repente cecidit: an ex vehementi transeuntis prope caput tormentarii globi boatu, (ut referebat) an ex timore, non interpono meum judicium; tandem ad se rediens, semper de dolore obtuso capitis & aurium tinnitu conquerebatur: Post sextum annum *Herculeo morbo* præventus, irritis omnibus auxiliis, exuvias victori dedit.

Aperto capite, dura meninx à sutura coronali usque ad frontem, gangrena fuit detecta, & in medio cerebro per falcetam dissecto, latuit sat magnum os, ad instar lapidis stellati acutum, quod suo acumine membranæ inflammationi atque corruptioni dedit occasionem, nullo animadverso signo quondam disrupti cranii, aut cicatricis relictæ: An à nativitate cum crescente cranio creverit; An post casum tantum suæ generationis contraxerit principia, pro nunc aliis disputandum relinquo. *Ant. de Pozzis in miscell. curiosis Ann. IV. Observ. 35.*

Observatio LXX.

Capitis dolor ob tumorem & elevationem duræ meningis; Arteriarum ejus repletionem; Tenuis crassitiem; Serum copiosum per cerebrum diffusum, &c.

VRula Pulen Frizen sanguineophlegmatica, circa 37. ætatis annum iterum gravida, diu continuos eóque sævissimos capitis dolores passa est cum vertigine: 4. mense conceptionis mane è lecto surrexit, humi sedit, ac caput manibus suffulciens, de consueto capitis dolore conquesta est, atque malum quoddam gravissimum sibi imminere prædixit; &c.

Mortuæ temera cranii olla, dura meninx tumida & elata erat ac si flatibus distenderetur, ejúsque arteriæ sanguine turgidæ: Sublata dura meninge tenuis ita omnes anfractus colligavit & æquavit, ut tota cerebri superficies lævis & æqualis apparuerit, crassiorque debito fuerit: Ista saucia, ex omnibus anfractibus, tam dextri quam sinistri lateris, copiose serum emanavit: vasa sanguifera tenuis meningis ubique majora & sanguine pleniora, &c. *Vide Histor. integram Tit. de Soporosis affectibus ex I. Iac. VVepferi Observ. de Apoplexia XV.*

CEphalalgia sævissima, cum vertigine juncta, circa principium conceptionis mense Ianv. 1661. incipiens, & post fœnisecium 1662. perdurans; causam vehementem stabilémque, quæ meninges, solas doloris capaces, afflixerit, simúlq; spirituum animalium motum aliquomodo in cursu suo impedierit, adfuisse annuit: Quænam verò illa fuerit, dubium est: meningem tenuem multa à longo tempore passam fuisse, ejus insolita crassities significat, eóque magis quia anfractuum superficiem æquavit, lævemque & planam primo intuitu sectio ostentavit: Sero sub illa contento dolor attribui non potest, quamvis enim post obitum multum seri intra anfractus sub illa post obitum repertum fuerit, attamen cephalalgiam nullam, vel certe non tam vehementem ab autumno 1662. ad Febru. 1664. effecit, quantam antea pluribus mensibus pertulit. Flatus meninges quandoque distendere ex hac sectione constitit, nam dura meninx tumida & quasi inflata, & forte quoque tenuis meninx a cerebro avulsa fuit, unde superficies planior à nobis visa: Verum flatus nec continuum nec tam durabilem dolorem excitassent: Mucus croceus tres ventriculos & plexum choroideum tingens, itidem causari nequit, cum pridem sublata cephalalgia & vertigine persistiterit, nec forte tantos cruciatus gignere valuisset: Ichorem suberuentum recenter exstillasse arbitror, cum illum in aliis delirantibus, & febri continua defunctis his in locis reperetim: Sanguinem in arteriis utriusq; meningis Doloris capitis & vertiginis authorem fuisse, tum imprimis venæ sectio crebra; qua copia & fervor imminuebatur, verè scilicet, æstate & autumno, singulis mensibus, & hyeme alternis mensibus largior instituta cum emolumento, doloris scilicet mitigatione & vertiginis ablatione probat, tum in cadavere vestigia in utraque meninge indigitant, nam vasa sanguifera ampliora videbantur: Effecit autem dolorem dum in vasis copiose stagnans ob cursum liberum, ad sinum præcipue tertium præpeditum, membranas exquisito sensu præditas nimium distendit, intusque medullosam substantiam aliquantulum coarctavit simolque vertiginem peperit. Quia in corde pituitosa corpora; quæ ramos longius protruderunt, reperiimus, forte quoque tale, vel simile quodpiam ex lacticiniis, (quibus ordinariè vescebatur) progenitum, in sinubus impedimentum latuit, nisi demum hæc ob cachexiam, post largas sanguinis profusiones in corde nata velimus, cum talia plerumque in cachecticis inveniantur: Sanguinem copiose cumulavit ob lautiorem victum & vitam sedentariam, nam incolæ horum montium maximam partem fila trahendo traducunt, & in hypocaustis præfervidis commorantibus sanguis incenditur, attenuatur & ampliatur, unde vasa nimium dilatata instar aneurismatis, vix ad pristinam gracilitatem redeunt & pertinacis mali causa fiunt: Sanguinis abundantiam auxit mensium suppressio post conceptionem. *Idem ibidem.*

Observatio LXXI.

Capitis dolor à Tumore scirrhoso Piæ matris, Ichore inter meninges & cerebrum.

AMedeus XL. annos natus, biennio variis per intervalla morbis, Dolore capitis, Ictero &c. afficitur; Mortui dura matre detracta, Tumor scirrhosus & latus in pia matre ad sinistram falcis partem repertus: Hæc fuit causa doloris capitis *qui totum biennium perseverarat.* Inter meninges & cerebrum ichor multus: Vide histor. l.3. Tit. de cachexia: *Fabritius Hild. cent. 1. Observ. 71.*

QUi totum biennium perseverarat] Cephalalgia habitualis aut Continua est aut Intermittens. Interdum accidit quempiam dolore capitis Continuo, per plures scilicet dies aut menses prorogato atque parum aut nihil, nisi cùm somnus urget intermittente affligi; quô in casu supponimus non modo causam procatarcticam, sed & conjunctam alicubi fixam esse & constantem: Præterquam enim quòd partes affectæ, aut quæ subinde affici solent, sint debiles, & liquor earum irriguus, utpote depravatus, stagnare aut cum aliis humoribus effervescere aptus fuerit; insuper in illis quædam solutio continui, nempe inflammatio, erysipelas, abscessus, tumor scirrhosus, aut alius cujusdam generis excitator non rarò, circa quem dum humores diversimodi concurrunt & aggeruntur, propter fibras nerveas continuò vellicatas, dolores fere perpetui oriuntur; Hujusmodi cephalalgiæ non rarò in affectus soporosos & tandem lethales terminantur: nam cùm ploriom ab hisce affectibus defunctorum capita aperuerim, signa sive vestigia prædictas ejusmodi causas morbificas declarantia apparebant. *Thomas Willis de Anima Brut. part. 2. cap. 1. p. 261.*

Observatio LXXII.

Capitis dolor à coalitu meningum, Sanguinis liberum excursum præpediente.

DEfunctorum capita, qui dum in vivis agerent cephalalgiæ miserrimæ erant obnoxii, aliquoties aperui, in quibus juxta sinum longitudinalem, ubi dolorum sedes erat, pia ac interior meninx duræ ac exteriori, per aliquod spatium, sæpe duos digitos latum, accrescebat, & coalitione sua tumorem asperum & inæqualem excitaverat, in quo vasorum oscula ita penitus obserabantur, ut sanguini, licèt plurimùm ebullienti, in sinum propinquum nullus aditus relinqueretur, *VVillis Cerebri Anat. cap. 9.*

C*ephalalgiæ*] Cephalalgias quæ propter piæ matris labem eveniunt, excitari censemus in quantum hæc à sanguine supra modum ebulliente, ejusque poros irruente, continui solutionem patitur, adeoque in spasmos leviores contrahitur. *Idem Ibidem.*

In Sinum propinquum &c.] Vasa duram meningem perreptantia aut Arteriæ sunt, quæ sanguinem adducunt: aut Venæ, quæ sanguinem illinc, ac à toto capite interiore superfluum excipiunt, ad cor revehendum: Quatuor autem venas, aut vasa venosa insignia continet, in quæ veluti alveos arteriarum, toti cerebro inservientium, rivuli omnes decurrunt; Nempe in hac meninge quatuor insignes cavitates, vulgo Sinus vocatæ, notantur, eô modô dispositæ, ut velut promptuaria in diversis locis constituta, sanguinem è quolibet cerebri regione & angulo recucendum excipiant: Arteriarum ergo officium cùm sit sanguinem nutritium cum vitali spiritu, mensura, numero & pondere justo distribuere; Excrementa sanguinis debito modo suis offerre emissariis, superfluumque sanguinem cum residuis excrementis, humorosis vel vaporosis, revehendum committere venis; Eô si funguntur, omnia rectè procedunt: circulatione hac impedita, sanguis meningibus impactus qui manet, doloris capitis differentias, ceu corpus umbram, post se trahit: Impeditur autem cùm à sinu in sinum sanguinis excursus liber non est, quod in proclivi est ab hac meningum coalitione.

Observatio LXXIII.

Capitis dolor ab inflammatis cerebri membranis, Abscessu in parte cerebri Sinistra, cum Suturarum in cranio defectu.

ORnatissima Matrona Elizabetha Erot, Uxor Johannis Notry Horologiopæi Lugdunensis, annos nata XXIII. Eusarca, bonæ formæ, staturæ commodæ, crine subflavo densissimo, leni animo, &c. Nonum tertiæ suæ graviditatis mensem paucis abhinc diebus ingressa, immani capitis dolore, eoque ejulabundo premi cæpit, circa ultimos mensis Novembris dies, hujusce anni 1673. Quo nomine ad ad ipsam accersitus fui postrid. Kl. Decembr. St. N. Accedens mitè inquietam ac plangentem mulierculam offendo quanquam ἀπύρετον. Dumque in causam & sedem tantorum dolorum inquiro, tum ex ipsa, tum ex adstantibus accipio, à multo tempore cephalalgia vexari solitam, nunquam tamen tam gravi quàm impræsentiarum, imò pathos hujusmodi σύντροφον καὶ συναυξὲς ipsi fuisse, à septimo vel octavo ætatis anno, quo Variolis fuerat conflictata: à quo etiam tempore auris sinistra ipsi purulentam materiam perpetuò hactenus eructatat, quæ nunc longè parciùs quàm soleret, effluebat. Percontatus qua parte præcipuè dolitaret caput, medium sincipitii verticem manu designabat, quam partem astantium palmis vehementer comprimi avebat in doloris solatium. Infuso enemate, cùm alvus esset astricta, missoque ex brachio sinistro sanguine longè corruptissimo, necnon fotu lactis tepentis supra caput instituto, detonso priùs capillitio, injectione item in aurem sinistram detergente præscripta, tentavi dolorem placare. Die septima mensis iterum vocor, video dolores non modo non remisisse, sed increvisse, & mulierem tremulo brachiorum motu σπασμῶδες aliquid pati: denuò itaque & enema repeto, & è brachio missionem cruoris; qui corruptissimus apparuit, æquè ac præcedens. Postridie partus dolores invadunt, & circa sextam matutinam puellum sanum ac vegetum feliciter enititur. Tunc verò spes affulgebat plerisque omnibus, dolores capitis per lochiorum effluxum conquieturos, ideoque totum negotium Naturæ magisterio relinquendum. Verumtamen die Decembr. XVI. & XVIII. accedens, pessimè solitis doloribus capitis confectam video, cum motibus illis utriusque brachii convulsivorum æmulis. Infuso enemate, Catapl. de mica panis impero capiti super imponi, deinde Catapl. Vigonis ad commorionem cerebri. Sed artem atque naturam vincente dolorum acerbitate, occubuit tandem repentè optima fæmina, die 19. ejusdem mensis circa septimam matutinam.

Funesta hujusmodi catastrophe ad investigandam mali causam nos excitavit, quam Cerebri abscessum conjectabamur. Quapropter sub vesperam cadaver apertum fuit, & primò quidem Caput. Cranii ergo fornice remoto, quem ἄῤῥαφον totum deprehendimus,

ambo

ambo Cerebri omenta inflammata conspicati sumus, quibus incisis, abscessum statim deteximus, in parte sinistra Cerebri stabulantem, peculiari quidem folliculo involutum, sed quem paulò ante sponte ruptum subitæ necis causam fuisse judicavimus. Processum auricularem ossis petrosi, intra cranii cavitatem conspicuum, dura meninge adhuc tectum, ea remota observavimus sublividum ac cariosum, ita ut specilli cuspide tactum in pulverem nullô negotiô comminueretur: Quod ad truncum corporis, nihil in ipso desideratum: Hepar amplissimum erat, Lien parvus, Pulmones ac Renes inculpati, Cor maximum, quale nunquam hactenus nobis visum: Uterus crassus tres pollices transversos circa fundum, & sanguine adhuc turgidulus, dum incideretur apparuit: qua vero parte versus orificium internum tendebat dissectus, candidiorem & αἱμόσαχεν substantiam exhibuit. *Ex communicatione benevola Clarissimi & Excell. D.D. Car. Sponii, Regis consiliarii, Vice Decani Facultatis Medicæ Lugdunensis.* &c.

Percontatus qua parte præcipue delitaret &c.) Contingit nonnunquam ut diffuso per totum caput dolore διαγνώσεως τεκμαρσις vacillet, neque adeò exacte dignoscere valeamus in quonam loco stabuletur humor morbificus: Id tali conjectura investigandum: derasò capillitio capiti toti admoveatur cataplasma: hoc post aliquod tempus ablatum, qua parte magis exsiccatum apparebit, ibi latitare causam morbificam ostendet.

Dum in causam & sedem tantorum dolorum inquiro) Ad causarum cognitionem ut faciliùs deveniamus, duo primum contemplanda sunt, id vid. In quod dolor incidet, & quod illum inducit: Ille igitur vel per universum caput sparsus est, vel ejus aliquam tantum partem affligit, eaque vel Interna vel Externa est, Internas voco membranas, aut cerebri substantiam, vel venas, arterias, nervos: quarum aliæ sentiendi acumine magis, quædam minus præstant: quæ exquisitiùs sentiunt, meninges & nervos esse non est dubium, indeque doloris molestias vehementius percipere: Sed de arteriis, venis & cerebri substantia non adeò manifestum, eùm gravem & obtusum dolorem tantùm, qui partibus imbecillo sensu præditis accidere consuevit, persentiant: Neque enim iis partibus sensum omnino detrahete convenit, cum Galenus lib. k πάϑες venas & arterias, inter eas quæ doloris injurias sentiunt, enumeret, & de arteriis plane id prænuntiet: l. de Tumor. & cap. 3. de loc. aff. substantiam cerebri sensu carere dixit, quod de exactiore intelligendum censemus: Quod enim illi sentiendi quædam vis insit, experientia demonstrat in his qui in capite vulnus acceperunt, quibus per ipsum vulnus ad cerebri medium usque frigoris sensus pervasir: Sed quamvis hæ partes ita se habeant, connexio & consensus illarum inter se, propter quem vix aliquam læsionem sine alterius offensione possunt accipere; efficit ut ex doloris specie & vehementia, non satis perspectè de doloris situ & parte primò dolente possit judicari: Quis enim ex doloris gravitate substantiam cerebri tantùm dolere, aut venas ipsas, affirmare audeat & rectè possit? Quamvis gravitas, quæ in dolore est, substantiæ cerebri potius quam meningum dolorem demonstret, cerebri enim dolor cum ponderis cujuspiam specie gravis est, meningum autem pungens & acutus, ossium verò membranarum contundens & profundus est: Arteriarum dolor à venarum dolore proprietate sua & discrimine distinguitur, quod arteriarum, aut partium arteriis vicinarum, cum pulsatione fit, quæ illis propria est, venarum verò minimè: Qui verò à nervis proficiscitur, vehementia cum meningibus, ut sensus acumine & præstantia convenit cum iisdem, sed hac nota discernitur quod quid convulsioni similè referat: atque etiam cùm nervosa quædam pars cerebri afficitur, ejus affectus aliquod sensuum externorum organum particeps per consensum affici necesse est: ut si pars ea à qua prima & secunda nervorum conjugatio, aut nervus qui ad oculos sentiendi facultatem defert, ortum trahit, noxam subierit, oculis illis illa communicabitur: Si ea porro quæ tertiam & septimam producit, doleat, linguam in consensum suum trahet, quæ cum laxam & raram substantiam habeat, nullum ex distensione aut laxitate dolorem concipit: Eadem est & reliquarum conjugationum ratio, quarum quarta si patiatur, affectum suum per nares transmittit ad palatum, quinta ad aures, sexta autem ad os ventriculi: Dolor verò qui externas capitis partes exercet, aut in cute, aut in pericranio situm habet; Uterque ab interno dignoscitur, quod tactu deprehenditur pressuque capitis exacuitur, Interior verò minime, in quo etiam pili non erigi ut in externo videntur &c. *Rondeletius practic. lib. 1. cap. 5. De distinctione doloris interni ab externo vide Notas ad cap. 30.*

Spes affulgebat dolores capitis per lochiorum effluxum conquieturos) Ab utero pendere dolorem capitis demonstrant menses suppressi, semen, aut aliud in illo computrescens, vel circa illam partem humorum conturbatio: Rarò enim ex peculiari cujuspiam partis consensu quàm ventriculi aut uteri dolet caput: Nulla enim omnium capite inferiorum pars est quæ magis & evidentiùs cum cerebro consensum habeat, quam ventriculus per nervos sextæ conjugationis, & uterus per spinalem medullam, cui robustissimis tendonibus & ligamentis alligatus est; unde fit ut ab iis solis dolor ad cerebrum, sola condolentiæ ratione, nulla interveniente materia perveniat, cùm uterque ab acrimonia humorum vellicatur & pungitur, aut multitudine sola distenditur: Quare licèt non rarò per aliarum partium affectus, ut lienis, jecoris & septi transversi caput in consensum adducatur, maximè si inflammationem patiantur, non tamen id nisi communis societatis quam totum corpus habet, ratione & materia intercedente, sicque per venas & arterias materia sursum transmittitur. In quo facilius id per venam cavam præstat Jecur, & Lien per arteriam magnam, sed cùm alium nullum aditum quam per hos ductus ad cerebrum habeant, non videtur, qui ex eo potest excitari dolor, causam magis à mittente parte quàm à recipientium imbecillitate obtinere, nec unam potiùs quàm aliam capitis partem obsidere debere: Cùm enim vena cava, arteriaque magna tantùm juxta jugulum dividantur, dextramque & sinistram arteriam & venam in caput mittant, quæ ratio est cur quod à Jecore & Liene demandatur per illam potiùs quàm per alteram

ad

ad caput pervenire, & in dextra potiùs quàm sinistra dolorem stabilire debeat? Quod enim de rectitudine objicitur, vim in doloribus qui à materia per viam communem, & per arterias & venas fiunt, nullam habet: At in his qui per partium continuitatem & colligationem ab una in alteram transeunt, verum esse posse non inficiamur: Quod si hæc distinctio recipienda non fit, cur rectitudinis jure dolores omnes qui propter uteri societatem fiunt, non in occipite semper potiùs quàm sincipite, ut Hippocr. & Galenus voluerunt, percipi debent, cùm Galenus in hac re his qui afflictis tum lumborum tum prorsus spinæ, posteriori cerebro rectitudinem quadrare affirmant, non assentiatur? Quare dolori qui ex consortio jecoris & lienis in capite suboritur, non dextra potiùs quàm sinistra, nec alia pars assignanda est præter anteriorem: In qua cum omnis materia, sive vapores, vel quæcunque fuerit, quę à partibus inferioribus sursum defertur, recipiatur, doloris meritò per consensum communem totius corporis, & per materiam procreati sedes & nota existit: Id Galenus comm. 1. in 6. Epid. demonstrare conatur, Ex putrescente, *inquit*, sanguine febres accenduntur, quæ plurium vaporum copiam ad caput mittunt, à quibus cùm repleatur, dolores in sincipite molestiam inferentes exoriuntur, eò quòd vapores illi calidi per arterias ad caput sursum ferantur, quas ex colli appella fornice utrinque sinciput recta ascendentes cernere licet: (Eo loco autem Galenus quare ab uteri affectibus caput repleatur, & cur inter alias partes sinciput magis doleat, ostendit tribus adductis rationibus, quas vide Scholio 3. ad cap. 28.) Cùm autem magnitudine æqualia fuerint pathemata, partes quæ natura sensu magis participant, sentiunt magis, quæ verò magis sentiunt, iis causæ dolorificæ molestæ magis: Ob eas itaque causas concludit in sincipite dolores existere: Ex eo verò quòd pars posterior capitis frequentioribus evidentioribusque venis est magis conspicua dolorem firmari in ea potius debere quàm in anteriore, non est quòd quis contendat; didicimus enim ex Anatome ramos venarum in occipite latiores esse, anteriùs verò exiliores, quòd ab illa in hanc partem ferantur & desinant: Hoc tamen fieri intelligimus cùm nulla pars capitis altera magis imbecilla est aut injuriis opportuna, quæ enim aut ab initio, aut ex casu, vel aliqua læsione talem conditionem sortita est, in eam fluxiones & humorum decubitus fieri consueverunt: Nec solùm qui per consensum, verùm etiem qui primario cerebri affectu fit dolor, in anteriore frequentiùs quàm posteriore sentitur, præsertim cùm à materia pituitosa, aut excrementis in capite collectis excitatus est: solent enim illa in anteriore magis quàm posteriore cumolari, ut ostendunt meatos per quos expurgatur, ut nares & palati foramina in illa parte à natura constituta: Ex quibus abundè demonstratum esse arbitror posteriorem capitis partem omnibus prorsus doloribus minùs esse obnoxiam quàm priorem, nisi ab utero provenient, quibus ob eam causam id proprii inest propter peculiarem illius partis & uteri societatem cum cerebro per spinalem medullam, ut in occipite sæviant & molestiæ initium faciant, dummodo non per fumos & vapores ab utero transmissos, sed per solam condolentiam, ut à ventriculo morso aut vellicato fieri antea docuimus, caput afficiatur: Iisdem enim modis uterus cerebrum, quibus & ventriculus, in consensum trahit. *Rondeletius methodi* lib. 1. cap. 5.

Per lochiorum effluxum conquieturos &c.] De doloribus cap. per consensum ab utero, stomacho, liene &c. vid. Not. ad Obs. 14. *ventriculus humor. corruptis*. Ex Cl. *Willis*.

Observatio LXXIV.

Capitis dolor à membranarum phlegmone post casum.

Virgo cùm capite in postem incidisset, vulnusculum in capite contraxit, quod neglexit IV. die capitis gravitate correpta est, VI. obiit: Aperto capite, sanguinem sub cranio collectum, & cerebri membranas inflammatione correptas invenimus. *Vide hist. lib. 4. Tit. de Vulneribus.*

Observatio LXXV.

Capitis dolor à sero flavo represso Tineam prius excitante, unde cerebri & membranarum corruptio.

Capitis doloris causæ sunt (quamvis hi casus sint rariores) abscessus & tophi Gallici & caries ossium: Habui proximo anno Monachum ex S. Justina, qui laborabat per decem annos capitis dolore, & singulis annis ultra tres libras usus est Philonii ad dolorem leniendum: Erat autem dolor ex tali causa, nam *per terebrationem* inveniebatur caput plurima pituita refertum, & os corruptum, tandem obiit: Quod ipsum etiam, dum essem junior, vidi in quadam muliere, cui substantia cerebri plane erat corrupta ex multis lotionibus, cum *laboraret tinea*.

Aperui illam cum D. Tiberio, & invenimus in parte sinistra materiam cum aqua flava, & membrana erat corrupta. *Herc. Saxonia Panthei lib.* 1. *cap.* 2.

Lotionibus cum laboraret tinea] An curari debeant achores non immeritò quæritur? *Hippocr.* enim lib. de morbo Sacro scriptum reliquit infantes, si ipsis ulcera in capitibus, vel circa aures, vel in reliquo corpore excitentur, liberari ab Epilepsia. *Galenus* 1. de compos. medic. s. L. cap. 8. falsum quid & nitrosum in se continere eum humorem ait, qui & subdito cranio vim inferat. Revera nisi corpus ante exactissimè perpurgatum fit, Aut malum fit topicum, fomentum à toro non sospiciens, (quandoquidem & cutis & habitus corporis suos habent morbos, aliunde non pendentes) Aut si totum cacochymicum sit, vix suscipienda curatio aliter quàm per derivantia aut revellentia, præsertim fonticulos in brachiis, aut potius in dorso: Ejusmodi namque eruptiones sunt de genere abscessuum quos curari vetat Hippocr. 6. Epid. sect. 3. quia aliorum affectuum medela sunt, sicut fistulæ & hæmorrhoidum fluxus, à quibus multi, *ait*, intempestive curati, perniciosa perpessi sunt.

Per terebrationem inveniebatur caput plurima

pituita refertum] Scilicet inter cranium & pericranium, quæ vel mora putredinem, acrimoniam & corrodendi os subditum vim acquisivit, vel insita malignitate donata sit, qualis tineam excitat: Eo vero in spatio diu circumfertur aliquando humor gravitate sola molestus: Exemplum habetur apud C. Pisonem sect. 2. parte 2. cap. de morbis ab illuvie serosa, Præfectus, *inquit*, hortis basilicis deploravit apud me suam ærumnosam vitam, ob pertinacem insomniam, quam gravis capitis dolor ei annum jam vertentem intulisset, qui tactu exacerbaretur & noctu ingravesceret; Cum caput contrectassem, ac stagnantem sub cute humorem deprehendissem, ac virum ab omni inhonesti morbi labe alienum nossem; temperies verò ejus atrabilaris, vitáque perpetuæ apricationi exposita ob oculos obversarentur, tum sanè humorem, tumoris illius continentem causam, aquosum illum quidem, sed acri & bilioso perfusum esse ichore, qui insomniam doloremque induceret sum suspicatus: acturum postico occipiti cauterium inuri curo: dictum factum, aqua virore quodam insigni, & bili prassinæ finitimo ubertim per plures dies emanante, ab affectu liber evasit.

§. 2. Mulierem Tinea aliàs tentatam, ac frequentibus quibusdam capitis lotionibus tandem sanitati restitutam, in capitis dolorem febrémque continuam incidisse, ad illam vocatus minime mirum esse dixi: Cum vero nullis prorsus vel revulsoriis vel derivatoriis & vacuantibus cederent, sed tandem ægram post dies xxx. ad internecionem duxissent, sublato cranio media pars totius cerebri cum membranis (erat autem dextra) putrida prorsus inventa est, ichore citrinio referta, utinam rectè dixisses. *Idem Prælection. Practic. p. 1. cap. 1.*

Observatio LXXVI.

§. 1. *Meningum Sideratio sequuta diuturnos dolores.*

OBservaverunt primarii Medici post diuturnos capitis dolores Syderationem meningum ipsius cerebri evenisse. *Ballonius Hist. 4. lib. 2. consil.*

MΦακελισμὸς Cerebrum occupat præeunte ferè inflammatione. Id verò si illi accidat, potiori jure membranis, per quas numerosa vasa decurrunt, ab iis in illud expansa: quarum ratione dolet, ipsum per se sensus expers: Adsunt verò dolores capitis, (quos aut hæmorrhagia, aut puris excretio solvit, aut per aures aut nares, si frontem aut tempora occupent,) cùm pus in cerebro, aut circum membranas adest, vel quod sit inflammatio, vel intemperies: hinc fieri potest ut pars livescat & ita sideretur: quod & lateri purulento evenit ut sit livens, syderatum, βλητόν; Porrò, non aliunde τὸ βλητὸν peritur quam à succrescentia humorum malorum, quorum excretione cerebrum, ejusque membranæ, sit immune ab omni affectione: Videatur partic. 15. l. 3. Progn. Quibus post dolores capitis sanguis aut pus non erupérit, lata in cerebrum materia, moriuntur *modo Apoplectico.*

§. 2. Tenuis meninx nigricans reperta post diuturnum capitis dolorem. Continuis & gravibus capitis doloribus affligebatur vir xxx. annorum per annum dimidium: Post obitum meninx tenuis nigricans, tum in superficie, tum inter anfractus corticis apparebat. *Rolfinkius Tract. de Dol. cap.*

Observatio LXXVII.

Capitis dolor ad occiput & spinam protensus, à meningum inflammatione, quam sequuta sideratio.

QVidam natus annos 30. sæpius in dies ebrius, cùm à forensi tabula alapa vapulasset, pacem cum illo initurus in multam noctem vino Hispano saburratus, sævissima cephalalgia, *cujus dolor etiam occiput spinamque* occupabat, cum omnium sensuum dejectione corripitur: ab amico, in cujus domum pro semi mortuo delatus erat, sub merinoctium vocatus, cum viderem assiduè exilientem, corpus corybantis instar, & pedes maxime manúsque jactantem, nec verbulum, etsi aciculis à me premeretur titillaretúrque, proferre valentem, dico videri mihi cerebri sphacelo correptum: nam aliquot ante diebus nunquam sobrius, conviciis verberibusque combibones plerosque male mulctarat: Acutissime febriebat, & tamen *potum omnem respuebat*, validísque manibus, dum vires tulerunt, à labiis admota cymbia amoliebatur: rubebat facies cum tumore: rubebant & oculi, quorum fixo obtutu conspectos phanatici instar terrebat; Prescripto, quando aliud non licebat, clystere validissimo, ad lectum redii, mane *quietissimum inveni*, movendi scil. vi per languorem abolita: Silentium tantum, ut vulsa barba, punctáque acu aure, vocem nullam ederet, abolito nimirum omni sensu: Cùm venæ sectionem vires non permitterent, cucurbitulę applicitę, admota quæ ratio dictabat, sed invita Hygieja omnia, die enim tertio ebriam efflavit animam.

Amicis eum qui alapam dederat in jus vocantibus, à magistratu caput (cùm cerebrum sphacelo correptum assererem) aperire jussi: Invenimus *meningas valdè lividas* omninóque syderatas; quas cum Judices mortis causam dedisse, húncque sphacelum non alapæ, sed jugi ebrietati, quæ inflammationem cerebri conciverit, tribuendum Medici crederent, ulterius itum non est: fœrore maximo nasos omnium in alia omnia trahente. *H. ab Heers Observat. Med. xvij.*

Potum respuebat.] Inter Phrenitidis signa sitis absentia, præsentibus causis sitiferis, recensetur: ægrotat scilicet mens & spiritus animales læso cerebro, ad os supernum ventriculi non diffunduntur: Exactam hujus morbi διαγνωσιν videapud P. Salium Diversum, de affect. partic. cap. 1.

Sæpius in dies ebrius] Cephalalgiæ causæ Evidentes conjunctas excitant, inque actus seu afficiendi rationes dolorificas cient: Sunt autem varii generis, & diversimodi operationis: quæcunque nempe res 1. aut materiam morbificam aliunde in partem affectam transferre, Aut 2. illam in ea prius hospitantem commovere aptæ sunt, Aut 3. fibris ipsis in spasmos dolorificos prædispositis, affectionem istam è longinquo & aliarum partium consensu imprimunt, ad hunc censum pertinent: Quoad prius, sanguis, ejusque inquilini humores, nempe serosus, nutritius, nec non recrementa biliosa, acida, ac aliàs vitiosa, variis de causis commoveri, inque capitis membranas transferri apta sunt; multaque exteriùs accidunt, videlicet aëris ac anni mutationes, æstus, frigoris aut madoris excessus, lautus victus, vini potus, balneum, Venus immodica, passiones violentæ, &c. illud passim efficiunt: Porrò humores isti interdum sponte turgescunt, & sine causa externa, aut aliàs evidenti, commovi se in caput proripiunt, quò ubi advenerint, fibrisque prius indispositis jam insederint, licet causæ conjunctæ partem constituunt, ipsi tamen cumprimum in motu sive fluore sunt, causæ evidentis rationem subeunt: Quare cùm priùs explicavimus quo ritu sanguis, quæque in eo hospitantur, ad membranas affectas delata cephalalgias concitant, videndum quibus modis, & ob quas occasiones iidem humores commoveri, inque membranas corripi solent. Et 1. sanguis sua sponte, & ob intestinos particularum ejus motus & colluctationes subinde effervescens, capiti molestias impertit, nec tantùm in febrium paroxysmis, ast insuper sine causa evidenti, aut morbi suspicione, turgescentiæ ejus crebræ ac vagæ contingunt, quas in aliis vix perceptibiles, cephalalgiæ obnoxii satis advertunt ac luunt: Nec solùm e proprio penu sanguis capiti noxam immittit, sed eam aliunde suscipiens illuc defert: Sæpenumero cruor è stomacho, liene, mesenterio, hepate, utero, aliisve partibus aut visceribus materiam incongruam, aut sibi, aut nervoso generi infestam suscipit, quam brevi postea ut extrudat effervescens, membranis capitis suffundit, adeóque cephalalgiam, vulgo dictam sympatheticam producit, cujusmodi affectus ab aliis partibus transmissio ad caput, etiam alio interdum modo contingit, uti dicetur: Cùm massa sanguinea sero abundat, nonnunquam merè plenitudine ad illud excernendum excitatur, quod in capitis membranas decumbens, dolorum paroxysmos ciet: 3. In cruoris sinu prout serum, ita & succus nutritius, h.e. recens chymus ex alimentis confectus hospitatur, ac una circulatus, si semicoctus aut depravatus, vellicationes dolorificas ciet. 4. Restat adhuc aliud causarum evidentium genus, cum propter spasmos in partibus aliis inceptos, cephalalgiæ succedunt, De quibus omnibus, aliis locis. *Willis.*

Dolor occiput spinámque] A repletione Sinuum lateralium dictorum, aliàs Posteriorum & Descendentium sub suturæ lambdoidcæ ductu sitorum: oriuntur utrinque unus in posteriori occipitis sede, unus dexter alter sinister dictus, ad latus foraminis occipitis, per quod spinalis medulla transit, cranio semper attensi. *Rolfinkius Dissertat. Anat. p. 998.*

Dolor occiput) Occipitis dolor causam sæpe agnoscit cutis capitis inibi eximiam crassitiem, eoque nomine interiorum exhalationibus minùs per viam, quæ coercitæ diutius, ubi ad naturam redierint, distendendo dolorem inferunt, à vulgo crinalem dictum, qui sæpe περίοδος esse arthritidis solet: hoc enim ex fonte, *Fernelio*, supervacui humores per summa corporis sub cute, iter sibi aditumque moliuntes ad artuum compagines scaturiunt.

Observatio LXXVIII.

Capitis dolor à phlegmone cerebri partem posticam obsidente, subsequente sphacelo.

NObil. juvenis annos natus 37. sub cane in gravissimum & acutissimum dolorem capitis incidit, *qui ad posteriora* & latus sinistrum magis porrigebatur; aderat *obscura & levissima febris*, sensuum vigor, gustus præcipuè: cùm his nihilominus sitis ingens & vigiliæ perpetuæ: *frons* nihil incaluit, caput parùm, ex tactu licet duro, non dolebat: appositis ad frontem manuum una, ad sinciput altera, *cerebrum intus concuti ac convelli* sen riebatur: ac *caput* universum *involuntarie subsiliebat: urinæ in principio crassæ & albæ*: Quibus animadversis, phlegmonem in cerebro metuentes, vel erysipelas, sanguinem mitti &c. jussimus: 4. morbi die, in linguæ latere dextro erupit tuberculum, quod durum & cavum & sine sensu ulcerosum deprehensum est, carcinoma scil. Septima sub vesperam paululum deliravit, mox sudor in facie primùm, deinde per totum corpus copiosus obortus est, ita ut veram & perfectam crisim adfore sperаremus: Dum amovеrentur stragula & sudor abstergitur, illum fermè resolutum invenimus & continuò delirantem: *Vires quæ ante sudorem* fuerant prævalidæ, omnino fractæ percipiuntur, atque in eo statu nocte tota usque ad horam 8. diei ix. matutinam perstitit, garrulus supra modum & insipiens, & immemor omnium quæ sibi in morbo contigerant vel facta fuerant: Circa x. resipiscere visus est, quorundam reminisci, & sic spes animis addita fuisset, ni pulsus convulsivus, artuumque tremor cerebrum pessimè affici indicassent: In procinctu urinæ excretio copiosissima, quæ rubra & igneo splendore coruscabat: Simili hora, qua pridie sub vesperam, rursus ægrotantem invasit delirium, in eo pejus, quòd cùm rursus vires constarent factus phreniticus, adstantes summo terrore profligabat: Nona matutina iterum resipuit usque ad vesperam, sub quam tumor exortus est in cervice, pomi mediocris magnitudine, non dolorosus neque à cute diversi coloris, nec minus delirium juvenem occupavit cum ma-

[illegible]num

mum motu convulsivo; die x. omnia similiter se habuerunt: Sub finem XI. convulsus moritur.

Cadavere dissecto, cæteræ corporis partes inculpatæ repertæ sunt præter cerebrum: aperta quippe calvaria magna copia sanguinis nigerrimi, etsi diluti, illico affluxit, intactis adhuc meningibus, imò ossibus vix diductis ad serræ capedinem; qui quidem sanguis inter calvam & membranas effusus ponderis lib. ij. vel pluris æstimabatur: Ubi detectæ sunt cerebri tunicæ, mox universim venulis nigro torridoque sanguine turgentibus conspersæ apparuerunt: Pars autem posterior duorum digitorum latitudine, longitudine quatuor, ubi torcularis sedes definitur, non solùm nigricans, sed præterea membranæ puniceo colore & gangræna correptæ visæ sunt: In qua parte dum scalpellum adigi jussimus, protinus inde materia purulenta ad unc. vi. cum fœtore emanavit: Novacula altius adacta, tota fere basis cerebri, imprimis cerebellum, & ea pars spinalis medullæ quæ primis vertebris excipitur, & super qua tumor apparuerat, sphacelo similiter correptæ sunt inventæ: meninges verò partis sinistræ ulcusculis exesæ, per quæ sanguinem sub calvam effluxisse verisimile est:

Ex quibus collige causam doloris illius acutissimi, vigiliarum, delirii & convulsionum fuisse solutionem continui in cerebri parte postica, cerebello dicta: Solvere verò unitatem causæ doæ, ulcus & phlegmone erysipelatodes: Ulcus quidem ut causa primaria, ab aliquot mensibus contractum ex causis telatis, sed reticendis: ut sobolem habuit ulcusculum illud in lingua enatum, sic & partem debilem & reddidit & inflammationi locum dedit: phlegmonem autem erysipelatodem promoverunt ætas, temperies corporis & aëris, sed præsertim natatio in frigida sub dio post insolationem & excandescentiam: Febris verò obscura fuit cum tot terrificis symptomatis, 1. quia cerebrum unum laborabat. Secundo quod obscuri sensus sit ex se, tum frigiduor & humidum. 3. Ob ejus distantiam à corde, hinc spiritus caput perreptantes ubi in plexus binos illos labyrintheos illapsi sunt, difficile ad cor recurrunt & contagiom partis affectæ cordi minimè communicant. *Henricus Rufus ad Lazarum Riverium. Observ. 21.*

Tota basis cerebri &c.) Tenuis menînx infinitas vasorum propagines à crassa derivatas in se cùm suscipiat, ierumque cerebro dispenset, hinc clarum est eos hallucinari qui cerebrum inflammatione posse corripi inficiantur, quod experientia ipsa ostendit: Ad Aphot. 50. 7. in quo Hippocos quibus syderatum est cerebrum, tridui intervallo obire docet, gravem potius inflammationem, quam nativi caloris extinctionem (quam alias sphacelus significat) intelligendam esse testatur Galenus; Rationem addit, quòd ab hoc nulla salutis spes supersit, quam Hipp. tamen promittit si hos superaverint: Jam & nos ipsi per foramina cranii, quæ terebris fiunt in capitis vulneribus, cerebrum cum dura membrana ita sublatum esse, ut extra calvariam promineret, sæpe vidimus sedara mox inflammatione in suum locum rediisse: Quin & in apertis cadaveribus abscessus in ipsa cerebri substantia repertos multorum testimonio comprobatur. *Spigelius Anat. lib. 10. c. 3.*

Qui ad posteriora, &c.) Ibi enim grandes arteriæ amplæ & per quas humores in caput influunt.

Obscura & levissima febris.) Inanes sunt quas affert rationes, si enim adfuit phlegmone cerebri & membranarum, non potuit non sequi febris continua, admissa præsertim circulatione sanguinis: Ratio ergo quærenda in necrosi cerebri citò obrepente: vitalem sanguinis calorem extinguente, qui refluus ad cor non potuit ingens incendium inducere: frontem enim ait nequaquam incaluisse; caput parum, imò ne ad contactum doluisse.

Caput involuntarie subsiliebat) Vellicatis membranis ab acrimonia ichorum è phlegmone exsudantium, & orgasmo agitato sanguine in vasis, suscitatisque flatibus membranas distendentibus.

Vires qua ante sudorem, &c.] Exhausto sero & lympha à quibus temperabatur acrimonia bilis, unde ἄκρατος facta actiùs sæviit, hinc delirii cæterorumque symptomatum exacerbatio.

Magna copia sanguinis effluxit) Ab ὑπερεμέτῳ vasorum quæ exuberantiam illic deposuerunt.

Urina crassa) Futurus in febribus præsagiri pocapitis dolor ex urinis turbatis, *Quibus in febribus urina perturbatæ, quales jumentorum, iis dolores capitis vel adsunt vel aderunt, aphor.* 70. Hic aphor. ut rectè intelligatur, distinguendum est inter urinas perturbatas: Aliæ perturbantur à causa externa, aliæ ab interna. Illa est frigus ambiens, & tales Cardanus vocat concretas, quæ in aqua calida rursus clarescunt: Hæc est calor internus præternaturalis, seu febrilis; qui partes humorum crassas, quæ in sedimentum erant abitura, nunc valide permiscet cum tenuibus, nunc leviter: Si valde miscentur, manent turbidæ: sio leviter, eùm calor earum actualis evanescit, sedimentum ponunt: Non primæ dolorem prænuntiant ab externa quæ turbantur causa, sed postremæ, Ratio hujus prognostici suppeditatur à Galeno. Fiunt tales urinæ crassam & densam materiam agitante & versante calore, *atque in ea subigenda occupato*; Et paulò post, Serenis talibus vel dolores capitis conjungi vel eas sequi subjungit, *quia una cum calore flatuosus spiritus in caput facile tollitur*. Urinæ tales fiunt à calore igneo per modum ebullitionis & fervoris humorum in venis, non aliter ac in musto: ut in hoc, ita & illic humores & vapores concitatiùs elevari necesse est: significant ergo tales urinæ μετεωρισμὸν εἰς τὴν κεφαλὴν δὲ ἐπι- φέρειν imminentem: Tanta in febribus tum est agitatio, ut procellæ instar ad cœlum ferantur, & factum mentis domicilium attingant humores, inferiore regione interim non manente libera: Salia spirituum in morem sublimationem minantur, alembicum dom petunt, membranas ibidem lancinant, Elevantur autem ex internis venis ad cor, ex carotidibus ad cerebrum. *Rolfinkius Tract. de Cap. Dolore p. 114.*

Observatio LXXIX.

§. 2. *Capitis dolor à totius cerebri Phlegmone quem sequuta ejus necrosis.*

Multos vidimus qui cerebrum sphacelatum (h. e. principium ad sphacelum, ut Gal. statuit) habebant: tamen nonnulli (contra Hipp. sententiam qui intra triduum perire asserit) pervenere ad 14. diem; Alii ad 7. alii ad 10. & non sunt sanitati restituti, & horum calvarias aperientes, totum cerebrum penitus sphacelatum, i. e. corruptum invenimus: Hoc mihi videre contigit in ill. Comite N. qui 6. die à sphacelismo obiit: Cum Gal. igitur in genere dicimus, cerebrum corruptum habentes nullomodo posse supervivere, imò brevi moriuntur, non tamen in 3. diebus: Nam virum quendam robustum vidimus qui usque ad 14. diem pervenit: Et si petas, quonam modo cognosci potuit jam cœpisse corruptionem? Respondemus ex vehementissimo dolore quem patiebatur æger, tum putamus sphacelum & corruptionem cœpisse, 4. die effectus est attonitus, 8. die omnes sensus amisit, 14. die obiit: Huic ablata calvaria totum cerebrum corruptum invenimus: *Brassavolus comm. ad aphor. 51. lib. 7.*

De ejusmodi doloribus qui in sphacelum abeunt, ait *Hippocr.* aph. x. 6. Dolenti caput & valde dolenti, pus, aut aqua, aut sanguis fluens per nares, aut per os, aut per aures, solvit morbum: Nimirum ex aqueo succo aut sanguine ejusmodi dolores gignuntur: Sanguis autem aliquando naturæ beneficio in pus abit, aliquando transmutationem illam non subit; atque tunc periculum est cerebri sphacelismi, h. e. corruptionis, si supra dicta emunctoria sicca sint nihilque per illa excernatur: Si tales succi in eo morbo per eas partes evacuentur, vacuatio est congrua, educunturenim qualia decet & per regiones convenientes.

Totum cerebrum penitus sphacelatum) Cerebri abscessus & sphacelus à paucissimis autoribus describitur, licet ab Hippoct. annotatus fuerit. 3. de morbis, & in usu practico interdum occurrat, minúsque exercitatos Medicos alterius morbi specie deludat. Est autem substantiæ cerebri suppuratio vel corruptio, quæ gangræna vel syderatio etiam nominatur: Causa illius immediata est cerebri substantiæ inflammatio; quæ tamen à phrenitide distinguitur, ex eo quod in ea membranæ potissimum inflammantur, & ab iis inflammatio parti tantùm exteriori & contiguæ communicatur: in hac verò partes cerebri interiores, ac totam propemodum illius substantiam occupat: magna autem illa inflammatio in parte molli ssima & humidissima brevi sphacelum accersit: Causa est sanguis supercalefactus; vel admodum biliosus in cerebri corpus & partes ejus internas affatim irruens: Externæ causæ eæ sunt quæ sanguinem calidum copiosum congerere & ad caput transferre valent, sed maximè vulnera capitis gravia & contusiones: Ab hac tamen causa oriundus abscessus, vel sphacelus, à prædicto diversus quodammodo est, quia ex contusione factus abscessus tot cerebri partes utplurimum non occupat, sed uni præcipue adhæret: unde symptomata leviora, saltem ab initio, esse solent & affectus ad plures dies propagatur: Signa verò prioris hæc sunt; Invadente affectu ingens capitis dolor ægrum adoritur, qui per occiput collo & spinæ communicatur; cui mox succedit sensuum omnium tum internorum tum externorum abolitio, sicut in apoplexia contingit, à qua tamen signis infra describendis distinguitur: Variis motibus & inordinatis sese ægri exagitant, ut vix uno in loco contineri valeant: manibus interdum partes superiores invadunt, easque divellere ac dilaniare conantur, faciem unguibus dilacerant, crines avellunt: at procedente morbo corpus languescit, & ad motum impotens efficitur: febris acutissima & intensissima hunc perpetuo comitatur affectum, quæ ab ingenti inflammatione procedit: Ægrique cibum neque potum admittunt, & vix aliquid in stomachum quocunque artificio ingeri potest, unde cita advenit virium exolutio: Abscessus ex vulnere aut contusione geniti hæc sunt signa: post acceptam contusionem capitis torpor quidam & mœstitia apparet, animalibus spiritibus à materia extravasata labefactari incipientibus: morbo invalescente febricula exoritur, materia putrescere incipiente: his capitis dolor succedit & somnolentia, mox aucta putredine omnia symptomata ingravescunt: febris intensior evadit, æger è profundiori somno emergens subitò vociferatur & surgit è lecto, statimque iterum decumbit: frequenter manum ad caput adducit: Ex his plerique ante obitum purulentam materiam & virescentem ore aut naribus rejiciunt. Iste affectus periculosissimus est & utplurimum lethalis, aph. x. 7. Quibus cerebrum sphacelatum est in tribus diebus pereunt, si vero hos evaserint, sani fiunt: docet verò *Galenus* per sphacelum non esse intelligendam factam & completam partis corruptionem, quia hæc curationem non admittit, sed quæ est in fieri, imminéntque ob inflammationis magnitudinem. *Riverius Pract. l. 1. c. 12.* Vide hujus affectus ampliorem descriptionem apud *Salium Diversum* lib. de affect. particul. c. 1. & insigne exemplum apud *Amatum* cent. 1. cur. 9. qui in hoc affectu cerebrum corrodi & exedi ait, & intra triduum ægrum perire, ac ad XIV. diem aliquando pervenire dissecto cranio experientia se didicisse ait. In infantibus morbus hic Seiriasis dicitur, de qua *Langius* l. c. Cujus triste mihi exhibuit exemplum filiolus meus Henricus X. mensès natus anno 1657. mense Junio: qui in eum affectum incidit ex calidiore lacte, meribibula enim erat nutrix conductitia, & bombardarum in domus vicinia explosione: hunc febris prehendit acutissima, cum faciei pallore, inextinguibili siti, diarrhœa: Protinus fovea in sincipite apparuit: continua fuit agitatio brachii dextri, qui præ fatigatione aliquot post horas concidit, hinc sinistrum eadem agitatione commotum, tandem succedentibus convulsionibus XII. post hora obiit.

Observatio LXXX.

Hemicrania dextri lateris à corruptione cerebri latere sinistro.

Mulierem vidi quæ continua dextri lateris hemicrania diu & acerbissimè affligebatur:

Tandem defunctæ cranio detecto inventum fuit cerebrum in sinistro latere corruptum, ichore & sanie refertum: qua tamen in parte ipsa nullum deprehenderat doloris sensum. *H. Saxonia Prel. Pract. p.* 1. *c.* 1.

Galenus 2. comp. loc. c. 3. magna ex parte scribit fieri Hemicraniam per consensum, expurgante se cerebro per venas & arterias: Sed hic pulcherrimum occurrit quæsitum, Cur dolor qui fit à causis essentialibus magis in una quàm alia parte oriatur? Quando enim caput afficitur per consensum, res plana est, Nam prout pars, à qua fit consensus, fuerit dextra vel sinistra, dolor etiam magis hanc vel illam occupabit partem: Sed ubi essentialis materia in capite reperitur, cur unica semper pars patitur, non quandoque una quandoque alia? Si contingat unam ex istis partem factam esse imbecilliorem, causa est in promptu, sed nulla præcessit imbecillitatis causa: Puto plerumque hoc fieri expurgante seipsum cerebro per consueta emunctoria, per unam tantùm capitis partem, per aliam minimè: Ita ut illa pars quæ excrementa educit ab hemicrania sit immunis, altera verò dolorem sentiat. *Idem ibidem.*

APPENDIX.

Hemicraniam per consensum) Observatam à se ait in nonnullis calculosis ejusdem lateris Hemicraniam, qua parte renum Calculus se urinæ opposuit doloremque fecit, Excell. *Th. Bartholinus* centur. 4. Epist. 6. An sero in caput restagnanti id imputandum, vel ad membranarum ejusdem lateris consensum, dubitat: Convulsionem, *ait*, minatur *Hippocrates* lib. 1. Prædict. §. 120. si vesica sit intercepta cum capitis dolore: forsan quia nervorum principium serum interceptum inundat: Ruborem genarum notavit *Lælius à Fonte*, Consult. 69. in iis quibus phlegmone obsidentur renes parte exteriore. Τὸ κατ' ἴξιν, autem, aut diametralis oppositio in situ doloris, non semper observatur: quin potiùs promiscuè vapores à quacunque corporis parte qui subministrantur, nunc hanc nunc illam partem implere possunt: Arteriæ enim calvariæ circa basin foramina intrantes, postquam rete mirabile dictum constituerunt, se per universum meningum & cerebri districtum expandunt; cúmque alimentari humore excrementios multos humores & vapores in caput deponunt promiscuè, nulla habita mandantis partis ratione: vaporibus etiam plus tribuitur quàm revera in iis est. *Rolfinkius Tract. de dolore Cap. l.* 2. *s.* 2. *art.* 1. *part.* 1. *cap.* 15.

Observatio LXXXI.

Capitis dolor à vitiosa meningum dispositione, inducta ab humoribus atrabilariis, &c.

Siccæ meninges atque velut syderatæ apparuerunt post diuturnos capitis dolores, præsertim cùm & humores pravi sunt, retinentque aliquid *de natura humoris atrabilarii* adusti: In talibus balnea potius ex usu sunt, quàm agitatio ulla sudorificis aut calidioribus medicamentis tentata. *Ballonius Epid. l.* 1. *pag.* 88.

De *natura humoris atrabilarii adusti*) Etsi raro dolor capitis fiat à melancholia pura, fit tamen ab hac pituitæ permixta, ut in iis qui passi sunt morbum venereum: Si dolor fiat à pura melancholia, medicamenta alterantia debent esse calida & humida [nisi fiat à bile flava adusta] non admodum tamen sed mediocriter, ut boragine, buglosso. Ut autem pleuritis à melancholia raro fit, sic nec dolor capitis. Si enim sola dolorem faceret, certe qui melancholia laborant, frequenter dolore capitis vexarentur, qui tamen dolorem nullum habent, nisi illum non sentiant quòd mens occupata sit: Adde quòd siccitas dolorem non facit, neque materia crassa, nisi vel bilis permisceatur, vel spiritus, qui distendendo partes dolorem faciunt: quod secus evenit in pituita quia frigida est & humida, unde spiritus multus oritur qui distendendo inducit dolorem, idque potissimum noctu, ut in morbo Italico: Si verò fiat à melancholia adusta, ob bilis naturam quam retinet, dolorem facit: ob idque humidis & frigidis alteranda est: Inter remediorum formas magis conveniunt embrocatio capitis & irrigatio frequens: Deprehenditur autem à melancholia dolor fieri, si priùs ægri quàm dolerent, non dormiebant & inter dormiendum somniis multis vexabantur, partesque omnes illis circa caput calidiores & ficciores apparent: Adhæc sentiunt veluti puncturas circa oculos, per quos Medici crediderunt melancholiam expurgari, ut bilem per aures, & pituitam per palatum ac nares: Quòd si in corpore melancholico post morbum à melancholia, vel in morbo melancholico fiat dolor, qui medicamentis discutientibus facilè non cedat, verisimile est ab eodem humore fieri. *Rondeletius methodi lib.* 1. *cap.* 6.

Observatio LXXXII.

Capitis dolor à vitio duræ matris & piæ, nigricantium circa os coronale, ad semidigiti transversi latitudinem, ob Tabacci fumi usum perennem.

Anno 1640. Prior Monasterii Cucullatorum Vicofezensacii Aremoricorum, gravi dolore capitis infestabatur, tandem lethali: quanquam omnem curam impenderent

Clar. D. D. Forgeus & Lommius: Qui causam atrocis illius doloris & lethi indagaturi, caput aperiri curarunt, quod à peritissimo Chirurgo Forcæo præstitum: Remoto cranio, animadversa circa partem supernam ossis coronalis, insignis nigredo duræ matri impressa, ipsam cerebri substantiam attingens, crassitiem semidigiti adæquans: Quærentibus Doctoribus num defunctus fumisugus esset? responsum vix momento à Tabacci usu temperare sibi potuisse; Imò per pennæ anserinæ tubum illius pulverem in nares attrahere solitum esse, unde ossis ethmoidis foramina ab illo omnino obturata reperta sunt. Quare ab iis pronuntiatum non aliam originem habuisse cephalalgiam, quam à prædicto Tabacci abusu. *Ex communicatione peritissimi Ioh. Lamont Chirurgi Genevensis.*

AN Tabacci fumus sui vestigia in cerebro, cranio, meningibus vel aliis partibus, relinquat, disquiritur libro quarto in Miscellaneis, ubi extant exempla tum eorum quibus nigrore fœdatæ eæ partes repertæ sunt, tum quibus puræ nec ullo modo inquinatæ ex litere.

Observatio LXXXIII.

Capitis dolor à membranarum Coalitu, Tuberculis & Tumoribus scirrhosis.

CEphalalgia Scorbuto tam tarò deest, ut multi potissimum hoc affectu virus Scorbuticum luant: cujus nempe mali paroxysmis gravissimis, longo tempore protractis, & crebra vice repetitis obnoxii fiunt: Hujus causam unicuique obvium est humoribus in meninges suffusis adscribere, quod etiam αὐτοψία comprobavit: Nam in quorundam defunctorum capitibus utrasque membranas coalitas, & tuberculis ac tumoribus scirrhosis per totum obsitas vidi: Cujusmodi tumores & concretiones, à gemini humoris dolorifici, *post crebras effervescentias*, mutuis coagulationibus exoriri videntur, *Th. VVillis Tract. de Scorbuto cap. IV.*

P*aroxysmis gravissimis*] Cephalalgiæ, cujus paroxysmi vagi sunt ac incerti, à sanguine aut ichore in loca affecta irruentibus crebra sunt exempla; Intermittentis periodicæ insigne affert exemplum *Excellentiss. Willisius*, Tract. de Anima Brut. cap. de cephalalgia: Venerabilis, *inquit*, matrona anno ætatis 45. gracili corporis habitu ac temperamento bilioso prædita, cum à longo tempore cephalalgiis occasionaliter excitari solitis obnoxia vixisset, circa initium Autumni dolore capitis periodico molestari cœpit: Hic affectus circa quartam à meridie horam invadens, ad mediam fere noctem, donec ægrotans præ cruciatu & vigiliis defatigata in somnum cogeretur, protendi solebat: dein post somnum satis profundum illa mane evigilans rectè habebat. Ad hunc modum ægrotans per tres septimanas morbi hujus insultus quotidianos passa, medicinæ, quam maximè horrebat, usum distulit, randem verò appetitu dejecto, & viribus attritis, ad therapeian expetendam coacta, post lenem catharsin & phlebotomiam, cepit bis in die, per unam aut alteram septimanam, Electuar. seq. quantitatem nucis castaneæ, & integrè convaluit.

℞. Conserv. flor. cichor. fumar. ana ℥ij. pulver. rad. Aron compos. ℥iij ß. Eboris ℥i ß. sant. citr. ligni Aloës ana ʒß. salis absynth. ʒiß. vitriol. martis ʒj. cum syr. è quinque rad. fiat Electuar.

In hoc casu, quod post diathesin cephalalgicam morbi accessiones, febrium intermittentium ritu, demum periodicæ extiterunt, proculdubio in causa fuit chymi, sive humoris nutritii in sanguinem assimilatio impedita: quippe cùm pene ejus in massam sanguineam receptus vinci nequiret, post aliquantulum moram discrepare, cumque particulis ejus effervescere solebat; propterea statim sanguis, ut mixturam incongruam excuteret, turgescens, recrementa sua, prout in alias partes, ita præcipuè, & cum majoris molestiæ sensu, in meningum fibras priùs debiles, aut in conformatione læsas deponebat: materies ea capiti suffusa, aut per se fibras sensiles irritans, aut cum succo earum irriguo effervescens, doloris paroxysmum modò descriptum ciebat: qui nempe perdurabat donec particulæ heterogeneæ vel mutuo congressu effervescentes, aut subigerentur aut exhalarent.

A Gemini humoris dolorifici &c.) Materies morbifica cephalalgiam inducens, vel est *sanguis*, vel *serum* ejus, vel *succus nutritius*, vel *liquor nervosus*: Unumquodque horum variè dispositum, aut feculentiis imbutum, circa loca capitis prædisposita, modò ante paroxysmum sensim aggeritur, modò hoc ingruente affatim apponitur. Cæterum modò humor unicus plenitudine ac acrimonia sua fibras sensiles distendit aut irritat; modò plures simul congressi mutua effervescentia fibras divellunt, adeoque spasmos dolorificos cient: *1. Sanguis* in motum rapidiorem incitatus, ac in caput ebulliens, circa loca prædisposita inter transeundum angustatur aut sistitur; proindeque uberiùs mox ibidem aggestus, vasa distendit, membranas valde inflat, fibrasque nerveas ab invicem divellit, illisque adeò corrugationes dolorificas inducit: *2. Serum* in massa sanguinea copiosius aggestum, sæpe aut sponte sua, ob meram plenitudinem, aut à causa evidenti commotum, subitò furorem concipit, & proinde statim è cruore exundans, non semper, aut tantum in pulmones, at sæpenumero in caput irruit; inque membranas ejus aut musculos suffusum, circa partes ad cephalalgiam prædispositas copiosiùs aggeritur, ibidemque inflationes & corrugationes dolorificas inducit: Porro *serum*, prout recrementa sulphurea, aut salina, acida, biliosa, acria aut melancholica, aut aliùs generis infesta secum vehit, eaque fibris nerveis affigit, dolorem acutum aut hebetem, brevem aut longiorem efficit: Cephalalgiæ, propter hujusmodi procatarxin oriundæ, tempore hyberno, cœlo humido & vento humido gravius infestant: Insuper hunc affectum aliarum faciei, oris, aut laryngis partium catarrhi sæpe comitantur.

3. *Succus Nutritius*, sive *recens Chymus*, è sanguine ad partes solidas delatus, iisque adponendus, liqui-

siquidem ille quibusdam capitis partibus male dispositis improportionatus fuerit, *Cephalalgiæ paroxysmos periodicos* excitare solet: Namque hujus penus, juxta fibras quasdam nerveas depositus, siquidem assimilari nequit, post aliquantam moram eas aggravare incipit, & demum in corrugationes, propter molesti expulsionem, incitat: Cephalalgia è tali causa procedens, post totidem à pastu horas quotidie repetere, & pari temporis spatio perdurare: quinimo, prout victus ratio quoad quantitatem, qualitatem & assumendi tempora alteratur, etiam dolorum paroxysmi variare solent, prout in multis observavi.

4. *Liquor Nervosus*, inordinatione sua, cum sæpe in aliis partibus; tum non rarò in capite dolorum causa existit: nam iste aut à crasi degener, aut fæculentiis imbutus, fibras nerveas non ita liberè trajicit, quin stagnare, in iisque ad plenitudinem irritativam congeri aptus est, idque præsertim intra fibras prius debiles, aut malè conformatas (quales interdum sunt capitis membranæ) quippe in his prædispositis, liquor irriguus in motu præpeditus, ad plenitudinem aggravativam aut irritativam facile assurgit, proindè ut fibræ adeò impletæ, instar stomachi nimis saginati, propter contenta sua excernenda, spasmos & corrugationes dolorificas ineant, nec ab iis cessent, donec sarcina liberantur, quæ tamen postea rursus modò citiùs modò tardiùs coacervata, alios subinde ac alios dolorum paroxysmos infert: Cephalalgia talem ob causam oriunda, sine notabili sanguinis turgescentia, & sæpe numero absque erroribus in victu, lentè ac velut sua sponte oritur: quandoque tamen propter inordinationes in non naturalibus, aliaque accidentia citiùs accersitur, sæpius horis matutinis, & post largiores somnos, cùm fibræ nerveæ humorem istum copiosiùs imbiberunt, obtingere solet; Quo ritu autem, & ob quas causas remotiores, humores, nempe aut serosus aut nutritius delinquunt, quoties Liquori *Nerveo* intra fibras contento occurrentes dolorum paroxysmos cient, infra declarabitur: Interim præcipua *Liquoris Nervei* culpa cephalalgias crebriores & habituales produci satis constare arbitror; quoniam hic & fibris ipsis quæ corrugantur, & spiritibus qui in distractiones dolorificas aguntur, maximè intimus est: tum etiam quia dolores capitis nonnunquam sine ulla sanguinis, seri aut succi nutritii inordinatione aut tumultu oriuntur, atque his quantumvis depletis aut sedatis, cephalalgiæ pertinaciùs sæpe durant: De *Liquore* autem *Nerveo* cùm cephalalgiæ causa est, observamus culpam ejus modò universalem & modò privatam esse: Nam interdum iste labem suam à parte affecta acquirere potest, quatenus nempe intra fibras conformatione læsas subsistere aut stagnare coactus, adeò pervertitur ut demùm infestus, istas vel per se, vel cum alio humore fermentescens, in corrugationes dolorificas irritet: quandoque tamen, ac præsertim in cephalalgiis gravioribus existimare fas est, totam Liquoris Nervei massam in vitio esse; Nervosas autem capitis partes præ aliis quibusvis in toto corpore noxam ejus luere, quia nimirum hæ primæ Liquoris Nervei scaturigini propiores existunt, atque etiam sunt maxime sensiles: Quapropter Liquor Nerveus, si quando vitiosus fuerit, intra meninges aliasque capitis membranas, plusquam alibi in cæteris partibus corporis vel sponte turgescens, vel ab altero humore ei suffuso effervescens, dolorificus evadit: Rem ita habere constat, quoniam Cephalæa diuturna ac gravis, non tam remediis capiti adhibitis aut appropriatis quàm iis quæ *succi nervei* atque *sanguineæ massæ* crases restituunt qualia sunt chalybeata, antiscorbutica, curari solet: Quod certè arguit quicquid Liquor Nerveus in toto corpore peccat, id capitis partes potissimum plecti. *Idem, ibidem pag.* 249, 250, 251, 252, & 253. Vide plu a l.c.

Post crebras effervescentias, mutuis coagulationibus &c.) In prædictis cephalalgiis materies morbifica humore ut plurimum unico sive singulari constat; proindeque dolorum paroxysmi paulo mitiores sunt, & non rarò citiùs pertranseunt: Subest verò altera hujus morbi causa, cùm duo humores (instar salinorum diversi generis) simul congressi mutuo effervescunt, adeoque à particularum dissimilium lucta fibræ plurimum vellicantur, inque dolores valdè acutos & lancinantes aguntur, iisque non rarò diutiùs infestantur: In hoc casu pugil unus semper erit *Liquor Nervosus*, alter vero aut *Latex serosus* aut *Succus nutritius*, Sanguinem, quia fibrarum ductus tantum alluit ac non intima subit, eximimus: Liquor autem Nerveus, ob vitia modò errata, interdum per se fibras continentes vellicat, inque spasmos dolorificos ciet; Quòd si huic ita prædisposito, ac intra fibras pleniùs aggesto humor alter, sive nutritius, sive serosus (nam uterque reus esse solet) minùs congener existens, copiosè suffunditur, particulæ statim omnes exsuscitatæ inter se colluctantur, adeoque mutua effervescentia fibras insigniter distendunt & vellicant, hinc ut ab iisdem diù & valdè corrugatis, dolores acerrimi & diù perdurantes inducantur: *Idem ibidem p.* 251.

APPENDIX.

Cephalalgia supra vicennium durans, Ortum verisimiliter ducens à tumoribus scirrhosis &c. meninges obsidentibus.

ANte aliquot annos ad invisendam Nobil. Dominam, supra vicennium cephalalgia primo intermittente, ac nuper ferè continua laborantem accersebar: Ante secundum ætatis lustrum *à febri periculosa convalescens*, capitis doloribus interdum sponte, ac sæpius à levi quavis occasione oriri solitis obnoxia evasit: Ægritudo non uni loco aut parti capitis limitata, modò dextrum latus modò sinistrum, & non rarò totum ejus ambitum infestabat: Durante accessione (quæ rarò intra nycthemeri spatium terminata, sæpe per duos, tres aut quatuor dies urgebat) illa lucis, loquelæ aut soni, aut motus cujusvis impatiens, intra cameram atratam, in lecto erecta sedens cum nullo colloqui, nihil somni aut victus capessere potuit: Tandem circa paroxysmi declinationem somno gravi & perturbato succumbere, è quo evigilans meliùs habere, & dein sensim convalescere, ac intermissionis tempore mediocriter valere solebat. Olim paroxysmi nonnisi occasionaliter

accersiti, rarò intra xx. dies aut menses, postea dein multò crebriùs repetebant; nuper autem raro iis immunis degit: Insuper ob plures occasiones, seu causas evidentes, iisdem immaniùs plectitur. Propter curationem assequendam, seu potius conandam, per totum morbi progressum remedia quamplurima præscripta sine quovis successu; Ab inunctione hydrargyri salivationem diuturnam tolerabat, postea bis à pulvere mercuriali curatio per oris sputum instituebatur: Thermas & acidulas nullo successu probavit: Phlebotomias crebras, semel Arteriotomiam admisit, Fontanellas plures gestavit; medicamenta nullius non generis, nempe cephalica, antiscorbutica, hysterica, specifica quævis famosa, imò & empirica sumpserat; Se tamen à nullo uspiam aut remedio aut medendi methodo, quidpiam aut medelæ aut levaminis recepisse profitebatur; quia rebellis & contumax ille morbus ad quævis medicamenta surdus domari recusavit: Porro iste τὸ ἐγκεφάλῳ pomœria tamdiu occupans, etsi cerebri claustra invadere nequiret, attamen quando eam invisi, in quasdam alias nervosi generis partes fines suos explicans, in membris, etiam in abdomine dolores atroces, prout in Rheumatismo ac in colica Scorbutica assolet, concitare cœperat.

IN morbi hujus inveterati aitiologiam si inquiritur, nihil minùs suspicari possumus quàm cerebri meningas ab initio leviùs tactas, postea vitium habituale & indelebile contraxisse: Ab affectus historia liquet primam ejus diathesin à materia morbifica, post febrem male judicatam in caput translata ortam fuisse: Tunc forsan ob noxam membranæ illatam, fibrarum tonus in tantum lædebatur, postea ut in iis humores, scil. tum nerveus irriguus, tum alii subinde affluì, ad plenitudinem aggesti, aut mera aggravatione, aut mutua effervescentia, Cephalalgiæ paroxysmos excitarent. Tandem verò causa morbifica ob crebros paroxysmos invalescente, videtur quòd fibrarum istarum unitas in tantum solveretur, proinde ut Tubercula & Nodi scirrhosi in tota meninge exteriori, aut in magna ejus parte accrescentes, dolores ferè continuos, eosque à levi quavis occasione exacerbari aptos producerent: Talis certe causa invincibilis & permanens, scil. cet duræ meningis Scirrhosa affectio, pia interim incolumi, Cephalalgiæ tam diuturnæ & nondum lethali par esse videtur: Quacunque enim alia de causa si naturæ & medicinæ cum morbo conflictus fuisset, longè citiùs aut cita mors venisset aut victoria læta. *Thomas Willis Tractatu de Anima Brutor. part. 2. cap. 2. p. 282.*

§. 2. *Cephalagia continua funesta, ab iisdem Tumoribus scirrhosis, aut strumosis ortum ducere existimata.*

VIr egregius XL. circiter annos natus, robustus & sanus, cùm per diem integrum pluvia perpetim stillante iter faciens, propter continuum occipitis madorem frigus contraxerat, propediem in ista parte dolorem pati cœpit, qui brevi tempore plurimum exacerbatus, ægrum noctes & dies miserrimè afflixit & ferè semper insomnem detinuit. Ad curandum hunc affectum phlebotomiæ, purgatio, enemata, vesicatoria, hypnotica, quin & plurima nullius non generis remedia, diligentissimè licèt adhibita, parum aut nihil præstitere. Cùm morbus his non obstantibus indies ingravesceret, post sesqui mensem glandulæ præter naturales tumidæ ac dolentes in tota cervice excitabantur, hemicrania interim nihil remittente. Insuper colli tendines plurimum distenti ac rigidi, ei plurimum molestiæ fecere; quibus brevi motus convulsivi, tendinum subsultus variis in partibus cum delirio succedebant, tandemque Æger doloribus & vigiliis attritus morti succubuit.

ETsi cadaveris dissecandi copia non daretur, suspicari tamen suberat & pericranium & meningas in occipite cerebellum investientes, ubi crassiores illæ ac plurimum villosæ existunt, primariò affectas fuisse, indéque noxam postea τῷ ἐγκεφάλῳ communicatam in totum genus nervosum migrasse. In membranis istis dum à frigore & madore transpiratio prohiberetur, simulque fibrarum tonus plurimum læderetur, probabile est quod liquor nerveus eas irrigans, tum motu præpeditus & stagnans, corpora continentia aggravaret; tum iste in crasi depravatus, cum aliis humoribus affluis effervesceret, cúmque iis demum coagulatus, in Tumores quasi scirrhosos & strumosos concresceret, adeóque cephalalgiæ gravissimæ feminium copiosum jaceretur: Dein postea cùm à vigiliis & doloribus perpetuis, magna spirituum inordinatio, & succi τὸν ἐγκέφαλον irrigantis dyscrasia ingens producerentur, propterea in cervice concretiones nodosæ, tendinum rigiditas, ac demum in cerebro totóque genere nervoso spasmi & motus convulsivi succedebant, cumque adeo œconomia animali plurimum labefactata præcordiorum motus perennare nequiret, flamma vitalis exspirabat. *Idem ibidem pag. 285.*

A febri periculosa convalescens.] De cephalalgia Febribus, aliisque affectibus male indicatis suborta sic ratiocinatur Excell. Willis Tract. de Anima Brutor. p. ii. c. 2. Interdum, *ait*, Succus nutritius cephalalgiæ periodicæ causa existit, in quantum scilicet iste sanguini suffusus, & non ritè assimilatus.

ſtus; ob particulas diſcordes ei turgeſcentiam infert: proinde ut cruor in caput ebulliens, exuvias ſuas in meningas, aut illarum partes quaſdam prædiſpoſitas ingerat, fibráſque adeò in ſpaſmos dolorificos irritet. Propter hanc cauſam novi plures, poſt variolas, morbillos, aliáſque Febres aut ægritudines, quibus ſanguinis maſſa vitiari ſolet, cephalalgiæ quotidianæ obnoxios fuiſſe: videlicet totidem à paſtu horis, modò citiùs modò tardiùs, primò ruboris in facie ſuffuſio, dein capitis plenitudo & dolor eos infeſtabant; Inſuper à vini potu aut alimentis turgidis comeſtis graviùs plectebantur: Morbi acceſſio ab aſſumptis magis aut minùs diſtare ſolet, prout chymus aut paulò poſt in cruorem primum ingreſſum, aut poſt aliquantulam in eo moram turgeſcere incipit. Hic affectus periculo vacat, & plerumque ſatis facilè curatur: Poſt totius proviſionem leni catharſi, & interdum leni phlebotomia inſtitutis, remedia quæ ſanguinis craſin reſtituant, cujuſmodi imprimis ſunt Antiſcorbutica & chalybeata maximè proficiunt. ℞. conſervæ fumariæ, tanaceti, lujulæ ana ℥ij. pulv. Ari compoſ. ʒiij. Eboris, oculor. cancri; corall. ppt. ana ʒiß. pulv. ſant. citr. ligni aloes, ana ʒß. vitrioli martis ʒj. ſalis abſynth. ʒiß. ſyr. de v. radic. q. ſ. f. Electuar. capiat mane & hora 5. pomerid. q. nuc. caſtan. ſuperbibendo liquoris ſeq. ℥iij.

℞. aqu. fol. ari, verbenæ, flor. ſambuc. ana ℥vj. aquæ limacum, lumbric. magiſtr. ana ℥ij. ſach. ℥j. m.

Hæ medicamenta varia contra ſanguinis dyſcraſiam ſcorbuticam uſurpari ſolita accenſeri, & bono cum ſucceſſu exhiberi poſſunt: Nam cephalalgiæ quæ in ſcorbuto ita familiares exiſtunt, ſæpenumero à ſanguinis humorem nutritium pervertentis, & recrementa ſua capitis membranis ingerentis vitio procedunt.

§. 3. *De Cephalalgia à vitio Succi Nervei excitata.*

MUlier venuſta, procera & gracilis, affectibus cephalicis diu & graviter obnoxia, interdum per plures dies, imò ſeptimanas quotidie primo mane ſomno experrecta, cephalalgia atroci, eam exinde per tres aut quatuor horas affligente, infeſtari ſolebat: Interim & totius capitis gravitate, ſenſuum torpore & mentis hebetudine afficiebatur, cujuſmodi affectus, una cum dolore velut nube diſcuſſa, ante meridiem evaneſcentes ſudum & ſerenum relinquebant, donec poſtero mane iterum velut nebulæ & caligo ἐγκέφαλον occuparent: Pro his ſanandis pilulas purgantes, phlebotomiam parcam; veſicatoria inſuper, Spir. c. c. aut fuliginis cum aquis appropriatis uſum præſcripſi.

QUod in hac Domina dolores capitis ſomno ſuccederent potius quam ab eo ſanarentur, ratio eſſe videtur quoniam in cephalalgia hac matutina, materia morbifica in *Succo Nerveo* reſideret, cujus inſignior cruditas, & plenior circa caput aggeſtio mox à ſomnis contingunt: Alter autem hujus morbi paroxyſmus veſpertinus, cùm à liquoris nutritii intra maſſam ſanguineam plenitudine & turgeſcentia penderet, idcirco totidem à prandio horis contingens, nonniſi à ſomno, qui ſanguinis inordinationes ſedat, compeſcebatur.

Liquor Nerveus intra meningum aliarumque capitis partium fibras aggeſtus, modò incongruitate propria, quatenus acris aut aliàs degener, fibris improportionatus evadit: modò quatenus cum alio humore, ſcil. nutritio aut ſeroſo illuc affluente effervescit, partes continentes vellicat, inque ſpaſmos aut diſtenſiones dolorificas incitat: Quando ita eſt morbificus, vel in tota maſſa peccans, capiti prædiſpoſito maximam affligit noxam, vel ex ſe ipſo inſons, intra fibras affectus pervertitur, ac ita ſecundariò morbificus evadit; cujus tunc curatio à partium continentium reſtitutione dependet, nempe ſi fibrarum debilitates aut conformationes læſæ emendentur, humor eas irrigans ſtatim culpa vacabit: Quibus remediis partium ad cephalalgias prædiſpoſitarum vitia tollantur, mox dicemus: Interea ſi *humor Nerveus* in tota maſſa degener, majorem capiti ad dolorem præparato noxam impertit, ejuſmodi medicamenta & methodus adhibeantur, quibus iſte ad debitam craſin redactus, fibras iſtas blandè trajiciens, parum aut minimè irritet: In quem finem nec purgantia fortiora, nec phlebotomia larga aut crebra conveniunt, utpote quæ ſanguinem & humores nerveo exagitant, vireſque atterunt, proindeque nerveo liquori peccanti majorem acrimoniam, œſtrumque imprimunt: Attamen blanda ſolutiva, & parca ſanguinis detractio interdum ex uſu erunt, quò viſcera detergeantur, & maſſa ſanguinea nonnihil expurgetur, & medicamentis aliis ſucceſſuris via ſtruatur: Pharmaca autem quæ *LiquoremNerveū* capitis membranis ab eo moleſtari ſolitis magis amicum & benignum reddunt, ejuſmodi ſunt quæ *Cephalica* vulgo perhibentur, quorum ſcil. particulæ ſatis activæ; ſimulque tenues & ſubtiles, ſanguinem abſque turgeſcentia aut tumultu trajiciunt: dein *Liquori Nerveo* ſe inſinuantes, eum blandè actuant, ductuſque nerveos adeò explicari faciunt, proinde ut ſpiritus animales corpora quæque tum ſenſibilia tum motiva liberius irradient, eaque ſine deliquiis, ſpaſmis aut diſtenſionibus anomalis inſpirent. Hujuſmodi remedia etſi non ſemper efficacia exiſtant, attamen cephalalgias quaſdam haud multum inveteratas ſæpe tollunt, inque aliis, utut pertinacibus, non raro juvant &c. *Willis Tract. de Anima Brutor. part. 2. c. 2. p. 270.*

Observatio LXXXIV.

Capitis dolor pertinax plerumque ſequitur ad membranarum cerebri morbos conformationis.

PHlegmonas, Abſceſſus, Tubercula, Tumores ſcirrhoſos, meningis cum cranio Coaleſcentias, alioſque malæ conformationis morbos in cerebri membranis excitatos novi: A quibus imprimis per longum tempus cephalalgiæ frequentes ac immanes, ac demum affectus ſoporoſi ac lethales inducebantur: morbi cauſa nonniſi poſt mortem, per Anatomiam

Anatomiam decocta: Et quidem suspicari fas sit Capitis dolores inveteratos & pertinaces, cum frustratis omnibus remediis frequentiùs redeunt, & in dies sæviores evadunt, à tali causa invincibili pendere. *Th. Willis Tract. de Anima Brutor. part. 2. cap. I.*

Dolorem capitis in Accidentalem sive Occasionalem dividimus, & Habitualem: Prior sine procatarxi aut dispositione prævia, à causa evidenti solitaria excitari solet, crapula, insolatione, exercitio vehementi: item in febrium paroxysmis, cephalalgia fere quibusvis hominibus contingit: quatenus nempe sanguis, plus solito incitatus, ac immodicè ebulliens membranas, quas pertransit, valde inflat ac distendit: quinimo serum & vapores ab eo tunc effervescente copiosiùs immissa, & in membranas irruentia, fibras nerveas vellicant & irritant: *Habitualis* procatarxin aliquam alicubi affixam habet, propter quam vel constanter vel crebro molestus est, ita ut quandoque licet intermittat, sæpe tamen sponte redeat, ac insuper à levi quavis occasione excitetur: Hic autem sive continuus sive intermittens fuerit, neque semper neque tantùm, pro causa conjuncta Sanguinis aut Seri suffusiones aut evaporationes nimias habet, verum insuper partis affectæ, aut affici solitæ, semper mala procatarxis, seu prædispositio quædam affigitur, ob quam & causæ prædictæ; Item præterea Liquoris Nervosi inordinationes ejusque cum sero sanguineo, vel succo nutritio congressus & effervescentiæ dolorum paroxysmos cient.

Procatarxis cephalalgica licèt multiplex fuerit, attamen ad eam constituendam hæc duo, nempe aut alterum, aut simul utrumque præcipuè ac fere semper conducunt; nempe 1. *Partis affectæ mala aut debilis constitutio.* 2. *Dein propterea facilior & promptior materia morbificæ in illa congestio:* Quoad prius, Capitis partes doloribus obnoxiæ sunt fibræ Nerveæ ad membranas, tendines, carnes musculosas, aliaque corpora sensilia pertinentes, quarum apparatus morbidus in earum mala conformatione aut debilitate consistit: Ex his priorem quandoque innatam & hæreditariam esse inde constat, quia morbus à parentibus sæpe ad liberos traducitur, idque ea potissimum ratione fieri videtur; quod integumenta capitis debito crassiora aut constrictiora facta, nec humores nec vapores facilè trajiciunt: quare ab his cohibitis, illisque in motu præpediris & aggestis, meninges, pericranium, aliæque partes sensiles, aut infarctæ nimis, aut inflatæ, aut vellicatæ dolores accipiunt: Cui accedit quod interdum propter cerebri intemperiem originalem, humores aut vapores circa partes ipsum concamerantes variè congeruntur. 2. At verò longè sæpius accidit malæ conformationis vitia; quibus hæ vel istæ partes capitis ad cephalalgiam disponuntur, de novo contrahi, idque vario productionis genere, quippe nonnunquam à frigore, ob flatum borealem, aut nives contracto, in aliqua capitis regione cutis pori, quin & ipsæ fibræ nerveæ ita constipantur, aut aliàs pervertuntur debilitanturve, ut nec aëris externi occursum, nec sanguinis vel humorum agitationes quasvis patiantur, quin Cephalalgia statim oriatur.

Nec minùs rarò propter inordinationes in sex rebus non naturalibus, prædispositio cephalalgica induci solet: Enim verò sanguis ob quamlibet causam supra modum incitatus, aut ebullitione sua nimia, aut seri vel vaporum insinuatione, partibus quibusdam nerveis continui solutionem, aut aliusmodi noxam imprimit, propterea ut cephalalgia mox præsens, ac inposterum diathesis eam à levi quavis occasione suscepturæ excitantur. Cæterùm à passione vehementi, à crapula, insuper à capitis ictu, vulnere aut contusione, dispositio cephalalgica non facilè delebilis, crebro inducitur, proinde ut humores aut proprii aut excrementitii, in iis congesti & stagnantes, postea aut per se commoti, aut cum aliis succis influis effervescentes, inflationes aut vellicationes dolorificas cient: quinimo plegmonas, abscessus, aliaque in *Historia* narrata excitata novi: 2. Nec tantum mala conformatio & unitas soluta, sed etiam mera interdum debilitas, sive enervatio quasdam capitis partes cephalalgiæ obnoxias reddit: Cum enim fibræ alicubi ita infirmantur ut nec proprium humorem ipsæ regere, nec alienis incursibus resistere valeant, pars sic disposita à levi quavis occasione in corrugationes dolorificas agitur: hujusmodi fibrarum debilitas nonnunquam externa accidentia uti, frigoris & caloris excessus; quandoque item errata in victu, prout crapula, ebrietas, & imprimis somni meridiani, insuper ingentes catarrhi, & seri acris decubitus longiores infette solent.

Hæc de cephalalgiæ procatarxi primaria, quæ & fixa & radicata est: Altera ejus ratio secundaria & mobilis, consistit in materiæ morbificæ circa partem prædispositam prompta ac facili congestione, à qua dolorum paroxysmi ac insultus dependent: Materies autem cùm multiplex fuerit, multifariam congeri & dolores diversis afficiendi modis excitare solet. *De illius materia speciebus vide inferius. Th. Willisius de Anima Brut. part. 2. cap. 1. p. 246. &c.*

Observatio LXXXV.

Capitis dolor à putredine dimidiæ partis cerebri, Pure & aqua in ventriculis, &c.

Quidam ab equo vehementer calce percussus in capite, vulnus accepit ad cranium vix penetrans: Ab initio conquestus est de capitis & colli intenso dolore: Aperto mortui capite invenimus putredinem dimidiam partem cerebri occupâsse: In ventriculo laterali & medio plurimum tum puris tum aquæ, subrubro colore tinctæ vidimus; Dura membrana fuit integra &c. *Vide l. 4. Tit. de Vulneribus.*

Dimidiam partem cerebri) An cerebri substantia doleat: hoc libro disquiremus: Id vero sentire, quanquam obtuse, ex eo ostendit *Rondeletius* quod qui vulnerati sunt frigus usque ad medium cerebri sentiant.

Observatio LXXXVI.

Intolerabili capitis dolore in quodam affecto à diuturna lue, Cerebrum pene consumptum repertum est: Cerebri ἀναλγησία.

In Xenodochio S. Petri & Pauli, Andreas Lippeneus, scortorum amantissimus & perditissimus, post diuturnum morbum Gallicum, variaque symptomata, tandem in crude-

lissimum capitis affectum incidit, cui nullæ auxiliatrices manus profuere, diæta quater repetita, bis suffumigiis factis, & quinquies inunctionibus administratis: Nilominus noctu dinque, sed tamen magis noctu cruciabatur, ut frequenter manus sibi violenter inferre tentaret. Demum empiricus quidam doloribus quasi enecato ægro & veluti desperato, nobis nescientibus, pisces, tenchas vulgò dictas, plantis pedum alligavit, & fere per totum diem ac sequentem noctem detinuit: At paulatim viribus animalibus & vitalibus in tanto cruciatu deficientibus, hanc miserrimam in meliorem commutavit vitam.

Quo defuncto, facta est dissecandi potestas: factis ergo necessariis sectionibus, cranio serra orbiculatim aperto, & à suis membranis, dura & pia matre liberato, Nihil cerebri in toto cranio reperi, præter quandam mucositatem & phlegma valde indigestum, quod vix quartam cranii cavitatis opplebat partem: Interim tantus fœtor ex pedum plantis, quibus admoti fuerant pisces, emanabat, ut nulli assistentium ibi adesse licuerit: Unde raptim aperto abdomine, festinanter visis intestinis & naturalibus visceribus, cadaver sepulturæ tradendum reliqui. *Ex observ. D. D. Garneri.*

INterea non parum disputatum est an cerebrum à morbo Venereo & Venere consumptum? an vero à piscibus pedum plantis admotis, per spinalem medullam & alios nervos attractum, necne? D. D. Nicolaus S. Michael, alias Comascus, asserebar credibilius esse cerebrum à morbo & Venere consumptum fuisse, potiùs quàm à piscibus illis attractum, propter infinita obstacula quæ in ossibus ipsis, per quæ ferri debebat ipsum cerebrum, reperiuntur: Ex adverso quidam affirmabant ipsis piscibus summam vim inesse attrahendi, nec proinde mirandum, cum experientia doceamur quotidiana multam inesse vim rebus, quarum rationem assignare aut reddere non valemus: Quare liberum fuit credere quod unicuique secundum experientiam placuit. *Idem.*

Scortorum amantissimus in crudelissimum capitis affectum incidit) Cur Venus nimia tam acre cerebro bellum indixerit eleganter demonstrat Excell. *Willis de Anima Brut.* part. 1. c. 5. Humor genitalis, *ait*, non uti Hippocr. olim asseruit à cerebro in partes spermaticas defertur: nulli enim peculiares ductus hæc corpora longissimè remota interjacent, sed proculdubio ipsa massa sanguinea nobilissimam quandam sui partem in genitalia æque ac in cerebrum dimittit: Quamobrem ad testes cum nulli pertingant nervi, illuc arteriæ insignes admirabiliter per ductus varicosos & crebras venarum inosculationes conformatæ mittuntur, in eum nempe finem ut sanguinis purissimum florem, quasi per tortuosos alembici canales, longissimo ductu destillatum, proindeque maxime subtilem & elaboratum in illas partes deferant: Hujus quod superfluum est, aut minus defœcatum, non tantùm venæ excipiunt & reducunt, sed insuper quoniam à multo spiritu, magna serosi laticis (qui semper pro vehiculo est) quantitas redundat, id circo lymphæ ductus quamplurimi ab his partibus plusquam ab alia quavis producuntur: Quod autem larga humoris genitalis dispendia cerebro ac nervis valde officiant, iisque debilitatem insignem afferant, ratio est, quoniam sanguinis, ut feminis ad speciem propagandam destinati, jacturas resarciat, quicquid sui pretiosissimum est illuc confert & impendit, interim ut cerebrum debito penu defraudetur, maximis spirituum copiis in corpora spermatica delegatis: Quinimo sanguis eum è proprio penu genitalibus satis impertire nequit, tributa sua à cerebro aliisque partibus remandat aut rapit, ut illuc impendar, non raro item totius animæ ac corporis vires, ad vesanam insatietatem veneris explendam insumantur, atque in his desideriis unusquisque, vel imperitus, de flammis queritur, & non tantùm sanguinem efflagrare, sed gliscente magis incendio, medullas æstuare persentit: non raro item carnes, viscera & ossa concremari inque putredinem redigi experitur.

Nihil cerebri &c.) Cerebri consumptionem Hippocr. eleganti vocabulo ἀνάλωσιν vocat, iis familiarem qui pertinac ùs res & cogitant & tractant: Inde enim siccius & defæcatius redditum, arescit, marcescit & ἀνάλωσιν patitur; quod ne facilè contingat cautum est a natura, quæ glutinosa substantiâ id donavit: Quinimo ejus substantiam plane defuisse ab aliis compertum, Si fides *Valleriola*, *Carpo* aliisque habenda: *Nic. Fontanus* Amsterodami anno 1629. puerum sine cerebro se vidisse asserit, cujus locum, ut & spinalis medullæ, aqua limpidissima membrana inclusa occupabat: A nimio veneris usu imminutam observavit cerebri substantiam Exc. J. D. Horstius, ut restatur in Epistolis: Id autem veneris intemperie, necnon totum nervosum genus, lædi, autorum testimonia corroborant: *Salmuth* cent. 2. observ. 62. se novisse quendam ait cui ex nimio veneris usu cerebrum ita fuit exsiccatum ut etiam intra cranium hinc inde ferri audiretur.

* Id vero pro incerto habendum indicat *Diemerbroeck* Anat. l. 3. cap. 5. quod scribit *Horstius*, Quomodo, *inquit*, ille potuit scire an corpus istius hominis, de quo loquitur, antea plus cerebri habuerit? an illud antea viderat & ponderaverat? Nimia venus cerebrum quidem debilitat, sed an illud imminuat certo dici non potest; Hactenus *de Diemerbr.* At quanquam an minuatur quoad propriam substantiam dubium (quod tamen accidere possibile est, cum ipsa etiam ossa & dentes tabescant) intumescere tamen non negandum cum sanguis copiosius influit per arterias, quem venæ revehant: In multis ab ea causa defunctis observatum vel ipsas suturas ab invicem discessisse, vel dempto cranio, cum id reponere tentarum, nulla vi cerebrum deprimi potuisse, nec oras serra divisi committi potuisse: Si ab ea causa ampliatur cerebrum quidni à contraria imminutionem pati potest? Si à venere nimia vel sanguis, vel succus nervorum nutritius, aut lympha imminuantur, quidni concidet cerebrum & ἀνάλωσιν patietur?

Observatio LXXXVII.

Hemicrania sinistri lateris ob carotidem dextram intra cranium osseam factam.

DEfuncti caput aperui, in quo dum quæ ad ἐγκέφαλον pertinebant lustramus, carotidem dextram intra cranium emergentem, planè osseam, seu potius lapideam (cavitate ejus

ejus ferè in totum occlusa) invenimus, adeo ut sanguinis influxu hac via denegato, mirum videatur quare æger non interierit apoplecticus: at mens & functiones animales ad finem usque vitæ integræ fuerunt: Contra illud apoplexiæ periculum natura remedium satis aptum substituerat, nimirum ex eodem latere quo carotis defuerat, arteria vertebralis tubuli mole aucta, pari sua alterius lateris triplo major evaserat: quippe sanguis carotide exclusus vertebralis solito vectigali sese insuper addens, & duplicato fluvio in eundem alveum influens, arteriæ istius canalem ita supra modum dilataverat. Vir egregius circa initium ægritudinis suæ atroci capitis *dolore, juxta latus sinistrum*, torquebatur: cujus causa nescio an probabilior assignari possit quàm quòd sanguis carotide dextra exclusus, cùm primò in sinistram impetuosius irrueret, membranam distenderat: ideoque idem affectus postea spontè evanuit, nimirum *sanguine superfluo per arteriam vertebralem derivato. Th. VVillis Cereb. Anat. c. 7.*

HEmicrania] Propter quam causam dolor magis unam quàm alteram capitis partem exercet? Respondeo 1. Hemicrania magna ex parte fit per consensum, ut ea tantùm pars laboret quæ est è directo partis laborantis. Ideo lib. 2. de compos. medic. sec. l. cap. 3. dicebat *Galenus* in Hemicrania dolores fieri ascendentibus vaporibus &c, quasi velit per consensum fieri. 2. Caput aliquando passum est aliquid extrinsecum, magis in una quàm in altera parte: Sic ubi ulcus, aët externus lædens caput magis in una quam altera parte fuerit, hemicrania fieri solet: 3. Aliquando per multos annos caput universum doluit & tandem in hemicraniam desiit: Potest post diuturnum dolorem fieri abscessus qui succedat in una tantum parte, unde liberatur una pars, causa doloris remanente in altera: nam illa materia quæ erat quasi fermentum, ubi colligitur in unam partem, liberat alteram; quod contigit Episcopo Phocensi Polono, ex angina enim hemicrania facta est, cum dolor antea esset totius capitis: *Herc. Saxonia Panthei lib. 1. cap. 2.* Galeni sententia Hemicraniam fieri per consensum &c. intelligenda est non simpliciter, sed quod ut plurimùm, Nam quid prohibet fieri per essentiam, cùm ambæ tunicæ in duas velut partes, simul cum cerebro, per mediæ calvariæ longitudinem, ad amussim diremptæ sint? Si ergo affectus in una saltem illarum parte vel latere consistat, medium quoque tantum latus capitis dolore afficiatur necesse est.

Juxta latus sinistrum] Ad superiorem processum, Falcem ab Anatomicis dictum, nonnulli referunt quod hemicrania nonnunquam caput tentat, cohibita scilicet vi dolorificæ causæ ab hoc interseptimento, quo minus utrumque latus occupet, At falluntur hi graviter, cum hemicraniæ non internas subeant capitis partes, sed foris temporales musculos obsideant, humoribus biliosis irruentibus. *Spigelius Anat. lib. 10. c. 3.* Hippocr. tamen lib. de morbo sacro, rationem ab ea membrana cerebrum discriminante deducit, cur modò dextra, modò sinistra pars doleat, cerebrum, *inquit*, homini, ut reliquis animantibus, duplex est, cujus medium tenuis membrana dividit: Ideo non semper eadem capitis pars dolet, sed sigillatim utraque, interdum verò totum.

Sanguine superfluo per arteriam vertebralem] In quantum sanguis, aut serum ejus, modò per omnes simul arterias, scilicet tum carotidas tum vertebrales: modò seorsim per has aut illas, aut symbolas aut oppositas noxam in meningas transferunt, hinc fit quòd dolor interior, aut universalis fit, caput totum aut maximam ejus partem infestans: aut particularis, qui regioni cuidam privatæ limitatus, Hemicraniam modò in latere, modò in sincipite aut in occipite producit. *Willis, Tract. de Anim. Brut, pag. 2. cap. 1.*

OBSERVATIO LXXXVIII.

Atrox capitis dolor ab arteriis carotidibus induratis: Aquæ collectione sub pia matre, & Arenulis in Glandula Pineali.

ELizabetha Joppen per 25. annos intolerabili capitis dolore cruciabatur, qui dum primò alimenta masticare inciperet, vel aura tempestuosa adveniret, *ita exacerbabatur*, præsertim in latere dextro, ut lacrymæ fontium ad instar ex oculis erumperent, ac ejulatu domesticos & vicinos defatigaret: Ad inauditi hujus capitis doloris ablationem plurium Medicorum auxilia frustra imploravit, & tandem 9. Martii, anni 1669. ex hac lacrymarum valle ad superos migravit.

Aperto ejus cranio invenimus 1. sub pia meninge *magnam quantitatem aquæ* limpidæ. 2. Ventriculos cerebri simili liquore repletos. 3. In *glandula Pineali* plurimas arenulas asperas, quarum aliquæ calculi nomen propter magnitudinem merebantur. 4. Arterias carotidas, curiosissimo spectaculo, ita induratas offendimus, ut externa facie calculosas, sive in lapideam substantiam mutatas eas judicaremus: sed illis apertis, observavimus earum lateribus materiam callo-lapideam accrevisse: Per harum arteriarum medium sanguini adhuc quodammodo concedebatur via. *Ex observat. Regneri de Graaf Med. Delphensis. in Miscel. curios. anni* 1670.

IN glandula Pineali] Cartesius ejusque sequaces existimant glandulam hanc Animæ sensitivæ sedem esse; sed præter varia argumenta quæ contra nobilem hunc usum afferri possunt, arenularum in ea repertarum copia ostendit viliori officio destinatam esse, cùm nulla læsio sensuum internorum hic contigerit, quæ sine dubio emersisset ab ejusmodi extranei hospitis præsentia.

Magnam quantitatem aquæ] A seroso humore induci cephalalgiam palam est: Serum autem non pura puta aqua est, sed vehiculum salsi & tartarei humoris, qui in casu præsenti substitit & concrevit in calculos in glandula pineali; lateribusque arteriarum carotidum accrevit, aquea parte per lachrymas effluente.

Ita

Ita exacerbabatur &c.] Gal. 2. de diff. febr. causam præcipuam periodorum statuit insitam quandam cuique parti dispositionem, quæ nova occasione, ut novo affluxu humorum, sese manifestè prodit: Dico affluxum humorum, qui vel in parte ipsa generantur, vel qui aliunde sunt; Sic si cui hemicrania innata fit ob pravam partis cerebri diathesin, non prius solet repetere quam fortè ab ipso cerebro, aut partibus subjectis, humor advenerit qui partem lacessat, hemicrania tamen per protopathiam dicetur: Sic si dispositio in cerebro jamjam sit à parentibus contracta, quæ tamen non prius sese proferat quàm malignus vapor à partibus inferis venerit, qui partibus molestus sit, unde exsuscitetur pars ad expulsionem, unde convulsio sequatur, annon epilepsia ista per propriam affectionem dicetur? Itaque ille sibi pugnat qui dixit dispositivam ipsam in cerebro esse, sed causam in præcordiis: quanquam excusari potest, nam revera non repeteret paroxysmus nisi impuritas viscerum concurreret. *Ballon. lib. 1. consf. 60.*

Observatio LXXXIX.

§. 1. In iis qui occipitis doloris obnoxii vixerunt, cerebellum cerebro mollius repertum: In aliis aridum & friabile.

IN iis qui continuò dolore capitis in occipitio laborarunt, deprehendi cerebellum *mollius ipso cerebro*: In aliis aridum & friabile. *I. Riolanus Anthrop.* lib. 6. cap. 2.

§. 2. Quidam per biennium conquestus fuerat de dolore in occipite: Huic ipsa cerebelli substantia flaccida omnino, molliorque multò quàm cerebri substantia. *P. Pawius obs. Anat.* VIII.

CErebellum mollius ipso cerebro] Substantia cerebelli eum cerebro eadem est, duriuscula tamen ac firmior: Utriusque quasi medullosa est, densa; alba, mollis: Molliriei majoris in cerebello causa imputanda vel diuturnæ debilitati à dolore inductæ, tonum omnium partium dissolventi; Vel humoris præsentiæ, madefacienti & laxanti.

Aridum & friabile] *Heer* Observ. 4. Spadacrenes, narrat de quodam Cive Leodiense, Maniaco ex melancholia reddito, cerebrum illi siccissimum, durom, summaque in parte digitis friabile redditum esse, flavedine tinctum, ab acredine bilis; De capitis dolure nulla mentio, quia non abfuit, sed minimè observatus quia mens laborabat.

Observatio XC.

Capitis dolor à nimis arcta Suturarum compage.

PRovida natura perforatam esse voluit Calvariam, variisque suturis distinctam, ut purgando à recrementis cerebro nusquam occasio deesset: Quod autem Suturæ hunc usum inter cætera præstent, præter Galeni & aliorum testimonium, nos etiam ipsa experientia docuit: Paravi juvenem quendam secui, qui diutino capitis dolore vexatus nullis remediis sanari potuerat, In cujus calvaria vix suturarum vestigia apparebant, adeò erant compacta, ut in unum coacta capitis ossa viderentur: Quamobrem pro comperto omnes habuerunt, non aliunde ingentem, ac ferè continuum capitis dolorem, profectum esse quàm ex arctissima illa ossium compositione, ex qua nullus exitus patebat fumidis illis crassisque vaporibus, qui & perpetui doloris causa fuerant, & tandem mortem intulerant.

§. 2. Sed neque semel id mihi contigit experiri: complures enim secui qui dum viverent in frequentem capitis dolorem incidere solebant, in quorum calvariis exiguas suturas, & eas coagmentaras invenimus, neque in viris modo, sed etiam in muliere, quod mirum fuit, ut vix credibile: nudatum enim ac decoctum illius caput fere sine suturis offendimus, & hæc pariter multo magnoque capitis dolore quam diutissimè affecta atque afflicta, postremo Phrenesi laboravit & mortua est. *Columbus Anat. lib. 1. cap. 5.*

INde collige capitis suturas ad valetudinem non parum conferre, eoque magis quo laxiores: Neque audiendum Celsum qui l. 8. c. 1. caput sine suturis firmissimum atque à dolore tutissimum statuit: qui nisi de extrinsecus advenientibus causis intelligatur, parum probabilia attulisse dicendus est: Certum enim plus imminere periculi à causis domesticis, fuliginosis scilicet recrementis, quam à prioribus: Testis est mulier citata, quæ tandem phrenetica interiit: atque experientia, per quam constat saniores degere quibus laxiur suturarum compages contigit, iis quibus aut desunt aut pressius connectantur. In corpore autem ille suturarum defectus, vel arctior commissio cognosci nequit. Dolor ab ea causa excitatus, inquit *Hercules Saxonia Panthei* lib. 1. cap. 2. est antiquissimus: excitatur potius à causis internis quàm externis: nulla est passio ab aëre externo & reliquis, sed potius à vini potu nimio: à capite non excidunt furfures, nihil unctuosi adest, non adsunt excrementa, hine ratio suadet ut in illis capilli sint tenuiores, non prolongentur, non nigri fiant: Hæc vero signorum syndrome à *Saxonia* allata dubia est: generatio quippe & incrementum capillorum fuliginibus adscribi non debet, sed pinguiori sanguinis portioni, per arterias affluenti, nec ullum per suturas transitum agnosœenti.

Observatio XCI.

Capitis dolor à crassitie cranii, Suturarum absentia, & Aqua multa in ventriculis cerebri collecta.

Generosa quædam mulier, (*vide historiam l. 4. de Febribus*) in gravissimos dolores incidit circa ossium nudam, præcipue articulorum, regionem, cum capitis intolerabilibus cruciatibus &c. Huic capitis *cranium crassum* inventum, atque integrum sine suturis: ventriculi in cerebro aqua limpida pleni. *Platerus observ. lib. 2. p. m. 503.*

Intolerabilibus cruciatibus) Quorum origo adscribenda cranii densitati & suturarum defectui: Nam cum, ex Galeno 9. de V. P. cap. 1. cerebrum abundet excrementis crassis & tenuibus in eo genitis: deinde etiam vaporosis in illud è subditis partibus ascendentibus, illa si intercludantur, crassis neque per nares & palatum exeuntibus; neque vaporosis per suturas transpirantibus, dolores inde fieri necesse est: Compertum præterea eos quibus duplex accessit à natura sutura lambdoidea, à dolorib. in totum fere immunes esse, necnon eos quibus sagittalis os frontis ad nares usque dividit.

Cranium crassum) Crassities cranii non est in in omnibus eadem: Persarum leviore ictu lapilli pertundebantur, secus ac Ægyptiorum: Hispani, teste A. Cadamusto, ducturi novos milites in insulam D. Thomæ, vicinaque Æquatori loca, id in primis inculcabant ne cum incolis confligarum unquam ipsorum caput peterent, quod enses protinus dissilirent: Crassities in delicatis mediocris est; evidentior in durioribus habitibus, & præcipue rusticis, quod in terebrationibus observavit Carpus, comm. in Mundinum p. 310. qui causam hujus rei refert, quod delicati caput semper bene cooperiant biretris & pileis: rustici autem per frigora & æstus nudo incedant capite, frigus verò omnia induret: Propterea monet idem Carpus patres familias, ut liberorum suorum capita non tegant multis operimentis, ex ea enim nuditate natura corroboratur, & externis injuriis ferendis aptissima evadit. Hoc observant Patavini, quorum liberi portantur nudo capite per plateas, etiam media hyeme: pueri incedunt per hyemem nudis capitibus, æstate eadem muniunt pileo adversus Solem: *Rolfinkius Dissertat. Anat. l. 2. c. 9.* Sed si à frigore confirmatur caput, quia id durat cranium, an verisimile huic mulieri cranii crassitiem doloris causam extitisse? ℞. extraordinariam fuisse illam crassitiem, accedente forsannimia densitate & suturarum absentia: 2. Cranii illam indurationem adversus causas extrinsecas caput præsertim tueri, intrinsecas vero potius cohibere, in iis præsertim quibus insigne vitium est partium œconomiæ naturali inservientium, à quo plurima redundat excrementorum illuvies, quale deprehensum in prædicta muliere: atque huic suppressæ imputanda aquæ congeries in cerebri ventriculis, dolorem ingeminans, quod plures ad cerebrum vapores elati sint quam ut exhalare, ob interclusas vias, potuerint: Qua de causa, notante *Riolano* Encheird. Anat. l. 6. c. 6. Natura duplicem calvariæ tabulam in mulieribus tenuiorem quam in viris effecit, quod excrementorum congestioni magis opportunæ sint.

Integrum sine suturis) Patæos ex Herotodo scribit Æthiopes, & eos qui regiones calidas circa meridiem incolunt, cranium durius habere, nullis aut paucis suturis discretum: Quod falsum esse docuit Æthiops nigerrimus publice à *Riolano* dissectus, cujus cranium nostris prorsus erat consimile. *Encheir. Anat. lib. 5. c. 6.*

Cranium crassum] Ea de causa capitis dolores qui per insignes febrium intermittentium paroxysmos prehendunt, his desinentibus, post aliquot horas perseverare solent: Materia scil. tardius difficiliusque resolvitur & discutitur propter cranii densitatem in capite, quam quæ per corporis habitum effusa est: Hac quippe nota caput per consensum laborare deprehenditur; quod affectus frequenter repetit & cedit, alterius incremento invalescit, illiusque remissione & affectu sublato mitescit vel levatur.

Appendix.

De immunitate à dolore Capitis ob cranii tenuitatem & perviam substantiam.

Anno 1596. dissecuit Fabritius Hild. caput detruncatum; cujus cranium in vertice vix papyrum crassitie æquabat, ubique instar ossis cribrosi perforatum: cutis, quæ extra cranium spiraculum, seu caminum illum cooperiebat, flavens fuit. Hominis robustissimi caput vix unquam dolore affectum fuisse existimat, ita ut ad extremum senium perventurus fuisset nisi prævenisset mors violenta: Ut à mortuis ad vivos transiliam, neque procul discedam, si conjecturæ locus est, maximam aut cranii tenuitatem, aut laxiorem suturarum in me suspicor copulam, aut utramque simul. Non semel contigit in Sacris ædibus, si sol tergum feriret, ut in opposita exhedra umbram excipiente, monentibus vicinis, manantem è capite, non secus ac è camino, manifeste fumum animadverterim: Hinc ante tricesimum annum vix cephalalgiam expertus sum; quæ deinceps molesta, frontis ambitu comprehensa fuit, eaque fugax, ab oblato ventriculo alimento coctionem celerem respuente: At naturæ id beneficium, quo causarum intus genitarum vim eludo, externarum efficaciæ opportunum reddit, minimum enim frigoris appulsum percipit caput, modicis tamen operimentis contectum, etsi capillitio jam pridem nudatum: Ejusdem vero raritatis, aut tenuitatis, insigne hoc esto argumentum, quod cum adolescens udum capillitium iride odorati pulveris aspergine exsiccarem, paulo post ejus odor in os redundaret, non secus ac si illum deglutiissem, cibique ingesti ea saporati mihi viderentur.

Observatio XCII.

§. 1. Dolor Capitis à Suturarum Discessione.

Solutio continui contingit aliquando in cerebro à causis internis, ab humoribus nempe biliosis aut salsis & rodentibus: aut ab humorum & vaporum copia, qui *distendendo dissolvunt continuum*. Verum autem tanta est aliquando ut juncturæ solvantur magno spatio, authore Aegineta, Quod vidimus anno 1593. in filio Domini Merindoli Aquensis, E cujus capite dissecto effluxit ingens copia serosi humoris, qui in ventriculis & tota cerebri substantia inclusus manebat: Distabant autem suturæ quatuor fere digitis à se invicem. *Iacobus Fontanus practica lib.* 1. *cap.* 3.

§. 2. Anno 1622. quo ingens pestis in Polonia grassabatur, tanta fuit ejus sævitia, ut in de mortuis rumperentur & suturæ divisæ apparerent.

Ut *juncturæ solvantur magno spatio*) Non pauci Suturarum ejusmodi distractionem in dubium revocant: 1. quoad exemplum à Fontano adductum, de puero hydrocephalo, ajunt Hippocr. illam in hydrocephalo non adnotasse, nec fieri posse credibile, nisi in puerulis & nuper natis, in adultis nollo modo. In aliis etiam affectibus id fieri ne possit pariter dubitant, nimis enim firmiter combinari ossa per suturas: facile quidem id contigere posse si modò serræ ubique modò committerentur, sed firmiorem esse compagem, ita ut nulla vi in defunctorum, vel naturali vel violenta morte, calvariis, & nonnisi ruptis felculis & securidicis separari queant. In cœmeteriis vero cum hæ extremitates sint læsæ, dehiscere sua sponte: Vulgi autem opinionem quod attinet, leniri à vinculo injecto dolorem, pet accidens hoc fieri ajunt, quatenus à valida illa constrictione sensus intercipitur & pars ipsa stupore corripitur: Sed authoritatibus & rationibus non pugnandum contra Sensus.

Qui nisi sint veri ratio quoque falsa sit omnis, Neque virorum arte insignium suspecta fides esse debet, quibus accedit Hildanus, cujus χειρεργεῖν insignis, ac imponere hac parte arduum fuerit; Refert is cent. 1. obs. 1. scirrhoso oculi tumore affectum quendam, antea dolore capitis gravissimo laborasse, & cerebri motum ab attrectantibus perceptum fuisse, in conjunctione suturæ sagittalis & coronalis: auditos etiam sonitus & cranii crepitationem, perinde ac si lignum finderetur, Existimat id factum, quod cranii suturæ, ob dolorem & inflammationem, copiosúmque in cerebro humorem, disjunctæ fuerint. Quamquam vero ipse *Fabritius* hoc in casu non fuerit oculatus testis, eadem tamen observatione narrat observasse se in honesto viro, laborante ex febri ardente cum dolore capitis acutissimo, illum habuisse suturas adeo disjunctas, ut per interstitium illud systole & diastole facile deprehenderentur. Idem asserit centuria 2. obs. 7. in Th. Houlen, febre continua cum intenso dolore capitis afflicto, circa sextum & septimum diem, suturas sagittalem & coronalem adeo à se invicem sejunctas deprehendisse ut adstantes non modo visu, verum & tactu systolen & diastolen cerebri, suturis digito imposito, eodem prorsus modo ut in pueris, antequam eorum cranium penitus obduruerit, facile percipere possent. Nec aliis Medicis intactus ejusmodi capitis dolor: Ita de eo L. *Joubertus* cap. 9. de cap. affectibus, Tantus, *ait*, quandoque est dolor capitis ut oculos extrudat aut submergat: Fit sane ex capitis plenitudine, quæ, impediente calvaria, nec expurgari nec resolvi potest: itaque separatio fit Suturarum, quam ego semel observavi in fronte cujusdam puellæ, cui unius lateris os alterius superabat latitudinem, post diuturnam in infantia cephalalgiam: Firmat Excell. *Thomas Bartholinus centur. V. hist.* 92. In cephalalgia, *inquit*, sæpius loco moventur suturæ, quod in vidua quadam animadvertit patens *Gaspar Bartholinus*: In Hibernia frequenter suturæ in adultis, modò coronalis modò sagittalis dividuntur, sequiturque dolor capitis ob solutionem meningis: Apud antiquiores Medicos monumenta ejus exstant: Interdum accidit, ait *Oribasius* monente *Montuo* Anasceves morborum l.1. c.9. capitis dolor ab apertione suturarum: Sanatur vero ligatura quæ cephalica dicitur, & revertentibus Suturis in suum locum cessat dolor: Ipsum Galenum *sub finem* comm. 3. in officinam Hippocr. assertorem habemus, qui suturas, quamvis sint arctissimè consertæ in viventibus, tamen facile interdum hiare pronontiat & dolorem movere: Imò Hippocr. ipsum qui loc. cit. ἀποσχέλισμα adhibet, quo hanc ossium διάστασιν, atque hinc natum dolorem, sanet. Et Gal. 2. de locis c. 7. βαρβαρικῆς διαδεσμοῦ meminit ex Archigene, in cephalalgiis citra phlegmonem, quæ compressione sua affluxum humorum & vaporum ad caput impedit: Interdum enim vapor seu flatus ex pituita viscida, copulis membranarum, pericranii scil. & duræ matris, inter suturas inhærente genitus, ita crassus & validus est, ut præter insignem dolorem, etiam copulas illas membranásque distendendo, compages suturarum cranii relaxet: malo huic mulieres non inepte fasciis caput vinciendo medentur. Fieri censetur ex capitis plenitudine, quæ nec expurgari nec resolvi potest, ideóque fit separatio suturarum, unde intensus & vehementissimus dolor, quem Hipp. 2. Coac. 1. tom. 1. vocat ἀλγημα σύντονον, κ̀ ὀδύνην ἰσχυρὴν, qui nonnunquam tantus est ut oculos extrudat: Hunc annotat Avicenna lib. 3. canon. sect. 1. tr. 2. cap. 2. Soda diversificatur secundum fortitudinem, mediationem & debilitatem: Fortem delineat his verbis, Sed cum alia est valde fortis, ita ut eum obviat sincipiti infantis, lenia habentis ossa, separat ipsum & frangit commissuram ipsius. Quia vero accurate de hac specie doloris agit *Arnoldus Bootius* Tractatu de affectibus omissis capitis 4. integrum hoc afferre libuit.

Frequens est in Hibernia ut capitis ossa à se discedant, ac notabili spatio dehiscant, præcipuè in coronali sutura, sed & quandoque in sagittali, idque à cœca & interna causa, absque ulla externa occasione aut violentia, cui malo promiscuè obnoxii sunt viri æquè ac mulieres, nec teneri modo ac delicati, sed duri quoque ac robusti, ipsique adeo agrestes, solibus & frigoribus, & omnigenis aëris injuriis, laboribúsque in

in summam corporis firmitatem durati: Comitatur hanc discessionem magnus capitis dolor, à lancinatione duræ meningis, quæ cranio plurimis fibris in plerisque corporibus alligata, ad istum ossium divortium distenditur atque in diversa divellitur: Hunc dolorem non est tollere vel placare ullis aliis remediis, præterquam ossium istorum ad naturalem situm reductione, quæ & sponte evenire solet: sed ut plurimum nonnisi aliquot diebus prius elapsis, Itaque præstat non expectare naturæ conatum, sed arte eum prævertere, præsertim cum interdum in aliquot hebdomadas ea cesset, notósque habeam qui mensem integrum sic excruciati, postea tamen coacti fuerant implorare opem meam, quam magno suo malo tandem neglexerunt: unicum autem hoc est in manibus præsidium, quibus prehensum utrinque caput, à fronte & summo occipitis, si coronalis suturæ compages laxata est: à lateribus verò, si in sagittali est vitium: sensim ac blandius primò adduci, posteáque validiùs stringi debet, donec in unum ossa coierint: quo facto, ne statim recidant rursus, mantili aliquo, validisque fasciis caput arctissime ligandum, iteratisque sæpius in orbem spiris, fideliter coërcendum est, atque ita in duos tresve dies relinquendum: quo toto temporis spatio quiescere debet æger, atque ab omni corporis exercitio capitisque motu abstinere. Operatio ista satis facilis est, quam tamen paucissimi Chirurgi peragere noverunt, quum multæ sint passim mulierculæ quę talem ejus usum sibi comparaverunt, ut promptè admodum ac feliciter eam expediant: meminit quidem hujus Suturarum dehiscentiæ *Sennertus Pract. lib. 1. part. 1. cap. xx.* dicens aliquando à causis internis suturas capitis disjungi, ut inter eas evidens sit distantia, quod eveniat humorum distendentium copia, docente *Aegineta*, & tale exemplum recitare *Jacobum Fontanum Pract. lib. 1. cap. 3.* de quodam juvene, in cujus dissecti capite quatuor digitos distabant; unde ingens copia serosi humoris, intra cerebrum collecti, effluebat. Etiam Pestis quæ anno 1622. in Polonia grassata est, tantam fuisse sævitiam, ut ea extinctis Cranium rumperetur: Sed totum ista de re sermonem claudit istis verbis *Rariora hæc esse & incurabilia*: quæ satis indicant alterius esse generis Discessionem ab ipso memoratam, & illam de qua nos præsenti capite egimus. Idemque dicendum de duobus illis exemplis quæ à *Fabritio centur. 1. observ. 1.* memorantur. *Arnoldus Bootius De Affectibus omissis cap. IV.*

Qui distendendo dissolvunt continuum) Quandocúnque Dolor ubivis circa partes capitis nerveas excitatur, ejus formalis ratio in eo consistit, quod spiritus animales ab invicem distracti & fugati, corpora continentia unà convelli & corrugari faciunt, adeóque sensionem molestam cient. Quod vero spiritus ita distrahit, ut inde sensio molesta oriatur, est aliquid improportionatum in ipsos spiritus, aut corpora eos continentia irruens, quod fibrarum poros & interstitia subiens, eas ab invicem divellit, simúlque spiritus ibidem hospitantes in ἀταξίας adigit. *Th. Willis cap. de Cephalalgia.*

APPENDIX.

§. *Capitis dolor à Suturarum discessione.*

§. I. ANno circiter 1648. exauthorato Græcii Cæsareo milite, quidam magnæ familiæ Colonellus, non solum militandi arte eximius, sed potandi exercitio celeberrimus, postquam Lutenbergici vini sese ingurgitasset copia, calidissimis ejusdem fumis ad caput imperum facientibus, divulsa magno cum cruciatu dura meninge; nunquam quievit nisi cum cranii contiguæ extremitates circa suturam coronalem, ad pollicis latitudinem dehiscerent atque à se invicem separarentur. Verum omne malum propter aliquod bonum, inposterum poterat bibere sine mentis perturbatione plures mensuras, multósque inebriare antequam à potu minimam sentiret læsionem. A vaporibus hypochondriacis & hystericis divelli suturas, non solum constat ex historia cujusdam Monialis ad me missa, verum etiam ex relatione Arnoldi Bootii constat. *Ant. de Pozzis Obs. 34. misc. cur. Anni IV.*

§. 2. Tantus quandoque est dolor capitis ut oculos extrudat aut submergat: Nonnunquam obvians sincipiti infantis, levia habentis ossa, (inquit *Avicenna lib. 3. fen. 1. tr. 2. cap. 1.*) separat ipsum & frangit commissuram ejus: *Paulus* similem affectum refert ad inflammationem cerebri: Fit sane ex capitis plenitudine, quæ impediente calvaria, nec expurgari nec resolvi potest, itaque separatio fit Suturarum, quam ego semel observavi in fronte cujusdam puellæ, cui unius lateris os alterius superabat altitudinem, post diuturnam in infantia cephalalgiam. *Joubertus in Praxi cap. de Cephalalgia.*

APPENDIX.

Dolor Capitis continuus in puella cui os Frontis mobile.

VIrgo Nob. ann. 26. conquerebatur quod maximis & continuis capitis doloribus à teneris unguiculis infestaretur, causam esse dicens quod cranium nondum esset concretum: Ego inquirebam an forsan Fontanella nondum ossea facta esset, Illa respondebat quod non: sed in risu, vel tristitia & fletu, aut forti loquela fere pollicis latitudine cranium dehiscere: Ego rei certitudinem percipiendi cupidus, caput tangens inveni quod os frontis esset mobile, & à sincipite se divelli pateretur, ita ut digitis quasi cerebrum posset attingi. *D. Frider. Lachmund. in miscell. cur. ann. 6. & 7.*

Observatio XCIII.

Cranium ἄῤῥαφον & crassissimum in quodam, qui nulla vi externa facile lædebatur in capite, nec unquam à causa externa dolebat.

Cum Patavii Medicinæ operam daremus, plura cadavera dissecuimus: Cum multa in his rariora observare licuerit, tum istud singulare in bajulo advertimus: Hic cum viveret nullâ vi externa facile lædebatur in capite, nec unquam à causa interna dolebat, etsi plerique prodiderint cephalalgias iis maxime familiares occurrere quibus cranium ἄῤῥαφον (*vapores ex inferioribus susceptos promptius non transmitteret*:) Aliter sane Celsus, lix. 1. *Raro calvaria solida sine suturis est, locis tamen æstuosis facilius invenitur, & id caput firmissimum atque à dolore tutissimum est: ex cæteris, quo suturæ pauciores sunt, eo capitis valetudo commodior est.* Nimirum quod causas externas attinet, has enim, ut frigus aëris, solis æstum & cæteras non facile admittit. Unde distinguendum patet, nam internis evetandis ad transpirationem insensilem, quo plures & ampliores, eo etiam commodiores existunt suturæ. *G.H. Velschius Observ. med. hecatsorea* 1. §. 77.

Nec unquam à causa interna, &c.) Hinc patet verum esse quod ajunt, Quamlibet regulam generalem exceptionem aliquam pati. An immunis cephalalgia fuit iste bajulus ob rebur facultatum naturalium & vitalium, probámq; constitutionem organorum, quæ superflua nulla congeri & redundare permitterent, sed protinus & perpetim è corpore eliminarent, accedente maxime valido exercitio, cujus ope halitus & fuligines è toto, unde molestia & dolor aliàs capiti imminet, assidua transpiratione extrapellantur? Adde, id genus hominum curis & studiis animum non gravare, vapores ad caput allicientibus, qui nisi per futuras exitum nanciscantur, id replent & dolore afficiunt: hinc senes, quibus per ætatem pressius committuntur, humidiore sunt cerebro, gravedinique obnoxii, à cohibitis illis vaporibus, quibus antea liber transitus, suturis hiantibus, concedebatur, accedente illiberali per habitum διαφορήσει: Cranium eorum qui æstuosas regiones incolunt, suturis carere ait Hippocr. lib. de structura hominis, nec ideo cephalalgiæ obnoxios tradit, quod facilis per ambitum corporis transpiratio, congestioni fuliginum in capite ansam præripiat.

Observatio XCIV.

Ingens capitis dolor ab ossis sincipitis dextri carie & Suturis obliteratis.

Hafniæ ulcus caput hominis invaserat in parte ejus dextra, quod malignitate sua ad cranium usque, sine tamen luis suspicione, serpsit, ut incredibilibus doloribus capitis mors lenta successerit.

Cranium defuncti accuratiùs consideravi, os sincipitis dextrum, à sagittali sutura ad temporalem, profundè caries corrupit, excavata prima lamina, & secunda transparente: Ex serpente carie reliquæ partes externæ utriusque bregmatis, asperæ & inæquales sensibus occurrunt, foraminula multa sunt pervia, præsertim ubi venæ transire solent: Prope lambdoïdeam caries bregmata separavit & manifestiora foramina hiant: Secundum cranii longitudinem diffunditur caries, salvis ossibus temporum, quod in cranii cavitate clarius apparet: nam os infinitis porulis ab osse sincipitis ad cristam, quasi acu diligenter pictum cernitur: Obliteratæ fere sunt suturæ sagittalis & coronalis, quanquam in homine, necdum senium prospiciente, ut mirum non sit quod internis injuriis expositus fuerit, ob impeditum vaporum exitum. *T. Bartholinus histor, VIII. centur. VI.*

Internis injuriis expositus) Contrarius videtur Celsus lib. 8. c. 1. quem ad concordiam revocant *Fallopius, Columbus, Riolanus*: Per transennam noto textum *Celsi* ita emendatum esse à P. Pavvio in codice, *Et id caput firmissimum atque à dolore tutissimum est ex cæteris, quo suturæ pauciores sunt, eòque capitis valetudo commodior est*, Putat ibidem in margine Celsum scripsisse, Adeóque non à dolore. *Idem.*

Observatio XCV.

§. *Capitis gravedo à carie ossis frontis, & læsione superioris orbitæ.*

Quidam Gravedine capitis afficiebatur, tandem subito in cataphoram lethalem incidebat. Patefacto defuncti capite, reperitur os frontis carie confectum, aliqua tantum ex parte, cerebro salvo, ac ejus integumentis integris. *C.V. Schneid. l. de aff. cap. Soporosis.*

Observatio XCVI.

Capitis dolor à carie cranii parte interna juxta cerebellum.

Juvenis diu capitis dolore vexatus, tandem ab Epilepsia vehementissima extinguitur. Diligenter calvariæ osse, in posteriori parte externa, perspecto, nullum ibi morbi signum

fuit; quo perpetuo dolebat, at capite adaperto, ossis posterioris interior pars, juxta cerebellum cariem satis notabilem contraxerat. *Zecchius consult.* IX.

Observatio XCVII.

Capitis dolor à Carie cranii & adhæsione cum membrana.

§. I. Quidam diuturna cephalalgia mirè torquebatur. Omnibus incassum tentatis, quatuor vesicantia cervici & scapulis affixa plurimùm profuere: pilulis deinde Cocciis irritata alvo quum tæniam dejecisset, dolor aliquantulum remisit, qui tandem hypocausto cessisse visus: Graviorem autem fuisse mali causam paucis post annis docuit eventus. Inopinato enim bidui dolore quum succubuisset ille, aperto cranio, cerebri membrana glutinoso humore obsita, quibusdam locis vix avelli potuit, osse passim carie corrupto, qualem in aliis cadaveribus deprehendi: unde lue infestati Venerea, sævis admodum capitis doloribus ab acri & venenoso humore nonnunquam excarnificantur. *Rhodius Centur.* I. *Observ.* LXXIV.

Cerebri membrana] Cum dolor omnis sit actio læsa, sive sensio molesta, à fibrarum nervearum spasmo sive corrugatione dependens, cephalalgiæ subjectum erunt capitis partes maxime nervosæ, h. e. ipsi nervi, nec non fibræ & membranæ, quales illud plures & maxime sensiles, tum supra, tum infra cranium dispositas obtinet. Sunt autem ejusmodi partes quæ dolore afficiuntur, imprimis duæ meninges earúmque processus, Nervorum tunicæ, Pericranium, aliáque periostia, musculi, panniculus carnosus, ac ipsa demum cutis: Quoad cerebrum vero & cerebellum, eorúmque appendices medullares, statuimus hæc corpora, siquidem fibris sensibilibus, corrugari & distendi aptis carent, dolorum immunia perstare. Idem pariter de cranio dicendum erit. *Willis de Anima Brut. part.* 2. *cap.* 1 *p.* 244.

Fibras autem Nerveas immediatum Tactus esse organum statuit *Idem* parte I. cap. II. Si inquiratur, *ait*, quid in singulis aut membris aut partibus immediatum Tactus organum fuerit? Dicendum erit illud ipsum esse *Fibras Nerveas* spirituum animalium copia ubique refertas & quasi distentas, quæ tanquam fidium chordæ, quoties à tangibilium ictibus feriuntur, impulsum quemlibet ubivis acceptum, per nervorum ductus illico ad commune sensorium propagant. Enimvero cuti, panniculo carnoso, membranis, carni musculosæ, imo & parenchymaris quibusdam, tales densissimæ fibræ intexuntur, ut non solum in vola manus, aut superficie corporis tangibilium exteriorum appulsus sentiantur, sed quoties intus in visceribus humores acres, aut contenta prætetnaturalia vellicationem inducunt, istius sensio molesta peragitur: Quare proprium Tactus organum, nec cutis, nec caro, nec membrana, verùm ipsæ fibræ sunt quibusque istarum, aliarumque partium texturis insitæ.

Membrana glutinoso humore obsita] Excremento illius præternaturali: illa enim assiduitate doloris labefactata, & à naturali constitutione deflectens, proprium alimentum in substantiam ritè convertere non potuit, sed illud imperfectè assimilando in glutinosum illum humorem commutavit. Quod idem contingit in dyssenteria, ubi mucosus humor copiosus excernitur.

Graviorem fuisse mali causam) Cùm dolores capitis in morbo venereo sunt vagi, tum proveniunt à flatibus: Cùm vero sunt fixi, tum signum est eo in loco fieri Talpariam, i. e. abscessum ossis. *Joh. Posthius in Observ. ad Columbi Anat. p.* 514.

Observatio XCVIII.

Capitis dolor ab adhæsu crassæ meningis cum cranio.

Philosophus quidam intolerabili capitis dolore tenebatur: pars dolens in sincipite magnitudine digitum non superabat.

Aperto capite, crassior membrana ea parte in qua dolor excitabatur calvariæ adhærebat, pauculo humore putri interjecto. *Fernelius lib. de Abditis* 2. *cap.* 15.

Cum virus Venereum Cerebrum summámque corporis arcem obsidet, multa supervacua, pro partis conditione, pituitosa colligi necesse est, quæ si interclusa capite contineantur, magnum & acerbum dolorem commovent: Quamquam enim pituitosa videtur materia, veneni tamen maleficio perfusa acrimoniæ particeps est, hinc sub ossium membranas se recondens, tum acrimonia, tum distensione dolorem excitat: In ossium verò substantiam per tenues quasi tubos sese inserens, illa diffindit dilatatque in tumorem, quæ randem carie consumpta putrescunt: *Idem ibidem & cap.* 4. *lib. de lue Venerea.*

Observatio XCIX.

Capitis dolor ab humore maligno cranium, subditas membranas ipsumque cerebrum exedente.

Rem in hydrargyro admiratione dignam, à nullo quod sciam animadversam contemplemur: hic enim si quis rerum eventus bene observet, non modo pituitosis morbis obnoxia nostra reddit corpora, partésque omnes, inprimis carnosas suo frigore & humore lædit, verum ita labefactat, & sua qualitate imbuit, vix ut corpus febre corripi possit, etiamsi multa scateat cacochymia. Anno à Christo 1556. Coriarium quendam Tonsor ut inviserem rogavit, rarum affectum & observatione dignum me visurum dictitans.

is tametsi annos amplius decem post curationem, per hydrargyrum, ita salubriter exegerat ut videretur percuratus: repente tamen exorto in sincipite dolore diutius perseverante, non modo ejus partis os totum paulatim computruit exesúmque est, ut fistulatim excideret, sed & cerebri utraque meninx eadem putredine absumpta, subjectáque cerebri substantia in abscessum conversa est, unde magna puris copia (miserabile visu) per multos menses, non ex ea tantum parte, sed ex utriusque oculi angulis etiam stillavit, dentes exciderunt omnes: Hic tamen neque febre corripi visus est, neque cibi fastidio multum premi, neque extenuari, dum ad ventriculos cerebri ventum est, quo tempore mors repente hominem diu miserè afflictum è medio sustulit. *Fernelius lib. de Lue Ven. cap.* VII.

S*Uo frigore & humore lædere.*) De Hydrargyri temperie lis est, alii enim frigidum, alii calidum statuunt. *Fernelius* aliquot argumentis pro frigiditate pugnat, atque præcedentem historiam in ejus confirmationem adducit. Rectius vero sentiunt qui calidum id existimant, quod patet, *ait Sennertus lib.6. cap.21.* ex maxima vi penetrandi corrodendíque, ita ut etiam metalla penetret ac erodat: Qui vero ex effectibus frigidum esse colligunt; ii falluntur, causam pro causa sumentes: Sic Aurifabri, & qui argentum vivum tractant, rarò sunt vivaces, sed stupori, tremori, paralysi, catarrhis suffocativis & apoplexiæ obnoxii. Hæc vero non præstat frigefaciendo sed peculiari & abdita vi, cerebro nervísque infesta: Damnum à mercurio illatum, calefacientium usu emendatur, castoreo, salvia, rorismarino, &c. quatenus hæc cerebro & nervis familiaria sunt, & abdita vi mercuriali veneno adversantur: zinziber enim, piper & alia id non præstant, quia specifica hac vi, cerebro amica, destituuntur.

Dum ad cerebri ventriculos ventum est] Ex præconcepta opinione eos esse spirituum animalium officinas & receptacula. De eorum usu aliter sentiendi ipse *Galenus* 8. de usu partium cap. 10 ansam præbet, referens adolescentem Smyrneum ad alterutrum ventriculorum usque vulneratum, semet oculato teste, superstitem permansisse. Verisimile est Coriarium eousque malo obstitisse, donec cerebri corticalem substantiam transgressa corruptio, medullarem & profundam attigit, ubi spiritus generantur, & unde in nervos derivantur, qua affecta protinus è vita migrandum fuit.

Dentes exciderunt omnes) Dentium vacillatio & casus ab erodente succo pravo eorum radices contingit, quod in lue venerea sæpe evenire compertum; maxime accedente hydrargyrosi: mercurius enim ut cerebro, sic & dentibus bellum indixit. Testes sunt mulieres quæ fucis, quos is ingreditur, utuntur, quos vel excutit, vel nigrore aut carie inficit. Id vero observatione dignum quod Clar. *Thiemair* ex Exc. Joh. Jac. *Wepfero* refert, Hemicraniam & dolorem capitis frequenter fieri à dente carioso, quod & ab Hildano Cent. 2. obs. 10. notatum. Ratio hæc est, quod nervulus vitioso denti insertus, atque ob cariem denudatus, facillime ab ambiente externisque injuriis offendatur, malo sic ad nervorum initium inde propagato: Accedit dolore vigente serosa attrahi, ipsúmque caput humida colluvie ad dolorem usque compleri.

OBSERVATIO C.

Capitis dolor à Cranio sphacelato, Ichore putrido supra meninges corruptas, & Corrupto cerebro nervísque opticis.

TAurini Quæstor quidam jam menses aliquot insomnes peregerat ex gravi capitis dolore *circa sinciput ac tempora*, ob Venereum morbum: Ab omnibus oppidi medicis opem acciverat, verum morosus præsidiis non insistebat. Hic quoque ut illum inviserem rogat: consului ut capiti caustica aliquot apponerentur juxta proximas commissuras & super partes dolore infestatas, quod statim consilium difficilis æger recusavit: Ego vero Taurino secedens hunc non vidi unius mensis intervallo: Tandem iterum rogatus illum adivi, quem penitus lumine orbatum offendi, oculi tamen nil extranei pati videbantur, &c. Ego illi tunc persuadere nitebar ut pareretur cranium perfodi, renuit: Tandem ut causticum sincipiti adhiberetur ubi magis premebat dolor, fuit contentus, noluit tamen ferre ut apertum servaretur: sic statim decisa crusta sponte cicatricem obduxit, quare illum invisere destiti: Hic demum lx. dies post ad superos migravit.

Eum secuit L. Montanus, ubi *cranium* ad coronalis & sagittalis commissuræ regionem *sphacelatum* putidúmque invenimus, coronati regii latitudine: statimque cranio serra aperto, *abundans ichor putrilaginosus*, instar aquæ, fuligine fumarii & croco aspersæ profluxit, tum per ossis aperturam, tum per aures & nares, membranæque putidæ recta ad os affectum, verùm adhuc integræ erant, quæ solo tactu facile rumpebantur: corruptum & cerebrum & nervi optici, cætera verò viscera omnia integrè habebant: Censendum est huic potuisse conferre à doloris principio caustica, vel postea ossis effossionem, rationi si obtemperasset dum præbebat occasio. *Leonardus Botallus de Lue venerea cap.* 16. §. 17.

C*Irca sinciput ac tempora*) Dolor capitis à morbo Italico infestat maxime ex parte noctu circa partem anteriorem capitis, vel circa tempora, aliquando exteriùs, aliquando interiùs: cùm est exteriùs facile deprehenditur, nam sæpe tumores præter naturam excitat: Dolorem internum comitantur dolores articulorum. *Rondeletius meth. cap.* x. *lib.* 1.

Cranium Sphacelatum) Dolor ex carie cognoscitur si fuerit confirmatissimus: si suspicio aut luis

Venereæ, aut saniei circa os; quod fit post vulnera aut contusiones non rectè curatas, ut notat in observat. *Schenck ius*: Item, ex inæqualitate ossis, si tangatur; Et quòd in hac carie tumores exoriuntur, quandoque laxi quandoque duriores, ob imbecillitatem enim partis talia generantur: Quòd color partis mutatur ad luridum & fuscum. *Saxoniâ Panthei lib. 1. cap. 2.*

Abundans ichor] monet Hollerius Libello observ. 1. in dolore capitis sæpe saniem subesse inter cranium & pericranium, quod ut dignoscatur molliter vult digito contingi locum: Enim si fixus sit dolor, aperiendum, quod sæpe sic sanies effluat ægerque liberetur; alias metum esse ne os corrumpatur: Si quæ præterea illic vena est, aperiri vel ferro rescindi, nisi admodum sit insignis.

Abundans ichor putrilaginosus] Ejusmodi ichoris malitiam insigni exemplo illustrat Hildanus cent. 2. observ. 69. Viri cujusdam qui post sexennem gravativum capitis dolorem in crurum resolutionem incidit, cui supervenerunt ulcera in capite, non solum cutem & membranam carnosam, sed & ipsum cranium erodentia; qui ichor intrinsecè primum colligebatur, tabula vitrea prius erosa, antequam vitium in exterioribus esset conspicuum.

OBSERVATIO CI.

Capitis dolor ab interiore cranii tabula carie affecta.

§. 1. VIr xxx. annorum, non sine Venereæ luis suspicione, continuo capitis dolore laborans, post obitum aperiebatur, interior tabula cranii semicariosa apparebat. *Rolfinkius Tract. de dolore capitis p. 106.*

IN Lue Venerea sæpe ingentes & continui excitantur dolores, lacessito pericranio & periostio a carie cranii laminarum, aut ipsius meditullii, quod διπλόη ab Hippocr. appellatur: Non parcunt illis qui mercuriali inunctione vel ligni decocto curati sunt. Nob. Italus prope suturam lambdoideam, lati digiti distantia occupabatur dolore, spatiolo nummulum trientem vix excedente: Cruciformi sectione per scodiginum facta, cutis labiis diductis, & periostio separato, trepano facta apertura, caries observata: Ex lato fenestrato rasorio, profunde fere ad διπλόης cavernosum interstitium ablata, consolidato vulnere, æger ab omni insultu liberatus fuit. *Idem ibidem.*

Dolore] Doloris naturam & causas, pancis & remotis ambagibus perstringit Clar. Franc. de le Boë Sylvius Medic. Pract. lib. 2. cap. 1. Quemadmodum, *ait*, ex objecti sensorium demulcentis sensatione Voluptas excitatur, Sic ex ejusdem objecti sensorium lædentis perceptione Dolor producitur: Dolor non est tantùm sensus Tactus, sed sensuum quoque cæterorum affectio & molestum ipsis symptoma: Causa igitur omnis Doloris objectum est sensibile, aut intra corpus existens, aut forinsecus ipsi adveniens, atque sensorium quodvis molestè afficiens ac lædens: Sic lux nimia dolore afficit oculos, Sonus Fortis; Aures; Odor gravis & acer, Nares: Sapor mordens, linguam & palatum: Durities acuta, cutim & memoranas: Calor & Frigus urens itidem cutim & membranas: Nihil impedit idem Sensorium pluribus inservire sensibus: Sic oculi non tantum vident sed simul Tactu sunt præditi: Sic Lingua non tantùm Sapores dignoscit sed insuper duritiem, calorem & frigus: Cujus rei ratio videatur quod ad Tactus & Caloris sensum nullus requiratur sensorii apparatus, qualem desiderant Visus, Gustus, Olfactus & Auditus, idcirco peculiaribus organis alligati.

Quando autem Dolor ubivis circa partes capitis nerveas excitatur, ejus ratio formalis in eo consistit, quod spiritus animales ab invicem distracti & fugati, corpora continentia una convelli & corrugari faciunt, adeóque sensionem molestam cient. Quod vero spiritus ita distrahit, ut inde sensio molesta oriatur, est aliquid improportionatum in ipsos spiritus, aut in corpora eos continentia irruens, quod fibrarum poros & interstitia subiens, eas ab invicem divellit, spiritusque ibi hospitantes simul in ἀταξίας adigit. *Willis de Anima Brutor. part. 2. cap. 1. p. 214.*

§. 2. Juvenis quidam, cùm per aliquot annos gravi ac perpetuo capitis dolore laborasset, tandem moritur, quem Medici tam diuturnæ cephaleæ investigandæ causa dissecantes, interiorem cranii tabulam semicariosam, tanti doloris causam extitisse invenerunt. *Ex Petri Sphererij Medici Florentini Observationibus.*

HErc. Saxonia Prælect. Pract. l. 1. c. 2. ait perterebrato capite cujusdam ob cephalæam intolerabilem, repertum fuisse os corruptum, & supra meningem multam pituitam: *M. A. Severinus* Med. Effic. p. 2. c. 3. Chirurgiæ ossium, ait se scalpri ope invenisse in cranio tumorem & corruptionem, sic liberasse hominem.

APPENDIX.

Dolor capitis ab humore acri in capite collecto, potius cranium quam duram meningem erodente.

SUperiori æstate ad civem quendam Basiliensem, xxx. circiter annorum deductus fui: Laborat ille affectu plane abstruso: Elapsos ante annos sex vir iste dolore gravativo capitis correptus fuit & per menses aliquot continuo laboravit, Adhibitis remediis tandem ex parte iste remisit, sed crura ita resoluta fuere, ut in hunc usque diem ne digitum quidem pedum, multo minus crus movere possit: Non diu post resolutos, & quidem diversis temporibus, supervenerunt ulcera in capite, quæ non solum cutem & membranam carnosam,

xerûm

verùm etiam cranium ipsum erodunt. Sed, quod admiratione non vacat, verisimile est materiam illam acrem ac corrosivam, primùm intrinsecè colligi, carieque ista, antequam exteriùs appareat, tabulam vitream erodi: Si enim ulcus aliquod in capite oriri debet, ante omnia dolorem fixum illa in parte capitis intrinsecè persentit, etiamsi in cute nihil extrinsecus appareat, graviora tamen symptomata non affert dolor ille; Demum paulatim tuberculum in cute exoritur, sensimque ad suppurationem pervenit: Rupto tuberculo, quamprimum ossa cariosa sese extrahenda offerunt, atque hæc omnia absque maximo dolore & gravioribus symptomatis accidunt: ossibus cariosis extractis, cicatrix parvo cum negotio inducitur: diversas & quidem in diversis partibus capitis, vidi & palpavi cicatrices profundissimas: vidi & ulcus quod & tum temporis ad duram meningem usque penetrabat, interim tamen de gravioribus symptomatis minime conquerebatur: dolor erat exiguus, febris inquietudinésque fere nullæ. Ex hac historia singulare provenit problema, nimirum; Cur materia illa acris in ipso capite collecta, potiùs cranium, corpus solidum ac durissimum, quam duram meningem, membranam exquisitissimo sensu præditam, erroserit, neque graviora symptomata induxerit? *Fabritius Hildanus Cent. 2. Observ. 69.*

Observatio CII.

Capitis dolor ab humore virulento inter cranij laminas contento.

IN cranii meditullio, inter duas tabellas, nonnunquam colligitur humor, qui tractu temporis vitiatus acerbissimos cruciatus ὀστεοκόπους inducit, quod sæpius accidit in lue inveterata; Et tum exostosi quadam cranium protuberat. *Rolfinkius Dissert. Anat. lib. 11. cap. XI. Ex Riolani Encheiridio lib. 6. cap. 7.*

EX *Hippocr.* lib. de Vuln. cap. cranium est διπλόον, exigua parte excepta, spongiam referens, plenum carunculis humidis, quæ digitis compressæ sanguinem emittunt: Ex his vehementiore ictu collisis, sanguis qui exprimitur, comparata putredine, os inficit & corrumpit parte interiore, exteriore facie incolumi apparente: Exsudans quoque sanies ab interiore tabula, ipsum cerebrum contagio afficit, inducta illi putredine: In illo ipso spatio gignitur interdum Meliceris, (teste *Rolfinkio* Tract. de dolore capit. pag. 106.) qua terebratione supremæ laminæ detecta & vacuata, omnia salva fiunt, ingentium dolorum auctore excluso. Cranium, juxta sedem superciliorum, natura diffidit in duas tabulas, quarum externam lues venerea nonnunquam exest, ac tum inter sternuendum illac animæ iter est. Tabulis magna sæpenumero cavitas intercedit, ad os narium devexa, quam infercit tenax quidam mador, elaborando ad odorandum aëri; ut videtur, appositus: consentaneum verò est aliquid, atque multum adeò humotis per abditos interioris tabulæ meatulos sive recessus transcolatione quadam colligi, tractúque temporis vitiari posse, unde existunt postea cruciatus illi ὀστεοκόποι non raró statis repetentes temporibus. *Salomon Albertus histor. Anat. pag. 8.*

Observatio CIII.

Capitis gravedo à carie ossis frontis illæsis meningibus & Cerebro.

QUidam gravedine capitis afficiebatur, quam sequuta lethalis cataphora: Patefacto capite defuncti, reperiebatur os frontis carie confectum, aliqua ex parte, Cerebro salvo & ejus integumentis integris. *C. V. Schneiderus l. de aff. soporosis p. 241.*

Observatio CIV.

Capitis dolor ab interna diploidis particulis meninges pungentibus.

GRavi pondere in caput suscepto gestatóque, internæ diploidis duæ particulæ à reliquo cranio diffractæ, duodecennem cephalalgiam concitarunt. *Rolfinkius Tract. de Dolore cap. p. 107.*

Ruricola quidam *ex arbore deciduus* in lapidum acervum, calvariam perfregit, ut hinc meninges disruptæ atque divulsæ sint, &c. Et quanquam vulnus contectum ac consolidatum fuerit quinque septimanarum spatio, quia verò mediocres cranii portiunculæ in ambas cerebri meninges depressæ fuere, hinc ex earum compressione dolores, ex doloribus humorum affluxus, & tandem mors, Quod ex aperta calva innotuit. Vide histor. l. 4. Titulo de vulneribus.

Observatio CV.

Dolor circa frontem à lamina interioris cranij ἐνθλάσει, & purulentia circa partem cerebri.

VUlneratur quidam supra nares, &c. Septimana nona cum antea de dolore frontis gravativo conquestus esset, extinguitur: In loco vulnerato reperitur lamina interior

introrsa

intrusa, cerebrum quoque totum ex una parte purulentum. *Vide l.4.Tit. de Vulneribus.*

APPENDIX.

De dolore capitis, seu Hemicrania, ab introcessione particulæ ossis frontis, meningem subditam premente, hinc liberum per vasa excursum.

AB ineunte ætate gracilior & biliosa corporis mei constitutio est. Anno ætatis, si recte memini, 4. vel 5. ex cursu celeriori præceps factus, frontis supra supercilium dextrum tantam contusionem in platea passus sum, ut ex cicatricis magnitudine facile conjicere possim ad Calvariam usque penetrasse contusionem: Unde ætate procedente usque ad pubertatem, ex jejunio, ardore Solis & vini cujusvis parcissimo licet usu, per intervalla nunc longiora nunc breviora, pungentes in illa dextra parte dolores sensi, nonnisi post vomitum biliosum & hæmorrhagiam narium remittentes: Ab eo autem tempore, ob loci & victus mutationem, rariores ex jejunio paroxysmi me affixerunt, frequentiores ex cerevisiæ crassioris aut vini potu, in dextra scilicet semper frontis parte. Horum occasione animum ad Medicinam applicare cœpi, ut & aliorum & meas vitæ molestias declinare discerem: idque cum successu per aliquam multos jam annos factum adeo felici, ut per spatia bimestria & longiora doloris illius immunitatem facile mihi hodièque promittere possim, dummodo cerevisiæ crassioris, lupuli floribus conditæ, & vini recentioris, aut sulphuris fumo inebriati usu abstineo. Simulátque verò utriusque liquoris modicam quantitatem haurio, vel pinguia actu calida, aut aromatibus condita assumo, inprimis quoties in ultima mensa Cancros fluviatiles degusto, qui in prima mensa cum butyro ventriculum aut caput minimè lædunt, malum ita recrudescit, támque pertinaciter plerumque affligit, ut vix post XXIV. horas remissionem faciat, salva interim semper frontis parte sinistra.

Per isthæc itaque experimenta varia & frequentia, in eam deveni opinionem massam meam sanguineam, tempore paroxysmi, quacunque de causa, etiam odore croci, balsamorum fragrantium, &c. excitati, immoderatius effervescere, & ob transitum sub frontis dextra parte sanguinis chylosi difficiliorem, longiorem trahere moram, adeóque intemperiem meningi duræ, isthic ex collisione ibi olim læsæ conciliare, continuum solventem, doloris molestissimi auctorem: Credóque difficiliorem istum ibi transitum dependere, partim ex fibrarum meningis tunc temporis turbato ordine, partim ex ossis frontis proximi portiuncula introrsum coacta & protuberante, & comprimendo vasorum angustiam augente. *Ex communicatione Excell. & Clariss. DD. Mauritii Hofmanni PP. Altorfini.*

OB *transitum sanguinis chylosi difficiliorem*] A succi nutritii vitio quomodo inducatur Cephalalgia explicat Excell. *Willis* Tract. de Anima Brut. p.m.269. Interdum *ait*, Succus Nutritius cephalalgiæ periodicæ causa existit: in quantum scil. iste sanguis suffusus, & non ritè assimilatus, ob particulas discordes ei turgescentiam infert, proinde ut cruor in caput ebulliens, exuvias suas in meningas, aut illarum partes quasdam prædispositas ingerat, fibrásque adeo in spasmos dolorificos irritet: Propter hanc causam novi plures post variolas, morbillos, aliásque febres aut ægritudines, quibus sanguinis massa vitiari solet, cephalalgiæ quotidianæ obnoxios fuisse, videlicet totidem à pastu horis, modò citiùs, modò tardiùs, primò ruboris in facie suffusio, dein capitis plenitudo & dolor eos infestabant. Insuper à vini potu, aut alimentis turgidis comestis gravius plectebantur: morbi accessio ab assumptis magis aut minus distare solet, prout chymus, aut paulo post primum in cruorem ingressum, aut post aliquantulum in eo moram, turgescere incipit.

Et pag. 256. §. 3. In cruoris sinu prout serum, ita & *Succus Nutritius*, hoc est recens chymus, ex alimentis confectus hospitatur, ac unà circulatus, ejusdem quasi fluminis decursu illorum exorbitantiis obsequi cogitur; Quare cùm sanguis mox à pastu impetuosè aut inordinatè ad caput propiptur, succus etiam nutritius semicoctus aut depravatus, fibris illic membraneis affigitur, vel cationes dolorificæ succedunt: hinc enim est quod à pleno ventre exercitium, balneum, passiones violentæ, lectio, aut seria animi intentio cephalalgicis officiunt. Interdum succus nutritius sanguini non statim aut facilè miscetur, quin huic recens illarus mox turgescentiam concitat, adeò ut multi constanter à pastu intenso vultus rubore, non raro item cephalalgia afficiantur. Hoc vulgo, sed perperam obstructioni Eparis imputatur, cum revera à sanguinis dyscrasia, chymi accedentis mistúram ægre ferentis, procedat.

Quoties cancros fluviatiles degusto] Idem observatum ab Exc. *Bartholino* hist. 57. cent. 6. de cancris marinis, Novi, *ait*, fœminam quæ toties capitis dolores experitur, quoties in cibis cancris marinis utitur: Externæ figuræ, *addit*, & internæ signaturæ si quid tribuendum, non male capitis externi rotunditatem & cerebri anfractus sinúsque cum membranis, cancer rotundus marinus refert. Sed quid de astacis dicendum, in quibus ea similitudo desideratur? An ad antipathiam singularem recurrendum?

OBSERVATIO CVI.

§. *Capitis dolor ab ossea spina inter duram & piam matrem, sita, cerebri substantiam ingrediente.*

PH. de Arentio suspensus Romæ in platea pontis, qui quotidie Tabacco tum in fumo, tum pulvere utebatur, à me publicè sectus, Spinam quandam osseam, seu potius lapideam,

deam, tricipitem, Neptuni fasciam repræsentantem, habebat inter duram & piam matrem, in parte sinistra prope falcem, è directo intersectionis commissurarum coronalis & sagittalis, sed piæ ita fortiter adhærebat, ut sine laceratione ipsius avelli non posset: quinimo acuminibus in cerebri substantiam ingressa conspiciebatur: Quare si suspensus non fuisset, certè brevi mortuus fuisset, apparebant enim circa ipsam spinam inflammationis rudimenta, *Dom. Panarolus Pentecoste v. Observ. 14.*

Quamvis capitis doloris non meminerit *Panarolus*, eundem tamen abfuisse, præsentibus causis dolorificis, vix verisimile est, accedentibus etiamnum inflammationis rudimentis: Nisi dixeris cum Excell. *Th. Bartholino* in Anat. Reform. l. 3. c. 2. obtusiorem fuisse meningum sensum, ut in illo cui ossa tria sine damno adnata, Parisiis ab *Henrico Fuiren* visa; Venetóque illo cui os grandiusculum dentatum in falce, seu duplicatura meningis succrevit: Vel sensim causæ dolorificæ illum assuevisse.

Observatio CVII.

Capitis dolor à styli frustulo in cerebro relicto, ingruente tantum pluvia molestus.

Ioannes *Veslingius* ante suum iter in Ægyptum, ubi quinquennium Cayri Consuli Venetorum valetudini adfuit, corporis humani dissectionem Veneriis publicè instituens, in cerebro mulierculæ styli, seu pugiunculi subtilioris frustulum reperit, quod ipsa quinquennium gestaverat sine omni molestia, nisi quòd ingruente pluvia caput doleret. *Ioannes Rhodius cent. 1. observ. 32.*

Ingruente pluvia] An tunc temporis sicut in plenilunio madescens cerebrum turgensque, à styli cuspide vellicabatur; cæteris temporibus à dolore immune, quòd se contraheret, sic à cuspide non attingeretur. Sed quid dicendum de meretrice à *Zacuto* obs. 6. lib. 1 prax. Adm. memorata, quæ cultelli dimidium octennio intra cerebrum latens, citra noxam gestavit? An dixeris cerebrum esse insensile? At id non prorsus esse sensus expers, ostendit *Mercatus*, eorum exemplo qui capite vulnerati, dum tractantur appulsum aëris non ferunt: An forte eadem ratio cerebri quæ dentium, limæ attritum ferentium, non item calorem & frigus nimium? An forte mucore obductum fragmentum, cerebrum urgere non potuit ejusmodi clypeo munitum? Id vero sæpius deprehensum naturam solertem extranea corpora tali muco obvallare: sic lapis in vesica lentore tegitur, sic sæpe calculi renum, adeo ut ἀνώδυνοι gestentur.

Observatio CVIII.

Dolor capitis acutissimus, ex materia quadam lapidea duræ meningi adnata, aculeis tenuem perfodiente.

Nobilissima N. dolore capitis acutissimo diu conflictata fuit, eóque pungente admodum, instar acuum vel telorum parti infixorum, interdum vehementiùs, interdum minùs ipsam divexante: doloris vehementia pressa ejulabat, & ambabus manibus caput prehendebat: ad quem dolorem sedandum sæpe detractus sanguis: parti dolenti, cui instar verrucæ cujusdam callus inerat, admodum fuit pyroticum, & ad cranii perforationem deveniendum instabat Don. Pimpernelle: Hæc deinde in hydropem incidit, tandémque interiit.

Aperto cranio, inventus sub crassa meninge, juxta canalem anteriorem, seu torcular utrinque, indurata quædam materia & lapidea, instar cujusdam rupis inæqualis & aspera, aculeis multis, & veluti cati unguibus, conchyliis, variisque figuris distincta & variegata, ipsique crassæ meningi firmiter adhærescens, inter cujus inæqualitates venulæ ferebantur ad ligularum ferramentorum magnitudinem accedentes, quæ hanc materiam rigabant: supra tenuem meningem humor quidam mucosus repertus est. *Cattierus Observ. Medic. XV.*

Pungente admodum] Alias gravativus dolor inter signa recensetur: qualis exercuit Mercatorem Hungarum, de quo *Schenckius* p. m. 45. qui laboravit multis annis hemicranico quodam dolore gravativo, parte anteriore circa frontem: sed tandem validiùs nares emungens, lapidem eduxit ad unguis humani digiti latitudinem & pollicis crassitiem, illi non absimilem qui in piscis carpionis capite reperitur: At scabrities & asperitas materiæ hujus lapideæ, partisque cui insidebat sensus eximius, aliam doloris ideam induxit: Sic calculus renalis quandiu parenchymati infixus est gravitatis sensum exhibet: is ubi caput ureteris subit, dolorem acutum & pungentem excitat: Sequentia signa lapidis in cerebro tradit *Saxonia.* Continuitatem doloris ejúsque qualitatem, est enim dolor quidam fixus, nullis cedens remediis: adest gravitas, sine excrementis tamen.

Ad cranii perforationem, &c.] Natura monstrante viam, tuberculum excitante in parte dolente: Hinc Hollerius libello observ. *In intolerabili cruciatu capitis, qui & assiduus fit, nec aliis cedat remediis, ferro & igne utendum est: constat enim permultos melius habuisse terebellis vel cyclisco aperto capite:* Ipse Hippocr. lib. 2. de morb. non unam facit ustionem, sed in doloribus antiquis octo utitur, duabus in occipite, duabus in sincipite; duabus in angulis oculorum circa nares, duabus circa tempora: Alia

operatio

operatio Chirurgica est Terebratio, qua usum se ait *Saxonia* Panthei lib.1.cap. 2. in quodam R. Patre, quanquam non feliciter; quod contigisset ait ex natura patientis, non ex operatione: *Usi sumus, inquit*, Terebratione, & invenimus os corruptum, & supra meninges copiam pituitæ, unde in soporem & paralysin semper incidebat; quo tempore foramina erant aperta, melius habuit, sed cum occlusum esset foramen (nam invito Chirurgo concrevit caro) sopor rediit, & ita perduravit usque ad mortem.

Supra meningem humor quidam mucosus] Cujus eadem forte generatio quæ mucosi illius excrementi, copiosè profusi quibusdam calculo vesicæ laborantibus, quod falsò quidam proximam lapidis materiam asserunt, cùm sit vesicæ male affectæ, & ob præsentiam lapidis male transmissum alimentum conficientis excrementum, in hujusmodi mucilaginosam materiam transiens.

§. 2. A Chirurgo audio repertum fuisse os mirum, multis cuspidibus horridum, in dura matre cerebri, unde dolores æger capitis diu passus fuerat. *P. Borellus cent.4.Observ.XCIX.*

Observatio CIX.

Capitis dolor à lapide membrana incluso, in posteriore capitis parte, Aqua in ventriculis cerebri.

Filius Dom. N. decennis ex alto cecidit: morbus neglectus est, quia nec vulnus nec contusio extra apparebat, capite alioqui perpetuo dolente. Eo aperto Lapidem ex gypsea materia concretum, & membrana inclusum, in parte capitis posteriore, sub futura lambdoidea, inter duram & piam matrem, inveni, adeo adhærentem duræ matri, ut nonnisi violenter avelli posset. In tribus cerebri ventriculis, h. e. duobus anticis & medio, ultra duas libras aquæ limpidæ reperimus. *Vide lib.4.tit.de Plagis*, &c.

Hic triplex concurrebat causa doloris. Lapis, Aqua in tribus ventriculis contenta, (& procudubio per cerebri substantiam diffusa, cum ii excrementorum tantum conditoria habeantur) Et humor tumori, ad sinistram aurem exorto, fomentum præbens, cujus eductio doloris levamen attulit: Gravativum autem fuisse verisimile est, quia lapis cysti conclusus erat, nec aliter quam pondere aut compressione nocere potuit: Sic aqua ventriculis concepta gravamen tantum afferre valebat; si enim acrimonia prædita fuisset, expultricem ad excretionem sui commovisset.

Observatio CX.

Capitis dolor gravativus à lapide circa cerebri basin genito.

Patritius Venetus nil plane olfacere poterat, cum Dolore capitis obtuso & maxime gravativo, adeo ut caput semper in pronum & pendulum habere cogeretur. Dum cerebrum excavamus, tandem prope basin lapidem compressum, nummi instar Taleri, sed non omnino rotundum, cinerini coloris reperimus. *Vide Tit. de Narium affect.*

* *Prope basin lapidem*) Cum in omnibus partibus corporis calculus generetur, ut testatur *Sennertus*, & exempla collegit in Institut. lib. 2. part. 4. c. 9. quidni etiam in capite? Materia enim calculi per rotum circumvolvitur corpus beneficio sanguinis circulationis, ita ut mirari non liceat quod modo huc modo illuc concrescant, quin potius quod non ubique, sicut vero in metallorum fodinis, in visceribus & fibris terræ non ubique hoc vel illud metallum gignitur, sed ubi matrix apta ad recipiendum invenitur, ita & calculus non ubique coalescit, nisi pars illa receptaculum aptum se præbeat. *Cummenus Miscell. cur. anni 3. observ. 329.*

Observatio CXI.

§. 1. A lapide in posteriore parte capitis, inter duram & piam matrem.

Intra Calvariam, h. e. in cerebro, si generetur lapis non solum cephalalgia simplex, verùm etiam longè severiora sympromata sequuntur; Vidi id in puero decenni, qui quum per gradus decidisset, & posteriorem partem capitis gradibus allisisset, cerebrumque inde concussum fuisset, non solum sequutus est dolor capitis continuus, sed & plurima & graviora accidentia; quorum omnium causam in dissectione reperi.

Aperto enim capite, *lapidem ex gypsea materia* concretum & membrana inclusum, in posteriore parte capitis, sub futura lambdoidea, inter duram & piam matrem, inveni, adeo adhærentem duræ matri ut nonnisi violenter avelli posset. *Fabricius Hildanus cent.1.observat. 11. & cent.5.observ.1. ex Kentmanno.*

§. 2. Multis in partibus corporis humani calculi generari possunt: Observavimus concretos in capite & utero mulieris, cui dissecandæ in Scholis publicè præfuimus; *Hollerius lib.1.cap.48.in Scholio.*

In Historia tam D. Kentmanni quàm Hollerii omissum est quod maxime desiderabatur, videlicet quanam in parte cerebri reperti fuerint lapides: In hujusmodi enim historiis, & quidem tanti momenti, omnia ut ad unguem adumbrentur necesse est; alioquin cùm cerebrum, pars corporis nobilissima,

nobilissima, vix aliquid præternaturale ferre posset, non immeritò aliquis historias prædictas in dubium vocare posset, aut saltem admirari quomodo corpus adeò durum, solidum & asperum, per tot annos sine vitæ periculo in cerebro delitescere potuerit: Cùm manifestum sit hominem stupidum fieri, imò & plerumque vitam amittere, si cerebrum ab impresso cranio comprimatur & motus ipsius impediatur; At verò si rem diligenter indagemus, id nihilominus fieri potuisse fidem nobis faciunt anatomicæ dissectiones: Non tamen in qualibet parte cerebri id sine ingenti periculo, sed solummodo in sinu istο duræ meningis superiori, qui Vesalio aliisque Anatomicis est tertius, & à nonnullis torcular appellatur, fieri posse arbitror; Eo enim in loco, cùm inter dextram & sinistram partem cerebri veluti vacuum quoddam sit, minùs læditur ipsius actio, minúsque motus ipsius à re aliqua præternaturali retardatur: Hanc ego existimo esse causam cur puer iste, gestato calculo juxta concursum futuræ rectæ & lambdoideæ, per tot annos supervixerit: Hujus rei singulare exemplum habes cent.2.obs.2. de milite, cui post ictum sclopeti globulus plumbeus in capite per menses sex, sine gravissimis symptomatis remanserit: Observavi aliquoties vulnera cum cranii fractione aut impressione, minùs esse periculosa & mortalia circa suturam rectam, & in vertice quàm in bregmate, quæ Columbus Anat. lib.1.c.5. lethalia pronuntiavit: causam ex præcedentibus colligere poteris. Quæ vero in ipso cerebro nascuntur corpuscula dura, longe graviora excitant symptomata, ut videre licet apud Clar. Platerum observat. lib.1.pag.m.101. *Hildanus ibidem.*

Lapidem ex gypsea materia] Ubicunque generationi lapidis idonea materia reperitur, ibi lapis generari potest; At in cerebro ejusmodi materia reperitur, scil. serum, quo illud sæpe abundare certum est; Ergo & in cerebro lapides generari possunt: ut clarissime demonstrat Clar. *Platerus* Praxeos lib. 2. c. 12. Causam, *aut*, generationis arenularum & calculi, pituitam esse à calore partis adeò exsiccatam ut terrea indeque lapidosa fiat, communis est opinio: Verùm nos potiùs causam materialem hujus terrestreitatis in corpore genitæ, terrenam quandam substantiam, unde hæc prodit, statuimus, quam in sero inveniri sic ostendimus: Quemadmodum aqua continuò per terræ meatus, & fluminum ac rivulorum alveos defluens, materiamque terrestrem secum devehens, eandem locis ficciora, ubi facilius hæret alluendo, successivè deponens illisque agglutinans, sabulum, tophos & stirias lapideas gignit, eoque magis citiùsque si impura lutosáve sit, aut si succo nativo terrestri imbuta, salsa, nitrosa, atramentosa, existit: à qua sicut in thermarum aquâ videmus, in canalibus per quos fluit, materia terrestris illa adhærens & accrescens, calculi diversæ formæ effinguntur: Sic consimili ratione, serum ipsum concipiens salsum succum & terrestrem materiam, quæ indies in prima concoctione à Sale, quo perpetuo homo utitur, aliisque terrenis generatur, (sicut in bestiis quæ sale adeò delectantur, eoque reficiuntur continuo, muróśque ob id lambunt, uti capras facere videmus, in quibus plerumque, senescentibus præsertim, calculi inveniuntur) si eo maxime redundet serum, locis ficcioribus & angustioribus quæ pervadit, ubi & citiùs adhærescit, se agglutinando, arenulis & calculis postmodum inde formatis præbet materiam: Idque præsertim iis in locis ubi à sanguine secretum serum, continuò renes pervadit, unde & in illis frequentiùs arenulæ primum colliguntur: Sed & serum dum adhuc sanguinem diluit, idem quod in renibus & vesica, in certis ad illud aptis locis potest efficere: Quod etiam si excrementis aliis permistum adhuc sit, nonnunquam facit, eoque faciliùs si bilem diluens majorem inde acredinem siccitatemque acquirit; unde & in vesicula fellis tam frequentes aureo argenteove colore, bilis flavæ causa, tincti calculi deprehenduntur, illuc cum bile terrestri quoque & salsa repurgata materia: Quod uti à sero, dum in corpore est fieri observatur, sic & si illud è corpore per lacrymas exstillet, arenas quoque in ciliis deponere, illicque eas concrescere observavimus: Sed & in sero jam repurgato in vesicam, urina scil. qua ratione calculi in vesicam delapsi retentique, ab ea eodem modo incrementum sumant, squammisque novis, per appositionem continuam hujus terrestreitatis, obducantur, & in molem sæpe magnam excrescant, colligere licet: Apertiúsque adhuc in urina reddita in vas aliquod videre licet, quo pacto si diutius eadem matula utantur, nec mundetur, arenosa, & sabulosa illic accrescat materia, & nisi purgetur, in squammas crassas & lapideas tandem augeatur: Sic Chymici ex Lixivio, quod ejusmodi quoque terrenam in se habet substantiam, salia sua solent excoquere, &c.

APPENDIX.

§. I. *De Calculo per palatum rejecto.*

ANna Rietmannin annos nata 45. continuo capitis dolore admodum affligebatur: Ex omnibus prius tentatis, cum dolor subinde acerbissime rediret, acidulas petiit, ex quibus reversa post optime se habuit: Septimana demum proxime præterita, noctu post primum somnum, motum quendam velut rei viventis circa nasi radicem, vel paulo inferius evidenter animadvertit, obstupuit admodum, inque lecto erecta eventum anxie expectavit, & statim per palatum lapis sponte sua in os promovit, durus, asper, ex cinereo flavescens, admodum fœtidus (nucis moschatæ magnitudine) idque sine omni dolore, molestia, sanguine aliisque symptomatibus.

§. 2. Similis casus Bernæ accidit, Nobilis à Graffentied, annor. 36. cum anno 16[illegible]. aliquandiu contumacissimo & gravissimo dolore capitis, qui anteriorem partem ad suturam usque coronalem & dentes molares occupabat, laborasset; nec ullis remediis cedere vellet dolor, ut de recuperanda valetudine spes nulla esset, accidit ut quadam nocte, cum post ingentes cruciatus, multasque vigilias parumper obdormivisset, subito integram de[illegible]

baret familiam, & ita quidem ut non tantùm domestici, verùm etiam vicini accurreren nihil aliud putantes quam ipsum jamjam naturæ satisfacturum, quandoquidem tanta erat faucium angustia ac si aliquis laqueo eas strinxisset: In istis porro angustiis & suffocationis metu, cùm quoddam corpus, videlicet durum tuberculum, castaneæ magnitudinis, ejusdem coloris, ad fauces & os decidisset, illúdque expuisset æger, omnia mox remiserunt symptomata: Tuberculum autem hocce ex materia dura, & veluti caseo putridissimo constabat, & membrana validissima involutum erat: Ab eo tempore nunquam de hujusmodi dolore est conquestus, neque remansit ulla obstructio narium: ab arthritide tamen mirum in modum vexatur: *Fabritius Hildanus cent. 5. Observ. 1.*

Circa priorem casum hoc præcipue desidero, qualis fuerit odoratus tum ante tum post excretionem calculi, sed de his tacuit D. D. Rietmannus, præterquàm quòd adjunxit notabilem narium circa nasi radicem adfuisse obstructionem: Ex quibus colligo odoratum, si non abolitum, depravatum tamen fuisse: Cæterum, concretus fuit lapis ille vel intra vel extra calvariam, vel denique in ipsa calvaria, hoc est in cavitatibus ossis frontis, in superciliorum regione: Intra calvariam, h. e. in cerebro, si genitus fuisset, non solum cephalalgia simplex, sed & longe severiora symptomata sequuta fuissent, quod ostendit exemplum superius de puero decenni allatum: Porro cum Nob. Matrona Rietmannin nihil tale, excepta cephalalgia, experta fuerit, verisimile mihi videtur lapidem intra calvariam concretum non fuisse: nec video quomodo calculus ejus magnitudinis viam ex cerebro ad palatum sibi facere potuisset, quam spissum enim ac solidum sit cranium versus fauces, nos docet Anatome: Præterea, foramina in basi cranii existentia, venis nervisque destinata, adeo sunt exilia ut lapidem per ea exiisse incredibile sit: Demum, si in anteriori parte cerebri concretus fuisset lapis, quomodo os ethmoides sine ingenti exulceratione, & deperditione ossis & cartilaginum perforare potuisset, non video: intra calvariam itaque genitus non fuit: In ipsa præterea calvaria, videlicet in cavitatibus quæ sunt in superciliorum regione, inter utramque tabulam, minime quoque genitum fuisse fidem facit ipsius magnitudo: cavitates enim sive foramina illa utplurimum sunt tam exilia atque angusta, ut quomodo lapidem continere possent nondum videam: utplurimum inquam, in illis enim quibus frons superciliáque protuberant, nonnihil capaciores reperiuntur: Viæ præterea ex his cavitatibus ad nares angustæ sunt: ossa quin etiam, præcipue in adultis, uti est dicta Matrona, adeo sunt solida ac spissa, ut à lapide minime dilatari possint, nisi maxima intervenerit putredo & ossium corruptio: at nihil tale in dicta Matrona accidit, Ergo in istis cavitatibus genitus non fuit: Demum, si ibi generationem habuisset, potius per nares excretus fuisset quam per palatum, quamvis non negem ipsum etiam ex prædictis foraminibus facile ad palatum pervenire potuisse, præsertim si ipso illo tempore quo lapis movebatur, & ad exclusionem sese parabat ægra aërem viriliter ad se, uti fit quotiescunque mucum circa os cribriforme collectum & exsiccatum ad fauces attrahimus; Ergo nec in ipsis cavitatibus concretus fuit: Ex his apparet lapidem Dominæ Riermannin neque inter calvariam, neque inter duas tabulas cranii, hoc est in cavitatibus illis ossis frontis generatum fuisse: Arbitror autem extra calvariam, & quidem ad radicem nasi, circa os etmoïdes, à longo tempore collectam fuisse materiam excrementitiam lentam & viscidam, ex cerebro ibidem defluentem, eámque tractu temporis vi caloris, à continuis istis doloribus capitis, vigiliis & inquietudinibus accensi, & specifica quadam facultate exsiccatam, & tandem in lapidem compactam & induratam fuisse. Rem autem ita sese habere arguit satis, non tantum notabilis circa nasi radicem obstructio, verùm etiam motus ille veluti rei viventis, quem ægra paulo ante ejectionem lapidis circa radicem nasi, vel paulò inferiùs, evidenter animadverrit: Quoad posteriorem casum, in Domino Grafenried, Non dubito quin tuberculum hocce, si diutius remansisset, facile tandem in calculum induruisset: podagricos enim ad calculos generandos pronos esse docet experientia: Quod autem materia hæcce calculi adhuc cruda ante concoctionem & coagulationem rejecta fuerit, tum fœtorem longè gravissimum, tum etiam quod vicinas partes comprimeret, & proinde naturæ molesta esset, in causa fuisse existimo: hinc enim natura & facultas expultrix excitata fuit, ac quod sibi noxium esse percipiebat, rejicere conata est; idque potiùs per fauces quàm per nares: quæ enim nobis circa nasi radicem molesta sunt, ut est mucus, faciliùs vi ad fauces trahimus, quàm per nares extrudimus: Cæterum locum generationis tam lapidis Dominæ Rietmannin, quam tuberculi Dom. à Grafenried, circa os Ethmoides fuisse apud me nullum est dubium: nasus enim circa radicem cartilaginosus est, cavernulas quin etiam nonnullas habet, uti videre est in cranio quodam, quod in Musæo meo reservo, in quo sinus aut cavernula, quæ nucem avellanam facile excipere posset circa nasi radicem & versus latus dextrum conspicitur: Cartilagines præterea, quibus refertus est locus iste, corpori duriusculo facile cedunt, præsertim si accretio fit sensim: Observavi id in virgine, cui ductus auris ob innatum fungum scirrhosum haud parum extensus ac dialatatus fuit: Id si in osse duriusculo acciderat, quid non fieret in loco cartilaginoso? Cur autem obstructio circa radicem nasi in Matrona post excretionem calculi perstiterit, in Nobili verò nostro una cum tuberculo evanuerit, hinc accidisse mihi videtur, videlicet quòd in illa membrana, qua involutus fuerat lapis, circa os ethmoides remanserit: in hoc vero viro cum tuberculis rejecta fuerit, sed & cartilagines à calculo extra naturalem situm, & procul dubio versus os ethmoides depressæ fuerint, & obstructioni narium ansam dederint. *Idem ibidem.*

APPENDIX.

De Calculis per nares rejectis præcedente capitis dolore.

IN Dania nostra virgo Nob. ex naribus calculos emunxit forma & magnitudine dactylorum: Ex capite prodiisse id fuit indicium quod hanc plerumque excretionem dolores capitis

capitis præcesserint. *Th. Bartholinus Hist. xxxiij. cent. 1.*

OBSERVATIO CXII.

§. 1. Cephalalgia à calculo in cerebro nato.

Quidam diuturno atque intolerabili capitis dolore adeò fuit excruciatus ut dies noctesque nullam quietem caperet: Eum autem sibi mori usu contractum asserebat: Medicus curæ adhibitus nihil intentatum reliquit, sed tandem æger perpetuis *doloribus*, iisque acerbissimis *superatus, esse desiit.*

Prædictus Medicus, (*Pfeil*) dissecto ægri capite, in cerebro lapidem reperit magnitudine & forma mori, colore quasi pullo aut cinereo. *Kentmannus libello de Calculis.*

Doloribus superatus esse desiit] *Galenus* 1. de sympt. causis cap. 8. ait, In doloribus capitis minus periclitari ægros quàm in doloribus aliarum partium, ut aurium, dentium, oculorum, coli, periostii ab osse avolsione, eò quòd Cerebrum per se sensus est expers: Et 2. de comp. med. s. l. c. 1. ait ob dolorem capitis vehementem neminem unquam aut syncope correptum, aut se ipsum occidisse, quemadmodum quidem Coli dolore vexati fecere. Id tamen audiendum quatenus dolor non alios graviores affectus accersit, aliquando enim in paralysin, convulsionem, phrenitim, apoplexiam aliosve affectus desinit: sic refert *Saxonia* cuidam post dolorem capitis ambos oculos extra caput exiisse, sentiisse tinnitum & obiisse: scribitque *Hipp.* aph. 6. 51. In dolore capitis si repente superveniat aphonia, lethale esse, nisi febris superveniat.

In Cerebro) *Galenus* loco superiùs citato, Cerebrum per se sensus esse expers ait: At notandum singulos ejus anfractus & mæandros tenui meninge, exquisito sensu pollente, ubique vestiri, à cujus extensione, laceratione, divulsione, punctione, vel alia irritatione, vehemens exoriri potest dolor: præsertim si calcolus, vasa vel sinus cerebri premens, liberum humorum & vaporum commeatum prohibeat, unde doloris incrementum.

Lapidem &c.) Kentmanno testi multi præterea accedunt, quos recenset Schenkius. Easdem autem generationis habet causas quas in cæteris partibus; Succum scilicet lapidescentem in fæculentia alimenti latitantem, quod secum vehit serum ἔχημα τῆς τροφῆς, in quo exhalatio sicca & terrestris soluta est, instar salis aut aquæ calcis, cui pituita potest adjungi: Ibi igitur possibilis est generatio calculi, ubi conjunctio illa fit: prout exhalatio illa magis vel minus usta & attenuata est, hinc color intensior vel remissior exsurgit: Prout plus minusvè pituitæ ammiscetur, eò substantia solidior friabiliorvè est: In omnibus autem alimentis & poribus adest fuligo, ut sic dicam, quædam, qua in serum deposita, fit id salsum: inde urinæ & sudoris salsedo.

APPENDIX.

Globulus plumbeus menses sex, nullo symptomate superveniente, in cerebro delitescit.

Globulum plumbeum Vir Reverendissime, &c. In vacuo ventris, aut inter musculos, ad multos annos interdum delitescere posse experientia testatur: In cerebro vero id fieri nusquam visum esse arbitror: Attamen retulit mihi Joh. Griffonius, apud vos olim Chirurgus, casum tam admiratione quam annotatione dignissimum: nimirum tempore belli inter Ducem Sabaudiæ & Genevenses, in expugnatione Castri, *la Cluse* dicti, quendam ex Genevensibus, Clerget nomine; ictum sclopeti in fronte cum insigni fractura cranii accepisse: Ægro semimortuo Genevam adducto, se methodicam instituisse curandi rationem, imo ossa non pauca extraxisse, globulum tamen nullum se offendisse affirmavit: Nihilominus miserum hunc pristinæ sanitati restitutum fuisse, & semestre post curationem incolumem vixisse: Cùm verò morbo acuto tandem obiisset, cranium ejus aperuit, & globulum è regione verticis, inter cranium & duram matrem, ad latus Suturæ rectæ invenit, membrana tamen plane à globulo illæsa: Natura enim ea in parte materiam quandam callosam procreaverat, quæ duræ matri ad instar culcitræ subjacebat: *Fabritius Hild. cent. 1. Observat. ij.*

De Clergeto quod scripsi, sæpe me cum ipso locutum affirmo, ex quo sanatus est ex vulnere illi inflicto in capite, glandæ plumbea in ipso cerebro ad multos menses retenta: Postquam autem in excursione alia sauciatus vitam cum morte commutasset, & à Chirurgo extraordinarii casus illius investigaretur causa, audivi glandem illam ipso in cerebro repertam fuisse &c. *Antonius Fayus Theologiæ apud Genevenses Professor &c.*

OBSERVATIO CXIII.

Capitis dolor lethalis ab ossiculis circa falcem adnatis.

Dissecui corpus sexagenariæ, in cujus capite, parte interna duræ matris, Falce dicta, reperi sex ossicula lata, quorum quædam quatuor, alia quinque aut sex eminentiis, cuspidum acicularum instar acutissimis, donata erant, piam meningem quoque pungentia, hinc continuo capitis dolore vexata fuit: *Neander in Tabaccologia.*

L. *Botallus* Observat. Anat. 2. in cadavere officula quatnor, inter ntramque cerebri partem invenit, dextram videlicet & finistram, recta sub sagittali commissura posi:â, & sub torculari septo ipso affixa adnataque; quorum majus erat longitudinis crassitudinisque phaseoli, alia verò paulò minora, minimum sublongioris lentis speciem referebat: Dura erant, atque durissima cranii pars, intusque spongiosa instar ossis lambdoidis: An is in qno reperta sunt capitis dolori obnoxius fuerit non meminit: *J. van Horne*, notis in eum locum, ait bis idem à se observatum Lugduni Batavorum, & etiamnum se asservare falcem è capite viri clar. anno 1653. exempram, in qua spectare est ntrinqne, magis tamen à dextra parre, officula pluta è lata basi in acumen desinentia, & rupis cujusdam instar aspera & inæqualia, durissima item & valde solida, intusque, quantum oculis assequi licuit, quodammodo cavernosa: Cum autem suspicio incideret num continno capitis dolore afflictus fuisset vir ille, dum vita frueretur, negasse hoc propinquos: Absentia doloris cuinam causæ adscribenda veniat non video, cum patientis dispositio & causæ efficacia adfnerint; nisi dixeris circa primordia adfuisse dolorem, ac tandem hebetiorem esse redditum partis sensum: vel forte mucilaginosa qnadam materia obducta fuisse, à qua retusi sint aculei; quod in vesicæ calculeo contingit: Vel ab initio cartilagineæ mollitiei fuisse, qnibus sensim indnrescentibus, paulatim assueverint partes circumsitæ duritiei increscenti.

Observatio CXIV.

§. 1. *Capitis gravitas ab hydrargyro post inunctionem in capite relicto.*

IN Xenodochio incurabilium Romæ, in illis qui post mercuriales inunctiones obierunt, capitis tibiarumque ossium cavitates argento vivo scatere deprehendi: Atque in uxore I. C. cujusdam (quæ frequenter inunctione ex hydrargyro usa erat, & in eam capitis gravitatem devenerat, ut eo parùm in latus aliquod inclinatò, statim illuc magnum pondus deferri perciperet, nec caput, nisi adhibita manu, attollere poterat) binas ejus uncias inveni: *Petrus Castellus Dissert.* I. *Dodechap.chalcant.p.7.*

§. 2. Docet hoc Aurificis Anatomia Romæ facta, qui cum summos capitis dolores passus obiisset, in aperti capitis cerebro plusquam libra una Mercurii reperta fuit, ex vapore ejus hausto ibique congelato. Ex observ. *Ph.Iac.Sachs Medic.Vratislaviensis.*

§. 3. In fœminæ calvaria quæ fucis ex Mercurio quotidie usa, & per biennium enormi capitis dolore fatigata, in osse calvariæ unciæ duæ Mercurii inventæ fuerunt. *Zwingerus Theatri f. 520. Ex Cardano de subtil.*

AUrifabri, aliique qui nimis crebro Mercurium tractant, aut ejus fumum oreaut naribus incautiùs rrahunt, nervorum vitiis afficiuntur: Neque absimili modo, (notante Kirchero de atte Magn. l. 3. p. 2.) Mercurius cerebrum nervosumque genus subit, quô vas Mercurium continens; Si enim loco clauso exponarur vas aureum, & dein Mercurius supposito igne in auras abire permittatur, qnem sublimem avolasse credis, eum simulara fuga in aurei vasis amplexibus hærere deprehendes: Unde infert, cùm non raro in craniis sepultis inveniarur, ea esse talium artificum, in quorum cerebrnm vaporis specie per nares irrepserit, ubi concrescat, ac etiam post mortem superstes sit, non verò generetur, quod crednnt qui Mercurium materiam Lapidis Philosophici falso experimento jactant. Quin & exterius admotus per poros corpori se insinuat, divisis particulis iterum se unienribus; hinc, notante Excell. *Bartholino* cent.1.hist.7.ex mamma cancrosa Mercurius exstillavit, quod lamina admota unguento Mercuriali affricta fuisset: *S. Jacoz* apud *Riverium* obs.13.aureum globulum naribus indit, & nummum aureum ori, ad eliciendum Mercurium è Capite eorum qui ob luem veneream inunctionem passi sunt; & *Zacutus* Prax. admir. l. 2. obs. 128. ex articulis ejusdem extractionem per applicarum aurum foliatum tentat: *Campanella* Principi, ab eadem innnctione doloribus habitus vexaro, admorionem cucurbitularum aurearum consulit,

Observatio CXV.

§. 1. *Capitis dolor pruriginosus à pediculorum caterva sub pericranio & intra cranii diploas latitante.*

MAttronam in Auvernier (oppidulum est Principatus Neocomensis in Helvetia, quod lacus alluit) pluribus mensibus χρονιωδῶς Capitis dolor adeo immanis divexavit, ut nullas inducias concedens ab omni consortio, imò etiam sacris cœtibus eam segregaret, perpetuóque scalptu caput dilacerare impelleret, non secus ac eos qui id pedibus obsitum habent, ut cum Titinnio loquar, quamvis nulli decuterentur pediculi: Interim nubentis sororis cæremoniis interesse coacta, doloris insaniam toto bihorio in Sacris ædibus sustinet, semihora in convivio nuptiali, unde se subtrahit lecto ultimo se traditura, in quo paulò pòst, ferociente dolore spiritusque exhauriente extinguitur, à denegaro solito solatio & anodyno quod concedebant ungues.

Mortuæ divisis capitis integumentis, sub pericranio Pediculorum myriades deprehensæ: dissecto vero cranio, ejus meditullium iisdem scatens animadversum, qui viam vi, procul dubio persuturas sibi fecerunt;

Totum corpus ejusmodi animalculis in prædam cessisse novum non est,

Quis non paveat Pherecydis fata Tragædi: &c.
Sylla quoque infelix tali languore peresus
Corruit, & fœdo se vidit ab agmine vinci.

Recentissimum vero exemplum suppeditavit annus 1673. exeunte hyeme: E sexcentis Equitibus, agmen Generosiss. Marchionis de Lussinge Allobrogis, castra Maximi Regum sequuti, componentibus, vix decima pars superstes evasit, plerique non armis cecidere sed dysenteria: Reduces vel pedum gangræna confecit, à diutina in paludoso solo mora, indesinentique ocrearum gestatione; vel Phtheiriasis: Adeo ingens Pediculorum numerus corpus occupabat, ut paucis diebus fœdè & miserè illi interirent: Ne ipsis thoracibus bubalinis (familiari Equitum vestimento) pepercerunt, in quibus domicilium quæsierunt, crebrisque effossis cuniculis perterebrarunt & eroserunt. Morbi autem Pedicularis speciatim caput invadentis ac ad necem deducentis, nullus quod sciam meminit, præter unum *Hartmannum*, qui *Praxeos Chymiatr.* l. 2. cap. xvij de Pediculis cerebri agit; à se autem visos, aut ab alio non memorat: quibus abigendis præscribit cerebri purgationes, ptarmica, suffumigium à candelis ex cera & cinnabari trita confectis accensisque: turundas ex mercurio dulci in pinguedine capi distemperato naribus inditas: Tria vero ejusmodi animalculorum recensentur genera; primum palpebris, barbæ, superciliis, axillis, inguinibus, pubi, infestum est; cæteris partibus parcit. Italis *Piattola* dictum, Gallis *Morpion*, durum, depressum, cuti pertinaciter affixum: Secundum commune partibus omnibus quæ pilis vestiuntur: Tertium sub cuticula latitans, præ parvitate visum pene effugiens, Acari dicuntur & Cirones: Sed verius quatuor species statuendæ, secunda enim divisionem revera admittit, cum colore, figura & indole diversi sint: quandoquidem capillatæ capitis sedi infesti nigricant, ejus perpetui incolæ, nisi pectine aut aliter deturbentur; Ideo Nigri dicti & Capitis: Alii, excepto capite, ubique oberrant, Albi vocantur, caput nunquam invadentes, circa loca constricta præsertim hærentes, cruralem fasciolam, maxime circa collum, ob nidulandi commoditatem in indusii rugis, hinc utrisque limes constitui videtur, ut neque Nigri infra tendant, neque Albi capillitium affectent, quos oblongos ait esse *Hafenrefferus* Nosodoch. l. 1. cap. 10. etasßores in parte posteriori, desinentes in acutum versus caput; in vestibus laneis & sordidis latitantes, interulis gregariorum militum, remigum, mendicorum: Ab his Phtheiriasis inducitur; à prioribus internecio fuit misellæ mulieris. De generatione verò importuni illius animalculi consulantur Medici & Philosophi. Verisimilis est eorum sententia qui ortum ex succis calidis & humidis deducunt, tertiæ concoctionis reliquiis, modica putredine affectis: Pronam verò esse hominis carnem & succos ut in ejusmodi animalculi materiam facessant, sive vivus sie sive mortuus (quanquam Rondeletius neget in mortuo fieri, quod cadaver fugiant) ostendit Historia sequens. Ante annos circiter xxx. in pago quodam Ditionis supra memoratæ, Braut dicto, ad fauces vallis Transversæ, qua iter est in Burgundiæ Comitatum, Diversitor erat celebris artocreatum, ob carnis teneritudinem & sapiditatem insignium, confectione, ut eo omnes rustici è vicinia ea de causa confluerent: Quidam advenit empturus ad hilaria celebranda, Diversitor unicum superesse ait ante octiduum factum: ille non abnuit, pretium solvit, discedit, mensæ apponit: operculo cultro remoto, per superficiem oberrantes pediculos animadvertit: convivarum unus è carne humana confectum ait: conjectura non fallit, in sectione pergendo digitus humanus reperitur: Res illico ad Judicem delata, (Majorem de Rochefort) qui Diversitorem comprehendi jussit, examini & torturæ subjici, extortaque veritate cum cæteris omnibus pagi incolis, latrocinii quoque reis, inter quos fuit & mulier, rotæ post confracta membra imponi. Novimus præterea juvenem calidi & humidi temperamenti, à sorditie alienum, qui pruritum in pectore sentiens, eo nudato pustulam deprehendit, quam digitis comprimens, inde pediculum adultum expressit: Porro infestum istud animal antris & latebris ejusmodi gaudere mihi compertum est; Cùm enim aliquando Aleis ungulæ segmen collo puellæ, fontico morbo obnoxiæ, qui illi à scabie capitis intempestivè sanata ortus fuerat, appendendum dedissem; jussissemque revocari scabiem, ac severè nimis arceri pediculos prohibuissem, horum quidam poroso illi segmini se insinuarunt; quod cum uxor in proprii infantis usum, ad præcautionem convulsionum, repetiisset, hicque paucos post dies totus pediculis obsitus esset, ac eorum nidus inquireretur, hic in segmine illo repertus, cujus nullus porus pediculis eorumque fœtura refertus erat: Sed de hac fœditate satis, Plura qui desiderat adeat m. Donatum l. 1. c. 5. hist. mirab. Sebenkium p. m. 675 Heurnium de morbis cap. 7. & alios. De pediculis alatis vide Diodorum Siculum l. 4. cap. 3.

Integumentis capitis divisis] Civis Sedanensis ante decem circiter annos molesto, perpetuo & pruriginoso dolore, parvo loco circumscripto infestabatur; multos in consilium adhibuit, irritis omnibus, qua parte dolor torquebat admota novacula, inventum animalculum cimicis forma, denarii magnitudine, periostio in occipitio affixum, quo dempto, consolidatoque vulnere, dolor omnino desiit. *Ex communicat. Clariss. & Ven. Dom. Lambermont, Pastoris Sedanensis Ecclesiæ.*

§. 2. Anno 1674. mense Augusto, puellæ quatuor menses natæ, filiæ magistri N. du Cros Genevensis, argenti in fila Ductoris, per matris incuriam sub crusta lactea pediculi plurimi innati sunt, à quibus *non cutis solum* & pericranium, sed & ipsa calvaria cum meningibus, ad cerebrum usque exesa deprehensa sunt, quod ab obitu, detracta ea crusta, ad coronati argentei latitudinem in conspectum veniebat.

Non *cutis solum &c.*] Dum in nutricatum corporis restagnat sanguis, evomit excrementa quædam tenuia vel crassiora: Tenuia per insensilem transpirationem fugantur: Mediocria in sudorem se effundunt; Crassiora sorde inquinant partes, aut restagnant in cute: Hæc autem cutis suam amplitudinem in profunditate gerit: Quòd si itaque hoc crassamentum excrementosum peripheriam cutaceam occuparit, in porriginem se porriget; Sin in altum se insinuaverit materia-

materia hæc tertiæ coctionis, & una malignitatem acrem redoleat, aream creabit: quod si illud suave & calidum fuerit, nec maligna putredine contaminatum, sed modestè putruerit, & si ima in cute prope carnem stabulaverit, pedunculos proferet; nam caloris in cutis superficie efflorescentis non ea vis est ut animal gigni in eo possit: Professor Regius Lovaniensis olim *Brugelius*, mihi retulit sese in humano secto cadavere, postquam aperuisset ventriculum, vesiculas ei affixas deprehendisse pedunculorum plenas: *Aristoteles* 5. de hist. anim. pedunculos ex carne gigni existimat; *Heurnius de morb. capitis cap.* VIII. Quid vero obstitit quo minus in prædicta Matrona, sub pericranio geniti, in superficiem emerserint? An illius crassities & densitas quam pervadere non potuerint? An forte ad mulcendum pruritum capitis lotionibus usa est, quæ eos exitu prohiberint? An oleosis & pinguibus caput innuxit, insectorum ejusmodi pernitie? Sic lumbricos in intestinis olei esus interimit: quod enematis inditum vermes ad superiora remeare cogit; An quia gratum & sufficiens alimentum sub pericranio & intra cranii diplnas nacti, aliud quærere coacti non sunt?

Quæ de discrimine & distinctione speciei pediculorum addeximus, confirmant Acta Societatis Regiæ Anglicæ, anni 1668. p.m. 18.

"*Ab aliis animadversum observationem illam, quam* "*Ovuedo exhibuit de pediculis (nempe illos fugere ab* "*Hispanis Indias petentibus sub certo Latitudinis* "*gradu, & rursus sub eadem gradu in reditu redire)* "*verissimam esse: In Indiis, ait, neminem quantum-*"*cunque spurcissimum alere pediculos nisi in capite,* "*ubi plurimi foventur, sed nunquam observavit vel* "*sordidissimum eos habentem in indusiis vel vestibus: Et* "*in reditu demum observabat eos denuo multiplicari:* "*Rationem reddebat Generosus Eques Christophorus* "*Mings, Eos quando appropinquant Tropico, ultra mo-*"*dum sudare, qui sudor per corpus abundans offendit* "*veteres pediculos eosque perimit: quemadmodum, ait,* "*usitatum est remedium capitibus pediculis scatentibus* "*ea fricare ubique butyro vel oleo, & sesponsorem fore* "*inde perire omnes pediculos: Et quod attinet ad novam* "*quandam generationem, sudorem non satis diu in poris* "*permanentem non posse penitus producere illa insecta,* "*nam nullum in Indiis sudorem esse olidum prout in Eu-*"*ropa, quantum ipsi observare licuit: In reditu sudor diu-*"*tius inhæret poris & habitui corporis, & particulares* "*formas seu fermenta, exaltata & resoluta, reducitque* "*in activitatem, hæc insecta formare & ita foveri: Sed si* "*interrogaris, Qui in Indiis alantur in capitibus? Re-*"*spondet, licet facies nostra multum sudent, tamen non* "*tantum sudare capillos: præterea sudorem inhærere ca-*"*pillis, ibique generare insecta, neque ibi capitum tan-*"*tum atque hic curam esse: Sed quicquid sit, Hispani* "*Nigri lavant capita sua sapone semel singulis septima-*"*nis, quo præveniant pediculorum invasionem, dum* "*alii Nigri multum temporis impendunt curandis ca-*"*pitibus, quæ quia crispa frequentiora sunt pediculis* "*quam Anglorum, adeo ut affirmet vidisse magnos* "*cuniculos in capitibus quorundam ignavorum à pedi-*"*culis actos.*

Mortua.] Quæ misellæ medicina afferri potuisset non video, quanquam causa doloris obscura non fuisset? An Topica satis efficacia dubium? Quæ enim pericranii densitatem pervasissent & cranii primam laminam, ea cerebro vim noxiam impressissent: validioribus enim opus fuisset, qualis est mercurius, ejusmodi insectorum clava Herculea, sed qui cerebro bellum indixit: ab *Hartmanno* proposita medicamenta, ore & naribus assumpta, vim suam eousque exserere non valuissent, quod totam cerebri molem ab iis trajici necesse fuisset, antequam sedem affectam attingerent: Imo supponamus remediorum valida vi enectos pediculos, annon ab ea cadaverum strage novum emersisset periculum? Providentiæ naturæ opus esse censent rerum naturalium periti, quod ex humorum corruptione animalia procreet, quia eo pacto coerceatur, & damna ab ea oriri solita eliminentur: Ex ea ergo congerie nova putredinis occasio, ægræ non minus infesta emersisset: Lumbricorum in intestinis genitorum alia est ratio, enectis enim patens est ad exitum via: Quodnam vero præsidium suppeditasset Chirurgia? An pericranii simplex, aut decussatim facta incisio? At hoc universum demendum fuisset, hospitium toto suo ambitu catervæ præbens: Quid terebratio valuisset & cranii quopiam in loco apertio, exitum non affectantibus animalculis & latebris illis gaudentibus? De mortuis ex pediculari morbo. Vide Zvvingerum Theatri vitæ hum. f. 525.

Observatio CXVI.

Cephalalgia à verme in anfractibus cerebri latitante.

ANno 1571. in Marca Anconitana, in oppido Alburgo S. Sepulcro, grassabatur morbus atrocissimus quidam velut Epidemicus, clandestinè homines invadens, paulatim *Vertigine affligens*, verùm in secunda, 3. aut. 4 à decubitu die statim jugulans, & caput solum tentans; Cujus causas & essentiam omnes illius loci Philosophi & Medici planè ignorabant, nec proinde ei occurrere poterant, &c. Longo post tempore Nobilis quidam XXII. natus annos, hujus mali primo suspicione, mox & reipsa affectus, multis in patria frustra tentatis, Venetias tandem navigavit, mox ad se vocari curavit Medicos, quibus firmiter multisque rationibus comprobavit aliquid esse in cerebro vivens, fieri enim aliter haud poterat ut atrocissimis hujusmodi doloribus periodice ita afficeretur quemadmodum afficiebatur: Nam illæsa ratiocinatione, intellectu, memoria & omnibus internis sensibus, *ita* pro tempore cruciabatur, ut sibi cranium totumque cerebrum terebello perforari videretur, mox per universum cerebrum extensiones, contractiones multasque commotiones, cum maximis concussionibus & tremoribus frequenter & in omni paroxysmo percipiebat: Ob id *multa admota* & interne *exhibita* fuere remedia sed frustra, nam tertio ab adventu & ejus Venetias ingressu die, hac misera functus est vita.

Secandi data venia, novacula in capite ad os usque, orbicularem per frontis medium molitus

molitus sum sectionem, & cute aliquomodo remota, calvariam orbiculatim serra divisi, atque sectione per calvariam facta, ac superiore calvariæ parte à dura matre liberata, ad piam matrem deveni, cerebrumque membranulis denudavi suis, quibus extractis, illico concidit & quodammodo diffluxit, moxque ex dextro anfractu prorupit atque apparuit caput cujusdam lumbrici, qui statim aëre percepto frigidiore, sese in cerebri anfractus recipit, unde utrinque magnam cerebri portionem, quo cautiùs potui, abstuli, ne id quod suspicabamur fore detrimentum pateretur: tandem apertis dextro & sinistro cerebri ventriculis, maximè confusis, dilatatis & ad capitis basim conspicuis, repertus est lumbricus totus rubeus, indice digito longior, acutum os, oblongum & nigrum atque pilosum collum habens, multis modis sese in illis anfractibus convolvens, & ad capitis basin fere pertingens, qui obtusiori forficula exceptus, & munda papyro appositus, paulo post obiit, qui nostro patienti etiam mortem intulit. *Ex obs. Georgii Garnerii Medic Austriaci.*

V*Ertigine affligens*) Hinc *Saxonia Panthei* lib. 1. c.2. inter signa vermium in capite, præcipuum ponit vertiginum frequentiam, quod ad eorum motum spiritus simul agitentur; Addit dolorem simul esse acutum & pungitivum; accedere sternutamentum frequens, salivæ multitudinem, oris fœtorem; vehementem corrosionem, pruritum & fœtorem narium, & ex qoacunque agitatione capitis, odore ingrato &c. dolorem iogravescere: de signis vide plura inferius.

Multa admota & exhibita sed frustra) Feliciori eventu ptarmici usu exclusus per nares vermis dirum capitis dolorem inferens; Rustica, *inquit* Excell. *Th. Bartholinus Epist. 74. cent. 1.* cùm per multom tempus diros sensisset capitis dolores, tandemque ii adeò increvissent ut instar maniacæ hinc inde discurreret, venit ad Pastorem pagi famosum inter rusticos Medic. Practicum: Is statim consuetum sibi in cephalalgiis ptarmicum muliercul æ adhibuit, quo caput vehementer concussum una infaustum hospitem loco movit, éque nare exire compulit, quo facto immanis capitis dolor statim conquievit.

§. 2. In quodam milite, qui resimis erat naribus, ex fœdiore quadam eluvie diutius cohibita, vermes duo villosi instar digiti inventi sunt, qui tandem in furorem illum adegerunt & de medio sustulerunt: *Fernelius* lib. 5. pathol. cap. 7.

VErmes dolorum capitis architecti fieri queunt, tum in intestinis, tum capite contenti: Vitales sunt spinæ, partim pungunt, partim lancinant: multoties autem nascuntur in anteriore capite, super locum qui est in strictura narium: Notabilis est historia famuli 24. annorum adolescentis, qui canicularibus æstu ferventibus diebus, conquerebatur de dolore frontis, titillatione super cavitate stricturæ narium: Re pensitata, judicabatur ut in ovibus, ita in hoc vermiculos subnatos in cavitatibus seu sinubus, qui in infima ossis frontis parte reperiuntur, utrinque in nares summas perviis, non vero ad cerebrum patentibus: *Trincav.* lib. 9. c. 11. se in Nob. Veneto, cephalæa antiqua laborante, naribus ejectum vermem cum pedibus, muco & cruore obsitum vidisse, eoque rejecto omnem cessasse dolorem scribit; Signa sunt pruriginosus quidam dolor cum inclinatione in vertiginem: Si lateant in cerebro, notantur à doloris gravativi diuturnitate & rosione, cum inclinatione ad soporem: In meningibus, à pungitivi vehementia, cum stupore mentis: Ex Aviceona cap. 8. *Vermium signa*, ait, *sunt illaque Indus dixit, Corrosio fortis, & fœtor odoris, & fit Soda fortior cum motu, & ejus sedatio est cum quiete*: Apertio foveæ ossis frontis in verminibus contentis, fida salotis anchora est: In bove feliciter instituta fuit & vacca: In homine tamdiu suspendatur quamdiu spes est vermes æstate natos adventante autumno morituros: Cum desperata salus, de ea cogitandum: *Rolfinkius Tract. de cap. dolore.*

Observatio CXVII.

Capitis dolor à vermibus inter meninges & putredine circa cerebrum ortus.

QUandam fuisse matronam memorant, cui post capitis vehementissimos cruciatus pestilentis Hemitritæi, dissecta calvaria magnam putredinis vim ostenderit circa substantiam cerebri, Et inter meninges tum vermiculorum tum cimicum copiam incredibilem *C. Gemma in appendice. Oper. Cosmocr. de Hemitr. pestilenti.*

QUamvis Ægineta l. 4. cap. 57. ex vermibus dolores excitari quidem concedat, in cerebro vero generari neget, nihil tamen absordi sequitur si localem in eo generationem habere dixeris, cùm materia eorum productioni maxime idonea sit pituita, (cujus cerebrum metropolis) quæ accedente calore loci potest putrescere: Porrò, si inter craniom & cerebrum abscessus generantur, quidni & vermes qoorum mitior est putredo?

Observatio CXVIII.

§. 1. *Capitis dolor à verme inter calvariam & piam matrem latente.*

CUidam dolor capitis implacabilis circa suturam coronariam: irrita medicamenta; qua parte dolor designabatur, eadem facta scalpello sectio, non profuit:

Aperto capite, repertus est vermis *inter calvariam & piam matrem* situs: Si terebrata calvaria fuisset, spes vitæ aliqua fuisset. *G. Ballonius. Parad. XIX.*

I*Nter calvariam & piam matrem*] Interjacet quidem dura meninx, sed quia hæc quibusdam in locis, cranio arctissime adhæret, recte designatur locus in quo vermis stabulabatur.

Si Terebrata calvaria fuisset) Trepanum est remedium evacuatorium, illis tantum affectibus conveniens qui fiunt ab aliqua materia sub cranio contenta; quæ si est vacuari idonea; vel immediate sub cranio continetur, vel profundius in cerebro & sub membrana: Materia quæ profundius sub cranio est, quæque per cranium est evacuabilis, tantum est vapor & fumus, non autem materia aliqua humorosa & crassa, talis enim gravis est & spissa, & sic nec ascendere potest nec meningem penetrare: Vapor vero cùm tenuis sit, & sursum ferri & meninges pervadere potest, itaque in morbis qui fiunt ab humoribus in cerebro contentis non potest Trepanum convenire; verùm in affectibus difficillimis, qui à vapore & fumo maligno ac venenato fiunt, potest Trepanum locum habere, evacuando causam eorum quæ alioqnin per solidam ossis substantiam exire non satis possit: Tales morbi sunt Epilepsia, Vertigo, Melancholia, Cephalalgia intolerabilis: Addo in morbis gravissimis & maximè diuturnis, quia cùm remedium per se sit magnum & periculosum, non debet temerè, & nonnisi in maximis diuturnis & intolerabilibus morbis, postquam alia omnia remedia non profuerint, adhiberi: Cùm vero prædicti morbi aliquando fiant ab humoribus, à vaporibus aliquando, non convenit Trepanum in iis nisi quando à vaporibus sunt geniti: Etsi autem ob remedii difficultatem rarò in illis affectibus trepanum adhibeatur, tamen Rationi & experientiæ consonum est ipsum aliquando adhiberi: Rationi, quia si in talibus affectibus cauteria sæpissime supra suturam coronalem adhibeantur, ut per ea faciliùs iidem vapores exire possint, multò etiam faciliùs iidem exibunt, cùm etiam ipsum cranium erit pervium foramine, quàm cùm tantùm ipsum pericranium & capitis cutis: Verum quidem est quod vapores capitis per suturas cranii sæpe exeant, sed non satis commodè, & in sanis, cùm vapores sunt pauci, non autem cùm nimii sunt & crassiores: Experientia vero patet hoc remedium etiam in illis affectibus convenire: A *Saxonia* adhibitum fuisse in cephalalgia gravi dictum Obs. 108. Probarique ab *Hollerio*, In melancholiæ morbo etiam scribit *Gainerius* se Ducati magnitudine mulierem Trepanasse, & Trepanum mense uno apertum reliquisse: Memini quoque mulierem Leodii capitis incredibili & diuturno dolore laborantem, a D. Rictio Trepanatam esse & dolore liberatam: Certe in hujusmodi nimis diuturnis, intolerabilibus & aliis incurabilibus capitis doloribus, qui sub cranio in eodem semper fixi loco sentiuntur, credo Trepanum sæpissime necessarium esse, sæpissime enim tales dolores fiunt ab ossis carie distillante, & supra meningem aggregata, ac ossis particulis propter cariem secedentibus: *A vermibus etiam ibidem genitis meningem pungentibus & erodentibus: Sæpe à lumbricis ibi cranio subtus adnascentibus*, ut in morbo veneteo aliquando fit; In quibus casibus malum sine Trepano curari impossibile est, qua enim alia ratione quod ibi contentum est posset evacuari? *Thomas Fienus controv. Chirurgic. Tract. 2. cap. IV.*

§. 2. Nimis diuturni, intolerabiles & aliter incurabiles capitis dolores, sæpissime fiunt ab ossis carie, ab ossis particulis &c. A vermibus etiam ibi generatis meningem pungentibus & erodentibus: sæpe à lumbricis cranio subtus adnascentibus, ut in morbo Gallico aliquando fit &c. *Fienus loco cit.*

Observatio CXIX.

Capitis dolor à verme nigra tunica involuto, quæ cerebelli substantiam à dextro latere sejungebat à reliquo corpore.

LUretianæ puellæ annorum XII. curatis variolis tantus capitis dolor supervenit, ut trium mensium curriculo nec dormire quiverit, nec quiescere, nullas dolore inducias concedente:

Tandem cùm Tabida obiisset, statim aperto cranio deprehensa fuit *universa cerebelli substantia in dextro à reliquo corpore sejuncta*, nigraque tunica involuta: Rupta tunica nigra, vermem nigrum pilosum, duobus punctis splendidis loco oculorum, prodidit latentem, ejusdem fere molis quæ reliqua cerebelli portio, qui duarum horarum spatio supervixit. *Thomas Bartholinus centur. 1. histor. 64.*

N*Ec dormire nec quiescere &c.*) Verminum in capite signa recenset *Benivenius de Abditis cap. 100.* Solet, *ait*, interdum acutus & pestifer dolor in capite excitari quem Græci Cephalalgiam vocant, scilicet talem quo caligent oculi, alienetur mens, citetur vomitus, supprimatur vox, frigescat corpus & ipsa denique deficiat anima, rarum est videre: Nam & nos amicum habuimus, qui cùm his omnibus ageretur malis, & adventante die 7. mors ipsa, nullis conferentibus auxiliis, jamjam adesse videretur, vi tandem robustioris naturæ vermem è dextra nare palmo longiorem ejecit; quo propulso omnis statim cum eo amorus est languor: Hæc figura addncit *Rases. cap. 10. l. 1. contin.* Corrosionis sensum in capite, odorem fœtidum & augmentum doloris ad motum capitis: De iis agit Avicenna Fen. Tract. 2. c. 3. l. 3. Joubertus cap. 9. de cap. aff. *Holl. 1.* de morb. int. c. 1. *Montuus* Anasc. l. 4. c. 19. *Th. a Vega* comm. ad cap. 5. l. 4. de l. aff. & alii, Aliquando autem vermes non localem habent in cerebro generationem, sed per aures irrepunt; de quibus notandæ historiæ hæ: Puellæ annorum 18. in ditione Bapebergensi, in prato dormienti vermiculus rotundus, dimidii auricularis longitudine, lumbricum crassitie adæquans, aurem subintravit dextram, & paulatim rodendo in frontem ascendit, inibique per 4. septimanas hospitatus incommoda puellæ pepetit quamplurima: Derelictæ ab omnibus succurrit Jac. Bertach pharmacopæus, in aures puellæ reclinato capite immittens oleum juniperinum: quo aliquoties facto, duo ejecti vermiculi minores albi, prædicti sobolis: Post ulteriorem illius olei infusionem, tandem

dem & genitor illorum rubei coloris enectus comparuit, subsequente intolerabili circa frontem dolore, qui suffitu gummi Ammoniaci, una cum effluxu saniei foetentis, fuit sopitus.

Hac aestate adiit me vetula annorum 68. haec ante viginti annos, cùm incautiùs molem graminis capiti impositam gestasset, fessa linteamini istius sarcinae, insectis scatenti, capiti supposito obdormivit; Irrepserunt dextram ejus aurem formicae, dictae aliàs forbicinae, quarum una Chirurgi ope fuit extracta relictis aliis, quas elicere vel solertissimi consulti Medici nequivere: Hactenus immensa earum copia cerebrum inter & cranium commorata, in diesque immensior reddita, aerumnosam mulierculae vitam reddit, ut hac illac reptantibus insectis,dolorem tam in manuum quam pedum extremis sentiat. Quod si caput illico, hinc inde movet, interiora capitis crepitare adstantes non obscure audiunt: Huic verò, utut auxilio esse annitebatur, incassum tamen omnes nostri abiere conatus: Balsamum sulphuris terebinthinatum auribus ejus immisi, praeter unicam, sed enectam, non potui elicere: Insectam enim illud meatus istos auditorios longo satis tempore quasi obvallasse vero admodum est simile:Fumo gummi Ammoniaci crebro usu mire delectabatur vetula, dum ad exitum accurrere forbicinas semper observasset: Cùm itaque nullum superesse videret ista foemina auxilium, ad extremum vitae terminum tolerare hoc malum decrevit, rogitans saltem,ut exantlatis tandem hujus vitae aerumnis, calvaria ejus a perietur: ut quae ex tanto infestorum hospitum grege tormenta fuerit perpessa, omnibus innotesceret.

Mense hoc Augusti paupercula consilii gratia me convenit, cujus filiolae fere triennis sinistrae auri vermiculus ante triduum, etiamnum vivens, formae & magnitudinis, quales ave'lanarum esse solent, pluresque ante, calentis beneficio panis erepsere: laeta est alioquin puella. ; Utrum vero hoc insectum extrinsecus ingressum, vel intra genitum fuerit, in dubio relinquitur; Adeo vita quoque nulla vermium ipsorum praeda est *Joh. Georgius Volckamer in Miscell. curiosis anni 1672. observ. 266.*

Universa cerebelli substantia in dextro sejuncta &c.) In quibusvis animalibus cerebri compages in duas partes, per totam fere crassitiem, scil. usque ad corpus callosum, quod fundi loco est, dividitur, pariterque ac in sensoriis omnibus cerebrum quasi duplex habetur, ut contra unius lateris defectum alterius supplementu provideatur:Porro in homine cui cerebrum prae caeteris animalibus capax & amplum est, utrumque hemisphaerium rursus in duos lobos, anteriorem & posteriorem subdividitur: Certè haec cerebri humani secunda partitio etiā in majorem ejus tutelam designari videtur,ut si forsan labes quaepiā alterum, aut utrosque priores lobos occupatit, tamen posteriores, siquidem discontinui sunt, noxae vicinae ac latius grassantis contagium evadant: Ita cerebrum, velut castellum, in plures, arces seu propugnacula divisum, eò minitius & expugnatu difficilius existit. *Willis pathol. cerebri cap. x.*

Observatio CXX.

§. 1. *Capitis dolor à vermiculis circa nates & anum in cerebro latentibus, &c.*

Doloribus rebellibus regiam mentis arcem infestantibus, qui *nullis praesidiis expugnari poterant*, fomitem subministrasse vermiculos *circa nates & anum*, tertii ventriculi cerebri collem & convallem docuit Anatome. *G. Rolfinkius Dissertat. Anatom. l. 1. c. 13.*

§. 2. Ancilla quaedam in Cimbria diu capitis doloribus enervata, quum forte reclinato capite rhedae incumberet, alius autem ipsa inscia baculo fortius rhedam percuteret, statim fractum cranium dissiliit, innumerabilibus prodeuntibus vermiculis. *Th. Bartholinus cent. 6. histor. 3.*

Nullis praesidiis &c.] Interdum natura robusta ejusmodi animalcula sponte propellit cum aegri salute: Sic *Benivenius* cap. 100. narrat cuidam Philippo nomine, dolore capitis acuto laboranti, mentis alienatione, caligine oculorum, aliisque pravis symptomatis; cum jam mors esset in propinquo, septima die adventante vermem ex dextera nare palmo longiorem exclusum fuisse, unde statim omnis languor amotus: Trincavellius lib. 9. cap. 11. de aff. partic. ait se Patritium quendam vidisse, febre & continuo capitis dolore affectum, tandem per nasum vermem, muco & crasso sanguine involutum ejecisse: Refert quoque Duretus, Scholiis in Holler. puellam album vermem, latum, rejecisse per nares, nullo vomitu antecedente, praecedente acerbissimo capitis dolore: Vide & *Hildanum* cent. 1. obs. 8.

Circa nates & anum] Avic. lib. 3. tr. 2. c. 3. ait ex sententia Medicorum Indorum vermes nasci multoties in anteriori capite, & super locum qui est in strictura narium, & possibile est ut nascantur apud velamina, etsi raro contingat: nasci vero possunt ubicunque reperitur materia apta: E naribus emungi exemplo probat Exc. *Th. Barthol. hist. 64. cent. 1.* Catarrho molesto post febriculam vexatus Vir Magnus, *Olaus Wormius*, cum frequenti dolore capitis, post cibum sumptum ingravescente, ex naribus emunxit vermiculum: In cerebro ab humorum putredine generatum extra omnem dubitationis ponit aleam: Pilulis cephalicis levamen sensit & parcu fumi Tabacci usu: De se idem narrat *Smetius* l. 10. Miscell. p. 582. *Tulpius* de verme digiti longitudine l. 4. observ. c. 11. In ozoena in aliis quoque vidit laudatus modo *Bartholinus*: *Benivenius* Exempl. Med. c. 100. in cephalalgia acuta palmo longiorem observavit, & *Zacutus* lib. 1. prax. adm. obs. 6. suspectae alias quibusdam fidei: Si quidam autem ex naribus cum muco emunguntur, in cerebro genitos suspicamur. Puella, ait *Hollerius* cap. de vermibus, album vermem, latum, palmo majorem, satis crassum rejicit per nares; nulla tussi, nullo vomitu antecedente; praecesserat acerbissimus capitis dolor per duos dies. Observavit quoque *Valescus de Taranta* dolores capitis à vermibus esse.

OBS.

Observatio CXXI.

§. 1. *Capitis dolor à Scorpionibus in cerebro natis.*

Cuidam Italo ex frequenti odoratu Basilicæ herbæ natus Scorpio in cerebro, vehementes dolores & longos, mortem denique attulit. *Hollerius l. 1. de morbis int. cap. 1.*

§. 2. Puellam quandam in Gallia ajunt cum sæpe & multum odorata esset Basilicam herbam (minorem puto Gesneri) incidisse tandem in capitis dolorem incurabilem.

Et cum à morte dissecaretur ejus caput, inventos fuisse Scorpios in cerebro ejus: *Gesnerus lib. 5. de Scorpione.*

Utique meo judicio nonnisi atomis, seu effluviis seminalibus, ad scorpionem generandum natis, ab herba Basilico prodeuntibus, & in cerebri substantiam per patentes è palato in caput vias illapsis: Sane de Basilico, seu, ut alii vocant, ocymo, apud *Plinium* lib. 20. N. H. cap. 12. afferunt aliqui (quibus quidem Plinius fidem non adhibet) tritum si operiatur ocymum lapide, eundem Scorpionem generare: Item si eo die feriatur quispiam à Scorpione, quo ederit ocymum, servari non posse: Quinimo manipulo ocymi, cum cancris decem marinis vel fluviatilibus trito, convenire ad id scorpiones omnes. Vide quid de ortu scorpionum ex ocymo tradat *A. Kircherus* in suo mundo subterr. lib. 12. sect. 2. c. 16. *Fr. Ignatius Thirmair Consil. lib. 1. c. 6.*

Observatio CXXII.

Capitis dolor à sanguine aortam & cavam replente, ibidemque concrescente.

Puella cum per diem gravitatem capitis passa esset, die sequenti extincta est: *Post mortem immune cerebrum* inventum, sed in arteria magna & cava vena totus sanguis coaluerat. *Vide historiam lib. 2. Tit. de Sincope ex P. Salio Diverso.*

Immune cerebrum] Immune inflammationis, ulceris, livoris aut alterius affectus manifesti; non item obstructionum quæ sub obtutum non cadunt: Adfuisse autem obstructiones ostendunt causæ, quæ triplices sunt Galeno, humorum multitudo, eorundem crassities aut visciditas: Sanguinis multitudinem, ejusque crassitiem ponit Salius; quæ si præsens fuit in vasorum truncis, abesse non potuit in eorum propaginibus & ramis.

Post mortem) Mortis causa fuit concretio sanguinis in vasis: antecedentis vero doloris capitis gravativi, vasorum plenitudo & distensio, indncta à copia sanguinis, frigidisque succis & crassioribus admistis, liberam circulationem illius impedientibus, ac concretionem accelerantibus; Qui enim noverit, (inquit Salius l.c.) qua ratione sanguis extra venas concrescat, poterit easdem causas ad sanguinem intra venas existentem adaptando, rem ipsam declarare: Sanguis à vena ejectus concrescit statim evanescentibus spiritibus, ad quorum dissipationem sequitur ichorosæ partis separatio, quam excipit non puræ modo & synceræ sanguinis partis coagulatio, sed & cæterorum ei admistorum humorum, maximè si glutinosi sint & viscidi, quales in sanguinis emissi superficie aliquando cernuntur, vix acie culti divisibiles: Medendi rationem insinuat *Hippocr.* 4. de rat. vict. in ac. Sanguis copia superfluit, succisque frigidis & crassioribus abundat, ideo prius, quam fixa sint omnia quæ contristant, (scilicet tum spiritus tum humores) sanguis per venæ sectionem è brachio copiose educendus: Quin si segniter effluat, quia adsit concretionis initium, præcedant fotus ex laxantibus; subsequatur purgatio superabundantium humorum, præmissa crassorum attenuatione, viscidorum detersione &c. Fluxilis reddatur sanguis usu salium volatilium, ex variis præsertim animalium partibus paratorum, quibus insignis vis inest coagulata & conglutinata omnia in corpore humano dissolvendi, eademque ad pristinam fluiditatem reducendi, inter quos eminent sal volatilis, cornu cervi, spiritus salis Armeniaci, &c.

Observatio CXXIII.

Diuturnus capitis dolor cujus nulla alia deprehensa causa quam ulcus in ventriculo.

Paulum Constantium Derebecque, puerum decennem, avi mei fratrem, perpetuus dolor capitis fatigavit & ad interitum usque; irritis enim omnibus remediis, illum tandem tumulo indidit.

Aperto cadavere, Salvum fuit cerebrum, ulcus autem in ventriculo deprehensum est. *Ex communic. Cler. D. D. I. Constantii; Medici Lausannensis.*

* *Salvum fuit cerebrum, ulcus autem in ventriculo*] Unde cephalalgia per consensum affecto membranoso & nervoso genere: Sympathiæ autem causæ quatuor vulgo assignantur, *Generis similitudo*, *Operis* seu *officii societas*, *vasorum communio*, & *vicinia*. Ex his *viciniæ* profecto sympathiam inducendi vis denegari nequit, adest enim agens, adest quod ab ipso patiatur, adest per viciniam virtutis applicatio, nec amplius quicquam requiritur ut producatur effectus: Intemperies cum & sine materia, & corruptela quæcunque partibus acciderit in contiguas partes irrepunt, *Vuaque contacta livorem ducit ab uva*; Huic consensus causæ, adjungo *continuitatem*, seu immediatam, seu per interjecta corpora & *Situm*: Ob *continuitatem*, hepar mole auctum, & pondere, diaphragmatis motui officit: Idem ob *Situm* in consensum trahit ventriculum quem comprimit. Gemini hujus compatiendi modi innumera occurrent exempla: An vero *similitudo generis* causa sit

fit sympathiæ, seu communicationis affectuum partium corporis inter se? dubium est, quanquam primo aspectu non exiguam veri speciem præ se ferat, videmus enim ntplurimum quæ ejusdem sunt naturæ similia agere & pati; Præterea membraneas partes inter se consentire videmus, ventriculo laborante caput circa frontem dolere, per consensum membranarum, cerebro graviter affecto, nervos, qui generis similitudinem cum ipso participant, simul affici; Si nervus à punctura graviter lædatur, tractis in consensum reliquis aliquando totum corpus convelli: Si insignis arteriæ inflammatione rentetur, reliquas intendi, pulsumque durum evadere: At fateor sæpe plures nervos simul affici, & alterius affectionem ex affectione alterius oriri, at non video à quo quam fuisse adhuc demonstratum Generis similitudinem causam esse, aut occasionem, ut nervus nervo, arteria arteriæ compatiatur: atque hæc sententia non modo rem non explicat sed & caligine involvit, ejusque falsitatem demonstrant quæ sequuntur absurda: nam si affecto cerebro) nervi afficiuntur ob generis similitudinem, cum omnes illam participent, omnes simul, afficientur. Idem dicendum de genere membranoso &c. Experientia tamen docet contrarium, observamus enim quasdam cerebri affectiones aliquando universalem inducere cerebri paralysin, ob nervorum omnium sympathiam, aliquando unius tantum membri aut particulæ resolutionem, affecto scil. per consensum solo nervo, qui in membrum aut particulam inseritur; Simile quid in convulsionibus accidit, nunc universo corpore, nunc uno tantum contracto, Dices hos potius quam illos nervos cerebro compati, In paralysi quidem, quia alii obstruuntur alii minime, in convulsione vero, quia alii præter naturam violentum spiritum animalium influxum admittunt, cum alii ad voluntatis arbitrium tantum aperiantur ut spiritus admittant: at hoc merum effugium, cum non afferant hujus sympathiæ causam esse Generis similitudinem, sed aliam longe diversam, vi cujus nervi, etsi essent substantiæ à cerebro maxime dissimilis, ipsi nihilominus compaterentur. Igitur similitudo generis, præcise spectata, non potest dici causa cur nervi cerebro compatiantur (quod idem intelligendum de aliis corporis partibus) sed aliunde petenda est mali communicati causa: Non diffiteor quæ similia sunt corpora iisdem offensis, quas eadem agentia inferunt, esse æque obnoxia, ut mirum non sit eas partes similiter affici, quæ cum similem habeant substantiam, ab eodem agente æque impetuntur, Verum ejusmodi causæ communitas non potest sympathiæ nomine designari, cum partis unius affectus ab alterius affectu non dependeat, quod tamen ad sympathiæ rationem constituendam præcipue requiritur: Alia sympathiæ causa, *Officii societas*, eidem trutinæ est appendenda: Sententiæ communi innumera suffragari videntur, puta cum affecto diaphragmate, musculorum intercostalium actio læditur, utrorumque enim munus est respirationi subservire: Sic quia mammæ concessæ sunt utero muneris sociæ, ideo illi compatiuntur; Verum, à quo & quomodo *ad officii societatem* compellantur non dicunt; forte putant mammas cognoscere illam societatem? at numquid illis mentem tribuunt, non secus ac iis qui rempub. gerunt: perinde quidem partes corporis suo quæque munere funguntur, ac si essent mente & intelligentia præditæ, quia sc. cum sint ab opifice intelligenti conditæ, imposita à suo authore necessitate sic agunt; verum hæc nosse non excedit vulgi scientiam, nosse enim præterea decet media, seu instrumenta, quibus hoc ac illo modo dispositis sequitur illa operandi necessitas, & quibus immutatis, aut perit operatio, aut aliter omnino fit, quamvis finis non mutetur ob quem sunt conditæ: cum ergo partes corporis & ratione & libertate careant, nec possint nosse ac velle quo tenentur officio perfungi, censendum *Societatem* illam *officii*, quod attinet ad aliquam sympathiæ causam explicandam, esse vocem prorsus inanem: Si quæ partes ejusdem sociæ muneris, sociis compatiuntur, non præcise quia sociæ sunt, labis participes fiunt, sed necesse est aliam sub esse causam: Quoad *quartam sympathiæ causam*, non est difficile intelligere quantam vim habeat *vasorum communitas* ac *structura*, cum enim per vasa communia vitiati humores ab hac parte in illam transferuntur, in ea similes aut dissimiles affectus excitant pro varia partis natura & dispositione ad patiendum hoc aut illo modo: Cum *communitate vasorum* connecto eorundem *structuram*, quia in plerisque communitas sine structura tali, non sufficit ad sympathiam inducendam, saltem talem: Si cui placet in structura specialem constituere sympathiæ causam, per me licebit: Cum autem illa partis omnium corporis conspiratio è vasis præcipue dependeat, videndum quæ & qualia ea sint, quibusque dicata sunt ministeriis, & qua ratione dispersuntur: Vasa ergo per corpus universum dispersa duorum sunt generum, Alterum meros continet *spiritus*, laticem scil. tenuissimum ac defæcatissimum, è sanguinis massa secretum; Hoc genus nervosum communiter appellatur, complectiturque cerebrum cum ejus appendice, & omnibus quas in universum corpus effundunt propaginibus nervorum: Sub altero genere complector vasa, quæ humores crassiores continent, tum sanguinea, venas & arterias, tum Ductus quicunque succum aliquem in massam sanguineam convehunt, cujusmodi sunt chyliferi & lymphatici; voca e si placet *vasa deferentia*, Ad tertium genus pertinent quicunque è vasis sanguinosis liquorem aliquem egerunt, e. g. choledochis pancreatici &c. appellantur communi nomine *vasa egerentia*. Istis vasorum generibus potissimum tota corporis œconomia perficitur, tam affabre extructa, tam concinne implicita, ut per actiones diversissimas in eundem scopum colliment, qui est deductio corporis ad debitum incrementum, & ejusdem in eo statu conservatio: At quia multa incidere possunt quæ id aut corrumpere, aut ejus temperiem partiumve structuram immutarent, indidit præterea qui id condidit, Vim motricem, cujus ope alimenta interius distribuantur, & alii humores per vasa recensita secernantur deferanturque, cui in auxilium concessa varia sensuum internorum & externorum organa, quibus affectis incitatur, extrinsecus, ut prosequatur, addncat, amplectaturque utilia, noxia fugiat aut repellat; si intrinsecus, ut in vagis & conceptaculis variis alimenta & humores quoscunque retinear, distribuat aut foras extrudat: hinc si gratus odor ad nares appellat, boni alimenti index, eò fertur animal esuriens: si quæ pars pungatur tum ipsa, tum reliquæ omnes, ad fugam aut noxii expulsionem se componunt: Quibus quidem, motibus vel totum corpus transfertur, vel artus aliæque partes moventur, ii sane à cerebro per

ner-

nervorum ductus pendent cum spiritibus animalibus vix motrix in musculos diffunditur: Motiones autem quibus humorum per corpus distributiones, excrementorum ejectiones &c. perficiuntur interius, manifestum est illa omnia peragi partium quarundam dilatationibus, contractionibus, contentionibus, relaxationibus, aliisque motionibus, ac præterea nervos in omnes illas partes distribui, ac præterea illas istarum partium motiones virtute per nervos delata concitari, hinc latentes internarum partium motiones à cerebro & spiritibus animalibus dependere, vel ex eo quod vehementior mentis contentio, animique pathemata, modo accelerant, modo remorantur, modo pervertunt istas humorum distributiones, secretiones &c. quod tantum præstare possunt spiritus animales, dissipando, aut ordinatum illorum motum pervertendo: Qui ergo ex anatome perspectam habet totius corporis compagem, cerebri structuram, nervorum distributionem; qui observaverit qua ratione motus animalis per musculorum intumescentiam peragatur, uti obstructis ligatisve nervis sufflaminetur, & actione objectorum in nervos sensui dicatos excitetur, is facile poterit à mediis & instrumentis ad operationes & operationum fines discursu scientifico retrocedere. Idem intelliget motum animalem per spirituum e cerebro in musculos influxum perfici, spiritus in hos aut illos nervos influere, quia eorum ductus patent, & tandem ductus nervorum quorundam motui subservientium aperiri, quoties ii nervi sensorii, quibuscum motorii specialem habent connexionem, ab objectis concutiuntur, vel ab humoribus secundum eorum ductum, vel in ipsa origine eodem modo, quo solent ab objectis afficiuntur: Intelliget præterea quo modo objecto aliquo vehementius sensum percellente, vehementior facta in cerebro concussio præter naturæ destinationem spiritus animales in plures quam conveniat nervorum ductus determinet, eaque si fuerit vehementissima, & spirituum & totius corporis motum omnino subvertat, siccum tendo pungitur, non solum qui ipsi annexus est musculus intenditur, sed etiam viciniores: & si punctura major vehementissimos dolores acciverit, totum corpus spasmo corripitur; Si partium interiorum aliqua pravo humore perfundatur, & molestiore sensatione, ut illum expellat, per expositum spirituum influxum determinetur ad contractionem; aliæ partes, quibuscum affecta communis est nervorum origo, pari modo se contrahunt, & aliquando in propriam, & totius animalis pernitiem sua munera negligunt, aut pervertunt; & quamvis sint omnis labis immunes, ob nervorum societatem pro vitio aliarum male plectuntur; sic fit ut quando pars aliqua earum, quæ in abdominis cavitate continentur, gravius afficitur, reliquarum aliquæ in consensum trahantur, quia omnes à pari intercostali nervos accipiunt: qua de causa facili errore partes sanæ aliquando medicamentis fatigantur. Quia vero in parte aliqua excitata, seu molestior seu jucundior sensatio, earenus alterius partis consensum invehit, quatenus in cerebro, in communi nervorum origine specialem excitat motionem, si hæc eadem cerebri motio quavis alia de causa contigerit, nullo vitio proprio ambæ illæ partes patientur, tuncque dicendæ erunt non sibi, sed cerebro compati; Illas in cerebro motiones excitant pravi halitus, fortis imaginatio, animi pathemata vehementiora, quibus omnibus humorum motus perturbatur excrementa sistuntur, transferuntur, refluunt &c. Norunt omnes pro variis animi pathematis faciem rubore suffundi, pallore fœdari, floride tumore distendi, fœde concidere, sudorem aliquando profundi, quæ & similia à variis oriunt ur cerebri dispositionibus, ac vario spirituum in nervos influxu: Ut molesta partis alicujus sensatio alias partes in consensum trahit, & male afficit, ita jucunda boni facit participes, & quos induxit quæcunque causa morbifica motus inordinatos temperando, ut sua munera melius obeant disponit: unde patet quid possit hilaritas ad sanitatem, cum enim de fausto rerum eventu exultat melancholicus, cor facilius expanditur & contrahitur, lien dilatatur, & reliqua viscera oblita, molestæ sensationis, quam acrior aut acidior sanguis excitabat, statui naturali, aut meliori restituuntur. Hæc de consensu per nervorum systema, ex quibus facile explicare est quæ in hac materia occurrunt phænomena, si præsertim nervorum in corpus distributio nota sit. Quoad sympathiam quæ per *vasorum communitatem* inducitur, sciendum circulatis sanguinis motu non modo alimentum in singulas corporis partes deferri, sed etiam varios succos, qui per convenientia colatoria à sanguine secreti, ad varios usus in variis corporis cavitatibus ac receptaculis deponuntur & ipsa excrementa expurgantur, sic pituita per infundibulum defluit in os, canales quamplurimi succos peculiares deferunt, e. g. lacrymales, salivales, choledocus, pancreaticus, vasa spermatica urinaria &c. Canales illi omnes quosquos continent succos, e sanguinis massa accipiunt, inter quos qui in ventriculum & intestina defluunt, cum permisceantur cum chylo, ex parte iterum sanguini affunduntur, Et vasa lactea, & ductus lymphatici, quem continent succum in massam sanguinis convehunt, alii mediante canale thoracico, alii immediate in ipsas venas deponunt, seu is sit genitus e vaporibus sanguinis seu e spiritibus animalibus effœtis, seu in glandulis per universum corpus sparsis in speciales usus præparetur: e glandulis atrabilariis etiam liquor quidam effluit in venas, Non solum illi liquores & sanguis refluunt in venas, sed etiamsi quid pravum, & quod possit illarum oscula permeare, in parte aliqua gignitur, congeriturve, id cum refluo sanguine defertur in vasa sanguinea: hoc modo aliquando pus pleuriticorum in venas raptum defertur ad renes, ubi cum urina percolatur & excernitur. Ex ista corporis œconomia facile est intelligere, qua ratione cum aliqua pars afficitur, ejus labes propter *vasorum communionem* alteri communicatur; Si enim vel pars corrumpatur, vel quacunque de causa pravus humor in ipsa gignatur, vel sensim e cacochymo sanguine secretus cumuletur, is postquam putruerit, & concepto fervore fuerit attenuatus, in venas migrabit cum refluo sanguine, ac si in ipso hæreat, totam massam inquinabit, aut si in alia parte facto sensim decubitu colligitur, eandem male afficiet, alterando, rodendo, putrefaciendo, aut alio quovis modo labefactando: *Porro*, ut materia morbifica ab hac parte in illam potius quàm in aliam transferatur, non sufficit vasorum communitas, sed specialis requiritur structura; hujus causa plus crassioris sanguinis ad lienem & intestina defertur quam ad caput, servata molis proportione: Ad eandem structuram spectat conformatio meatuum inferiorum arteriarum, & aliorum canalium ea effici-

tur ut succus acidus v. g. in pancreatis ductus defluat potius quam in aliam partem: Sileo partium dispositionem ut pravos humores recipiant, & ab iisdem afficiantur, ea enim generalis est ratio compatiendi: generatim quoscunque humores eæ partes facilius excipiunt, quarum rarior est & laxior fibrarum contextus: eæ vero facilius patiuntur quarum tenerior est ac mollior substantia, ut vero pars aliqua ab hoc humore magis quam ab alio, etiam deteriore vulgo habito labefactetur, efficit specialis convenientia; sic quæ aqua stygia aurum dissolvit, illæsum relinquit argentum & vicissim: Præterea ad hanc eandem sympathiam per vasorum communionem non parum conferunt aliæ duæ sympathiæ causæ, *situs* scil. & *connexio*: quibus quæ compatitur pars, magis disponitur ad humores excipiendos & retinendos, quia vel est in declivi posita, vel distrahitur, vel comprimitur &c. Vasis annumero interstitia tum ipsorum vasorum, & reliquarum corporis partium, tum fibrarum, quarum textura partes constituuntur; cavitas enim quæcunque ex partium variarum connexione emerserit, pro vase est habenda, quæ quo gracilior fuerit, eo erit aptior ad humores, saltem tenuiores, & ipsi applicabiles, secundum ipsius ductum deferendos, etiam contra eam, quam natura indidit inclinationem, ut solet aqua, quantumvis gravitas renitatur, per inconspicuos filtri meatus ascendere; Ex hac vasorum omnis generis per corpus diffusione, patet quam verum illud *Hippocr.* Totum corpus conspirabile esse & confluxile, cum illorum ope è qualibet parte in quamlibet aliam fieri possit humorū traductio: Intelligitur etiam qua ratione, secundum eundem, dextra dextris, sinistra sinistris magis consentiant; manifestum enim musculos, eorumque fibras, ac utrorumque interstitia magis secundum longitudinem quam latitudinem porrigi, ac per ea superne deorsum, aut inferne sursum humores facilius fluere quam in transversum ferantur: *Ex Fr. Bayle Dissertatione De sympathia variarum corporis partium cum utero.* De sympathia ventriculi cum capite vide Scholia ad Obs. 1. & 14. 31. 37. 80. 44.

ADDITAMENTA.

Observatio I.

Cephalalgia à Lapillo intra Duram piamque Matrem in Capite reperto.

*PAstor quidam, ætatis consistentis, eximius hypochondriacus, atrocissimos Capitis dolores, & quidem continuò inque sinistro potissimum latere, ultra biennium patiebatur, quos plerorumque nostratium medicorum cura vel saltim quadantenus placare frustra planeque irrito conatu tentavit. Aperto post obitum ejus capite, inter duram piamque matrem, è regione sinistri cerebri ventriculi, durissimum scrupulum grani hordeaci magnitudine reperimus, ipsamque calvariam ibidem loci enormiter extenuatam deprehendimus., hincq; caussam hujus immanis capitis doloris non vana, uti puto, suspicione deduximus. Rarum exemplum, & cui simile non ubivis obvium. Præter enim hoc nostrum, apud unicum Panarolum, quantum ego quidem scio, simile quid legere est, triplicem scilicet spinam lapideam intra duram piamque matrem repertam annotavit *Pent: 5. Observat.* 14. utut cætera *Marcell. Donatus Hist. med. admirab. lib. 4. & Gregorius Horstius oper. med. tom. 2. lib. 4. observat.* 47. aliique recentiores in singulis partibus humani corporis lapides igni posse, ratione & experientia probarint; *D. Georg. Abrahami Merklini in Miscell. Curios.*

Observatio II.

à Cephalalgia demortui capitis anatome.

Juvenis studiosus per tredecim vel quatuordecim dies immani capitis dolore continuò affligitur, tandem post febrem auctam, vigilias, motus convulsivos & fabulationes deliras, obiit.

*CRanio aperto, vasa sanguifera, meninges perreptantia, mirum in modum, sanguine turgebant, adeo ut, sinubus dissectis, ferè ad uncias octo effluxerit. Ipsæ meninges discolores ac inflammatæ apparebant. Cerebrum ipsum intra gyros & anfractus aqua limpida madidum: ventriculi eodem liquore turgebant, cerebri substantia admodum mollis erat.

*SUcci nutritii meninges & cerebrum irrorantes, à causâ qualibet præcedente, sive ab acido nimio, sive frigore externo, inspissati, canaliculos, eas partes perreptantes, liberè pertransire nequibant, unde obstructio: ex obstructione inflammatio; hinc sanguinis cursus aliquomodo impeditus, vascula sanguinea immensum distendebant,

Sed regerit fore quispiam, quare sinus sese exantlari nequeant, cum à principio angusto incipiant, cruorque inde in multò ampliores ductus currat, contrario modo ac in arteriis?

Respondeo, istos sinus sanguinem recurrentem versus jugulares venas, cùm cranii mœnia relinquant, ab humore lymphatico adeo exterius premi ac angustari, ut liber descensus sanguini denegetur, plusque sanguinis per carotides advehatur quam remeare per jugulares possit.

Porro lympidus iste liquor procul omni dubio ex ruptis lymphaticis effusus fuit, unde & cerebri moles minus firma & madida evasit. Ubi enim obstructiones, ibi vascula lymphatica sæpissimè, vel nimis distenduntur, vel rumpuntur. Liquor iste extravasatus & acidus factus corrosit membranas τῆ ἐγκεφάλῳ, unde *dolor capitis* gravissimus. Sanguis cæterique succi intra cerebrum retardati, incalnere; hoc est, particulæ acidæ & alcalicæ quibus sanguis abundabat, à subtili materia invicem in actum suscitabantur; quod, sanguine celeriter currente, non ita fit, saltem non animadvertitur à nobis: calor iste à nobis vocatur *febris*: quæ tandem, accrescente tumore phlegmonode, magis exacerbabatur, quia sanguini ex cerebro descendenti minor exitus concedebatur: exinde facile colligimus, quò sanguis magis retardetur, eò major particularum acidarum cum alcalicis lis.

Vigiliæ causabantur non tantum ex dolore intolerabili, sed fibrillæ ipsius cerebri ab humore isto lymphatico irritabantur, unde in ipsa cerebri substantia, minores quasi convulsiones concitatæ; hinc nulla quies.

Dum de auctis hisce convulsionibus, sensibiles motus in genere nervoso oriebantur; ab eadem etiam causa fabulationes deli-

deliræ dependent. Nam propter convulsiones cerebri, ideæ male repræsentantur, pessimeque judicantur & proferuntur. *Stephanus Blancardus in Anatomiâ Practicâ.*

OBSERVATIO III.

Capitis dolor in quo Pericardium pure & sanioso sanguine oppletum repertum &c.

CIvis quidam quinquagenarius de dolore continuo capitis & circa scapulæ dextræ regionem quæritur, imo de tussi ac palpitatione cordis, atque his aliquot mensibus vexatus fuit. Pertò cadavere, hepar erat scirrhosum; lien ex obstructione solito major. Pectus humore lymphatico plenum fuit: pulmonis dextra pars ferè absumpta & sinistra magnopere inflammata. Pericardium haud mediocriter dilatatum puris & saniosi sanguinis ultra quatuor libras continebat Cor lęsum non erat nisi superficie tenus.

QUid obstructiones ex acide & viscidis humoribus faciunt, in superioribus plus semel dixi. ex hepatis scirrho & lienis intumescentia, pulmonisque dextri consumptione, liquores per universum corpus circulari ductu libere vehi impotentes, in iis visceribus moram contraxerunt, ex mora corruptio, inflammatio, dolor, tussis, cæteraque symptomata. Prima humanæ sapientiæ laus est, valde similia posse distinguere. Quis Apollo Hydrocardiam divinasset. Est procul à nobis sæpe præsentia veri.

Post mortui cadaveris ἐκλοχεύειν pectus & pericardium, ex ruptis ab obstructione lymphaticis, lympha corrupta plenum. Æger, cum in vivis esset, de destillatione frigida ad latera colli in pectus, quærebatur. Num ex cerebro, de cujus dolore molestabatur, per membranarum intercapedines, liquor ibi restitans in pulmones & pericardium descenderit, nec ne, dubium, cum viæ non patebant. Fortasse leves nervorum convulsiones fuerunt.

Humores in pericardio collecti, sua acrimonia ipsum cor affecerunt, unde sæpè in palpitationem incidit. Imò ob copiam collecti in pericardio humoris, cordis latera adeò compressa, sanguinem dimittere non potuerunt, quod sæpe fit, cum sanguini liber transitus per cordis thalamos denegatur; nunquam quis in palpitationem incidit, nisi in corde vel circa ipsum, obstaculum sit: quod ex inspectis cadaveribus semper manifestum est. *Idem ibidem.*

OBSERVATIO IV.

Cephalalgia in qua insignis cerebri suppurati quantitas ex naribus fluxit.

§. 1. SEnatoris hujus Civitatis unica filia undecim annorum, ante decennium de acerbissima cephalalgia querebatur. Vocatus in consilium auras tum temporis vitales adhuc carpens D. F. Lachmund, exploratis omnibus morbi circumstantiis, eorum quæ contra hunc proficua censebat nihil non tentavit. Tertio morbi die, id ita prælaudato Medico volente, & ego ad ægrotam accersitus sum, ubi amicè de ejus affectu consultavimus, variaque secundùm præcepta artis, tum interna, tum externa, ast sine ullo adjumento ordinavimus medicamenta. Febris quæ ab initio ad hoc usque tempus perstiterat continua, in dies intendebatur, doloribusque capitis incrementum capescentibus, paulatim desipere furiosaque loqui incipiebat. Degenerabat quinto die hæc phrenesis in carum, profundo namque sopore obruebatur oculis perpetuò clausis, nec tamen ita sensus perierat, quin si pungeretur sentiret; unde verò nec oculos aperiebat, nec aliquid verborum fundebat. In hoc statu ad decimumusque permansit diem, qui tragicam morbi catastrophen sistebat: Circa nonam enim matutinam post multas jactationes, spasmodicosque corporis motus, puris albissimi quantitas ad aliquot libras cum impetu ex utroque nasi foramine prosiliebat, promanante scilicet, quoties exspiraret, ejus præter propter uncia una. Frustula plura faciem cerebri colliquati præ se ferentia materiæ purulentæ permixta erant. Quid multis? Exeunte è naribus pure & ipsa mens ad cœlestem habitationem transmigrabat, relicto domicilio materiali, quod exanimum adhuc per aliquot horas non exiguam puris stillabat quantitatem. Nonnullos veterum in dubium vocasse constat, an cerebrum ipsum apostemari queat? De qua materia pluribus tractat Gregor. Horstius part. 2. lib. 2. obs. 4. exemploque lib. 7. obs. 14. affirmativam illustrat. Vid. quoque Dodonæus obs. medic. cap. 7. Forestus lib. 10. obs. 40. & alii. In nostro casu ipsum cerebrum suppuratum fuisse, ejus portiunculæ cum pure egredientes testabantur, veritasque rei, nisi Parentes, nescio qua religione erga defunctam filiam permoti, apertione cranii nobis interdixissent, meliùs forsan in apricum venisset. *D. Ioh. Petri Albrecht in Miscell. Curios.*

CErebrum abscessus pati posse, præter exempla adducta, & gravia capitis vulnera sæpe cerebri suppurationem ocolis sistentia, (quale inprimis Volcherus Coiter in observ. anatom. & chirurg. notavit) ipsa quoque ratio dictitat, cùm substantiam obtineat ex tenellis glandulis, arteriis, venis, & lymphæductibus &c. conflatam; quarum partium textura, sive ab externâ, sive internâ causâ si lædatur, atq; ruptura aliqua vasorum istorum fiat, vel aliò modô naturalem sanguinis aut lymphæ per ea motum impediri contingat, glandularum substantia à stagnantibus illis liquoribus, & acrioribus redditis, erodi inque putrilaginem converti poterit. Quamvis etiam crebri per nares exitum quandoque abscessus, vel materia purulenta alba, crassa, juxta cerebrum vel alia in capitis parte generata, perque vias istas evacuata inveniri queat. Id quod Clar. Nicol. Stenon. in Act. Medic. Haffniens. Barthelin. vol. j. obs. 131. facilè credimos; propterea tamen de omnibos illis historiis, quibus narratur ipsius cerebri partem per nasum exiisse, dubitari haud debet. Quod judicium confirmat oculata experientia celeberr. nostri Herculis, qui ut sect. 3 physiolog cap. 24. testatur, in epilepticis infantibus tenellulis recens natis. cerebrū quasi liquatū per nares particulatim fuisse excretum, ipse vidit; sicut & in matronâ processū mamillarem

sarem cum cerebri notabili portiuncula per narem dextram, immani epilepsiæ sævitia, expulsum, cum aliis quatuor Medicis, Henricus ab Heers vidit. Plantinum illud in Fabula, cui Cassina titulum fecit, nimirum, *At tu ut cerebrum per nares emungas*, tandem se jam intelligere, in obs. medic. 14. referens, atque Erastum testem advocans, simile quid in magna insultus epileptici violentia se præsente factum, tom. 4. disp. 2. contra Paracels. scribentem. Cerebrum autem instar pultis diffluere posse, excellentiss. noster Pæon, in apiario suo pag. 149. exemplo docuit. *Lucas Schröckius Luc. Fil.*

§. 2. Vir quadraginta ad minimum annos natus, temperamenti biliosi, cohortis præsidii hujus loci ordinarii legatus, per duos annos de doloribus gravissimis anteriorum cerebri partium conquestus fuerat: Ac postmodum in febrem acutam, cum horrendis dolorum prædictorum exacerbationibus, eosque subsequente delirio ac phrenitide incidebat. Varia per aliquot dies frustrà sunt adhibita remedia; venæ sectiones scilicet, cucurbitularum ac vesicatoriorum applicationes, fomenta, litus, purgantium ac vomitoriorum, subindeque anodynorum tum suprà, tum infra exhibitiones. Verùm tandem, cùm die morbi duodecimâ post litum capitis & nuchæ, ex balsamo nostrò viridi ac oleo succini; vomitivum rursus medicamentum propinassemus, subitò in ipsis vomendi conatibus, tanta puris quantitas per nares ac ipsum etiam os, illuc per foramina nasi interna devoluta, promanabat, ut libras duas superaret. Quid fit? Ipso momento delirium ac phrenesis mitigata sunt, febrisque remissior facta, & paulò post omnino sanus evasit; de hoc solummodo, per decem propè annos quibus vitam satis vegetam produxit, querulus, quòd quasi vacuum aliquod sinistrorsum in anteriori cerebri parte persentisceret, unde quandoque etiam ipso inviro, caput ad dextras relaberetur. Si post obitum tandem licuisset cadaveris cerebrum inspicere, de ruïnâ in ipso enata, ac quomodo à natura solerti reparata fuisset, manifestè constitisset.

§. 3. Virgo Nobilis in vicinia degens, longis capitis doloribus afflicta, tandem in melancholiam deveniebat tam atrocem, ut omnem propè hominum conversationem fugeret, ac in ejulatus subinde incitaretur. Auxiliorum etiam tanto afficiebatur tædio, ut ea omnia cum maximo contemptu respueret. Tandem tamen cùm aliquid, pulveris cephalici per nares attraxisset, unde sternutatio frequens orta est, inter hasce concussiones magnam puris per nares copiam emisit, unde à dolore breviliberata est, hactenusque sana vivit.

Qua demùm via pus in cerebro efformatum per nares elabatur, non parum ambigitur. Hunc nodum reverà solvit Clariss. Diemerbroeckius, suo de expurgatione cerebri per os cribriforme systemate, illac enim quicquid pituitæ in visceris hujus ventriculis anterioribus aggeritur commodè deducit. Verùm hoc non ita demonstratur quin multæ difficultates in hac materia rursus supersint: Ipsi enim sæpius per liquores etiam spirituosissimos sumenti experimenta, nunquam aliquid per hujus ossis foramina, membranulis nervorumque olphactoriorum productionibus oppleta, transfegisse, intueri datum fuit. Equidem aër in prædictos ventriculos insufflatus, liquoresque injecti, per processus mammillares ad os usque prænominatum progrediebantur, sed nihil ulteriùs pergebat, quacunq; etiam arte illud perficere tentarem. Non sic tamen concidit totum laudati Clariss. Viri systema, quin potiùs per mox allatas observationes confirmatur; cùm enim tanta puris quantitas, qualem in iis exiisse per nares vidimus, nec è spongiosis carnibus in ipsarum fundo sitis, nec in glandulis per ipsas respersis, nec in cavitatibus ad earum latera positis, nec in ipsis faucibus, aut aliis partibus illis adjacentibus, ac cum naribus communicantibus, coacervari valuerit; unicum superest, ut scilicet tanti profluvii materiam è cerebro petamus; illudque ex eo etiam ulteriùs confirmatur, quòd in utroque exemplo sic facta sit solutio dolorum cerebri atrociorum, proculdubio & à distentis per puris copiam membranis, & ab iisdem per puris acrimoniam irritatis ac quasi compùctis, enatorum; sed etiam in primo exemplo vacuum quasi quoddam in cerebro superfuerit, aut saltem illius sensatio apud patientem per annos permanserit. Crediderim itaque naturam facilè per poros etiam intricatissimos devehere posse liquores, qui aliàs nulla arte in eosdem per experimenta nostra anatomica protrudi queunt. Quis unquam per nervorum tubularas propagines aliquid liquorum etiam spirituosissimorum deducere valuit? Illac tamen succus nerveus, aliquatenus glutinosus, vivente animali, & excursiones, & forsan circulationes suas peragit. Addendum propterea non tantùm naturam artis omnem superare solertiam, sed etiam vias esse multò expeditiores, naturæque, succorum motus imperanti, patentiores, dum vivit animal, quàm cùm mortuum est, quia tum scilicet tenduntur omnes canaliculi, succique qui etiam aëri expositi momento concrescunt ac congelantur, tenues admodum sunt, imò etiam vaporis formam, quò facilius vias sibi referent, facilè induunt. Non mirum itaque si artis opera in mortuis subjectis non semper respondeant iis quæ natura in vivis peragit.

Observatio V.

Cephalalgia scorbut. intermittẽs, à glandul. in cerebrò prognatis ac inde subsequutâ hydrope capitis orta.

Johannes Oberdörffer puer 14. annorum, in orphanothrophio Tigurino degens, antehac scorbuto laborans, totoque corpore minutis maculis rubris scateus, anno 1690. ineunte æstate de lassitudine totius corporis, dolore capitis obtuso, atque appetitu prostrato conqueri cœpit, quæ virium debilitas corporisque atrophia, tanquam umbra corpus, paulatim subsecuta. Circa initium Julii cephalalgia partiali acutissima corripiebatur, cum primis in sincipite circa dextram frontis partem, latitudine unius imperialis; in occipite verò circa initium spinæ dorsi; unde crebro conquerebatur se caput vix tollere posse. Paroxysmus sua intervalla, nulla

nullâ periodô certâ observatâ, habebat; neque priùs cessavit, quàm vomitus subsequutus fuerit.

Contra rarum hunc affectum variis medicamentis pugnatum est; ita ut cephalalgia omnimode remiserit, obambularit, bene comederit, per 16. dies de nullô ampliùs incommodo conquestus fuerit, unde spes bonæ valetudinis affulsit.

Circa medium autem Augusti frequenter sub ferventi Solis æstu degit, ac fructibus crudis ventriculum aliquoties replevit, unde febris acuta oborta, cephalalgia totius capitis refricata, cibi inappetentia, dolores quoque axillarum atque orificii superioris ventriculi excitati, vires in dies consumptæ, medicamenta in cassum omnia fuere; tandem etiâ convulsiones epilepticæ supervenere, ac die decimâ Septembris miseram hanc vitâ finiit.

Apertô craniô cerebrique involucris remotis, oculis sese nostris objecerunt sequentia: Cranium juxta sincipitis elevationes, seu verticem, utrinque pertenue erat, quod etiam ab arteriolâ juxta sagittalem suturam perforatum fuit; vasculum hoc in capitis cutem desinebat. Pia mater sub sincipite corrosa fuit, ipsumque cerebrum ibidem loci aliquantum protuberabat. Substantia cerebri solidior fœtebat. Ventriculi copiosiore & acriore lymphâ turgebant, adeo ut ejus circiter unciæ decem effluxerint. Plexus choroidæus ab hac lymphâ flaccidus, & dilutis glandulis solitô pallidior erat. Glandula pinealis admodum parva, flaccida, in extremitate lacera fuit. Sub hâc glandulâ in ipsa cerebri substantia medullari, juxta occiput, præternaturalis glandula sebacea durior, friabilis occurrebat, qualis quoque in fine cerebelli, locô calami scriptorii, juglandis magnitudine, ut & parte anteriore, intra plicas cerebri, insignes duæ glandulæ reperiebantur: juxta quartum ventriculum plures pori sanguinem fundentes in ipsa medullari substantia erant: in extremitate cerebelli, parte dextra, glandula quoque duræ matri adhærebat, sicut & in parte anteriore intra cerebri plicas. Rete mirabile baleni asperum, & intricatis vasculis ad sellam turcicam, observatum fuit. Supra oculos in fronte, inter utrumque cranii tabulatum lympha flavescens crassior præternaturalis erat. Cætera bene constituta fuere.

Ex his palam fit lymphæ impurioris collectione, obstructiones in cerebro, hinc duras glandulas præter naturam originem traxisse, secretionem impeditam esse; morâ autem acrimoniam induisse: membranas sensibiles & laceratas & compunctas, seu erosas esse, hinc ingentem dolorem per paroxysmos urgentem initium suum duxisse; affectis nervis & variis protuberantiis medullaribus, epilepticos motus & ipsam mortem subsecutam. *D. Ioh. Iac. Wagneri Miscell. Curios. Dec. 2. A. 10.*

Observatio VI.

Cephalalgia alteram capitis partem occupans à cerebri gangrænosi ibidem orta.

Vir triginta circiter annos natus, & professione sartor. Oxonii in Anglia habitans, de duris admodum capitis doloribus diu conquestus, tandem præ eorum acerbitate convulsus obiit. Remoto Cranio, vidimus partem cerebri quæ ossi subjacet temporali dextro, ubi fuerat doloris sedes ad illius monetæ quæ badajorium dicitur, & imperiali paulo grandior est, extensionem omnino nigram, acputentem, ita ut gangrænosi reverà affecta meritò crederetur. Corruptio adhæc sex linearum crassitiem in cerebri ipsius substantiam descendebat, nec aliquid vitii alibi conspiciebatur. Non audivimus vel casum ab altô, vel ictum ægritudini huic funestæ ansam dedisse, causa itaque merè fuit interna, ab extravasatione sanguinis peculiari, vel humoris depositione, in locum affectum, pendens. *Ex communicatione Clarissimi ac Amicissimi Viri Dni Gulielmi Sherard Collegii Divi Ioh. Baptistæ Oxon. Socii.*

Observatio VII.

Cephalalgia à Cranio crassiori ac suturis prorsus destitutô, ubi præterea vasa anteriora visceris turgidiora visa sunt, serumque multum in cerebri ventriculos ejusdemque basin, effusum.

Vir inter nostros Nobilis, annos circiter quadraginta natus, atrocibus subinde capitis doloribus torquebatur (quibus etiam tota ipsius familia obnoxia vivebat) nec minùs interim in negotiis suis assiduus, multumq; temporis in scripturis, aliisque cerebrum defatigantibus occupationibus impêdens; in eam ægritudinis acerbitatem deductus est quæ remediis cedere nescia, tandem ipsum comatosum effecit, vicesimoque hujus ultimæ mali prehensionis die, misere trucidavit, quamvis aliquid spei ac sensationis sub finem morbi affulsisset post hæmorrhagiam nariû satis largam advenientê. Pulsus semper fuit parvus ac inæqualis, urinæ variæ.

Cranium non sine magno labore die mensis Decemb. nona an. 1687. elevatum est, quia scilicet durum admodum, siccum ac crassum fuit, serræque difficillimè cedens; quò ad examen revocato non tantum observavimus suturas prorsus deficere, sed etiam cranium ea parte quâ per ipsam conjungitur multò quàm alibi crassius ac opacius. Observavimus præterea ossa temporalia non parum compressa, unde non ita liberum erat venis sic contractis sanguinem ad anteriora per arterias advectum, reportare, quò pars hoc onere promptè levaretur. Non tantùm enim turgida illic erant vasa, ac prorsus varicosa, sed etiam multum serum de se emiserant, quod ad uncias fermè duodecim super ipsius visceris basi stagnâs, conspeximus.

Ejus-

Ejusdem nobilis itidem soror annos præter propter quinquaginta nata, postquam per totum vitæ curriculum cephalalgiis, ac in oculos fluxionibus, subinde laborasset, apoplectica tandem Junii vicesimô quartô, ann. 1693. obiit. In cujus capite sequentia adnotavimus. 1. Quòd exterius tota facies livida foret, ad instar strangulatorum, ipsaque etiam nucha ad omoplatas usque. 2. Quòd separatis tegumentis larga facta sit sanguinis effusio, quæ non minor etiam fuit cum ad diploen inter descandum deveniretur. 3. Quòd ut in fratre cranium esset crassissimum, suturis prorsus destitutum, ibidemque & crassius & opacius; ossa etiam temporalia compressiora. 4. Quòd dura mater bene foret constituta ejusdemque sinus omnino vacui, sed quòd inter eam ac piam matrem subjectam, octo aut septem ad minimum grandia seri cochlearia extravasata reperirentur. 5. Quòd pia mater admodum varicosa, ac sanguine concretô distenta. 6. Quòd substantia cerebri & corticalis & callosa firmæ foret consistentiæ, ventriculique prorsus vacui, nisi quod in eorum medio congelatus in longum sanguis, ad instar polypi, viseretur, quodque in anteriorum sinistro, ejusdem sanguinis grumus caryophyllum aromaticum quantitate æquans reperiretur. Quòd præterea plexus choroidæi glandulæ in ventriculo dextro anteriori, non solùm essent omnes in magnitudine auctæ, sed etiam quòd earum aliquæ lentis magnitudinem superarent. 7 Quòd sanguis serosus ad uncias quatuor aut quinque in cerebri basim, ac præsertim sellæ turcicæ confinia effusus esset, arteriæque carotides prope prædictam sellam turcicam admodum turgidę deprehenderentur.

ANATOMIÆ PRACTICÆ

LIBRI PRIMI

SECTIO II.

DE APOPLEXIA.

OBSERVATIO I.

§. *Apoplexia oborta ab occlusione vasorum quæ spiritum vitalem ad cerebrum vehunt, scilicet concursus omnium crassæ meningis sinuum, Torcular dicti.*

CUM paulo pénitius rem introspicerem, vasaque cerebri singula diligenter perlustrarem, deprehendi tandem locum, quo tanquam è fonte sanguis & spiritus cerebro communicantur, & ex cujus obturatione cerebrum suis spiritibus, si non omnibus, tamen pluribus simul, privari possit: hicque est concursus omnium crassæ meningis sinuum (quem Torcular aliqui nominarunt, eo quod veluti è torculari sanguis è venis & arteriis in canales istos effusus in universam cerebri substantiam exprimatur) obvius in posteriore cerebri sede, prope apicem suturæ lambdoïdeæ, ubi tertius & quartus sinus oriuntur: priores verò duo ad suturam prædictam ascendentes conjunguntur, omnes autem exiguo foramine congrediuntur, quo obturato (ut facile fieri potest, siquidem circa id, etiam in cadaveribus nonnullis violenta morte peremptis, sanguinem, humorem crassum, sæpe & viscida pituita permixtum, concretum & valde compactum, ad obstructionem ejus aptissimum, deprehendi) nil sanguinis spirituumque in tertium & quartum sinum effundi potest, cerebrumque maxima spirituum copia destitutum suis functionibus omnibus privatur & vera Apoplexia proculdubio generatur. *Gr. Nymmanus Tract. de Apoplexia cap. xv.*

ERrat doctissimus cæteroquin Vir, quod è Torculari, tanquam ex concursu omnium crassæ meningis sinuum, sanguinem è venis & arteriis in canales seu duplicaturas istas effusum, in universam dein cerebri substantiam sursum exprimi credat: Sanguis, per venas in sinus crassæ meningis sursum non effunditur, sed ille ipse sanguis qui per arterias in sinus prædictos illabitur, à venis jugularibus internis quæ in sinus illos, maxime vero laterales, à natura in hunc finem inoculantur, rursus absorbetur, atque circulationis lege, non sursum in substantiam cerebri, sed è capite deorsum ad

ad fontem vitalem revehitur: Ac proinde qnamvis inquam opinio Viri Clar. corruat, nihilominus tamen si assignatus ab authore locus paulo aliter expliceтur, funestissimæ apoplexiæ sedem plerumque habebimus: Nam venæ illæ jugulares internæ, quæ in dictos meningis sinus, præcipue laterales, ad reducendum è cerebro sanguinem insertæ sunt, si crasso, mucoso, pituitoso sanguine (quod meo judicio frequentissime in apoplecticis contingit) obstruantur, atque adeo affluum ex arteriarum carotidum, internarum & vertebralium ramis sanguinem non resorbeant, tum enimvero debita circulatio sanguinis in cerebro torpescit, & cordis ceu Solis microcosmici ulterior influxus seu irradiatio prohibetur, subsistente nimirum in carotidibus, aliisque rete mirabile & plexus choroideos constituentibus arteriis, vitali sanguine; qui dum ibi turget, non raro in cerebri substantiam lethali vomitu effunditur: Hinc porro cerebri naturalis motus, omnesque animasticæ functiones turbantur, delentur: verbo, concidunt & subsident omnia, & funestum patitur, prout eleganter insinuavit Nymannus, Lunare microcosmi sidus Eclipsin.

Objicies, hanc modo enarratam sinuum duræ meningis obstructionem, à sanguine pituitoso & crasso factam, nonnisi successive & lente contingere, atque adeo agnosci non posse pro causa conjuncta ac formali veræ apoplexiæ, utpote quæ plerumque ex improviso ingruit & hominem valentem derepente occidit: Respondeo, quamvis non negetur Apoplecticos derepente, mactatæ pecudis instar, in terram prosterni; atque etiam forsan concedi possit subitaneum casum ad essentiam hujus mali pertinere; haud tamen sequitur causas hoc malum efficientes omnes successive non pullulare: neque enim dicitur quod omnis & qualiscunque obstructio sinuum duræ meningis Apoplexiam essentialiter constituat, sed talis demum quæ affluentis vitalis sanguinis motum totaliter vel maxima ex parte impedit, atque cerebri mentisque operationes omnes evertit, unde præcedentia Apoplexiam symptomata, ut vertigo, capitis gravedo, dolor, & quæ sunt similia, quæque magnam similitudinem cum Apoplexia habent, merito imminentis Apoplexiæ dicuntur prælidia: Interim non dico omnem Apoplexiam à tali sinuum in meningibus dependere obstructione, sed certum esse suppono diversis sæpe causis hanc cerebri concidentiam produci &c. *Franc. Ignatius Thiermair consil. med. lib. 2. cap. 2.*

Ex cujus obturatione cerebrum &c.] Apoplexiæ causas omnes ad Neotericorum mentem egregiè tradit Clar. Dom. D. Joh. von Flammerdinge, Divi Marci Eques, Medicus Francofortensis, Disputatione de Apoplexia: Apoplexia, *ait*, Th. 1. est repentina actionum animalium omnium, sensus scilicet & motus cum facultatum principum læsione ablatio, oborta vel ob aditum sanguinis ad cerebrum denegatum, vel propter spirituum animalium exitum è cerebro & cerebello prohibitum, salvis quadantenus respiratione & pulsu. Θ. 2. Causa proxima, uti ex definitione patet, est vel sanguinis ad cerebrum affluxus inhibitus: vel spirituum animalium è cerebro & cerebello effluxus prohibitus: Cùm enim ad generationem spirituum animalium, cerebrum vivifici hujus nectaris perpetuo appulsu indigeat, illo impedito, nulli generari poterunt: vel sanguis licet ad cerebrum appellat, inque illo generentur spiritus, ipsi interim in nervos ingressus si nullus concedatur, quid juvat illos genitos fuisse? utroquippe modo partes agente suo destituantur, illarum actiones perire necessum est. Θ. 4. Sanguinis autem ad cerebrum impulsus arcetur, vel obstructis, vel compressis arteriis, cùm carotidibus internis, tum vertebralibus: Obstructio contingit, vel in truncis vel ramis: Truncis potissimum, à corporibus fibrosis pituitosisque, qualia in variis vasis sæpissime reperiuntur & nomine polypi veniunt, quæque vulgo in cavernulas thalamorum cordis radices egerunt; unde ad notabilem magnitudinem excrescentes, altius assurgunt, & in connata cordi vasa longe lateque se pandunt: Sanguine autem quamcunque ob causam vehementius commoto, corpora illa, præsertim si fracidiora fuerint, abrumpuntur, sursumque cum copia irruentis sanguinis per dictas arterias translata, eas vel non procul ab ingressu intra cranium, aut in ipso ingressus vestibulo, simul & & conjurato quasi obturant: Eo etenim loci ubi devecta sunt isthæc obturamenta, vasa inibi distendi nescia penitus offerciunt: Primo quippe *vertebrales arteriæ* per peculiare sibi, apophyses intra cervicis transversas, magnitudini illarum exacte respondens, exsculptum foramen, cerebrum utrinque, os inter occipitale ac petrosum, flexuose subeunt: *Carotides* vero *internæ*, sub ossium petrosi, basilaris & occipitalis confiniis, ventricosiores efficiuntur, quo suo ventre, ceu alveo locum concedunt corporibus illis fibrosis, sanguinisque tenacibus & lentis particulis, inibi & stagnaturis & incrementa capessuris, donec sanguine vehementius commoto, ulterius adhuc angustiorem versus earundem arteriarum introitum, juxta scilicet sellam equinam, compellantur, ubi crassa meninx est densissima simul atque suis ossibus per quam agglutinata, & consequenter cedere nescia: unde liquet isthæc corpora eo semel adacta angustiis undique premi, è quibus, ceu aviis, nec remeare queunt, nec altius evehi, utpote quibus ulterius omne redditum sit, & invium & ἀνεξερεύνητον: His si accedat & obstructio, iisdem de causis, jugulares intra venas & sinus cerebri, tanto celerius Apoplexiæ apparatus omnis illic in actum erumpet, morbi enim tales sensim & clanculum fiunt, ac derepente & fulguris more explendescunt. Θ. 5. Tali Apoplexia extinctus videtur Baxius, de quo *Observatione 36.* Talia certe corpora D.D. Franc. Sylvius & Fr. van der Schagen in carotide arteria viderunt, quo retracto, motum aliquem in quartum usque sinum animadverterunt, ut & Wepferus &c. Θ. 6. An arteriæ carotides & vertebrales simul ita comprimi possint ut sanguini fluxum inhibeant, valde dubium, vixque concipi potest, nisi in illis qui à luxatione vertebrarum colli diu paralytici decubuere, serumque in eorum cerebro stagnans, subito ac copiose per infundibulum in glandulas pituitarias irruens, illas brevi tumefaciat, atque hac ratione ad illius latera ascendentes carotidas comprimat, sicque fluxum sanguinis ulteriorem prohibeat: In laqueo suspensis etiam Apoplectici quid observare est: Verum non tantum arteriæ carotides in illis comprimuntur, sed & venæ jugulares internæ, unde ingressus & egressus sanguinis perinde arcetur: Illis vero in locis ubi carnifices suspensorum humeris insultant, apophyses cum spinosæ, tum transversales secundæ colli vertebræ abrumpuntur, atque hoc modo vertebrales arteriæ quam arctissime comprimuntur. Θ. 7. Porro vasorum ille-

rum ramuli obstruuntur, vel à solis particulis lentis ac viscidis in sanguine præexistentibus, vel accedentibus quandoque ad illas, circulationis ope, particulis fibrosis aliis, jam descriptis: Hanc itidem obturationem promovebant cerebri tum constitutio frigida, tum compactior moles: forte enim vascula hæc, ab ipsis generationis primordiis angustiora præexistunt, sicque fiunt obstructioni magis obvia: Illis autem obstructis, cerebri meditullium spiritibus suis orbatur, sicque patitur eclypsim. Θ. viij. Exitus vero spiritibus nullus conceditur, vel oppletis vel compressis substantiæ cerebri, cerebellivè medullosæ poris, utpote spirituum viis, Teste enim Galen. *In Apoplexia corpus cerebri magis afficitur, ventriculi minus*: Imò cerebri ventriculos laterales lædi posse citra Apoplexiæ casum, constat ex illa Galen. historia de juvene Smyrnæo, quem utroque ventriculo cerebri antico sauciatum curavit: Compressio autem, vel oppletio illa, contingit vel a sanguine, vel ab humore pituitoso serosove eo loci eructatis: idque potissimum si tumor quispiam, ceu hostis inquilinus, scelestam illam vim, quæ cerebro infertur, suo compressu eo adjuvet. Θ ix. Sanguis porro effunditur è suis vasis vel per ἀναςόμωσιν, vel per διαίρεσιν vel per διάβρωσιν: ἀναςόμωσις accidit potissimum à plethora sanguinisque tenuitate nimia; διαίρεσις, vel à vulnere, vel ob vas obstructum, & à sanguine affluente ita distentum, ut amplius distendi nequeat, quocirca appellente ad illud novo sanguine vehementius moto, crepet necesse est: Sic in plethora cerebri vasa usque distenduntur, ut cum simplici tunica constent, levem ob commotionem rumpantur, uti à casu, colapho, inclinatione capitis &c. Tandem est sanguinis aliorumque humorum acrimonia vasa erodens, at rara hæc causa locum habet: Sanguis igitur quacunque de causa effusus sit, sibi ipsi noxam movet, & hac sua effusione exitium sibi cacat, dum omni commeatu seipsum interdicit, & vasa sanguiduca comprimendo, vel potius constringendo, inhibet ne novus ullus tubulos in compressos constrictosvè confluat: Θ x. Ab ictu vehementiore in oculum sinistrum Apoplexiam fortem vidit *Fernelius*, de qua *Observatione* 19. Apud *Henric.* ab *Heer* mulier pugno percussa juxta intercilium, mox apoplectica concidit, vide *Observatione* 19. Sic, notante *Tulpio*, quidam ab ictu in pectore concidit attonitus, Matrona ira incalescens, apoplectica xviij. post hora obiit. Juvenis dum sese incurvabat, torosus & athleticus intra xv. horas obiit, Apoplexiam quoque à plethora ortam observavit *Tulpius*, ut & *Wepferus* in viro 45. annorum, *Observatione* 20. Idem in septuagenariæ apoplexia defunctæ capite singularia observavit, vide *Observation.* 18. Rursus idem in sexagenaria, quæ ex monticulo proiderat, notavit totam cerebri basin sanguine offarctam, *Observatione* 15. Θ. XI. Humores serosi sæpe intra cerebrum cumulantur, in illis præsertim quorum sanguis sero scatet; serum enim facile à sanguine secedit, uti ex urina, sudoribus aliisque patet, illis præsertim assumptis quæ effervescentiam in sanguine excitare valent: Infundibulum quoque obstrui & comprimi, atque sic serum intra cerebrum colligi posse existimo, intercluso enim hujus seri ad glandulas pituitarias itinere, & per consequens illius exitu cerebro haud concesso, refluit regurgitatque in ventriculos omnes, quos repentina clade perimet: Si insuper vasis Lymphaticis cerebrum destitutum non est, uti ipsis puto illud non destitui, quidni reliquorum vasorum more hæc itidem suum quandoque humorem affatim effundent subjectasque partes inundabunt? Θ. xij. F. *Platerus* illum videns humorem aliquando copiosum per os, in apoplexia demortuis effluxisse, eundem copia & loco peccasse concludit: Idem cerebri concamerato opificio diruto, ac incisa cerebri meninge crassa, copiosum humorem prosilientem vidit: Ipsam insuper cerebri substantiam lactis cremoris instar dissolutam per faciem effluxisse observavit, *Observat.* 54. Apud *Wepferum* quingagenarius apopl. extinctus serum pallidum effudit, *Observ.* 47. Quantum autem his in casibus compressio valeat vel ex his innotescat: F. *Platerus* insignem tumorem supra callosum cerebri corpus deprehendit: Vidit & Cl. *Drelinc.* Tumorem steatomatis consistentia.

Observatio II.

§. 1. *Sanguis in Apoplecticis non solum frigescit, sed etiam concrescit.*

Constat refrigerato cohibitoque spiritu sanguinem non solum frigescere sed concrescere, quod in *catalepticis* & Apoplecticis, aliisque id genus affectis observatum. *Hollerius comm. in Coacam.* 1. *lib.* 1.

§. 2. Highmori socer Haydocus, in Apoplexia laborante sanguinem in venis adeo concretum invenit, ut medullam sambucinam referret. *Goth. Moebius Fundam. Phisiologic. cap. xiij.*

Idem in hystericis & omnibus affectibus, in quibus cordis motus subito cessat, fieri dicit *Highmorus*, qui addit rationes, Nimirum in Apoplexia, aut hystericis affectibus, aliisque ejusmodi emortuis, subito prosternuntur vires, ablatisque spiritibus cor statim à motu desistit: quiescente verò, sanguis ulterius non movetur, sed statim dum adhuc calidus est uniuntur partes ejus homogeneæ, fibræque incisæ statim concrescunt serumque separatur: In aliis vero qui sensim moriuntur, cordis pulsus sensim etiam languent, adeo ut sanguis in emorientibus, licet non tam præcipiti agitetur cursu, ut in sanis, semper tamen concutiatur: & ut calor in corpore sensim debilitatur, sic & pulsus semper languent, motusque in sanguine sensim diminuitur, donec plane nullus sit: Atque hoc modo fibræ dissipantur & discutiuntur & à concretione conservantur.

Sanguinem in venis concretum) Quod sanguis in venis non concrescat Aristot. venarum calori adscribere videtur: *Fernelius* vero ab earum ingenita vi provenire existimat, quum in mortuorum venis sanguis non coagulatur, In corporeantem vivête è venis in ventriculum vel intestina lapsus, concretus fuerit deprehensus: Laudatus Highmorus Pulsum sanguinem à concretione præmunire;

hoc probat, *Sanguis enim, ait, à coagulatione præservatur dum partes homogeneæ continuo motu ab unione frustrantur & perpetuo separantur; Atque hoc vel mulierculis notum est, quæ ut sanguinem suillum à concretione præservent, crebra agitatione vel manu, vel bacillo illum concutiunt fibrasque dissipant, donec refrixerit, ne ingrumescat.* Ad eam tem tamen etiam plurimum spiritus vitales actu calentes facere putamus.

Observatio III.

§. 1. *Apoplexia à grumo sanguinis in carotidibus hærente.*

IN dissectione cadaverum Apoplecticorum grumus sanguinis in carotides delapsus repertus est. *l. Crato Consilio* XXXVII.

Grumus Sanguinis in carotides delapsus repertus est.] Non probabiliter à quibusdam infertur denegato sanguinis influxu ad cerebrum, illum retro cessurum, ac obruto corde potius syncopen quam apoplexiam facturum, sanguis enim systole è corde exclusus non tam facile in cor relabitur (ut de valvulis alias refluxum prohibentibus sileam, quarum usus, aorta ab extraneis corporibus occupata, forte nullus est) quia à perpetuo succedente sanguine, dum cor contrahitur ulterius pellitur, sique ob obstaculum aliquod unam alterámque permeare nequeat, uberior per vicinas arterias ruit, ut fieri necessum est in illis quibus membrum aliquod tejectum fuit, atque propterea hoc in casu obstructis carotidibus internis & vertebralibus, copiosior per externas distribuitur: unde certior ratio reddi potest quamobrem quibusdam apoplecticis facies rubescat, temporum & colli arteriæ micent, jugularésque, tu:gidiores conspiciantur; Nolo tamen inficias ire hujusmodi ægros præ aliis quibusdam apoplecticis citissimè interire, non tam quod nulli spiritus animales ad respirationis instrumenta influant, quam quia progressu temporis ignavius propellitur, & propter obstaculum prope cranium, impletis reliquis arteriis, in corde stagnat, unde cor alias à pituitosis corporibus gravatum maturius obstruitur atque mors acceleratur: quia autem primum actiones animales sublatæ fuerunt, affectum apoplexiæ nomine non defraudandum censeo, licet syncope aut citior mors supervenerit: nisi talem mortis suæ causam duplici affectui debere velimus, apoplexiæ scil. & supervenienti syncopæ. *Wepferus pag.* 200.

Observatio IV.

§. *Ab Apoplexia accidentali qui extinguuntur, iis Extravasatus sanguis, aut Abscessus mortis causa fuit.*

DEfunctorum quotundam cadavera dissecui; sed tantummodo fere post magnam capitis læsionem, uti ab ictu aut casu sideratorum, in quibus omnibus sanguis extravasatus aut Abscessus mortis causa fuit. Apoplexia Habituali defunctos ne apetiamus sæpissime ab amicis prohibemur, qui eos redivivos expectantes, prout funus differunt, ita Anatomen prorsus vetant.

DIstinguendus est varius hujus morbi insultus, quatenus nempe interdum sine prævia quavis diathesi, aut procatarxi, à causa subita, solitaria & sæpe invincibili excitatus plerumque lethalis existit, contra hunc nulla medendi methodus præservatoria institui potest; & quæ iniri solet methodus curatoria, plerumque inefficax evadit, vel 2. paroxysmus Apoplecticus causâ antecedentem, sive procatarxin præviam habens, propter varias occasiones, sive causas evidentes in actum deducitur. Quod ad prioris generis Sideratationem spectat, nempe subitam ac improvisam, causa ejus conjuncta & proxima, aut est magna Solutio continui, alicubi intra, aut prope cerebri meditullium contingens, propter quam poris & meatibus ejus obstructis aut compressis, spirituum emanatio omnis supprimitur: Vel est ingens ac subita spirituum in cerebro degentium profligatio aut extinctio. Solutionem continui majorem intra cerebrum efficere solent Sanguis extravasatus, Abscessus suppuratus & disruptus, atque Humoris serosi copiose inundantis diluvies. 1. A Sanguine intra Cerebrum effuso, sive extravasato, ibidemque aut in grumos concrescente, aut loca affecta ingillante, insultus Apoplecticos sæpe induci autopsia Anotomica comprobat. Tales autem sanguinis intra cerebrum extravasationes morbificas, vel à causa externa, uti casu ab alto, capitis ictu, aut allisione ad durum, concussione & similibus, vel à causa interna procedunt, in quantum scilicet cum sanguis actis & tenuis, atque vasorum oscula, eorumque intestitia nimis laxa existunt iste aut sponte aut occasionaliter plus solito effervescens, & per hæc exundans, in mollem & facile cedentem cerebri substantiam irrumpit: Porrò, licet huic morbo sedem in *corpore calloso* assignamus, sanguis tamen alibi circa, aut supra ipsum effusus, quia loca affecta intumefaciendo medullam substratam comprimit, insultum Apoplecticum inducit. 2. Apostema, sive Abscessus, raro intra cerebrum, in meningibus vero sæpe, & propter easdem fere occasiones, ob quas sanguinis extravasatio accidit, excitari solet. Donec suppuretur, cephalalgiam aut torporem fere tantum inducit: verum ubi disrumpitur, sanies ab ipso in cerebri corticem decidens, eum erodit ac putrefacit, & dein particulas putridas, & spiritibus plurimum infestas cerebri meditullio sensim instillans, postremo morbi Attoniti paroxysmum ciet. 3. Serosa colluvies è sanguine in caput suffusa, etsi raro aut nunquam per se, quandoque tamen ob causas evidentes forriores, affatim adeo in cerebrum incurrit, ut poros ejus medullares mox omnes implens, ac inferciens, aphoniam producat. Id quod quibusdam à nimio vini tenuioris, & aquarum Acidularum potu, mox superdormientibus contigisse novi: Similémque effectum à totali & diuturna urinæ suppressione, etiam in hæmorrhagiis subito cohibitis observavi. Denique in febribus malignis, recrementa serosa massas

tastasi critica ad cerebrum translata, aphoniam sæpe lethalem intulerunt. Causarum Evidentium, à quibus sideratio extemporanea inferri solet, genus alterum consistit in spirituum subita profligatione seu extinctione, quod quidem non raro efficiunt Narcotica fortiora, & Aquarum ardentium potus immodicus. At præterea observamus hunc morbum quandoque *Habitualem* esse; scil. in quibusdam hominibus diathesin constantem manere, propter quam illos primo velirationes, easque leviores exercent; postea ex intervallis brevioribus accessiones graviores occupant, à quibus plerumque ultimo interennt. Super his inquirendum, 1. Quæ sit morbi hujus causa conjuncta, ejusque Ratio formalis? 2. In quibus diathesis Apoplectica sive morbi procatarxis consistat; dein 3. Quas insuper causas Evidentes habet. Quoad prius, ingruente paroxysmo Apoplectico, supponere liceat materiam quandam in Cerebri ambitu prius aggestam & dispersam, demum in meditullium ejus descendere, ibidemque spiritus omnes adoriri, ac in ipso emanationis suæ fonte supprimere & prosternere, etsi non plane constat utrum illud efficiant aut medullæ poros tantum inferciendo, aut spiritus ipsos profligando, iisque narcosin infligendo, verisimile tamen est utroque simul modo fieri. Et quidem cerebri poros medullares nonnihil obstrui afferimus, quoniam eadem materies quæ primo *corpori calloso* insidens aphoniam intulit, exinde inferius in *corpus striatum* prolapsa, ejusque deinceps poros inferciens, hemiplegiam excitare solet. Attamen haud tantum à medullæ cerebralis poris impletis siderationem oriri concludere liceat, quia tunc paroxysmus sæpe paulatim & lente irreptet: in quantum scil. pori non simul omnes, sed successive, & alii post alios à materia influente occupari possunt: quandoquidem vero hæc affectio subito ac instar fulguris insilit, quid minus concipere possumus quam spiritus à materiæ irruentis contactu maligno & velut afflatu prosterni? Videtur enim quod particulæ ejus undiquaque è cerebri ambitu in meditullium, sive corpus callosum descendentes, ipsumque ex omni parte subeuntes, & meatus, utpote angustiores, protinus opplere, atque spiritus huc illuc fugare atque in arctum cogere solent: quo deinde obsessi & in angustias redacti, cum nec diutius resistere, nec in poros alios à materia morbifica occupatos penetrare queant; demum prostrati succumbunt, Animæ cognoscentis functionem omnem dimittentes: dein vero non facile nec cito emergunt, quia nec è materiæ malignæ complexibus seu vinculis se expedire, nec in spatia ullibi vacua & aperta transire possunt; quapropter diu suppressi jacent, donec randem aliquando materies ista vel sensim difflata, aut in sanguinem resorbetur, aut medullæ populis exudans, in cerebri ventriculos prolabitur: vel demum materies illa paolo inferius subsidens, & corpori striato, nempe uni, aut simol utrique impacta, hemiplegiam aut paralysin accersit: interim ut spiritus intra corpus callosum denuo liberi, & spatia ampliora nacti, munia pristina resumant, quæ quidem exequuntur, donec materies nova in cerebri ambitus repullulans, & sensim aucta in *corpus callosum* descendens, paroxysmum alium inferat; è quo, si neurro ex prædictis modo spiritus evadant, penitus succumbentes sensim dispereunt. Quod si de materiæ hujus morbificæ indole sive natura inquiritur, suspicari licet spiritus animales in Apoplexia plane alio modo ac in passionibus convulsivis affici, nempe siderationi obnoxios copulam explosivæ contrariam, hoc est vitriolicam potius quam nitro sulphuream adsciscere, proindeque ab ea spiritoo-salina, ipsorum particulas prorsus figi, ac à motibus sive explosionibus quibuscumque ineundis inhiberi, non secus ac cum particulæ *vitriolicæ*; cum *auro fulminante* tritæ & combinatæ; virtutem ejus explosivam seu sclopetariam prorsus adimunt, & tanquam auræ glacialis afflatu particolas alias quasvis activas congelant & immobiles reddunt: Non absimili modo se habere videntur spiritus animales, eorumque copulæ sive diversimoda adjuncta, quorum nempe alia virtutem elasticam & valde explosivam, ptout in affectibus spasmodicis, aliæque iis stuporem ac immobilitatem, uti in morbis soporosis, etiam in apoplexia & paralysi inducunt.

Hæc de Apoplexiæ Habitualis causa conjuncta, & Ratione formali; Quod spectat ad causas ejus procatarcticas, simili ritu se habent ac in plerisque aliis τῶ ἐγκεφάλω affectibus, nempe & sanguis in vitio est, quod particulas extraneas, atque spirituum animalium texturæ sive constitutioni plurimum adversas, & velut extinctorias, aut in se gignens, aut aliunde arripiens τῶ ἐγκεφάλω suggerat: Et deinde cerebri culpa est, quod in crasi imbecillum, secundum poros & meatos ejus, laxum & dissolutum nimis, materiam morbificam à sanguine obrrosam ita facile & fine repudio semper admittat. Utriosque rationes particulares, variosque fieodi modos non opus erit hic, speciatim recensere, quin potius huc referri possint quæ de cephalalgiç & lethargi procatarxi edisseruimus, *Th. Willis Tract. de Anim. Brut. par. II. cap. VIII.*

Observatio V.

§. *Apoplexia ab arteriæ magnæ orificio summe dilatato, & corde sanguine distento.*

Legatus Florentiæ apud Gallorum Regem, subito incidit in Apoplexiam omni vita destitutus, qui antea omnino sanus erat.

Aperto cadavere Cor tumebat, & ad sanguinis libras tres vel quatuor apertum emittebat, Arteriæ magnæ ore ita patente ut brachii æquaret amplitudinem. *Andreas Laurentius in controversiis Anatom. pag. 803.*

Hinc colligit *Moebius* Arteriarum potius quam nervorum obstructionem Apoplexiam parere, quod non ab eo solum sed & ab aliis observatum firmat exemplo allato à *Fabritio Hild.* cent. 3. Observat. 11. *Simonis Clerici*, hominis sanguinei & robusti, hæmorrhagię narium à juventute obnoxii, qui ex ejus crebro recursu periculum metuens, appenso collo amuleto fluxum cohibuit quidem, sed succedente Apoplexia lethali, & XII. ab obitu horis, quum cadaver sepulturæ jam tradendum esset, sanguis copiose è naribus & ore manavit. Videantur & alia exempla allata. Ipsa Apoplexiæ curatio

curatio assertionem corroborat. Ea enim icti sæpe sola phlebotomia liberantur: Et hæc inquir *Hollerius* lib. 1. Exerc. 6. nisi juvat spes in angusto est, actùmque fere de vita ægrotantis. Si autem obstructio nervi in causa foret, quem usum præstaret V. S.? certe humor è nervis nec evacuari nec revelli posset semel extravasatus. Ipsa medicamenta apoplexiam curantia idem corroborant: Pituita extravasata si nervo sese insinuasset, certe à nullo medicamento posset emolliri, esséque omnis incurabilis: Vis enim medicamenti solum communicatur sanguini & cum eo circulatur, potéstque obstructiones in venis & arteriis solum tollere, non quæ extra venas *Mœbius Fundam. Physiolog. pag.* 88.

Cor tumebat, &c.] Apoplexia non in cerebro semper quærenda, *ait Excell. Bartholinus in consilio de Anat. pract.* § 23. Nonnunquam in vasis cordis obstructis, intercepto cruore delitescit. Firmat illius sententiam Clar. *Willisius* cap. de Apoplexia, cujus verba, commentaria priorum huc adduco. Quod sanguinis, *ait*, in Cerebrum affluxui aliqua tantum ex parte inhibito negamus, id totali ejus exclusioni concedendum erit, propterea námque ἀναισθησίαν excitari sæpe animadvertimus, qui tamen affectus pro morbo Attonito raro habetur, sed Syncope potius aut Leipothymia, vel passio hysterica appellari solet. Si quando enim cordis motus in totum supprimitur, illico sanguine extra cerebrum retento, spiritus animales concidunt, non secus ac lux flamma suppressa evanescit. Cordis actio supprimitur aut imminuitur, vel ob sanguinis incursum improportionatum, uti in violentis timoris aut tristitiæ passionibus, vel ob spirituum animalium, qui motui ejus inserviunt, influentiam à Cerebello denegatam: Hoc autem ob ipsos nervos cardiacos spasmo affectos, aut alias constrictos accidere putamus: horum autem inordinationes ἀναισθησία sequitur, in qua laborantes aliquandiu sine sensu & motu, eum pulsu diminuto & raro velut exanimes jacent: Præterea tamen verosimile videtur cordis motum non raro supprimi aut inhiberi, ob spiritus animales functioni vitali destinatos, in ipso fonte, nempe intra cerebellum suppressos, &c. Vide de hac Apoplexiæ specie scholia infra.

Observatio VI.

Apoplexia raro contigit ob Sanguinem cerebro exclusum; frequentius ab immodico illius excursu.

Licet sanguinis affluxum quandoque cerebro denegari perhibemus, non propterea Apoplexiam semper oboriri credimus: Alibi ostendimus Arterias cephalicas, scil. carotidas & vertebrales, omnes inter se invicem ita variis in locis communicari & mutuo inosculari, ut si contingat illarum plurimas simul obturari aut comprimi, sanguinem tamen unius tantum arteriæ, sive carotidis sive vertebralis, ductu ad ἐγκέφαλον admissum, statim illius partes omnes, tum exteriores tum interiores pervadere; quod quidem experimento satis probavimus, in quantum atramentum unius vasis trunco injectum, brevi ductus omnes sanguiferos implevit, ipsúmque cerebrum ubique tinxit. *Olim Tabidi Cadaver aperui, in quo arteriæ dextræ, & carotis & vertebralis, cranio superato, osseæ ac imperviæ factæ, sanguinem ab isto latere præcludebant, nec tamen Æger morbo Attonito unquam obnoxius fuit.* Quare dubitare subest utrum sanguis ob arterias quasdam obstructas, aut compressas, à cerebro exclusus morbum istum pariat. Certe longe plus periculi est à nimio ejus incursu & intra cerebrum extravatione. At vero quod sanguinis in cerebrum affluxui, aliqua tantum ex parte inhibito negamus, id totali ejus exclusioni erit concedendum. *Willis cap. de Apoplexia.*

* *Sanguinis affluxum quandoque cerebro denegari &c.*) In defectum sanguinis aliquando referuntur apoplectica symptomata, quæ melius in ejus multitudinem in cerebrum effusam referri deberent: Sic *Wepferus* abolitionem functionum animalium in iis qui suspendio extinguuntur contingere ait, quia arteriis valida funis constrictione compressis, sanguinis ad cerebrum fluxus prohibetur: Verum præterquam quod impossibile est ut arteriæ vertebrales comprimantur funis illa constrictione, ipsæ carotides non possunt ita facile comprimi ut omnino occludantur, cum in profundo delitescant, & sint venis longe duriores ac magis aptæ ad resistendum pressioni quam venæ: quare magis vero consentaneum est venis jugularibus funis valida constrictione compressis occlusisque, & sanguinis ad cor refluxu prohibito, cerebrum obrui sanguine: Cujus rei non levis ducitur conjectura, ex eo quod in strangulatis facies & reliquæ circa caput partes sæpe sanguine extra vasa effuso livescant. *Bayle Tract. de Apopl. cap. 4.*

Observatio VII.

Apoplexia ictum capiti inflictum & casum sequuta, ob sanguinem per cerebri anfractus & in ventriculos effusum, ex disrupto torculari, aliisque vasis finitimis.

Claudius Finalis, Calmuntiosegusianus, Limbolarius Textor, annos natus XXXVIII. Calendis Junii anni 1673. Genevæ circa horam noctis IX. in declivis vici descensu, dicti *le Perron*, Lapidis ictum supra supercilium sinistrum excipit, ubi vulnus contusum transversum inflictum, quatuor digitos transversos longum, pericranium attingens: Ictus vehementia prostratus in latus dextrum fuit: à casu vulnusculum in auriculæ lobo excitatum, circumstantium partium livore & ecchymosi ad sinciput usque protensa, maxime temporalis musculi.

musculi. Ictus, & casus vehementia impedimento non fuere (animos incendente vindictæ cupiditate) quin promptè exsurrexerit, quanquam sanguis per nares & aures prodiret, domum properaturus, gladiúmque, in illatæ injuriæ ultionem, arrepturus. Scalam descendens, in ejus ultimo gradu sistitur, ubi deprehensus, ventriculi saburra, qua per vomitum se liberaverat, circumfusus: post octodecim horas fit aphonos: Tertio die lethalis apoplexia successit.

Cadavere in Nosodochium delato, primo vulnus supercilio inflictum stylo exploravi, num altè pervaderet: Hinc animadversa insigni ecchymosi, totum capitis latus dextrum occupante, monitos volui Mag. Dav. Dentand & Benjam. Noel, collegas & Nosodochii Chirurgos, ut rès ad Senatum deferretur; Ex primi Consulis jussu cadaver à me dissectum, quo interitus causa pateret, præsentibus Clar. D. D. Alexandro Diodati, Facultatis Medicæ Decano, & Francisco Cailleo Medico Jurato; Sublata superiore cranii parte, in conspectum se dedit dura meninx non livida solum sed & nigricans; qua resecta Pia semiputris & fœtens deprehensa est, cum insigni sanguinis extra vasa effusi, ac in grumos concreti, tum per anfractus tum in ventriculis copia, inter quos unus insignis, ovum gallinaceum mole æquabat. Torcular enim ejusque rami, per duram matrem disseminati, necnon venarum jugularium aliquot propagines, laceri & disrupti erant: Dempta cerebri ad corpus usque callosum parte, vitium & labem id contraxisse compertum est: Ecchymosis parti capitis dextræ impressa, partes interiores non attigerat. *Ex communicatione Mag. Bailly Chirurgi Genev. peritissimi.*

Observatio VIII.

§. *Apoplexia vulnus sub oculi sinistri orbita inflictum sequuta, ob læsum dextrum cerebri ventriculum, effusum sanguinem ad basin cerebri & cerebelli regionem, &c.*

Studiosus infra orbitam sinistri oculi, prope nasum ense punctim vulneratus fuit; Paulo post loquela & ratione privatus tandem cum stertore Apoplecticus mortuus est. Aperto cranio vidi vulnus per orbitam oculi & os cribrosum prope cristam galli factum, dextro quoque cerebri ventriculo inflictum: ex quo etiam magnam portionem sanguinis atri, grumosi & fibrosi, ad crassitiem & longitudinem medii digiti extraxi. Basis cerebri & regio cerebelli copioso sanguine extravasato refertæ erant, præterquam quod tota cerebri moles quasi ab inflammatione etiam rubicunda appareret. *I. Iac. Wepferus Exercit. de Apoplexia, ex communicatione Max. Henrici Egermejeri Friburgi Professoris, &c.*

Ab ictu ensis non statim loquelam & rationem amisit, quia cerebrum adhuc spiritibus abundabat, & sufficienter ad nervos loquelæ inservientes illæsos influebat, paulo post autem utraque facultate privabatur, non ob ventriculum dextrum vulneratum, cum neque in anterioribus, neque in tertio, neque in quarto ventriculo spiritus animales generentur aut asserventur: quæ vero regerunrur tanti esse non videntur ut contrarium suadere possint, nam ad spirituum productionem cavitatem aliquam insignem requiri non universale est Semen, omnium calculo corpus spirituosissimum, è sanguine ex arteriis in minutissima filamenta traducto gignitur, quorum cavitates neque ab oculatissimo animadvertuntur, atque etiam fere tunc quando jam in vasa ejaculatoria transeunt, adeo ut quidam cava esse negare ausi fuerint, quamvis revera talia sint, & in tauris videantur, & succus manifeste exprimi possit; (videatur Regn. de Graef) Chymici spiritum vini subtilissimum parati, per spongiam oleo imbutam, aut chartam Vulcani beneficio illum adigunt, ceu corpora minutissimis foraminulis & solummodo spirituosissimis pervia: In corde quidem ventriculi, ut creduntur spirituum vitalium officinæ, præsto sunt, attamen quoque tum dexter tum sinister donati sunt apertis ostiis, per quæ materia spirituum affertur, iterumque spiritus sanguini immixti magna vi protruduntur, in cerebri verò ventriculos materiam spirituum ex arteriis fundi, atque per oscula quædam resorberi, hactenus sensibus nondum constitit, nec aliter demonstratum fuit, imò si in illis vel tantillùm temporis persisterent, certius vel millies disploderentur per spatia inter duram & piam matrem quam ut in medullam adigerentur, ut alia taceam: Quoniam spiritus animales quovis semine & vini spiritu subtilius corpus sunt, quod nervorum minutissimas fibrillas, ex quibus nervos spinalis medullæ compositos esse nemo dubitat, & jam idem de cæteris nervis asseritur, ad sensum & motum impertiendum permeat: rectius cerebrum & cerebellum, tum quoad medullosam substantiam, spirituum illorum officinæ statuentur, in primis si considerabuntur arteriarum distributio omnem admirationem superans, earundem immersio intra cetebri substantiam ac contentorum communicatio, quæ nonnisi summe tenuium corporum esse potest, cum medullam nullibi inquinent quin candorem lacteum obfuscant: Imò existimo *Rationem* & *Loquelam* paulo post apud *Juvenem* istum periisse, quia arteriarum ramis anterioribus vulneratis, cerebrum spirituum animalium materia & calore illud vegetante frustratum, quin etiam ipsissimum non leviter sauciatum fuit, nam ensis à sinistro latere, ad dextrum usque ventriculum adactus fuit.

Cum stertore apoplecticus mortuus est] Post viginti quatuor horas elapsas, quia interea sanguis extravasatus eousque accumulatus fuit, ut Cerebrum, cerebellum ac medullam oblongatam premeret, ac spirituum omnem effluxum interciperet: insignem enim hæmorrhagiam intra cranium fuisse

cruor

cruor copiosus circa basin cerebri & regionem cerebelli, grumus ex dextro ventriculo extractus, & tota cerebri moles ceu ab inflammatione rubicunda indicant: Forsan ad sanguinis intra cranium accumulationem, multum contulerunt supinus decubitus & collapsa vulneris labia, quæ nihilominus absque magno emolumento declinari potuissent. *J. Jacobus Wepferus l.c.p.361.*

Basis cerebri] Apoplexiæ subjectum immediatum & proximum sunt Spiritus animales cerebri regionem istam, ubi Principes animæ cognoscentis facultates resident, nempe corpus Callosum incolentes; Subjectum immediatum, Cerebri meditullium esse concludimus, quoniam hinc spontaneorum motuum instinctus procedunt & in hoc sensibilium omnium perceptiones terminantur: quo ritu cerebellum ac præcordia, aliæque partes omnes, scil. tum animales tum vitales, secundariò afficiuntur, alibi exponemus: *Willis cap. de Apoplexia.*

Basis cerebri & regio cerebelli.] Paradoxum licet, haud tamen rationi incongruum videtur Apoplexiam duplicem statuere, atque unius Cerebello, & alterius sedem Cerebri meditullio assignare, aut simul utrique communem statuere: Cerebrum huic morbo magis obnoxium denotant prævia & frequentes scotomiæ & vertiginis affectus. Cerebellum male dispositum arguunt creber Incubus; Pulsus intermittens, syncope, leipothymia frequens. Interdum enim contingit cordis motum supprimi aut inhiberi ob spiritus animales, functioni vitali destinates, in ipso fonte, scil. intra cerebellum suppressos. Huic causæ proculdubio tribui debet quod in nonnullis observavi, post magnam in occipite gravitatem, Animi deliquium, cum repentina functionum omnium animalium privatione succedere, in quo laborantes immoti & insensiles, cum pulsu & respiratione valde diminutis, per totum frigescentes, per plures horas, imò diem sæpe unam aut alterum, mortuis similiores quàm vivis decumbunt: Quicunque autem ab hujusmodi insultu, sive breviori sive longiori expergiscuntur, proinde nunquam in paralysin aut hemiplegiam incidunt, qui plerumque Apoplexiæ effectus sunt. Porrò nullus dubito quin multi ab hujusmodi causa morbifica intereant, quorum mors perperam aut Syncopi lethali, aut Apoplexiæ ita propriè dictæ adscribitur. *Willis ibidem.*

Observatio IX.

§. *Apoplexia à sanguine sub duram meningem, postica parte effuso, in basin cerebri; in fistulam spinæ dorsi, cum sero cruento in ventriculis anterioribus, &c.*

Joannes Eberlin, Vir robustus, statura oblongus, 50. Annorum, Vino deditus: Autiga in Nosodochio nostro, anno 1672. d. 12. Decembr. Ebrius Vesperi hora 7. ex scala præceps decidit atque occiput in ultimo scalæ gradu validissime impegit, adeo ut gradum illum ligneum allisione hac violentissima propemodum fiderit. Post casum sublatus ad aliquot passus obambulavit, brachia movit, sanguis ex aure dextra & ore copiosè emanavit; mox vomuit bis cruorem tum sincerum tum nigricantem. Neque Medicus neque Chirurgus vocabatur vesperi: Rusticus capillos obiter detondit vulnusque leviculum in occipite aceto eluit ac Empl. quodam viridi obtexit. Post horam septimam lecto impositus loquebatur plerumque rationi non consentanea; querebatur vinum subdole auferri (nam aliàs ad rem attentior erat) aliaque inepta effutiebat; quæ num Vino, anne verò casui ascribenda forent, dubitarunt astantes: Quandoque de lapsu hoc gravissimo querelas fudit: quandoque potum poscebat. Prima hora postquam decubuit crebrò surgere ac abire ex conclavi conabatur. Ante decimam peccata sua agnoscere, deplorare & deprecari cœpit, seque precibus ac suspiriis Deo commendavit. Postea indormivit ac cum stertore respiravit. d. 13. Dec. Exc. D. D. Christoph. Harder vocatus fuit, qui Apoplexia fortissima affectum invenit; nam omnes sensus externi cum motu voluntario aboliti prorsus erant, ut nullo ingenio excitari posset, oblatas aquas Antapoplecticas & Syrupos deglutire nequiit: Respiratio cum validissimo stertore supererat, cum pulsu; ac facies rubebat, & totus habitus adhuc calebat. Vesperi circa quartam demortuus est D. 14. Dec. Cadaver cum D. D. Hardero aperui. In syncipite dextro occurrit tumor cum folliculo, quos Nattas vocant, olivaris, nuce juglande minor; qui vas sanguiferum ex poro cranii emergens recipiebat. In medio ossis Lambdoidei dextrorsum sedes visa fuit, sine fractura aut fissura foris conspicua. Foris in occipite ad collum usque omnia sub cute sanguine suffusa erant. Remota olla plurimum sanguinis grumosi sub dura meninge in tota postica parte, maxime dextra, qui ibidem quoque antrorsum effusus erat, & in ipsa basi cerebri copiosè invenimus: quin etiam multum sanguinis grumosi, per ostium magnum in fistulam spinæ dorsi penetrasse visum à nobis fuit. Ventriculus dexter plenus erat sero cruento: sinister serum continuit multò minus dextro, minusque cruentum. Intra anfractus nihil cruoris invenimus, quamvis meninx tenuis alicubi sanguine suffusa esset. Cerebrum planè non subsidit, imo totum cranium ad summum usque implevit, non secus ac apud alios videtur, qui nihil apoplectici passi sunt. Avulsa meninge dura ab osse Lambdoideos cæterisque in basi, nulla quoque vel rima vel fissura conspici poterat, ibi ubi sedes foris ossi impressa fuit: at in basi & ima ossis Lambdoidei parte fissura manifesta erat, quæ inde

ad

ad os conciforme & sellam equinam usque in dextro latere extendebatur, adeo ut pressa foras cuti in occipite ichor cruentus exsudarit, ossa amplius hiscerent & quasi divulsa moverentur. Alia quoque fissura reperta in processu interno ossis temporum, qui os petrosum continet, eaque transversa, quæ cum priore non continua erat; nec sutura reputari poterat, cum in sinistra parte non observaretur. Os cuneiforme cum Lambdoideo seu in Viro jam provectæ ætatis, in unum os coaluerat. *I. Iacobus VVepferus Exerc. de Apopl. hist. 1. p. 313.*

E*X scala decidit; &c.*) Affectus iste Apoplexiæ nomine non destaudandus videtur, quamvis à causa externa & violenta, scil. gravissima capitis allisione evenerit: cùm non raro occurrant Ægri, apud quos subitò actiones animales, respiratione & pulsus exceptis, citissimè abolentur, brevique enecantur, quamvis nulla causa externa huic violentiæ par præcesserit; potissimùm à sanguine copiosè intra cranium effuso, qui uno ore Apoplectici dicontur. Hæc apoplexia meritò fortissima nuncupatur: nam post horam duodecimam à casu, adeo omnes actiones animales abolitæ, ut non solùm nullo ingenio excitari, verùm etiam non amplius deglutire potuerit. Forsan jam post horam tertiam in vigore erat, id astantibus non advertentibus, & somnum circa decimam naturalem credentibus, nam jam tunc cum stertore respirabat.

Post casum sublatus, &c.] Post casum ab accurrentibus contubernalibus soblatus, ad aliquot passus obambulavit, brachia movit, loquebatur: omnia salva putabant, cum nulla fractura aut luxationis signa comparerent. Actiones istas perficere valuit, quia spiritus animales adhuc in medulloso cerebri corpore abundarunt; libérique ad musculos artuum & loquelæ inservientes effluere poterant. Quanti verò facienda sit cerebri gravior commotio, atque ab illa pendens spirituum animalium perturbatio; quam nonnulli solam quandoque sufficere opinantur ad actiones animales aliquandiù vel abolendas vel imminuendas: Certe si quidpiam valeret in gravissima hac allisione ita statim illa labefecisset ad gressum ineptus fuisset, eoque magis quia insuper mox à lapsu quoque sanguis intra cranium copiosè satis profusus fuit, & ex sanguine ex aure & ore manante conjicere licet.

Sanguis ex ore & aure, &c.) Sanguis ex ore & aure dextra copiosè promanavit & bis cruorem tum sincerum, tum nigricantem evomuit, non quod sanguini ex cavo cranii via manifesta aut occulta sensibus vel per aures, vel per os cribriforme, vel per basin cranii patuerit, id enim si factum fuisset, sique in his sedibus sanguis exitum invenisset, non tam celeriter, nec irrevocabili fato omnes actiones animales pessumdedisset, cùm alii post ictum, casum, &c. cranio perforato, etiam non multo sanguine primùm emanente, levamen experiantur. Potius ab eadem violentissima capitis allisione, vasa sanguifera intra aurem dextram ejusque canalem, & in externa basi cranii disrupta fuerunt, quod aliàs à capitis percussione evenisse memini, salvis arteriis interioribus cranii, vel certè non graviter sauciis, cùm citra motus aut sensum interiorum læsionem corrigerit. Fidem huic assertationi etiam obstinatissimæ faciunt fissuræ ossis sphænoidis penetrantes, quæ allisionem tam validam fuisse innuunt, ut pari facilitate, qua os crassissimum findebatur, etiam vasa tenerrima non solom intus, sed etiam foris, itidem proximè ossi connata rumpi potuerint.

Loquebatur ratione non consentanea.] Decubuus verbis & factis se delirum ostendit. Vino delirium adscribebatur meritò in principio; postquàm verò crebrò surgere & ex conclavi proripere se conabatur, jam sanguis extravasatus incalescens, graviùs spiritus aoimales perturbans, ac meninges exquisito sensu præditas affligens accusandus videtur; inde enim anxietas quædam surgebat, quæ phantasiæ pejus quidpiam imminere quasi prædicebat, quamobrem, nondum crapula penitus profligata, peccata sua deplorare & summum Numen precibus sibi conciliare studebat. Forte etiam crapulæ impetus retusus fuit sanguine copioso non solùm intra, sed etiam extra cranium profuso.

Postea indormivit, &c.) Somnus circa horam decimam obrepens, naturali proximè accessisse videri posset, cum hora ista somnum capiendi consueta fuerit seque paulo ante largioribus haustibus ad illum invitarit: Verum respiratio cum stertore jam apoplexiam in procinctu fuisse arguit, quæ invalescente somno per momenta, continuo ex arteriolis sanguine intra spatium meningum expulso, augebatur, donec ad summum vigorem pervenisset, sensibus sopore sepultis & nec vel minimum obsistentibus.

Respiratio cum pulsu superarat, &c.) Abolitis omnibus actionibus cæteris, Cor nihilominus, etiam sequente die, validissimè adhuc movebatur, quod ex pulsu, faciei rubedine & calore in toto habitu constitit; hæc namque non nisi à sanguine liberè & largiter, propter integrum cordis motum, in universum habitum distributo proveniunt. Cordis motum, atque respirationem, spirituum animalium ministerio perfidi negari nequit, postquam Viri Clarissimi & de universa Medicina optimè Meriti Dom. *Willis* & D. *Lovverus* veritatem hanc præclaris experimentis stabiliverunt. Cur vero cæteris actionibus animalibus prostratis, istæ superstites manserint? nullum aliud effugium certius arripere licebit, quam si cum Exc. D. Willis statuam actiones animales non voluntatis imperio subjectas à Cerebello dependere: atque plures arteriarum ramulos à vertebralibus proximè oriundas atque ad cerebellum abeuntes integros post casum perstitisse: non equidem omnes à laceratione immunes dixerim, non solùm propterea quia multum sanguinis in occipite & circa ostium magnum & in fistula spinæ invenimus, eum iste sub finubus lateralibus è basi huc transfluere potuerit, sed potissimum ob mortem celeriorem, quam ut vel sanguinis profusioni largiori, vel reliquarum actionum animalium abolitioni adscribi deberet: nam quotidie experimur multos sanguine etiam ad libras profuso, & quasdam hystericas omnibus actionibus animalibus, etiam pulsu & respiratione ad sensum diutius sublatis supervivere: ut raceam apud hunc apoplexia ista defunctum plurimum sanguinis in vasis majoribus medii & imi ventris redundasse.

Plurimum sanguinis grumosi, &c.) Apoplexiæ istius causam proximam fuisse sanguinem copiosissimè intra cranium profusum abundè sensibus patuit. Hoc

Hoc sanguinis diluvium casum praecessisse, aut apoplexiae consequens & effectum fuisse, ut quidam opinantur, neutiquam verosimile est, nam ante casum sanissimus fuit & cuticulam curavit. Negari quidem nequit temulentiam casus parariam fuisse, dum aut mentem perturbavit, ut notissimas sobrio vias in tenebris invenire nequierit, aut pedibus manibusque robur ademerit, ut firmo gressu incedere & vicina adminicula apprehendere non potuerit. Verùm ipsissimam capitis allisionem vehementissimam ad arteriarum ramulos in basi avellendos, rumpendos, & lacerandos sufficientissimam fuisse, luculenter demonstrant fissurae in basi cranii, scil. ossis Lambdoidei parte ima ad os usque cuneiforme crassissimum, & in processu interno ossis temporum; non superficiariae & leves, sed & profundae & totum os utrinque penetrantes, ut presso vel foris vel intus his osse sanguis transudarit. Sanguis copiosissimè in spatium quod inter meninges est, in dextro latere imprimis, ad basin cerebri, ad ventriculos, ut & ad fistulam spinae per ostium magnum in occipite, brevi tempore, profusus fuit ex arteriarum ramulis ruptis & avulsis ob perpetuum & validum pulsum, nam Cor in Viro sano & robusto vegetum erat ac venae mero incaluerant. Apoplexiam vero fortissimam produxisse non una ratione videtur, nam ab hac largissima haemorrhagia medullosae substantiae non solum in basi, verùm etiam in vicinis partibus, ubi crura medullosa emergunt, spirituum animalium materia subtracta fuit, ipsa medullosa substantia nectare hoc vivifico orba in se collapsa densior evasit, ut spiritibus animalibus, qui in anteriore & superiore cerebri parte ex sanguine arterioso per ramos carotidis anteriores anfractus & corpus callosum perreptantes allato, adhuc generabantur, transitum denegaret; deoique foris à copioso sanguine extravasato amplius coarctabatur; solam enim compressionem, à sanguine intra spatium meningum stagnante, ad apoplexiam faciendam sufficere, evincunt illi qui omnibus sensibus & motu privati, solo trepano à praesentissimo interitu vindicantur: quod ad aliam observationem plenius, Deo volente, explicabo.

Ventriculus dexter plenus sero, &c.] Serum in utroque ventriculo repertum copiosius in dextro, parcius in sinistro, in utroque cruentum, minus tamen sanguine tinctum in sinistro, forte quia serum à sanguine concreto separatum, per rimas ventriculorum versus basin hiantes intravit: quamvis non negarim ante casum illud in ventriculis redundasse, nam bibulus erat; verùm licet omnis contagii cruenti expers fuisset illud apoplexiam neceffecisset nec illam adhuc dum accelerasset, cum non rarò majore copia serum in his sedibus repererim, qui plane alio morbo quam apoplexia, aut affinitatem aliquam cum ipsa habente, diem suum obierunt.

Nullo ingenio excitari &c.] Misello nihil opis Medicae adferri potuisset: Revellentia cujuscunque generis vix tantum valuissent, cum nec vel minimum lacera vasa, vel glandularum oscula omnibus sensibus abolitis resorbuissent: Vim sopitam suscitantia trunco admota fuissent: Trepanum infame fecissemus, quamvis enim sanguinis extravasati forte tantillum eduxissemus, perstitisset tamen in basi potior & nocentior pars, insuper ad quemlibet pulsum nova effusio supervenisset, cerebrumque magis magisque suo calido influente, non sine majore actionum animalium prostratione, orbatum fuisset: ut taceam fissuras in imo ossis Lamdoidei, osse cuneiformi & processu ossis temporum semper aliquid monstri alentes & vel solas immedicabiles. *Idem.*

Observatio X.

§. 1. *Apoplexia à Sanguine ventriculos cerebri infarciente.*

IOh. Chiffletius pater meus, ut patet ex ipsius observationibus, anno 1600. Vidit in D. De Lesseii ex Ictu sanguinis ventriculos cerebri sanguine fartos, unde in quatuor horis mortua est. Talem exitum ei dudum praedixeram, quia sectionem venae recusabat. *Iacob. Chiffletius Dedalmatum lib. 1. cap. 4.*

Ictu sanguinis] Ego pro certo habeo per *Ictum sanguinis* nihil aliud intellexisse veteres quam Apoplexiam, ortam à sanguine cerebri meatus impediente, quod ipsum videtur sensisse *Chiffletius.* Inter antiquos scriptores *Eutroptus* lib. 8. Breviarii de L. *Antonino* haec narrat, *Obiit tamen cùm à Concordia civitate Altinum proficiscerentur, & cum fratre in vehiculo sederet, subito sanguine ictu, casu morbi, quem Graeci Apoplexiam vocant, &c.* Itaque suspicor hanc Eutropii, & aliorum Veterum scriptorum phrasin [Ictum scilicet sanguinis] ansam postea dedisse plebeiae de cadente gutta sanguinis, opinioni; Si quidem facile fuit ut hunc *Ictum sanguinis* haud aliter quam Guttam Sanguinem versus cor delabentem, illúdque unico quasi ictu interimentem, interpretaretur subsequens historicorum, vel etiam medicastrorum vulgus, rei Anatomicae inexpertum *Franc. Ignatius Thiermairus consil. med. lib. 2. cap. 2.*

§. 2. Frequenter in iis qui Apoplectici moriuntur cerebri ventriculos sanguine refertos deprehendimus. *VVarthon Adenogr. cap. 24.*

ACcidit frequenter in Apoplexia arterias & venas, ipsásque glandulas plexus choroidei intumescere; quo casu facilè fit ut sanguis glandulas dictas infarciens, cùm permeare non possit, cùmque novo subinde affluxu ab arteria impellator, glandulas dictas disrumpat, aut venarum capillarium orificia divellat, atque in cerebri ventriculos effundatur. Et nonnunquam fortè fit ut consimilibus morbis occumbentes, largam sanguinis copiam, etiā post obitū & naribus profundant. *Idem*

§. 3. Anno 1644 Januarii 23. feminae subito extinctae ventriculi cerebri sanguinis gelati copia erant pleni. *Rhodius cent. 1. Obs. 61.*

Observatio XI.

§. 1. *Apoplexia à cerebri ventriculis concreto sanguine turgentibus, ex rupto plexus choroidei vase expresso.*

IN cadaveris muliebris à Cl. Veslingio Patavii 1644. nostram in gratiam aperti, ex Apoplexia, illique succedente Paralysi tandem defuncti, Aperto cranio repentinæ mortis innotuit causa: omnes cerebri ventriculi concreto sanguine turgebant, ut ne guttulam amplius exciperent: *Th. Bartholinus cent. 2. historia 60.*

SAnguis iste ex rupto plexus choroidis vase expressus concretúsque, liberum spirituum animalium commeatum impediendo Apoplexiam excitavit, quam deinde paralysis sinistri lateris ad finem usque vitæ pertinax; insequuta est: Hanc igitur causam apoplexiæ sine causa negat Nymannus, quam & Chifflerius observavit (vide Observ. x.)

Repentinæ mortis &c.] Nova suborta apoplexia; cùm ex hac in paralysin, & vicissim; facilis sit ἐξαλλαγή: Priorem vero alteri causæ adscriptam velim, nec enim sanguinem è vasis effusum diu impune fert pars princeps, sed citò succumbit, præsertim si insigne vas disruptum sit, quale statuendum in præsenti casu, cùm omnes cerebri ventriculi sanguine oppleti reperti sint.

§. 2. Evenit interdum ut quidam qui obmutescunt, nullo alio auxilio quàm Sanguinis missione releventur, In quibus vas aliquod in cerebro, aut in partibus internis est disruptum: Prioris exemplum vidi in Tribuno ærario. Et in alio qui etiam repente interiit; *ventriculis cerebri sanguine refertis. L. Botallus de Curatione per s. m. cap. 11. §. 4.*

VEntriculis cerebri, &c.] In theatro tamen Anatomico *P. De Marchettis* anno 1652. advertit in Apoplecticorum cerebro se nunquam deprehendisse ventriculos materia refertos, sed venas & arterias per cerebrum sparsas, quibus repletis fit apoplexia, Quod & Anatomicus Molinetti in publico demonstravit anno 1656, *Joh. Rhodius cent. 1. Observ. 67.*

Ventriculis cerebri sanguine refertis] Dubitat Clar. Caspar Hofmannus; An sanguis in ventriculos irruere possit? Quis, *ait*, ventriculos, *l. 3. Instit. cap. 92. in aberrat. p. 439.* Sanguine oppletos in apoplexia vidit unquam? Id tamen possibile esse patet attendendo ad sanguinis motum, vasorum naturam ac partium intra cranium conformationem: Sanguinis enim, præsertim in arteriis, continuus est motus, nisi quid obstet: hinc aperto vase brevi tempore copia sanguinis effunditur: quod intra ventriculos fieri potest per hiatus ambos lateralium ventriculorum, ubi prope basin adaperti sunt: descensui quid obstabit, si intra spatium, quod interutramque meningem est, impulsu novi sanguinis ascendat?

Observatio XII.

Apoplexia à Sanguine effuso & concreto in utroque cerebri ventriculo, Plurimo sero cruento devoluto in tertium & quartum; Arteriis duræ meningis sanguine tumidis, Plexus choroidis rami ruptura, &c.

ILlustris matrona octoginta annorum plethorica valde, à multa diæta & exercitio nullo; exeunte Decembri, ipso plenilunii die, hora nona vespertina, mensæ accumbens, protinus ira incaluit, ac duriusculũ quid intra dentes diffringens, cecidit sensus & motus expers, cum stertore multo, oculis rubris atque clavorum more defixis, manibus resolutis ac frigidis, postridie febre correpta fuit, & XVIII. ab insultu horis vitam exhalavit.

Aperta calvaria, arteriæ tumidæ erant, tum in dura meninge exterius; tum circumcirca cerebris gyros omnes. In utroque cerebri ventriculo majori aderat grumus sanguinis, isque spississimus, & ad ovi ansetini magnitudinem concretus: Insuper plurimum serum cruentum devolutum erat in tertium & quartum ventriculum, ac spinam medullarem usque: Plexus autem chotoides juxta suarum alarum concursum, eo scilicet loci quo sanguinem suum in *venam magnam Galeni*, seu in *quartum cerebri sinum* effundit, crepuerat medius, atque nihilo secius per omnem suum, intra ventriculos illos anteriores decursum, vesiculis aqueis tumidissimis adunatis, & conglobatis refertus atque summe decolor erat. *Ex observationibus Clar. Caroli Drelincurtii Lug. Batavorum Professoris Practici & Anatomici.*

* P*Lethorica valde*] Præter stationem sanguinis, à qua proxime apopl. dependet; præter humorem melancholicum, Hippocr. 4. acutor. aliisque locis insinuare videtur plethoram; tanquam causam Apopl. quæ facillime potest venarum interceptiones efficere & motum sanguinis sistere præterea quæ antecedunt & subsequuntur signa plethoram manifesto indicant; ac denique medela per sanguinis vacuationem: At plectoram per se solam non posse inferre Apopl. ex ipsa rei natura & consuetis plethoræ effectis demonstratur; ob plethoram quidem sanguis minus facile & tardius suum circulum perficit in vasis, sed ejus motus non sufflaminatur omnino: à plethora necessario prohibetur, aut saltem minuitur transpiratio, retentisque fuliginosis recrementis, quibus, sanguis effervescẽtiam præternaturalem concipit, febris excitatur, quæ Apoplexiæ medela est interdum, ut docet Hippocrates. *Franc. Bayle Tract. de Apopl. p. 72.*

A multa diæta & exercitio nullo) Inter causas replentes & dispositionem ad apopl. adjuvantes

vantes numerantur *Otium*, quod apud lautius victitantes suave vitiosorum humorum sustentaculum est, unde etiam desides à spiritu vini & similibus magis læduntur quam rustici aliique quotidie graviores labores subeuntes.

Octoginta annorum) Senilis ætas, quæ aliàs fœcunda morborum mater est, graviterque errores juveniles luit, etiam suum symbolum ad dispositionem apoplecticam confert, dum ob calidi nativi imbecillitatem excrementa ex terra coctione in medullosa substantia ignavius propelluntur vel dissipantur. *Wepferus pag. 259.*

Observatio XIII.

§. 4. *Apoplexia à sanguine per cerebri gyros diffuso, ex diffractis arteriosis vasis, caroticis & vertebralibus.*

SEptimo Martii 1671. Lunæ nondum impleta falce, juvenis armiger, lautè victitans, torosus & athleticus, statim post prandium, dum sese incurvabat, derepente corruit sensu motúque privatus, ut pote Apoplecticus, nonnihil tamen universè convulsus est & intra quindecim horas animam expiravit.

Dirutis cerebri muniis, nigerrimi sanguinis quantitas ingens, ab arteriosis tubis, & caroticis & vertebralibus, gyros cerebri naturaliter perreptantibus, ibi denique præternaturaliter passim diffractis, ubique reperta est, sub meninge scilicet dura; à cerebri basi ad verticem, & ab anteriore cerebri lobo in posteriorem usque, juxta utrumque illius hæmisphærium, ventriculis ejus quaternis illæsis & intaminatis. *Ex Observationibus Clariss. D. Caroli Drelincurtii Professoris Practici & Anatomici. Lugdun. Batavorum.*

* DErepente corruit.] Apoplexiam ratione habita causæ à qua dependet, dividit *Franc. Bayle* Tr. de Apopl. cap. 6. In veram ac Exquisitam, quam sola melancholia efficit; Et in Spuriam, ad cujus generationem alii humores cum melancholia aliquatenus concurrunt, ejusque invasionem aut accelerant aut remorantur, & symptomatum pro sua quisque natura, quasdam varietates inducunt: Apopl. spuriam iterum dividit in duas species: ad alteram efficiendam simul concurrere ait plethoram, alteram promovere pituitam, uberius in vasis sanguineis & in toto corpore collectam. Advertendum autem monet eam impotentiam, quam efficit melancholicus humor, vel solus, vel cum plethora Apoplexiam simpliciter appellari ab *Hippocrate*: Eam vero ad cujus generationem pituita concurrit, speciali nomine designari, & eos qui illa impotentia conflictantur appellare non ἀπὸ πληκτικὰς sed βλήτες: In duabus prioribus apoplexiæ speciebus corpus statim sensu & motu privari ait, qui in hac posteriore in principio adhuc conservantur, *Nam & dolor ab ægrotante persentitur, oculosque videt etiamsi non æqualiter.* Momma tamen Baxius (de quo obs. 36.) cujus cerebrum potulta perfusum repertum est, occisus repente à morbo attonito, ait *Tulpius* lib. 1. observ. 14.

Observatio XIV.

Apoplexia ab atro sanguine cerebrum occupante.

JUvenis Lutetiæ Apoplexia cum periisset, illico caput ipsius fuit apertum, ex quo quamplurimus sanguis ater atramenti instar effluxit. *Ex Observ. Georgii Bauhini.*

Observatio XV.

Apoplexia à sanguine cerebrum suffundente ad basin usque, Eodem collecto inter piam matrem & cerebri substantiam, Ac seri congestione inter ventriculos, &c.

ANna Waltherin è pago Loninga, sex circiter stadiis ab urbe nostra distante, oriunda, sexagenaria major. Habitu corporis mediocriter carnoso prædita. Vitam à prima infantia vixit rusticam, pauperculæque omnes operæ rusticæ subeundæ erant etiam gravissimæ, quæ in vineis colendis, ab utroque sexu eò loci peraguntur; aliquot prolium mater fuit: hinc senior facta ad obstetricis munus peragendum ordinata est. Crebrò sanguinem, tam Venæsectione, quàm scarificatione, malo nostrorum more, profudit. Solent enim nostrates, ruricolæ inprimis, ter quaterve in anno Venæ sectiones usurpare, & qualibet vice duas, quandoque tres, non rarò quatuor venas pertundendas curant; emittunt sæpè binas sanguinis libras; nulla cura est vel temperamenti, vel sexus, vel ætatis: Videntur quandoque gravidæ, quæ bis terve gestationis tempore sanguinem V. S. effundunt, nec etiam partui vicinæ à V. S. sibi temperant, persuasæ salubrius tum puerperium agi. Vidi senes octuagenarios hoc remedii genus expertos: nec sanguine fuso solliciti admodum sunt, qua ratione inanitæ venæ præstantiore sanguine replendæ sint, frequenter enim statim ac Vena secta, & cibo & potu nimio corpus infarciunt; videres sæpius ex urbe nostra domum properantes titubare, nec pedes vestigia servare; & sæpe sæpius vel altero die ad consuetam

consuetam victus rationem & solitos labores redeunt: alios errores taceo.

An verò & quibus morbis afflicta fuerit fœmina hæc toto vitæ curriculo, ab astantibus intelligere non potui, præter quàm quod jam vetulæ incessus difficilior fuerit. Anno 1655. decimo tertio Julii, sexto die à plenilunio, circa vesperam domo, ad vicina pago dumeta, sarmenta collectura, egressa est. Ea nocte à suis desiderata & quæsita, sed non inventa fuit. Sequenti die juxta sepem in temporis sinistri medio leviusculé vulnerata, & mortua reperta est. Tertio die cum inopinatus casus ad REV. D. LUDOV. SPLEISSIUM vigilantissimum pagi pastorem delatus esset, viso in tempore vulnere, operæ pretium esse duxit me accersendi, ad indagandum num ex hoc vulnere, fortè violenta aliqua manu illato, an verò vi morbi alicujus latentis occubuerit; quo postmodum AMPLISSIMUS MAGISTRATUS noster de tota re certior fieri posset. Detracta itaque cute, in tempore sinistro inveni vulnus vix cutim transiisse, & temporalem musculum parum in superficie attigisse: Ablato musculo temporali os ad sensum integrum erat. Hinc cranium sustuli, adjutus præcipuè fratris clarissimi JOHANNIS, Medicinæ studiosi operâ. Dissectâ durâ matre neque serum neque sanguis in spatio, quod inter utramque est, occurrit. Neque vel minima macula in interiore parte ossis temporis, vel in dura matre contigua, eo in latere ubi vulnus accepit, apparuit. Adeo ut mortis repentinæ causam vulneri huic tribuere nullatenus potuerim. Mox elevato & non nihil reclinato cerebro, omnia sanguine suffusa comparuerunt: quæ ut rectius viderem, nervos dextri lateris abscidi: Hinc accuratiùs conspexi totam basin cerebri, quaquaversum cruore subductam, effuso illo intra piam matrem & substantiam cerebri. Suggillatio hæc diffundebatur antrorsum ultra nervos opticos, retrorsum usque ad foramen sacrum sub medulla oblongata, & ad latus ejus utrumque in ambobus cerebri lateribus, etiam intra anfractus longe latéque spectari poterat, minimè verò ἐγκύμωμα in dextro latere, parte scil. vulneri opposita ultra dimidium cerebri intra gyrorum hiatus & per superficiem eorum emicuit. Circa orificium magnum in occipite, intra duram & piam matrem, etiam aliquid sanguinis grumosi inveni. Omnes ventriculi sero flavescente stagnabant, cui innatabat grumus sanguinis in tertio ventriculo fabæ magnitudine. Aliquot hydatides parvulas plexui choroideo adnatas vidi: glandulæ hujus plexus manifestè turgidulæ & duræ erant. Cor in dextro ventriculo replebatur copioso & grumoso sanguine, nec sinister ab eo vacuus erat. Pulmones aëre distenti, totam pectoris cavitatem occupabant, ut videri potuisset potiùs inspirationem ultimum vitæ actum, quam exspirationem fuisse. In cæteris partibus imi & medii ventris nihil notatu dignum deprehendi.

IN historia Annæ tota basis, medulla scilicet globosa & oblonga, intra medullarem substantiam & tenuem meningem, sanguine suffusa erat, pertingente suffusione ad anfractus aliquousque; quod factum forte ex ruptis radiculis, seu filamentis illis arteriosis, quæ à vertebralibus & carotidibus in basi exorta, immediatè utramque medullam ibidem subeunt: Rupta autem fuerunt ex casu, cujus proculdubio vertigo occasio erat, quam redundans in ventriculis aqua peperit, nam ad pedem colliculi mortua inventa fuit, sarmentorum fasciculo, quem collegerat, in editioti loco jacente, unde etiam vulnus in tempore accepit, licet enim neque os temporis, ubi vulnerata erat, neque meninges sauciæ fuerint, nihilominus tenellulæ arteriæ, concusso vehementius capite, abrumpi potuerunt, quod eo facilius quoque contigit, quia ob *redundans in ventriculis serum*, in vetula flaccidiores erant: Hoc *Fernelius*, (vide *Obs.* 19.) observavit in quodam qui ex sinistri oculi vehementiore ictu subitò attonitus corruit, &c. Videantur Exc. *Tulpij* Obs. 2. & 3. lib. 1. Cùm indagaturus & arteriarum per cerebrum distributionem, aliquot boum capita aperirem, animadverti ex percussione frontis, qua boves velut apoplectici concidunt, non solum superficias cerebri partes & ventriculos cruore infarctos, sed & in basi omnia cruore suffusa fuisse, proculdubio ob ictus vehementiam, filamentis illis arteriosis abruptis: quinetiam ob eandem causam os cuneiforme in basi fractum semel conspexi. Apoplexiam autem huic vetulæ, sanguis huc effusus ideo videtur attulisse, quia sanguis arteriosus præcipuæ cerebri & cerebelli substantiæ, ubi spiritus plurimi animales generantur, & unde omnes distribuuntur, denegatus fuit, idque partim propter plures abruptas arteriolas, partim quia ab extravasato & grumescente sanguine reliquæ adhuc integræ, in tota basi, compressæ fuerunt, unde ferè penitus ad hanc medullarem substantiam sanguini aditus interclusus fuit: non verò ob pressam & coarctatam medullam, cùm sanguis paucus, nec ad compressionem sufficiens, intra tenuem meningem ac medullarem substantiam, effluxerit, qui tantum per superficiem ejus diffundebatur: At quantum sanguinis ad compressionem totius basis cerebri conficiendam requiratur, vel ejus moles edocete posset. Et quamvis arteriæ quæ anfractus intercurrunt integræ perstiterint, cerebrum debito fomite refecerint, atque illud ex suggesto spiritu vitali, animales in superioribus partibus produxerit, illi tamen ad sensus externos reliquumque habitum corporis distribui nequiverunt: postquàm enim globosa & oblonga medulla sanguine & vivifico calore spoliata fuit, porosam suam & facilè permeabilem conformationem, frigidior reddita, perdidit, spiritibusque transitum ulteriorem negavit: Tantùm enim valet sanguis hoc in loco extravasatus, ut etiam duo cochlearia ad inevitabilem celerrimamque mortem afferendam sufficiant, probante Fernelii historia: cùm alibi intra cranium copiosior effusus, si mature succurratur, non semper enecet. *Idem.*

Hydatides plexui choroideo adnatas] Sunt pustulæ aqueæ, vesiculis illis non absimiles quæ ab emplastris epispasticis solent excitari, utrobique enim summa pelliculæ tenuitas & aquæ copia. In brutorum ventriculis cerebri sæpe reperiuntur, ex membrana eos succingente enatæ, forte eveniunt in membranosis illis partibus, quod vasa lympharum recursui destinata munere segniter fungantur: Ejusmodi autem vasa in cerebro quamquam hactenus aciem oculorum effugerint, iis tamen carere verisimile non est, cum humidi metropolis dicatur, aquosis excrementis sæpe plenam arteriisque refertam, ut quanquam patentibus palati, narium, pororum ductibus quotidie sic satis expurgetur, tamen communi cum reliquis ventribus lege gaudere debeat. Vide *Cl. Bartholinum Cent. 4. histor. 38.* qui ductus salivales recens inventos, eorum propagines censet.

Cor copioso & grumoso sanguine) Unde suspicio apoplexiæ syncopen quoque accessisse.

Observatio XVI.

§. 2. *Apoplexia à repletis Sanguine Sinubus cerebri orta.*

NAscitur Apopl. aut *quia spiritus animalis exitu, aut vitalis aditu* ad cerebrum prohibetur. Spiritus animalis exitu prohibetur, cum cerebri sinus repleti sunt nimia abundantia pituitæ, nigri humoris aut sanguinis: *Ac dum replentur, nec dum repleti sunt*, symptoma est convulsionis epilepticæ, quam excipit resolutio apoplectica, ut ipsi vidimus in Episcopo Nivernensi, & in Quæstore Ballomo, quibus vita defunctis inventa est repletio Sinuum à sanguine illuc prorupto. *Ludov. Duretus comm. in Coac. Prænot. p. m. 366.*

NYmannus lib. de Apopl. cap. 15. omnem veram Apoplexiam oriri contendit ob Torcularis angustiam subitò contingentem, ob quam & cerebro & cerebello spiritus vitales denegantur: Torcular autem vocatur concursus omnium crassæ meningis sinuum, in quos canales, venæ & arteriæ, sanguinem pro universa cerebri substantia, exprimunt. Harvejanis ex principiis, & circulationis sanguinis fundamentis, sinuum hic usus est, ut supefluum tum à cerebri nutritione, tum à spirituum animalium elaboratione sanguinem recipiant, & per venas jugulares cordi reddant. Nymmani *sententiam speciosam magis* quàm solidam, refellit Clar. Rolfinkius meth. cognosc. & cur. cap. affectus diss. 9. p. 21. Quatenus possit admitti ejus sententia. Vide Notas ad Observ. 1.

Ac dum replentur necdum repleti sunt] Epilepsiæ & convulsionum Apoplexiam vel præcedentium, vel illius comitum, causa non in ventriculis quærenda est, sed in meningibus cùm uondum obstruuntur, sanguisque incensus aut acer illas pungit, ut principium nervosum, spiritibus abundans, viis ac meatibus nondum interclusis, insurgat, corrugationes motúsque convulsivos violentissimos ad molestiam meningibus illatam excutiendam instituat. Epilepsiam autem in dicto Episcopo & Quæstore Ballomo, sequuta est Apoplexia, sanguine largius intra cranium effuso, tum quia fluxibilior à violentissimo motu reddirus fuerat, tum quia corrugato cerebro fortius superne exprimebatur, & inferne ascensu liberiore prohibebatur.

Aut quia spiritus animalis exitu, aut vitalis aditu, &c.] Dubium tamen an spiritus Animalis à Virali distinctus detur? *Hippocrati* & *Aristot.* hic fuit ignorus: *Galenum* eum adstruentem omnes sequuntur, quem impugnant *Argenterius*, *Zabarella* & Jac. *Scheckius*. Etsi enim parenchymarum diversitas coctiones diversas supponere videatur, eam tamen necessariam non esse apparet ex hepare & corde, in quibus diversa sunt parenchymata, non tamen specie differentes coctiones, cùm in utrisque sanguis secundum magis & minus differens elaboretur: non itaque sequitur è cerebro & corde diversum spiritum emergere. 2. A cerebro diversi canales quidem prodeunt, sed probandum quod provehendis spiritibus sint fabrefacti: 3. Quanquam dissecto nervo tollitur motus, hinc tamen inde infertur solum nervos motui inservire, non verò vehere peculiares spiritus. 4. Objicitur, si pereunte motu & sensu vita tamen in parte manet superstes, sequitur quod spiritus animalis, inserviens mortui & sensui, differat à vitali, quod in apoplexia & paralysi manifestum. ℞. in forti apopl. ubi motus & sensus omnis perit, vitam omnino salvam & integram esse adhuc probandum, Partes paralysi affectæ si amittunt motum & sensum, tandem contabescunt, adeóque de vitæ integritate gloriari nequeunt. Hæc verò provincia spiritus animales elaborandi si cerebro esset demandata, læsionem notabilem sine motus & sensus interitu non facile ferret, sicut corde vulnerato vita periclitatur: Testantur tamen historiæ cerebrum sæpe in quibusdam insigniter fuisse læsum, salvis sensu & motu. 2. Sicut læso hepate vel liene in hydrope nullus laudabilis sanguis generatur, ita in hydrocephalo spirituum animalium elaboratio, adeóque motus & sensus debebat periclitari, Contrarium tamen testatur experientia & exemplum ab *Hildano* adductum cent. 4. observ. 10. 3. In paralysi si partis cujusdam sensus & motus periit, tandem ipsam partem quoque contabescere videmus, non ex defectu spirituum animalium, quorum partes non sunt nutrire, sed ab influxu vitalium male se habente, qui nutritioni simul sensui & motui præsunt. Objicitur, Si spiritus vitalis præstat sensum & motum, cur dissecto nervo perit motus? ℞. Nervi revera motum juvant, sed solummodo trahendo articulum sive partem cui inseritur, & quidem imperante anima. 4. Ante accessum paralyseos vel apopl. plerumque homines conqueruntur de partis, quæ deinceps afficitur, aliquali frigiditate, id quod indicium spiritus vitalis influxum impediri, à nervis enim nullum calorem ad partem venire certum. 5. Visi apoplectici quibus vel in agone, vel statim post mortem sanguis cum impetu è naribus, ore & faucibus prosiliebat, quod haud obscurè arteriarum non nervorum obstructionem arguere videtur. 6. In Apopl. forti & motus & sensus in toto corpore perit, omnes ergo nervi debebunt simul obstrui, quod quàm difficile sit factu Anatomia demonstrare potest. Pituita inquiunt, obstruit istos nervos, At catarrho laborantes, quibus totum cerebrum pituita perfusum, præ cæteris apoplexiam incurrere deberent, si pituita nervos ingredi posset. *Nymmannus* his difficultatibus commorus aliam apoplexiæ causam, sanguinis nimirum arteriosi obstructionem constituit, &c. *Moebius Fundam. Physiol. p. 84. & seq. ubi plures rationes.*

OBS.

Observatio XVII.

Apoplexia à sanguine ventriculum cerebri sinistrum replente.

Dixit *Fernelius* Apoplexiam fieri posse à sanguinis effluvio in cerebrum, cum copiâ venarum anastomoses aperit: at utplurimum aqua tantum in iis post dissectionem, ex *Columbo* reperitur; Quare cùm Apoplexiam à sanguine viderim, illam tacere non potui. Post Apoplectici enim obitum, aperto cranio, sinister cerebri ventriculus sanguine plenus repertus est: *Sanguinis igitur missione* plethorici talia accidentia præcavere debent. *P. Borellus Cent.2. Observ.* XXXIV.

Sanguinis missione) Quæ simili in casu necessaria est, nedum utilis, cùm à sanguine vel redundante vel fervido ortum ducat. Hinc *Capivacc.* Pract. l.1. c. 17. in paroxysmo apoplectico tres venas, intra horas XII. tundi jubet: 1. in brachio, 2. in pede, 3. in fronte vel naribus: Imò quidam, ut *Nimmanus*, omnibus convenire, sive plethorici sint sive non, statuit, ob ejus efficaciam incomparabilem in revellendis humoribus à capite; fusque déque habitis viribus, quæ oppressæ, non exhaustæ. Inutilis tamen judicanda, imò noxia, si à sero intra ventriculos & cavitatem cranii effuso oriatur, cùm nihil de causa proxima dematur, viresque ulterius atterantur. Nec momenti alicujus si fibrosa corpora arterias vertebrales & carotides occupent, vel torcular à simili corpore obstruatur. Quæ vas ruptum sequitur apoplexia, à V.S. non solvetur, quippe quæ incurabilis est, cùm sanguis intra ventriculos, imò & ad basin effusus inde remeare non possit, ubi statim in grumos concrescit. Si serum intra substantiam effundatur; fortè utilis erit f.m. quæ seri orgasmum, à quo sanguis in motum concitatur, sedat: Cùm arteriolæ sanguinem per cerebri substantiam vehentes ab eo obstruuntur, V. S. ejus motum p.n. inhibebit, unde minore copia eò confluet; nam v. g. aperta brachii vena, non parva sanguinis portio per axillares, ad resarciendum illum qui eductus fuit, brachia petit: Deinde reliquo ex corpore, atque ex cerebro, sanguis protinus ad cor, [quod per V.S. illo destitutum] properat, depauperato suppetias laturus: hoc verò sarcina liberatum, remeantem sanguinem avarius ad cerebrum transmittit; eaque quantitate quæ oneri & impedimento futura non sit; hinc demum, qui obstructionem in minimis vasis efficit, robore cerebri expellitur.

Observatio XVIII.

Apoplexia à parte cerebri sanguine suffusa, grumo sanguinis magno peculiari cavitate concluso; ex rupto insigni ramo arteriæ carotidis anterioris.

Barbara Zuberin septuagenariæ viciniot, totum ferè vitæ cursum in famulitio consumpsit, ac jam senex desponsata, utcunque vitam toleravit: Vidua in Nosodochium recepta fuit: Habitu corporis erat mediocri, & quantum mihi constat, non multum morbis conflictabatur, nisi quod ab aliquot annis visus ipsi imminui cœperit, quo quandoque tantùm non penitus privabatur; quem tamen brevi, citra fere medicam opem, aliqua ex parte, recuperabat, protinus recrudescente malo: nunquam autem cœca omnino evasit. In utroque oculo manifesta suffusionis exordia conspici poterant. Jam ab aliquot mensibus apoplexiæ prodromi in ea ab astantibus animadversi sunt, dum subinde lingua titubavit, mox tamen hoc loquelæ vitio cessante. Anno 1657. 29. Jan. 10. à Plenilunio die, hora 3. pomeridiana, dum ut rebantur, sana cum sociis fila trahebat, subitò sermonis usum perdidit atque inclinare corpus visa est: mox ab ancillis in lectum ducta fuit, incessu illo observatum est adhuc dextri lateris pedem illam movisse, manum ad caput sustulisse atque verba quædam, sed haud intelligibilia, protulisse: statim tamen omnem sensum & motum animalem amisit, permanentibus respiratione (quæ tamen paulo post cum stertore fiebat,) pulsu & faciei colore rubicundo. Remedia pauca adhibita, cùm nihil amplius à primo insultu deglutire valuerit. Eodem die, hora sexta pomeridiana expiravit. Altero die post meridiem cum Clar. D. D. Hardero, collega meo honoratissimo & harum rerum studiosissimo, caput aperui: olla ablata, orbiculatim duram meningem mediam discidi: corpus falciforme à crista galli liberavi, ac laterales sinus dissecui: hinc reclinato ad latus cerebro omnia nervorum paria, arterias carotides prope infundibulum, infundibulum ipsum, arterias vertebrales, ubi in occipite emergunt, ac denique medullam oblongatam, in ipso orificio magno occipitis, abscidi, atque ita cerebrum undique ab omnibus vinculis liberum, totum extraxi, quo penitiùs subiti casus proximam causam perscrutari valerem. Exemto cerebro, duram meningem ei adhuc incumbentem elevavi: apparuit pars dextra cerebri superior ac posterior, inferior, non tamen ad basin usque, & anterior frontem versus tota sanguine suffusa: Cerebrum ibidem molle erat & humor quidam in eo fluctuans manifestè attactu deprehendi poterat: In eximendo hoc in latere rimam egit, ex qua prominuit grumus sanguinis nigerrimus, nucis myristicæ magnitudine: digito immisso sensim cultello rimam dilatavi: inveni cavitatem amplam ad frontem ferè anrrorsum: sursum ad corpus ferè fal-

ciforme & sinum tertium, posteriora versus ultra cerebri dimidium, ac deorsum etiam ultra dimidium dilatatam. Longitudo hujus cavitatis, seu antri præternaturalis, octo, latitudo quatuor, & profunditas duas cum semisse uncias superavit. Continuit grumum sanguinis ovum gallinaceum æquantem, præter alios minores grumos & fluitantem sanguinem, pondere unciarum circiter octo, vel integræ feræ libræ. Ventriculum lateralem primo intuitu opinati sumus: verum accuratius inquirendo invenimus cavitatem hanc non esse ventriculum vel ejus portionem aliquem, sed peculiarem & p. n. à sanguine extra vasa effuso formatam: & quidem ex rupto ramo aliquo, sobole insignis rami arteriæ carotidis anterioris, qui postquam nervos opticos transcendit, in parte anteriore & laterali cerebri notabilem anfractum ingreditur, ac non procul ab exortu in plurimos ramos scinditur, inter omnes cerebri anfractus medios incedentes, quandoque eorum superficiem scandentes, mox descensuri ac ulterius per medios anfractus sursum ad corpus falciforme ferè id minutissimos subdivisi surculos, ambulaturi: horum etiam non pauci nec uno loco manifestè cerebri substantiam subeunt: Et quidem hujus arteriæ ramos unum vel plures hoc in loco ruptos fuisse, clarè & sine dubio cognoscere potuimus, nam dum illius progressum in eo latere investigavimus, primarium ramum ejusque surculos, tum in principio, tum in cuncto reliquo incessu, vacuum omnino sanguine invenimus, secus ac se habebant arteriæ cæteræ omnes, tum in parte opposita, tum & posteriores in hoc latere, & anteriores quædam non ab hoc ramo profectæ. Præterea ubicunque incedebat hæc anterior lateralis arteria, ejusque rami, grumi sanguinis obviam facti sunt, sæpe pertinaciter arteriis adhærentes, idque tam latè & altè, quàm hæ arteriæ disperguntur. Rupta itaque una atque altera harum arteriarum, & sanguine intra anfractum profundiorem effuso, novi semper sanguinis appulsu, ut unda impellitur unda, magisque spatium anfractus dilatatum fuit, atque dum ab irruente sanguine perpetuo pulsu, humilior anfractuum superficies depressa, aliorum interstitium tenerum gracile, molle & sanguinis impetui cedens perruptum fuit, in hanc amplitudinem facilè excrevit, non secus ac in aneurismate fit, nisi quod citius in cerebro talis cavitas à sanguine irruente, quam in quavis alia parte, ob ejus mollitiem, conficiatur. Superficies anfractuum superius integra permansit, id cavente pia matre, eos colligando & quasi uniendo: nec basis hujus cavitatis perrupta fuit, tecto seu fornice ventriculi dextri magis medulloso & tenaciore existente, quam anfractuum interstitium: quod flaccidius est, ex cortice cerebri, ut vocat Clar. *Bartholinus*, confectum. In toto spatio illo, quod inter duram & piam matrem est, nullus humor ullibi, nec etiam in basi vel occipite occurrit. Ventriculus dexter undiquaque integer fuit: vix tantum seri subcruenti continuit, quantum dimidium nucis juglandis putamen caperet: in posteriore & ima ejus parte plexui choroideo hydatis parva adhæsit. Sinister omnino vacuus fuit: In plexus choroidei medio ibidem calculum gypseum, candidum, asperum & inæqualem, seminis lupini magnitudine invenimus, alios, in utraque plexus parte, seminis milii & majore magnitudine hinc inde dispersos vidimus. In tertio ventriculo grumulum sanguinis fabæ magnitudine reperiimus. Glandula pinealis non accuratè præerat canali, è tertio in quartum ventriculum aperto, forsan quod ob tumoris hujus, seu aneurismatis cerebri magnitudinem sursum aliquantulum, cum quarto sinu, rapta fuerit. In principio hujus canalis parietes ejus paululum sero subcruento tingebantur. Verùm quartus ventriculus mundissimus erat, nec vel minimam in eo labem animadvertimus: Omnes quatuor crassæ meningis sinus vacui erant à pituitosis corporibus, nec ullo in alio vase cerebri vidimus. In sinistro cerebri latere ne minimum quidem ἐγχύμωμα apparuit, nec quicquam sanguinis grumosi vel alterius rei p. n. vestigium occurrit. Adeo hoc ἀνεύρισμα ad apoplexiam fortissimam producendam suffecerit. Carotis interna utrinque ad latera glandulæ pituitariæ incedens tum ante, tum post perforationem duræ matris, lamina ossea & tenera incrustabatur. *I. Iac. VVepf. Dissert. de Apopl. p. 5.*

EX historia hac manifestum est liberaliorem sanguinis excretionem, infra anfractum anteriorem apoplexiam produxisse, cùm in toto reliquo cerebro nihil à nobis inventum fuerit, cui vel proximæ vel sociæ causæ nomen tribui potuisset. Modum generationis spurii hujus Aneurismatis in enarratione historiæ indigitavi. Inquisitionem hoc meretur, quamobrem altera cerebri parte, & cerebello sanis ad sensum existentibus, nihilominus omnium actionum animalium citissimè interficiens abolitio sequuta sit. Cùm in multorum ore sit ideo pleräsque partes duplices esse, ut una læsa altera tamen officio communi fungatur: atque ob hanc causam cerebrum ipsum quoque in medio aliquousque divisum nec Gal. abnuit, licet sint qui idem pernegent: Verùm si quod res est fatendum erit, non aliter me extricare potero, quàm si dixero cerebri partibus profundioribus & nobilioribus insigniter læsis, etiam alteram licet sanam, in consensum prorinus rapi, non secus ac observatum est alterutro rene notabiliter læso & alterum muneris sui quasi oblitum fuisse: Nam si quis statuendum putet ab hoc aneurismate basin cerebri, etiam in altero sano latere pressam fuisse, illum hodrocephali redarguent, *in quibus* aquæ pondus longè hanc sanguinis

nis molem superat: In Reitero quidem §.xx. sanguis extravasatus tale quid efficere potuit, at sanguinis longe major copia fuerat: frequentissimè autem in apoplexiis, tum lethalibus, tum in iis quæ vel ad integram, vel aliqualem saltem valetudinem terminantur, alterutrum tantùm latus à causa proxima occupari existimo, cùm illa plerunque ab hemiplegia incipiant, hinc aliquot novi, antequàm fatalis apoplexia penitus eos obruisset, creta, vel aliis indiciis, significasse quid sibi fieri velint, quod de Fracastorio narratur: hæ verò maturiùs in hemiplegiam desinunt quàm ut credi possit anteac causam in utroque latere delituisse: hemiplectici enim latere sano ita uti possunt ut plurimùm, ut nulla in illo imbecillitas notari possit: Quomodo autem hæc compassio fiat, sententia mea hic vice ἐπέχω, diligentior inquisitio, atque aliorum labores forsitan veritatem *mihi aperient*: Hemiplegiæ vero causa haud difficulter in hac *Barbara* reddi posset, cùm dimidium cerebrum maximam partem sanguine spoliatum fuerit, effuso copiosè intra anfractum sanguine, arteriis plexusque eo vacuis, secus ac se in opposito latere habebant. *Idem p. 232.*

Verba quædam &c.] Sæpe vidimus, ait *Vallesius* lib. 5. Epid. in historia Hippostenis, Apoplecticos per quædam intervalla ad sese redire, loqui & sapere, ut videantur circumstantibus liberati, ac denuo corripi, idque bis aut ter, donec quum non possunt revocati, tandem moriantur: Quod conjectamus fieri expultricis cerebri opera: hæc enim si valida est, longè pellit & hominem liberat: si debilis admodum, ne movet quidem, & tunc uno perpetuo paroxysmo moritur homo: Sin autem est inter hæc mediocriter debilis, non pellit longe, facit tamen succos abscedere; cùm verò non satis renitatur pars quæ expulit, irruunt in ipsam rursum.

Faciei colore rubicundo] Quibusdam apoplecticis facies rubescit, temporum & colli arteriæ pulsant, jugularesque turgidiores apparent, cùm scilicet obturantur carotides internæ & vertebrales, tunc copiosior sanguis per externas distribuitur: Arterias autem & venas affluente copioso sanguine facile extendi, patet in iis quibus mero incaluit, sed maximè in gravidis, quarum vasa quadruplo majora redduntur, vacuatoque humore subsidentatque pristinæ gracilitati promptè redduntur.

Observatio XIX.

Apoplexia à sanguine in cerebri basin effuso & concreto, arterias retiformes & plexum choroidem premente.

§. 1. IPse sæpe ac multum de Epilepsiæ, quemadmodum & de Apoplexiæ causis dubitavi: cùm enim aliquando vidissem virum viribus integrum, sinistri oculi ictu vehementiore, repente attonitum corruisse, moxque sensu ac motu privari, cum spiritu difficili ac stertore, & cum aliis *fortis apoplexiæ indiciis, eumque* nec venæ sectione nec alia potuisse ratione servari, quin horis XII. interiret, mortis causam investigatione dignam putavi: Discisso apertoque capite, neque ossis neque substantiæ cerebri quicquam confractum divulsumque, sed duntaxat interiores oculi *venas contusionis vi disruptas* animadvertimus, è *quibus sanguis*, cochlearium duorum mensura, in cerebri basin procubuerat, qui concretus arterias eas obstringebat quæ retiformem contextum conficiunt, & quæ illinc in cerebri ventriculos propagatæ choroidem alterum constituunt: Cerebri autem ventriculi prorsus illæsi inanesque cernebantur: *Fernelius de abd l. 2. c. xv.*

§. 2. Duobus à rixa colaphis inter se certantibus, alterius mater in primo senio constituta, mediam se, diremptura pugnam, sistit, illic *pugno percussa* ad os basilare, ubi supercilia ad nasi radicem coeunt, mox apoplectica concidit, mediaque hora citius, mirantibus omnibus, cùm in facie nec livor nec tumor ullus appareret, animam egit; De causa mortis controvertentibus Chirurgis, à Scabinis accersor. Dico, venulis & arteriis quibusdam magna contusione fractis, à validissimo enim juvene vapulaverat, plexum choroidem, seu rete admirabile, concreto sanguine opprimi: Statim diducta calvaria & cranio ablato, quod dixeram omnium oculis visendum se præbuit, cùm plusquam coagulati sanguinis tria cochlearia, arterias illas prementia, notarent: inde enim Apoplexia fortissima, & cui succurri non poterat. *H. ab Heer observat. x.*

CONtusionis vi disruptas] Rumpuntur vasa ob sanguinis vel copiam vel concitatiorem motum ut num vasa disrupta vel eorum oscula reserata fuerint ignores: quorsum etiam faciunt extrinsecus impetuosius capiti insultantia, casus & ictus vehementiores: frequenter autem hæc vasa rumpuntur, hinc cum viventibus adhuc, & post mortem magnam sanguinis copiam per os & nares erumpere toties observavit *Platerus* Pract. Tr. 1. lib. 1. c. 2. aliquoties sibi persuasit hanc potissimam apoplexiæ causam esse: Externæ causæ caput obtundentes si in caput incidant, cujus vasa imbecilliora sunt ac sanguine distenta, etsi sæpe leviculæ sint, nihilominus tamen vasa hæc disrumpere valent, prout apud nonnullos legitur alapam, aut nullius momenti alias futuram capitis allisionem, apoplexiam attulisse: Promptius quoque hæc vasa diffringentur si iis obstructis sanguis vehementius moveatur, cùm enim sanguini e. gr. in arteriola inciso, ob ulteriorem progressum impeditum major, continuo sanguinis motu, copia accedat, quàm angustia arteriæ unius vel plurium capere possit, facilè rumpentur, idque citius quam alibi, quia arteriarum tunica tenerior quàm aliis in locis, maxime senibus, quorum arteriæ, ut aliæ spermaticæ partes licciores sunt.

Erosio rarior est, quin tamen aliquando fiat non impossibile esse videtur, si tota massa sanguine acorrodentibus humoribus scateat. Variolis apoplexiam super-

supervenisse puellæ cuidam audivi, quod proculdubio vase aliquo ab interna variola eroso contigit, nam & eas intus circa partes membraneas erumpere notum est: Nisi forte incuria adstantium repercussæ fuerint, & vitiosus humor sanguini permixtus potius vas aliquod ruperit. *J. Jac. Wepferus Exercit. de Apoplexia, p. 237. & 239.*

Venas disruptas è quibus sanguis] Apertio vasorum sanguiferorum præternaturalis cerebrum & cerebellum defraudat vivifico succo ad actionum animalium ἐνέργειαν summè necessario, unde etiam apoplexia quandoque consequitur: Non tamen quocunque vase quolibet in loco aperto, aut etiam ad omnem, etiam copiosiorem sanguinis profusionem; apoplexiam prodeci dixerim, cùm sæpe mensium, hæmorrhoidum nariumque hæmorrhagiæ admodum nimiæ sint, quin etiam ob vulnera diversis corporis partibus inflicta, non rarò incredibili copia effluat, nihil tamen hinc patientibus apoplectici contingat: Quamvis negari non possit actionibus animalibus hujusmodi hæmorrhagias plurimum incommodare, ægrosque ad apoplexiam, nisi alio mortis genere præveniantur, disponi, qua tandem aliis causis concurrentibus pereunt: Hinc *Avicenna Tract. 5. Fen. 1. cap. 11. Qui plurimum utuntur venæ sectione propter melancholicum suum sanguinem, multitudine quidem V. S. juvantur, sed in fine deficiunt, quoniam incidunt in apoplexiam*: Igitur quæ apertio vasorum apoplexiam effectura est, potius intra cranium fiet, hac enim ratione medullosa substantia, sanguine, proximè in ipsius usum cessuro, orbatur, quin etiam premitur, aliaque quæ ab extravasato sanguine, suam indolem protinus perdente ac noxio evadente, perpetitur: Nec tamen quilibet sanguis intra cranii cavitatem effusus apoplexiam affert, non rarò enim contuso capite intra cranium rumpuntur vasa, sanguisque exstillat qui per aures, nares & os effluit citra apoplexiæ discrimen, dum vel trapano perforato cranio sanguini exitus paratur; vel dum, antequam lethalia symptomata corruptus efficiat, emplastris & fomentis congruis dissipatur, quod frequentissimè nostris in oris faciliter, citra trepani usurpationem, absque noxa ulla ægri præstitum memini: *Wepferus Exercitat. de Apoplexia p. 222.*

Nulla ratione potuisse servari] An apoplexia à *sanguine ad interiora cranii effuso prorsus incurabilis, ut censet Petrus Salius de aff. partic. cap. 2.* Respondet Excell. *Wepferus* p. 240. Hactenus id penitus persuasus eram, cùm enim sanguis extravasatus, repentinum hoc malum effecturus vel quantitate nimia, vel loco peccare debeat, vix perspicere potui qua ratione, vel redundans vel situ noxius; cum ægri levamine auferri possit; Si namque tanta copia ventriculi, omneque cavum spatium intra cranium adimpleatur, qua hac loca in *Reitero* obs. 20. infarcta vidi, nullam viam invenio per quam nocentior ejus portio exhauriri possit: Multò minus sanguis qui intra anfractus in *Barbara* Obs. 18. delituit, ulla arte cum commodo ægræ elici potuisset: (ut taceam vix quempiam mortalium exstiturum qui primo insultu perspicacissima ingenii vi causam hic absconditam subolfacturus sit) Trepano namque perfosso hic sincipitis osse, pertusis quin etiam meningibus & substantia cerebri, effluxisset quidem sanguis: at rupta arteria, ob perpetuum motum sanguinis, semper novus affluxisset, per recens foramen cum vitæ exitu defluturus: Nec ille qui per basin fusus est sanguis, atque apoplex. producit, ut in *Anna* Obs. 15. ulla arte tolli poterit, sensibiliter enim sanguinem extravasatum ex his locis extrahere velle, insaniæ propius foret quàm dextræ medendi rationi. Insensibiliter discutientia ad sanguinem, loco maxime peccantem, non penetrabunt: vel si penetrent, malo nullam Medicinam afferent, sed augebunt, dum sanguinem fluxilem magis reddunt, & ad elapsum ex ruptis arteriolis, promptiorem: Atque ob hæc argumenta apoplexiam à sanguine extravasato genitam adhuc immedicabilem existimo: Non tamen ignarus sum Rationem sæpe sibi discrimina fingere, quæ natura minus remediorum operoso apparatu turbata, feliciter dispellit, timidumque eludit: Quod forte aliquando & in hoc casu evenit: videmus enim non rarò quosdam, ex gravi capitis percussione, omnibus sensibus & motu privatos, instar apoplecticorum corruere, qui nihilominus sæpe haud difficulter curantur: Tribuitur quidem vulgo id turbatis spiritibus animalibus, ob vehementius commotum cerebrum: verùm si quis durationem symptomatum diuturniorem, & curandi rationem expendat, vix soli spirituum perturbationi hunc symptomatum cumulum adscribere poterit; Consideretur historia quam Excell. *Th. Bartholinus* cap. 3. obs. 3. exhibet de juvene: qui sine sensu, voce & motu, ab exploso sclopeto nucham versus, quinque dierum spatio jacuit: Præterea quotidie experimur partes extimas vehementer contusas, ruptis capillaribus vasis, integra cute, valde intumescere, citra tamen suppurationem, vel sua sponte subsidere, vel repellentibus, & tandem discutientibus admotis omnem exuberantiam evanescere.

Observatio XX.

§. 1. *Apoplexia à sanguine effuso inter utramque meningem, circa basin cerebri, perque totam ejus substantiam & ventriculos.*

Johann. Jacobus Reiter Kenzinga Brisgoius, ætatis circiter 45. annorum; habitu corporis gracili, capillis flavis & crispis præditus, ingenio pollens; honestis parentibus, patre scil. Consule prognatus; à puero literis operam dedit, ac lautè victitare potuisset, nisi miseranda & Germaniam universam devastantia obstitissent fata: quæ cum & patriam communi calamitati involvissent, varia passus, inprimis truculentam famis tyrannidem gravissimè anno 1634. expertus est, quæ malesuada ipsum coegit etiam iis vesci quæ natura, ceu venenum, alias horrere solet. Hinc post multa discrimina & varios casus Rheinowium appulit, ubi aliquot annis Ludimoderatorem egit: Tandem à Reverendissimo & Amplissimo D. D. Bernhardo à Freiburg, celeberrimi ejusdem Monasterii Præsule optimè merito,

merito, Domino meo plurimis nominibus colendo, intra Monasterium adscitus fuit; ubi Cubicularii munere aliquot annis fideliter functus est. Parcius semper, quamdiu ipsum novi, comedit, indulsit verò plus poculis adeo tamen ut non nimium Baccho litaret. Ad iram paulo pronior, non tamen rixarum amans, nec lites ex litibus serens. Aliquoties, in hoc Monasterio vivens, podagra excruciatus fuit, quæ primis annis in pedum articulos sæviit, sequentibus tamen nec reliquis articulis pepercit. Dum cùm hoc morbo luctabatur, nihil ægrius tulit quàm si podagræ nomine insignitus ille fuit. Ab anno verò & quod excurrit, ante obitum nunquam ejus consuetam sævitiam sensit, sive id medicamentorum clanculum usurpatorum culpa, sive naturæ imbecillitate, non potentis morbi causam amplius ad articulos, ceu ignobiliora loca protrudere, factum sit. Hinc circa id temporis tussi molestissima diu vexabatur, adeo ut phthisicum crederent, quæ podagræ suppressæ tribuebatur. Verum idoneis à me propinatis remediis, tussis cessavit, & satis commode per integrum fere annum valuit, si herniam intestinalem excipias, quam tussis violentia effecit. Anno 1655. 7.d. Novembr quinto die à plenilunio, mane sanus salvusque; quantum omnibus constitit, Reverendissimo D. Præsuli sacra peragenti adstitit, quibus peractis in conclave suum se consueto more contulit: cùm forte fortuna famulorum quidam ipsum convenire voluisset, reperiit ipsum humi prostratum; ad vociferationes surdum, ad concussiones & corporis vellicationes, instar trunci, stupidum; accurritur, infunditur aqua antiapoplectica, atque alia, iis, quæ ad manum erant, tentantur, sed omnia frustra. Accersor & ego: cùm post bihorium adventassem, vidi illum ex pallore livescentem; sensibus omnibus & motu animali orbatum, sola respiratione, primùm satis ordinata, excepta; & nisi respirantem vidissem, primo intuitu leipothymia vel omnino syncope affectum dixissem, adeo exsanguis facies erat ac livebant extrema, & cum naribus ad tactum perfrigebant, Pulsus primò validus, magnus, celer, mox debilior, minor & crebrior, respiratio quoque laboriosior, mox inæqualis evasit, ac sæpe penitus cessatura videbatur. Nullum genus congruorum remediorum omisi, venam in debili tamen & brevi exspiraturo tundere non ausus fui. Hora decima antimeridiana motu quodam convulsivo aliquoties totum corpus concutiebatur, plurimumque sputi albi, viscidi, lenti ex ore emanabat, nihil verò cruoris: hinc magis magisque vires labascere, ac extrema amplius frigefieri cœperunt: Hora prima pomeridiana ejusdem diei vivere desiit. Statim ac morbo correptus fuit, plurimum fæcum nigrarum per alvum excrevit, quod vino cuidam chalybeato tribui, de quo tum temporis, nescio ex cujus Empirici consilio, aut quem ob finem, singulis mane & vesperi cyathum epotare solebat. Indulgentia Reverendissimi D. Præsulis antea memorati, Patroni literarum omniumque bonarum artium summi, caput aperui: remoto cranio ac discissa dura meninge plurimum cruoris profluxit ex spatio, quod inter eam & tenuem meningem satis capax est, copiose p. n. undique & undique eo effusum; neque enim solùm circa basin cerebri cruor stagnavit, sed & ad verticem usque & ad anteriora & posteriora pertigit, quinetiam intra anfractus, quotquot fere cerebri sunt, se insinuavit. Ventriculis detectis reperii & illos omnes cruore adimpletos, nec quarto quidem excepto, quorum laterales, prope basin quasi laceri, ac si nimio cruore distenti rimas egissent. Cruoris extravasati quantitatem duarum librarum pondus superasse haud difficulter divinare potui. Toto cerebro, ventriculis & superficie à nimio & grumoso sanguine contaminatis, ulterius nihil observare, nec vel ruptam venam aut arteriam deprehendere valui. Hoc tamen certum est, nullam causam violentam externam, sive ictum, sive casum, tantæ rupturæ vasorum sanguiferorum authorem, præcessisse, cùm derasis capillis & ablata cute, ne minimum quidem contusionis alicujus vestigium appareurit. *Ioh. Iacobus VVepferus Exercitatione de Apoplexia historia* 1.

A*liquoties Podagra excruciatus*) In omni diuturno abscessu, sive fit cum evacuatione, ut ulcus, fistula aut hæmorrhois; sive etiam sine ea, ut vetus podagra, videndum est quomodo cures: Plurimi enim eorum qui tali morbo multis jam annis laborarunt, solent in nephritidem, aut asthma, aut etiam aliquam apoplecticarum passionum inc dere; Ut contra multis fieri vidi ex Epilepsia, aut alio cerebri magno morbo nephritidem, & ex hac podagram: Tales igitur abscessus, cùm jam sunt inveterati, etsi cum evacuatione non sint, dico esse aliorum morborum medelam & curari sæpe prohibeo; *Vallesius lib. 6. Epid. sect. 3.* Cuidam ventriculi dolore periodico, post dolores hæmorrhoidales & articulorum affecto, Podagræ revocationem suadet *Silvaticus* cent. 2. conf. 74.

Baccho litaret) Quomodo vini liberalior usus ad Apoplexiam disponat, ostendit Excell. *Wepferus* p. 257. Plurima sunt, ait, caput replentia, ut absinthium, crocus, allium, cæpæ, semen sinapi, cannabis & alia: Qua autem ratione isthæc cerebrum repleant, Vini exemplo, pro virili explanabo: Vinum intra stomachum reconditum (maximè si parum solidioris alimenti, aut nihil assumptum prius fuerit, quæ alias humida imbibere & quasi absorbere solent, ac diutius in ventriculo detinent) citò elabitur, ac per venas lacteas & novos ductus chyliferos ad cor properat, & sanguini permixtum prorinus cum eo in orbem agitatur: Cùm ad renes pervenerit, aquosior ejus portio ab ipsis emul-

emulgetur & maturè emingitur: Spirituosior pars dum amplius cum sanguine indesinenter movetur, magis magisque incalescit, simulque aquosiores sanguinis partes, facilè in halitus solubiles, incidit & attenuat: hac ratione affectum, per arterias superna quoque petit, ac per minutissima arteriolarum capillamenta, medullosam cerebri & cerebelli substantiam subintrat, & quia aliquot circumgyrationibus cùm sanguine subtilius ac spirituosius redditum est, cùm vitalibus spiritibus, per arteriolarum poros, in meatus, spirituum animalium vias, irruit; Si moderatè id fiat, haud ingratus est hospes, sed torpidiores animales spiritus excitat alacrioresque reddit, unde Poëtarum Pegasus appellari meruit: Si immoderatius irrumpat, turbantur spiritus ac delitia oboriuntur, pro temperamentorum varietate diversa, quæ in compendio Horatius Carm. lib. 3. od. 21. piam suam testam decantando tradit: Qui plus quàm humano more vinum ingurgitarunt, præ bestiis turpissimis abominandi fiunt, ut truncorum instar sensu & motu expertium tractandi sint: Dum spurii isti spiritus cum halitibus, aut seri tenuioribus portiunculis & veris vitalibus, (animalium spirituum materia) interiores sacri hujus palati aditus invadunt, quia solitò plures sunt, arteriolarum foraminula, ad vias spirituum animalium patentia, ampliora reddunt: unde si crebriùs vini peccetur abusu, patulis magis factis foraminulis, sensim medullosa substantia promptiùs recipienda spiritibus animalibus, eorumque actionibus adversa, disponitur: hinc etiam fit, ut qui juniores adhuc strenui potatores erant, senes uno atque altero cyatho evacuato statim inebrientur: Postquàm ebriosi deferbuerunt, atque crapulam edormierunt, portionibus subtilioribus dissipatis, reliquiæ intra meatus dictos, à peculiari, cui par non est in corpore, medullosa substantia coagulantur, ac in humores degenerant, ibidemque subsistunt, cùm ulterius in nervos, ob eorum cavitatem angustam, pergere facilè nequeant, regressusque ad arteriolas, ob perpetuum novumque appulsum spirituum vitalium prohibeatur, unde bibones manè stupent manusque eorum tremunt, donec denuo venæ mero incalescant: Si itaque quotidie in bibendo errores committantur, magis magisque cerebrum ac cerebellum apoplexiæ obnoxium reddetur, quæ levi ad seri effervescentiam occasione data, dispositos obruit: Ex his forte patebit qua ratione & reliqua, quæ cerebrum replere creduntur, hoc præstent: vinum enim in agendo, vel vincunt, vel infirmiora sunt, prout scil. sanguini permixta, citiùs vel tardiùs in partes tenuiores vel crassiores resolvuntur; plures vel pauciores sanguinis portiones attenuant, secumque intra meatus rapiunt, ac sui vestigia graviora vel mitiora ibi relinquunt: horum enim quædam tantæ efficaciæ sunt, ut si in iis sumendis nimium peccetur, vel prima vice interimant, quod opium & vini spiritum non semel effecisse observatum est, vino tardiùs id effecturo.

Infunditur aqua apoplectica] Aquas apoplecticas repudiat Crato Medicus Cæsareus *cons. 37. ad apoplexiæ præservationem*; *Aquarum harum, ait, vitæ mortiferarum magna est varietas, summa in usu vanitas, atque non minùs interdum quàm ebrietas*, quæ hujus morbi mater est, cùm eodem modo cerebrum afficiant, nocent. Revera si vinum cerebrum replet, efficaciùs id præstabunt spiritus illi, ex liquoribus fermentationem perpessis, educti: Hi frequentius assumpti, non solum apoplexiæ obnoxium cerebrum efficiunt, sed & alia non concurrente causa, soli sæpius induxerunt. In ipso tamen paroxysmo apoplectico juvasse certum est, discussis ab iis vaporibus cerebrum obsidentibus.

* *Sensibus omnibus & motu animali orbatum, sola respiratione &c.*) Quæret aliquis quare in universali apoplecticorum resolutione sensus & motus instrumentorum respirationis conservantur, cordis præterea & quarundam partium imi ventris? Respondeo non ita facile esse hunc nodum solvere, cùm nondum satis perspecta sit interior cerebri structura, & humorum, qui in variis ejus glandulis secernuntur & præparantur, natura: Naturam prospexisse partibus quarum actiones sunt maximè necessariæ, ut non deficiant nisi postremæ, ex eventu satis liquet, quæ adhibeat media ignoratur: Si quis sit hic locus conjecturæ, forte manifesta illa alkalium salsedo, quæ in glandula pineali reperitur, in hos est usus destinata, ut fluidiorem efficiat sanguinem ex quo spiritus eliciuntur, ut influant in memorata organa, ut fluidiores reddant eosdem spiritus, & eorum coagulationem impediant: Forte & aliunde suppeditantur sales volatiles illis vasis, ut contenti in illis liquores nonnisi à vehementiore acido possint coagulari: Forte plexus varii, cum quibus organorum memoratorum nervi communicant, sunt veluti totidem parva cerebella, quorùm influxus solus independenter à magno cerebro sufficit ad aliquod tempus, aut exiguo illius eget auxilio, Ego non ausint quicquam affirmare, ut certi quid statuatur accuratiore opus est cerebri structuræ notitia. *Bayle Tract. de Apoplexia cap 8.*

Motu quodam convulsivo) Hinc adstrui videtur Galeni sententia, apoplexiam oriri ab omnimoda ventriculorum cerebri obstructione, Epilepsiam à dimidiata: atque motus hos convulsivos factos fuisse ante quàm cerebri ventriculi omnino fuerint infarcti: Sed notandum quod Adr. Spigelius l. 2. de semit. cap. 16. refert, Dari mistum affectum ex apoplex. & epilepsia, simillimum illi qui in Pannonia frequens est, & ab Austriacis & Stiris *Timor* appellatur, in quo cadunt ægri velut apoplectici sine sensu, motu tamen non destituti, nec ut Epileptici convelluntur, aliquando stertunt, nec tamen discusso morbo paralysin incurrunt: Judice Rolfinkio cons. 15. lib. 2. is est affectus quem describit Salius de aff. part. cap. 2. & vocat *apoplexiam à sanguine*; ortam, non affecto ullo ventriculorum, aut spiritibus animalibus, sed vasis sanguinem arteriosum ad sinus vehentibus, & ex iis ad venas revehentibus. Convulsiones autem accedunt concutiente se nervorum initio: Cùm enim sanguis copiosus ad superiores partes irruit, vasaque replere aliquomodo incipit, natura timens extinctionem & oppletionem totalem, forte etiam à qualitate acri sanguinis irritata, insurgit ad ejus propulsionem, ut fit in singultu à repletione: Eoque magis natura insurgit, quò magis à repletione vasorum sentit se gravari: concusso autem nervorum initio, in consensum etiam trahuntur propagines: Hunc affectum Hippocr. l. de vict. acut. 4. innuere videtur sub Aphoniæ voce; quem locum afferre lubet, quod circularem sanguinis motum impeditum innuere videatur. *Cùm quis repente voce defecerit, φλεβῶν ἀπολήξιες, venarum interceptiones affligunt, ubi id benevalenti citra manifestam occasionem aut validam aliam causam contigerit: venam igitur incidere oportet brachii dextri*

inter-

internam, & sanguinem detrahere, habita secundum habitum & ætatem, pluris aut minoris ratione: Horum autem quamplurimis ista accedunt faciei rubores, oculorum immobilitates & manuum distensiones, dentium stridores, pulsationes, maxillarum adductio, extremorum refrigeratio & spirituum in venis interceptiones: cùm dolores accesserint, bilis atra acriumque humorum affluxiones fiunt: demorsa autem partes interna dolent, demorsaque & admodum arefacta venæ, tum intenduntur, tum inflammatione tentatæ ea quæ affluunt, attrahunt: Ex quo corrupto sanguine & spiritibus vias, quæ in ipso secundum naturam habent, pervadere nequeuntibus, perfrigerationes fiunt ob stabilitatem, vertigines, vocis defectio, capitis gravitas & convulsiones, si jam ad cor aut epar, aut ad venam pervenerint: hinc morbi comitiales, aut partium resolutiones fiunt, si in loca, quæ eas partes ambiunt, fluxiones inciderint, & spiritibus exire nequeuntibus, exaruerint. Et lib. 2. de morbis: *Dolor derepente caput prehendit, statimque vox deficit & sui impotens evadit: hæc autem affectio contingit cùm ei bilis atra in capite agitata fluxerit, præcipuèque in partem in qua plurimæ sunt venæ, in cervicem nempe & pectus; deinde postridie resolutione corporis tentatur, & fit ad motionem impotens, sanguine nimirum perfrigerato, &c.* Triplici ergò de causa, ex Hippocr. sanguinis motus inhibetur; primò cùm affluunt frigidi humores; de qua apoplexiæ specie loco ultimo citato agit; Hæc non subitò ingruit, neque initio adest omnium functionum destructio: Taliter affectos evadere ait si sanguis incalescat, sive ab his quæ offeruntur, sive ex sese: mori autem, si sanguis omnino refrigeretur ac concrescat: Secundò, cùm sanguinis ventilatio impeditur à nimia venarum plenitudine; hinc ejus corruptio, spirituum suffocatio, atque motus interceptio: Tertiò oritur, cum humores acres sanguini per venas delato admiscentur, à quibus ejus concretio & στάσις accidit, non secus ac cum lac coaguli additione concrescit: Secunda species, quæ plethoram sequitur, hujus signa habet, ac subitò fit & ingruit. Apoplexiæ autem generationem ob circulationem sanguinis impeditam, sic tradit Clariss. Rolfinkius Dissert. Anat. lib. 6. cap. 59. *Sanguis arteriosus per carotides & cervicales, in crassa meninge, mirabiles constituentes rete arterias, & ex eo in alterum basis cerebri rete, & mirabilem choroidem plexum, itemque minores meningum propagines & medullæ delatus poros, si non rectè descendat, & per sinus crassæ meningis circuletur, & ceu per inflexum victoris tubum, descendat in venas jugulares & cervicales, arteriæ, reliquique ὀχετοὶ, ductus nimium impleta distenduntur: cerebri particulas, quas permeant, comprimunt, Spirituum vitalium, arteriosique sanguinis commeatus intercipitur: Τῶν ἐνορμώντων ψυχικῶν γένεσις καὶ εἰς τὰ κάτω τῆς κεφαλῆς ἐπίῤῥυσις, animalium spirituum generatio, & ad inferna, per nervorum principium, seu spinalem medullam effluxus impeditur, sicque ὅλου τοῦ σώματος, καὶ τῆς αἰσθήσεώς τε καὶ γνώμης καὶ κινήσιος παράλυσις, ut apoplexiam indigitat Aretæus l. de caus. & signis diut. c. 7. totius corporis sensus, & mentis, & motionis resolutio oritur. In ascensu impeditur hæc circulatio in cerebro, si carotides vel in mirabili, vel ex eo emergentes reti, utrobique exiles admodum, obstruantur una vel utraque, de superventu apopl. non dubitamus, quantumvis liberæ sint cervicales: Non sufficiunt hæ spiritibus debito modo surrogandis vitalibus, ex quibus conficiantur animales: Horum à defectu subsidet cerebrum, καὶ ἐπίῤῥυσις τῶν ἐνορμώντων ψυχικῶν; spirituum animalium impeditur influxus. In descensu sanguinis circulatio impedita apoplexiam excitare potest si Torcular obstruatur, & deorsum labenti sanguini obex objiciatur: Tum turbarum plena fiunt omnia, & sanguis ex sinubus retro præcipitatur in tenuis & crassæ meningis arteriolas: principes turbantur actiones, & animalis spiritus in organa sensus & motus non influit.*

Syncope affectum dixissem] Apoplexiæ cognati affectus sunt, 1. Lethargus, à quo distinguitur, quod hoc affecti exitari possunt & in somnum recidunt, adest febris; Apoplectici non excitantur, excitati paralysin incurrunt sine febre. 2. Carus, in quo respiratio est integra, sensim invadit; eo affecti puncti sentiunt: in apoplexia secus: 3. Suffocatio uteri, in qua faciei color mutatur & fit lividus, In apopl. non. 4. Syncope, in hac color faciei mutatur, dentes, os, manus, clauduntur: In apopl. laxa manent: in syncope respiratio nulla & pulsus nullus. 5. Catarrhus suffocativus, qui hominem sensu & motu integro jugulat.

Ventriculis detectis] Medicorum & veterum & neotericorum magna cohors Galeno adhæret, statuenti Apoplexiam obstructionem ventriculorum cerebri, à pituita crassa & viscida factam, sequi: Hanc opinionem invexit commentitius illorum usus, spiritus animalis esse ἐργαστήρια, atque illinc quaquaversum in nervos diffundi, qua συῤῥοῇ prohibita, sensu & motu destitutum animal protinus concidat. Hæc sententia à plurimis impugnata est, & à Clar. *Hofmanno* Instit. med. l. c. cap. 64. expugnata, qui excrementorum receptacula tantùm asserunt: Inter cætera argumenta quibus hoc officium destruitur, illud sufficiat; Quosdam apoplecticos factos salvis & sanis omnibus ventriculis; Et contra alios, ventriculis omnino repletis, ab apoplexia fuisse immunes, fidem faciunt Hydrocephalorum historiæ: *Wepferus.*

* *Ventriculis detectis reperis &c.*] Quæri potest, Quomodo in mea hypothesi fieri potuit tanta sanguinis profusio absque causa externa? Item, Quomodo potuerunt ventriculorum cerebri latera à sanguine in ipsorum cavitatem effuso disrumpi & lacerari? Respondeo ingentem illam profusionem sanguinis evidentissimè meam sententiam confirmare; Nec enim sanguis unquam vasa rupisset si aperta ipsi fuisset solita ab arteriis in venas via; non potuit autem ulla alia esse occlusionis causa quam obstructio, nec obstructionis quam coagulatio sanguinis; qui ab acidiore melancholia figi subito potest: Quod attinet ad laterum ventriculorum lacerationem, ea non est effectus distensionis ventriculorum à sanguine in ipsorum cavitatem effuso, sed effusionis sanguinis è vasis in mediam ipsam laterum ventriculorum substantiam, cujus fibras sanguis primò impetu parum ab invicem separavit, ac tandem uberius fluendo eas disrupit, & in ventriculorum cavitatem viam sibi fecit latiorem: Illam lacerationem factam fuisse modo à me exposito manifeste probatur ex historia sequenti (observat.) ubi notatur magnus abscessus in ipsa substantia cerebri factus prope ventriculos, à magna sanguinis profusione: Si quis modo à me superius exposito cerebri structuram, & fibrarum ipsius contextum exploret, perspiciet quam facilis sit fibrarum ab invicem separatio, si sanguis aut alius liquor cum quodam impetu inter illas illabatur: Illapsus autem ille nunquam continget quamdiu aperti erunt canales sanguinis, ut non facilius per arterias affluat ad cerebrum quam refluat in venas. *Bayle Tract. de Apopl. p. 99.*

Neque solum circa basin cerebri &c.) Ex dictis deducitur quare interdum in ventriculis cerebri

& circa cerebrum sanguis effundatur, ruptis vasis, in quibus præclusa est sanguinis via qua redire solet ad cor: Ex iisdem intelligitur quantum errent qui existimant sanguinem circa cerebri basim effusum, esse causam Apoplexiæ, cum potius apoplexia præcedat illam sanguinis effusionem, aut saltem utraque ab eadem causa dependeat; Ex iisdem adhuc deduci facile potest quare plerumque in cerebro apoplecticorum sanguinis suffusiones appareant, quia scil. magno cordis conatu protruditur sanguis per arterias ad cerebrum, nec potest remeare per venas, in cerebri substantiam exundat, si mediocris sit venarum obstructio; aut vasa rumpit, si magna sit eorum occlusio. *Bayle Tract. de Apopl. p. 96.*

Cruoris extravasati quantitatem.] Apoplexiæ originem plerique repetunt ab humore frigido, viscido & lento, dictos ventriculos repente & obstruente: Quæ opinio omnium assensum non meretur: A sanguine enim produci ipse Galen. Hippocratem sequutus 4. de vict. Acut. comm. 23. & 27. asserit, non per obstructionem ventriculorum, quorum nobilitas clusa, sed quâ sanguinis circulari motu prohibito, γένεσις vel ἀνάδοσις spirituum animalium impeditur.

Nec vel ruptam venam &c.). Sanguis intra cranium extra vasa effunditur, vel reseratis eorum osculis, vel frequentius ob rupturam: rarius iis erosis. Διαπήδησις vix videtur admittenda; tarditas enim & paucitas effluxus, ad generationem affectus, qui in momento erumpit, inidonea videtur: Ad anastomosin producendam hic eædem quæ alibi causæ concurrunt, sanguinis copia, tenuitas aut æstus, accedente æquali vasorum tenuitate: adde quod arteriæ in cerebro subtiliori tunicæ donentur: A suppressa familiari narium hæmorrhagia, redundantiæ sobole, Simon Clericus, apoplexia tactus subitò interiit, XII. horis ab obitu sanguine copiosè è naribus & ore manante: apud *Fabritium Hild. cent. 3. Observ. XI.* Idem narrat historiam mulieris Vesontinæ, cui natura sarcinam menstrualem per nares expellebat; qua vacatione desinente, invasit apoplexia; sanguine copiosè, pluribus post excessum horis, per os prodeunte: *Observ. XII. ibidem.* Vasorum ora promptè recludentur si sanguis intra vasa æstuet, concitatus ab animi aut corporis motu: Ab hac causa profectam apoplexiam in Reitero, suspicari inducit ejus temperamentum calidius & meraci usus, qui solidorum ciborum quantitatem superabat. Ruprionia suspicionem amovit absentia contusionis vestigiorum, etsi humi prostratus repertus sit. In defunctis ab Hildano notatis credibile est pessum præcessisse, judice Platero Pract. lib. 1. c. 2. quibus & viventibus & mortuis affatim sanguis ore & naribus erupit.

Nullam causam violentam) Apoplexia non semper ad quamlibet sanguinis intra cranium effusionem sequitur, quandoquidem extant exempla ejus non solùm intra cranium & duram matrem, sed & intra hanc & tenuem, quin & ipsam cerebri substantiam, imo fortè & ventriculos anteriores delati innoxiè, qui postmodum per os, nares & aures effluxerit, vel per trepanum parato exitu, vel dissipatus idoneorum topicorum admonitione, quod minutiora tantum vasa læsa fuerint: sed inter rara hæc reponenda: Sic memini anno 1659. Friburgensem quendam, Epilepsiæ obnoxium, ebrium, præcipitem in caput è scala cecidisse, hinc sensu & motu privatum; sanguine autem per os, nares & aures affatim erumpente, non solum loquelam recuperasse, sed & sensum & motum, adeo, ut postridie, soluta crapula, insalutato hospite è domo evaserit, accymba vectus lacum Neocomensem trajecerit.

OBSERVATIO XXI.

Apoplexia à sanguine in ventriculos cerebri illabente, ibique concreto. Plexu choroeideo quasi contuso.

Matrona 73. ætatis anno subitò extinguitur: Reperti in cerebri ventriculis tres grumi sanguinis, amygdali mole: *Vide historiam Tit. de morte subita. lib. 2.*

G. *Hofmannus* in Animadvers. *Comitis Montani* & *Erasti* de morbis c. 14. par. 73. inquit, *Quis ventriculos sanguine oppletos in apoplecticis vidit unquam*? & Institut. lib. 3. c. 92. in Aberrationibus p. 439. quærit qua via, & qua de causa, extra causam externam sanguis à superioribus ad inferiora descendat? Verùm considerato sanguinis motu, vasorum natura, & partium intra cerebrum conformatione id non adeo difficulter fieri posse putat *Wepferus* p. 228. eo quod sanguis, intra arterias imprimis, celerrime ac, dum vivit homo, continuo movetur, nisi obstructio remoram pariat, adeo ut aperto vase brevi tempore magna sanguinis copia erumpat, quod sæpe hæmorrhagiæ enormes testantur; qui si intra ventriculos effundetur, per hiatus ambos lateralium ventriculorum, ubi prope basin adaperti sunt, absque ullo impedimento descendere potest; imò accedente novo sanguinis appulsu, intra spatium quod utramque meningem intercedit, sursum non illubenter scandet, eadem sanguinis ratio est qui ex superno vase aperto effluit, nam hic vel citra pulsum, solo pondere, deorsum ruere intra spatium meningum valeret.

OBSERVATIO XXII.

Apoplexia à sanguine supra & infra membranas cerebri effuso.

Iuvenis ictus in pectore concidit repente attonitus in terram, spuma ex ore manante &c. Causa fuit partim evidens calvariæ rima, partim sanguis effusus ubertim supra & infra cerebri membranas: Pulmo habebat plurimas lividas maculas. *Vide Lib. 2. Tit. de Suffocatione.*

OBSERVATIO XXIII.

§. *Apoplexia à vasis cerebri & meningum sanguine turgidis, Aqua limpida totam compagem inundante.*

Domina Illust. per multos annos affectibus spasmodicis obnoxia, convalescentiæ spem quandam concepit. Interea tamen conquesta erat de capitis dolore & gravitate insigni: post in paroxysmum convulsivum valde horrendum incidit, qui statim in Apoplexiam cito lethalem transiit: Calvaria exempta, vasa meningas & cerebrum perreptantia, sanguine plena & distenta apparebant; cùm in reliquo corpore inter dissecandum vix quicquam sanguinis effluxerit: Meninge crassiore amota, per alteram tenuem & pellucidam, aqua limpida cerebri anfractus implens, ejusque quasi compagem totam inundans cernebatur &c. (*Vide Tit. de Convulsione.*)

OBSERVATIO XXIV.

Apoplexia, vulnus sequuta, ab humore ventriculos cerebri replente, & sanguine putrente circa os cuneiforme fractum.

Septuagenarius delapsus ex altiore loco contraxit in calvaria amplum vulnus: postridie rediit ad se, sed die 4. excreatis prius sputis purulentis, periit ab inopinata Apoplexia: Interiora capitis perscrutantibus, obtulit se primò frequens humor replens ventriculos cerebri: mox ingens ossis cuneiformis fragmentum, à reliquo osse sejugatum, supra quascunque partes circumpositas: in quarum remotiori recessu plurimum delitescebat sanguinis coagulati: Sed morbus attonitus traxit originem partim ex obstructis processibus spinalis medullæ (qui sunt verùm nervorum principium) partim ex angustia retis mirabilis, quod constat ex intricato venarum jugularium, arteriarum carotidum & cervicalium concursu: Quibus nobilissimis partibus impeditis, homo sensu, motu & vita privatur: juxta illud Celsi. S. 26. Servari non potest cui basis cerebri percussa est. *Tulpius lib.* 1. *cap.* 3.

OBSERVATIO XXV.

Apoplexia sequuta fracturam laminæ secundæ cranii, integra prima.

Nobiliss. ictus est in bregmate, alioqui casside armato: 6. die apoplecticus interiit: Fracta erat lamina secunda, testam ex se remittens, quibus tanquam aculeis cerebri substantia pungebatur, illæsa prima. *Vide lib.* 4. *titul. de Vulneribus.*

OBSERVATIO XXVI.

Apoplexia & paralysis post vulnus capitis, à cruoris copia intra cranium effusa.

Quidam venabulo supra tempus sinistrum ictus, brachio dextro resolvitur: nam in illa capitis parte, non in sinistra, venæ disruptæ multum cruoris effuderunt, unde sine sensu, mente, voce, in tertiam diem supervixit. *Vide ibidem.*

OBSERVATIO XXVII.

§. *Apoplexia à sanguine seroso intra spatia meningum concluso; Lethum promovente sanguinis in thoracem insigni effusione.*

Illustr. Dominus Rudolphus Hannibal, Comes de Reitnavv, annor. 39. habitu corporis obæso & statura mediocri præditus, à multis annis melancholicus, facie atrorubescente, taciturnus, φιλέχολος, literis addictus, ac in legendis historiis plurimum occupatus, anno 1671, 16. Jan. mane è lecto surrecturus anxietatem quandam percepit, quam vomitus sequutus est: eodem die parum comedit, potulenta rursus evomuit, noctem habuit inquietam, parum dormivit, noctu incaluit: Hodie pilulas sibi familiares sumpsit ante prandium, inde bis vomuit, quater dejecit, die 17. Jan. vomitus cessavit, parùm comedit nec multum bibit: manus & facies per totum diem erant pallidæ & frigidæ, noctu melius dormivit: Die 18. Jan. nonnisi de anxietate præcordiorum conquestus est, parum comedit, bibit vinum cum decocto Rhabarbari & macis alteratum: circa vesperam rursus pejus habuit, cœnavit parum, variè faciem assidentes immutatam observarunt, noctem habuit quietam: die 19. Jan. Illustr. D. planè restitutum putabant: in prandio melius quam hactenus comedit: à mensa hora prima pomeridiana surrexit, inque locum secretiorem secessit, ubi per horæ quadrantem commorabatur: famulus ibi humi jacentem invenit; domestici conscii facti omnes statim occurrunt, inque lectum deportant: Post bihorium adveniens ipsum for-

tissima Apoplexia jamdudum defunctum inveni: Apoplecticum verò fuisse conjeci, quia Aulici ajebant Illustriss. Dominum post casum adhuc respirasse, atque illi sacris provisum fuisse:

Die 20. Jan. cadaver conditurae causa aperui: In ventre infimo omnia se naturaliter habebant, praeterquam quod Lien valde corrugatus esset, variae incisurae & corpora duo cartilaginosa in superficie appareterent. Inter secandum Chirurgus diaphragma laesit, unde ex Thorace magna sanguinis quantitas, dimidiam circiter libram ponderans, defluebat: Thorace aperto nec cor, nec pulmones, ob maximam sanguinis grumosi copiam, primò in conspectum veniebant; pendebat libram cum dimidia ferè: In pericardio & cordis ventriculis nullum plane sanguinem deprehendere potui: Pulmones nullum vitium contraxerant; Redempta calvaria in capite, extra ventriculos cerebri sanguinem quoque, sed magis serosum deprehendi, dimidiae plus minus librae pondere: Cerebro dissecto omnia diligenter examinavi, nec quicquam tamen vitiosi animadvertere potui. *Observatio D. D. Emanuelis Hurteri, Medici Schaphusiani.*

AFfectum quo Illustr. Comes humi pronus jacuit, Apoplexiam cum Clar. D. D. Hurtero potius quam Syncopen appello; quia omnibus sensibus & motu voluntario abolitis, adhuc respiravit; atque alia vitae superstitis indicia praebuit, unde quoque ipsi Sacris provisum fuit: Apoplexiae causa primaria non fuit sanguis copiosè sub sterno coacervatus, cùm illa post adhuc largiorem haemorrhagiam non contigerit; frequenter enim experimur per vomitum, secessum, in haemoptoe, narium haemorrhagia, uterum, per vias urinarias, ex vulneribus majorem non rarò sanguinis viam citra apoplexiam profundi, & licet saepius talibus leipothymiae superveniat, restauratis tamen viribus nihil apoplectici supervenire: Senatori cuidam vegeto, in vicino nobis oppido à Barbitonsore ex vena in brachio secta, ultra quinque libras sanguinis emittebantur, qui primum cum illo de sostro licitus est, & ne frustra persolveret largiorem sanguinis effusionem praecepit, nulla quidem apoplexia sequebatur, verùm in dyspnoeam, & paulò post in hydropem immedicabilem incidit, potius praecipua culpa sanguini seroso ad libram dimidiam intra spatium meningum reperto deferenda videtur, qui cerebrum premendo; & spirituum animalium fomite defraudando Apoplexiam produxit; quamvis non negem hanc dimidiam sanguinis libram potentius in cerebrum vim suam exseruisse, quod antè ipsius effusionem intra hoc spatium cerebrum, jam à praegressa haemorrhagia in pectore, debilitatum, & tanto ponderi impar fuerit, nam magna sanguinis penuria illud laborasse credibile est, quia nullum in cordis ventriculis sectione invenerunt; Quando verò intra cranium sanguis exstillarit; incertum est; nullo verò modo demum post obitum effusum credere possum: nisi enim hunc cruorem apoplexiae causam reputemus, nulli alii adscribere poterimus, cùm caetera in cerebro omnia sana reperta fuerint: Vita verò citiùs abrupta fuit, quia insuper cor & pulmones à sanguine sub sterno gravabantur.

Noctu incaluit &c.) Invasio morbi Febrili insultui non multum absimilis fuit, nam post coenam sanus lectum petiit, mane surrecturus anxietate & vomitu correptus fuit, cum appetitus dejectione, nocte frequenter aestuavit: persistit anxietas cum inappetentia ad tertium diem, noctes fuerunt inquietae, & die tertio à vino laedebatur: Si maturius vocati fuissemus, fortè certiora febris signa ex pulsu, urina, attactu, lassitudine spontanea deprehendissemus.

Anxietatem quandam percepit] Causam anxietatis existimo sanguinem sub sterno copiosè effusum & collectum: De istius autem anxietatis causis vide plura *capite proprio lib.* 4.

Illustr. Dominum planè restitutum putabant) Nox quidem fatalem diem praecedens quietior fuit, noctuque dormivit, quia cerebrum ob haemorrhagiam istam perfrigeratum fuit, unde etiam somno aliquantulum Illustr. Comes refocillatus in principio dixi quarti melius habere, & extra periculi aleam constitutus adstantibus videbatur, quamvis anguis in herba lateret.

Ex Thorace magna sanguinis quantitas &c.) Sanguis statim in principio invasionis huc effusus, nec demum appropinquante morte, aut post obitum hic collectus fuit, statim enim apparebant insignis haemorrhagiae effectus, & spatium sub sterno amplius erat quàm ut à moribundo corde sanguis huc pelli mediastinum extravasatus à sterno avellere, multo minus omni motu cessante solo pondere sinum aut cavitatem aliquam efformare potuisset: Ex vasis autem enormiter sanguis extrudebatur, ob copiam & tenuitatem seu fluxibilitatem; nam plethoricus erat, ut ex habitu corporis obeso & facie prae sanguinis copia atrorubescente patuit, Cumulavit sanguinem ob victum lautiorem & vitam desidem, caeteris omnibus sanis & validis quae ad sanguificationem requiruntur: unde verò sanguis fluxibilior, & fortè etiam acrior evaserit dubitatur? Lienem causabantur adstantes, verùm utcunque Ill. Comes melancholicus, vel potius paucorum verborum & meditabundus fuerit, & Lienem valde corrugatum variis incisuris, & duobus corporis cartilaginosis superficie renum in cadavere praeditum conspexerint, nihilominus lienem sanguinis acrioris & fluidioris authorem neutiquam dixerim, nam neque sanguificat, neque sanguinem qualitate aliqua peculiari ad vitam vegetantem necessaria imbuit, cùm plurimorum experimento constet illo dextre inciso animalia satis commodè supervivere: ad illum proximè per arteriam splenicam affluit sanguis, laudatissimus, omnibus numeris absolutissimus, & non minus perfectus quàm cerebro aliivè parti nobili cor impertitur, nullaque mora ad immutationem necessaria conceditur: & si vel decem guttulae in quolibet appulsu restitarent, non mensium, non septimanarum, sed paucorum dierum spatio in molem vastissimam excresceret, quoniam praeter venam splenicam arteriae proportioni ritè respondentem, nullum in eo, ut in glandulis conglomeraris, vas excretorium reperitur: in ventriculum per vas Breve, aut per ductum Pancreati-

cum, se exonerare antiquata & pridem ab oculatissimis Anatomicis explosa opinio est: Per nervos ad cerebrum aliquid inde deferri nondum sufficienter probatum est, mihique magis magisque omni verisimilitudine carere videtur, postquam aliquot nervorum extremitates, vel in membranas expandi, vel cum musculorum & membranarum fibris, seu staminibus intime sociari atque uniri vidi: Vasa lymphatica ipsi non detraho, verùm hæc communia habet cum ventriculo, intestinis, hepate, utero aliisque partibus membranis obvolutis, quæ hanc ob causam sanguinem peculiariter neutiquam alterare creduntur: Quamvis lien autem singulare parenchyma, scil. ex fibris mirè inter se contextis obtineat, quod non contemnendos usus actionemque aliquam pollicetur, quam tamen definire non ausim, cùm alibi corpuscula fungosa, ex similibus fibris contexta in corpore humano repererim, quæ ad sanguinis neque confectionem, neque depurationem, neque immutationem vel minimum momentum afferunt, adeo ut hactenus *Lienem* nonnisi *Sanguinis* aliquod *diverticulum* putarim, ne scil. pleno impetu ad hepar rueret, quod non sine instituto naturæ factum arbitror, quæ viscus hoc multis arteriis consultò dotare voluit: Quæ de sanguinis spatiola inter fibrillas implentis, & per venam splenicam ad hepar fluentis diversitate in colore, sapore & consistentia referuntur, si præjudicium absit, forte tanta non erunt ut non facile reliquarum venarum simillimus reputari possit: certe à multis acor ille in lienibus brutorum esculentis vix ab Apicio hactenus degustatus fuit: & in vivis animalibus ex splenica emissus, à venæ cavæ sanguine vix notabili aliquo discrimine distinguitur: Aliquot Liene magno præditos novi, & non perfunctoriè tractavi, apud quos nunquam effectus illos qui acido humori redundanti tribuuntur, expertus fui. Apud Illustr. Comitem sanguinis fluidioris & acrioris, oscula vasorum vel sua sponte, vel prægressa quædam non memorata violentia reserantis, causa felicius alibi quæretur, nimirum ad chyli confectionem, eque & sanguinis per minutissima vasorum capillamenta distributionem, liquor necessariò non exigua quantitate requiritur: unde non minus potulenta quàm esculenta appetuntur: Si potulentum suo munere defunctum, aut redundans per vias consuetas, & à natura destinatas, scilicet renes, habitum corporis seu glandulas conglomeratas cuti substratas, quarum notitiam Excell. D. Stenonio debemus, aliasque rite excernatur, sanguis legitimam consistentiam adipiscitur & retinet: si verò potulenta largius ingurgitentur, nec debita ratione excernantur, sanguis fluidior & aquosior evadit: simul acrimonia aliqua, si potulenta sale quodam acido impraegnata sint, aut si cibi sale & aromatibus nimium condiantur, aut in butyro aut oleo frigentur, aut alias sale aliquo abundent, quo nulla esculenta destituuntur, in coctionibus tum in ventriculo tum in massa sanguinea in apricum deducitur, prout manifeste apud hydropotas observatur, qui non minus urinam multo sale turgidam emingunt: quàm vini potores, & cuniculos solo soncho aut lactuca pastos acerrimam urinam excernere fœtor nates è longinquo feriens probat: Nec solùm modò massæ sanguineæ sal volatile, sed etiam fixum immisceri, calculi renum & vesicæ urinæ tartarum & arthriticorum tophi evincunt: Ill. Comes potulenta in massa sanguinea cumulavit, non propter excessus in potu, nam ipsum temperamenter à multis annis vixisse & audivi & vidi, verùm potius ob habitum corporis obæsum & vitam desidem, & neglectum exercitiorum à juventute consuetorum, quamobrem potulenta seu aquosiora, calore motus beneficio excitando non attenuata, nec ad excretionem faciliorem disposita fuerunt, nec liberius effluvium nacta, ductulis, à glandulis subcutaneis ad cutis, poros hiantibus à pinguedine compressis, in massa sanguinea perstiterunt: Fortè etiam alibi ob victum lautiorem & torporem, glandulæ plures à muco infarctæ, & ad secretionem lymphæ ineptiores redditæ fuerunt. Sanguinem simul acrimonia quadam imbutum fuisse nullus dubito, quia in uno pastu ferculis diversis & variè conditis fruebatur, bibitque vinum Tyrolense generosius: Cur autem sanguis potius sub sternum primò quam in alium locum profusus fuerit? dubium est, Forsan ob frequentem lectionem inclinato pectore, effecit ut vas aliquot sanguiferum sub sterno, varici aut aneurismati simile redditum à sanguine stagnante, vel ruptum vel aliter reseratum sit. *Iohannes Iacobus Wepferus Exercitatione de Apoplexia pag. 35. & seq. histor.* 10.

* *Thorace aperto &c.*] Ex dictis patet quare aliquando in apoplecticis thoracis cavitas reperta fuit sanguine plena, quia scilicet obstructis vasis capillaribus, aut ipso sinistro cordis ventriculo, sanguis magno impetu protrusus, quam non invenerat in suis canalibus, vi sibi fecerat viam ut è pulmonibus excederet, sicque totam thoracis cavitatem impleverat. *Bayle Tract. de Apopl. p.* 96.

Observatio XXVIII.

Apoplexia à repletis sero ventriculis, & sanguine obstruente processus spinalis medulla.

Septuagenarius ebrius, delapsus ex altiori loco, contraxit in calvaria tam amplum vulnus, ut commodè per ejus hiatum educeretur quicquid inhæreret extimæ cerebri membranæ: Invadentibus ipsum nihilominus illico vertigine, vomitu ac stupore; sive à residua crapula, sive à concusso cerebro, Sed postridie rediit ad se, expers febris & immunis omnium aliorum symptomatum: Verum die 4. excreatis prius sputis purulentis, periit præter omnem spem, ab inopinata apoplexia.

Cujus ergo interiora capitis penitius perscrutantibus, obtulit se primùm frequens humor replens ventriculos cerebri: Sed mox longissima rima excurrens continuata serie, per frontem oculique foramen usque ad sellam equinam; prope ossis cuneiformis medium: quo loci animadvertimus (quod jure in omnium oculis fuit rarissimum) ingens ossis cuneiformis fragmentum, ita sejugatum à reliquo osse, ut manifestè elevaretur supra quascunque partes circumpositas: In quarum remotiori recessu cùm delitesceret

plurimum sanguinis coagulati, verisimile est ex ejus putredine prodiisse, postremo vitæ die quod excreavit pus: Sed morbus Attonitus, qui ipsum occidit, traxit originem partim ex obstructis processibus spinalis medullæ. (qui sunt verum nervorum principium) partim verò ex angustia *retis mirabilis*, quod constat ex intricato venarum jugularium, arteriarum carotidum ac cervicalium concursu: Quibus nobilissimis partibus impeditis privatur homo, non modo sensu ac motu, sed ipsa vita, juxta illud Celsi lib. 5. cap. 26. Servari non potest cui basis cerebri percussa est. *Nicolaus Tulpius Observat. lib 1. cap. 3.*

* *Epinagenarius ebrius*) Pr. *Martianus* comm. in lib. 4. de di. Acut. tres præcipuas facit Apoplexiæ species, quarum potissimum differentiæ sint à Medico considerandæ, quia quælibet specialem postulat curandi rationem, Alia enim conveniens cum sola melancholia hunc morbum producit, alia cum plethora sua simul profert symptomata, alia cum suas auxiliatrices copias melancholiæ commodat pituita: Dicet autem aliquis eam Apopl. quam inducit *Ebrietas* ad nullam illarum specierum reduci posse, ac proinde quartam speciem constituere? Respondeo hanc Apoplexiæ speciem à reliquis nec essentia distingui, nec ratione causæ proximæ, sed tantum ratione causæ externæ & remotæ, ac proinde referendam esse, vel ad Apopl. exquisitam, quam sola melancholia efficit; vel ad eam quam ex parte infert aut concitat plethora. Etenim vinum uberius sumptum præternaturalem effervescentiam in sanguine, excitando, humorum acrium fluxiones efficit, de quibus locis citatis loquitur Hippocr. qui humores acres non alii sunt à melancholia: vel uberiorem sanguinis materiam suppeditando plethoram inducit. *Bayle Tract. de Apopl. p. 75.*

Plurimum sanguinis coagulati) Quæ dicta sunt [vide Scholia ad §. 2. Observ. 31.] ad refellendam eam quæ fit à sero aut pituita compressionem, demonstrant impossibilem esse compressionem quæ à sanguine extra vasa effuso fieri vulgo creditur: Nec dicat aliquis validiorem eam esse quæ fit à sanguine compressionem, saltem postquam concrevit; quia coagulatione durior factus sanguis in corpora mollia adigi facilius potest, eaque in parte aliqua premere, aut etiam dissolvere: Ad hæc enim respondeo sanguinem, cum è vasis erumpit, fluidum esse, suaque fluiditate in spatia in cerebro aut circa cerebrum vacua diffundi, ac proinde cerebrum ab eo æqualiter comprimi, & sine noxa, ut demonstratum est, aut nullatenus comprimi: postquam vero sanguis concrevit, non magis quam antea cerebrum comprimit, imò minus, quia minus quam antea spatium occupat. *Bayle p. 54. Tract. de Apopl.*

Observatio XXIX.

§. *Apoplexia, diuturnum capitis dolorem sequuta, à sanguine circa cerebri basim effuso.*

Uxor D. D. N. (vide Observat. 1. sect. 1. lib. 1.) capitis dolori à pluribus annis obnoxia, tandem eo ingravescente Apoplexia gravi corripitur, quæ intra paucas horas lethalis fuit. Ablato defunctæ cranio, venæ duram matrem irrigantes dilatatæ ultra modum, nigræ & varicosæ repertæ sunt, sanguine distentæ, cujus portio in cerebri substantiam basimque decubuit.

Observatio XXX.

§. *Apoplexia meningum phlegmonen suppuratam sequuta, post gravem cephalalgiam.*

Quidam post diuturnam Hemicraniam in apoplexiam incidit: capite aperto phlegmon juxta locum dolentem in meningibus accreverat: hinc sanies decidens substantiam cerebri livore & putredine affecerat. *Vide Tit. de Dolore capitis.*

Observatio XXXI.

§. 1. *Apoplexia à viscido humore, cerebrum opplente genita.*

Dissecui non semel qui ob fortem Apoplexiam obierunt, in quorum cerebro magnam aquæ copiam reperi, perspicuam quidem sed glutinosam. *Realdus Columbus Anat. l. 15.*

Antiquitas humorem crassum frigidum assignavit, obstruentem cerebri ventriculos & meatus, atque adeo spirituum animalium influxum in nervos prohibentem: Quam sententiam ego non æquè ac multi hodie faciunt, sine discrimine explodendam esse censeo. Nam posita sanguinis in cerebro circulatione, quid facilius quàm in cerebro, & cavitatibus illius, succum crassum si bfrigidum cumulari? In cerebro, inquam, ubi videtur sanguinis ab arteriis in venas non adeo prompta transumptio? Ubi extrema vasorum minutissima; major arteriarum quàm venarum copia; ipsum parenchyma partis respectivè frigidum, ne dicam pituitosum sit: Mortale peccatum est in cerebro si motus ille sanguinis retardetur, retardatur autem facillimè in vastis corporibus, ac præcipuè in quibus calor debilis est, parenchymata viscerum effœta, impulsus languidus, instrumenta annosa, sanguis viscidus & ad circulationem lentus: Atque hinc porro est quod in venas (vel etiam in vasa lymphatica si quæ sunt) recipi minus aptus, viscosus latex, & respectivè frigidus cruor, in cavitatibus cerebri, in finibus duræ meningis levi negotio subsistat, vasa, meatus, ventriculos, & basin seu nervorum principium successivè repleat, ductus coarctet, atque ipsum denique cerebri motum, pro causarum magnitudine, impediat sistatque. Confirmantur

ista experientia & autopsia: nam humida & austrina tempestate, capita pituitosis humoribus repleri, & plurimos apoplecticos fieri observamus sæpissime, & rectè annotavit *Forestus* lib. 10. Observ. 70. Porrò probabile est antiquos, dum unam solùm Apoplexiæ causam, nempe ventriculorum obstructionem proponunt, ad eam saltem Apoplexiam, quæ sine causis evidentibus ac violentis, à sola causa interna accidit & senibus familiaris est, respexisse, ut rectè *Sennertus* lib. 2. Instit. part. 3. sect. 2. cap. 6. notavit. *Franciscus Ignatius Thiermairius cons. lib. 2. cap. 2.*

§. 2. Cur stante tanta aquæ copia in Hydrocephalo, cerebri ventres replente, apoplexia non invadit? Causam quis posset assignare quod aqua tantum cavitates cerebri oppleat, non autem parietes & substantiam ipsius, quod in apoplexia requiri docuimus: Dic potius quod aqua illa tenuis est, & non crassa & glutinosa, ita ut transitum spirituum animalium in iis admittat, Eam enim aquam, seu potius humorem aquosum qui in apoplecticis, quorum capita secuimus, inventus est, glutinosum fuisse observavimus. *Marc. Donatus histor. mirab. lib. 2. cap. 6.*

* *Cur stante tanta aquæ copia in Hydrocephalo &c.*) Hercules Saxonia Pract. Med. p. 1. c. 12. opinatur apoplexiam puellæ Augustanæ (de qua obs. 6. sect. 16.) non obvenisse quod materia aquea fuerit, apoplexiam autem factura pituitosa, crassa, secundum Galeni effata, esse debeat; at si Galeni authoritate cum *Saxonia* agendum sit, objici poterit illum Apoplexiam credere ab humore confertim ventriculos implenre fieri, nulla obstructionis facta mentione, quod æque à sero ac ab alio quovis humore præstari potest, ut satis Vesalii historia docet, Deinde, summe dubium est adhuc num ventriculi cerebri unquam humore frigido crasso confertim impleri possint? vel an unquam eo repleti visi fuerint? unde enim tanta copia & ἀθρόως irrueret? imo adhuc ambigitur pituitam viscidam, qualis sæpe vel emungitur, vel exspuitur, intra cerebrum colligi, cum adnotante Carpo, excrementa intra cerebrum sint aquea, atque hac consistentia frequenter in cerebri sectione reperiantur, ac lentorem & visciditatem suam extra cerebrum elapsa demum acquirant: nam si tam viscida ac lenta essent, nec per infundibulum nec per *Riolani* canales, ad palatum & canales expurgari possent: Denique fallitur *Saxonia* serosos humores non posse sive foramina, sive poros, spiritibus animalibus (si qua omnino in ventriculis vel generarentur vel colligerentur] transitum largientibus obstruere, cum enim omnino exigui sint, ac propterea oculorum aciem effugientes, quis non cogitabit illos æque ab aqua quam ab alio humore obturatum iri? Imò viæ pertinacius occludentur, quoniam humores aliquo usque se hisce meatibus insinuare possunt, cum viscidi ac lenti in superficie persistant.

Cur stante tanta aquæ copia in Hydrocephalo?] Accuratè compressionis nervorum examen instituendum, inquirendumque utrum ea possit Apoplexiam inducere? Certe quæ de hydrocephalis dicta sunt contrarium manifesto evincere videntur, cum tanta seri quantitas in ventriculorum cerebri cavitatibus collecta fuerit, ut sensim cerebrum comprimendo illud ad membranæ exilitatem redegerit; atque ipsis etiam ossibus cranii emollitis, aut eorum compage soluta, totum caput in molem ingentem dilataverit, quod arguit quanta fuerit compressionis vis, quin tamen ullum apoplecticum symptoma intulerit: Dicet aliquis memoratam seri collectionem contigisse in prima ætate, cum ossa cranii adhuc tenera, impellenti præ quantitate sero, obsequuntur facile, eoque facilius quo suturarum cohæsione nondum valde firma ossa levi de causa ab invicem facile divelluntur, quibus fit ut cerebrum nullam in infantibus à sero intra cranium collecto patiatur compressionis violentiam; sed hi non advertunt ut in infantibus ossa teneriora sunt, ita cerebrum esse mollius, atque proinde dispositum ut à levi causa compressione alteratur, dissolvatur aut laceretur; in adultioribus vero cerebrum, ut potè firmius & durius, validioribus agentibus resistere: Demonstrandum itaque est ab humoribus intra cranium effusis cerebrum non posse ita comprimi ut cursus spirituum animalium intercipiatur: Etenim supponatur humor vel in ventriculis cerebri contentus, vel circa cerebrum effusus, ea quantitate quam potest capere rum ventriculorum cavitas, tum quodcunque spatium in cranii cavitate vacuum, novus adhuc humor continuo impellatur, qua vi potest impelli, per arterias motu cordis; his positis, quid fiet? proculdubio cerebrum undique æqualiter pressum illæsam suam servabit figuram: ut enim vi compressionis cerebrum contereretur, deberent partes loco quem occupant pelli, sed quo abibunt? cum fiat undique pressio, cum nullus detur locus ad quem partium pressarum aliquæ secedere possint, necesse est ut omnes in pristino statu perseverent, nec possint inde dimoveri: hinc fit ut urinatores, quamvis ingenti aquæ incumbentis pondere premantur, quia æqualiter undique premuntur, nullam partium patiantur divulsionem, nullum sentiant dolorem, ne premi quidem se percipiant: Si quacunque causa humor in solis ventriculis contineatur, nec possit per rimas, satis latas ad cerebri exteriora diffundi, expander procul dubio cerebrum, donec ipsum inter & cranium spatium nullum relinquatur vacuum; quod ut fiat non opus est magna cerebri dilatatione, si cerebrum molem debitam, & ossa cranii naturalem habeant consistentiam: Cum cerebrum in ambitu firmiore cranio fulciatur, non magis patietur ab humore in ventriculi contento, quam si is esset etiam per totum ambitum circumfusus, ut urinator nihil patitur incommodi ab aquarum pressione, seu ea undique involvatur, seu in parte aliqua corporis, quæ terræ innititur, ab aqua non prematur, quia qua parte terræ innititur, in ea æque ac in aliis premitur: Si quacunque arte pars aliqua à pressione liberaretur, in eam magno impetu humores detruderentur, unde consequeretur partis insignis tensio, dolor, aut etiam particularum divulsio, si in reliquo corpore esset valida compressio, ut contingit in applicatione cucurbitolarum, prout pars cucurbitulis subjecta magis aut minus ab aëris pressione liberatur: Ex his patet, quod supra asserui, majus periculum impendere à compressione, sero intra ventriculos contento, cum cranium mollius nullum aut parvum exhibet cerebro fulsimen;

cimentum, tunc enim metuenda est partium ab invicem divulsio & laceratio, quæ cum in memoratis ægris [Observat.] non contigerit, multo minus metuenda est in iis quibus cranium solidius est & firmius: Ex urinatoribus manifestum fit corpus aliquod nihil pati detrimenti à quacunque pressione, dummodo ea æqualis sit in toto ambitu: Sed adhuc à pressione satis magna, etiamsi in toto non fiat ambitu, modo multæ partes æqualiter à corporibus undique prementibus fulciantur, nihil detrimenti contingere corporibus non admodum firmis paret ex magnis uvarum acervis, inter quas quæ ultimum locum occupant, licet superiorum pondus sustineant, manent integræ, nec ullatenus conteruntur, quia singulæ à circumstantibus uvis fulciuntur variis in locis, quæ tamen statim disrumperentur si in duabus partibus è diametro oppositis æqualis pressionis vis adhiberetur: Dicet aliquis, cum medulla spinalis non impleat illam in qua continetur; cavitatem, cum nervorum è dura matre involucrum sit laxius, in ea spatia propelli posse mollem cerebri substantiam, si ab insigni seri copia vehementius urgeatur? Respondeo 1. piam meningem arcte adeo complecti, & fulcire totum cerebrum, medullam spinalem & minores nervos, ut minimè metuendum sit quod objicitur periculum. 2. Si exigua sit seri copia, esse debilem quæ fit ab illo compressionem: Si vero serum sit copiosius, atque adeo valide quaquaversus nitatur, facilius ipsum in medullæ fistulam defluet per vias satis patentes, quam cerebri substantiam eò propellet: præter ea quæ attuli urinatorum & uvarum exempla; alia passim occurrunt, quibus evincitur à pressione, cum æqualiter fit, in universam corporis alicujus superficiem, non tantum inferri vim quantam vulgo creditur: circa cerebrum hallucinatio facile contingit ob summam illius molliriem qua docemur quàm parum firma sit partium insensilium, quibus constat, inter se cohæsio, ex qua vulgo inferunt singularum insensilium particularum parem esse mollitiem, cum tamen innumera sint corpora mollitie non vulgari prædita, quorum non solum elementa, sed etiam partes sensibiles consistentiæ sunt non mediocris, imò valide adeo sint inter se connexæ ut nonnisi magna vi adhibita discerpantur: facile discerpitur substantia cerebri, quia particulæ illius insensiles per exiguam suæ superficiei partem se contingunt, nec protensis hinc inde fibrillis multum implicantur: talem decet esse illius partis substantiam, per quam ad functiones & excellentiores, & magis necessarias obeundas, tenuissima spirituum substantia continuo percolatur: nec enim in nervis sunt spirituum ductus conspicui, sed is per spongiosam medullam, tanquam per filtrum, influunt in organa sensus & motus, quod ut facile fiat, insensibilibus particulis quædam inest soliditas, cujus vi compressioni quidem facile resistitur, non divulsioni, cohæsionis defectu, hinc fit ut à compressione etiam levi, si fiat in unica tantum parte, cerebrum dissolvatur. *Bayle Tract. de Apoplexia pag. 47. & seq.*

Observatio XXXII.

Apoplexia à pituitosis humoribus spinalis medullæ principium occupantibus.

Αὐτοψία post obitum, à pituitosis humoribus supra spinalis medullæ principium, ejusque caudices collectis, id subortum ferale symptoma bis docuit. *Rolfinkius Dissertat. Anatom. lib. 1. cap. 13.*

CAr. Piso lib. de colluvie serosa, tres Apoplexiæ species constituens, fortissimæ causam statuit mucosum humorem sive solum, sive potius sero immixtum, sed ea proportione ut ille hoc multum superet: Levem à sero solo, sive mucori permixto, sed in pauca admodum quantitate, aliàs in paralysin non desineret.

Observatio XXXIII.

§. *Apoplexia à pituita crassa & viscida quarti ventriculi foramen obstruente.*

CErtum est ac indubitatum, multis experientiis confirmatum, in Apoplexia obstrui ventriculos cerebri, sive in choana; sed potissimum *quarti ventriculi* foramen, quod apophysi scolicoide clauditur, à pituita crassa & viscida ibi hærente, quæ si non discutiatur & removeatur, vacuata per choanam, lethum infert. *Riolanus Encheirid. Anatom. & Patholog. lib. IV. cap. 2.*

QVarti ventriculi foramen) Ventriculum medullæ nobilem vocat Excell. *Thomas Bartholinus*, quem locum generationis & elaborationis animalium spirituum constituit; quod eo loco situs sit, ut undique circa se in omnes nervos spirirum animalem effundere possit, cùm cæteri ventriculi excrementorum sint tantum receptacula: Vide *Anatom. Reform. lib. 3. cap. 4.*

*Sed & hunc ventriculum è censu nobilitatis expungit Wepferus, pag 157. quia si hic cisterna nuncupandus sit, spiritus animales vel ex anterioribus ventriculis, vel ex ipsius cerebri & cerebelli substanria huc ablegandi erunt, nam aliunde proficisci nemo, ut existimo, credet: ventriculi nihil spirituosi suppeditare possunt, cum spiritibus animalibus in cavo ventriculorum nullus locus sit, ut abunde demonstratum: Cerebrum vero aut cerebellum spiritum in hujus ventriculi cavitatem effundere ex cruribus medullæ oblongatæ, ut pote quæ ejus latera formant, quis opinabitur? cum paulo post illis in eadem crura redeundum sit ut per nervos quoquoversum distribuantur: ut taceam ingressum & regressum tenuem meningem remorari: Proinde ventriculus iste spirituum animalium cisterna & promus condus esse non poterit: Ergo si hic ventriculus cæteris cerebri præstare debet, in eo spiritus generabantur, quod æque ac prius à veritate alienum videtur: Nihil dicam de opifice horum spirituum, quem difficulter quispiam in has oras, exulem à

cere-

cerebro & cerebello condemnabit: nihil de ejus ortu, quem ex accidenti casuque resultare quidam affirmant: nihil de excrementorum in eo collectione, quam ipsi cum reliquis ventriculis communem esse ajunt; nihil de impossibili ad omnes nervos distributione, cum æque ac alii ventriculi pia matre vestiatur, & vix ad nervos opticos & processus mammillares spiritus hic generati perventuri sint: sit ille purissimus, sit ad recipiendos spiritus capacissimus, sit denique eo in loco situs unde quoquoversum spiritus diffundi possint, solum ex hujus ventriculi patronis quæsietim, ex qua materia spiritus animalis hoc in loco producendos sit? cum nec millesima arteriarum, sive vertebralium, sive carotidum, ad hunc ventriculum pertingat; nec in æternum probabitur vel minimam ἀτομον spirituum vitalium in ejus cavitatem effundi: quem verò ob finem immenso numero arteriæ per cerebrum & cerebellum dispergentur? an nutritionis solum causa? frustra igitur tantæ molis opus creatum erit, atque eo animal citra actionum animaliom jacturam carere potoisset: Deinde credibilius est spiritus animales potius per canalem ad tertium redituros, ut pote manifeste apertum, quam insensiles poros crurum medullæ ingressuros, atque ad cerebrum & cerebellum, ut actionibus animalibus inserviant, abituros. Ad tertium autem ventriculum si spiritus perveniant, quid eos maneat supra dictum est, atque ita frustra spiritus in hoc ventriculo generabuntur: Qaidam pro asserenda hujus ventriculi nobilitate adducunt illud laniorum experimentum, quo coltro in cervice ad hunc ventriculum adacto jumenta protinus apoplectica concidere dicuntur, at id fit quia medulla & vertebrales arteriæ abscinduutur antequam ad hunc ventriculum perveniant.

A pituita crassa & viscida &c.) Subita insultus apoplectici invasio, & subita ejusdem solutio, quamvis per obstructionem, & obstructionum apertionem contingerent; non video quomodo eæ in pituitam crassam & viscidam referri possunt, cujus humoris necessario tardus est motus, cum ob crassitiem meatus exilissimos vix possit pervadere; cumque ob visciditatem vicinis corporibus glutinis instar adhærescat: Cum perpendo locum in quo pituitosa illa excrementa colliguntur, & vias per quas inde evacuantur, & quas in partes confluunt, vix adducor ut credam ea esse mera excrementa: hic enim ut in quibuscunque aliis partibus corporis, naturæ providentia vias parasset per quas extra corpus potuissent amandari, nec reliquisset ductus illos manifestos per quos in venas jugulares defluunt, ut iterum sanguini misceantur: Ex his mihi videtur non levi conjectura deduci posse humorem illum, qui in cerebri ventriculis colligitur, esse alicujus utilitatis, & magis naturam redolere seri concrescibilis sanguinis quam puræ putæque pituitæ: Huic conjecturæ favet; quod humor ille non solum in cerebri ventriculis, sed etiam circa cerebrum gelatinæ instar concretus reperitur, (*vide scholia ad observ. 47.*) verosimillimum est spiritus cum separantur à sanguine, seri concrescibilis secum aliquod deferre, cujus quod superfluum est secundæ filtrationi abjiciunt, & in ventriculos cerebri deponunt. *Franc. Bayle Tract. de Apoplex. cap. 4.*

Observatio XXXIV.

§. *Apoplexia à crasso & viscido humore ad retiformem contextum invento.*

Alterum qui citra causam externam apoplexia extinctus esset, dissecare visum est, in quo *crassus & viscosus humor* ad contextum retiformem inventus est, cerebri ventriculis nec oppletis aut obstructis: Hinc ergo ratiocinatus, consentaneum putavi iis *arteriis vel obstructis vel compressis, apoplexiam gigni*. Quod tum cerebrum nihil spiritus è corde per subjectas arterias recipiat, fitque necesse illius motum sensumque perire: *Quidam* hæc, opinor; animadvertens, *rectè dixit* fieri apoplexiam *interceptis viis quæ sunt cerebro cordique communes Fernelius. l.3. c.15. de abd. rerum causis.*

Crassus & viscosus humor) A Serô apoplexiam sæpissime induci supra demonstratum: An verò & alii humores qui ad cerebrum & cerebellum deferuntur apoplexiam parere possint? dispiciendum, Quicquid humorum intra medullam dictarum partium effunditur, per arterias illuc transportari ante dictum: Arteriis autem naturaliter nihil nisi sanguis includitur: præter naturam bilis & mucosus quidam humor confunditur, quibus vulgò melancholia additur. In sanguine si refrigescat, juxta Clar. Platerum, non secus ac in lacte, triplex substantia conspicitur, Butyrosa, tenuis, splendidè rutilans & superficiem vestiens; Caseosa, crassa & fibrosa, huic subjecta & ima petens; ac Serosa, ambabus circumflua; nunc pallidior nunc flavior, instarque urinæ, lacrymarum & sudoris salsa. Si calescat & moveatur sanguis, nullum in eo partium discrimen observatur, sibique undiquaque similis, ex vena vel arteria aperta effluens, conspicitur: sique ex recenti vulnere prosiliens, dum adhuc fervet, per linteum colatur, omnis minutissima foraminula, nullis, vel certè rarissimis fibrillis in linteo restitantibus, permeat, ut etiam in examine sanguinis leprosorum, qui valde adustus & crassus creditur, iterum observavi: Serosam sanguinis portionem à reliqua massa segregatam, meatus obstruere aliquando posse, hactenus ostendi: reliquæ autem duæ substantiæ, si in halitus subtilissimos vertantur, eosdem meatus ingrediuntur; sed tantum abest ut damnum inferant, ut potius summopere conducant, spirituum enim animalium materia sunt, & quò puriores & nitidiores, eò etiam præstantiores animales inde resultant: crassiores verò earum partes hos meatus, utpote minutissimos omnemque visum fugientes, subire nequeunt, unde etiam medullosa substantia marmoreo splendore splendet: Si qua autem p. n. ob vim illatam, nimium dilatatis meatibus irruant, illud quod à sanguine extravasato, & intra pores aliarum partium effuso fit, accidit nimirum inflammatio, gignitur, alius ab apoplexia morbus, aliisque stipatus symptomatibus & forte non tam universalis, omnemque cerebri & cerebelli ἀκροφύσιαν occupans, prout in apoplexia fieri necessum est: Quæ præter naturam sanguini admiscentur,

ut aliis partibus quas sanguis alluit, nocent; ita non minus cerebro ac cerebello obesse ac eorum actiones turbare & pessundare valent.

Supra dictum viscida ac mucosa sanguini confusa omnem aditum spirituum vitalium ad interiora medullosæ substantiæ intercipere posse: Per se quidem ac sola, intima, ob meatuum angustiam, penetrare nequeunt, at calefacta cum sanguine, & motu attenuata, seroque diluta, non rarò cum illa in profundiora medullæ irrumpunt, ac affectum graviorem atque curatu difficiliorem reddunt, utpote calori planè immorigera.

Bilis equidem omnino majorem in hepate proventum esse quàm hactenus credebatur, invento *Glissonii* innotuit; quotquot enim rami venæ portæ per hepar disperguntur, tot ramusculos ductuum biliferorum sibi accumbentes habent: Si itaque liberior bilis excretio per ductum & poros cholidocos impediatur, regurgitat illa in cavam, sanguini permiscetur, ac sero diluta minutissimos quoque meatus transit, ut Icterus comprobat, in quo urina crocea evadit, sudores non rarò flavedine tingentes lintea emergant, ac albuginea oculorum tunica, alias densissima flavescit: ac proinde nullum dubium interiora cerebri & cerebelli permeare, unde ictericis spontanea lassitudo, capitis dolor & vertigo quandoque obvenit, An verò unquam apoplexiam produxerit? credo id sine exemplo esse: si qua fortè eam fecerit, non solam præstitisse arbitror, sed cum sero mixtam, ac propterea fere eadem ejus ratio erit quæ apoplexiæ à sero meatus obstruente est.

A melancholia omnem apoplexiam ortum ducere contendit Cardanus: Femelius nullam ab ea produci autumat: Verùm cùm humorem illum melanch. qui hactenus à liene ex opate, aut venis masaraicis, per venam splenicam allici, ac ad peculiares nescio quos usus præparari credebatur, non ens censeam, apoplexiam à tali humore prætereo. *Wepferus pag. 273.*

Iis arteriis obstructis &c.) Supra dictum arteriarum vertebralium & carotidum ramos cerebro & cerebello, tum in basi maximè, tum intra anfractus, minutissimos & penè innumeros surculos impertire, qui se immergunt substantiæ eorum, ut & medullæ oblongatæ, Quæri itaque posset, annon & ipsi subitò obstrui possint, atque impedita communicatione spirituum vitalium cerebro ac cerebello, ea proportione quæ ad animalium spirituum generationem ac reparationem necessaria est, annon inquam hanc ob causam etiam apoplexia oboritora fit? Etsi prima fronte id creditu difficile sit, cùm arteriolarum numerus ingens existat, quæ à diversis ramis, diversis in locis sitis originem nanciscuntur. Verùm considerata sanguinis variis constitutione, ejusque motu æquali sine omni delectu; surculorum exiguitate, cerebri cerebellique nativa indole, vitiisque ipsi tum ab internis tum ab externis causis evenientibus, fortè etiam hæreditariis morbis concurrentibus, ac denique multiplicibus in victu erroribus, non adeo impossibile videtur quin surculi omnes simul & semel obstruantur; At iis obstructis necessariò apopl. consequetur, cùm cerebrum vel tantillo temporis iis carere nequeat, citra actionum animalium omnium abolitionem. Et quamvis per duram matrem liberius fluat sanguis, aut per majores ramos anfractus intercurrentes, nullum tamen commodum in cerebrum & cerebellum redundabit, cùm sanguis ille ad sinus properet, hinc per jugulares ad cor refluat, medullosa interim substantia spirituum communione quasi orbata existente: Sanguinem enim primùm quod attinet, nemo negabit illum pro temperamentorum, ætatis, sexus, victus, regionis, temporis anni varietate varium quoque esse, & non rarò V. S. emisso sanguine conspicitur: nam si seorsim asservetur ac frigefiat, sæpe tota ejus superficies viscido phlegmate operitur, quod citra digitorum conspurcationem non semel à reliquo sanguine, pelliculæ instar avulsi: si verò aquæ permisceatur, antequam illa tepescat, virgultis immissis idem phlegma, magna quantitate tenaciter adhærere vidi: qualem sanguinem frequenter in ichtyophagis, otiosis, obæsis, ac lautius victitantibus animadverto. Sanguis autem iste pariter per omnes arterias, citra omnem delectum propellitur, neque tenuiora sursum, crassiora deorsum ruunt; nulla namque sanguini intra arterias vel mora vel requies est, ob perpetuum cordis & arteriarum motum, sanguinis particulis semet, ut unda undam trudentibus, non secus ac in aquagiis videtur, aquæ rivulos, qua data porta per appositos canaliculos sibi undiquaque similes erumpere: Si itaque diu & sæpius in die [24 enim horarum spatio aliquoties sanguis circulatur] vasa hæc medullosam substantiam permeantia, talis sanguis, cui viscidæ plurimæ ac lentæ particulæ permixtæ sunt, transit, sensim quædam hujusmodi portiunculæ adhærescent, prout canalibus, per quos sæpius thermarum aqua rapidissimè fluit, tophi accrescunt. Licet igitur non statim arteriolæ hæ, vel pori per quos spiritus virales medullosæ substantiæ communicantur, à lentis his humoribus penitus obstruantur, attamen tè ad oppilationem paulatim disponentur, quæ tandem contingit si sanguinis vitium non emendetur, sed diutius perseveret, aut si externa causa accedat quæ sanguinis motum acceleret, ut majori copia irruat, aut ejus motum per vasa hæc remoretur: Atque obstructio eò facilius eveniet, quia vasa hæc exilia valde sunt & vix capillos æquantia, unde non pauci doctissimi viri cerebro illa denegare ausi fuerunt: ad quam producendam non parum quoque faciet si hæreditario quasi jure minutiora sint, unde fortè quædam Apoplexia hæreditaria est: Obstructionis quoque generationem non minus promovebit ipsa cerebri constitutio, quæ frigida est, nisi perpetuò à sanguine irroretur, & ponderosior, quæ non sufficienter refecta collabetur: ac vasa jam p.n. angustiora amplius coarctabit, atque ad pleniorem obstructionem disponet: Quid causæ externæ ad hunc affectum producendum valent historiæ docent, quarum incursu subito quidam apoplectici collapsi sunt: Eæ si in corpus viscido sanguine præditum, qui diu hæc capillamenta arteriarum alluit, incidant, facilè obstructionem aliquando producturas admodum verisimile est, idque plurimarum vel plerarumque & in momento quasi: harum enim vis est sanguinem vehementer concitare & fundere, atque ut copiosior ad cerebrum properet efficere, qui ad capillamenta delatus, cùm ob eorum exiguam & parem capacitatem transire nequeat, partim prægressum validius impinget, atque obstructionem pariet, [quæ haud difficulter suborietur, cùm pori illi qui in medullarem substantiam ex arteriolis patent, oppido exigui esse debeant, eos enim permeet necessum est subtilissima spirituum animalium materia, quæ ceu fulgur & ocyor aura, quoscunque nervos, ad quodlibet imperium voluntatis pervolare debet]

partim

partim subsistet, unde aliquomodo refrigerabitur, atque certior obstructior oboritur.

Obstructio verò hæc non una ratione animales actiones prosternit, sed pro ejus conditione nunc plures nunc pauciores, prout scil. paucæ vel multæ arteriolarum perfectius vel imbecillius obstruuntur. Hinc quidam tantùm loquela privantur, si in uno latere oppilentur, hemiplegia subsequetur: sin utrinque, vera apoplexia exoritur, curatu facilior vel pertinatior, prout imbecillior vel validior illa fuerit. Ipsa curandi ratio frequenter tales apoplexias, maximè illa à quibus ægri plenam valetudinem brevi recuperant, è tali obstructione nasci comprobat; quidam enim sua sponte, citra omnem remediorum usum, ob naturæ robur & obstructionis levitatem: alii cephalicorum usu, non pauci sanguinis effusione sanitati restituuntur. Quæ indicio sunt apoplexias tales, sive imperfectas sive imperfectiores, graviorum certè prænuntias, potius ab arteriolarum (earum maximè quæ in basi oblongatam medullam & rotundiorem subeunt) obstructione proficisci, quàm ab aliis quibusvis proximis causis. Quælibet enim cæterarum apoplexiarum ab aliis causis oriunda, vel planè incurabilis est, vel si medicabilis sit, longius tempus ad curationem postulat, vixque unquam tam diligenter & fide curatur, quin indelebilem labem vel in sensu aliquo, vel in motu post se relinquat. Sive enim ab obstructis carotidibus & vertebralibus, sive ab oppilato torculari à corporibus pituitosis, sive à sero intra medullosam substantiam effuso; sive ab eo extra illam in cavo cranii & ventriculorum fluctuante, sive à sanguine extra vasa profuso efficiatur, tum efficaciora remedia postulantur, tum longè diutius medicamentorum usus, dubio cum successu, continuandus erit. *Wepferus pag. 205. & seq.*

Vel compressis) Compressio arteriarum alterum morbi genus est, propter quod sanguinis aditus ad partes prohibetur. An verò in apoplexia generanda sola, citra alterius morbi concursum, locum habitura sit, valde dubito: quocumque enim mentem vertam, vix causam reperio quæ carotides & vertebrales, prope & post ingressum intra cranium, aut earum propagines omnes, vel maximam partem sola, exiguique temporis intervallo, ita comprimere & coarctare possit, ut omnium actionum animalium abolitio consequatur: Suspendium quidem aliquid apoplectici efficit, verùm non solùm carotides comprimendo, atque ingressum sanguinis prohibendo, sed & venarum jugularium coarctatione, refluxum ejus impediendo; unde sanguis intra cerebrum & cerebellum cumulatur, atque propterea Apopl. generabitur eo modo quo Galenus ob φλεγμονῶν διάθεσιν, & Salius de aff. omissis cap. 11. aut Hip. l. c. eam produci putarunt, nisi luxato jugulo etiam vertebrales arteriæ à vertebris premantur. Serum intra cranium, copiosissimum quoque, sive purum putum sit, sive pituita permixtum, vix arterias coarctabit, ut vel solæ hydrocephalorum historiæ docent. Atque in hydrope ascite observatur sanguinem per arterias, medias inter undas fluctuantes, diu sæpe eluctari & libere fluere. A sanguine extra vasa intra cranium effuso, atque in grumos concreto, licet arteriæ premi possint, non tamen ob compressionem potius quam aliam ob causam apoplexia gignitur. Verùm an non aliquando in illis, qui ob luxatas colli vertebras diu paralytici decubuerunt, quibusque ob eandem causam vertebrales arteriæ angustiores redditæ fuerunt, annon inquam carotidum quoque subita compressio supervenire possit, atque ita apoplexia gigni? Etsi hoc certò statuere non audeam, haud tamen adeo à verisimili abest quin aliquando hoc fieri possit: Experimur enim quotidie patisthmia, aliasque glandulas subitò intumescere à serosa defluxione, accedente ob dolorem tenuioris sanguinis affluxu, sæpéque ad insignem magnitudinem excrescere. Cùm itaque Paralytici ob exercitii defectum, plurimum seri cumulent intra ventriculos cerebri, istúdque sæpe situ acre evadat, si subitò per infundibulum ad glandulam pituitariam ruat, nec omne ad palarum expurgetur, non admodum absurdè dicetur glandulam tumidam valde, brevi tempore evasuram, atque ad latera ejus incedentes carotides compressuram, unde cerebro ac cerebello, tam vertebralium quàm carotidum virio, sanguinis influxu privatis, apoplexia suborietur, ac miserrimis hisce paralyticis aliquando subitum ærumnarum finem afferet: quamvis autem aliàs arteriarum intra cranium compressio sola apoplexiam non generet, symbolum tamen suum non tarò ad illius productionem confert. *Wepferus pag. 220.*

Cerebrum nihil Spiritus è corde, &c.] Omnium clarissimè capite plexi demonstrant quàm cerebrum indigum cordis perpetuâ & non interruptâ opesit; quamprimùm enim caput cervice recissum est, omnis sensus & motus animalis, etiam in capite perit, cùm tamen si cerebrum sibi sufficeret, nihilque à corde acciperet, ad minimum palpebræ & oculi sentire & se movere deberent, quod nemo animadvertit. Ex quibus patet cerebro continuum sanguinis influxum per arterias, tum ob alia, tum ad actiones animales peragendas, omnino summe necessarium esse, & si fortè eo defraudetur, statim ejus actiones omnes penitus cessare. *Idem pag. 183.*

Quidam rectè dixit, &c.) Quæ videtur fuisse sententia Hippocrat. lib. 2. de morbis, qui apoplexiæ essentiam statuit stationem sanguinis διὰ τὴν ἀπόληψιν τῶν φλεβῶν.

Interceptis viis quæ sunt cerebro cordique communes) Notandum τὴν ἀπόληψιν τῶν φλεβῶν, interceptionem venarum, de qua Hipp. lib. 2. de morb. eandem esse cum Galeni διαθέσει φλεγμονώδη cerebri, ut videre est l. de morb. caus. c. 3. & 4. de vict. acut. Certum autem est sanguinis circulatione, arteriarum cerebri distributione, ac sinuum vero usu ignoratis, nunquam illam probatum iri, nec Cl. Nymanni argumenta, quæ contra eam affert lib. de Apopl. cap. 22. superari posse. Verùm agnita S. C. notisque sinuum usu, arteriarum ac rivulorum ad sinus progressu, Si unquam Torcular obstructum fuit, vel oppilari potuerit [cujus occlusionem ut probaret dictus Nymmanus dictum Tractatum adornavit] haud difficulter intelligetur unde sanguinis tanta copia irruat, quæ vasa & tam repente oppleri possint, ut omnes meatus comprimere valeant, & cur senibus præ athletis & plethoricis obtingat: Si itaque vel torcular, vel laterales sinus, ibi ubi jugularibus venis uniuntur subitò à corporibus pituitosis [qualia æquè in venis ac arteriis reperiuntur] obturentur, quicquid sanguinis per arterias carotides & vertebrales, perpetuo ejus motu affluit, intra dictarum arteriarum propagines, per cerebrum, cerebellum, meningem tenuem & anfractus dispersas, ut & in rivis ab his profectis & ad sinus abeuntibus, stagnabit, brevi-

que summopere replebit ac distendet, unde medullosa substantia undiquaque arctissimè comprimetur, omnésque spirituum animalium meatus claudentur, subitóque apoplexia orietur: Et cùm senes ob calidi nativi ad interitum vergentis debilitatem, crudos humores imprimis cumulent, illi præ athletis tali apoplexiæ obnoxii erant, atque hac ratione explicatam Cl. Nymanni sententiam de torcularis obstructione explicandam arbitror. *Wepferus pag. 301.*

Observatio XXXV.

Apoplectici Caput, Pectoris regio, stomachus, pulmones, materia pituitosa referta erant.

Cellarius quidam in collegio Pazzmaniano, assumptis à circulatore floribus Antimonii, incidit in Apoplexiam, qua durante in validissimum ptyalismum incidit, ita ut per aures & os spumosi phlegmatis facile mensuras sex exspuerit.

Corpus defuncti apertum fuit, & pulmones, tota Pectoris regio, stomachus capútque materia ejusmodi plena fuere reperta.

Ex hoc colligere licet, quod sicuti Antimonium diaphoreticum optimè præparatum est Pulmonum singulare remedium, ita suo nondum sulphure arsenicali & mercurio, calcinationum & dilutionum vi, exutum, summum est venenum. *Paulus de Sorbait in Miscell. curiosis anni 1673. Observ. 270.*

* *Spumosi phlegmatis*) Thiermair. lib. 2. Consil. medic. cap. 2. pag. 24. Apoplexiæ causas efficientes enumeraturus, crassum humorem non sine discrimine explodendum demonstrat, *Posita sanguinis in cerebro circulatione, quid in cerebro & cavitatibus illius facilius quam succum crassum subfrigidum cumulari? in cerebro, inquam, ubi videtur sanguinis ab arteriis in venas non adeo prompta transsumptio? ubi extrema vasorum minutissima, major arteriarum quam venarum copia, ipsum partis parenchyma restectivè frigidum, ne dicam pituitosum, sit?*

Phlegmatis) An à pituita potest fieri Apoplexia? Hippocr. enim lib. 2. de morb. 8. expressis terminis asserit sanguinem congelari aliquando quia à pituita refrigeratur? Respondeo & plethoricos & pituitosos Apoplexię esse magis obnoxios quam quibus moderata est humorum laudabilium quantitas, aut pauca pituita sanguini permiscetur: At à plethora aut pituita solis induci Apopl. nego, quamvis in plethoricis & pituitosis symptomatum diversitate distingui videatur Apopl. Id non solius hujus morbi proprium est, sed omnibus aliis accidit, ut pro vario ægrotantium temperamento, pro varia ætate &c. varia producant symptomata, ob quorum diversitatem nemo dicet diversas esse morborum species, nec causas diversas: Quod attinet ad Apopl. à Pituita, inductâ, tanquam à causa seu totali, seu partiali, seu adjutrice, advertendum est Hippocr. non appellare eos qui illa corripiantur ἀποπληκτικοὺς sed βλαβέντας, ut eorum impotentiam distinguat à vera & exquisita Apoplexia: Præterea pituitam non esse præcipuam Apopl. causam ex eo satis insinuatur, quod Hippocr. in eodem textu doceat præcedere debere venarum calefactionem, aut, ut aliis locis docet, inflammationem & reficcationem, ut pituita in illas attrahatur, aut potius retineatur; necenim pituita, quæ frigida est & humida, venas calefacere potest aut inflammare, aut exsiccare: Denique *Hippocr. 4. acut.* insinuat sanguinis stationem esse causam perfrigerationis non contra, cum dicit perfrigerationes fieri ex statione sanguinis, quamvis commota atra bile perfrigerationis per sanguinis coagulationem citius contingant cæteris paribus, quando humores frigidi abundant: Quare rectè hæc dicit Hippocr. *Postquam venæ pituitam in seipsas traxerint, necesse est præ pituitæ frigiditate sanguinem magis tunc sisti ac perfrigeratum esse quam priori tempore:* Unde patet sanguinem ante pituitæ in venas affluxum sisti ac perfrigerari, ac proinde ab alia causa quam à pituita, quamvis pituitæ adventu aut stagnatione citius perfrigeretur, imò ideo pituita in venis retinetur quia sanguis incipit coagulari, cum ipsa, quamdiu sanguine diluitur, fit valde fluida, ut patet ex ejus filtrationibus & percolationibus per ductus exilissimos, in iis qui pituitæ crassæ & viscidæ ingentem copiam exspuunt, emungent, per sedes & urinas ejiciunt. *De Apoplexia & plethora* vide Observ. 12. *Bayle Tract. de Apopl. pag. 73.*

Observatio XXXVI.

Apoplexia ob cerebrum pituita perfusum, Ejus venarum ab eadem obstructionem, ventriculos sero repletos, & Polypum cordis fibris adnatum.

Momma Baxius, *homo torpidus ac hebes*, occisus repente à morbo attonito, obtulit secanti Chirurgo cerebrum flaccidum, & membranas ipsas tam frequenti pituitâ perfusas, ut *opus fuerit eam spongia detergere*: Qua eadem pituita replebantur utique & venæ per cerebrum dispersæ, nec minus Sinus falciformis, & quidem utrobique tanta copia ac lentore, ut inde potuerit extrahi instar longioris alicujus fili. Movente hac concretâ pituita non levem polypi suspicionem, sed quem id temporis frustra quæsitum ivimus in naribus, illum offendimus deinceps inscii in sinistro cordis ventriculo: Sed redeundum ad pituitosum hoc cerebrum, in cujus ventriculis invenimus, non tantùm plurimum aquæ (quod attonitis familiare,) sed spinalem medulam ita humidam, imò udam, ut necesse fuerit exuperantes liquores prius spongia absorbere, antequam licuit inquirere in naturam nobilissimæ hujus partis. Constabat autem is Polypus *ex alba ac concreta pituita*, inclusa membraneo involucro, & inhærens suis radicibus carneis Cordis fibris, assurgebat bifido trunco, obturans non minus arteriam aortam quàm venosam: quarum nobilissimarum

rum viarum obstacula impedimento fuere; ne deinceps vel aërem liberè attraheret, vel fuligines debitè expelleret Cor, nedum exactè se clauderent valvulæ post egressum spiritus vitalis; cui tamen usui illas ibidem loci destinavit sollicita natura, unde factum ut partim ob exclusum aërem, partim verò ob retentas fuligines, & spiritus plus æquo dissiparos, infirmaretur usque eò cordis robur, ut nequierit amplius officium facere, multò minùs spiritus vitales quibuscunque partibus impartiri: quorum calore ac fotu ubi carendum fuit, refrixit inde confestim corpus, emarcuit animus, & torpuit tam vehementer cerebrum, ut tandem perierit à gravissima Apoplexia. *Nic. Tulpius lib.* I. *Observ. cap. xxvij.*

Pituita replebantur & venæ) An arteriæ carotides & vertebrales obstrui possint, dubitatur, cùm enim sanguis è sinistro cordis ventriculo ad cerebrum ejectatus, nuper admodum per minutissima capillamenta venæ arteriosæ in arteriam venosam transfusus & quasi percolatus fuerit: insuper in sinistrum cordis ventriculum infusus novas vires novúmque calorem acquisierit, nullatenus credibile videtur sanguini permisceri viscidos atque lentos humores, sufficientes futuros ad earum arteriarum cavitatem amplissimam respectu capillamentorum, quæ paulò antè sanguis permeaverat, obturandam, sanguinisque liberum transitum ad cerebrum & cerebellum penitus prohibendum. Utcumque autem hæc argumenta valida appareant, non tamen omnino impossibilem generationem apopl. ab obstructione earum arteriarum credo: Atqueut hoc credam me persuadent corpora, sive piruitosa, sive fibrosa, quæ sæpius in cadaveribus cachecticorum, diúque & frequenter ex morbis decubuorum inveni. Utplurimùm hæc corpora radices agunt in cavernis thalamorum cordis, atque ibidem non rarò ad notabilem magnitudinem excrescunt, & ut quidam observarunt, quandoque ovi gallinacei magnitudinem superant; hinc è sinistro ventriculo ramos sursum deorsúmque per aortam emittunt, qui pro arteriarum capacitate & numero in plures & minutiores ramusculos pariter dirimuntur: adeo ut reperto tali corpore in una arteriarum, non dubitarim simile in alia quavis arteria latitaturum, periculumque faciendo rem ita se habere sensibus comperii. Si itaque fibrosa hæc corpora, infelicia ægri cordis germina, pariter carotides & vertebrales arterias, non procul ab ingressu intra cranium, aut in ipso ingressus loco occupent, non dubito haud difficulter obstructionem oborituram; & quidem talem qua ostia harum arteriarum vel penitus occludantur, vel saltem angustiora eatenus reddantur, ut sanguis sufficiente ad cerebri refectionem & spirituum animalium generationem, copia influere nequeat: cùm enim non rarò sanguis ad vehementiorem motum, & præter solitum conciterur, impetuosiùs versus cerebrum quoque ruit, unde facile corpora hæc abrumpuntur, maximè si fracida sint, atque pertinacius harum arteriarum ostiis impinguntur, eáque penitus occludunt: Vel si fortè tenaciora existant, ut non rarò sunt, nihilominus obstructio obvenire poterit, rum à copia irruentis sanguinis, tum à corporibus istis, simul & quasi conjurato ad obstructionem concurrentibus; qualia obstructionum genera ab humorum & sanguinis copia, sibimet mole & redundantia viam præpedientium, passim Medici memorant.

Obturans non minus arteriam, &c.) Si corpora hæc in corde primas radices agunt, ibi adolescunt, atque hinc æqualiter, pro numero arteriarum dispergunrur, non tam apoplexiam quam alios affectus producent, æque hominem è medio tollentes; quales sunt orthopnoea, syncope cardiaca & similes. Fatendum equidem illos in quorum corde & arteriis hujusmodi corpora delitescunt, nunquam integra valetudine frui, sed iis cor palpitare, difficulter respirare, in omnibus torpidiores esse, faciémque illis & manus fœdo livore conspurcari, imò subitò interfici non oboriente apoplexia verè sic dicta: At nihilominus existimo apoplexiam quandoque lethiferam ab illis effici, quæ syncope nullatenus dicenda, cùm permanentibus actionibus vitalibus omnes animales aboleri ab his corporibus queant: cùm enim dictarum arteriarum conditio prope cerebrum sit ut amplius distendi nequeant, si occupentur penitus, tum ab his corporibus tum aliis humoribus, ad obstructionem pariendam concurrentibus, omnino apopl. continget citra alios mortiferos affectus: reliquæ námque arteriæ & cor ipsum, utcunque hæc corpora contineant, aliquem tamen & ad vitam sufficientem sanguini transitum concedunt, unde abolitis omnibus animalibus, vitales aliquandiu superstites esse possunt: cùm enim cor & arteriæ molles partes sint, & ad distensionem aptæ, si talia corpora in illis hospitent, sanguine vehementiùs moto cedent, ampliorésque evadent: Observatum tamen quosdam cum istis corporibus diu satis commode vixisse, atque plerâque vitæ munia obivisse: & licet per periodos, aut ob causam externam quandoque vehementer cor palpitarit, pulsus inæqualis diu fuerit, sæpeque asthma vehemens afflixerit, non tamen statim occidisse. Utcunque enim sanguis ad impetum proritatus in cor irruat, atque ipsi suffocationem minetur, quia tamen in motu suo calidum est, imprimis si ad has angustias redigatur, statim exsurgit & quod molestum est excutere annititur: quod haud adeo difficulter præstat dum per patulam & membraneam aortam noxium evomere qualibet systole potest, aortâ impulso sanguini non pertinaciter obsistente, sed post tot expulsiones cedente: unde quidem tunc cor à molestia aliquomodo liberatur, graviora passuro cerebro si ab expulso sanguine obstructio gignatur, quamvis negari non possit, si cor languidum fit, nec sanguinem amplius propellere valeat, syncopen potius cardiacam productum iri quàm apoplexiam, corde maturè tanto oneri succumbente: Atque ita affecti plerumque vivi videntésque pereunt, mortemque præsentiunt, atque astantibus eam prænuntiant: Si verò primùm animales actiones omnes pessumdentur, salvis adhuc vitalibus, non video cur non affectus apoplexia nominandus sit, utcunque syncope, aut citior mors supervenit: Si enim huic affectui apoplexiæ nomen denegandum, nulla lethifera apoplexia erit, cùm omnis mortem afferens, mediante syncope, seu omnium vitalium actionum abolitione finiatur.

Homo torpidus ac hebes, &c.) Huic apoplexiæ iī potissimùm obnoxii videntur qui perpetuo otio torpent,

torpent, obesi, alimenta viscida lenta ingerunt cachectici, quibus facies & manus livent, aut saturatè rubescunt: quibus pulsus perpetuò inæqualis est:asthmatici, qui denique sævos quandoq; insultus palpitationis cordis experiuntur: Hac specie repente occisus videtur Baxius ille: ubi primũ observandũ. Si talia corpora in corde & arteriis existant, eadem etiam in venis infallibiliter occurrere: 2. venas & arterias cerebri plerumque pridem non accuratè distinctas fuisse. 3. etsi plurimâ aquâ maduerit cerebrum, quineriam spinalis medulla valde uda ab ipsa reddita fuerit, non tamen primas partes aquæ in efficiendo apoplexiam hanc deferendas esse, cùm ejus plurimum intra cranium & ventriculos cerebri sæpe cumuletur citra apoplexiæ productionem: insuper confestim apoplexia hominem sustulit, quod aqua præstare nequit: quamvis non negem occupatis arteriis à pituitosi corporis ramis, aquam abundantiorem ad accelerandam apoplexiam multum contulisse. *Wepferus pag. 200. & seq. Exerc. de apopl.*

Retis mirabilis] Magna contentio est inter Anatomicos de Rete mirabili Galeni: In quadrupedibus existere illud pauci negant: An verò in hominerale reperiatur? ambigitur valde: quidam enim manifestè reperiri affirmant: quidam obscurè & tantum ejus quædam lineamenta & rudimenta apparere asserunt, Nonnulli illi Plexum choroideum substituunt, Sunt & qui novum & diversum, ab hoc Galenico, loco situm excogitarunt: Rolfinkius Anatom. Dissert. lib. 6. cap. 40. sensus testimonio Rete hoc in homine confirmari ait 1. Si in suspenso carotidem in collo inflaveris arteriam, id rete cum flatu subsultat; imò etiam si leviter vulneratum fuerit, sanguinem exspuit: 2. Si duram meningem, quæ circumdat sellam, scalpello aperueris, aut ab osse substrato avulseris, à sella usque ad os occipitis innumeras invenies fossulas, immuneris arteriolis refertas, quæ rete hoc exprimunt. Consule Anatomicos de hac controversia & citatum Rolfinkium.

Sed morbus attonitus, &c.] A sanguine extra vasa effuso quomodo apoplexia oboriatur, ostendit *Platerus* Prax. lib. 1. cap. 2. Extra vasa, *ait*, sanguis delatus, si non in cerebri substantiam effusus, inflammationem pariat (tunc enim phrenitis fieret) sed anfractus & ventriculos subitò opplendo obstruat, nervorum initium premat, stuporem & apoplexiam causat: Ut frequenter ruptâ venâ accidit, idque nonnisi quam ob plethoram ad vasa, iis præsertim quibus consuetæ hæmorrhagiæ substiterant: Quibus & viventibus adhuc, & post mortem, magnam sanguinis copiam per os, nares, erumpere toties observavi, ut hanc potissimum apoplexiæ causam esse aliquoties mihi persuaserim: Idem à causa externa violenta, ut cerebri contusione ex ictu vel casu, potest accidere, etsi cerebri substantia vulnerata minimè sit, ut sanguis quoque cerebri cavitates, ipsiúsque substantiam, iis locis præsertim ubi contusa, est oppleat, sicuti in taurorum securi percussorum cerebro fieri quotidie vident mulieres, quando cerebrum, antequam coquatur, à sanguine grumoso prius repurgant: unde apoplexiam fieri subito necesse est, nisi is per nares, aures, aliásve partes seu vias vicinas, ut quoque interdum fit, statim erumpat, aut levior fuerit casus, unde levior obstupescentia potius accidit: Licet & sæpe in grumos conversus sanguinis affluxus retentúsque diutius, si putrescat; phreniridem, convulsiones, quæ ante obitum lethargos & apoplexias sequuntur, ægrúmque jugulant, pariat.

Observatio XXXVII.

In plurimorum ab Apoplexia extinctorum cerebri aut cordis vasis, reperta corpora viscida, glutinosa, Polypi dicta.

§.1. Quotquot Apoplexia aut catarrho suffocativo mortuos aperui, in omnibus corpora illa callosa, viscida ac glutinosa, aut in corde, aut in cerebro, aut in ambobus aliquando reperi, de quibus scribit Wepferus, &c. *Ioh. Georgius Greisel Miscellan. Curios. anni 1670. Observat. 74.*

§. 2. Vidi & ego, præsentibus viris magni nominis, corpus tale ex corde, & truncis ac ramificationibus, cum arteriæ tum venæ pulmonalis, uti & ex sinu duræ matris longitudinali, in homine quinquaginta annorum, apoplexia demortuo, eductum. *Ioh. Von Flaminerdinge, Eques Divi Marci, Medicus Mœno-Francoff. Disput. de Apoplexia, Thesi V.*

* Apoplexiæ sunt obnoxii quibus in cordis ventriculis, aut in vasis pulmonis aliisque, Polypi, aut glutinosorum corporum concretiones excitantur; ex iis enim fit manifestum magnam inesse sanguini, aut ejus sero, dispositionem ut coagulentur, & per sanguinem fusam esse coagulationis causam, melancholiam, ita ut si vel hic humor, vel illa dispositio augeantur, in apoplexiam facile incidant qui hæc patiuntur. Hallucinantur ergo qui putant corpora illa glutinosa albida, gelatinam referentia, è pituita compingi putant, quod impossibile fit pituitam in loco calido & humido ulla arte ita coagulare ut ejusmodi corporum consistentiam acquirat, quin potius concreta pituita in liquore quocunque calido dissolvitur diffunditurque: Jam vero cum variis innotuerit experimentis sanguinis serum facile concrescere acidorum affusione, ingelatinæ formam, se ridendos præbent qui horum corporum in cordis ventriculis concrescentium materiam esse putant pituitam: certe materia concretionum illarum, aut Polyporum, quando colore & substantia aliqualem habet cum carne affinitatem, non potest existimari pituita. *Bayle Tract. de Apopl. p. 96.*

Apoplexia demortuo] Ægre malum hoc curabitur, & tantum non impossibile erit tales pristinæ sanitati asserere, quod enim remedium genus adhibueris fere frustraneus eris: vena secta sanguinis quidem impetus coercetur, minorique copia ad locum obturatum properat, at non revellentur impacta corpora: Nec illa purgantibus alliciuntur; vel enim purgantium vis eo non pertingit e vanida tamen est, cum licet validissima sint, illa avellere nequeant; interea corde alias afflicto vires purgantium violentia magis destruuntur, ac celerius mox accersitur; apoplegmatismi

matisimi, errhina & similia humores ex glandulis oris, narium catunculis & cerebri ventriculis eliciunt, fontem vero malorum nullatenus exhauriunt: eadem fortuna est phrenigmorum, vesicatoriorum, & fortius adhuc agentium ferramentorum ignitorum; utcunque enim hæc profundius vi sua penetrent, & è longinquo sæpe vitiosa extrahant, non tamen ad basin cerebri virtutem suam exserunt, in quibus sedibus proxima mali causa abscondita est: balsamis tempora illinire est lapides ut mollescant oleo inungere velle: aquæ & spiritus antapoplectici, sanguinem accendendo & fundendo malum potius exasperant quam opem ferunt. *Wepferus pag.* 204.

Ex corde & truncis) Hic observandum si talia corpora in corde & arteriis existant, eadem etiam in venis infallibiter occurrere. *Idem pag.* 205.

Observatio XXXVIII.

In Apoplectici sinistro cordis ventriculo pinguedo reperta.

IN sectione Apoplectici cujusdam nupera, observata fuit in sinistro cordis ventriculo pinguedo in arteriam venosam ascendens, ubi cùm ejus orificium clausisset, in duo cornua dividebatur, ad similitudinem literæ Pythagoreæ: Si, ut volunt, à causa frigida concrescat pinguedo, mirum certè in calidissima regione adeo luxuriare. *Thomas Bartholinus Centur.* 1. *Epistola* 2.

Observatio XXXIX.

Apoplexia ab humore aquoso per cerebri substantiam diffuso, ventriculos replente, cum sanguine atro & crasso in arteriis temporalibus.

EGo multum magnificæ Dom. Mariæ Justinian. de Arrivabenis Dispensatorem, forti Apoplexia peremptum secare jussi: Totam cerebri substantiam aquoso humore perfusam & oppletam reperimus; quæ etiam & in cerebri ventriculis redundabat: Et (quod mirum sane fuit) dissectis arteriis temporalibus, tanta copia sanguinis atri & crassi effluxit quantam vix in toto corpore reperiri credidissem. *Marcellus Donatus Histor. mirabil. lib.* 2. *cap.* 6.

T*Anta copia sanguinis atri, &c.*] Meminit *Jul. Alexandrinus* Salubrium lib. 24. c. 2. Attoniti morbi qui interceptis venis arteriisque à multitudine fit, quas usque adeo infarctas obturat, ut expletas ad plenum, quum nec superfit vacuum, nec recipere extrinsecus quod refocillando nativo caloti necessarium est, ulterius valeat, sed suffocato repente calore animal illico concedat: Hujus quoque sententiæ fuisse *Rasim* constat, quippe qui venas Guideæ, seu Jugulares, in apoplecticis secandas mandat, ut pote quibus oppletis affectio oriatur, inanitis vero solvatur. Quare si corpus sanguine plurimo redundante apoplexia deprehensum, sed non validissima, nobis occurrerit, audacter ad arteriarum temporalium sectionem devenire operæ pretium futurum maximè crediderim &c. *Idem ibidem.*

Cerebri substantiam aquoso humore, &c.] Apoplexiæ causam indicto Dispensatore refert M. Donatus ad oppletionem arteriarum; nec meminit cerebri aquoso humore perfusi & oppleti; & in ventriculis redundantis, cùm tamen à sero & humore aquoso apoplexiam induci certissimum sit: Adeo ut à duplici causa originem duxisse hæc videatur, sed revera simplici, Sanguini enim arteriosio copia peccanti, cùm liber aditus per arterias in cerebrum non patuerit, in iis crassitiem adeptus est, imò penè conerevit, serúmque, quo plurimo abundat sanguis arteriosus, ab eo secretum est, quod in cerebri substantiam ejúsque ventriculos exundavit; adeo ut apoplexia hæc ortum ducat, tum à negato influxu spiritus vitalis ad cerebrum, ob dictam arteriarum oppletionem: tum à spiritus animalis exitu prohibito, ob serum in cerebro redundans.

Observatio XL.

§. *Apoplexia à Sero plurimo in ventriculis cerebri, per substantiam diffuso, & in sacra fistula, Hydatibus in plexu choroideo, &c.*

VRsula Pulen Frisen, habitu corporis Sanguineo phlegmatico prædita, victu gaudebat lautiore, qualem scilicet rustici melioris conditionis hæc loca incolentes nanciscuntur, potissimùm fere lacticiniis, quæ illorum deliciæ sunt, fruebatur: Aliquot liberorum mater erat: menstruus fluxus extra graviditatis tempus ritè manabat: 1661. circa 37. ætatis annum iterum gravida, diu continuos eósque sævissimos capitis dolores passa est cum vertigine: Quarto mense conceptionis, scil. circa principium Maii, mane è lecto surrexit, humi sedit, ac caput manibus suffulciens, de consueto capitis dolore conquesta est, atque malum quoddam gravissimum sibi imminere prædixit: mox oculi pervertebantur, vomiturìebat, maritum & liberos miserabili vultu intuebatur, at ἄφωνος facta amplius alloqui nequibat: protinus instar trunci omni sensu & motu privata concidit, sola respiratione salva manente: In lectum traducta per triduum, eo situ quo locabatur immota jacuit: Jusculа & aquas antiapoplecticas, spiritum vini redolentes, absque labore deglutiit: Post diem-

tertium ad mentem aliquantum redit, compellata annuit, & paulò post artus sinistri lateris denuo movere valuit: Intra mensis spatium nullis aliis medicamentis adjuta, à marito aliisque adstantibus suffulta incedere potuit, ita tamen ut dextrum pedem trahere, & manu dextra ad opus aliquod perficiendum impotens esset; Intellectus semper debilior mansit: Appetitus constitit, mense Octobris 1661. delirio melancholico corripiebatur, circa finem Octobris infantem vivum enixa est: Appetitus ad XIV. diem puerperii, integer permansit; hoc die subita debilitate obruta omnem cibum fastidivit, simulque delirium mitius evasit & ipsa quietior aliquandiu fuit: Rediit Delirium cum cephalæa solita, atque ad anni 1662. fœnisecium usque perduravit: In hoc delirio notissimos & omnia tuta timebat, maxime à fragore lignorum minus aridorum in foco crepantium percellebatur: sæpius in sylvas aufugit, ut vix satis custodiri potuerit: ter violentam mortem sibi inferre nitebatur, jamque laqueum collo sibimet adaptavit, totiésque mariti providentia à tanto facinore vindicata fuit: Nullam penitus liberorum curam habebat, nec famelicos vel mica panis refocillasset: nonnisi coacta comedit: Delirium hoc plerumque sub auroram incepit, duravit usque ad vesperam; hinc minus sibimet metuebat, quietior erat nec custodiam sui exegerat: Medicamentorum nescio tamen qualium usus frustraneus fuit: Empirici suasu Vere, Æstate & Autumno singulis mensibus, hyeme verò alternis, largè vena secta sanguis emittebatur, unde delirium propulsatum fuit, quin etiam capitis dolor mitigabatur, & vertigo ablata fuit. Ultimo vitæ semestri venæ sectionem omisit: ob nimiam sanguinis profusionem vividus faciei color periit & cachectica evasit, postea iterum concepit fœtúmque vivum peperit, quem ad terminum suum usque fatalem lactavit. Ab illo tempore quo ab Apoplexia prostrata fuit, totum dextrum latus debilius perstitit, adeo ut inter incedendum imbecillitas quædam observaretur, insuper manu dextra corpora crassa & ponderosa facilè arripuit firmitérque tenuit, at gracilia & levia apprehendit quidem, verum invitæ & insciæ statim iterum elabebantur: Die 21. Febr. 1664. noctu in lecto horrore concutiebatur, subsequente æstu cum dolore lateris dextri punctorio: Pleuritidem neglexit: vinum bibit, &c. die 26. Febr. mortua est.

Die sequenti cadaver secui: Remota cranii olla, dura meninx tumida & elata erat, ac si flatibus distenderetur, ejusque arteriæ sanguine turgidæ: Sublata dura meninge, tenuis ita omnes anfractus colligavit & æquavit, ut tota cerebri superficies levis & æqualis appareret, crassiórque debitò fuerit: Ista saucia, ex omnibus anfractibus tam dextri quàm sinistri lateris copiosè serum emanavit: vasa sanguifera tenuis meningis ubique majora & sanguine pleniora videbantur: In utroque ventriculo laterali serum subcruentum abundè stagnavit: Simile quoque serum in occipite circa medullam oblongatam invenimus, quin etiam antrorsum inclinato capite, ex foramine sacro juxta medullam, ad unciam hujus seri effluxit: Utriusque ventriculi lateralis superficies lutea penitus & quasi rubigine obducta videbatur, obducta enim erat muco croceo, illi simili qui circa aquas ferratas conspicitur, & lapidum & terræ superficiem incrustare solet: Eodem quoque Plexus choroideus infectus erat: pertingebat rubigo ista quoque ad tertium ventriculum, Quartus prorsus mundus erat: In dextro plexu choroideo plures hydatides, quarum quasdam piso majores invenimus: In sinistro itidem plures aderant, quarum una nuce avellana major, angulosa instar humoris crystalini perspicua, solidáque à nobis visa fuit: Cerebellum valde flaccidum erat: medulla spinalis multo naturali gracilior nobis apparebat: sterno remoto, &c. (*qualis Pulmonum fuerit constitutio vide l. 2. Tit. de Lateris dolore*) In ventriculis cordis invenimus corpora pituitosa, quæ ramos in pulmonum vasa spargebant: Ventriculus & intestina flatibus admodum distenta erant, ut gravidam putarent, hepar pallidum & renes flaccidi erant: Lien naturalis visu: In utero nihil p.n. apparuit. Mammæ adhuc lacte niveo abundabant. *VVepfer. Dissert. de Apopl. p. 410.*

S*Ævissimos Capitis dolores, &c.*) Recurre ad Tit. de causis horum dolorum.

Ἄφωνος facta, &c.) Vera Apoplexia correpta fuit mense Maijo 1661. nam humi sedens, post oculorum motum convulsivum, ἄφωνος facta, omnes sensus & motum animalem: respiratione & deglutitione exceptis, amisit, & trunci instar in lectum reposita, immobilis jacuit: Causam hujus insultus non possum consternationem quandam reputare, quandam reputare, quamvis ob sævitiem doloris humi sedens gravia malum sibi imminere prædixerit, & miserando vultu suos intuita fuerit, nam apoplectica verè ad diem tertium permansit, artuum dextri lateris impotentia toto mense Majo perduravit, & postea toto reliquo vitæ tempore, se ad quartum annum imbecillitas in incessu, atque apprehensione rerum leviorum & minutiorum observata fuit: Sanguinem extravasatum hanc fecisse omni probabilitate caret, nam vel centies ipsam enecasset: Nec vasa distendendo illam produxit; remisit enim ante V. S. & postea vasis longo tempore admodum turgidis, & cephalalgiam sævam cum vertigine patientibus, nullam recidivam experta est: Serum in ventriculis & sub meninge tenui conclusum, post obitum repertum, minus erat quàm ut cerebrum comprimere valuisset, & revera nihil apoplectici attulisse ex mortis genere constitit, quo cor

cor ob dextri pulmonis inflammationem insignem, spirituum vitalium corruptelam & animalium imminutionem; in motu substitit & veluti suffocata obiit: Verisimilius est ob vehementem capitis dolorem cataclysmum quendam seri in medullosam cerebri substantiam irruisse, non secus ac alias dentium, articulorum aliarumque nervosarum partium doloribus tumores serosi sæpe ocyus superveniunt, quem promptius debilitata, ut ex vertigine constat, sensibus omnibus & motu animali sopitis, admisit; nam principium inprimis noctu & in somno contigit, unde mane surgens calamitatem insignem, forte ex signis quæ affari nequit, prædixit. Serum interiora cerebri subiens apoplexiam produxisse Juvantia evincunt, motum enim & sensus recuperavit usu aquæ antiapoplecticæ & parciore cibo, quibus serum absumptum fuit, quod soli huic humori proprium esse sæpius non sine ratione *Carolus Piso de serosa colluvie* inculcat: quo penitus dissipato, sensus & motum magis magisque adepta est, relicta quadam imbecillitate, cùm rarò humor ille à peregrina mistura immunis sit: Doloribus perseverantibus non redit Apoplexia, quia in dies incrementa sumente, multum seri aliorsum abreptum, in partu cum lochiis portio profusa, & dum infantem lactavit aliquid etiam sublatum; denique post tot tantásque venæ sectiones cephalalgia sopita, nova seri irrumpendi ansa præcisa fuit.

In plexu choroideo plures hydatides) Hydatides insigniores in plexu Choroideo, nullas turbas excitasse testantur auxilia, quæ illis permanentibus symptomata sustulerunt, nisi quis autumet ignavius aquam à meninge tenui, & è ventriculis ab illis glandulis propter hoc plexus vitium resorptam fuisse. *Idem.*

Observatio XLI.

§. *Apoplexia ab aqua plurima anfractus cerebri alluente, In utroque ventriculo, præsertim dextro; cerebri mollitie & flacciditate; muco in Glandula pituitaria, &c.*

Juvenis quidam annor. circiter 24. staturæ mediocris, macilentus, cute fusca & strigosa præditus, quantum ex vestitus semilaceri forma conjicere licuit, miles profugus, ex morbo aliquantulum convalescens (nam circa illud tempus plurimi Gallorum in Marchionatu Badensi inferiore, febre Hungarica, Dysenteria aliisque gravibus morbis ægrotabant, in vicino colle extra urbem nostram propemodum frigore enectus d. 14. Nov. 1673. repertus, moxque in Xenodochium deportatus fuit: Statim accersitus fuit Exc. D. D. H. Screta: deprehendit ægrum quamvis in hypocaustum calefactum delatum, & lecto plumeo fotum, toto corpore, non solum in capite & artubus, sed etiam pectore, dorso & abdomine tactu frigidissimum esse: Artus rigebant adeo ut nec brachium nec pedes flecti potuerint, brachium tamen sursum facilè tollebatur: ore hiabat, verùm aquarum cordialium ne guttulam quidem deglutiit: pulsum nullum invenire potui; nulla inclamatione, vellicatione, aut frictione excitari valuit, ut vel minimum alicujus sensus superstitis indicium præberet, oculos semper clausos tenuit; respiravit cum stertore, In lingua maculæ rubræ videbantur ac si illam momordisset: Vesperi circa 4. vivere desiit.

Die sequenti cum D. D. Screta cadaver perlustravi: Foris in pectoris latere sinistro duo ulcera rotunda, dimidii Bazii amplitudine aliquo usque sinuosa ultra cutim sed non ad pleuram penetrantia, pus coctum continentia invenimus: In dextro latere circa costam tertiam, cutis palmi latitudine sugillata erat: omnia sub cute ad pleuram usque sanguine suffusa visa sunt, sive à percussione sive à casu contingerit: Abdomine aperto Omentum pertenue & macilentum occurrit: Ventriculus & intestina, præcipuè tenuia, flatibus & fæcibus liquidis subflavis plena erant, iisdem fæcibus quoque colon infarctum erat: Foris, à colo imprimis, papillæ plurimæ, aqua limpida turgidæ pendebant: Hepar fuit rubicundum, Vesica bilaria tumida & quasi inflata, Pancreas album: Lien lividus major debito, nam duos palmos longus, palmo larior, crassitie dimidii palmi erat, aliquótque in locis quasi fissuris præditus, sed non pervius: Renes consistentia & colore naturales, sed omni pinguedine destituti erant: Ubi vasa emulgentia renes subeunt, loco pinguedinis humor aqueus subflavus, in gelatinam concretus sinus impleverat: Vesica distendebatur ab urinæ retentæ copia. In Pectore Pulmones dextro & sinistro lateri per fibras oblongas hinc inde laxè, non toti nec firmiter accreverant: In dextro latere Pulmonis lobus inferior debitò rubicundior & paulò durior fuerat, ita tamen ut inflammationem nec magnam, nec pridem enatam credere potuerimus: Omnes Pulmonum lobi aëre pleni & turgidi erant: Cordis dexter & sinister ventriculus, venæ item cavæ & arteriæ aortæ rami, superiores & inferiores, sanguinem prorsus fluidum, neutiquam fibrosum continebant & effundebant, adeo ut ne minimus grumulus à nobis inveniremus, Extravasatus in pectoris cavum, diu post effusionem grumescebat, ita tamen ut maxima pars fluida perstiterit. Cranii superiore parte dempta, anterius sub fronte dura mater admodum rugosa apparuit, ac si ibi à flatu vel aqua distenta fuisset, Prope cristam galli, incisa dura matre in sinistro latere, protinus multum aquæ promanavit, quod itidem incisione in dextro latere facta contigit. Dura mater à crista galli utrinque juxta sinum tertium ad sinus laterales incisa, vidimus in sinistro latere sub osse syncipitis versus tem-

tempus, duram matrem tenui meningi, ferè dimidii thaleri amplitudine præter naturam intermediis fibris validissimis firmiter accretam fuisse; sub pia matre, intra cerebri anfractus, aqua plurimùm undiquaque fluctuabat. Reflexo corpore falciformi, diducto cerebro; vidimus insignem arteriam super corpore callofo incedentem, sanguine vacuam: & quamvis arteriæ & venæ sinum tertium adeuntes sanguine plenæ essent, nihilominus tamen sinus tertius & laterales non usque adeo sanguine implebantur. Cerebro cum cerebello cranio exempto, separata dura meninge circa sellam equinam, ostendi utrinque arteriam carotidem tortuosam esse, prout supra p. 38. depingitur: neutiquam verò ut in brutis in plexum, seu rete mirabile dispesci, quod aliis quoque vicibus feci: nec hactenus aliam arteriæ faciem in his locis inveni: Ausimque dicere talem semper apud homines repertum iri, ut quoque tandem aliquando fatebuntur Retis mirabilis patroni, si modò ipsi quoque rei periculum facient. Inversa cerebri & cerebelli mole, vidimus quoque arteriarum vertebralium & carotidum conjugium, ramósque varios hinc inde per universam machinam dispersós, cujus distributionis historia plenior supra p. 99. extat. In dextro ventriculo multum aquæ limpidæ continebatur, minus in sinistro: multum quoque aquæ ex fistula spinalis medullæ sublato trunco emanavit, In glandula pituitaria, duplo majore solito, sinum inveni plenum muco, qui in gelatinam subflavam pellucidam concreverat. Meningem tenuem citra cerebri lacerationem longè latéque avellere potui, evulsis simul innumeris fibrillis arteriosis substantiæ cerebri immersis, qua sublata in superficie denudati cerebri, simulæ innumeræ conspectæ fuerunt, è quibus, presso leviculè cerebro, sanguis exsudabat. Id aliis vicibus præstare potui, quoties madidius cerebrum debito fuit, aut si per biduum aut triduum cerebrum frigido & humido aëri exposui. Cerebri pars cineritia flaccidior medullosa, utraque flaccidior debito, quin etiam cerebellum mollius quam in aliis observaveram. Non tamen cerebri substantia tam flaccida erat ut in se conciderit ac subsiderit, aut pultacea evaserit, quamvis undiquaque aquæ immersa fuerit, nam etiam extra calvariam exemptum cum cerebello figuram suam retinuit, etiam sublata tenui meninge in locis plurimis: adeo ut spectatoribus cætera cerebri & cerebelli curiosa demonstrare potuerim: ut taceam inprimis cerebrum intra cranium, corpus falciforme fibrásque & ramulos arteriosos, tum ab ipso tum alibi à dura matre profectos, suspensum tenuisse. Intestinis à sordibus mundatis, in medio Jejuno invenimus tumorem juglande majorem, inter intestini tunicam externam & internam conclusum, proprio folliculo circundatum, continens corpus mirè fibris & vasis sanguiferis intertextum. In principio Jejuni reperimus quoque valvulam seu circulum membraneum, coli valvulæ similem, ascensum impedientem. In recto plurimos scrobiculos superficiarios, dimidiati pisi capaces vidimus, ac si non ita pridem dysenteriam passus fuisset, quæ tunc militibus epidemica fuit: Certè diarrhoeæ vestigia clinici in indumentis invenerunt, cujus quoque indices fuerunt fœces intestina replentes: Vesiculæ seminales continebant humorem copiosum in gelatinam concretum: utraque ductu insigni & proprio prædita, qui ambo quoque osculo proprio ad latus monticuli in urethram capaciorem hiabant.

Affectus qui militem istum è medio sustulit, Apoplexia fuit, nam sensibus omnibus & motu, ipsaque deglutiendi facultate abolitis, respiravit adhuc cum stertore, à decima antimeridiana ad quartam vespertinam. Tetanus comes non incommodè diceretur, omnibus artubus rigidis existentibus, nisi brachium attolli potuisset atque os hiasset: Convulsivi tamen quidpiam ante apoplecticam invasionem passum fuisse, maculæ in lingua morsu proculdubio illatæ, probabile faciunt. Syncopen verò neutiquam appellaverim, quamvis totus habitus perfriguerit, nullúsque pulsus indicium tactu inveniri potuerit, respiravit enim cum stertore sex integris horis sc. ad ultimum vitæ momentum usque: Frigus præcipuam hujus Apoplexiæ causam fuisse existimo, nam intensissimum tunc erat, præcipuè in colle edito, nivibus objecto & liberè ventis exposito: dum enim ex itinere, licet brevi, & morbis prægressis fessus quieti intempestivæ indulsit, tandem nemine expergefaciente, somno, æterni paratio, obrutus fuit, frigus sanguinem, cerebrum & spiritus animales ita congelavit, ut nec spirituum animalium materia suppeditaretur, nec si fortè aliquid sanguinis arteriosi accederet, in cerebro & cerebello percolaretur, nec si spiritus confecti adhuc fuissent, nervi ad loca debita detulissent: Frequenter id viatoribus Alpes Helveticas tempore hyberno transeuntibus, etiam robustissimis & sanissimis evenit, nisi soporem, plurimis per loca nivosa molestissimum, omni nixu excutiant: Ad congelationem, caloris & spirituum extinctionem à frigore facilitandam plurimum fecerunt morbi prægressi. Ad promptiorem congelationem, & spirituum ac caloris, extinctionem intra cranium plurimum quoque contulit aqua intra meningas, sub tenui meninge, in ventriculis & fistula sacra redundans, nam quoniam immobilis stagnavit, facilius vim frigoris recipit, ac efficacius sanguinis & spiritibus impressit: Forsan tam copiosa aqua intra cranium collecta fuit, ob febrim continuam & cephalalgiam, quam proculdubio sævam diu sustinuit, ob tenuis meningis concretionem cum dura matre, dimidii daleri amplitudine sub sinistro sincipite. Propter aquæ abundantiam sub tenui meninge detentam, illam haud difficulter longè latéque à cerebro abstrahere potui cum fibrilis arteriosis, remanentibus

bus rimulis, ex quibus presso leviculè cerebro sanguinis guttulæ prodibant. Cerebrum flaccidius detracta meninge, non pultis fluidioris instar diffluxit, quamvis forsitan diu irrotatum & veluti inundatum, ab aqua & à frigore quasi congelatum fuerit, figuram enim suam integrè servavit: Alias cerebrum per horas aliquot elixum, aliarum glandularum more, firmius & durius evadit. Glandula pituitaria duplo major naturali, in medio sinu prædita, qui muco subflavo, gelatinæ simili plenus erat, ad aquæ cumulationem symbolum contulit, dum nec serum intra cranium stagnans allexit, nec aliorsum excrevit, ob conformationem vitiosam.

Ex morbo convalescens) Affectus graves (qui ad congelationem & caloris ac spirituum extinctionem à frigore facilitandam plurimum fecerunt) non ita pridem Juvenem hunc perpessum fuisse non obscurè patuit: *Febrem* continuam prodiderunt absentibus phthisis signis, habitus valdè extenuatus, cutis strigosa, Omentum & renes omni pinguedine privata: Renum sinus, ubi vasa emulgentia inseruntur, gelatina loco pinguedinis occupans: Duo sinuosa *ulcera*, ampliora quàm post furunculos relinquuntur, quæ non anthracis reliquias dixerim, cùm pus laudabile & coctum continuerint, forsan ab inflammatione febris comite vel sequela, hæc superarant. Dubium an *Pleuriticus* fuerit necne? Sugillatio in utroque latere non est signum pleuritidis, cùm fotis cutis atrorubescens fuerit, quod alias non observatur: potius casus alicujus effectus, quia in valle, per quam hic proficiscebatur, via proclivis ad casum ob gelu copiam, apud juvenem gressu minus firmo utentem: In dextro latere pulmonis lobus inferior rubicundior duriusculus, aliquid inflammatorii passus videtur, nisi interceptæ subitò sanguinis circulationi, circa ultimum vitæ articulum, in pulmonibus hunc ruborem & apparentem inflammationem adscribere velimus. *Dysenteriæ* perpessæ vestigia in intestino recto, erant scrobiculi dimidii pisi capaces, & diarrhœa biliosa superstes.

Cordis ventriculi sanguinem fluidum, &c.] Sanguinem in cordis ventriculis & vasis majoribus fluidum, nec post obitum grumescentem, in cadaveribus febri continuâ defunctorum aliquoties, & nonnunquam venæ sectione emissum, febre maligna ægrotantibus observavi: an ob febrem continuam talem consistentiam apud Juvenem hunc adeptus sit; num verò frigus spiritus & calorem extinguens illam effecerit? dubium est: Febri enim continua perseverante, iter pedibus perficere nequivisset, etiam brevius, quin potius antequam Ditionem nostram attigisset periisset in via.

Neutiquam in Rete mirabile dispesci) Retis mirabilis sub dura meninge, juxta latera ephippii, ubi in plerisque quadrupedibus situm est, in Homine hoc Gallo ne minimam umbram inveni: ibidem, loco hujus retis, spectatoribus arteriam anfractuosam, prout supra pag.38. depingitur, ostendi, eámque solam citra accessionem ullius rami arteriæ vertebralis. Supra duram meningem, in basis cerebri parte posteriore, demonstravi canalem ex arteriis carotidibus & vertebralibus unitis resoltantem, de quo supra pag. 111. qui tamen neutiquam Rete mirabile est, quale à Galeno lib.9. de usu part.c.4. describitur, de quo supra p. 26. videatur, multóque minus Retis nomen meretur, quàm arteriarum ramuli qui intra anfractus cerebri feruntur. Proinde Reti mirabili in homine nullum unquam usum, ceu non Enti tribui: In Quadrupedibus quidem, quoniam prono capite incedunt, putavi sanguinem aliquantum remorari ne impetuosè in cerebrum ruat, quod tamen non universale esse Equi monstrant, quos Reti mirabili carere Exc. D. Willis in præclara cerebri Anatome scribit.

* *Glandula pituitaria duplo major solito*) Dubitari potest num Glandula dicta humorum affluxu tumens, ita possit carotides comprimere ut sanguinis fluxum ad cerebrum omnino prohibeat: Verum vix posset illa glandula in tantam molem augeri, & carotides adeò violenter comprimere, ut nullus pateat sanguini exitus ad cerebrum, Et quamvis eo loci arteriæ comprimerentur, non tamen cerebrum sanguinis vectigali omnino fraudaretur, cum possit per arterias vertebrales totum cerebrum irrigare, & sufficientem spirituum animalium copiam suppeditare, ita ut si languescant functiones animales, certe non aboleantur. Sunt enim arteriæ in cerebro valvulis destitutæ, & ita, inosculatæ ac connexæ, ut si, una excepta reliquæ omnes occluderetur, qui per illam advehitur sanguis in has omnes distribuatur, & eo omnes cerebri partes irrigentur: Præterquam quod ex vasorum structura ita necessario fieri à priori demonstratur, id etiam à posteriori evincitur, *Vide Observat. 6.* Quod de tumore glandulæ pituitariæ dictum, idem de glandulis plumbeis, sagittis &c. ad interiora cerebri adactis, ibique hærentibus, dicendum, ea nullatenus sufficientem esse apoplexiæ causam, patebit consideranti in apoplexia animales omnes functiones aboleri, quod fieri minimè potest nisi nervi omnes compressione adeo occludantur, ut ferè omnis spiritibus per eos commeatus derogetur, id quod glandes & sagittæ cerebro infixæ, & similia, ob parvitatem præstare minime possunt eum longè lateque diffusæ sint nervorum in cerebro fibræ, nisi glandes & similia medullæ spinalis caudici infigerentur: Quod de his dictum dici potest de vesiculis sero limpidissimo distentis quæ in cerebri ventriculis aliquando reperiuntur; de calculis, de concretionibus osseis &c. *Bayle Tract. de Apopl. cap. 4.*

In medio Jejuno invenimus Tumorem] Tumor inter duas Jejuni intestini tunicas, nucis juglandis magnitudine, conclusus, proprio folliculo præditus, & continens corpus ex fibris & vasis sanguiferis contextum, non impedivit chyli & fœcum protrusionem, ut ex contentis Ilei & crassorum intestinorum patuit.

Vesica distendebatur ab urinæ retentæ copia] Vesica ob paralysin urinam propellere nequit, nullum enim impedimentum circa ipsius collum reperiebatur, cui urinæ retentio imputari potuerit.

Observatio XLII.

§. *Apoplexia à seri & pituitæ copia in toto cerebro & ventriculis.*

IN Anatomia Serenissimi Principis Apoplectici I. H. L. cui præfuit D. Bunccius 4. April. 1652. Cerebrum magnum & grande, sero & pituita plusquam refertum repertum est,

maximè in ventriculis. *I. D. Horstius Observ. Anat. iij.*

OBSERVATIO XLIII.

§. Apoplexia ab aqua limpida cerebri plicas implente & totam compagem inundante.

DOmina Ill. diu affectibus spasmodicis obnoxia, post capitis dolorem & paroxysmum convulsivum in apoplexiam lethalem incidit. Mortuæ vasa meningum & cerebri sanguine plena apparebant: Omnes cerebri cavitates colluvies serosa implev erat. *Vide Tit. de capitis Dolore.*

OBSERVATIO XLIV.

Apoplexia levis à seroso humore in cerebro stagnante.

VIr Ill. Febre tertianaria prehensus: quinto die oblivio, desipientia, aphonia, sensus sepulturas motus abolitus sequuntur. Reperta aqua plurima in toto capite stagnans &c. *Vide Tit. de Febribus. lib. 4.*

OBSERVATIO XLV.

§. Apoplexia à seri ingenti copia inter cranium & duram meningem, In falce & illius reduplicatione, omnibusque cranii cavitatibus.

ANno 1667. Anicii Vallesiorum, in Gallia Narbonensi, Sequutus Prætores Regios capitales, Vocatus fui cum Dom. D. Meyronnerio & Coralle Medicis; Magistris Nicolao, & Vicario, primariis Regis Chirurgis, & Odonnetto, Chirurgorum Decano, adstiturus Matronæ Nobili, Dominæ de Fernois, proxima consanguinitate conjunctæ Generosissimo Vicecomiti à Polignac, urbis Gubernatori, Apoplexia tactæ: Præsidia ex arte à dictis Medicis fuere præscripta & administrata, tam Pharmaceutica quàm Chirurgica, scilicet Venæ sectio utriusque brachii, Cucurbitulæ scarificatæ, Sinapismi, Vesicatoria, Errhina, totius corporis succussationes; cauterium actuale summo capiti, ad normam H. Fabritii ab Aquapendente; quorum remediorum ea fuit efficacia ut intra xv. horarum spatium sensus deperditi fuerint restituti, tam interni quàm externi, superstite tamen *Paralysi* brachii sinistri: Elapsis autem 7. diebus de novo ingruit affectus, quem mors statim excepit, nec animadvertentibus qui ægræ assidebant: Teneræ autem constitutionis fuerat, lubricæ valetudinis, macilenta, fluxum hæmorrhoidalem passa ab anno ætatis XVIII. à quo tempore vixit obnoxia *hemicrania*, totam capitis partem anticam & sinistram occupanti, adeo molestæ ut plerumque decumbere cogeretur & ab omni consortio abstinere: fatigabat dolor plerumque semel in hebdomada: usu purgantium pilularum xv. interdum dierum inducias concedebat dolor, quandoque mensis integri: quo remittente copiosas lacrymas fundebat oculus lateris affecti, quod illi certum erat indicium affectus ad declinationem properantis. Interdum naris è directo multo stillabat sero. Si id accideret per menses integros, feriebatur dolor; cujusmodi vacuationem lætissima ferebat. Febris præterea quartana frequenter eam prehendebat, præsertim hyeme. Vultus aliàs non omnino erat decolor μελανόφθαλμος Naribus ferè siccis sed sputatrix, multásque emittens urinas. Appetitu pollebat vegeto, cibum sat copioso diluens potu, vino scilicet sed temperato: In diæta non delinquebat quanquam saporatis & aromaticis gauderet, ut & fructibus omnigenis; à dulcibus abhorrebat & saccharo conditis, nisi acidiuscula essent: Musica organica illi erat in delitiis, cujus erat peritissima, præsertim citharæ & monochordi, In actionibus omnibus moderata: Menses illi per sanitatem modicè fluebant, qui anno 47. desierunt. Obiit autem vidua, annos nata LVI.

Rogantibus consanguineis, & Doctoribus Medicis nominatis, Capitis apertio à me instituta, præsentibus Chirurgis, quò, tum recidivę, tum mortis causa innotesceret, Adstabant Viri Illustres Domini Catalanus à Porta & Pugetius, Regis Consiliarii magnæ Cameræ Parlamenti Tolosani, & alii, Inter duram matrem & cranium, Item in hujus cavitatibus, tam anterioribus quàm posterioribus: Tum & in falce ac reduplicatione duræ matris (abscissis prius fibris, quarum interventu futuris ad alligatur.) Inventa aquæ flavescentis, mediocriter salitæ, Pinta una, seu libræ medicinales circiter quinque. Actum 22. mensis Januarii anno 1667.

Ex communicatione D. Baylly Chirurgi Genev. peritiss.

OBSER-

Observatio XLVI.

Apoplexia à Seroso humore cerebri anfractus alluente & ventriculos replente.

VIrgo post cephalæam immanem, intra triduum apoplecticа interibat: Capite aperto *latex flavus* cerebri anfractus profundiores, ejusque cavitatem anteriorem, seu ventriculos inundabat. *Th. VVillis Anat. cerebri cap. XII.*

L*Atex flavus*] Ab omni humore induci posse Apoplexiam ostendit *Wallesius* comment. in historiam Androthali, 7. *Epidem.* cui lingua sicca erat, plerumque admodum amara, aliquando cordis dolore afficiebatur, tandem post decubitum duorum aut trium dierum mortuus est: unde colligit humorem qui occupare cœpit & obstruere cerebrum, biliosum aut atrabilarium fuisse. An bilis apoplexiam parere possit, videbitur infra cephalæa immanis virginem prædictam affligens, cui successit apoplexia, humorem acerrima vi præditum supponit.

Observatio XLVII.

Apoplexia à Sero inter utramque meningem; Inter piam ac cerebrum & cerebellum; Madore substantiæ cerebri, Repletione ventriculorum ab eodem sero, & effluxu illius in sacram fistulam, orta.

IAcob Reutinger Viterdinga, ditionis Per-illustris & Generosi D. Baronis Hornsteinii oriundus, quinquaginta circiter annos habens, temperie totius ad calidam & siccam vergens, coloris fusci: habitu corporis utcunque carnosus erat, capilli nigri & crispi, rari, dimidiumque caput, juniori adhuc, calvities turpabat: ad iram vehementiorem proclivis. Pauper victum & amictum duris laboribus, præcipuè viticultura acquisivit. Multum ipsi usum cum Baccho fuisse & non raro sicca labore pectora fervido maduisse mero, Gutta rosacea, quæ faciem fœdabat, fidem fecit. Quibus morbis toto vitæ tempore afflictus fuerit, ut de homine ignoto impossibile, ita hoc loco id referre supervacuum existimo. Quantum mihi constat, ab aliquot mensibus sæva cardialgia excruciabatur, ob quam & mea opera usus est, quæ purgantibus & stomachum roborantibus cessavit, brevi tamen ob pravam victus rationem, fame & paupertie etiam noxia imperante, rediit: hinc ope mea non contentus etiam carnificem consuluit, (nam & hoc genus hominum his in oris medicinam facere consuevit, & nulla non mortalium χαρκινώματα sacra hæc invadere audent) & haud obscurè intelligere potui, illum nec à benedictionibus, ut vulgo loquuntur, rectius ab incantamentis, abstinuisse, ad quæ fæx plebis, seu ad sacram anchoram, non raro confugere solet, adeo ut nefanda impietas vix satis dissuaderi possit. Aliquot septimanis ante obitum crudelissima cephalalgia totum caput, frontem præcipuè & occiput afflixit, à qua ipsi nec mora nec requies; fastidivit omnia medicamenta: Extrinsecus quædam muliercularum suasu applicita fuerunt. Præ dolore quandoque amens erat, ut quicquid vel diceret vel faceret non raro nesciret. Tribus septimanis ante mortem cæcus omnino evasit, nullo vitio extrinsecus in utroque oculo apparente, vera scil. gutta serena excæcatus. Doloris quidem sævitia in capite aliquantum tunc temporis remisit, at remansit quædam anxietas, ob quam corpus hinc inde jactitabat, nec, procul dubio mente æger, causam hujus voluntatis perlectum revelare valuit. Medicamenta plurima adhibita, sed serò, ideoque sine successu. Quatuordecim diebus ante fatalem diem, lectum permingere cœpit; paucis diebus post hanc calamitatem nova excepit, Paralysis sc. pedis dextri, quam secuta paulo post & sinistri. Quatriduo ante obitum Apoplexia forti tactus fuit, jacuit sine omni sensu & motu animali, nulloque ingenio excitari potuit. Totis his ultimis diebus largiter sudavit: per integrum diem cum stertore respiravit. Quamdiu decubuit ἀκόρεςῶ erat 11. Febr. & 11. à plenilunio anni 1656. vitam cum morte commutavit. Altero die cranium aperui, saucia dura meninge profluxit serum pallidum spicei coloris, cum impetu quodam, non secus ac mediena vena brachii secta sanguis erumpit, & quidem tanta copia, ut cyathi aliquot unciarum capaces eo impleri potuissent. Hoc serum maxima ex parte colligebatur in spatio; quod inter duram & piam matrem est, quod mihi amplius & capacius esse videbatur quam naturaliter existere solet, sero præ nimia copia duram matrem undiquaque, ubi nullum obstaculum inhibebat, expandente, ac cerebrum cerebellumque deprimente. Quin etiam seri plurimum intra piam matrem ac cerebrum & cerebellum continebatur, unde tota cerebri & cerebelli superficies, tam gyri quam, divulsis gyris, anfractus, ceu gelatinâ quaquaversum obliti videbantur, qua cultello læsâ serum exstillavit sincerum, simile ferè illi quod inter duram & piam matrem cumulatum fuit. Imò ipsam substantiam cerebri & cerebelli plurimum seri imbibisse, clarissimè cognoscere potui, nam summopere utrumque flaccidum & molle erat, ut instar fere pultis, etiam leviculo attactu dissolverentur, ita tamen, ut non difflueret, prout vetulæ apud Cl. Platerum contigit, cui pultis forma cerebrum

emanavit: nam citra attractum, & figuram & terminos antiquos cerebrum & cerebellum, ablata quoque pia matre, aliquo modo servabant. Tota cerebri externa facies pallida, vasaque sanguiduca tantùm non omnia exsanguia erant: ablata portione cerebri, raræ sanguineæ maculæ pullularunt. In omnibus etiam ventriculis serum redundavit; mucum nullum vidi orificium, seu canalem è tertio in quartum ventriculum patulum, obturantem; Verùm presso cerebello, plurimum seri in tertium ventriculum regurgitavit, Plexus Choroideus totus erat luridus & sanguine ferè privatus, quamplurimis nodulis varicosis subduriusculis præditus. Abscissa medulla oblongata prope orificium magnum, elevatisque cerebro & cerebello, nonnihil declivi posito capite, plurimum seri ex ostio illo profluxit, ut non dubitarim, totam quoque fistulam factam eo repletam fuisse: Adeout non vererer, morbum hunc Hydropem cerebri, & ὑδρεγκέφαλον quandam speciem appellitare. In reliquorum viscerum conditionem lubenter quoque inquisivissem, sed nec prece nec pretio quicquam à defuncti uxore & affinibus impetrare valui, ac potestatem mihi caput aperiundi factam fuisse, pro magno beneficio reputare debui; Ex superstitione enim quadam, plus quàm ethnica, plurimi nostratium opinantur cadavera humana injuriâ quadam affici, si studio alios ægros juvandi, secentur, brevi vermium esca aliàs futura.

Si ullus humorum in corpore nostro poros medullosæ substantiæ, in cerebro & cerebello, subito oppilare poterit, serum id præ reliquis præstabit: Etsi enim peculiarem cùm cerebro familiaritatem habere videatur, eò quod tenuioris pituitæ, quæ serum est, Metropolis dicatur, atque in embryone cerebrum instar seri fluidum conspiciatur, putetúrque *Lympha Bartholiniana* ex spiritu animali coagulato generari, quin etiam frequenter, si non perpetuò, intra ventriculos aliqua seri portio reperiatur; quandoque magno impetu in catarrhis excernatur, ac denique nervosis partibus læsis, quasi suppetias laturum affluat, Nihilominus tamen si copia aut loco peccet, nullum emolumentum affert, quin potius ejus sanitatem destruit, atque in actionibus suis perturbat, & non rarò eas penitus abolere valet: Plures autem horum pororum, si non omnes, Serum præ cæteris humoribus obstruere potest, quoniam individuus sanguinis comes est, ac cum eo per universum cerebrum intra capillares arterias fertur, ac tenue est & visciditatis ferè expers, ut minimè foramina transire ac angustissimis meatibus se insinuare possit, non secus ac aqua spongiarum cavernulas, aut spongiis densiora corpora pervadit; præterea non difficulter à sanguine segregatur, ut non solum urina, lacrymæ ac sudores testantur, sed etiam morbi quidam, ut catarrhi, diarrhoea serosa, arthritis aliique comprobant: videatur de his aureus liber *Car. Pisonis* de Serosa colluvie, ubi constat purum serum subitò sæpe à sanguine secretum, multorum malorum causam existere. Serum hoc sive sanguini intra arterias adhuc confusum sit, sive jam extra illas pulsum sit, mobile admodum est, impetuique pulsoris libenter cedit, ut profundè intra cerebri poros adigi possit. Si itaque serum intra vasa effervescat, ac ab illo segregetur, in cerebelli ac cerebri substantiam quaquaversum extrudi poterit, ubi tum spiritus animales corrumpet, tum vias ac meatus eorum obturabit: & quia arteriolæ omnes eorum particulas subeunt, nulla à seri ebullientis ac tumultuantis irrigatione immunis erit, undè omnes animales quoque actiones, nec sensibus internis exceptis, pereunt: atque hanc ob causam felicius omnium sensuum abolitorum ratio reddi potest, quàm si solum basin coarctatam aut obstructam in apopl. dicamus, nec nobis ad liberiorem spirituum motum prohibitum recurrendum erit. Inde quoque manifestum evadit quamobrem, sensibus externis & motu reparatis, sæpe internorum sensuum imbecillitas aliqua remaneat: utcunque enim de seri natura sit facilè discuti posse, quia tamen profundis cerebri partibus se quoque immergit, quorsum medicamentorum virtus vix penetrare potest, aut quia non rarò ipsi aliquid mucosi, ut Cl. Piso monet; miscetur, non exigua ejus portio immota perstabit, & à reliquiis istis facilè labes aliqua sensibus aspergetur, quæ ægrè emendabitur: Eædem reliquiæ occasionem recidivæ, frequenter apoplecticis quibusdam evenienti, præbebunt: Non autem existimandum est ob capillarium arteriarum, medullosam substantiam transeuntium, exilitatem, non tantam seri copiam in illam effusam iri, quæ ad tot actiones abolendas sufficeret, perpetuo enim sanguinis motu jugiter novum serum affluit, quod cùm sanguini confusum sit ac ad secretionem promptum & facile, prægressum absque mora sequetur, donec ad quantitatem illam pervenerit, quæ ad effectum hunc producendum requiritur: Non equidem negaverim hunc seri imbrem, aliquando largiorem, quandoque parciorem esse, sæpeque illum plures, non rarò etiam pauciores medullosæ substantiæ partes perpluere, unde etiam fortior vel debilior apoplexia enascitur, nonnunquam ob seri ignaviorem & mediocrem irruptionem se tantùm vel futuræ vel imminentis indicia ostentant: Consuli Ch. Bejer apud D. Rolfinkium differt. 9. l.c. p. 23. brachii sinistri paralysis & loquelæ vitium, capitis gravitas, indormiscenti obtigit, parva procul dubio seri quantitate poros medullosos occupante: Idem pag. 38. ib. bis in nobilibus ægrotis observavit sensus tantum, manente metu, abolitos: Non rarò à primo insultu tantùm lateris alterutrius paralysis, cum levi sensuum internorum & loquelæ vitio observatur: Si copia seri irruentis adhuc minor sit, sopores præter naturam producet. Verùm enim enimvero nemo hominum est, cujusque den um temperamenti & ætatis sit, cujus massa sanguineæ non serum quoque permisceatur, & sæpe satis copiosum, quo toto vitæ cursu frequenter effervescit, ac fermentatum quasi & ebulliens intra vasa non rarò à sanguine secessum facit, atque vel manifestè & sensibiliter excernitur, vel in partem aliquam decumbens, illam tumidam reddit & dolore afficit: Rarius autem apoplexiam gignit, imprimis in junioribus ac pueris, quibus apoplexia est corvo rarior albo: igitur haud immerito de hujus affectus à sero generatione tali dubitabitur: Quoniam autem omnis actio

à

ab agente fit in patiente dispositio, forsitan hoc Philosophorum axiomate in auxilium sumpto, dubium hoc expugnari poterit: Etsi enim sæpe in corporibus colluvies redundet, non semper tamen morbos producit: id enim apud quosdam temperamenti robur, ac partium quarundam ea virtus est, ut sæpe validissimas morborum causas eludant: Itaque si serum dicta ratione apoplexiam producturum est, præsupponenda erit prævia cerebri & cerebelli dispositio atque imbecillitas quædam, ob quam serum irruens promptius recipitur, validiusque & efficacius actiones animales omnes prosternit & abolet, quamvis aliquando serum fermentantium vis tanta sit, ut citra talem dispositionem sola id præstare valeat.

Si quid in re obscura definire licet, *Dispositionem* hanc consistere existimo in porotum illorum, qui ex arteriolatum capillamentis in medullosam substantiam hiant, spiritibusque vitalibus transitum largiuntur, nimia laxitate, ob quam non solùm spirituosæ sanguinis partes, sed & tenuiores seri portiones transsudare possunt: & in prævia repletione meatuum ac cavernularum per quas spiritus animales moventur, sensus à serosis humiditatibus introducta, propter quam, si seri nimbus ingruat, spiritus animales corrumpuntur, eorumque viæ penitius occluduntur, subsequentes actionum illarum, quarum instrumenta sunt, ablatione, non secus ac loca alias irrigua, ab imbre permadescunt: Dispositiones has originem suam ab illis, quæ caput vulgò replere dicuntur, ducere autumo: quorsum etiam facient discussionem excrementorum tertiæ concoctionis impedientia, illa profundius impingentia & incrassantia, ut & potos ac meatus coarctantia: His si hæreditario jure, & vitæ primordiis aliquid accedat, eò citius dispositiones illæ parabuntur: sicut etiam apud illos fieri solet quibus caput natura debilius est, & vel à fragrantiore odoramento læduntur, cerebrumque impleri sentiunt, quod calidum & humidum cerebrum habentibus evenire fertur&c.

His expeditis, haud difficulter intelligetur quamobrem non omnes qui sero abundant, aut quibus admodum intra vasa sanguifera tumultuatur, apoplexia obruantur, sed solùm illi in quibus medullosa substantia, vel ob vitæ errores, vel hæreditatiam infirmitatem, promptius & largius serum à massa sanguinea, mediante quadam fermentatione segregatum, recipit ac sibi obstructionem inferri non renititur. Serum ergo, rebus sic cum hominis valetudine constitutis, apoplexiam, si redundans in vasis sanguiferis ebulliat & fermentescat, efficiet: celerrimè enim cum sanguine universo movetur, & copiose brevi tempore in partem ad receptionem dispositam illabi, omnesque medullosi corporis angulos pervadere potest, ut mirum non sit etiam principes actiones aboleri &c.

Rectè verò concludit Car. Piso, præ reliquis humoribus serum hujus apoplexiæ causam existere. Neque enim viscidum, lentum & crassum humorum detergi, excuti & in principium nervorum depelli subitò posse, neque humorem talem cavo nervorum, sensum fallenti, celeriter se insinuare, neque in nervos trajectum, penitus unquam resolvi; [quod tamen in hac paralysi factum, non raro dierum, aliquando mensium spatio, observatum fuerit] Cùm enim id caloris beneficio fiat, potius humores glutinosos induratum, prout in calculorum generatione & crustarum narium productione cernitur, quam dissipatum iri. Non minùs verè asserit certius hanc apoplexiam ab obstructione, quàm ab compressione oriri: nam comprimens causa non ita celeriter, simul & semel omnes actiones abolere, nec tam cito materia omnis expelli posset, aut hemiplegiam efficere: quâ enim ratione serum forinsecus cerebro & cerebello incumbens, locum suum deserere, ac tantùm dimidiæ medullæ se insinuare posset? quid serum ad alterutrum latus medullæ adigere, nervisque quibusdam potius quam omnibus impingere valeret?

Non parum autem in eo falli videtur quod putet apoplexiam fieri impletis à sero ventriculis: hemiplegiam verò subsequi ejus decubitum in nervorum principium: vel enim soli hydrocephali illius opinionem falsitatis arguere possent: Præterea non video qua ratione serum è ventriculis in medullam alterutrius lateris, potius quam ad utriusque deponatur; vel enim pondere eo ruit, vel pellitur: quocunque modo id fiat, æquali impetu ad medullæ subjectæ partes feretur, nullaque hemiplegia superveniet: nam humores ventriculis inclusi, sive pellantur, sive insita gravitate moveantur, cùm tres anteriores unica cavitas sint, nullum in motu selectum observabunt, sed quo poterunt, abibunt, ab subjectam scil. partem, ubi utriusque medullæ propagines eminent Taceo serum potius per infundibulum, amplo foramine præditum, elapsurum, quàm cæcos ductus medullæ celeriter introiturum: Impossibilitas obstructionis totius medullosi corporis intra cranium, ac morbificæ causæ repentinus decubitus, quæ hoc in loco causatur, tribuenda sunt ignorantiæ circulationis sanguinis, quam si novisset Vir Sagacissimus, monumenta hæc sua illustriora redidisset, nec hæc in dubium vocasset.

Notandum porrò est, apud Pisonem, hanc apopl. facilioris vel difficilioris solutionis esse, prout sincerum serum est, vel mucis permixtum: Sed & ad talem apopl. fortiorem vel leviorem, solutu faciliorem vel difficiliorem prodocendam quoque faciunt, seri major vel minor copia, partium obrutarum multitudo vel raritas; cerebri robur vel imbecillitas, à paroxysmis vel nullis vel crebrioribus jam prægressis inducta: quorsum pertinet dispositio pertinacior, vel ad emendationem pronior &c.

Non pauca autem indicant illum *Reutingerum* sero abundasse, quod sensim intra calvariam collectum fuit, ob vigilias, quas *cardialgia peperit:* augebatur ob ingentem *capitis dolorem*, unde *Gutta serena* oborta est: cumulatum verò amplius, ad pet orificium occipitis juxta spinalem medullam defluens, urinæ involuntarium profluvium, hinc pedum paralysin, tandem fortissimam apopl. attulit subitò. Et quidem serum, non solùm omnes ventriculos cerebri, spatium intra meninges & fistulam spinalem, per quam medulla descendit, adimplendo, sed & cerebrum ac cerebellum comprimendo apoplexiam effecisse, amplius spatiam inter utramque meningem, quàm naturaliter esse solet, indubiè mihi persuasit: Etsi enim raræ guttulæ sanguineæ, ob defectum spirituum vitalium, illam generatam innuere videantur, non tamen huic adscribendam arbitror, cùm non penitus defecerint, nam sanguis & vitalis spiritus per arteriolas pulsu irruunt, ob quem aqua incumbens aliquomodo repellitur, ut aliquis adhuc influxus fieri possit: rariores autem erant, quia per aliquot dierum decursum nihil omnis

omnino alimenti assumpserat. Non negatim tamen minutissima capillamenta, superficiem perreptantia, in quibus pulsus elanguescit, à compressione non tuta fuisse, quæ fortè etiam raritatis gutturalium aliqua causa erat: at harum compressio tanti non est, ut universam molem sanguinis influxu privare possit, cùm intra profundiores anfractus majores arteriæ repant, quæ sanguinem ipsi impertire possunt.

Cerebrum cerebellumque deprimente] Non minùs universalis cerebri ac cerebelli *Compressio*, ceu apopl. causa, controversa est, ac fuit obstructio omnium meatuum spiritus animalis: Qui impossibilem judicarunt, excogitarunt cerebri compressionem in basi, quam ad actiones animales abolendas sufficientem putarunt: Verùm non satisfecerunt Clar. Nymmano aliisque, qui prævident nec sensus internos nec externos omnes hac ratione perituros, nec respirationem salvam fore, sed primò vitium passuram, cùm diaphragmatis & pectoris musculi nervos à medulla accipiant, quæ, præ aliquot nervis, cerebro & cerebello in basi compresso, necessariò læditur: Itaque si Compressio apoplexiam factura est, necessum erit ut cerebrum & cerebellum undiquaque prematur, omnes spirituum animalium viæ coarctentur, spiritibusque omnis effluxus præcludatur, cùm nervorum radices quaquaversùm in utroque diffundantur. Difficile autem erit tale corpus intra cranium reperire, quod cerebrum ac cerebellum eousque comprimere valeat, ut spiritibus animalibus omnis transitus idque brevi tempore denegetur: *Sanguis* equidem, sive arteria sive vena insigniore reserata, tam in habitu corporis quàm in partibus internis, celerrimè magnaque copia profunditur, nec ab eo interiora cranii immunia sunt: verùm alia planè ratione apoplexiam talis hæmorrhagia gignit quàm premendo, scil. cerebrum & cerebellum: tum spiritibus vitalibus, animalium materia; tum calore, omnium actionum *συνέργῳ* ptivando: & si fortè copiosius effusus comprimat, non tamen pressioni in abolendis actionibus animalibus primæ partes tribuendæ sunt, cùm pereant anteaquam quicquam premendo valeat: non secus ac alibi profusus, & vitales & animales actiones destruit citra ullam compressionem. *Bilem* tanta copia huc affluxisse, ac cerebrum in se coëgisse, sine exemplo est, nec quæ in universo redundat hepate huic compressioni sufficeret: ut taceam bilem sinceram, semper mordacem alios effectus producturam, maximè circa meninges, partes exquisitissimo sensu præditas, collectam, quàm apoplexiam. *Pituita* crassa, viscida, lenta, in & extra ventriculos nunquam tanta copia observata inter cranium fuit, quæ tantam molem comprimere valuisset. *Serum* ingenti copia non solum inter ventriculos, sed & in spatio, quod utramque meningem intercedit, cumulari nemo negabit, nisi in lectione observationum medicarum hospes sit, aut nunquam cadavera secuerit: Negat tamen Nymmannus serum magna quantitate in his locis collectum comprimendo apoplexiam efficere, adducto, 1. argumento Hydrocephali, in primis autem exempli adducti à Vesalio, vide sup. in quo aqua abundantissimè in meditullio cerebri, & in puella bienni, (in qua ætate cerebrum flaccidius & mollius adhuc, atque haud illubenter incumbentis impulsui cedere ac coarctari potest) congesta fuit, citra ullius actionum animalium læsionem ad mortem usque. 2. Serum magna quantitate minime subitò & confertim in parte aliqua vel generatur vel colligitur, sed sensim cumulatur, si exitus ipsi per consueta loca denegetur, unde etiam subitò & unico quasi momento premendo, omnem cerebri actionem aboleret, hominemque attonitum reddere nequit, sed unam actionem post alteram pessundabit, donec tandem omnes cum vita desinant. Insuper vix credibile est cranii cavitatem, repletis ventriculis & spatio inter meninges, plus seri admissuram, cùm cerebrum & cerebellum multis modis solidiora sint aqua, cujus impulsum potius retundent quam cedent, sero, ceu corpore humido & facile mobili, vel intra vasa restituto, vel potius retrocessuro ac alibi exitum quæsituro: Denique addit illos qui in apopl: defunctis serum copiosum conspexerunt, non meminisse fere semper in ventriculis cerebri aquosam humiditatem reperiri, etiam in iis qui apoplexia nunquam laborarunt: neque animadvertisse crassiores humores alibi existentes, secus ac *Columbus*, qui in gravi apopl. demortuis aquosum humorem purissimum, sed semper glutinosum invenit, Inter ea quæ spirituum animalium vias in cerebro & cerebello comprimunt, refertur decantata Galeni *διάθεσις φλεγμονώδης*, quò pertinet *ἀποπληξίης πληρώσεις τῶν φλεβῶν* Hippocrat. Quid illa sit, explicat P. Salius Diversus c. 2. de aff. partic. illosque erroris arguit qui exposuerunt hanc *διάθεσιν*, vel inflammationem, vel erysipelas, sive meoingum, sive cerebri ipsius esse, cùm ab ipsis alia symptomata producantur, nec spirituum aoimalium effluxus prohibeatur: Ipse verò statuit illam consistere in venarum arteriarumque nimia repletione à sanguine, cujus ratione fiat constipatio & constrictio, ut non tantùm spirituum transitus impediatur, sed & ipsi strangulentur & suffocentur, unde perfecta succedat apoplexia.

Sunt præterea alia quæ cerebrum ac cerebellum premere possunt, ut tumores frigidi, sensim intra calvariam prognati, calculi in cerebro & circa meninges reperti, globuli plumbei, telorum fragmina &c. Verùm cum hæc non universam molem coarctent, sed portionem saltem ejus aliquam, eamque exiguam, non apoplexiam efficient, sed aliter cerebri actiones lædent: aut si ad hæc apoplexia unquam sequuta sit, alia longera tione illam proculdubio quàm comprimendo produxerunt: neque sola illa effecerunt, sed concurrentibus aliis causis, nempe, vel sanguinis profusione, vel affl-xu ejus decenti impedito, vel excrementorum nimia collectione ob alienorum humorum præsentiam, vel læsionem aliquam particulæ internæ: à similibus enim vix fieri potest quin interiora lacerentur.

Atque hæc sunt quæ apud quosdam compressionem cerebri & cerebelli, ceu apoplexiæ causam proximam, si non impossibilem, certè difficilem reddiderunt: Et *bilem* quidem quod attinet, ut & *pituitam crassam* viscidamque, qualis quandoque emungitur, ac *Melancholiam*, nunquam illam compressionem fecisse haud invitus largior: quin etiam fateor *Sanguinem* extra vasa copiosius intra cranium effusum, potius cerebrum ac cerebellum necessariis spiritibus vitalibus privando, quàm universam molem premendo ac coarctando, hoc malum frequenter afferre; cùm sæpe ad largiores sanguinis in interiora profusiones, apoplexia subsequatur, antequam eâ copia ex vasis elabatur quæ ad compressionem sufficiens foret. ut proculdubio haud obscurè secunda & tertia historia comprobant.

Seri

Seri alia est ratio: observatum enim abundanter admodum illud intra cranium collectum fuisse: ipseque vidi non solùm ventriculos, sed & spatium inter utramque meningem eo repletum, ut ex histor. super. patet, quæ ad confirmationem hujus non parum faciet. Si itaque serum tanta abundantia, tum in ventriculis, tum in spatio inter utramque meningem cumuletur, ut naturalis & congenita horum cavitas illius amplius capere nequeat, quin etiam cum sanguine perpetuus novusque ejus affluxus accedat, nec per solitas vias excernatur, non video quare, utcumque vasta sit cerebri & cerebelli moles, ab illo non undique comprimi possit: quotidie enim experimur serum intra cavitatem aliquam corporis nostri conclusum, auctario novo jugiter accedente, illam magis magisque distendi ac ad stupendam magnitudinem excrescere, tantùm non præ mole rumpi: Quidni etiam ab incumbente, ac singulis momentis incrementa sumente seri appulsu, cerebrum & cerebellum comprimatur, atque ita coarctetur, ut spiritibus animalibus tandem omnem transitum deneget, cùm cranium densum ac osseum & cedere nescium, nulla vi expandi possit, cerebri vero ac cerebelli consistentia, multis modis musculorum ac membranarum substantia mollior sit, atque haud difficili conatu in se cogi possit?

De hydrocephalis argumentum insuperabile non est, internis scil. In his intra ventriculos aquam stabulari, ac potissimum puerili ætate historiæ docent: cùm autem in teneriore ætate cranii futuræ non tam arctè combinentur (accedente membranea ejus constitutione) haud difficulter intelligetur quare minùs in illa quàm in adultiore aut provecta ætate ac senibus comprimatur cerebrum ab aqua: in hac enim futuræ non tantùm arctissimè junguntur, verùm etiam non raro cranium planè coalescit, unde e pueris aqua, priusquam cerebrum premat, ventriculos distendit, crescente illo, etiam futuras non ægre cedentes divellit, tandem etiam membranas expandit, ut caput ad hanc molem excrescere possit: hinc aqua capacius spatium habens, necamplius augustis cranii cancellis coercita, minùs comprimendo valet: quorum cùm neutrum senibus contingere possibile sit, ob cranii duritiem ac unitatem, aqua quotidie intra cranium incrementa sumens, sibi spatium parat, ac obvia, qualia sunt cerebrum & cerebellum, premit, atque eousque premendo pergit, donec coarctis omnibus spirituum animalium viis, apoplexia sequatur. De puella Augustana hydroc. vide tit. de Hydroc.

Seri autem notabilem copiam semper in cavitate aliqua corporis nostri sensim colligi falsum est: Sæpè enim, brevietiam temporis spatio, magnam ejus quantitatem cumulari, vel soli hydropes subitanei abundè docent: nam sive ab eroso rene, aut rupto uretere, aut majore vase lymphatico, sive ab ingurgitata avidius aqua, calefactis nimium visceribus, fiant, brevi abdomen ad insignem magnitudinem attollitur: quæ etiam sanior ratio probat, cùm enim serum facile à sanguine segregetur, promptè secretum per patentia loca ex vasis excernatur, ac ob perpetuum sanguinis motum, indesinenter novum ad excretionem similem affluat, non longo tempore magna ejus copia in cavitate aliqua cumulari poterit, maximè si in massa sanguinea redundet, nec exitus pateat in cavitate illa in quam affusionis primordia fiebant. Et posito serum intra cranium sensim cumulari, non tamen sequitur illud nunquam universam molem, exiguo temporis intervallo, comprimere ac apoplexiam inducere posse: plurimæ enim morborum causæ plerunque sensim coacervantur, sæpe diu in corpore delitescunt, nullasque molestias exhibent, & non rarò pauca sui indicia præbent, antequam in actum deducantur, quod sæpe fit subitò, quod Vesalii hydrocephalus ostendit: Si verò adhuc copiosius in prædictis locis serum colligatur, nec ullibi ipsi exitus, nisi forte per ostium illud magnum in occipite, pateat; magis magisque accumulabitur, atque actionem unam post alteram prosternet, nervis illis primum læsis, quos serum debiliores & ad patiendum præ cæteris adaptatos invenerit: Et postquam ea seri copia redundaverit, quam dicta spatia capere nequiverint, cerebrum ac cerebellum, longa irrigatione infirmiora ac flaccidiora reddita, aliquando subitò corruent, ac ab incumbente sero comprimentur: unde spiritibus animalibus omni via ad exitum præclusa, restitantibus in medulla suffocatis, & forte vitalibus aditu negato, ob capillarium arteriarum superficiem perreptantium coarctationem, confestim omnes actiones animales abolebuntur, quod eò facilius fit, quia pleræque actiones jàm sublatæ sunt.

Inane autem commentum est cranii cavitatem interiorem non plus seri admissuram, quam ventriculi & spatium intra meninges capiunt: Etsi enim cerebrum & cerebellum aquæ solidiora sint, quia tamen impetu & pulsu afferuntur, cedere coguntur, non secus ac in macrocosmo torrentem nulla obstacula remorantur: Et quantus seri irruentis impetus sit, vel soli hydropici docent, in quibus nihil aquæ invium est, & nihil non perrumpit, ceduntque hepar, ventriculus &c.

Quæ ultimo loco Cl. Nymannus attulit, ipsi suo modo largiri possunt, ac fatendum est sæpe multùm seri, in & extra cerebri ventriculos repertum fuisse citra apopl. At tantam copiam, qualem Cl. Platerus invenit, & ego in *Reutingero* observavi, absque productione Apopl. unquam intra cranium, consolidatis aut firmiter combinatis ejus futuris, visum fuisse ambigo. Quæ de crassis alibi inquirendis humoribus monet, suam ὑπόθεσιν de Torcularis obstructione sapiunt, cui Columbi authoritas non patrocinatur, ut enim ille ventriculorum obstructionem sartam tectam conservaret, humorem aquosum purissimum, simul glutinosum memoravit. Atque ita ex his apparet Serum, copiosissimè intra cranium, in ventriculis & spatio inter meninges collectum veram apoplexiam *Comprimendo* producere posse: quam sententiam amplecti quoque videtur Clar. *Platerus* Tract. 1. l. 1. c. 2.

Ablata portione cerebri raræ sanguineæ maculæ. I. Aristoteles lib. 1. hist. Anim. in omnibus cerebrum exangue air esse; & neque parvum neque magnum vas ait desinere in ipsum? Sequitur Vesalius Fabr. corpor. humani lib. 3. c. 14. adstipulaturque Riolanus: Revera magna vasa, qualia hepar, lienem, renes &c. subeunt, per cerebri substantiam non decurrunt, at parva traduci veterum & recentium anthoritate demonstrari potest: Hipp. lib. 2. de morbis sæpe eorum mentionem facit, Galen. 2. de admin. anatom. l. 9. c. 2. per cerebrum & cerebellum venas disseminari scribit: Fallopius in Observ. Anatom. venulas & arterias capillares plurimas, per candidissimam cerebri substan-

substantiam auditoribus ostendisse ait: Idem affirmant Bauhinus, Spigelius & alii, insuper punctatim rubra apparentia argumento sunt sanguinem in substantiam cerebri effusum vasis coerceri: abscissa enim cerebri portione, sanguis se expandit, punctumque, quod primo exiguum erat, diffunditur atque amplius redditur. De vasorum autem distributione per cerebrum, ex qua de circulatione sanguinis per illud, constat, vide Clar. *Wepferum* l. c. p. 99.

Summopere utrumque flaccidum & molle erat.] Dubium an Serum extrinsecus cerebro ac cerebello incumbens, humectando Apopl. gignere valeat? Id pridem persuasus penitus eram, cum enim paralysim particularem, ab humore nervos aluente & admodum madefaciente oriti crederem, facile existimavi, idem omnium nervorum principium, & quidem facilius, quia nervis mollius, perpessurum: Verum aliud me docuerunt, non solum hydrocephali *Vesalii*, sed & anatome viri 70. annorum, qui phthisi obiit: hic fere ad ultimum usque halitum loqui potuit, ac ingentem dolorem in utraque femoris parte interna pertulit, quin etiam assiduè caput doluit &c. Vide historiam de cap. dolore. Si itaque quicquam serum extrinsecus humectando valuisset, unam saltem vel alteram actionem hic abolevisset, & loquelam prae multis, cùm undique serum diffusum extitisset, ac superficiei cerebri se insinuare coepisset: *Idem ibidem pag. 299.*

Cum stertore respiravit) Quod fortis ac vehementis apoplexiae indicium est: Superstitis autem in apopl. respirationis, cùm motus caeterum partium aboleatur, rationem hanc reddit *Regius* Med. 4. p. 362. Quia spiritus animales, qui supersunt, viam per nervos, respirationis instrumentis dicatos, ad influendum inveniunt: hi enim nervi ob motum respirationis (qui jam inde à prima nativitate, & dormienti & vigilanti, sine ulla intermissione continuatur) magis quam reliqui omnes totius corporis reliqui nervi & musculi [quippe qui per vices diutius saepe quiescunt] ad spiritus vicissim recipiendos sunt adaptati: Et cùm haec manifesta & sufficiens causa sit, nequaquam ad miram & occultam naturae providentiam, ac summam respirationis necessitatem confugiendum arbitrarur. *Idem.*

Ad iram proclivis) Iracundi duplices sunt, aut ob abundantiam caloris in corde, aut ob excessum caloris acris in ventre, qui os ventriculi contristat & proinde animam; quae duplex causa in *Reutero* contingebat, cujus temperies ad calidam siccam vergebat &c. Praeterea saepe cardialgia torquebatur, quae bilis dominatum in ventre arguebat.

Multum ipsi usum cum Baccho &c.) Etsi ad apoplexiae generationem immodicus vini usus conferat; A vino tamen inducta non est, nam quae ex vino fit, quàtumvis fortis, crebro solvitur cum ipsa crapula: tametsi haec non rarò interimat, praecipue senes, & eos qui diutina ebrietate cerebrum excrementis implevere. Quomodo ad Apoplexiam generandam conferat vinum Vide Not. ad Observ. 20.

**Tota cerebri & cerebelli superficies ceu gelatina &c.*) Quaeri potest unde ortum duxit gelatina illa? Respondeo illam nihil aliud esse quam serum sanguinis concrescibile, vel potius ipsum sanguinem per exiles vasorum disruptorum rimas effusum, & in gelatinam concretum, ob copiam aut acrimoniam melancholiae ipsi permistae: Si cui durior videatur haec responsio, advertat velim quae accidunt pleuriticorum sanguini in vasculo: Is enim utplurimum maximam partem in gelatinam albidam, & admodum viscidam, tenacem ac firmam mutatur, bona pars in serum tandem abit, ut ruber in paucissimo sanguine conservetur, imo aliquando fere totus evanescit: Haec omnia sunt effectus acidi vel in parte affectu exaltati, vel in totam massam effusi, seu ipsi à parte affecta communicatur, seu aliunde accedat. *Bayle Tract. de Apoplexia cap. 8.*

OBSERVATIO XLVIII.

Apoplexia à plurima aqua cerebrum diluente.

Apoplecticus concidit Sereniss. & Celss. Princeps Wilhelmus Lantgravius Hassiae, ex acidulis redux: aperta calvaria, aqua plurima diluebat cerebrum. *Casp. Rolfinkius Meth. special. p. 144.*

EX acidulis redux) Henr. ab *Heer* refert virum sexaginta annos natum, ex potu aquae Spadanae in Apoplexiam incidisse, cui paralysis fuit succedanea, & qua defunctus, cùm acidulas resorpsisset, novo apopl. insultu fatis concessit: Plures alios senes intempestivè illis aquis utentes consimili morbo sublatos vidit.

OBSERVATIO XLIX.

Apoplexia ab abscessu seroso in cerebro.

MAria N. post contusionem sincipitis vertigine afflicta fuit, tandem Apoplexia fortissima subito obiit. Inspecto cerebro, in sinistro latere tumorem, ovi magnitudine, cerebri tertium ventriculum comprimentem, aqua limpida repletum reperi. *Vide tit. de Vertig.*

OBSERVATIO L.

§. Apoplexia epilepsiam sequuta, à sero acri in cerebro, inter meninges & in ventriculis stagnante.

VIr annorum 30. (Tit. de Epilepsia) occubuit Epilepsia terminata in apoplexiam: Inter piam & duram matrem, ubique, uti & in ventriculis, magna seri copia stagnavit &c.

Observatio LI.

Apoplexia à vesicis rotundis aquosis corpori calloso incumbentibus.

Sacerdos quidam in fine consecrationis stolidus cum magna admiratione factus, & paulo post tempus apoplecticus brevi mortuus est: Secto cadaveris capite, *vesicæ aliquot rotundæ* albidæ, humore pituitoso repletæ, supra corpus callosum inventæ fuerunt, quas hujus lethalis morbi immediatam causam fuisse existimatum fuit. *Dom. Panarolus, Pentecoste* I. *observat.* 17.

V*Esicæ aliquot rotundæ.*) Ὑδατίδες vocatæ, de quibus supra. Si humor lymphaticus per vasa propria liberè non excurrat, inde fit ut pars illius in transitu hærens, exudet in cavitatem ab initio perexiguam, efformatam in membranosa partis substantia: eademque ex novo materiæ affluxu paulatim, cellula quædam in tunica oboriatur: Humor autem eo confluxus, initio tenuis, postea crassescit, & pituitæ formam induit. *Vide Barbette Pract. lib.* 4. *cap.* 4. *§.* 9.

Observatio LII.

Apoplexia ab abscessu in dura matre disrupto, cum corrosione tenuis & corticis cerebri, à pure inde manante.

Novi abscessu in dura matre excitato, & postea disrupto, cùm à pure fœtidissimo meninx tenuis, os & *cerebri cortex exederentur*, ægrotum primo in stuporem, & demum in Apoplexiam lethalem incidisse, qui tamen in toto morbi decursu symptomate quovis Epileptico immunis degebat. *Thomas Willis Pathol. cerebri cap.* 2.

Inde inferr Excell. Vir meningas in Epilepsia primariò non affici: Idem autem pus, à quo meninx & cerebri cortex exesa, ad originem nervorum decumbens apoplexiam induxit, compressione aut obstructione facta; immediate aut mediante cujuspiam vasis erosione, unde sanguinis effluxus: Sic variolis apopl. in puella supervenisse narrat Excell. *Wepferus* Exerc. de Apopl. p. 239. vase aliquo ab interna variola eroso; Eas quippe inferiorum partium, non secus ac exteriorum obsidere membranas compertum est.

Observatio LIII.

§. *Apoplexia à Tumore steatomatico constituto inter cerebrum & cerebellum.*

Vidit Clariss. Dom. *Drelincurtius* Tumorem steatomatis consistentia, pugnique magnitudine, cerebrum & cerebellum inter, eò præcisè loci ubi conarium utrique substernitur choroidis plexus alæ, spatio semestri à sensibili læsione, cæcitatem primò, surditatem subinde, omnium denique sensuum & functionum animalium abolitionem, & necem ipsam intulisse. *Ioh. von Flammerdinge Disputatione de Apoplexia, Thesi* 12.

Observatio LIV.

§. *Apoplexia à cerebri subsidentia, dissolutione & Fluiditate, ob pituitam ejus molem irrigantem.*

Si pituita cerebri substantiam longo impulsu adeo irriget, ut magna illa *cerebri moles mollior* laxiorque facta subitò diffluat & subsidat, nervorumque principium in basi calvariæ à cerebro prodientis premat, & *spiritum animalium transitum præcludat*, Apoplexiam gravem parit: uti quando ventriculos seu cavitates cerebri pituita subitò adimplet, *non obstruendo*, cùm spiritus animalis non in ipsis, sed in cerebri substantia undique & nervis sedem suam habeat, nec per ventriculos transeat, sed eodem modo cerebri basin gravando, apoplexiam quoque inducere potest: Quæ tamen, *si humor ex illis descendens nervorum ductum sequatur, in paralysin potest desinere*: Hæc omnia sic se habere in *Caro* apoplexia mortuis, ex eo quod copiosus *hic humor per os* runc illis *effluxerit* aliquando deprehendimus, & sectione quoque diligenti aperta crassa cerebri membrana, in quibusdam copiosum humorem mox prosilientem per capitis regionem ad thoracem usque descendisse, ipsam adeo cerebri substantiam in Anu quadam defluxisse observavimus Monspessuli, quæ subitò apoplexia tacta expiravit: hujus calvariam cùm aperimus, cerebrum illius in meninge crassa hinc inde fluctuare deprehendimus, Quod & dissecta apertaque dura dicta matre, liquo-

ris alicujus spissioris & albi pultem referentis per faciem universam defluebat, & hincinde in pannos dispergebatur. *Platerus Pract. lib. 1. c. 2. & Observat. lib. 1. p. m. 16.*

Ut magna illa cerebri moles mollior &c.) Quæ sit causa radicalis hujus universalis resolutionis, magna est apud Viros doctos disceptatio: Credo ego substantiam, seu corpus totius cerebri perpetuo motu, systole & diastole, naturaliter agitari, sive ille motus cerebro competat ex natura sui parenchymatis, seu communicetur per pulsum atteriarum, membranas cerebri ipsiusque substantiam perreptantium: Motus iste necessarius esse videtur ad circulationem sanguinis, ad spirituum animalium elaborationem, & denique ad illorum per nervosum genus in totum corpus propulsionem, aut, (si cui ita loqui lubet) irradiationem: Istum inquam cerebri motum, si impediatur & subsistat, ipsumque cerebrum quasi subsideat, dico causam esse principalem radicalem Apoplexiæ, seu Impotentiam hanc motus cerebri esse ipsam formale & Essentiam hujus morbi: omnes etenim effectus, omnia symptomata in apoplecticis occurrentia, surculi sunt istius pessimæ radicis, ita quidem ut etiam omnes & singulæ concausæ ad Apoplexiam efficiendam natæ, illam ipsam radicem respiciant, foveant, augeantque: Quod si dicas pro radice hujus mali, assignandum esse potius motum impeditum, unde spirituum motus & actio omnis tollitur, prout ex *Hippocrate* monuisse videtur *Pr. Martianus lib. 2. de Morbis versu 67.* Respondeo, quandoquidem cerebrum mentis principale est organum, spirituum animalium officina, nervorum demum prima radix, à quibus motus & externi sensus omnes dependent, equidem non video, cur non rectius in cerebro quam uspiam alibi Apoplexiæ essentiam reposuero, præcipuè cùm omnis morbosa agendi impotentia, non in humoribus viventibus, (quale cerebrum) necessariò consistat. *F. Ignatius. Thiermair. consil. med. lib. 2. cap. 2.*

Spirituum animalium transitum precludat] Primus quod sciam inter recentiores G. *Nymannus*, ausus est negare ullam veram Apopl. generari à spirituum animalium effluxu omnimodè intercepto: Nostra autem sententia id fiet ob principii omnium nervorum, vel Compressionem subitò factam (ut in allato exemplo) onde denegatis spiritibus quantumvis abundent vitales, apoplexia sequitur, vel ejusdem obstructionem: De Compressione vide Notas ad c. *Wepferus p. 243.*

Non obstruendo ventriculos &c.] Si non ventriculos saltem substantiam cerebri & cerebelli: Utrumque enim porosum esse, non solùm arteriolarum (quarum plurimas recipit) ratione, cujusmodi poros non paucos oculis usurpare licet, sed & propter spiritus animales, qui ex substantia utriusque in nervos propellendi sunt, supponendum est: Hos enim spiritus corpus quoddam esse, quælibet fere particulares partium paralyses, & nervorum ligaturæ docent: Si namque spiritus isti in numerum qualitatum spiritualium referendi essent, hos obices facile possent superare (non secus ac lumen densissima vitra transit, atque odores escarum à piscibus profundissimis alveis immersis percipiuntur) nunquamque ulla vel ab humore vel vinculo paralysis generatur, sed omnis nonnisi disecto nervo fieret. Deinde necessum & ut pori medullosæ substantiæ patescant arteriolis per eam dispersis, nisi enim aperti sint, citissimè deficiunt animales spiritus, cùm summopere indigeant perpetua spirituum vitalium refocillatione, qua denegata brevi actiones pereunt: Quibus positis, haud difficulter intelligetur medullosam substantiam cerebri obstrui posse; atque hinc quoque manifestum evadit unde humor obstruens affluat, quia enim duo tantum vasorum genera substantiam hanc subintrant, venæ scil. & arteriæ, his potius hæc provincia deferenda erit, quàm illis, cùm per arterias in omnes partes influant, per venas ad cor refluant: Lymphatica verò vasa hæc loca irrigare nondum notum est. *Wepferus pag. 243. &c.*

Si humor ex illis descendens nervorum ductum sequatur &c.] Carol. Piso de morbis à sero sect. 2. p. 2. cap. 5. Apoplexiæ tres species statuit, Fortissimam, quæ spiritum statim adimit, interimitque: Fortem, quæ violentum intentumque & sublimem spiritum reddit; Levem, quæ difficilem adhuc & explicatum ante spiritum trahit: Primam à mucoso humore fieri statuit, sive solo, sive potius sero immixto, sed ea proportione ut ille hoc multum superet: Levem contra à sero sive solo, sive mucori permixto, sed in pauca admodum quantitate, ut serum longè muco prædominetur: Fortem denique à miscella utriusque non valde dispari mensura coalescentis: Rectèque infert ad productionem levis apoplexiæ, & ejus quæ vel medicamentorum usu, vel citra hunc, paulò post à paralysi utriusvis lateris excipitur, parum læsis sensibus internis, serum præcipuam causam existere: quod crassus, viscidus & lentus humor vix possit in principium nervorum excuti subitò; aut cavum nervorum, sensibus impervium, subintrare, aut in eos deductus, omnino resolvi & dissipari, cùm enim id à calore sperandum sit, potius is humores glutinosos, in halitum dissolvet.

In Paralysin potest desinere] Quod facta obstructione potius quàm per compressionem contingat: comprimens enim causa vix poterit simul & semel omnes actiones abolere: nec adeo subitò omnis materia expelli, aut hemiplegiam inducere: Quo pacto enim serum, cerebrum & cerebellum ambiens, huic potius quàm illi medullæ parti se insinuabit? Quid ad alterutram, aut quosdam nervos, aliis intactis impellere valebit?

Hic humor per os effluxerit] Affine est exemplum quod adducit Car. Piso, l. c. de puero 12. annorum, qui circa solstitium hybernum, sine sensu ac motu derepente concidit, ac 12. morbi hora suffocatus est: hunc ait merum mucum, sed spumosum, cum anima per nares reddidisse, confertim non stillatim, quomodo affectis pulmonibus aliquando excernitur, ut absit omnis suspicio è thorace manasse.

* *Ut cerebri moles diffluat & subsidat*) Ab ejusmodi cerebri dispositione omnimodam expectari debere functionum animalium abolitionem & mortem inevitabilem inficiari nemo potest: at cerebri illa depressione, ob illam atoniam necessario excitari veram apopl. nemo unquam dicet; nec enim inde orietur stertor, sed respiratio statim abolebitur, non secus quam aliæ functiones animales. *Bayle Tract. de Apopl. pag. 59.*

OBSER.

APPENDIX.

§. *Historia Apoplexiæ à cerebri subsidentia contingentis, ob tumorem cranii resectum.*

MUlier Leidensis tumorem in dextra sincipitis parte gestavit externum: ablatus ille fuit Chirurgi periti celeri manu; & sine ullo gravioris mali metu tres dies effluxerunt: Sed quarto die, subitò invadente apoplexia, moriebatur, ut prædixerat aliis motus similibusque exemplis Clar. Walæus: Quia in hujusmodi capitis tumoribus læditur pericranium: quumque hærentes matres internæ dilatantur, concidit cerebrum comprimitque ventriculos. *Thomas Bartholinus cent. 4. histor. 86.*

COncidit cerebrum comprimitque ventriculos) Hofmannus subsidentiam totius molis cerebri ceu absurdam irridet, At si illi accedat causa comprimens, non omnino impossibilis censenda est; Universum enim medullosum corpus spiritibus tam vitalibus quàm animalibus refertum elevari, & tantùm non omne cranii spatium implere, iis vero orbum subsidere vel infantes moribundi probant, dum in illis, non solùm circa futuram lambdoideam & sagittalem, manifesti & profundi sulci conspiciuntur, sed & membranea cranii dispositio, prope conjunctionem sagittalis & coronalis suturæ, foveolam nancisci deprehenditur: non aliam ob causam proculdubio, quàm cùm cerebri universa moles, ob instantem mortem frigidior & gravior facta, subsidet, secumque falciforme corpus & laterales sinus annexos detrahit: Si ergo subsidentia compressioni ab incumbente corpore accedat, coarctatis in universo cerebro meatibus, & impeditò spirituum effluxu, utrique apoplexia generabitur. *Wepferus pag. 298.*

OBSERVATIO LV.

§. *A sanguine circa basin cerebri & rete mirabile effuso, cum cerebelli syderatione.*

QUidam ictus à sclopeto concidit protinus in terram &c. Videre fuit prope plagæ locum, extimam cerebri membranam tum lividam, tum flaccidam, & non uno loco cruore atro obductam: cerebellum vero planè syderatum &c. *Vide lib. 6. de Vulneribus.*

OBSERVATIO LVI.

§. *Ab hydatibus circa temporales arterias, cerebri flacciditate, &c.*

PUer præceps in caput ceciderat &c. ac postremò apoplexia enecatus: Detractâ defuncti cute ex capite plurima effluxit aqua: circa temporales arterias hydatides repertæ plurimæ &c. Aquæ tantillum in cerebro substantia planè flaccido &c. *Vide lib. 6. de Vulneribus.*

OBSERVATIO LVII.

§. *Apoplexia citò interimens, cerebro omnino salvo & incolumi, Solo vitio in Pulmonibus apparente.*

SEnex Theologus, vir probus & pius, corpore obeso, nec non collo breviore & toroso præditus, diu valetudinarius & vitam sedentariam agens, cacochymiam valde scorbuticam contraxerat: respiratione difficili & anhelosa & capitis gravitate & torpore insolito affectus, vix quicquam præterea laboris aut exercitii præstare poterat quàm quod quotidie è cubiculo ad sacellum iret & rediret: Quodam mane capellam paulo ante preces ingressus, dum genibus provolvitur, derepente perculsus & mox ἄφωνος & insensilis factus in humum concidit; Illicò vero sublatus & vestibus exutus, lecto concalfacto imponitur: Ipse aliique Medici mox accersiti reperimus eum, non modo absque sensu, pulsu & respiratione, sed toto corpore frigentem & planè rigidum: nec ullis remediis, aliquandiu licet diligentissimè adhibitis, ad vitam aut incalescentiam revocari potuit, unde suspicati sumus à primo ictu cordis pulsum penitus adhibitum fuisse, flammaque ejus extincta sanguinis statis omnem motum suppressum fuisse.

Postridie cadaver exanime satis & obriguisse visum, aperuimus, nihil dubitantes quin affectus ita subitò lethalis vestigia satis clara, intra ἐγκέφαλον relicta, in conspectum prodirent: Verùm illic, aut in alia quavis parte, morbi, licet atrocissimi, ne vel umbra quædam supererat vasa meningas irrigantia sanguine mediocriter repleta fuerunt, absque ulla tamen phlogosi aut extravasatione: Cerebrum, cerebellum & medulla ablongata, cum processibus eorum omnibus & prominentiis, ubique firma & bene colorata, tum extra, tum intus per totum apparebant: Nec serum nec sanguis effusus ullibi intra eorum poros & mea-

meatus, nec etiam intra ventriculos majores coacervabatur: quinimo plexus Choroeides tum intra cerebri cavitatem, tum pone cerebellum consiti, omni culpa immunes videbantur: adeo ut materies morbifica, æque tenuis ac subtilis ac sunt spiritus animales, quos affecerat, prorsus inconspicua maneret, ejusque illic præsentiam tantummodo ab effectu arguere liceret: Attamen ne alibi extra caput lateret illa, post fingula τῦ ἐγκεφάλε contenta accuratius inspecta, ad Thoracem devenimus, ubi pulmones discolores & ichore spumoso per totum infarcti, respirationis difficilis & anhelosæ causam satis manifestò probabant: Cor verò satis sanum ac firmum, obstructione quavis aut polyposis concretionibus immune prorsus existebat: porro nec in vicinia ejus, nec in aliis circumcirca visceribus, abscessus quispiam aut apostema, à cujus contactu aut fœtore cor opprimi, aut spiritus vitalis (si modò hoc possibile est) derepente suffocari potuit, reperiebatur.

QUamobrem in hoc casu nihil aliud suspicari licuit, quàm spiritus animales intra cerebelli medullium, consitos à particulis quibusdam malignis, sive narcoticis, sive aliàs infestis, subitò profligatos & quasi extinctos fuisse, proinde ut cordis, quasi primi in machina elateris, motu illico deficiente, statim cæteræ omnes functiones, earum impulsibus ademptis, prorsus cessarent. *Willisius Tract. de An. Brut. parte 2. c. 8. pag. 375.*

Torpore insolito) Comite proculdubio somno nimio, somnus autem si longius protrahatur, aut statim à cibo sumpto incæpit ad causas, cerebrum replentes refertur, hinc merito pomeridianus malè audit: etsi enim somnus magoum naturæ beneficium sit, cujus adminiculo animales spiritus non parum refocillantur, si vero immodicus fit aut intempestivus, manifeste caput gravari sentitur, dum scil. amicæ exhalationes, juxta spirituum animalium defectum somnum efficientes, longius durante somno, quasi congelantur ac mea us medullæ obsident. *Wepferus p. 259.*

Toto corpore frigentem) Unde forsan syncopes suspicio, in qua extrema plerumque frigent: Sed medici in arte exercitati confusuri non sunt syncopen cardiacam & apoplexiam, cum à mediocriter etiam in arte versato utriusque discrimen facile agnosci possit; nam in syncope extrema frigent, facies pallescit, sudor frigidus erumpit, pulsus evanescit atque respiratio penitus aufertur: In Apoplexia vero abolitis actionibus animalibus nihilominus respirant, arteriæ pulsant, extrema calida ut plurimum deprehenduntur, & quandoque facies rubicunda conspicitur: Ante annos aliquot Nob. quidam in Præfectura Giessensi commorans, hic notissimus ob proceram staturam & vultus elegantiam Dom. *Choudens de Grema* hora x. matutina repente concidit, ἄφωνος; cum levibus ut ajebant spasmis: Absente Medico ejus familiari accurrit junior quidam qui apoplecticum indicat, quia adstans muliercularum cohors sic censebat: In subsidium advocatus ex extremorum frigore, pulsus & respirationis carentia, vultusque paliore syncope affectum indicavi: Consentit prior medicus, obstant mulierculæ contra quas acriter mihi dimicandum fuit: absens Matrona quædam nuntium mittit qui facessere Medicos jubeat nisi apoplexiam pronuntiarent: Cœli satageret edixi per eundem nuntium, me oculatum esse testem & magistrum artis, illam auritum tantum & imperitam; Vinum porrigi consulo, omnes obstant, præterquam hospes illius, (æger enim erat in diversorio publico) allatum ipse exhibeo ex cochleari; illico motus labiorum adparuit, vinumque viam sibi facit; alterum præbeo, quod avide hausit; tertium dare paratus illico exsurgit qui mortuus censebatur, melius se cunctis adstantibus habere dicens: togam petit quam induit & in proximas latrinas sine custode secedit, unde hilaris rediens cibum & potum poscit; eademque die sub vesperam domo egreditur; nulla ne minima quidem in posterum injuria superstite: Causam nullam repentinæ animi defectionis afferre non valuit.

Pulmones discolores & ichore spumoso &c.) Quæ partes in hoc morbo afficiantur declarat *Hippocr.* 2. de morb. 1. 6. *Patitur autem hac cum atra bilis ipsi commota fluxerit, maxime in partem in qua plurimæ sunt venæ, in collum, inquam, & pectus: deinde postridie sideratus fit & impotens, sanguine nimirum perfrigerato.* Cerebrum affici & spiritibus destitui, ob sanguinis coagulationem, satis intelligitur ex impotentia & abolitione functionum animalium; Stertorem verò & respirandi difficultatem ex eadem sanguinis coagulatione dependere agnovit *Hippocrates*: quippe observaverat in forti apopl. in qua magna est respirationis difficultas, venas in collo intumescere, unde rectè inferebat pulmonis venis capillaribus obstructis, sanguinem, ejus circuitu impedito, in venis jugularibus stagnare, & latiores pulmonum venas distendere, unde necessario sequitur bronchiorum angustia, ut in summa respirationis necessitate sufficiens aëris quantitas nequeat inspirari, nisi magno conatu thorax plurimum dilatetur, cum in moderata dilatatione ejus cavitatem impleant pulmones sanguine distenti. Ex quibus constat in Apoplexia exquisita pulmones affici & sanguinea ipsorum vasa obstrui, *Bayle Tr. de Apopl. pag. 71.*

OBSERVATIO LVIII.

§. *In cujusdam quem Apoplexia extinxit cystide fellea, decem calculi reperti.*

ANno 1653. Aprilis 18. Castris Nob. D. Ferrand Apoplexia mortuus est, in cujus cystide fellea decem calculi nitentes, coloris flavi subobscuri, & aliquomodo triangularis figuræ, fabæ magnitudinis reperti sunt, quorum duos ego in musæo meo curiositatum asservo, *Petrus Borellus cent. 3. observ. 22.*

AN ea vesicę felleæ obstructio Apoplexiæ causa esse poruit? In dubium enim revocatur num bilis eam concitare possit, Vide Notas ad caput 17. Sed quanquam hactenus deprehensa non sit Apoplexia à bile genita, certum tamen naturam non semper bilem quotidie genitam ad amhitum expellere sed sæpe ad alias partes, imò nobiles: *Scultetus* Armam. Chirurg. Observ. 18. ait se secuisse cadaver Nobiliss. Galli atrocissimis coli doloribus confecti, cujus colon intestinum cancro occulto affectum erat, proculdubio ab obstructione pori biliarii; cui, qua parte duodeno inseritur, infertus erat lapillus pisum æquans, natura bilem ad colon deponente: Idem ibidem ait Venetam Cancro uteri exulcerato interemptam fuisse, cujus cystis fellea à calculo insigni omnino obstructa fuerit.

Observatio LIX.

§. 1. *Apoplexia à fulmine excitata.*

PUellam vidimus in qua nullum ictus vestigium apparebat, circa dorsum duo tantum erant signa à summo ad imum pertracta, quæ à pyragra candenti facta videbantur: Intus nihil erat incommodi præterquàm in una pulmonis pinnula, in cujus fine exustio quædam videbatur. *Brassavol. comm. ad lib. 1. Hipp. de vict. acut.*

§. 2. Anno 1581. Vesontione cùm campanarii contra tempestatem campanas pulsarent, quidam ex illis fulmine peritus inrerit: Totum ejus corpus inspectum sine ullo vulnere & pellis inregra apparuit: eo excepro quod collum denigratum nonnihil, & collare indusii scissum fuit: Ejus corpore aperto, præcipua viscera cor, hepar & lien desiderata sunt, reliquis minutioribus intestinis sideratis: Iis qui ipsi adfuerant pedes tantum ambusti fuerunt: *Ex Observ. I. Gilberti. Medici Vesuntini.*

A Fulmine induci posse apoplex. ait *Benevitius* de abd. cap. 23. qui partem & filium uno & eodem momento, à fulmine tactos, apoplecticos evasisse, iterumque integrè sanatos fuisse refert: hujus enim potentia tanta est ut humores cerebri commovere, hominesque attonitos reddere valeat. Narrat Hildanus cent. 3. Obs. 26. de quodam famulo fulmine icto & occiso, cui caput paulò post intumuit & nigrum evasit, unde graviter læsum fuisse cerebrum constat. Rarius tamen veram apoplexiam excitat, nam ut plurimum, vel planè occidit, vel ita prosternit, ut colore faciei vivido deperdito, pulsuque & respiratione prorsus ferè ablatis, icti mortuis similes appareant.

Observatio LX.

Fulmine icti & enecati Anatome.

CAsus hic accidit die 19. Maji 1666. Medleji, quod hinc uno milliari abest. Duo Scholares Collegii Wadhamensis, qui soli fuerant in scapha quadam à littore non pridem remora, Medleji ad redeundum domum, positi in capite scaphæ infelici ictu Tonitru aut Fulguris statim ex scapha in aquam excussi sunt: Alter eorum ita ictus est ut plane rigidus moreretur; & ex aqua post vix unius minuti moram (uti ex relatu acceptum) extractus, nullum vel vitæ vel sensus motusve indicium proderet: Simul atque ex aqua mortuus fuit exrractus nihil remediorum inexpertum relictum est, sed frustra erant omnia: Quare postridie ejus diei in urbem sepulruræ causa delarus est, ubi Doctor Willisius, D. Mellingtonus, D. Lovverus & Ego accessimus, avidi lustrandi corpus mortuum, si forte in eo particularia nonnulla observanda venirent.

In universa ipsius cute nullum apparebat vulneris vestigium: Facies & collum nigra erant & livida: sed non in majore gradu quàm solet procedere ex sanguinis sedimento: In dextra colli parte macula quædam parva nigricans, digitum unum longa; quartam verò digiri partem lata, ad summum, nota ferro candenti inustæ haud absimilis conspiciebatur: Habebat & aliam paulò majorem, ut memini in altera, i.e. sinistra colli parte, infra aurem: Directè intra, in iarere pectoris sinistro, locus erat novem circiter digitos longus, & duos digiros latus, hic amplius, ibi minus qui erat adustus & durus ut corium igni duratum, colore rubro valdè sensibili, in nigrum vergente, cuti porcelli assari similis: In parte anteriore humeri sinistri aliam habebar similem maculam unius circiter solidi magnitudine, quæ tamen tam nigra & notabilis haud erat quàm illa quæ in collo apparebat: A vertice humeri dextri deorsum, versus dictam pectoris partem, erat tenuis linea similis cuti adustæ, quasi aliquid in eam juxta collum intrasset, & infra versus pectus delapsum ibi se laxasset & ad finem callis ampliorem campum aperuisset: Maxima pars globulorum Thoracis ejus ablata fuit; collare fuit disruptum, Pileus mirè erat laceratus, non quidem exactè per cacumen, sed per latera pilei & extrema: à latere ejus erat foramen majus pugno; quædam ejus partes omnino abruptæ, & inde undique hiarus sparsi erant, quasi pileus fuisset dissectus aut laceratus instrumento obtuso; Et præter illos una aut duæ fissuræ aliæ erant, quæ non committebantur foramini in latere: In reliquo vestimento nullum

casus istius vestigium cernere licuit, neque odorari odorem aliquem sulphureum, cujus rei causa fuerit, partim quod jam temporis nonnihil post casum elapsum esset, partim quod vestimenta statim aquam hauserint, in quam inciderat homo: Sequente nocte tres Doctores supra memorati & Ego convenimus, & capitis apertionem fecimus, ut animadverteremus si quid in eo veniret, sed nullum contusionis indicium apparuit: cerebrum erat integrum & optimè constitutum; Nervi quoque erant integri & nullo malo læsi: vasa cerebri plena & bene disposita, sic ut nihil extraordinarium in iis oculis nostris subjiceretur: Negandum quidem haud est aperturam illam factam ad lumen candelæ, non examinari potuisse pro votis, quamvis partem satis accuratè ob brevitatem temporis (mox enim humandum erat cadaver) lustraverimus; Sunt qui imaginantur vidisse fissuram quandam in cranio exiguam quique illud tenuerunt dum serra dissecabatur, asserunt ibi se quandam percepisse rupturam, seu dissonantiam in manibus, apparebatque in oculis simile quid, verum tantillum id fuit: Ad tempus dextrum capilli manifestè erant adusti, & inferior pars dextræ auris paulo nigrior partibus circumsitis, sed mollis, & fortassis illius causa tantùm fuit sanguinis sedimentum: Pars superior humeri sinistri & sinistra colli, facies etiam aliquanto nigriores apparebant reliquis partibus corporis, sed an illud evenerit ex ictu rumpente collare, & inurente ei rotundam rubram maculam, aut tantùm ex sanguinis sedimento, non satis compertum habeo: attamen puto maximè fieri potuisse, ut tam caput quàm partem illam colli læserit prægrandis ictus, cum contusione insequente (videturque ita accidisse ex dilaceratione pilei & disruptione collaris, & fortassis ex fissura cranii) nullo tamen existente signo contusionis, quia per immediatè sequentem necem non licuerit sanguini, ad illam partem congregari ibidemque subsidere, (quod in contusionibus est causa nigredinis) ita ut non secus esset ac si corpori recens mortuo talis ictus inflictus esset, ubi non solet accidere tale symptoma contusionis postquam sanguinis circulatio desiit.

Examinato itaque capite, Pectus quoque apertum est, & inventa adustio transiisse penitus totam cutem, quæ in locis illis adustis dura erat, & quasi cornea ac contracta, sic ut non esse tam crassa ac tenera seu mollis cutis quæ circa istam erat; interim tamen sub cute nullum ejus rei erat vestigium: Musculi erant in situ suo naturali, neque quicquam ordinarii coloris amiserant (fortassis ob rationem jamjam memoratam de capite, collo & humero:) Tum sublato sterno, pulmones & cor coloris soliti nihil remiserant, neque quicquam alterationis prodebant:

Hæc igitur sunt quæ imprimis illo in casu sunt observata, quibus & hoc addo, noctu corpus multo magis tumidum fuisse quàm mane, odoremque sparsisse penetrabilem & fœtidum; id quod fortè tribuendum æstui tempestatis & calori quem multitudo in conclavi effusa concitaverat. *Actorum Philosoph. Londinensium anni 1666. pag. 107.*

Observatio LXI.

§. 1. *Apoplexia Ischuriam sequuta, ob vitium renum calculis obsessorum, serum non excipientium.*

Matrona post sanguinis & materiæ purulentæ cum membranis mictum, urinæ suppressionem per 14. dies passa, Apoplectica interibat. Illi Ren dexter omnino defuerat; Alter materia sabulosa & calculis undique oppletus. *Vide lib. 3. Tit. de Urinis non natural.*

§. 2. In cadavere muliebri ex Apoplexia defuncto visus ren dexter atrophia correptus, cum calculo in pelvi sinistri; *Vide lib. 3. Tit. de Ischuria.*

Additamenta.

Observatio I.

In sectis apoplecticorum cadaveribus, sanguis concretus in ventriculis cordis, & in vasis sanguineis, Pulmonum, repertus.

Carolus Fracassatus, Medicus Pisanus, in Dissertatione de cerebro refert, jubente Sereniss. magno Duce Etruriæ, ut Apoplexiæ causa inquireretur sectis cadaveribus eorum qui hoc morbo moriebantur, se invenisse *sanguinem concretum* in ventriculis cordis, & in vasis sanguineis Pulmonum, eo modo quod solet concrescere cum aquæ fortes in venas infunduntur: variis autem modis fiunt ejusmodi concretiones pro varia aquarum fortium natura & sanguinis constitutione: alias enim totus sanguis in unam molem coagulatur, alias in moleculas concrescit, quæ nullam habent inter se cohæsionem: Quocunque modo fiant illæ sanguinis concretiones, necesse est vasorum sanguineorum ramos capillares obstrui,

obstrui, spiritus extingui, & supra memorata accidentia excitari si in cerebro & pulmonibus sanguis concrescat: Hic advertere oportet quod notat idem *Fracassatus*, venas ad quas aquæ fortes infusæ pertingunt, disrumpi, quod accidit partim, vel quia aciditatis afflatu ita constringuntur, ut quem continent sanguinem ægre complectantur; qui forte primo aquarum fortium appulsu, & in ipso coagulationis principio in molem majorem expanditur: vel quia denegato transitu sanguini impellenti & impulso, debiliores factæ venæ scinduntur à copia qua distenduntur. *Franc. Bayle Tract. de Apoplexia cap. vij.*

Sanguinem concretum) Veram Apoplexiæ causam attigisse Hippocratem Vir Clarissimus Tractatu dicto demonstrat, ex pluribus ejusdem locis, 4. de Diæta Acut. & 2. de morbis; *stationem* scil. *sanguinis*; *Quia*, ait, *dum sanguis non movetur, fieri non potest ut non etiam corpus quiescat ac torpeat*: Est enim (*inquit vir Clariss.*) sanguis primum caloris naturalis susceptivum in corpore animalium, à quo solo, & cum quo vivificus ille calor in partes omnes diffunditur: Nec solum motu suo circulari sanguis singulas partes perluens illis calorem impertit, & alimenti materiam suppeditat, sed etiam spiritus aliosque succos, ad varia munia obeunda necessarios dispensat, unde fit ut sanguinis motus non possit penitus cohiberi quin functiones omnes statim intercipiantur. At causa *stationis*? Eam assignat Hippocr. illius *corruptionem*, *unde*, inquit, *corrupto sanguine & spiritibus non potentibus naturales in ipso vias permeare, perfrigerationes fiunt ex statione, vocis interceptio* &c. Per corruptionem autem intelligit Hippocr. illius mutationem, qua vel ipsi spiritus fiunt torpidiores, vel sanguinis particulæ magis quam antea inter se connexæ ac cohærentes spirituum motionibus obsistunt, coarctatisque poris iisdem viam præcludunt, unde fit ut sanguinis particulæ nec à jam genitis spiritibus in solitos concitentur motus, nec ex sanguine novi suscitentur spiritus. Ex Hippocr. itaque impotentiæ ad motum in Apoplexia, causa est coagulatio sanguinis, qua fit ut sanguis restagnet in vasis, illorum exilia oscula facile nequeat permeare, paucosque, ac tandem nullos ad functiones animales obeundas spiritus cerebro largiatur: Causam autem quæ sanguinis subitam coagulationem efficere potest, tradit Hippocr. 4. de diæta acut. *Atram bilem, cum dolores præcesserint*, inquit, *atræ bilis, & acrium fluxionum affluxus fiunt*, Et paulo post, *unde corrupto sanguine, & spiritibus non potentibus naturales in ipso vias permeare, perfrigerationes fiunt ex statione &c.* Idem tradit 2. de morbis 61. Non modo autem ex symptomatis Apoplecticorum deducit Apopl. causam esse humorem melancholicum, aut atrabilarium subito commotum, coagulantem sanguinem cui commiscetur, ut coagulum in caseum cogit lac, in quo dissolvitur; Sed etiam ex eodem humore, cum à debita mediocritate deficit, futuram apopl. denuntiat: Sic aph. 56. 6. *in morbis atrabilaris periculosi decubitus, aut apoplexiam corporis, aut &c. significant*. Et aph. 40. 7. *Si lingua derepente incontinens fiat, aut pars aliqua corporis apoplectica, signum est melancholicum*. Et in coacis, *Sideratis si hemorrhoides accidant, utile est*. Evacuato scil. sanguine atrabilario. Et aphor. 57. 6. *Siderationes maxime fiunt ea ætate quæ est ab anno 40 ad 60*. Illa enim ætate melancholia obtinet dominatum, in qua necesse est sanguinem magis ad constitutionem melancholicam vergere quam reliquis: consumptis enim spiritibus, & partibus mollioribus sanguinis in prægressis ætatibus, sanguis fit biliosior fervidiorque ac acrior, tandemque ad acidum vergit, calore sensim deficiente, & acido olim volatili & maxime fugaci crassiore & magis fixo facto: Accidit enim sanguini fere idem quod vino, cujus calor in principio moderatus sensim effervescendo evadit intensior, sed qui spirituum dissipatione, aut facta quocumque modo illorum alteratione rursus remittit, cum vinum acorem contrahit: nec hic mutationum est terminus, acetum enim progressu temporis in liquorem aquosum & vappam mutatur: Summa vini senectus aut mors, est illa in vappam mutatio, in qua nil nisi cadaver vini superest, omnis virtutis & activitatis expers: verosimile est parem fieri mutationem in illorum sanguine qui solo senio contabescunt, aut è vita decedunt. Pro certo adeo & indubitato habebat Hippocr. solam melancholiam esse unicam propriè dictæ apoplexiæ causam, ut ex symptomatis apoplecticis inferat melancholiam, unde data occasio aphor. 40. 4. *Si subito lingua impotens fiat, aut pars aliqua corporis stupeat, signum est melancholicum*: Sola enim melancholia subito sanguinem & spiritus figendo potest subito ejusmodi affectiones producere: Demum epileptici facile in apoplexiam incidunt, & observante *Martiano*, quæ paroxysmis epilepticis succedunt, eæ maxime lethales: At epilepsiæ vera causa, juxta Hippocr. est melancholia, & ex eodem melancholici fiunt facile Epileptici, & contra. Objicies, Apoplexiam & Epilepsiam eadem causa facere non potest, cum symptomata è diametro sint opposita; Respondeo idem in genere agens effectus diversos posse producere; 1. ratione virtutis majoris aut minoris. 2. ratione diversitatis patientis, 3. ratione aliorum quæ vel ad eundem effectum producendum concurrunt, vel ejusdem productionem impediunt, vel quacunque ratione in modo operandi agens determinant: Si humor melancholicus in capite commotus multus sit, & insigni polleat aciditate, spectata quantitate & vi salis volatilis per sanguinem fusi, statim sanguinem figit, & impedita spirituum generatione, aut influxu eorum prohibito infert resolutionem; Si vero abundet quidem & sit acidior quam debeat esse secundum naturam sed sales sanguinis volatiles sint quantitate & qualitate superiores, à quacunque causa humor melancholicus commoveatur in capite, vividior excitabitur effervescentia, quam consequetur vehementior spirituum impetus, & inordinatus eorum influxus in organa motus, & prout variæ contingent in hac effervescentia & humorum agitatione inordinationes, varia symptomata ægrum infestabunt: In utroque casu prout varii humores in sanguinis massam effunduntur, aut qui jam erant in ea contenti, in actum deducuntur, variæ apparent vicissitudines, ita ut aliquando apoplexia fit motibus convulsivis interpolata, & aliquando epilepticorum motus convulsivi in lethalem apoplexiam desinant. *Videndum porro utrum melancholia possit pathognomonica Apoplexiæ symptomata producere?* Præcipua melancholiæ qualitas, à qua potissimum ipsius activitas dependet est aciditas, vi cujus, quando est modica moderatam san-

sanguini consistentiam largitur, immodicam vero quando copia excedit, & aucta aciditate facta est actior, maxime si conjunctam habeat austeritatem, aut acerbitatem, tunc enim vim insignem habet figendi sanguinem: Testatur enim experientia sanguinem affuso acido non modo extra vasa facilius concrescere, & quod ab ipso secretum est serum instar aquæ liquidum & limpidum affusione acidi pari modo coagulari, sed etiam intra vasa, si acidi liquores infundantur, easdem excitari coagulationes. Cum itaque acida vim illam obtineant, manifestum est melancholiam, in aliqua parte collectam, & factam acidiorem, si inde dimoveatur, & in massam sanguinis confluat, posse in illo coagulationem excitare, spirituum motum sufflaminare, eorumque generationem prohibere: Si illa melancholiæ acidioris collectio, & in sanguinem effusio, contingat in cerebro, necesse est in illo spirituum generationem, & influxum minui aut omnino prohiberi, prout major aut minor fuerit humoris multitudo, major aut minor ejusdem aciditas aut austeritas: Ut autem modus quo illa collectio & effusio melancholiæ fieri potest in cerebro, aliquatenus, & quantum rei natura patitur, explicetur, animadvertendum cinereum cerebri corticem, esse corpus glandulis minutissimis compactum, quæ ad id munus sunt destinatæ, ut è sanguine ad ipsas per arterias delato spiritus animales eliciant, transfundantque in nervorum fibras, cujus rei certissima deducitur conjectura ex contextu fibrarum nervearum quæ ad ejusmodi glandulas desinunt; certissimum enim est spiritus influere in nervos per eorum extrema, & ex ca parte deduci in cujus substantiam sanguis copiosior affunditur, quæque apta est spiritus à sanguine separare, quod munus denegari non potest cerebri cortici, cum in toto reliquo corpore glandulæ sint destinatæ ad varios succos è sanguine separandos, prout varii sunt usus partium in quas ejusmodi succi deferuntur: Cum itaque munus cerebri sit inservire functionibus animalibus per spiritus animales, eos à memoratis glandulis corticis accipit, nec enim illos potest aliunde excipere, ut jam demonstratum est. Certius nihil est quam corpora glandulosa esse maxime apta ut in ipsis variorum humorum collectiones & corruptiones fiant; id enim manifeste deducitur ex vasorum in ipsis multitudine, exilitate, & complicatione, quibus omnibus fit, ut qui per illa vasa transcolantur humores in ipsis facile hæreant, & mora diuturna, pro varia partis natura, aut acquisititia dispositione, labem multiplicem contrahant, acescant, concrescant, putrescant &c. Frequentes glandularum tumores adhuc à posteriori illud manifestum faciunt apud eos qui glandularum structuram ignorant: Si itaque cerebri glandulæ succi melancholici aciditate semel fuerint imbutæ, ipsis idem accidit quod vasis in quibus asservatum fuit acetum, quibus quodcunque infunditur acescit: similiter qui in illis glandulis retinetur humor temporis progressu fit acidior, ac tandem vel ob quantitatem exundans, vel insigni acrimonia sibi viam faciens, vel sanguinis agitatione, aut capitis concussione, aut aliter inde excussus, cum sanguini affunditur, ipsum coagulat, figit, stationem ipsius inducit, ut ait Hippocrates, ac tandem resolutionem corporis: fieri enim non potest, ait Hippocrates, cum sanguis non movetur, ut corpus non quiescat ac torpeat: Cum itaque acidior melancholia in capite in sanguinem influxerit, eos affectus necessario producit majores, minores, pro illius quantitate & aciditatis intensione *Idem.*

Sanguinem concretum in ventriculis cordis, & in vasis sanguineis pulmonum) Sed quo fluet semel è suis sedibus dejecta melancholia? Per vias procuIdubio consuetas, venas scilicet jugulares deferetur ad cor & pulmones, ibique similes efficiet sanguinis coagulationes, quibus variæ in vasis pulmonum sanguineis obstructiones fiant: Ex illis obstructionibus sequentur eorundem vasorum, saltem arteriarum oppletio ac distensio, & bronchiorum compressio ac angustia, ut aeris sufficiens quantitas nequeat inspirari, nisi magna fiat & cum magno conatu thoracis dilatatio: Difficiliore reddito sanguinis per pulmones transitu, is tardius fluit qui è jugularibus descendit, eas distendit; ac tandem ibi concrescit: In ipsis etiam cordis ventriculis concretiones fiunt, & si sanguinis transitus omnino intercipiatur, vehementiore ejus impulsu aliquando vasa rumpuntur, ut in apoplecticis aliquando accidit.

Hinc patet quam bene Hippocrates ex abolitione functionum animalium, respiratione difficili, & ex venarum jugularium intumescentia, quæ observaverat in apoplecticis, pronuntiavit hunc morbum excitari cum bilis atra in capite commota fluxerit in eam partem in qua plurimæ sunt venæ, in collum, inquam, & pectus, &c. In forti autem apoplexia Respiratio fit cum vehementi conatu & magna thoracis dilatatione, ægri enim inspirando totum thoracem tanta vi dilatant, ut scapulas elevent & necesse sit eos erigere ut melius spirent: Quod ad Respirationis necessitatem, eam nullam esse videri posset iis qui solum respirationis usum statuunt solam sanguinis refrigerationem, sed aliæ irritationis ad respirationem causæ hic possent assignari, unam aut alteram offeram; Pulmonum repletionem, tensionis & gravitatis sensum quibus irritantur apoplectici ad respirationem, ea enim facilior redditur sanguinis transitus per pulmones ob mutatum vasorum situm, quo fit ut sanguis è dextro cordis ventriculo in pulmones, & è pulmonibus in sinistrum cordis ventriculum facilius exoneretur; quare in abolitione universali functionum animalium conservatur sensus & motus partium respirationi inservientium: Ex dictis patet vitia respirationis, & magnitudinem læsionis in functionibus animalibus, designare an melancholia magis suas vires exerat in cerebro an in pulmone: Si enim universalis adsit resolutio, cum levi difficultate respirandi, indicatur cerebrum præcipue affici, nisi facultatis animalis abolitio se extendat ad thoracem, quod pulsus debilitas aliæque symptomata designabunt: Si vero magnus adsit stertor: significatur majorem in pulmonibus fieri sanguinis coagulationem quam in cerebro. *Idem.*

Solet concrescere cum aquas fortes &c.) Ideo quibusdam placeet eximium illud arcanum, cujus ope Dom. *Bil. animalis* alicujus dissectionem, citrave guttæ sanguinis effusionem instituit, pendere à simili quapiam re infusa.

Aciditatis afflatu) Non tantum an humor melancholicus sit acidus, sed an revera detur talis in hepate genitus, à liene allectus &c. incumbit probandum, *Vide scholia ad obse. v. 34.*

Observatio II.

Apoplexia in qua sanguinis extravasatio visa est.

Juvenis temulentus, ictus vehementer in pectore, concidit repentè attonitus, in terram, ceu fulmine consternatus, cum spiritu gravi, vomitu frequenti, voce suppressa, & spuma tam confertim ex ore emanante, ut intra paucas horas amitteret vitæ usuram.

Cujus inopinati eventûs causa fuit, partim evidens calvariæ rima, à casu exorta: partim verò frequens sanguis, effusus ubertim, cùm supra, tum infra cerebri membranas. Sed pulmo habebat plurimas lividas maculas; adscribendas fortè, vel repentinæ suffocationi; vel nicotianæ crebriùs adsumptæ: qua planta dicebatur hic juvenis plus nimio, fuisse delectatus.

Ad suffocationem quidem maculas hasce referre, suadebat, cùm spumæ, tum livoris natura. Spuma quippe (juxta elegantissimum Actuarium) est spiritus, & humorum mixtio. Fitque in morbo attonito; vel ex destillante capitis pituita, per aërem rarefacta: vel ex spirituoso, oppressi pulmonis, vapore. Priorem spumam planè innoxiam declarat quotidianus spumosæ epilepsiæ reditus. Sed alterum lethalem, repentina apoplecticorum mors: orta proculdubio ex adempto spiritu; sine quo, ne momentum quidem subsistit homo. Cujus spumæ periculum propterea propositurus Cornelius Celsus, subjungit satis scire. Neque is ad vitam redit, qui ex suspendio spumante ore detractus est. Quippe hanc spumam non producit pulmo, nisi summè laborans: sive à resolutione humidi, ubi, cordique insiti: sive à spiritibus, ob retentos vapores, impeditamque respirationem, adeò effervescentibus, ut in extremo dissolutionis metu sit: calidum innatum. Quam luctam cùm designet hæc spuma; quid mirum eam utique præsagire ineluctabilem mortem? Inducitur enim post illam partibus obsessis, loco vividi caloris, obscurus ac luridus livor. Non secùs ac à solis occasu tenebræ; & à flammæ suffocatione carbonis nigredo. Livor enim sequitur vel extinctionem; vel intereeptionem spiritûs, ac caloris vitalis. Ac proinde non temerè Hippocrates, in Coacis, aph. 72.

Τὰ Πελιδνὰ γινόμενα, ἐν πυρετῷ, σύντομον θάνατον σημαίνει.

Livida evenientia, in febre, brevem mortem significant.

Potuit itaque, hæc repentina suffocatio, has quidem produxisse maculas: sed rariùs eùm occurrant in eorum pulmonibus; quos occidit morbus attonitus: & contra frequentiùs, in illis quibus Nicotiana fuit in delitiis, non inconsultum fortassis erit, excutere hîc naturam illius fumi: qui aëri permixtus, & ore attractus, tam benè facit ad multorum palatum: ut eum præferant omnibus epulis; modò non & ipsi sanitati: quà tamen humano generi nihil utilius.

Extra omnem itaque controversiæ aleam est, Nicotianam potui datam, tantum adversari ventriculo, ac intestinis: quantum prodest humido, ac frigido cerebro. Sed dubitatur, utrum fumus ipsius offendat pulmones? calida quippe est planta; imò acris ac vellicans: sive natura, sive arte. Ex pulvere videlicet euphorbii, pyrethri, piperis, aliorumve acrium aromatum, lucri causa, à fraudulentis, ac infidis mercatoribus, clanculùm, contortis ipsius foliis, insperso. Quorum omnium vapore, verisimile est, nón minùs offendi pulmones, quàm à raphani agrestis, ac piperis tritura, cerebrum sternutans.

Immodicus namque calor, ut exhaurit humidum radicale; sic obscurat nebulosus ipsius fumus, non parum, illustrem nostræ vitæ spiritum: imò suffocat tam efficaciter calidum innatum, ut instar tabidorum [qui ex sententia Galeni, à siccitate consumuntur] planè extenuentur, cum tussi perenni, & infatigabili spiritûs difficultate. Quæ duo arguunt inextricabile, oppressi pulmonis, vitium.

A quo equidem plurimos, qui dies, ac noctes cum hac Helena transegerant, vidi pessundatos. Moderata certè uti nullibi, sic neque hic culpantur. Sed modum in hoc fumo si excesseris, defatigaberis à tussi, vitiabitur pulmo, emarcescet animus, & tandem consumetur corpus universum, vel lentè, si fueris integer, ac valens: vel celeriter, si quid vitii alibi sit in visceribus. Sicuti videre fuit in hoc ægro. Quem eò, proculdubio, citiùs strangulavit morbus attonitus; quo minùs potuerit reluctari, & spiritum ab interitu vendicare, exsuccus, ac maculosus pulmo. *Nicol. Tulp. Observ. Med. lib. 1. cap. 6.*

Observatio III.

Apoplexia in quâ sanguis extravasatus repertus.

Vetula quædam furiarum non postrema, consuevit maritum sæpiùs egregiè verberibus dedolare, quod plerunque patienter pertulit. Mense Jul. 1673. cum nescio quas for-

sordes scopis abstergerit indignabunda uxor accurrit ac verbera intentavit, verùm patientia tandem aliquando in furorem versa à marito scopis in tempore dextro fortiter percutitur, adeò ut dissolutis ac avolantibus scopis acuminata scopisque infixa baculi pars tempus transiret. Sanguine largissime ex vulnere emanante, à vicina amice monita ut illius curam gereret, verum renuit, mirè in virum conviriis debacchata est ac se jugulum propediem ipsi fracturum minabatur. In cœna irarum plena cibos devoravit ac potu se ingurgitavit: mox tamen foco assidens omnia assumpta evomuit: Postea lectum petiit: surrectura nescio quam ob causam humi cecidit: & juxta lectum manè mortua inventa fuit. Ex Illustrissimi supremi Dicasterii Hassiaci mandato, Exc. D. Combachius cum Chirurgo vulnus contemplatus est: invenitque vulnus primo aspectu exiguum & quod tegeretur apice minimi digiti: verùm indito vulneri stilo deprehenderunt baculi acumen altiùs penetrasse: cujus rei maritus conscius factus, mox sibi fuga consuluit: detracta cuti circa musculum temporalem omnia sanguine suffusa erant: remoto musculo temporali in osse foramen rotundum ac si sclopeti manuarii, quod Pistolam vocant, globulo pertusum & efformatum fuisset, occurrit; ablato cranio inter illud & duram meningem, item inter utramque meningem, imo in ipsa substantia cerebri plurimùm cruoris inventum fuit. Ex substantia quoque cerebri duo fragmenta à baculo avulsa extraxerunt. Quibus ritè expensis meritò vulnus lethale judicarunt ac sententiam suam Illustrissimo Dicasterio explicarunt. *Ioh. Iac. VVepferus tractatu. de Apopl.*

Observatio IV.

Apoplexia in qua cerebri vasa multum distenta apparuere.

Bartholomæus Feer Triboldinga Turgovius Adolescens novendecim annorum, sartor Circa principium Novembr. 1656. capite doluit: assumpta evomuit: hujus causa, carnificem consuluit, qui purgans propinavit & venæ-sectionem suasit: an præterea aliis medicamentis & qua diæta usus fuerit, rescire non potui, In dies morbo in deterius vergente 11. Novemb. ad Nosodochium delatus fuit; Febricitare mediocriter videbatur: dormivit plurimum, expergefactus stupidus quasi erat & delira loquebatur: nec cibum nec potum petiit: oblatum & intrusum deglutiit: cibandus erat instar infantis. Urina naturali simillima; die 15. Novem. quo ipsum cum Exc. D. D. Christophoro Hardero conveneram, profundissimè dormivit, ut ipsum nulla ratione excitare potuerimus: ajebant adstantes ipsum interdiu dormire, noctu vigilare: attamen inscius lectum perminxerat; In respiratione nullum adhucdum vitium observatum fuit, die 17. Novem. hora 10. noctis mortuus est. Ex ore demortui plurimùm cruoris effluxerat. Dum ceu sanus adhuc vivebat odontalgiæ obnoxius erat; cujus causa fumum Tabaci hauriebat; an crebrius id fecerit? non constitit nobis. die 18. Nov. caput aperuimus; sublata cranii olla, per duram meningem vasa tenuis meningis in syncipite ad sinum tertium meantia vidimus valdè cruore oppleta & triplo ampliora, quàm alias existunt; adeò ut primo intuitu circa verticem omnia sanguine suffusa apparerent; verùm incisa dura meninge nihil extravasati invenimus; ipse quoque sinus tertius sanguine turgidissimus erat, remoto corpore ac falciformi primò, cerebrum ad ventriculum sinistrum incidimus, protinus serum flavum satis copiosè effluxit. Sublato prorsus fornice conspeximus utrumque ventriculum cerebri lateralem, maximè sinistrum humore purulento, viscido, instar pultis fluidioris turbido copiosè imbutum: hic quoque ad ventriculum tertium defluxerat. Ventriculus quartus planè mundus nec vel minimum conspurcatus erat. Superficies utriusque ventriculi aspera & inæqualis & insuper flaccida fuit, dum enim blanda manu & leviusculè pus detergebam successit statim medullosa substantia candido suo nitore privata, corticis cerebri instar flavescens aut subfusca apparens. In dextro ventriculo observavimus superius tabulatum seu fornicem, imæ ejus parti, humore hoc purulento intermedio, aliquo modo agglutinatum fuisse. Plexus choroideus iisdem sordibus inquinatus fuerat. Aperto pectore, inciso pericardio, effluxit aqua limpida flava. In corde nihil morbosi visum fuit. Pulmo in dextro latere leviter pleuræ accrevit; minùs rubebat; in sinistro latere firmiter pleuræ adhæsit, undique admodum cruore suffusus. In abdomine ventriculus, intestina, lien, pancreas, hepar & cæteræ partes à naturali dispositione non desciverant, quantum quidem oculis usurpare licuit. Vesicula bilaria bile coloris fusci plena fuit. *Ioan. Iacob. VVepfer. tract. de apoplexia.*

Observatio V.

Mors subita ex ictu, uti Conjectura tulit, Epileptico, seu ex Apoplexia in qua sanguis concretus, serum effusum &c. in cerebro reperta.

Nicolaus Schultheis Vir annor. 33. uxoratus; robustus, sanguineus, à prima pueritia convulsionibus vexatus, & exhinc in latus sinistrum claudicans, d. Solis, qui erat 14. Martii, An. 1680. sub meridiem prata sua visurus exspatiavit & ampliùs non rediit; Inde quæsiverunt ipsum consanguinei adusque decimam noctis, eadem die, & manè insequenti, sed incassum: Jacob Felgenhauer vicinus, quum eodem mane in prata sua se conferre vellet, fortè fortuna hactenus desideratum invenit, sed humi prostratum prope ponticulum, sub quo parvulus quidam decurrebat rivus, aqua ferè tum vacuus, capite in aquam immerso, magis tamen ad sinistram partem inclinante, ventre prono, pedibusque in altum sublatis, manu dextra sub ventre posita, & sinistra virgultum arctissimè tenente: Pone nares guttæ sanguinis aliquot conspiciebantur. Incertus quum spargeretur rumor, cui tamen fidem adeò facilem adhibere minus erat consultum, Magistratus Ampliss. jussit in mortis causam diligentiùs inquirere viros ad ejusmodi munia obeunda constitutos, quibus rogati, operam quam potuimus mutuam præstitimus. Mortuo foras elato, omnia probè sub examen fuere vocata, nulla tamen comparuerunt contusionis, vel ictus, vel vulnerum signa: nulla faciei tumiditas, nisi quòd labia rantillum intumuisse & livescere cum ipsa videbantur: striæ quoque sanguineæ, secundùm dorsi spinam hujusque latera, multifariam dispersæ micabant: Operæ pretium hinc duximus, externis hisce vestigiis per vestigatis, in internam mortis tam repentinæ, si quæ forsan adesset, causam inquirere, quam in cerebro nos deprehensuros, primùm augurati fuimus: Cranio ergo remoto, sanguinis grumosi porrio aliqua statim deprehensa fuit, cum glandulis juxta corpus falcatum minutis, seminis milii instar albicantibus, & inter ipsam duram matrem protuberantibus: Vasa sanguifera eleganter erant conspicua, turgida, livida, cortice cerebri gangrænati vel inflammati nihil exhibente, nisi quod flacciditatem qualemcunque conceperat: Ventriculi cerebri anteriores ampli satis, ichore copioso fuerunt referti: Compressione dictorum ventriculorum facta, ex tertio similis ichor ubertime emanavit: Circa occiput sanguinis grumosi portio idonea pariter hæsit: Et hisce sectioni finis fuit impositus, quamvis ut ad thoracis interanea lustranda pergerent, diligenter simus hortati, quò de suffocatione, quam subsecutam fuisse, non male suspicabamur, adhuc certiora indicia haurire possimus.

Timemus omnia, non modò quæ reprehendi palam, sed etiam quæ obscurè cogitari possunt; rumorem fabulam, fictam falsam perhorrescimus. Verba sunt Tullii Orat. pro T. A. Milone: Est sanè rumore falso nihil pejus, nihil cui vulgus fidem facilius adhibet, inprimis ubi specie veri vestitus accedit: Medici certè, si alibi, πρόνοια non vulgaris heic requiritur, qua judicium suspendat tantisper, de casibus subitò evenientibus, funestis præprimis, qui malos interpretes præ aliis nanciscuntur, dum in rem præsentem ire liceat: Grave certè est, & memoratu longè dignissimum Hippocratis ad Medicos præceptum l. περὶ εὐσχημοσύνης par. 2. ἴδοι δέ τις καὶ ἀπὸ ἐσθῆτος, καὶ τῇσιν ἄλλῃσι περιγραφῇσι. κὴν γὰρ ἔωσιν ὑπερηφανίας κεκοσμημένοι πολὺ μᾶλλον, φευκτέοι τοῖσι θεωμένοισίν εἰσι. τὴν δὲ ἐναντίην χρεωστέες σκοπέειν οἷς οὐ διηλλαγμένη κατασκευὴ, οὐδὲ περιεργίη: ἔκ τε γὰρ περιβολῆς καὶ τῆς ἐν ταύτῃ εὐσχημοσύνης, καὶ ἀφελίης, οὐ πρὸς περιεργίην πεφυκυίης, ἀλλὰ μᾶλλον πρὸς εὐδοξίην τοῦτο εἴωθεν, καὶ τὸ ἐν νῷ πρὸς ἑωυτοὺς διηνεκέως οἵ τε ἑκάστῳ σχήματι τοιοῦτοι, ἀδιάχυτοι, οἱ περίεργοι, πικροὶ πρὸς τὰς συναντήσιας. εὔθετοι πρὸς τὰς ἀποκρίσιας. χαλεποὶ πρὸς τὰς ἀντιπτώσιας, πρὸς τὰς ὁμοιότητας εὔστοχοι καὶ ὁμιλητικοὶ, εὔκρητοι πρὸς ἀπαυδίας, πρὸς τὰς ἀναστάσιας σιγητικοὶ, πρὸς τὰς ἀποσιγήσιας ἐνθυμηματικοὶ καὶ καρτερικοί; πρὸς τὸν καιρὸν εὔθετοι καὶ λημματικοὶ &c. cui utinam aures præberent quicunque Artis Asclepiadeæ Magistri salutari cupiunt: alia aerò longè quorundam regula est, qui seposita authoritate & gravitate Medici, apud sequiorem sexum Rhetoricam exercere amant, & Lenonum adinstar, affectata garrulitate, ejus gratiam aucupantur, fabellis magis & amatoriis discursibus morbis medelam quàm arte parare satagentes; qui splendido vestitu & thrasonico incessu, ecquid præclari hominis nominisvé subsit, vulgò persuadere nituntur, & ἰητρῶν φιλοσόφων ἰσοθέων consortio prorsus indigni, turpis lucelli causa; quod cum Imperatore illo ex lotio sibi parant; Agyrtarum & Charlatanorum, quos à sacris Apollineis graviter arcebant Veteres, conventiculis adesse imò præesse malunt, rati satis gloriæ sibi accidere à malè sana plebe, si crumenæ multi auri: quo ipso etiam Pseudo-Medicos se esse; talesque de quibus Cous ab initio c. 5. profitentur, imò jurisjurandi, quod præstari à veris Medicinæ Didascalis ubique solet, parum tenaces: In vestitu sanè uti τὸ πρέπον omnino observandum est, ita in reliqua vita cæteræ, quarum modò Hippocrates meminit virtutes, inprimis verò τὸ καρτερικὸν πρὸς τὰς ἀποσιγήσιας: Valet heic illud Poëtæ

Eximia est virtus præstare silentia rebus,
E contra gravis est culpa tacenda loqui.

Præcipuè autem in casu ancipiti; lingua mentem ne præcurrat, addimus, & cultrum vel ferrum, quo causæ sæpenumero deteguntur, quarum ignari præceps ac ineptum judicium plurimi sæpiusculè ferunt: Viri de quo præsens historia, amissio ac subita mors, multorum animos primùm perculit, ansamque dedit pessima suspi-

suspicandi, enimverò violentas manus ipsi illatas fuisse plures crediderunt, fuitque hic ipse rumor in causa, quare accuratius in singula inquiri Proceres Amplissimi voluerint: Jam autem, ut opinamur, cùm nec ictus, nec contusionis ab externo violentò vestigia repererimus, in eandem alii nobiscum descendent sententiam, in ipsis cerebri interioribus latuisse, quod genus nervosum vellicare, spiritibusque in motu suo nubeculam graviorem offundendo causa fuit, cur machina confestim corrueret, cujus destructionem haud dubiè adjuvare potuit casus ipse, quo ventre prono caput aquæ & arenæ immergebatur, unde impedito magis musculorum thoracis motu, pabulique aërei libero commeatu & expansione sanguis circa præcordia faciliùs substitit, miserque suffocari necesse habuit, de quo equidem labia faciesque livescentia, qualem etiam spinæ dorsi latera ostenderunt, testimonium perhibent, evidentiùs multò istud confirmaturis, partibus pneumonicis, si ipsorum examen aggredi licuisset. Virgultum verò, quod alteri manui inclusum tenuit, insultum epilepticum confirmat, cui ichor copiosus in ventriculis & circa medullam oblongatam stagnans, sanguis item grumosus circa cerebellum hærens ansam commodùm suppeditavit: dicere verò heic certi quid non audemus de cerebri flacciditate, an sensim istam acquisiverit, quod confirmare possent motus convulsivi, quibus in infantia infestatus fuit, & quorum paroxysmos, leviores saltem, reliquo ætatis tractu, prorsus non elusit, ceu domestici severius rogari diffiteri omnino non potuerunt, an verò ab ultima demum invasione morteque subsequente, illa fibris accesserit? Quicquid sit confirmant ista nostram quam de Apoplexiæ causis superiùs admisimus sententiam, probatque sanguinis grumescentis portio idonea, ichore uberrimo adjuncto, apoplexiam raro à nuda seri effusione & inundatione oriri, utrumque verò sive obstruendo: sive comprimendo subitò, sive utroque modo agendo malum hoc funestum inducere: Illustria sunt, quorum Celeberr. Platerus tum Pract. l. 1. c. 2. tum l. 1. Observat. scripta reliquit: *Quando* inquit, *pituita ventriculos cerebri subitò adimplet* [ceu in nostro exemplo] *non obstruendo, cùm spiritus animalis non in ipsis, sed in cerebri substantia undique & nervis suam sedem habeat, nec per ventriculos transeat, sed eodem modo cerebri basin gravando, apoplexiam quoque inducere potest: Quæ tamen si humor ex illis descendens, nervorum ductum sequatur, in paralysin potest desinere: Hæc omnia sic se habere, in caro & Apoplexia mortuis, ex eo quod copiosus hic humor per os tunc illis effluxerit, aliquando deprehendimus, ex sectione quoque diligenti, aperta crassa cerebri membrana, in quibusdam copiosum humorem mox prosilientem, per capitis regionem ad thoracem usque descendisse: Ipsam adeò cerebri substantiam in anu quadam diffluxisse observavimus Monspessuli, quæ subitò apoplexia tacta expiravit: hujus calvariam cùm aperiremus, cerebrum illius in meninge crassa, hinc inde fluctuare deprehendimus: Quod & dissecta apertaque dicta dura matre instar liquoris alicujus spissioris & albi pultem referentis, per faciem universam diffluebat:* Equidem resistunt cerebri cortex, medullæque fibræ, externis seri insultibus pro viribus, neque à quacunque ejus exundatione ilicò franguntur: hoste verò identidem ingruente, sibique diutiùs sedem heic figente, tandem collabascere necesse habent, sive teneriores adhuc, ut in infantibus hydrocephalo graviore quandoque affectis, sive muneri suo diutius adhibitæ insuper juncta seri copiæ annorum serie, uti in senibus interdum accidere Anatomici nobiscum notarunt: Meminit quoque Excell. Carol. Sponius mortis subitaneæ ex duplici causa ἀιολοφονέσῃ, quarum alteram, ichor idem cerebrum, uno quod ajunt impetu, irrigans constituit, cujus historiam cum aliis à beatæ memoriæ Viro nobis communicatis exhibebimus: Prælustre verò est exemplum, & quod modo dicta apprimè confirmat, cujus copiam pro sua in nos benevolentia haud ita pridem nobis fecit Excellentiss. D. Jo. Conrad. Brunnerus, Med. D. & in Illustr. Academ. Heidelbergensi Prof. Anatom. Celeberrimus, Fautor & Amicus honoratissimus: Historiam integram, rariora utpote plura recludentem, operæ pretium faciemus heic apponere, *Mulier nostras, inquit, aliàs temperamenti sanguinei, ante quinquennium gravem passa est insultum apoplecticum, cùm annum ætatis 35. vix excessisset, ac octodecim liberos, & primo quidem puerperio trinos enixa fuisset: accitus statim venam secari, vesicatoria variis corporis partibus admoveri, frictiones administrari, & quæcunque spirituum in organa sensuum influxum juvare poterant, sedulò perfici curavi. Die tandem septimo, purgante nervos quoque splanchnicos vellicavi &c. quibus tantum profeci, ut quæ ante loquelam amiserat, pedem brachiumque dextrum movere non poterat, balbutire & artus movere utcunque valuerit: tandem benedicente Deo integram horum usuram recuperavit, & ad munia sua rediit materfamilias: superfuit tamen, ceu in his casibus accidere solet, nonnulla infirmitas lateris affecti. In actionibus principibus, nulla menda apparuit, præterquam quòd tenax ante & ad rem attenta, negligenter nunc eandem habuerit. Ipsis vindemiis nuperis fortissima apoplexia tacta, subitò enecta fuit. Caput cultro meo cessit: miratus fuisses oppidò mecum, siquidem præsens fuisses, crus medullosum dextrum, quod minùs floridum ac firmum quàm sinistrum, sed flaccidum, obscuri coloris & emarcidum apparuit, ac si atrophia laborasset. In ipsa ejusdem hemisphærii substantia tres inveni cavernulas, fuscas & subflavas, in quarum una alterave nonnihil humoris stagnavit, ceu glutine quodam iterum coadunatas: Hæc vitia jam olim facta & prædictorum symptomatum causam extitisse, facilè colligere potui, & insigni cum voluptate contemplatus fui. Recentia autem sequentia notavi: uterque ventriculus, imò omnes cerebri cavitates, sanguine fluido, diluto farcta & opilata fuerunt: dexter ventriculus rimam ostendit, loco inter thalamum nervi optici, & corpus striatum intermedio, per quam sanguis in cerebri cavum effusus fuit: in ipso verò cerebri meditullio ejusdem lateris, amplum hiatum vi sanguinis impetuose erumpentis factum, & in hoc sanguinem concretum ovi gallinacei magnitudine inveni: substantia cerebri circum circa latera, usque ad bifurcationem nervorum opticorum fissa ac disrupta fuit: Alibi arteriolas in medullari cerebri substantia ægritudine affectas conspexi, quæ tantam sanguinis vim fudisse mihi visæ fuerunt: sed & ad hoc,* Vir sagacissime, *attendi velim, si quæ nascatur occasio: nimirum aliquoties jam in lævibus aliàs ac perpolitis ventriculorum superficiebus, si morbo laboraverit cerebrum, observavi papillulas capitellorum acicularum magnitudine, instar pororum cutis frigore constrictorum prominulas, quas quidem laticis in cerebro scaturientis ductulos, quis tantum non hariolaretur, &c.* Joh. Jacob. Harderus in Observat. Anatomico-Practicis quibus titulus Apiarium.

OBSERVATIO VI.

Ex ictu, casu, capitis contusio, cerebri abscessus, apoplexia &c.

ANno 1674. Mens. Januar. Molitor quidam transrhenanus, ubi priùs Baccho aliquantum indulserat, de scalis ex alto decidit, domumque vectus, mox instar statuæ sine sensu & motu jacuit, vomuit enormiter & sanguinis per aures eruptionem passus est, vulnere in cranio nullo apparente, die postero hinc emigravit. Cranio ex artis præscripto remoto, sanguis inter ipsum & duram matrem copiosè in occipite extravasatus deprehendebatur, & tota sui mole cerebellum versus & spinalem medullam procumbere.

An. 1682. Mens. Novembr. è vivis excessit. Artocreatarius quidam, qui aliquot septimanis ante, sclopeto inverso à maleferiato homine ictus, vulnus funestum incurrit, in anteriore & superiore cranii parte, quod ad tabulam secundam usque & ultra pergebat: Biduo circiter ante obitum, dextri lateris, quod vulneri oppositum erat, paralysi affectus fuit; quàm dein mors ipsa excepit: Quùm cranium removerent, hujus frustulum duræ matri infixum repererunt, verùm citra ulteriores in cortice noxas: ad ventriculos autem progredientibus materia viridis, glutinosa multa, formati abscessus soboles, obviam ilicò venit, ceu isthoc benevolè nobiscum communicavit Excellentiss. D. D. *Burcardus* Αὐτόπτης.

APpositè Hippocr. l. 2. περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων paragr. XXII. τῶν δὲ ἐν κεφαλῇ τρωμάτων, θανατωδέστατα μὲν τὰ ἐς τὸν ἐγκέφαλον, ὡς καὶ προγέγραπται, δεινὰ δὲ καὶ τὰ τοιαῦτα πάντα, ὀστέον ψιλὸν μέγα, ὀστέον ἐμπεφλασμένον, ὀστέον κατεῤῥωγός, ταῦτα δὲ πάντα δεινότερα γίνεται καὶ κατὰ ῥαφήν τε ὄντα. καὶ ἐκ τῶν χωρίων αἰεὶ ἐν τοῖσιν ἀνωτάτω τῆς κεφαλῆς. πυνθάνεσθαι δὲ χρὴ ἐπὶ πᾶσι τοῖσιν ἀξίοις λόγου τρώμασιν, εἰ ἔτι νεότρωτοι αἱ πληγαὶ ἔωσιν, ἢ βλήματι εἴη ἢ κατέπεσεν ἄνθρωπος, ἢ εἰ ἐκαρώθη. ἄριστον μὲν οὖν, μήτε πυρετῆναι τὸν τὸ ἕλκος ἔχοντα ἐν τῇ κεφαλῇ, μήθ' αἷμα ἐπαναῤῥαγῆναι αὐτῷ, μήτε φλεγμονὴν μήθ' ἅμα μηδεμίαν ὀδύνην ἐπιγενέσθαι. *Ex capitis vulneribus lethalissima sunt, quæ ad cerebrum pertingunt, velut etiam anteà scriptum est. Gravia sunt & hujusmodi omnia, os nudum magnum, os infractum, os diffractum &c. Cæterùm in omnibus memorabilibus vulneribus interrogare oportet, an adhuc recentes sint plagæ, an conciderit homo, an sopore altiore prehensus fuerit. Optimum quidem est, neque febricitare eum qui ulcus habet in capite, neque sanguinem ipsi erupisse, neque inflammationem, aut ullum aliquem dolorem accessisse.* Non opus est prolixius in causas horum inquirere, cerebri teneram structuram, vasorumque per illud dispersorum multitudinem perspectam habenti, cum fibrarum nervearum cohorte quibus læsis, ab irruentis humoris impetu, cohibito spiritus roriferi influxu, damnum ingens utique suboritur, quale sensit uterque supra memoratorum, alter quidem derepente, alter verò plusculis diebus post, adeò, ut aliquando benè habere & ad pristinam incolumitatem chirurgis rediturus videretur: uterque apoplecticus tandem decessit, à sanguine extravasato, cujus impetum in illo promovit casus terribilis & in isto ictus sclopeti ope inflictus: Enim verò in confesso est sanguinem è vasis suis gravius prosilientem, cerebri substantiam sine noxa vix permeare, cùm & medullares ductus facilè inde comprimantur, unde nubecula mox inducitur, & ab ejusdem acrimonia, quæ ubi moram nectit, gravior evadit, fibrillæ nerveæ facillimè irritentur, atque hinc motibus epilepticis via sternatur: Meminit equidem Celeberr. Wepferus Exercit. d. loc. affect. in apoplex. Nobilis cujusdam Poloni, in quo citra apoplexiam aut aliam graviorum symptomatum colluviem, non solùm intra cranium & duram matrem, sed & intra hanc & duram meningem, quin etiam in ipsam cerebri substantiam, innoxiè effusus fuit; ast meritò inter rarissima talia ipso cum referimus: in molitore sanè vasa ita succussa fuere, ut osculis ipsorum protenus dehiscentibus, si non ruptis, sanguis impetuosè interiora occipitis petierit, ibidemque copia suâ cerebellum & spinalem medullam compresserit; nec enim apoplexiam imminentem casum produxisse arbitramur, cùm sanus ante vixerit, nihilque incommodi in capite perpessus fuerit: Vini verò ingurgitationem, hinc prorsus non removemus, utpote quo sanguis primùm exæstuat, & vasa velociter cum aliquali distensione percurrit, unde erupturo viæ faciliùs aperiuntur & patulæ manent: in ebriosis autem huic ipsi fluxilitatem vitiosam, non rarò cum acredine inducit: Oscillorum dehiscentiam vehementem, comprobat sanguinis ex auribus profluvium, non ex cavitate cranii per vias sive manifestas (quas tamen pauci hactenus nôrunt) sive occultas, illuc delati, quoniam si tali exitu sanguis extra vasa prosiliens potiri potuisset, omnibus actionibus animalibus confestim æger non fuisset defraudatus, utpote cum alias cranio perforato trypano, post casum vel ictum, levamen sanguine emanante percipere soleant, sed quod vascula intra aures eorumque canales, ex vehementi capitis, eaque iterata allisione disrupta fuerunt: Vomitum autem irritationi meningum, quam sanguis vel mora acrior redditus, peperit, jure adscribimus, ventriculi membrana nervea illis intimè compatiente: in artocreatario malum paulatim serpsit, quòd sanguis ictu prosiliit quidem ex vasculo, sed vel minori, vel quod ilicò ruptum non est, unde gravia symptomata primùm suborta, cessante ulteriore sanguinis impetu, aliquando mitigabantur, dum grumescens & ferè omni suo numero collectus intra medullas interiores corticis subsistere, sensim putrescere & in abscessum transire cepit, tandemque copia & gravitate sui, fibrillas interiores s. medullares funiculos occupando, dextri præprimis lateris, eclipsin gravem induxit, ut moveri non potuerit, usque dum versus basin sese effundendo, cum materia purulenta in ventriculis horumque confinio reperta docuit, vita pariter ac motu miserum omnino orbavit: utrum vomuit nec ne, probè non recordamur,

mur, quamvis videri possit, dura meninge à cranii infixi frustulo titillata, vomitum abesse non posse; nunquam tamen pertinaciter vomuit, quòd interdum fibrillæ à spasmodica sui constrictione, in meningibus aliisvè his similibus quiescunt: ita biennium circiter est, à quo puerulus 6. circ. ann. cùm circumcursitando per ædes nugaretur, ex improviso in cellam satis profundam, de primo statim scalæ tramite cecidit, nullum ferè horum ampliùs attingens: accersiti Parentes cum misello attonitos offendimus, sanguine è naribus effluente & vomitu qualicunque urgenre: in capite gravioris contusionis nulla indicia, dolor verò per intervalla circa ventriculum infestabat, pulsus concitatior naturali sed æqualis fuit, sitis nulla: venam idcico tundere animus erat, sed reluctabantur Parentes, quòd juvenis esset maximè: quid periculi ex casu subsequi possit mox prædiximus, simulque ut ad sanguinis sive ex naribus, sive autibus eruptionem ut & vomitum attenderent jussimus: intereà quia ægrotus soporosi instar decumbebat, præscriptis decoct. vulnerar. & pulver. ex volatilibus, cum mixtura cochleat. propinanda, balsamo item scrobiculo cordis illiniendo, capillos abradi curavimus & præmissa embrocatione ex ol. rosar. hyperic. & liq. C. C. succin. sacculo ex herbis nervinis in vino rubr. decoctis caput fovere: sub noctem autem pone aures vesicatoria applicuimus. Diebus insequ. prima symptomata remiserant, puerque ad se rediit, conquestus rum de dolore circa perinæum, & mingendi difficultate: urinas cùm inspiceremus, sanguinis grumosi tantillum in fundo notavimus; cui malo cùm tam externis ol. præcipuè amygd. dulc. & rosar. tum intern. emulsion. ex semin. card. bened. hyperic. aliisve cum aq. veron. & malv. parat. addit. ocul. cancr. succurrissemus, singula in laodabili statu versari Parentes arbitrabantur, unde nec ad medicamenta capienda, licet sedulò hortaremur, impulerunt filiolum: ast paucis hinc elapsis diebus, in deterius labi, febrique quæ hactenus aberat, prehendi cepit, cum deliriis noctu primum, inde & interdiu magis magisque ingruentibus: Præscriptis medicamentis ex lege artis, quid funesti fœtus subesse suspicemur aperuimus, nec fefellit prognosis nostra, ingravuerunt enim vomitus & nausea, tandemque convulsivis motibus, tristi eheu adstantium spectaculo vitam finiit: In isto sanguinis ex vehementissimo casu è vasis in cerebrum proruptionem contigisse (sectione enim ob mulierculatum perfidiam prohibiti fuimus) cùm sopor qualiscunque, tum sanguinis è naribus profluvium, inprimis autem vomitus cruentus testari potuerunt, imò & grumuli urinis innatantes, quamvis enim musculorum abdominis cum suis tendinibus contusionem (utpote cùm super abdomen ceciderit) non inficiemur vomitum, & præprimis urinandi difficultatem fovere ac parere potuisse: hæc ipsa tamen excreta de succussione vasorum & vi illis illata testimonium perhibent, nec valdopere refragaremur, si quis vasi stomachico labem accidisse diceret, qua sanguinis tantillum dierum exstillâsset, qui deinceps ibi puerescens motibus spasmodicis in ventriculo ansam præbuerit: modò sub finem cruenta rursum evomi vidissemus vel nigricantia: subsistimus ergo in fomite, quem cerebrum paulatim excepit, nervoso generi & inde toti corpusculo exitiosum, idque artis nostræ Cultoribus inculcatum cupimus, nusquam in capitis vulneribus securos nimium, Medicos Chirurgosvè esse debere, etiamsi appareant alcyonia, cum interea hostis ut plurimum exitium intus adaptet, quem ubi vires semel sumpsit, eliminare difficillimum est. Felicior hisce, Juvenis murarius, robustus, annorum circiter viginti, qui An. 1676. cùm Parisiis versaremur, de tecto satis alto delapsus & hinc in nosodochium *la charité* dictum, vectus fuit, loquela aliqoandiu destiturus, & neminem adstantium cognoscens, nihil comedens nec multum bibens, multum verò dormitans: V. S. celebrata ilicò in brachio dextro, eademque iterata, tandemque arteria pone aurem dextram tusa fuit feliciter, applicatis juxta capiti, cujus capillos ilicò abradebant, remediis necessariis, nulla contusione prorsus conspicua: in statu tali per qoatriduum ferè substitit, & quamvis primum adstantes intueri, oculisque circumvagari inciperet, nihil tamen loquebatur, sed instar trunci jacebat, cum pulsu valido & æquali, nullisque sanguinis extravasati indiciis usquam accedentibus: ut eleganter omnino Hippocrates fatus fit l. 6. aphor. ὁκόσοισιν ἂν σεισθῇ ὁ ἐγκέφαλος, τούτοις ἀνάγκη ἀφώνους γενέσθαι παραχρῆμα: Mirari tamen subit, mutos ejusmodi & attonitos fieri posse, citra gravius damnum, quod cerebrum accipiat: an dicendum tali in casu sanguinis nihil protuere? solumque cerebrum succuti: at unde dormitant, loqui desistunt, & in sensibus motuque inertes sunt? idque non per unam alteramve horam, sed biduum, triduum, quatriduum: quid ni ergo ex arteriolis paucioribus vel levios dehiscentibus, noxa quidem cerebro à sanguine suffundi dici possit, sed parciore copia qui hinc, inprimis ubi medicamentis suppetiæ tempestivè feruntur, ductus medullares, vel basin cerebri, pariter obruere & opprimere non valeat, sed cum aliqua sui parte discutiatur tum per oscula ductuum venosorum potissimum resorbeatur: Memoratu dignum est, quod ex Excellentiss. Thomæ Bartholini cent. 3. observ. Anat. refert laudatissimus Scafusiensium Archiater Wepferus, de Juvene viginti circiter annorum, qui ab explosio sclopeto, velut fulmine ictus corruit, domumque sensu & motu privatus, delatus fuit, raliterque decubuit quinque dierum spatio: suspicio erat per nucham penetrasse pulverem urentem ad nervorum principium ob vocem interceptam & sensus omnes sublatos, & propterea à Chirurgo perito vulneri convenientia remedia applicata fuere: exactis quinque diebus motus aliqua rediere indicia, æger que os pro medicamento assumendo aperire, inde se erigere, fari, cœterasque actiones obire, paulatim cepit: quod autem cum Clariss. Observat. Authore non sentimus, à nuda spirituum perturbatione gravia hæc symptomata pullulasse, vel hoc unicum efficit, quòd cùm natura sua spiritus agilis est, nec facilè subsistit, nisi causa intus hæreat, undulationem & influxum impediens, tum secretio ejus cum sanguine arterioso accedentis, isthoc dierum spatio impedita non fuerit, unde licet primi attoniti substitissent, recens tamen secreti influere in organa sensus motusve debuissent. *Idem ibidem.*

Obs.

Observatio VII.

Apoplexia in qua cerebrum sero flavo inundatum.

Virgo cephalea immani afflicta, inter medios cruciatus multum humoris flavi & tenuis naribus effluebat: suprema hieme, excretione denegata, capite pejus habuit, in motus convulsivos cum stupore incidit, quæ ante tertium diem Apoplectica vitam deposuit.

Cerebro post mortem inspecto, humor flavus totam τῦ ἐγκεφάλυ regionem latice flavo inundaverat.

Virgines & mulierculæ si juventutis tempore multa acetaria & acida iogurgitaverint, sæpe cum adoleverint, in immanes capitis dolores incidunt. Illa enim, ut crebro dixi, humores inspissant, adeo ut circularioni inepti sint: hinc obstructio, quæ in hac ægra cerebri regionem occupavit. Vascula lymphatica certè rupetunt; qui humor infundibulum pertransire nesciens, in cerebri cavitatibus stagnavit, adeò ut per nares exitum quæsiverit. Postea verò nimium crassescete incipiens, per nates exitus denegatus fuit: hinc intra cerebri mænia morati coactus, adeo cottosivus evasit, ut convulsiones pareret: cerebri fibris, hisce convulsionibus ruptis, major lymphæ quantitas exprimi debuit, quæ cerebrum ita premit & obruit, ut apoplectica interiit. Apoplexia enim nihil aliud est quam cerebri paralysis sive ab obstructione intus facta, sive à pressura rei cujusvis externæ. *Stephanus Blancardus in Anatomia Practica.*

Observatio VIII.

Apoplexia in qua Carotis dextra ossea &c.

Bruma sæviente, omnibusque nive canescentibus, Vir doctissimus atroci capitis dolore, juxta latus sinistrum vexabatur, postea de doloribus abdominis quæstus, apoplecticus lumina placida morte clausit.

Post Horam novissimam imo ventre dissecto, mesenterii glandula maxima, scirrhosa & exulcerata inventa est. Cranio elevato, carotis dextra intra cranii mænia ascendens, prorsus ossea, &, si dicere liceat, petrosa fuit, cavitate vix permeabili: arteria vertebralis dextra triplo major fuit, quam ea oppositi lateris.

Arteriæ, cum primo ex obstructione paralysi laborent, cartilaginis formam induunt, & deinde osseæ redduntur, quod non raro circa cor contingit. fortasse ex dolore capitis atroci primo convulsionibus obnoxia fuit, & ex convulsione paralysis, & sic deinceps: tandem motu dilarationis & contractionis deperdito, concrevit; eodem fere modo ac arteriis & venæ umbilicali accidit, quæ post mortem cavitatem amittunt, & ligamenti indolem acquirunt. mirum arteriam vertebralem dextram triplo majorem fuisse videbitur, sed æger apoplecticus interiisset, si hæc non substituerat, quod carotis dextra adferre non potuerit; hinc sensim dilatata fuit.

Sed rogabit quis cur de sinistro capitis dolore quæstus fuit, cum dilatatio & concrescentia à dextris erat? cui regero, quòd occlusa arteria carotide dextra, impetu vehementiori per sinistrum latus sanguis irrueret quam in dextrum, unde meatus & membranæ magis in hoc latere extendebantur quam in altero: postea vero eodem penu à vertebrali dextra prospecto, dolor sensim evanuit. Adhæc etiam, dolor primo forte totum ἐγκέφαλον occupavit, qui concrescente arteria carotide in dextris desiit, in sinistris vero perseveravit.

Obstructione cerebri postea laborans, apoplecticus interiit. Obstructionibus enim scatebat, nam cùm ad mesenterii glandulas perventum esset, ipsius glandula maxima scirrhosa & ulcerata fuit, quod sæpe pueris accidit, qui continuo frustibus hotariis utuntur, unde chylus concrescit & istas glandulas particulis caseosis obstruit. *Idem ibidem.*

Observatio IX.

Apoplexia post respirandi difficultatem, in qua splen putridus, pulmones lividi & purulenti, dexter cordis thalamus excoriatus, &c.

Sexagenaria admodum pinguis & deses, à quindecim annis difficultate spirandi laboravit, quæ singulis diebus valde increbuit, idque potissimum cum gradus ascenderet. Postea ab acte austrino & pluvioso corysam, genæ item dextræ, glandularumque intus contentarum inflammationem passa est. Mandibulæ ita coarctabantur, ut ægra non nisi potulenta quædam sorbillaret. Ad tibiam sinistram sæpe Erysipelate affici solevit, quæ & quandoque exulcerabatur. Pulsus porro aderat inæqualis, & intermittens. Et quamvis genæ tumor detumuerat, mandibulæ nihilominus constrictæ manebant. Postea dexter oculus clausus apparuit, quod ex convulsione aut paralysi factum; deinde Hemiplegia tacta, apoplectica interiit. Toto morbi decursu, perseverante dyspnæa tussis non adfuit, neque stertor, nisi duodecim horis ante obitum.

Præter splenem putridum, pulmones lividi, & lymphatico humore perfusi. Sinister puro multo & fœtido refertus. Dexter cordis thalamus, intus non tantum excoriatus, sed & putidus & exulceratus, fibrisque carnosis, leviter tractando, in frusta secedentibus, Auricula dextra solito major, substantia carnosa, partim rubra, partim nigra, ad instar sanguinis concreti, quæ manibus ab invicem fricari non potuit, referta.

Sæpe asthmatici fiunt cachectici & hydropici. Recentis ulceris sanatio difficillima est, inveterati omnino impossibilis, nam ob pulmonum continuum motum, eorum substantia vasculosa magis laceratur, quàm sanatur. Sic ægra nostra longo tempore hac respirandi difficultate laborans, tandem cachectica facta est. Cachexia est succi vitiosi abundantia, quæ ex ipso corporis habitu cognoscimus, hominem valetudinarium esse. Atque hinc multorum symptomatum fons & origo. Quia ei læsi pulmones sanati non sint, ideoque spirandi difficultas singulis diebus increbuit. Porro cum ascensu respiratio retardatur, se exinde pessimè habuit. Cœlo quoque Austrino ac pluvioso, ob aëris crassitiem, minor sanguinis in pulmonibus accensio erat, unde suffocari videbatur: aëre enim sereno vividiores multo sumus quam nubiloso.

Ob mo um salivæ in glandulis maxillaribus denegatum, maxillæ intumescentiæ, quæ non raro gravedine laborantibus accidit. Ex spasmo, & mandibularum coarctatio & palpebrarum occlusio: imò ex cordis convulsione pulsus inæqualis & intermittens. Denique unica medullæ spinalis parte obstructa, eodemque humore cerebro obsesso, primo in hemiplexiam, & deinde in apoplexiam incidit.

Tussis perseverante morbo non adfuit: super hoc docet *Aphor. 16. Sect. VII.* à puris sputô tabes: quum vero sputum retentum fuerit, moriuntur. Ob virium imbecillitatem nempe & istarum partium paralysin. Sed postea quidem rediit, ab humoris collecti copia, & paralysi desinente: quæ viribus in totum deficientibus, obiit.

Non mirum, aperto cadavere, pulmones fuisse purulentos, & cor à fœtente pure intus erosum & exulceratum. Exinde enim sanguis evasit crassus, dextrum thalamum pervadere nequibat, hinc auriculæ distensio. Ab erosione fungosa quædam excrevit substantia, ut sæpe in ulceribus fit: cum enim fibræ læsæ non sistuntur medicamentis, immensum usque excrescunt, atque sic polypi generantur. *Idem ibidem.*

NIhil hic adfert Clar. Autor de Cerebri inspectione; verùm quis non videt serum illud concrescibile quod in variis stagnavit visceribus, ac per salia, quibus scatet, in fluorem per moram longiorem evecta, acrimoniam intensiorem nactum, corrosivum quid induisse; unde non tantum obstructionibus creandis, sed etiam effusionibus faciendis aptum factum, postquam cerebri vasa opplevit, eadem facili negotio lacerare potuit, sicque inundationes funestas parere; de quibus tamen per resectionem non constitit: quia cranium non est elevatum viscusque contentum inspectum.

OBSERVATIO X.

Polypo cordis laborans, apoplexia moritur.

OBtuso quidam ingenio, repentè apoplexia correptus vitæ usuram deponit.

Cerebrum erat flaccidum. Meninges mucoso & valde tenaci humore perfusæ: imo ipse sinus tertius cum adhærentibus vasis istoc liquore turgebant. Ventriculi quoque eodem repleti.

In cordis sinistro thalamo polypus fuit ex viscida materia conctetus.

Madebat etiam spinalis medulla liquore lymphatico.

MUltum visciditatis hunc ægrum in sanguine habuisse videtur, quod ex cerebro per venas in cordis sinistrum ventriculum latum, columnis & fibris adhæsit, ac polypum retulit. Sic ab eadem causa cerebrum paralysi tactum in soporem apoplecticum incurrit, unde sæpe mors in sequitur vel Paralysis. *Idem ibidem.*

OBSERVATIO XI.

De Apoplexia fortissima ex Hydrope cerebri, cum ejusdem Anatome.

CHristophorus Weiler Silesius, claustrarius, in arte strenuus, 64. annorum, capillitio molli, cano atque simplici, colore faciei pallido, & qui huic vitæ generi esse confuevit strido, staturæ & habitus medii; vir cæteroquin ingeniosus, varios casus expertus et in bello, tandemque superatis variis periculis ad nostras oras appulit. Panem suum manuum opera lucratus est; nec nisi manè atque vesperi vesci corrigit, circa meridiem pane & vini haustu, siquidem præstò fuerit contento: viduus à duodecim annis egenam duxit

duxit vitam, & officinæ suæ atræ speluncæ inclusus, Vulcanum egit solertem, diebus festis Baccho litavit strenuè, nec vino irrigua viscera satiabantur, donec penè inebriata mero permaduerint. Potu potiùs & liquidis, quam cibo victavit: nonnunquam sitibundus frigidam affatim hausit. Olim febre quartanâ diu laboravit; verebatur tum temporis hydropem propter habitum cachecticum, subtumidum.

Anno 1687. stridente modò autumno, atque humido, deffluxionum feracissimo, febris; quæ olim afflixit, denuo gliscere videbatur: hanc eludere videbatur frequenti crapulâ; torcularia quotidie adiit vinumque hornum immodicè bibit: increpatus à quodam ebrius; febrim se hâc ratione abarcere reposuit.

Die 7. Octobris 1687. manè postquam surrexit, officinam suam adiit, ac strenuè laboravit; idem in opera atque sermone qui pridem: Nullius infirmitatis mentionem fecit; jentavit circa septimam domi cum appetitu, ab hinc ad officinam suam rediit. Circa meridiem pransurus cum filio *συντέχνῳ* panem apposuit, vinique heminam afferre jussit: inceperunt ad incudem duram prandium Diogenicum: Bolum panis, ori ingessurus modò in hæc verba erumpit, *was will das werden?* Statimque attonitus humi concidit & cum stertore animam efflavit. Vicini ad lugubres filii clamores accurentes, jam extinctum invenerunt; fortè fortuna in vicinia agebam, percepto nuntio, adfui, haud cunctanter, & apertionem capitis à filio, qui ipsi unicus supererat flagitavi, concessamque non diu post administravi. Bihorio nempe ab hinc adciris laborum sociis, cutim capillaram detraxi, & revulsi in formam crucis in cisam. Pericranium undique albicabat; multumque seri exsudavit; circa occiput venulæ rutilabant. Ad aufferendam ollam circumcirca inciso pericranio, carotides externæ vulneratæ atque discissæ fuerunt; inde sanguis serosus effluxit copiosè. Serrâ satis cautè inciso cranio, scalproque effracto, dura mater circa frontem lacerata fuit leviter: revulsurus ollam, satis firmiter sinui longitudinali adhærentem, observavi piam matrem aquâ limpidâ turgidissimam, instar hydatidis proruere, & vix cavi, quin dum auferebam cranium, subinde effluxerit aqua, incisâ durâ matre nihil seri inter hanc & piam matrem inveni, quippe jam effluxerat. Sinus longitudinalis amplus, nihil humoris aut sanguinis continuit, sed omnis refluxit versus sinus laterales fluidus. Corpus falciforme hinc inde, præsertim prope torcular mediante glandulosâ substantiâ cum pia matre cerebroque coaluit. Ablatâ dura matre, serum perperim exsudavit & effluxit limpidum. Ad latera utriusque hæmisphærii arterias peramplas, pene inanes, venas quoque insignes & in his flatus inveni. Totum cerebrum non flaccidum sed firmum fuit; diducto utroque hæmisphærio, corpus callosum candidissimum apparuit.

Assulatim cerebri substantiam abstuli, & ad ventriculos usque resecui, vasa sanguifera hinc inde notabantur punctulis cruentis: Uterque autem ventriculus aquâ scarebat turbidâ, quin omnes recessus & cerebri cavitates hâc inundatæ & repletæ fuerunt. plexus choroidei submersi albicabant, qui alias rutilare conspiciuntur: hydatides aliquot in his numeravi; glandulas quoque miliares, sed flaccidas hisce irretitas videbar mihi videre. Glandula pinealis cineritii coloris & flaccidior reliquâ cerebri substantiâ apparuit. corpora striata, thalami nervorum opticorum, protuberantiæ orbiculares omni vitio caruerunt, firma fuerunt & quasi callosa. Infundibulum aqua plenum, & reliquæ cerebri cavitates aquarum illuvie inundatæ fuerunt, præsertim quartus ventriculus, ut immissus stylus ad spinam dorsi usque dilaberetur. Ad proram cerebri conversus, nervos olfactorios (quos malè in homine processus mammillares dixeris) diligenter examinavi. Nullam in his cavitatem vel flatui perviam invenire potui, neque in exortu, nec medio, nec insertione: Striati videbantur ceu nervorum fasciculi. Reliqua paria nervorum fulgebant pulchrè. Ductus ex infundibulo ad glandulam pituitariam ducens exilis. Carotides aqui mersæ albicabant. Cerebellum minimè flaccidum, sed sicuti reliquæ cerebri partes firmum apparuit. Tota basis cerebri & ipsa spinalis medulla aquarum illuvie inundata fuit. Inter membranam duræ meningis sobolem, quæ spinalem medullam investit, & ipsam medullam laxa cavitas, aquâ plena reperta fuit: Stylus huic commissus ibat in profundum per spinam dorsi dum fortè adstantium quidam pectus compressisset, sanguis serosus instar loturæ carnium, per sinus laterales abscissos regurgitavit: remota manu fluentum quod eructaverant, resorbuerunt venæ: compressis denuò præcordiis idem phænomenon iterato observavimus. Glandula pituitaria firma erat, hinc inde venulæ hanc circumdabant, per qua abscissas compressis præcordiis, sanguis quoque exundavit. Pondus aquæ in cerebro repertæ certò definire vix possem; multum namque inter dissecandum effluxit. Et visum subterfugit, certum tamen est omnes cerebri recessus & cavitates fuisse repletas & distentas aquâ; ipsam quoque spinalem medullam in suo involucro hâc penitus submersam observavimus.

I. Qui in tenella ætate hydrocephalum, hic in adulto homine apoplexiam excitavit hydrops cerebri. Nec enim hoc nomine defraudandus erit uterque affectus, siquidem partes omnes & recessus cerebri aquarum illuvie inundata omnesque cavitates repletæ fuerunt, tum in hydrocephaliâ de quâ suô locô, tum in hoc casu; nec aliam notare est morbi differentiam, quàm quòd in membranosa compagine vi aquarum cessit, & in majorem molem excrevit caput; in hoc autem ceu compagine solida, cedere nescia, intus fuit vis & illuvies aquarum, conclusa immotis limitibus.

II. Diu fuit dubium inter eos, qui de causis apoplexiæ commentati sunt Autores, utrum ex compressione cerebri apoplexia quoque oriri possit? Contrariæ namque qui fuerunt sententiæ existimarunt serum suo frustratum exitu in cerebri ventriculis cumulatum, substantiam medullosam plus nimis irrigare & perfundere, donec permadescat, flaccidum evadat, tandemque actiones animales pessundentur. Contrarium autem egregiè demonstravit noster senex venerandus Wepferus in Tractatu de loco affect. in apoplexia, quibus hæc succenturiare fert animus. Firmum demortous noster cerebrum obtinuit; & actiones vegetas habuit omnes; fuit namque in opere suo strenuus, & vir aliàs ingeniosus, quique pollebat judicio, quod plures mirati fuerunt in homine plebeio, literarum nescio; quod evidens est τεκμήριον, non aquarum illuvie substantiam medullosam cerebri perfusam, spirituumque effluxum in organa sensuum hac ratione interceptum fuisse; quippe proculdubio magis tunc madida & flaccida observatur in demortuis cerebri substantia, secus atque in nostro cadavere videre fuit.

III. Mirari autem subit, qui tam citò subitoque hominem cætera sanum jugularit lethoque dederit morbus iste attonitus? Equidem sensim sine sensu, colluviem seri factam fuisse cerebri ventriculis nihil impedit; quò minus credamus, illæsis enim functionibus animalibus hanc fieri posse vel hydrocephalus indicio esse potest: Si vero eo usque accreverit seri copia in cerebro, ut jam omnes cerebri cavitates & anfractus hac sint repleti, nec amplius cedere queant, novus si tunc fiat seri affluxus, jam illud cerebrum opprimit, poros ejus occludit, spiritus perturbat, & dicto citius hominem perimit & pessundat. Causæ autem huic affectui pares sat enumerantur in historia morbi; magis nempe liquidis, quam solidis victitavit pauper per annos, sitibundus frigidam affatim ingessit; diebus festis Baccho litavit; tempore autumnali frigido humido defluxionum ferax quotidie fere, etiem tunc temporis, quo jamdum morbi senserat præludia sese ingurgitavit vino horno, cujus in hoc casu noxam pluribus ostendit venerand. Wepferus noster adeo ut de seri abundantia nullum fuerit dubium, quam prodidit quoque habitus cachecticus, qui hydropis metum fecerat ἐργασμὸν seri ac despumationem frequens horripilatio quæ febris metum renovârat palam fecit. Binis hisce causis positis, quam confertim seri effusio partisque alicujus inundatio fieri queat, repentina intumescentia hydropicorum, tonsillarum &c. de quibus plutibus dicte differit venerandus Wepferus noster, ostendunt. huic si accedat subita spirituum animalium pertubatio, à causa nempe validè agente, actum est de hominis vita dicto citius.

IV. Seri abundantiam cum in toto corpore, tum inprimis in massa sanguinea, testatur ejusdem fluxibilitas: tantum enim abest, ut secundum ingeniosam Bayle opinionem, contra venerandum Wepferum, coagulatus fuerit sanguis circa cerebrum, ut vel potius fluidus etiam post mortem manserit, cujus clarum satis experimentum cepimus in nostro casu. Compressis enim præcordiis; sanguis serosus atque fluidus per abscissa orificia exundavit; remotis autem manibus resorptus fuit ab iisdem; indicio luculento floridum & debitò serosiorem fuisse, non autem coagulatum sanguinem, apoplexiæ causam, id quod subsequens quoque observatio de apoplexia sanguinea docet, quâ sanguis planè itidem fluidus, nullius que consistentiæ repertus fuit.

V. De fonte seu scaturigine tantæ illuviei res est obscura, hydatides equidem plures observavi in plexibus choroideis, sicut etiam in casu de hydrocephalicô quas in hydrope cerebri plerumque reperiri, meminit doctissimus Thom. Willis de Anatome cerebri: magna autem est dub. ratio, quod jam supra monui, utrum ex consequenti in stagnante aqua submersæ vitientur glandulæ plexibus his intertexæ, an verò primario affectæ hydropis causæ existantur? utrumque fieri posse verisimile est. Glandulas enim corrumpi tandem in ventre hydropicorum nemo practicus dubitare potest: has quoque labefactatas hydropis causam existere frequens observatio testatum facit. Etenim si sint obstructæ, aut quomodocunque vitiatæ, ut motus humorum minus promptè in his perficiatur, confestim serum restagnat, & quod experimentum clarissimi Lowveri palam facit, vasis suis excidit; illæ autem intumescont, & quæ miliares, fabæ nunc magnitudine conspiciuntur, quin & in hydatides degenerant, tandemque ultra modum distentæ crepant, unde seri depluvium in ventriculos cerebri, minus forsan proportionati, quam ut Philtri, glandulæ pituitariæ potulos trajiciat, stagnat proin, congeritur & accumulatur.

VI. Sed & seri perpluvium per ipsam cerebri substantiam, & destilationem in ventriculos cerebri symbolam contulisse videtur. Certè cavitates in cerebro ampliores sunt & spatiosiores, quam ut non nisi à glandulis his miliaribus decidas suscipiant & colligant humiditates: cum autem per totum cerebrum extendantur ventriculi, ex toto quoque cerebro humiditates colligere verosimile est, & in casu de hydrocephalicô hujus excretoria, papillulas nempè prominentiores, hinc inde in parietibus ventriculorum ostendi; quæ etiamsi in præsenti casu visum subterfugerint, malo tamen loci & temporis incommoditati, quippe jam vesperascebat in obscuro, quàm fortè earundem absentiæ causam ttibuere eteuim jam pluries has in morbosis cerebris observavi, de quibus viderint & alii, si quidem nascatur occasio. *Clariss. Joh. Conrad. Brunnerus. Miscel. lanicor. Curios. Decur. iij. A. 1. Obs. 153.*

OBSER.

Observatio XII.

De Apoplexia, post quinquennium recurrente fortissima à sanguine extravasato, cum capitis Anatome.

Anna *Oberhauser* Fabri lignarii, civis nostratis uxor, 47. annorum, staturæ justæ, habitûs pleni, colore faciei albicante; temperamenti sanguineo-phegmatici, cuticulam egregiè curavit: Nupta viro, primo puerperio tres (quorum unus adhuc superstes,) abhinc sedecim alios enixa est infantes: partus plerumque fuit laboriosus, & lochia enormiter manarunt. Rem domesticam probè administravit, frugi fuit & attenta ad rem, curta dum fuit suppellex, & res angusta domi: Anno 1680. mense Decembr. gravem insultum apoplecticum passa est ἄφωνος facta, totumque latus dextrum motu ac sensu privatum fuit. Accersitus è vestigio adfui venamque secari, vesicatoria variis partibus admoveri, frictiones administrari, & quæcunque revellere à capite, & spirituum influxum in organa sensuum juvare potuerant, sedulò perfici curavi. Die septimo exhibito purgante; nervos quoque splanchnicos sollicitavi; quibus tantundem profeci, ut quæ antea loquelam amiserat; pedem brachiumque dextrum movere non poterat; nunc balbutire & artus movere quomodocunque valuerit: randem benedicente Deo, integram horum usuram recuperavit, excepta infirmitate quædam lateris affecti, quæ tamen non impedivit, quo minus munia sua obierit. Concepit abhinc & filium sanum enixa est, in actionibus principibus nulla menda apparuit, nisi quòd ante insultum tenax & attenta ad rem, satis negligentet nunc rem domesticam habuerit, liberalis nimis & prodiga: bibula fuit & subinde plusculum sese invitavit, qua propter sæpius à marito increpata; randem verberibus excepta fuit; quin nuper adhuc vulnus capiti inflictum fuisse referunt. De cephalalgia multum querebatur, vertigine item titubante lapsumque minitante; ad quæ averruncanda mala crebro sanguinem mittere solita fuit: Fonticulum excitavi, & ita rei domesticæ reddidi matrem familias. Ad reliquias morbi dissipandas præter consilium medici, thermas adiit Helveticas, quibus per aliquot septimanas citra sanitatis emolumentum usa fuit. Sed & spiritum cerasorum nigrorum ad ebrietatem usque sorbillavit, & pulvere sternutatorio abusa est. Spe freta morbum hac ratione sublatum iri. Anno 1685. ipsis vindemiis (quo tempore lautius vivere & genio indulgere solet apud nos vulgus) postquam vertigo diu multumque afflixerat, fortissimâ apoplexia tacta, subitoque enecta fuit: Ipsis (quod probè notandum) fluentibus menstruis, propter quæ venæsectionem, quæ sæpius opem tulit ante, differre coacta fuit, surrexit equidem mane horâ solitâ, & ad munia diurna rediit (retulit quædam ex vicinis hora nona matutina cadum portasse capiti impositum ad condendum mustum, insignis lassitudinis mentionem fecisse, incedentem vacillasse, nec levem ebrietatis suspicionem dedisse.) Domum reversa conquesta est de frigore, lectum proin petitura, in ipsis scalis concidit supina, cum actionum animalium eclipsi, concurrerunt confestim vicinæ mulierculæ à misero infantum ejulatu, prostratamque invenerunt, in scalis inconcinnè ac miserè hærentem; eam proin sublatam in lectum in hypocausto stratum composuerunt. Accitus presso pede adfui. Tremebant artus, & ceu rigore concutiebantur: respiratio erat inæqualis cum stertore: nec acclamationibus nec vellicationibus excitari poterat, ut sensus aut intellectus indicia præberet: contentiùs dum vellicabam, incondito motu agitabatur membrum quod vellicaveram, modò in dextro, modò in sinistro latere. Pulsus erat citatior ab initio, mox tardus & rarus, tandem debilis & languidus. Respiratio sensim quoque sufflaminari videbatur, ori infudi liquoris excitavi nonnihil, qui ad fauces asperamque arteriam deffluens, tussim bis terve excitavit: caput de pulvinari sustulit intertussiendum, sed mox recidit: sulphuratum, dum alia vix suppetebant, accensum naribus admovi, cujus nec odore, nec ustione morti vicinam commovere potui: vix enim dimidiâ horâ post insultum respiratio cessavit, pulsu nihilominus perpetuante. Venæ jugulares mirè agitari videbantur, quemadmodum in omnibus, quibus circulatio in pulmonibus intercipitur, morti vicinis observavi. Sensim autem sensimque debilior pulsus & rarior, tandem quoque substitit, horâ circiter decimâ matutina, ut anima è suo ergastulo migrare necesse habuerit. Horâ sextâ vespertinâ caput cultro meo cessit. Incisa decussatim cute capillatâ & revulsâ, serum subcruentum exsudavit, ex dissectis autem vasis sanguiferis, sanguis serosus affluxit. Ablatâ capitis ollâ, circa occiput ubi firmissimè hæc corpori falciformi annectebatur, ex divulsis venulis & arteriolis serum coronalem perreptantibus, innumeras vidi exsudare sanguinis guttulas. Ad latus hemisphærii dextri, dura mater scalpro vulnerata fuit, nihil tamen sanguinis nec seri effluxit, nec quicquam horum inter duram piamque matrem collectum fuit. Ne autem importunis consanguineorum sollicitationibus impedirer aut turbarer, cerebrum pia matre obvolutum, discissis nervis & arteriis,

quæ

quæ quidem ritè sese habuerunt, exemi & clanculum iis, quorum interérat, domum portari jussi. Pressis volâ præcordiis, sanguis adhuc fluidus copiosè per sinus laterales, venasque è spina dorsi emergentes abscissas regurgitavit & exundavit in calvariam, ut cranio reposito & cute desuper consutâ ejus effluxum affusis in loculo cineribus inhibere necessum fuerit. Cerebri superficies integra fuit, nulla menda foris; nisi quod rubicunda apparuit. In venis ad sinum longitudinalem spectantibus flatum inveni, & hinc inde pepuli digiti apice. Arteriæ carotidi tubulum indidi, ligata altera lateris oppositi & ope siphonis ceram, quæ virore mirè reficiebat oculos, infudi: pervasit hæc omnes arteriarum cerebrum perreptantium mæandros ad capillaria usque vascula, donec parte qua meninx scalpro vulnerata fuit exitum invenit; ad cerebellum autem nullibi pertigit. Ad scrutandam apoplexiæ causam, hemisphærium dextrum cautè & suspensa manu ad ventriculum usque assulatim abscidi: In parte postica supra ventriculum dextrum, cavernulam oblongam, quæ nucem myristicam cepisset offendi conniventem, in qua nonnihil humoris stagnavit: Hæc cum vicina cerebri substantia, fusci & subflavi coloris extitit, ægrè secabilis, & dudum in hanc firmitudinem occaluisse visa fuit. Ad latus ejusdem hemisphærii, qua parte carotis in varias abit ramificationes: in aliam incidi cavernulam; in hac itidem nonnihil humoris aquei stagnavit, & ceu membranacei quid ægrè secabile occurrit. Tertia quam vidi prioribus similem cavernula sub corpore striato ejusdem lateris reperta fuit: connivebat hæc, & jam iterum mediante glutine coaluit, ita tamen, ut facilè hanc iterum separare potuerim: flava & ista fuit & ægrè secabilis instar priorum. Dexter ventriculus sanguine seroso fuit plenus exin in sinistrum is quoque redundavit: Locus quo erupit, fuit intermedius inter thalamum nervi optici corpusque striatum in dextro hemisphærio, ubi rimam egit. In ipsa nempe thalami substantia amplum hiatum seu fissuram, vi & impetu sanguinis factam, & in hac grumum sanguinis ovi columbini, aut gallinacei magnitudine inveni. Substantia cerebri, eluto cruore, circumcirca lacera, & ad bifurcationem usque nervorum opticorum divulsa ac dirempta fuit. Alibi arteriolas ægritudine seu aneurismate affectas conspexi, quæ tantam sanguinis vim fudisse videbantur. In sinistro hemisphærio inveni arteriolas in medio corpore striato cera viridi fulgentes, alibique in ipsa cerebri medullari substantia easdem conspicatus sum. Corpus striatum dextrum nec tam floridum, nec tam firmum uti sinistrum, sed flaccidum, obscuri, subflavi coloris & emarcidum apparuit, ceu atrophiâ laborasset. In parte postica dextri ventriculi, hinc inde papillulæ capitellorum acicularum magnitudine, instar pororum cutis, frigore perstrictorum prominulæ conspiciebantur, dum aliàs ventriculorum superficies, perpolita & levissima appareat: plexus choroidei ritè sese habuerunt, nisi quòd dexter cavernulæ primæ suprà descriptæ annexus fuit: microscopio subjecti plurimas, quin innumeras glandulas exhibuerunt. Quartus ventriculus sanguine quoque scatebat, infundibulum eodem plenum, pervium fuitusque ad glandulam pituitariam, qua parte abscissum fuit. Reliquæ cerebri partes manifesto vitio caruerunt, processus mamillares nulla cavitate præditos esse observavi, nec à ventriculis cerebri, sicut in brutis quibusdam cavi, sed à substantia medullari sub corporibus striatis (ubi nulla cavitas) utrinque oriuntur cœci & impervii.

I. Duplicis in hoc cerebro apoplexiæ, recentis nimirum fortissimæ, etiam olim factæ causas spectare; variorum quoque symptomatum à primo insultu superstitum causas ac rationes discere licet. Ut autem à primo & olim facta apoplexia ordiamur, in tantum hæc, tum artis, tum naturæ beneficio emendata fuit, ut olim munia sua obire commodè, & re domestica iterum fungi potuerit defuncta. Nullum est dubium, quin superstitis membrorum dextri lateris infirmitatis, & animi negligentiotis causa extiterit cruris medullosi dextri flacciditas & atrophia: Nec enim tam firmum hoc, nec tam floridum fuit, quàm sinistrum, sed luridum, flaccidum, obscurum & marcidum, ac si atrophiâ laborasset. Quemadmodum autem cerebri fibrillarum firmitudo & tensio ad acumen ingenii confert, ut ii qui attentius rem pensitant, nervos quasi seu fibrillas cerebri intendere soleant; quippe judicio qui pollent firmioris cerebri observantur; ita ejus flacciditas officit & stupiditatem arguit. Spiritus enim nec tam vegetè, nec tam promptè in udo cerebro & flaccidiori moventur, nec animæ ideas tam claras atque perspicuas repræsentare queunt, quàm in cerebro sereno, firmo, nullis nebulis obscurato. Quoniam verò in ipso cerebro, seu fonte non expeditus fuit spirituum callis, non mirum est, si in derivatis inde emanationum viis non tam promptus fuit influxus, unde membra quævis suum recipiunt robur; quæ nimirum negligentioris animi, & superstitis in latere dextro infirmitatis causæ videntur.

II. Causam flacciditatis corporis striati prope spectare licuit: tres nempe cavernulæ jam olim factæ, nunc quasi callosæ ac cicatrice obductæ circumcirca corpus striatum apparuerunt. Nullum est dubium quin canaliculorum & fibrillarum rectitudo deperdita hac ratione ac devastata fuerit, unde nec spirituum effluxus, nec sanguinis ac succi nutritii affluxus tam liber atque olim fuit; genio ita defraudarum suo corpus striatum atrophiâ laborasse suamque firmitudinem amisisse, non est mirum.

III. Utrum cavernulæ in primo apoplexiæ insultu ab exundante serô, an sanguine extravasatô

fato excitatæ fuerint, non adeo in promptu est dicere: fectas autem jam olim fuisse exinde apparet, quia callosæ, seu cicatrice obductæ & glutine iterum coaluerunt: Setum fuisse arguunt, quia in quibusdam earum adhuc aliquid humoris serosi repertum fuit; deinde, quia à sanguine extravasato facta apoplexia plerumq; & extemplo enecare solet. Sanguinem contra fuisse testantur, 1. quia juvenis adhuc & plethorica fuit, quam ætatem rariùs apoplexiæ serosæ manent. 2. Quia venæsectio tum à primo statim insultu administrata opem tulit. Tum symptomatum abhinc urgentium, cephalalgiæ & vertiginis unicum ac præsentaneum fuit remedium: à multis quoq; puerperiis, lochiis copiosè manantibus sanguis fluxibilior & actior factus, faciliùs arteriolarum extremitates erosit & erupit: Subitò denique apoplexia facta fuit, quæ à sero sensim aggesto intra substantiam cerebri non tam subitò ac derepentè accidisset, quin prævios capitis affectus effecisset. Nec enim hydatides in cerebris brutorum repertæ apoplexiam induxisse, ex supra recensitis videre est. Non exundavit tam copiosè sanguis, uti in ultimo insultu, quia firmius tunc temporis adhuc fuit cerebrum, sanguinisque impetus venæsectione aliisque à capite revellentibus tempestivè & ocyus infractus fuit.

IV. Quicquid fit, saltem apparet vulnera & solutiones continui in ipsa quoque substantia medullari cerebri, tum artis, tum naturæ beneficio posse consolidari. digerente nimirum calore atque spiritibus humorem aut sanguinem extravasatum (cui operi nihil invium observatur) & intercepto affluxu, sensim fibræ pristinam rectitudinem recuperarunt, & mediante lympha, quæ in nonnullis cavernulis reperta fuit, ceu glutine naturæ conjunctæ, spiritus animales utcunque in partes resolutas transmittere potuerunt, ut suis muniis obeundis par fuerit per quinquennium adhuc mater familias.

V. Fortissimæ denique & lethalis apoplexiæ causas sequentes observavi. In ipsa substantia medullari, seu meditullio cruris dextri amplum hiatum seu fissuram, & in hac sanguinem concretum, ovi columbini aut gallinacei magnitudine inveni; superiùs rimam egit crus medullare, per quam sanguinis concreti pars serosior in omnes cerebri cavitates effusa, easdem opplevit & oppilavit. Alibi atteriolas ægritudine affectas conspicatus sum in ipsa medullari cerebri substantia, quas sanguinem emisisse facilè colligere licuit. Instante nimirum menstruorum fluxu, tota massa sanguinea effervescente & exagitata, postquam pridie plusculum sese invitaverat, venæsectionem quæ sæpe sæpius opem tulerat, & forsan graviora mala averruncarat differre coacta fuit. Nec mirum proinquòd sanguis in vasis effervescens (occlusis forsan propter frigus venulis uterinis) per loca maximè debilia erupetit, & ditectis atteriolarum jam ante labefactarum aggeribus exundarit confertim, tantoque impetu prosilierit, ut & ipsam cerebri substantiam fiderit, omnesque cerebri anfractus oppilarit, tandemque oppressis spiritibus animalibus, & occlusis emanationum viis, misellam letho dederit. Nec ille motus quem à fortioribus vell. cationibus edidit, spiritibus à cerebro influis deberi videtur, potiùs iis, qui in organa sensuum atque motus emissi, quemcunque irritati motum ediderunt inconditum & anomalum, nam vix dimidiâ horâ elapsâ & horum vis evanuit, & expiravit ægra. *Idem ibidem Obs.* 154.

OBSERVATIO XIII.

Historia morbi & sectionis Cadaveris, Viri Clarissimi Marcelli Malpighii apoplexia extincti facta Romæ Kalendis Decembris 1694. *à Georgio Baglivo Med. Doct.*

MArcellus Malpighius an. ætatis 66. temperamenti ad siccum vergentis, mediocri corporis habitu & mediocri pariter staturâ præditus; cum per decursum antecedentium plurium annorũ ob graves mentis applicationes obnoxius esset 1. vomitibus & secessibus biliosis; exindè verò post horũ suppressionem, palpitationibus cordis, calculis renũ & vesicæ, urinis cruentis, affectionibus podagricis; demũ 25. Julii ann. 1694. præcedentibus severioribus curis & animi mæroribus, apoplexiâ correptus fuit, horâ fere meridianâ; accedentibus paralysi totius dextri lateris corporis, torturâ oris, & oculi pariter dextri. Varia statim adhibuimus remedia, præsertim phlebotomiam in brachio sinistro (eam tamen si aliorum Medicorum vota adfuissent in ipso latere paralytico instituissemus, ut mihi est in usu, siquidem impeditus fluidorum circulus in paralytica parte, celerius non restituitur quam in eadem sanguinis missionem instituendo, ut ex legibus mechanices resistentiæ, & impulsus apertè constat) exinde vero cucurbitulas scarificatas scapulis; pulverem Cornachini, sinapismos plantis pedum, & alia quam plura spirituosa, cæphalica, & in apoplecticis specifica remedia; quorumq; energiâ post 4°. dies gravissimorum laborum, vaniloquii, capiplenii, & aliorum accidentium, liber evasit ab apoplexia, & paralysi medietatis corporis. Nihilominus tamen quoniam malorum latius serpendi mos est, observavimus in doctissimo. Viro, quod ex antecedente morbo, memoria & ratiocinatio læsæ magna ex parte remanserint; in lachrymas quavis minima de causa solvebatur; inapetentiâ, indigestionibus ventriculi, & subsultu musculorum afficiebatur; his denique aliisque symptomatis miserrimè colluctatus fuit usque ad 29. diem mensis Novembris ejusdem anni; quo, circa horam matutinam post injectum consuetum clysterem, & exacerbatis post quinq; antecedentes dies gravibus vertiginibus, cum affectione calculosa vesicæ, correptus fuit novo accidenti Apoplectico; quod adeò vehemens fuerat, ut irritis quibuslibet remediis post quatuor ab invasione horas, ultimum diem obierit.

Sectio Cadaveris.

Aperto cadavere observavi sinistram pulmonum partem aliquatenus flaccescentem ac lividam, præsertim circa posteriora ejusdem loca, quâ dorso respondet. Cor citra consuetum, erat mole suâ auctum & præcipue parietes sinistri ventriculi qui duorum digitorum latitudinem

æqua-

æquabant. Bilis in vesica fellea, valdè nigricabat. Ren sinister erat omni labe immunis; dexter è cōtra, quasi medietate minor sinistro observatus fuit; ejusq; pelvis adeò dilatata, ut commodissime duos meos digitos eidem insererem; & ob minimam hanc pelvis dilatationem eveniebat in doctissimo Viro, quod calculos in renibus genitos statim in vesicam delabi sentiret, & è vesica paulò post foris extrudi. In vesica urinaria parvus calculus aderat; qui 4. diebus ante invasionem ultimi accidentis apoplectici inibi descenderat, & descendendo vertigines illas ultimas exacerbavit; Reliqua denique viscera naturalia, erant omni labe immunia.

Aperto capite, & secto hinc inde dextro cerebri ventriculo, in ejus cavitate duas libras circiter sanguinis nigri, & grumosi extravasatas deprehendimus; quę quidem preternaturalis evasatio sanguinis, recensetur cōmuniter causa principalis hujus apoplexię. In sinistro cerebri ventriculo residebat aqua subflava ad pondus sesquiunciæ, eiq; intermixtæ erant minimę arenulę in mediocri quātitate. Vasa cerebri erāt undiquaq; varicosa. Universa dura mater, fortiter & citra consuetudinem adhærebat cranio. Atq; hoc est summa eorum, quæ in cadavere doctissimi Viri observare mihi licuit ipsis Kalendis Decembris ann. 1694. Romæ.

NOtatu dignum est quam observavimus proximis hisce duobus annis non solum Romæ, sed in plurimis quoq; Italię Urbibus, magnam scilicet hominum partem apoplexiā extinctam fuisse Annis 1694. & 1695. cujus equidem funesti morbi eventus adeò frequentes erant ut horrorem mortis cervicibus humanis, singulo fere momento impendentis universaliter incuterent. Epidemicę hujus apoplexiæ causa peri merito poterit ab insueta aeris intemperie: æstas an. 1693. erat adeò exurens ut squallore & siccitate ferè omnia consumi viderentur; subingrediente an. 1694. frigora intensissima cœperunt: gelu & glacie omnia cooperiebantur præter consuetum Italiæ morem; Latium & Apulia, quæ rarissimè nivibus infestari solent, illo ann. uberrimè diffluebant, ut ferè ad cubiti altitudinem nives ascenderent: magnamq; Animalibus necem attulerint. Quæ subsequuta est æstas multò ardentior fuit superiori, & per quinq; ferè continuos menses nullę unquam visæ pluviæ; hæ autem cœperunt postea, circa mensem Octobris ejusdem an. 1694. & continuarunt usq; ad mensem Aprilis hujus an. 1695. tantā equidem assiduitate ut post hominum memoriam visa non fuerit tam ingens pluviarum abundantia; siquidem post 15. dies pluviarum continuarum, vix duo serenitatis observabantur, quod brevi post ab uberioribus pluviis exigerentur; per hasce igitur insuetas annorū cōstitutiones sęviet ār præfatę Apoplexię: Quibus etiā occasionem dare poterant mœrores, & domesticæ cuilibet homini vexationes, ob calamitosissima hęc in quibus incidimus tempora quibus per cōtinuū septenniū universa Europa bello adhuc concutitur crudelissimo, & vix post Orbem conditum audito; tot etenim Urbium vastationes & incendia; hominum tot millia cæsa, impedita prorsus cōmercia, pacis aditus fere preclusi, cuinam quęso horrorem mortis imò mortem ipsam non afferrent. Porro halitus maligni à tot terræmotibus (quibus ab an. 1688. usq; adhuc concussa fuit Italia) excitati, fomitem hisce morbis suppeditare facilè poterāt. An. 1688. primum tremuit Neapolis, quo tempore ipse illic degebam, sed exiguo prorsus vastissimæ illius Urbis damno; Oppida tantum quam plurimā eidem cōvicina solo protinus æquata fuere. Biennio post, forriss. iterum tremuit Neapolis; quo tempore tremuit etiam Beneventum ab eadem 4°. milliariis circiter distan.: Et paulo minus quam tota Urbs Beneventana solo exciderat. Per subsequentes deinde annos quamplures Italię Urbes tremuerunt; Ariminum & Ancona Urbes ad oram Adriatici maris positæ terræmotus vim & damna præ cæteris aliis maximopere senserunt. An. elapso tremuerunt fortiter Calabria & Sicilia; & solo protinus æquata est Nobilis urbs Catania in Sicilia, cujus profecto Urbis nulla hodie cernuntur vestigia: Messana Urbs in ædificiis mulctata etiam fuit, & oppida quamplurima omnino exciderunt. Hoc anno tremuerunt Venetię [quod rarissimum est] Patavium & aliæ convicinæ dirionis Venetæ Urbes. Proximè elapso Junio, tremuit, & protinus solo excidit Balneoregium, sive Bagnarea Urbs provinciæ Patrimonii; quadragesimo circiter ab Urbe lapide distās; tremuerunt pariter Urbes aliæ eidem vicinę pre cęteris Viterbum: terra in pluribus locis aperta est: Et oppida fere decem, & amplius corruerunt omnino. Pestis invasit Apuliam ann. 1691. cum non exigua Urbium illarum strage. Totus Lombardię tractus bello ardet contra Gallos internecino. Hoc igitur & hujus generis aliæ iræ Dei flagella observata sunt proximis his annis quibus funestę apoplexiæ sævierunt: & ad illarum majorem elucidationem, & complementū historiæ talia adnotasse opportuit. Tibiq; communicare Celeberrime Mangete. Vale interea & humanitate tua fovere ne desinas.

Tibi addictissimum Georgium Baglivum. *Datum Romæ 12. Julii 1695.*

Hæc ex communicatione prænominati Nobiliss. ac Praclariss. Viri Archiatri Pontificii dignissimi.

OBSERVATIO XIV.

Apoplexia in qua vasa cerebri varicosa. Serum effusum &c. reperta sunt.

MUlier quadragenaria boni corporis habitus, ac plethorica; subinde de doloribus capitis gravantibus conquerebatur, at non tantis ut inde aliquid sinistrioris expectaretur; cùm aliquando capite inclinatò, igni pro cœnâ parandâ accendendo incumberet, apoplexiâ validissima correpta est, & ab eâdem, nihil proficientibus nostris remediis, post paucas horas sublata. Die subsequenti summô mane apertô cadavere, elavatoque craniô, reperiebamus cerebrum totum quantumserô sanguinolentô copiosissimè suffusum; vasa verò turgidiora. Omnibus sui partibus aliàs nobis sana visa est.

VAsorum turgescentia indeque enata seri effusio proculdubio ab obstructione aliquâ originem ducit; Sic videmus à ligatis venis indeque impedito sanguinis per arterias advecti regressu, serum in partes vicinas copiosè elabi. Obstructio autem nullis familiarior est quàm plethoricis, quia scilicet cùm circulatio sanguinis difficiliùs in iis peragatur, motusque ex arteriis in venas pigrior evadat, (eadem prorsus ratione qua videmus è pleniori vasculô liquorem non ita commode effundi, quàm ex eo quod ex parte vacuum fuerit) aliquæ illius particulæ viscosiores facilè parietibus canaliculorum quos trajiciunt agglutinantur eosque tandem opplent. Quid itaque mirum si plethorici faciliùs in apoplexiam incurrant? Id etiam novit vulgus, homines carnosos, sanguine abundantiores, ac bene habitos morbo attonito maximè obnoxios pronuncians. Verùm quomodo sanguis, quomodo obstructio interceptionem ejus motus circularis faciens, commerciumque inter cor ac cerebrum interturbans, sit genuina Apoplexiæ causa tam eleganter explicat Clariss. Justus Conradus Michaelis suo de morbô attonitô tractatu, ut ejus verba huc referre minime pigeat.

Quoniam igitur inquit evidenter in superioribus demonstratum est, errare omnes illos qui in cæno vitiosorum excrementitiorumq; humorum vel ventriculos cerebri, vel Plexum ejus retiformem, vel Principium nervorum, vel quamcunque aliam partem obstruentium morantur, optandum omnino ut.

Tandem facessat cæcitas,
Quæ nosmet in Præceps diu
Lapsos sinistris gressibus
Errore traxit devio.

Velut prudentiùs olim alio licèt sensu precabatur. Cùm tamen ea de qua nobis sermo est Apoplexia ab humore aliquo ortum suum ducat, liquidò deprehendimus, culpam hujus mali nemini præterquam soli sanguini jure posse defferri, non quidem isti qui jam obstruit, cùm ille sit pars morbi materialis; Sed huic qui tendit ad cerebrum, & in procinctu est ut obstruat.

Sanguinem cùm dico, intelligo illam humorum miscellam, quę & qualis in arteriis, venisq; ceu alveis naturaliter continetur: non autem partem hujus miscellæ optimam, seu numeris suis omnibus absolutam, vereq; ac solam alimentariam, quę chymus propriè vocatur, & de qua Hippochrates l. 2. de morbis loquitur: ὅταν τις ἢ χεῖρα τοῦ τὸ παχῦσαν ἐπιτάμῃ ἢ κεφαλὴν ἢ ἄλλο τι τοῦ σώματος τὸ αἷμα μέλαν ῥέει καὶ θολερὸν καὶ νοσῶδες καίτοι οὐδὲ αἷμα δίκαιον εἰπεῖν καὶ ὄνομα ἀλλ' ἐρυθρὸν καὶ εἰλικρινὲς ῥεῖν. Cùm quis aut manum hoc patientem secuerit, aut caput, aut aliud quid corporis, sanguis niger fluit, & turbidus, & morbosus: quamvis neque sanguinem nominare fassit, nisi qui ruber & sincerus effluit. Sic Plato in Timæo, ubi de animalium alimento: καλοῦμεν αἷμα νομὴν σαρκῶν καὶ ξύμπαντος τοῦ σώματος ὅθεν ὑδρευόμενα ἕκαστα, πληροῖ τὴν κενουμένου βάσιν, pro quibus elegant. Hofman: Sanguinem vocamus, qui pabulum est carnis & omnium corporis partium. Ab hoc enim irrigatis omnibus repletur id denuò quod dissipatum est: Sed in latitudine sua vocem accipio, prout etiam sanguis biliosior, ustior crudior & serosior nomine sanguinis veniunt. Non enim necesse est, in artibus philosophica semper observetur ἀκρίβεια, sed dandum etiam est aliquid τρίβῳ ὑπαισχύνης gravissimas ob causas.

Hæc simplicissima est veritas, quam Galenus quoq; jam senior prudentiorq; factus tandem cognovit, ideoq; universalibus suis pronuntiatis non amplius ita pertinaciter inhæret, sed causæ in juvenilibus scriptis sæpius datæ duobus locis assuit aliam, sanguinem scilicet, dicitq; homines propter redundantem sanguinem apoplexiâ corripi. Alter locus est 4. diæt. acut. 23. ὅταν ἂν αὗται ὑπερπληρωθῶσι βαρυνθῆναι τε τὴν δύναμιν, ἀνάγκη καὶ εἰς κίνδυνον ἀφικέσθαι τὴν ἔμφυτον θερμασίαν, τοῦ ἀποσβεσθῆναι, πνιγμῷ τι παραπλήσιον παθοῦσαν ὑπὸ τοῦ πλήθους, ἐπιληψίαι τε γὰρ καὶ ἀποπληξίαι καὶ καρδιακαὶ συγκοπαὶ γίγνονται. δι' ἑνὸς γὰρ συμπτώματος κοινοῦ τῆς ἀφωνίας τὰ τοιαῦτα συμπτώματα ἐδήλωσε, venis igitur istis nimium repletis gravari facultatem necesse est, & in periculum extinctionis adduci calidum nativum, dum quid suffocationi simile patitur à copia sanguinis, fiuntq; Epilepsiæ & Apoplexię & syncopæ cardiacæ. Per unum enim commune obmutescentiæ symptoma, ejusmodi symptomata declaravit. πλῆθος autem hîc nihil aliud quam πληθώρην sanguinis repletionem denotare, capite ab hoc secundo ordine vigesimo quinto docebitur.

Alter verò est l. de cur. per venę sect. cap. 7. αἱ γοῦν ἀποπληξίαι καὶ κατὰ τοῦτον γίνεται τὸν τρόπον, ἐπὶ τὴν ἀρχὴν τοῦ ζώου ῥυέντος αἵματος πολλοῦ. apoplexiæ igitur hunc in modum fiunt, sanguine multo ad principium animalis ruente. Et paulò post dicit, plethoram facere ἀποπληξίας καὶ τὰς ῥήξεις τῶν φλεβῶν, morbis attonitos & ruptiones venarum, Unde sua desumpsisse videtur Turrisanus 2. comm. in art. Gal. 12. fol. m. 30. G. oppilatio venarum & arteriarum ex multitudine sanguinis absq; grossitie, prohibet emanationem virtutis ad membra, ex quo est causa apoplexiæ & mortis sicut Galenus dicit.

Hinc Ballonius l. 2. consil. p. m. 129. cùm sanguis multus est coercitus in cerebro, calefactus & propterea παρέγχυμα ipsius cerebri inflāmans, hinc attonitus homo redditur. Quod in ebriis usu venire potest. Hinc Smetius in miscellaneis p. 601. ubi de duobus intestinis nobiscum natis vitæ nostræ hostibus ait: Quid damni sanguis ipse defecatus & sincerus vitæ nostræ, inferre potest, utpote cum naturæ nostræ conveniens & necessarius sit. Sanè quamplurimùm sit enim vel optimus, tamen copiâ abundet: mox si firma sint vasa; aut caloris nativi oppressionem (sicut flammulæ ab oleo nimio accidit) aut apoplexiam, aut febres continentes intentas. Hinc prosper Martianus comment. in 4. de diæt. acut. 47. cum nullo præcedente dolore & derepentè morbus (attonitus vel aphonia de qua loquitur) invadit, signum est, ejus causam esse sanguinem solâ copiâ peccantem. Qui ante comm. in lib, 2. de morb. sect. 2. v. 64. apertè dixerat, apoplexiæ essentiam consistere in sanguinis statione. Idem autem sanguis qui sistitur, figitur & materia morbi evadit. Antea fuit causa antecedens.

Exemplum hujus rei evidentissimum præbebit juvenis pleni habitus, quam redundans capitis sanguis in subitam & gravem præcipitavit apoplexiam, apud Tulpium 1. Obser. Med. 7. & mulier quædam Bysantina non nisi à magna sanguinis copia attonita facta: nec non aurifaber Lausannensis ex hæmorragiâ narium apoplexia correptus apud Fab. Hildanum 3. Observ. Chirug. 11. & 12.

Jam verò, si quædam apoplexia etiam secundum Galenum est a sanguine, aliique humores, vel ut in superioribus est ostensum, heic non veniant in numerum causarum, quidni animosè dicam, omnem apoplexiam esse à sanguine? Sed ita est: Quia Galenus in falsa sua de ventriculis cerebri hypothesi veritatem semel deseruit, non ita facilè revertitur in viam idemque contigit doctissimo Jacchino. Cùm enim vidisset mulieres nonnullas otiosas & divites deficientibus mensibus

apoplexia correptas, quare ex hoc φαινομήνῳ, non indagavit veram morbi attoniti causam? An illam putavit satis esse investigatam? Nec Gallenum posse falli? Haud aliam ob causam puto Forestum in amplissima sua praxi sedentem & commemorata Jacchini verba 10. Obs. 69. in scholiis malâ fide exscribentem hæc neglexisse. An ergo injuria est, eos cum Prudentio περὶ στεφ. hymn. 10. ita alloqui?

Vos eruditos miror & doctos viros,
Perpensa vita quos gubernat regula,
Nescire vel divina vel mortalia
Quo jure constent.

Quod si cui rem ipsam φαινομένοις in microcosmo obviis nondum satis ob oculos posuisse videor isti considerandum proponam illustrissimum exemplum è macrocosmo petitum, in quo tanquam in splendidissimo speculo veram morbi attoniti effigiem cernere licebit. Nam nemini amplius dubium fore censeo, hominem in se continere omnia quę universus hic mundus amplissimo suo sinu coërcet, ut parvus mundus & universi exemplar ac epitome optimo jure dici possit, teste Laurentio l. 1. hist. anat. cap. 2. quod Macrobius 2. in Somn. Scip. 12. physicos antiquos constanter statuisse refert & Galenus confirmat 3. us. part. 10. apertè Aristotele 1 hist. an. 15: μάλιστα δ' ἔχει διωρισμένα πρὸς τοὺς κατὰ φύσιν τόπους τὰ ἄνω καὶ κάτω ἄνθρωπος τῶν ἄλλων ζώων τὰ γὰρ ἄνω καὶ κάτω πρὸς τὰ τοῦ παντὸς ἄνω καὶ κάτω τέτακται, superiores & inferiores partes in loca naturalia, maximè distinctas habet homo præ cæteris animalibus. Nam superiora & inferiora ei secundum universi superius & inferius disposita sunt. Quo prior Hermes Trismegistus in clare: ὥστε τὸ πᾶν ἐκ ὑλικοῦ καὶ νοητοῦ συνέστηκεν, καὶ ὁ μὲν κόσμος πρῶτον, ὁ δὲ ἄνθρωπος δεύτερον ζῶον μετὰ τὸν κόσμον. itaque universum ex materiali & intelligibili constitutũ est: Et mundus primùm, homo verò secundũ, animal post mundum uti ad verbum vertit Patritius. 2. discuss. perip. 6. Nec aliud docuit Hippoch. lib. 1. de diæt. cap. 7. Secundum Zvvingerum: ἐνὶ δὲ λόγῳ πάντα διεκοσμήσατο κατὰ τρόπον αὐτὸ ἑωυτῷ τὰ ἐν σώματι τὸ πῦρ, ἀπομίμησιν τοῦ ὅλου μικρὰ πρὸς μεγάλα, καὶ μεγάλα πρὸς μικρά, summatim & publico sensu: Omnia quæ in corpore sunt, modò sibi convenienti digessit ignis ad universi imitationem, parva ad magna & magna ad parva.

Missis autem ambagibus, nemo nostrûm ignorat duo esse in rerum universitate insigniora, & tam lucis splendore quàm operationis efficacià omnia reliqua antecedentia, inque sacris paginis toties celebrata lumina, solet luna, solem qui nesciat aut ostendere non possit. Nemo est: Quid sit, discat ex Petri Johannis Fabrii Panchymico, qui non didicit ex naturæ libro, ille l. 2. c. 9. Solem sic describit: Sol nihil aliud est, quàm lumen ipsum creatum, in corpus solis compactum, è massa materiæ primæ, sursum à Creatore elevatum, & sublimatum, & in ea parte mundi, in qua lucere videmus, in unam massam solidam ac firmam luminis concretum, ut ibi luceat in æternum, lucemq; suam infundat omnibus rebus mundi, ut inde lucem, vitam & esse habeant. Moses gen. 1. vers. 16. eum vocat Φωστῆρα τὸν μέγαν εἰς ἀρχὰς τῆς ἡμέρας, luminare magnum quod præest diei. Ad quæ verba Benedictus Arias Montanus in op. Reg. l. de arcan. serm. p. 76. sol majus luminare, splendore caloreque suo cætera omnia vincit, atque effectu ipso superat. Apud Hesiodum 2. Esp. 35. vocatur σείριος ἀστὴρ, illustris stella, quod candore, h. e. albedine illustri maximè niteat. Dictus autem est sol, quia solus ex omnibus sideribus & tantus: Vel quia cùm exortus est, obscuratis omnibus solus appareat, notante Cicerone 2. de nat. Deor.

Hujus tanta est necessitas, ut omnia de mundo sustulisse videatur, qui hunc sustulerit. Hinc optime & verè à Platone in Theæteto pronunciatum est, sole stante omnia stare, Starent revera. Quis enim motus esset, tam superiorum quàm inferiorum? In cælo quidem nulla moveretur stella, sole immobili permanente: In terra autem nulla esset generationis & corruptionis vicissitudo, quæ jam perpetua est, ex qua omnia sublunaria conservantur ideoque medium inter planetas locum meritò obtinuit, ut omnibus mundi partibus vivificos suo radios ex æquo possit communicare; sine sole inquit Faber loc. cit. nihil in natura existeret, unà siquidem cum luce, vita & esse infunduntur. Sol quotiescunque infrà horizontem deprimitur, & sese ad tempus occultat, mirum est quomodo omnia in toto illo horizonte languescant, si plantas respicis, videbis flores ipsos diversis omninò coloribus adeò variegatos, ut etiam pictores arte suâ imitari naturam nequeant, sole presente elegantissimè expansos & explicatos; firmissimo argumento, quod ab illo vitam & omnem pulchritudinem habeant; eò verò recedente, quasi præ dolore & tristitia prorsus contractos & languidos: sin animalia, haud minus videbis illa, ipso die quo solem possunt intueri, vividè & vegetè quasuis actiones naturæ ipsorum conformes obire, illô verò recessô penitus collabi, & profundo pigroque somno obrui. Si quæris, quâ potestate sol hæc omnia queat efficere, respondebit sol Criticorum Salmesius l. de ann. Climactere p. 777. Nulla alia vis hoc præstat quàm caloris, qui principia unde omnia gignuntur, clausa reserat, ac densa relaxat. Alia etiam quæ rariora sunt aut liquidiora, quàm ut quicquam gignere possint condensat, & deficcat. Quibus tutò licet acquiescere, rejectis vanis Astrologorum figmentis.

Ista Cicero procul dubio in oculis habuit. Cùm in Somn. Scip. d. cit. quòd sol si dux & princeps & moderator luminum reliquorum, mens mundi & temperatio, tantâ magnitudine, ut cuncta sua luce lustret & compleat. Quibus commentarium lepidissimum scripsit Macrobius l. 1. c. 20. ubi prætereà testatur physicos solem vocâsse cor cæli quòd sol eadem operetur in cælo, quæ cor in animalibus. Jure igitur, inquit, cor cæli dicitur, per quem fiunt omnia, quæ divina ratione fieri videmus; est & hæc causa, propter quam jure cor cæli vocetur; quòd natura ignis semper in motu perpetuoque agitatu est, solem autem ignis ætherei fontem dictum esse retulimus, hoc est ergo sol in æthere, quod in animali cor: cujus ista natura est, ne unquam cesset à motu: aut brevis ejus quocunque casu ab agitatione cessatio mox animal interimat.

Huic virtute, evidentiâ & celebritate proximus est ὥσπερ ἄλλος ἥλιος ἐλάττων, veluti alius sol minor Aristoteli 4. gen. an. 10. dictus, & à lucendo, si Ciceroni 2. de nat. Deor. credimus, luna nominata, novissimum illud sidus, terrisque familiarissimum, omnium admirationem vincens & in tenebrarum remedium à natura repertum ceu Plinius l. 2. c. 9. de illa verba facit Gen. 1. v. 16. Vocatur Φωστὴρ ἐλάσσων εἰς ἀρχὰς τῆς νυκτός. luminare minus quod præest nocti. Ad quæ Arias Montanus l. de arcan. Serm. p. 77. dicit luna secundum à sole luminare est, mensium spa-

tia

tia cursu proprio deficiens hæc, quamvis evidentissimum lumen omni, nisi à sole illuminetur, careat tamen virium efficaciâ omnes reliquos planetas facilè antecellit. Nam cum ob inæqualem materiæ dispositionem non possit evitari, quominus quædam terræ partes magis calefiant, rarefiant aut siccentur, quàm debebant, præstò est luna quæ moderamen adferat nimis calefacta refrigerando, rarefacta condensando, siccata humectando: Ita ut semper inter insigniora hæc luminaria contraria sit operatio, nisi illa à terra inter solem & lunam diametraliter interposita ad tempus intercipiatur, quod Philosophi Eclipsin vocare consueverunt.

Duo etiam sunt in Microcosmo luminaria insigniora, seu viscera nobiliora, cor & cerebrum illud necessitate, dignitate, virtute & eminentiâ omnia reliqua in toto corpore longo antecedit intervallo: Hoc autem isti omnimo proximum est. Cor omnia perfecta animalia accepisse, etiam vulgus novit. Quamobrem? Nomnes hoc noverunt etiam qui docti volunt videri, discere tamen illud potuissent ab Aristotele, qui 3. part. an. 7. prætoriana voce exclamat: δεῖ γὰρ εἶναι τινὰ οἷον ἑστίαν, ἐν ᾗ κείσεται τῆς φύσεως τὸ ζώπυρον, ἤ τοῦτο εὐφύλακτον, ὥσπερ ἀκρόπολις οὖσα τοῦ σώματος, oportet enim esse quemdam velati focum in quo naturæ ignis sit repositus, eumq; bene munitũ, ad instar corporis arcis. Quod aliquanto clarius effatus est Michaël Ephesius in comm. δεῖ γὰρ αὐτὴν εἶναι οἷον ἑστίαν καὶ εἰκημά καὶ τὸ ὅλον ἀκρόπολιν ἐν ᾗ ὥσπερ τις βασιλεὺς κείσεται τὸ τῆς φύσεως ζώπυρον. Τοῦτο δ' ἂν εἴη ἡ τὸ ἔμφυτον, ἡ ἡ αἰσθητικὴ ψυχή, oportet enim ipsum esse veluti focum, & domicilium, quin arcem, in qua tanquam Rex aliquis resideat naturæ ignis. Hic verò est vel calidum innatum, vel anima sensitiva.

Quid cor sit, satis prolixè explicant anatomici, unde petere potest, qui nullam habet ejus rei notitiam; situm in medio obtinuit thorace, ut arx regia in commodissimo sit loco, unde calorem & sanguinem in omnia corporis membra, tanquam clementissimus & munificentissimus rex possit effundere, ut suum quæque capiant demensum quemadmodum enim non opus est, ut Rex simul præsens sit in omnibus regni partibus (quid enim hoc aliud esset quàm ex re finita facere infinitam) sed sufficit si in regno suo ubique præsens sit virtualiter, h. e. per ministros suos primarios, quemadmodum etiam sol corpore suo medio inter planetas, & si Copernico credimus, medio mundi loco constitutus, virtutem suam per radios ceu totidem ministros suos in omnes mundi angulos ablegat: Ita & anima in corde medio thoracis, imò hominis, loco residens, calorem & Spiritum, tanquam primarios suos Ministros, & tanquam radios suos in omnes corporis partes mittit, ad vivificandum, illustrandum & perficiendum omnia, quibus tantæ machinæ opus est, cuncta sua officia fecit anima & proximè satellitio spirituum, ait Heurnius com. ad 7. aph. 9. Nisi ergo sol iste toti corpori allucear, & radios suos in omnes partes dispergat, nulla facit officium sine corde enim cerebrum non potest memorare aut intelligere, oculus videre, auris audire, manus amplecti, pes progredi &c. ut rectè Schegkius l. de Spir. ann. cap. 2. dixerit, corde quiescente quiescunt omnia, eandem necessitatem respexit Philosophus, 4. animal. gen. 4. Cùm corde carens nullum unquam animal visum esse memoriæ prodidit, καρδίαν δ' ἄνευ ἐθὲν πώποτε ἐγένετο ζῷον μὴ ἔχον.

Cùm autem de sole & corde jam dicta verbis elegantissimis velut in fasciculum collegerit Riolanus in comm. de circ. sang. statim in initio, non potui illa non excribere, nec cui surgendum sit ad librum. Tanta est, *inquit*, majoris mundi & minoris, scil. hominis inter se similitudo, ut quicquid in majore mundo reperitur, id omne in minore deprehendatur. Sed præ cæteris admirabilis occurrit cordis ad solem analogia, mutatis ac invicem mutuatis nominibus, dum sol cor mundi dicitur, & vicissim cor sol hominis: Etenim cor æthereo calore situ medio, motu perpetuo, sanguinis & spirituum generatione, eorundem fluxu & irradiatione, exquisitè solis naturam æmulatur, imò superat, adeoque inter partes corporis, nulla observatur tanto artificio, tantoque apparatu exornata, ut principium ac domicilium vitæ in se contineret, tanquam primum vivens & & ultimum moriens, atque fundamentum existeret omnium corporis partium.

Quam comparationem dudum instituit Avicenna fen. 1. doct. 6. Sum. 1. cap. 4. cor soli comparans & spiritum lumini ejus, quemadmodum, inquit, in majori mundo, sol implet totum cælum radiis, quibus ferventibus seu ferentibus ejus virtutes in materiam generabilium & corruptibilium est principium generationis, & corruptionis omnium eorum quæ in mundo sunt: Ita cor totum corpus implet spiritibus quasi radiis à se missis, quibus ferentibus ab eo omnes animæ potestates vivificat totum corpus, habendo omnes virtutes, quas membris appropriat, sicut manus architectonici vires architectonicas. Exterum cùm hoc viscus toti corpori vitam & esse deberit largiri pro perficiendo isto munere opus erat facturo spiritu calidissimo, & igneo: ille verò ea quæ ad τὸ εὖ εἶναι pertineut nimirum ad sensum & motum Præstandum erat ineptus: Contrario utique opus erat momento, cerebro scil. quod haud secus quàm luna fervidissimos cordis spiritus sublevatos attemperaret licet enim cerebrum omne nutrimentum omnesque vires suas à corde accipiat, tamen omnia reliqua corporis viscera propter spirituum illam contemperationem, & sensus motusque præstantias dignitate atque eminentiâ superat. Ut ut à corde vicissim superetur. Est enim viscus post cor nobilissimum atque animalitati familiarissimum, omnes in admirationem ducens, & ad sensuum ἀκρίβειαν à creatore efformatum.

Jam dudum illud docuerat naturæ genius Aristoteles, 2. part. an. 7. cujus ecce verba: ἐπεὶ δὲ ἅπαντα δεῖται ἐναντίας ῥοπῆς ἵνα τυγχάνῃ τοῦ μετρίου καὶ μέσου διὰ τοῦτο τὴν αἰτίαν πρὸτον τῆς καρδίας ἔστιν τῶν ἐν αὐτῇ θερμότητα μέρη χάνηται τὸν ἐγκέφαλον ἡ φύσις. Et paucis interjectis: ὁ μὲν ἐγκέφαλος εὔκρατον ποιεῖ τὴν ἐν τῇ καρδίᾳ θερμότητα καὶ ζέσιν, quæ non quidem ad verum, ad genuinum tamen sensum elegantissimè reddidit Hofmannus de. us. cerebr. cap. 2. postquam in rerum natura ita institutum est, ut unumquodque habeat opus contrario momento, quo perveniat ad mediocritatem naturæ cuique particulari amicam: Natura heic quoque fuit sui memor, fecitque cerebrum, ut cor ejusque calorem attemperer. deinde, usus igitur cerebri, in quibus est, propter cor est, ut calorem ipsius ad temperiem quandam redigat.

Langius 1. epist. 54. hoc ita effert: Cum in macrocosmo terra solis calore siccata & calefacta, solo ex aëre ventorum flatu refrigerari non pos-

set: à natura in sublimi constituta est media aëris regio gelida, quæ vapores de terra & undis in altum sublatos, suo frigore in pruinam aut imbres congelaret: & harum aspergine terram irrigaret; & nocturno lunæ frigore refrigeraret: ita quoque natura sapiens omnium & præcipuè in humani corporis Fabrica architectrix, in capite cerebrum frigidum, veluti lunam in sublimi collocavit, ut alteratis suo frigore spiritibus per arterias cordis, veluti luna & media aëris regio, solis æstum; Sic quoq; cordis fervorem in microcosmo temperaret.

Attemperatio illa, nunquam interrumpitur sed perpetua, est nisi quando interveniens aliquod eam violenter intercipit. Hoc fit ab obstruente sanguine interposito, ne spiritus vitalis cerebro continuò communicetur, quemadmodum enim luna in Macrocosmo terra inter hanc & solem interposita, necessariò eclipsin patitur, h. e. lumine suo à sole accipiendo privatur, ita ut lucem tenebrarum illud solatium animalium generi præstare non possit, neque influxu suo sapientissimè à Creatore instituto generationum & mutationum vicissitudines obire: Ad eundem modum cerebrum in microcosmo sanguine inter hoc & cor interposito, quasi eclipsin patitur, h. e. omnibus suis operationibus privatur, ita ut omnia corporis membra lucis spiritus animalis indigentia extremis obruantur tenebris, cùm neque oculus tum videat, neque auris audiat, neque manus neque pes ullum faciat officium, & quod maximum est, ne ratio quidem ipsa tantum possit, ut ægritudinem suam cognoscat.

Observatio XV.

Apoplexia in quâ sanguis in dextro cerebri ventriculo repertus &c.

Apoplexia correptus fuit vir annorum 56. Post sex horas tota dextra pars corporis convellitur & contrahitur, sed præcipuè manus & pes. Sinistra verò pars paralytica evasit. Interea nihil loquebatur, sed sputum ex ore emittebat viscidum & copiosum. Secundâ die circa pectus maximam sensit concussionem; quâdie mortuus quasi strangulatus.

Sectô craniô invenimus substantiam cerebri Sanam. In dextrô tamen ventriculô aderat magna sanguinis nigri & quasi purulenti, ac variegati extravasatio, & totus erat plenus hâc materiâ: Ipse quoque fundus dicti ventriculi erat erosus & veluti excavatus. In sinistrô ventriculô nihil novi apparuit. Pulmones observavimus nigros & flaccidos, ac in dextrô cordis ventriculô polypum.

Ab uxore accepimus virum hunc pluribus ante annis obnoxium fuisse vertigini, & pluribus ante mortem diebus de dolore & gravitate capitis multùm questum fuisse, pridieque hujus insultus apoplectici Sanguinem è naribus erupisse. *Ex communicatione Excellentiss. D. Georg. Baglivi Archiatri Pontificii &c.*

ANATOMIÆ PRACTICÆ

LIBRI PRIMI

SECTIO III.

DE RELIQUIS AFFECTIBUS SOPOROSIS, Lethargo, Caro, Cataphora, Comate somnolento & Vigili.

Observatio I.

§. *Lethargi causa interdum est serosa colluvies, cerebri anfractus exteriores ejusque poros alluens.*

LETHARGUM à *serosa colluvie cerebri anfractus exteriores* alluente *ejusque poros & meatus corticales* subeunte, interdum oriri observatione Anatomicâ sæpius comprobatum vidi: In multis enim ab hoc morbo defunctis, plicarum cerebri interstitia aqua limpida repleta, Quin & extimam ejus *substantiam à nimio madore mollem* & minus firmam: Insuper in nonnullis cavitates interiores lympha turgentes, & totius cerebri compagem hydrope, seu potius diluvio inundatam reperi. *Th. Willis Tract. de Anima Brut. part. 2. cap. 3. p. 294.*

Lethargum] Somnip. n. quatuor præcipuè proponuntur differentiæ, Coma, Lethargus, Carus & Apoplexia, quæ cum ut plurimum ab iisdem causis oriantur, eandem curationem postulant: Differunt autem inter se, quod in *Comate* seu cataphora, est quidem somnus profundus, sed à quo æger excitatur, & oculos aperit & respondet, moxque iterum profundè dormit: In *Lethargo* est somnus comati similis, sed cum febre & delirio: In *Caro* æger febre caret, ut in comate, sed somnus est profundior, ita ut æger excitatus oculos vix aperiat, & non respondeat, sicut in prædictis, attamen vellicatus sentiat, & integra maneat respiratio: In *apoplexia* somnus est profundissimus, cum omnimoda sensus & motus privatione, ac difficili respiratione. Causæ horum affe-

affectuum plurimæ assignari possunt, i. & potissima est humor pituitosus vel aquosus in cerebro p. n. contentus, qui in minori copia cumulatus, cerebri substantiam irrigans ac refrigerans, ejusque meatus insensiles obturans, *Coma* generare solet: Si verò in eadem copia collectus putredinem concipiat, sive in tumore collectus sit, sive per totam substantiam dispersus *Lethargum* producit: Quando verò majori copia collectus est sine putredine, & totus propemodum cerebri substantiæ imbibitus, *Carum* efficere consuevit. Si denique copia adhuc majori affluens, non solum cerebri substantiam, sed etiam ventriculos oppleat: aut saltem mole cerebri concidente comprimat & angustet, nec non principium nervorum in basi calvariæ à cerebro prodiens premat, & spiritui animali transitum præcludat, *Apoplexiam* facit: ij. A sanguine etiam redundante in cerebro soporosi affectus fiunt, maximè si crudior, serosior ac frigidior fuerit, unde spiritus animales condensantur, & motui ineptiores fiunt; tum copia cerebrum gravando liberum eorum commeatum impedit; ac pro majori vel minori copia, vel frigiditate, hunc vel illum affectum soporosum parit. iij. A sanguine etiam extravasato, & cerebri ventriculos opplente vel comprimente, præsertim apoplexia, rupta vena, vel ob plethoram ad vasa, vel ob contusionem capitis insignem, vel ob vulnus punctim aut cæsim factum: Sola cranii fractura cerebrum premendo comatosum affectum producere potest iv. A Tumore in cerebro genito pondere gravante, coma accedere potest, ut in Barone de qoo infra: v. Vapores immodici ad cerebrum delati, qui si copiosi & halituosi sint; spiritus animales aggravent, & velut caligine suffundant, sicut nubes in majori mundo radios obtenebrant: Si verò crudiores fuerint, cerebrum adeo humectant ut languidum ad actiones fiat, Sic ebrii sopore profundo detinentur; Sic pueri lumbricis, scatentes, Sic in febribus nonnullis intermittentibus sopor inexpugnabilis accessionis initio contingit: vi. A medicamentis narcoticis coma inducitur, imò à specifica & malignâ humorum putredine. *Ex Riverii Pract. lib. 1. cap. 2.*

Cerebri anfractus exteriores, ejusque poros & meatus &c.] Somni essentiam in eo consistere statuimus quod Anima corporea se paololum subducens, & irradiationis suæ sphæram contrahens, imprimis extimum cerebri ambitum, sive corticem ejus, & dein exteriora quæque sensûs & motus organa spirituum emanatione destituat & quasi fores occludat, proinde ut illi refectionis gratia intra revocati succumbant & quieti indulgeant; Interim cerebri exterioris pori & meatus à spirituum excursibus immunes & vacui, *liquori nerveo* è sanguine pro novis spirituum copiis exstillato aditum præbent: In somno naturali & assueto binæ hæ causæ, tanquam ex naturæ pacto quodam mutuò conspirant & simul contingunt, scil. eodem tempore spiritus recedunt, & humor nerveus subintrat; In somno autem non naturali sive extraordinario, causa interdum hæc, & quandoque illa prior est: nam vel spiritus defessi, aut avocati, se prius subtrahunt, & humori nerveo præ foribus aggesto introitum præbent; vel humor nerveus uberior loca ista adpellens, & quasi vi viam faciens, spiritus repellit, eorumque meatus subiens, quasi inundat: Somnus præternaturalis, sive insatiabilis sopor (qui præcipuum in Lethargo & morbis soporosis symptoma est) ab iisdem prorsus causis in majorem ἐνέργειαν evectis, quibus somnus non naturalis exoriri videtur, nempe aut spiritus animales prius affecti exteriorem cerebri ambitum destituunt; humorique non tantum nerveo, sed & seroso, aut alias vitioso, introitum concedunt: vel humores superflui & excrementitii, unà cum nerveo, cerebri corticales fores perrumpunt, ejusq; poros & meatus velut inundantes, spiritus exinde repellunt abiguntq; Causa modò hæc modò illa prior & potior existit, quandoque utraque simul etiam contingit: Quandoquidem igitur in Lethargo immani & funesto sæpe ad modum in historia narratum habuisse constat: in somnolentia minori & curabili, saltem extimas cerebri oras humore nimis irrigatas, tractusque spirituum planè obrutos suspicari licebit; præcipuè si lymphæ aut seri circa alias capitis partes abundantis signa apparebunt. *Idem Ibidem.*

A serosa colluvie] Non tantum à seri, aut alius humoris morbifici copia, sed interdum à malignitate ejus somnolentia gravis excitari solet: nam sæpe accidit materiam quandam infestam & virulentam è sanguine in cerebrum instillari, quæ substantiæ corticalis poros subiens, spiritus profligat, eos nempe aut extinguens, aut interius adigens, proinde ut regione hac ab iis destituta torpor & oblivio succedant: Hoc in febribus malignis, aut malè judicatis passim accidere nullus est qui non advertat. Porro in cachexia scorbutica, Ictero & aliis quibusdam morbis chronicis, loco succi nervei subtilis & spirituosi, latex sæpe iners & vapidus, torporis & oblivionis parens suppeditatur: Hæc lethargi causa conjuncta scilicet humoris nimii aut incongrui intra cerebri corticales poros aggestio; Sed & in vitio est sæpe *Sanguis* tanquam causa procatarctica, materiam morbificam parti affectæ suggerens: Enimvero in aliquibus magnam laticis aquosi, in aliis seri salsi & scorbutici quantitatem; inque aliis humores excrementitios & regimini animalis infestos, à visceribus, modo his, modo illis surreptos, ad caput transfert, atque data occasione, unà cum succo nerveo, ex arteriis cerebri oris extimis instillat; ibidemque materiam hujusmodi morbificam, vel paulatim insinuans, diutina congestione nubem atratam inducit; vel subita illius metastasi simul & semel cerebrum exterius inundat spiritusque incolas tanquam mare irrumpens, fugat & versus interiora compellit. *Idem ibidem.*

Substantiam à nimio madore mollem] Materies morbifica, utut copiosa aut infesta è sanguine in caput suffunditur, affectionem lethargicam minimè producit, nisi insuper in culpæ partem asciscatur facile debilis aut vitiosa cerebri constitutio: Hoc enim si robustum & bene temperatum fuerit, humor quorumvis appulsibus facile resistit: imò errores & enormitares in sex non naturalibus impunè fert: Quibus tamen hæc pars nimis humida aut frigidior est, uti pueris & senibus, item cacochymicis, hydrope, scorbuto, aut malaciæ affectis, illi in somnum valde proclives, à causa evidenti fortiori quandoque in veternum incidunt: Præterea qui cerebrum debilius, & quoad poros nimis laxum obtinent, ut feculentiis à sanguine obrusis facilis patescat aditus, somnolentiæ crebræ, imo & lethargo obnoxii evadunt: nam crapulæ aut compotationibus dediti, iisque peractis statim abdormire soliti, cerebri sui tonum labefactant, ejusque poros

succo crudo & fœculento implent, ac nimis aperiunt, proinde ut eum illud ob tales occasiones superfluitates serosas in se admittere diu assueverit, postea nihil oblatum repudiare valeat, quin meatus ejus tanquam isti in colo nimis rarefacto & extenso, particulas quasvis crassiores, aquosas, salinas, terrestres, facile trajiciant. *Idem ibidem.*

Cerebri anfractus exteriore, &c.] Si inquiritur cujus partis aut regionis incolæ spiritus, somno primum occupari, & ante alios quosvis somno indulgere incipiant? Supponere licet spiritus primò dormientes, eos esse qui intra globosam cerebri partem scatentes, phantasiæ & memoriæ actus creant. Hi nempe aut sponte sua, aut ob alieni incursum à cerebri exterioris poris, in quibus exspatiari solent, decedentes, in penitiora ejus meditullia se recipiunt; ubi tanquam otiosi decumbentes, spiritus ibidem consitos in parem desidiam allectant, aliosque in nervosum genus emanantes, ab effluxu revocant, ac ad otium sollicitant: Reverà spiritus, cerebrum exterius irradiantes primò obtorpescere, & recessu suo somnum inchoare, vel hinc constat, quoniam illos interdum ab expansione reprimi ac introrsum urgeri necesse est, ut *succo nervoso*, seu materiei, pro novis spirituum copiis, cerebro instillandæ cedatur locus: quare veterani isti, non solùm delassati è statione recedunt, quin ab humore plenius irruente velut inundati, ab excubiis pelluntur. *Idem, ibidem Part. 1. cap. 16. pag. 219.*

Observatio II.

Somnus naturalis & p. n. oritur à latice aquoso cerebri poros & meatus occupante, hinc in ventriculos detruso.

Plures sunt instantiæ quæ planè evincunt humores serosos in cerebri ventriculos passim deponi, observationes Anatomicæ hominum plerisque morbis cephalicis, ac inprimis affectibus soporosis defunctorum hoc ratum faciunt. Quinimo opinari fas sit somnum naturalem succedere in quantum cerebri pori & meatus à latice aquoso, qui spiritibus pro vehiculo est, occupantur infarciunturque. Dein quoties à crapula aut vini potu quædam sopor profundus invadit, causam esse quod spatiola in medullari cerebri substantia spirituum motibus destinata, humore narcotico aut aquoso nimis obstruuntur; Cujus reliquiæ quædam in vapores resolutæ, & à spirituum consortio detrusæ sæpe in inanem hoc spatium transfudent, *Th. VVillis Anatom. cerebri cap. 9.*

In Cerebri ventriculos &c.) Antiqui hanc cavernam adeo magnifecerunt, ut illuc statuerint spirituum animalium officinam, ubi & procreentur ipsi & præcipua functionis animalis opera moliantur: E contra Recentiores ita vilipenderunt, ut eadem materiæ excrementitiæ foras amandandæ meras cloacas esse asseruerint: Profectò ista veterum opinio facilè concidit, eò quod spiritus animales, utpote valde subtiles & avolare apti, non tam spatia ampla & aperta, quam meatus & porulos angustiores, quales in cerebri substantia exarantur, requirunt; nam hi spiritus [siquidem pro variis animæ facultatibus, in varias series & diversos ordines componi & διατεθῆναι oportuit] idcirco intra peculiares veluti tractus & orbitas commoveri debent. Porrò si quis cerebri fabricam exactè consideret, quod hi ventriculi non ex primaria naturæ intentione efformentur; at secundariò tantùm & accidentaliter de cerebri complicatione resultent, longè aberit ut suprema animæ sedes illic figatur, ubi nobilissimo spirituum satellitio stipata functiones suas exequi aut obire possit: Neque enim omnino constat ex quali materia & quo artificio spiritus ibidem progignantur, nec quibus exinde emanationum viis in reliquas cerebri aut systematis nervosi partes deriventur: Quare Anatomici fere omnes, qui citerioris sæculi fuerunt, illud vilius cloacæ officium interiori huic cerebri cameræ delegarunt: Cui opinioni fides nonnihil adstruitur ex eo, quod hi ventriculi in defunctis sæpe aqua repleti conspiciuntur: etiam ab illis tam versus infundibulum, tum in os cribriforme, excretionum viæ patescere videantur. Observare est, quod ubicunque sanguis in partem aliquam copiosius influat, eamque irriget, illic è sero superfluo, ac inter circulandum derelicto, vapores aut humores aquosi progignuntur, qui ut plurimum, aut per effluvia vaporosa foras exhalant, aut per venas, aut per vasa lymphatica in sanguinem redeuntur. Cùm vero sanguis uberi satis influxu cerebri, non modò corticem, at etiam interiorem medullam irrigat, Restat ut latex serosus (si quando magis in sanguine abundat quàm ut superfluitates ejus immediatè per venas, vel per lymphæductus, si qui adsuerint, reduci, aut à glandulis secerni queant) in specum hunc intra plicaturam cerebri excavatum dillabatur, observatione anatomicæ hominum affectibus soporosis, defunctorum hoc ratum faciunt &c. *Idem ibidem.*

Observatio III.

Lethargus non generatur ob interiores cerebri ventriculos affectos, sed cerebri oras extimas madore perfusas.

Ex observatis Anatomicis mihi sæpius constitit Lethargum non oriri (uti vulgò putatur) propter interiores cerebri ventriculos affectos, quippe novimus hos frequenter lympha inundatos & interdum sanguine extravasato distentos, & tamen laborantes, dum viverent, Comate & torpore quovis magno immunes.

Quandoque fateor, totius cerebri hydrops veternum infert, verùm in hoc casu non tantum cavitas interna, sed & anfractuum externorum interstitia aquarum diluvie impletur: Itaque Lethargo ad cerebri oras extimas præfinitas limites ejus ita constituimus, ut gyris istis, una cum

eum medullis interspersis ferè in totum occupatis, somnus perpetuus & inexplebilis, cum oblivione inducatur: Cerebri interim meditullio, sive corpore calloso, è quo spiritus animales in partes omnes tum sensiles tum motrices irradiant, ferè illæso, namque hujus eclipsis totalis Apoplexiam infert: At verò ultra citraque hos fines affectus soporosi passim reperiuntur; Somnolentiæ enim nimiæ sedes, prout Lethargi, in cerebro exteriori collocanda est, verùm hoc discrimine, quod hujus effectus causa materialis, sive conjuncta, etsi semper & præ foribus urgeat, minus altè quam solet in lethargo penetrat, quin ferè tantùm cerebri superficiem, sive anfractuum substantias merè corticales afficiat, medullis inclusis ferè intactis: Enimvero suspicari licet, quod dum sanguis cerebri oram rivulis densissimis ubique perluens, ei laticem subtilem pro spirituum materia ubique instillat, cum illo sæpe lymphæ copia affluens, ac una corticem subingrediens, ibidemque manens, ipsum valde impleat, ac (instar anasarcæ in habitu corporis) intumefaciat; pars autem hæc corticalis ad hunc modum tumefacta & velut hydropica, anfractus medullares ubique substratos ita comprimit, ut spirituum expansione, ob cerebri exterioris poros nonnihil constrictos, impedita, somnolentia inducatur: cui accedit quod sanguis propter cerebri corticem, ab aqua quasi intercute tumefactum, per totam viciniam minus expeditè circuletur, adeoque vasa & sinus implere, in iisque stagnare aptus sit: Ex quo fit ut exterior cerebri limbus adhuc magis comprimatur, proindeque spatia pro spirituum emanatione requisita adhuc magis coarctentur: Revera hoc in causæ partem adscisci inde liquet, quoniam hujusmodi somnolentis, ob sanguinem in capite haud liberè circulatum, & propterea stagnare aptum, facies cum livore rubescere solet: Porrò dum hanc illuviem in cerebri cortice aggestam, liquor subtilis, qui pro spirituum materia est, pertransiens, in medullas substratas pergit, probabile est cum illo particulas quasdam extraneas, sive narcoticas minutissimas irrepere, quæ spiritibus mox accrescentes, eos torpidos, & sponte in desidiam pronos reddunt. *Willis de Anima Brutorum Parte 2. cap. 4. pag. 312.*

OBSERVATIO IV.

§. Lethargus ab aqua limpida sub meningibus, cerebri corticem obtegente & madefaciente excitatus.

PArvulus paulo supra tres annos natus, cerebri humidi, prout ex ophthalmiis gravioribus & faciei exanthematibus aquosis, quibus interdum fuit obnoxius constat, ineunte Autumno malè habens, *cum febre lenta* & appetitu dejecto *torpidus admodum & somnolentus* evasit, ut dies & noctes ferè continuò dormiret: Experrectus verò adstantes novit & interrogatis apte respondit: Huic idonea remedia, scil. Enemata, vesicatoria, cathartica, &c. statim & sedulo adhibita in tantum profecerunt, ut intra 6. & 7. dies æger febre immunis, satis evigilans & alimenta poscens convalescere, & cura medica vix amplius opus habere videretur. Brevi tamen postea, (incertum ob quam occasionem) recidivam passus, & denuò Soporosus, torpore statim graviori afficiebatur, adeo ut integrè expergissibilis vix quicquam noverit aut scienter fecerit; Postridie *planè stupidus*, etiamsi acrius vellicatus oculos aperiret, eósque huc illuc obvolveret, *nihil videbat*, atque intra diem unam vel alteram *totius dextri lateris paralysis* insequuta est: Huic remedia priora repetita, insuper sternutatoria, apophlegmatismi, sanguinis detractio, cataplasmata pedibus & epispastica toti capiti raso applicanda cum aliis medicamentis & administrationum modis ordine præscripta nihil profuere, quin æger postquam ita per 4. & 5. dies insensibilis jacuisset, respiratione & pulsu tandem fatiscentibus, interibat.

Cadavere aperto, in imo & medio ventre ferè omnia satis sana reperimus, nisi quod in dextro rene humor ichorosus albicans, quasi sanies tenuis, congeri cæperat, qui ex renis dissecti & compressi partibus quibusdam copiosè effluebat; hoc abscessus futuri initium sive rudimentum quoddam fuisse videbatur, & forsan ob serum haud satis ubertim hic secretum, copia ejus major ad cerebrum influxerat. Nam calvariæ olla exempta, anterior τοῦ ἐγκεφάλου regio, ferè usque ad sinus quarti insertionem, aqua limpida per membranas translucente obtecta, intumescebat, quæ meningibus dissectis statim diffluebat: porrò illic loci, cerebri assulatim dissecti portiones nimis madidæ, & fere sine punctis rubentibus, sive sanguineis apparebant; in Posteriori autem cerebri limbo vasa cruore rubescebant, & substantia corticalis sine tumore, aut aquæ diluvio, depressior & firmior apparebat: Ex his Lethargi causam à cerebri exterioris illuvie aquosa, & velut anasarca pendere manifesto liquebat: Cerebro assulatim abscisso, & foramine in cavitatem anteriorem, à lympha distentam facto, *aqua limpida*, quasi prius intra spatium angustius coarctata exiliit, cujus ingens copia ventriculos omnes, ad summum impleverat ac, uti videtur, thalamos opticos comprimendo, cœcitatem; atque corpus unum striatum, aut poros ejus subeundo, aut comprimendo Paralysin intulerat: *Plexus* choroeides tanquam semicoctus, subalbicans & fere exanguis apparebat.

Probabile est ex iis vasis Plexus choroeidei, lympham, qua ventriculi cerebri inundabantur, omnem, aut quoad maximam ejus partem, exudasse; quanquam in hoc casu si (prout nonnulli existimant) latex aquosus è cerebri cortice inferius subsidens, demum cerebro penitus trajecto, in hos sinus depluere poterit, non incommoda inde ratio petatur, quare Lethargus primò sanari visus, mox immanior cum cœcitate & paralysi adscitis redierit; nimirum quatenus primò materiæ soporiferæ penus è cerebri cortice in cavitatem ejus prolapsus est; functio animalis paululum inclaruit: postea vero cum nova materies in cerebri cortice pullularet, & hæc in sinus prolapsa ad plenitudinem aggereretur, ideo morbi prioris recidiva cum istis *cœcitatis & paralysis* auctariis contigit, *Th. Willis Tract. de Anima Brut. part. 2. cap. 9. p. 416.*

Torpidus admodum & somnolentus) Lethargi proprie dicti ratio in hoc consistit, quod spiritus animales cerebri incolæ interioris, à motu & emanatione sua solitis inhibiti, somno profundo & inexplebili succumbunt. Inhibentur autem, vel proprio ipsorum vitio, quatenus absumpti aut narcosi affecti, velut congelantur & immobiles fiunt, vel quia illorum in cerebro exteriori orbitæ sive tractus obstruuntur, & ab hospite alieno occupantur, proindeque ut iis spatium pro expansione sua idoneum minimè concedatur.

Torpidus, somnolentus, Stupidus, nihil videbat, &c.] Hujus morbi symptomata præcipua sunt Somnus & Oblivio; Functionis cujusque alterius cognoscentis aut spontaneæ cessatio: Respiratio inæqualis & tarda, Febris, Et non raro, affectu in pejus eunte, Spasmi, tendinum subsultus, ac demum convulsiones universales ac lethiferæ. Quoad bina horum priora, alibi ostendemus ob eandem prorsus rationem cum somnus excedat memoriam deficere; Quod spectat ad alias animæ corporeæ facultates, scil. Imaginationem, Appetitum, Sensum & motum, etsi nulla spiritibus in hæc munia destinatis vincula narcotica injiciantur, atque interiores pori, intra quos exspatiari solent, satis patere videantur: attamen hi spiritus, si quidem durante paroxysmo, cum aliis obstructis commercium habere nequeunt, etiam sponte succumbentes, somno obruuntur. Quippe veterno circa animæ sensitivæ radicem, nempe cerebri corticem inchoato, mox tota illa provincia, scil. Animæ pars cognoscens, appetens & sponte movens, quasi velo obducto obscuratur: Porrò ipse interea Intellectus, fenestris ubique occlusis vix quicquam speculatur. Porrò hujus morbi potentia, etiam in alteram animæ sensitivæ partem, Cerebelli ejusque regiminis præsidem, quadantenus extendi videtur: Propterea namque durante Lethargi paroxysmo *Respiratio* & *Pulsus* alterantur: Illa namque inæqualis & tarda, cum inspiratione modo alta & longior, modo repetita seu reduplicata; atque hic magnus & celer calorem febrilem per totum corpus diffundit: Prioris ratio est, quod eadem causa morbifica quæ cerebrum exterius ejusque incolas, etiam ex parte cerebellum, ibidemque spiritus præcordiorum motibus inservientes afficiat: qui proinde perturbari & præpediri, licet pensa sua non omittant, ea tamen difficulter & interruptè peragant: hinc ut diaphragma & thoracis musculi systolas suas non faciles & celeriter ut prius, sed laboriosè, & nunc longiori conatu, interdum nixibus repetitis obeant. Hujusmodi respiratio inæqualis, longa & anhela, frequenter etiam in Phreniride contingit, quare nonnulli tum hujus tum illius causam Diaphragmatis inflammationem esse censent, sed perperam hoc, quia symptoma illud in utrisque hisce morbis cephalicis, à cerebello, cerebri gravius affecti noxam participante, dependet.

Cum febre] Quod spectat ad Lethargici febrem, ex pulsu magno & citatiori, ex spiratione calida, cum linguæ & faucium ardore absque insigni extremorum æstu dignoscendam, Nonnulli hanc ob eandem causam ac Lethargum, nempe vel à pituita in cerebro putrescente, vel à cerebri inflammatione frigida deducunt: Alii contra febrem statuunt primarium affectum esse, & proinde materiam morbificam à sanguine effervente in caput transferri. Super his ut de pituita in cerebro putrescente, aut inflammatione ejus frigida (quod idem fere sonat ac ignis glacialis) nihil dicamus, Lethargum non rarò febri supervenire concedimus, nam si hæc maligna aut mali moris fuerit, etiam si hoc pueris, senibus, aliisque pituitosis, scorbuticis, aut valde cacochymicis accidens, non bene judicabitur circa morbi ἀκμὴν, sæpe criseos loco, materies febrilis in caput rapta, torporem immanem, & non raro exitialem inducit, qui tamen non morbus sed febris ipsius symptoma censeri debet. Ad hunc modum sæpe observavi febres soporosas, & velut narcosi quadam insignitas quibusdam temporibus, ob malam anni constitutionem exortas, & epidemicè grassatas fuisse: Verùm tamen non minus usitatum est, cum Lethargus affectio principalis fuerit, febrem succedere, eique tam originem suam quam solutionem debere, quippe febris post veternum incipiens, eo discusso mox sponte cessat: talem itaque non à sanguine, ob particularum intestinarum dissidia effervescente, sed propter corporum continentium & vicinorum impulsus, cursum ejus variè alterantes ac interturbantes exoriri putamus. Enimvero recta sanguinis temperies non tantùm à particulis ejus ritè commistis & subactis, sed insuper à motu cordi & vasis impresso, sive circulatione organica plurimùm dependet. *Vide lib. de Febribus. Willis Tract. de Anima Brutor. part. 2. cap. 3.*

Tota pars dextra paralysi resoluta] Interdum materia morbifica, quæ Lethargum aut carum inducit, altius subsidente; Et à corpore calloso in corpus striatum unum, aut simul utrumque prolapsa, cerebrum paulò clarescit, ita ut affecti circumspiciant, loquantur & cognoscant: attamen in toto præterea corpore paralysis aut hemiplegia succedit; Verùm neque sic, quoad vitam, res in vado est, nam sæpe quando cerebrum restitui cerebellum deterius habere incipit, ut proinde spiritibus, qui functionis vitalis & merè naturalis munia exequuntur, ibidem malè affectis, aut spasmi in visceribus aut præcordiis, aut pulsus & respirationis impedimenta lethifera excitentur: quandoque tamen, cum materies morbifica, nec admodum copiosa, nec nimis maligna est, illa partim in sanguinem resorbetur, partimque discutitur, ita ut affecti integrè convalescant. *Willis Tract. de Anima Brut. part. 2. cap. 4.*

APPENDIX I.

De Lethargo febri malè judicatæ succedente, imperfectè soluto.

HOrtulanus febre putrida laborans, & circa morbi ἀκμὴν loco criseos in veternum incidens, per tres aut quatuor exinde dies Sopore obrutus; nullius remedii usu ita ex somno excitari poterat ut perfectè evigilaret, Tandem verò cùm raso capite per totum ferè ipsius ambitum vesicatoria applicata, ulcuscula plurima & copiosè manantia excitassent, expergrectus aliqualem sensus usum recuperavit, attamen memoria ferè in totum abolita, adeò stupidus evasit, ut nullius nomen aut verba recordatus, vix supra brutum saperet; Cùm ad hunc modum per duos pene menses ingenii vacuus & somni plenus mansisset, nubes paulatim dispelli cœpit, atque is demum ad solitos labores rediens, mediocriter convaluit, eundem verò animi vigorem, & pristinam solertiam qua ante morbum pollebat, numquam iterum recepit.

IN hoc casu proponitur exemplum Lethargi febri malè judicatæ supervenientis, in quo materia morbifica, subita & copiosa metastasi in cerebrum exterius facta, non tantùm poros & meatus omnes paulisper impleverat, verùm & eorum conformationem ita læserat, ut Spiritus aliquandiu exclusi, & demum immunes facti, nonnisi meritò post tempore, orbitas & tractus suos priores & solitos recuperarent. *VVillis ibidem.*

APPENDIX II.

§. *De Lethargo ex usu Opiatorum orto.*

LEthargi ex usu opiatorum orti, typum satis exactum memini me olim observâsse in pago quodam. Ad casulam perexiguam & humilem deducor, ubi patrem senem & filiam inveni profundissimo sopore obrutos, qui pridie ipsos oppressetat, postquam radices hortulo nunc recens effosso eruras comedissent, pro pastinaca habitas, cùm fortè hyoscyami essent. In utrisque post vomitionem oleo & oxymelite gulæ infusis, pennàque gutturi intrusa copiosè proritatam; tincturam castorei, ex cochleari aquæ Theriacalis; crebrà vice per totam noctem exhibendam præscripsi; insuper ut eadem tinctura tempora & nares illinantur, & si fieri posset enema acrius injiciatur; die sequenti primo senex; & postea filia evigilantes, ad se redierunt torpore excusso penitus: In hisce affectis, post narcotici reliquias, ne amplius nocerent, per vomitum rejectos, tantum opus erat ut per idonea medicamenta (in quo censu castoreum, contra opiarorum venena meritò habetur) spiritus exsuscitari, à narcosi inflicta liberatentur. *Idem ibidem.*

SPiritus à narcosi liberarentur) Somnus præter nat. sicut & non nat. excitantur, quia aut spiritus animales ptius affecti, exteriorem cerebri ambitum destituunt, humotique non tantum nerveo, sed & seroso aut alias vitioso introitum concedunt: vel humotes supetflui & excrementitii, una cum nerveo cerebri corticales fores perrumpunt, ejusque poros & meatus velut inundantes, spiritus exinde repellunt abiguntque. Priorem causam superius allata spectant; posteriorem appendix secunda, spirituum scil. à parte affecta decessum, cui usitatum est alteram causam succedere: Hoc ab opiatis fortiotibus, sine prævio cerebri corticalis diluvio aut infarctu, passim contingere unicuique obvium est. Nec enim probabile est Narcotica humores concitare, & ad cerebrum mittere, cùm planè constet horum effervescentias omnes, & fluxiones ab iis sedari. At si modus & ratio quibus Opiatæ somnum, & quandoque Torporem exitialem inducunt, inquiritur, dicendum erit pharmaca hæc quoddam veneni genus esse, spiritus animales afflatu suo pessundans & quasi extinguens: sanguine interim & partibus solidis pene illæsis, quapropter, cum spiritus animales efferi, imo & velut œstro perciri, huc illuc se proripientes, compesci & sedari nequeunt, Opiatæ exhibitæ, velut aqua flammæ nimis auctæ injecta, eorundem manipulos quosdam extimos petimunt, proinde ut reliqui statim minores facti introrsum fugati placidè succumbant: Narcotica autem ore sumpta vires suas partim in ventriculo, & quidem immediatè, partimque in cerebro, tum illo, tum massa sanguinea mediantibus exerunt. Dum tantùm in ventriculo operantur, quomodo somnum provocent disquirendum? Qua ratione tam brevi interdum spatio, & vix dum intra eum soluto somnus obrepat, id fieri existimo, quia iter à ventriculo per sanguinem ad syncipur satis expeditum est, & exiguo tempore transigi potest; Verùm insuper opinari ducor, Opiatas nonnunquam immediatius in ventriculum agendo, atque mero contactu ejus, ante ullum sanguinis commercium somnum aliquatenus invitare. Inter affectus hujus causas evidentes alias assignavimus ventticuli aggravationem: quotus enim quisque est qui cibis crassioribus & dyspeptis comestis, atque ventriculo molestiam, & onus facessentibus, non statim somnolentus evadit? cujus ratio videtur esse quod cùm inter spiritus stomachi, ac istos cerebri incolas maxima sit necessitudo & sympathia intima intercedat, ita ut utrique alterutrorum afflictiones & mala invicem subeant, hinc facilè accidit ob spiritus illos qui ventriculo præsident, summè oppressos, & ab expansione libera præpeditos & quasi repulsos, mox totius Animæ hypostasin, ac imprimis partem istam principem cerebro præpositam, pariter coarctari, vela sua contrahere & se totam som-

somni jugo submittere: Quanto magis opinari subeat, si quando spiritus stomachici succum Opiaticum imbibentes venenantur, ac in magna copia destruuntur, statim cunctos illos circa ἐγκέφαλον excubantes concidere prorsus & somno opprimi? Si quis ergo in dosi nimis larga Opiatas sumit, tum in ventriculo tum in cerebro noxam illico persentiet, nempe in stomacho gravitas insignis & velut pondus immobile, ipsum & partes vicinas opprimere videbitur, indicio sanè istius loci fibras (spiritibus qui prius actuabant eas interemptis) inanimes & velut cadaverosas fieri; Deinde ob particulas Opiatas cum sanguine ad cerebri ambitum circumductas, ejusque cortici instillatas, spiritibus inde fugatis aut extinctis, torpor irresistibilis, & non rarò lethalis subsequitur: quin imò à noxa graviori, ferè rantùm ventriculo narcotico fortiorius usu inflicta, novi interdum mortem ipsam, priusquàm somnus longa ambage accersendus obreperet, insequutam fuisse: *VVillis Pharmac. ration. sect. 7. cap. 2. & Tract. de Anima Brutor. parte 2. cap. 3.*

Iterum verò inquiro, Annon etiam ab humore narcotico, intra nos genito (prout à chymicis quibusdam asseritur), exoriri possit? Id satis constare arbitror aliusmodi particulas morbificas, quam sunt elementares & humorales, in corporibus nostris produci, eaque variis modis affecte, videlicet præter aquosas, terrestres, biliosas, pituitosas aut atrabilarias, etiam vitriolicas, nitro-sulphureas, aliasque salium ac sulphurum enormium participes, atque malo nostro activas detegere licebit: Pathologia spasmodica non alia ratione explicari potest, nisi supponendo corpuscula quædam extranea, & velut nitrosulphurea, quæ spiritibus adhærentia, & ab iis denuo elisa ipsorum impetus, quasi explosivos cient: Pariter opinari fas sit aliàs alius indolis, forsan sulphuris vitriolici aut narcotici æmula progigni, quæ si quando in cerebrum & nervosum genus irrepserint, spiritus quosdam animales extinguentia & figentia, eorum deliquia & eclypses, quales in vertigine, apoplexia aut paralysi obveniunt, passim inducunt, Quare in somnolentia quavis diuturna spiritus animales tali copula lethæa onustos suspicamur. *Idem.*

APPENDIX III.

De Lethargo à Seri copia oborto, vesicatoriorum toti capiti applicitorum ope sanato.

AD Lethargi curam, præ cæteris topicis maximum juvamen à vesicatorio amplo, ulcuscula plurimùm manantia in toto capitis ambitu excitante collatum novi: Duos ego Lethargicos post morbum diu protractum, & non solùm memoriam, sed & notitiam ferè omnem deperditam ab hoc potissimùm remedio sanatos vidi; quippe in utriúsque loca excoriata, cùm iis cicatrix haud facilè obduceretur, ichoris copiam ingentem, nempe quotidie circiter lib. semis profuderunt: Colonus annum ætatis agens circiter xxx. temperamenti pituitosi ad sanguineum vergentis, crebris cephalalgiis diu obnoxius, sub initium hyemis somnolentus admodum & torpidus evasit: dein quodam die dum agros aratro subigeret, humi discumbens in somnum profundum incidit, cúmque excitari non poterat, domum perlatus, lecto committitur: amicis interim expectantibus ut somno tandem finito sponte expergiscatur, Post elapsum nycthimeri spatium, cùm vellicando, pungendo, obstrependo, aliisque modis eum excitare nequirent, me accersunt; Adveniens vesicatorium amplum mox toti cervici posteriori applicabam, dein sanguine ad unc. xvi. detracto, enema acre injiciendum curavi, tempora & faciem oleo succini illini, frictiones & ligaturas dolorificas cruribus adhiberi: insuper spiritus fuliginis cum julepo cephalico sæpius in dies propinandum præscripsi: nihilominus toto isto die sine sensu stupidus jacuit. Si à vellicatione acriori irritatus se paulum erigeret, & oculos aperiret, mox reclinans eósque claudens, veterno iterum indulgebat: Circa vesperam cucurbitulas cum multa flamma scapulis applicandas curavi, quo facto nonnihil expergefieri cœpit: cúmque circa id tempus alvus copiosè dejiceret & plurimùm seri emplastris ademptis è vesiculis efflueret, exinde salutis magna spes affulsit, donec post aliquot dies perfectè convaluit.

CAsus hic Lethargi ita proprie dicti typum exactè refert, ubi pro morbi causa conjuncta adfuit seri copiosi circa cerebri ambitum aggestio, ac deinde in gyros ejus irruptio: cùmque à tempestivo remediorum usu materiæ novæ affluxus impediretur; quæque parti insederat, partim in sanguinem resorberetur, partimque in effluvia & vapores rarefacta discureretur, morbi curatio cita & integra successit. *VVillis Tract. de Anima Brut. lib. 2. cap. 3. pag. 307.*

OBSERVATIO V.

§. Carus ab aqua cerebri anfractus alluente, & ventriculos implente obortus.

ITalus quidam post diuturnam vertiginem, tandem Caro correptus est, quo diebus aliquot elapsis exspiravit.

Aperto cranio intrinsecus omnes cerebri anfractus & ventriculi aqua madebant. *Platerus Observat. lib. 1. pag. 101.*

CArus affectio soporosa, Lethargo major est, Apoplexia minor. Huic adeo affinis est ut in ipsam non raro transeat; ab utroque tamen discriminari solet: Carotici enim plerumque bene respirant, si quando acrius vellicantur membra movent, sese interdum erigunt, oculos aperiunt, &

& sæpe loquuntur, quæ non faciunt. Apoplectici. Iidem tamen licet exsuscitati aut commori, vix quidquam intelligunt aut plane discernunt, quo respectu à Lethargicis distinguuntur. Ex his constare videtur Cari causam conjunctam paulò altius versus cerebri meditullium penetrare, & in corporis Callosi limbo, saltem extimo, sedem habere; quapropter cum spiritus animales à solita intra hoc emporium expansione cohibentur, Imaginationis ac memoriæ actus cessant, quamvis à sensibili fortiori species impressa introrsum dirigatur, eique motus localis sæpe retorqueatur, verumtamen quia impressio isthæc ad corpus Callosum, ob spiritus ibi consternatos, minimè pertingit, laborantes nullius quod sentiunt aut agunt, conscii sunt. Itaque morbi hujus causa conjuncta sæpe numero eadem, sed paulò fortior est quam Somnolentiæ, Lethargi: materies cerebri morbifica, & cerebri corticem & medullas substratas, & meditullii quosdam Sinus majores, Et morbo ulterius provecto, Corporis callosi oras superiores occupare videtur. Quinimo interdum prout materies ista gradatim è parte in partem provehitur, morbi isti successivè oriuntur, & proximus quisque tantum prioris augmentum est. Interdum verò causa morbifica, sine graduali per partes eas progressu, primo impetu cerebri meditullium afficit, ibidemque, prout levius aut altius insidet, Carum aut Apoplexiam infert. Quo in casu haud putandum est totum Corporis Callosi, uti & cerebri corticalis ambitum, à materia soporifera occupari: quippe sufficit hanc uni cuipiam loco irruentem, medirullii partem quandam invasisse: nam propterea statim in tota ista regione; spirituum eclipsis, aut saltem prostetnatio succedit; Ad hunc modum habere solet quando Carus febri malignæ aut malè judicatæ, vel cum cephalalgia, aut affectibus quibusvis convulsivis supervenit: vel à capitis ictu, casu ab alto, aut propter abscessum in meningibus disruptum, excitatur, nam propter hujusmodi accidentia, interior cerebri medulla ita comprimi aut succuti, aliàsve alterari solet, ut proinde statim spirituum orbitæ sive tractus oblitterentur. *Th. Willis Tract. de Anima Brut. part. 2. cap. 4. p 317.*

Observatio VI.

§ Sopor ab aqua duræ meningi circumfusa.

Ferdinandus III. Rom. Imperator, variis affectibus tentatus, tandem Somnolentus, &c. In eo cerebrum, cætera penitus salvum, præter humorem aquosum, qui duræ meningi copiosius infusus somnolentiam ei ultimis mensibus causavit. *Vide l. 3. tit. de vomitu.*

Tandem Somnolentus] Somnolentiam continuam plerique authores non morbum, sed malam habitudinem, seu diathesin soporosam appellant affecti quoad reliqua satis valent, bene edunt ac bibunt foras obambulant, res domesticas mediocriter curant attamen inter loquendum aut ambulandum jam edendum, etiam ore cibis impleto subinde nutant, & ni ab aliis suscitantur, mox somno obruuntur, atque ad hunc modum non solum dies aliquot aut menses, sed per plures annos somnum fere continuum dormiunt, quapropter affectum hunc, à quo vitæ plusquam dimidio fraudamur, *revera morbum* esse, & curationem mereri censemus. Somnolentiæ sedes, prout Lethargi, in cerebro exteriori collocanda est, verùm hoc discrimine quod hujus affectus causa materialis, sive conjuncta, etsi semper, & præ foribus urgeat, minus altè quàm in lethargo solet, penetrat, quin fere tantum cerebri superficiem, sive anfractuum substantias mere corticales afficiat, medullis inclusis fere intactis, quo respectu non tantum à Lethargo sed etiam à Comate discrepat, quippe in affectu quem describimus somnus licet continue premat, tamen facile abrumpitur, tum præterea plenius experrecti res multas recordantur, & cum amicis colloquuntur, mox denuo in Soporem proclives, unde constat morbi causam in exteriori tantum cerebri limbo hærere, nec penitius, (prout in aliis soporosis affectibus) compagem ejus subire: Enimvero suspicari licet, quod dum sanguis cerebri oram rivulis densissimis ubique perluens, ei laticem subtilem pro spirituum materia ubique instillat, cum illo sæpe lymphæ copia affluens, ac una corticem subingrediens, ibidemque manens ipsum valde impleat, ac (instar anasarcæ in habitu corporis) intumefaciat: pars autem hæc corticalis ad hunc modum tumefacta, & velut hydropica, anfractus medullares ubique substratos ita comprimit, ut spirituum expansione ob cerebri exterioris poros nonnihil constrictos impedita. Somnolentia inducatur: cui accedit quod sanguis propter cerebri corticem, ab aqua quasi intercute tumefactum, per totam viciniam minus expedite circuletur, adeoque vasa & sinus implere, in iisque stagnare aptus fit; ex quo fit ut exterior cerebri lingbus adhuc magis comprimatur, proindeque spatia pro spirituum emanatione requisita etiam magis coarctentur: Revera hoc in causæ partem adsciscí inde patet, quoniam hujusmodi somnolentis, propter sanguinem in capite haud libere circularum, & propterea stagnare aptum, facies cum livore, sive atredine quadam solet rubescere: porro, dum stagnum hoc, sive illuviem in cerebri cortice aggestam liquor subtilis, qui pro spirituum materia est, pertransiens, in medullas substratas pergit, probabile est cum illo particulas quasdam extraneas, sive narcotissimas minutissimas una irrepere, quæ spiritibus mox accrescentes eos torpidos, & sponte in desidiam pronos reddunt: Hic affectus, prout in multis observavi, non admodum est periculosus, nam aut (quod sæpe fit) integre sanatus, aut saltem per plures annos sine Caro, aut apoplexia, (quæ timeri solent) perdurant non statim lethalis aut terribilis evadit: Affectus hujus solutio non raro ex morbi sede mutata contingit, nempe cerebro clarescente materia morbifica ad cerebellum transfertur, cui insidens cordis tremores, asthma, spirituum deliquia, aliaque symptomata molesta, pro hypochondriacis vulgo habita producit. *Willis Tr. de A. B. part. 2. c. 4.*

OBSERVATIO VII.

Sopor ab aqua cerebrum inundante.

HYdrocephalus familiaris pueris affectus, qui non solùm, ut *Celsus* ait, cutem inflat, i. e. extra calvariam gignitur, sed etiam inter membranas cerebrum obvolventes, & sub ipsis fit, & etiam in adultis, ac quandoque in senibus, de quo *author Introductionis*: Quod tandem *inquit* intra meningem cerebrúmque incidit, insanabile est. Hoc morbi genere laboravit, cùm obiit, admirabilis Princeps *Clemens VIII.* Pontifex Max. cujus cerebrum repertum est in aqua natans. Erat autem illius aquæ quantitas circiter libram & amplius: Hinc Somnus ferè inexpugnabilis. *Hieronymus Rubeus ad cap. 2. lib. 4. Medic. Cels.*

OBSERVATIO VIII.

Sopor ab humiditate serosa copiosa in cerebro.

PUellus nono vitæ mense soporosus, imò lethargicus suffocatus obiit, In cujus capite dissecto apparuit copiosa humiditas, serosa potius: *Raymundus Iohan. Fortis Centuris IV. Consult.* LIX.

SErum sanguinis vehiculum, cum natura sua mulcebre sit, ac frigidum & humidum, somnum natum est excitare; ἀδιέγερτον quidem si solùm & simplex, ob naturam ejus facile resolubilem: Soporosum autem & δυσδιέγερτον, si excremento cerebri mucoso, vel aliis humoribus (præter bilem) commisceatur. *Carolus Piso.*

APPENDIX.

Cataphora inducta à collectione humoris inter cranium & capitis cutim.

MIhi perspectæ fuerunt duæ collectiones humoris inter cranii os & capitis cutem contenti, unde in altero ægro extitere *motus convulsivi*, in altero tandem Cataphora gravior. *C. Victor Schneiderus lib. de Afflict. Soporosis pag. 241.*

C*Ollectiones humoris, &c.*) Ideóque *Hollerius* lib. observat. §. 3. molliter digito contingendum locum suadet, ut si quid saniei vel puris subsit, aperiatur locus metu gravioris mali. Anno 1655. meæ curæ & Clariss. Dom. D. Alexandri Diodati, Facultatis Decani, commissus est D. N. Senex optimus, meique amantissimus, qui ex sedili malo collocato deciduus, occiput pavimento allisit: Casum nulla insignis noxa pro tempore consequuta, sed, opificio per tres hebdomadas vacavit, quanquam torpor & gravitas caput teneret; At tandem cataphora irrepsit, per plures dies continua, comite summa virium debilitate, ut per occiduum exitio proximus crederus sit. Lacessitus & vellicatus ad interrogata respondebat, sed facere, quod nequaquam illi innatum erat, protinus in veternum relabens. Toto invaletudinis decursu manum occipitio afferebat, & quanquam remota, sponte illuc inclinabat. Multa parti admota topica, cataplasmata, fotus, litus, emplastra, pulli exenterati, &c. inani successu. Tandem me authore, & assentiente dicto Excell. Dom. Diodati, ampla ab experientissimo Chirurgo Francisco Sabourin, admovetur cucurbitula, cum profundis incisuris, cujus ope multus elicitus cruor nigricans, sed adeo celeri ἀφαίρεσις, ut protinus discussus sit sopor, vires restitutæ brevique sequuta valetudo, omnibus desperata; supervixitque optimus senex totos annos decem, silicernium factus, & nonagenario proximos. Ambigua fuit apud alios morbi idea, ego Cataphoram vocavi, nec enim Lethargus fuit, quia defuit febris ἀνάλογος. Non Carus quia æger excitatus respondebat. Nedum Apoplexia, quia integra fuit respiratio; nec sequuta paralysis levis apoplexiæ soboles, cum omnimoda sensus & motus privatione. Affectus causa verisimili ter fuit cruor inter cranium & pericranium collectus, quem exhausit cucurbitula: Ostendit curatio.

OBSERVATIO IX.

Coma Lethargicum ab aqua limpida copia in ventriculis.

QUidam melancholicus, Comatosus & aliquantum Lethargicus factus est, &c. magna satis aqua limpidæ quantitas in ventriculis reperta est. *Vide Tit. de melancholia.*

A*Qua limpida*] Lymphæ proculdubio: Vasa lymphatica, *ait Excell. Th. Bartholinus* Cent. 4. hist. 38. in abdomine, thorace & artubus hactenus innotuerunt. Solum caput iis carere præter æquum & fas iis visum est, &c. hactenus tamen accurata diligentia nihil comparuit quod nomen hoc meruerit. Pauciora sint necesse est, partim quod emunctoriis aliis abundet caput, partim quod cum recurrente per venas jugulares sanguine serum inferiora petat, partim denique quod phænomena morborum id evidentius testentur; Propter istam enim lymphaticorum paucitatem aqua sæpe principio nervorum imminet, paralysin Apoplexiam, Soporem, stuporem, aliásque generi nervoso inimicas affectiones inducens.

OBSER-

Observatio X.

§. *Lethargus à sero ad libra quantitatem ventriculum cerebri dextrum implente.*

PUer XIV. annorum, duobus mensibus ante obitum caput casu ex alto allisit, & in dolio literarum commilitonibus rotatus fuit; postea in febrem incidit, & primum empiricorum opera usus; hinc Ego vocatus fui. Inveni puerum leviter febricitantem, stupidum, instar ebrii incedentem; non sitientem conquerentem de dolore capitis, absque rubore aut inflammatione; postea oculis clausis obmutescebat, dentibus stridebat. Frustraneis clysteribus, cucurbitulis aliisque remediis, & licet loquutus sit, mox tamen obmutescebat, Paulo post moritur.

Aperto cadavere, Inveni pulmonem dextrum & epar accrevisse, & ventriculum dextrum cerebri aquæ libram continuisse, Cui Lethargus imprimis adscribi debere videtur: *Chiffletius Observ. Singular. 11. p. 9.*

A Quæ illi ventriculum cerebri dextrum opplenti non sine ratione Lethargum adscribere videtur; cum in ea ætate tantum aquæ, cerebrum premendo, actiones animales plurimum affligere valuerit.

Observatio XI.

Sopor Lethargicus ab aqua anteriores duos ventriculos opplente, substantiamque cerebri adeo premente ut anfractus inconspicui essent.

VIdi puerum (*Tit. de Hydrocephalo*) cui caput in incredibilem molem increverat, ac tandem in Soporem lethargicum lethalem incidit. Invenimus in duobus anterioribus cerebri ventriculis aquam crystallo clariorem ad libras XVIII. quæ substantiam cerebri ita distendebat ut gyri cerebri non conspicerentur.

Observatio XII.

Comatosus affectus, ab aqua citrina nervorum origini incumbente.

PUella post epilepticum insultum, in Comatosum etiam affectum incidit: Scissa transversim cerebri substantia, stagnantes aquæ citrinæ nervorum conjugationes inundantes patuerunt. *Vide lib. 2. tit. de Tussi.*

Observatio XIII.

Sopor profundus à sero ad caput amandato ob vitium renum perforatorum.

COmitissa quædam sterilis, in reditu ex Thermis Helveticis, in profundum incidit Soporem, adeo ut nocte tota, matutinoque tempore ad vesperam usque somno obruta, nonnisi admodum impulsa ab eo excitari potuerit, à cibo potuque abstinens, & ubi parum excitata vigilasset, mox iterum obdormiscere solita: insuper & aliis accidentibus, inter quæ & pedum tumor atque inflatio erant, oppressa tandem expiravit.

Corpore aperto, abdomen pinguedine supra modum, transversæ manus spissitudine obtectum, intrinsecusque omentum, mesenterium eadem admodum referta deprehensa, uti & hepar lienque vitiata. Renes insuper perforati erant, sicut in hydrope ascite, qui ab hepate fisso & renibus oritur. Præterea in vesica fellis, quæ tota ampla, sed nigra erat, loco bilis qua destituebatur, Calculi innumeri inclusi erant, coloris cinerei & subviridis, è quibus sex magnitudinem nucis moschatæ æquabant, rotundi, sed angulosi ac læves, minores verò circiter trecenti, alii pisi alii sem. coriandri, alii sem. raparum magnitudine. *Fel. Platerus Observat. lib. 3. pag. 894.*

OBscura hic Soporis causa, cum caput referatum non fuerit: Sympathicum aliquando esse fateor, sed cuinam ex memoratis, per anatomen corporis deprehensis, causa sit accepta ferenda, non liquet: Successisse dicitur in reditu ex thermis: An externus fuerit usus nō cōstat; Si internus, nec commearint aquæ, earum refluxus ad cerebrum Coma potuit inducere, non dissimili ratione qua apoplexiam in Sereniss. Lantgravio Hassiæ de quo Obs. 48. Tit. de Apopl. Neque à pinguia qualiculo origo repetenda; Dubium an à Renibus perforatis, an à Calculis in cysti fellea repertis, cum in Seren. Electore Moguntino, lethargo interempto, reperti quoque sint plures calculi in meatu fellis: Hippocr. in Coacis & Prorrhet. ait Ictericis (Icterus sæpe sequitur ad repletam Calculis cystin felleam) νωθρότητα & μώρωσιν aliquando accidere, quia, ut explicat Duretus, diffusa bile per totam compaginem, defraudatur cerebrum suo elementari calore & sale: Itaque sicut apparent χολώδεες ἔξω, ita sunt φλεγματώδεες ἔσω. At hic nulla Icteri mentio, ut suspicio sit bilem, (cui denegatus sit exitus ob occlusum porum cholodochum) interiora occupasse, atque ipsum proinde cerebrum, in quo vigilias potius & symptomata ἀναφορικὰ quam καταφορικὰ parere apta nata est.

Nisi admittatur seri in caput admissio, ob affectos renes, qui perforati erant, ac ob id serum, vel non alliciebat vel à sanguine non secernebat, unde inducta sit spirituum penuria, ad quam torpor & somnolentia successerit, quo me vertam nescio: Amplectendaque erit sententia C. Vict. Schneideri, qui lib. de affect. cap. Soporosis, Tract. de Lethargo, ejus sedem subjectumque Cerebrum esse negat, etsi pituita putri ad instar spongiæ infarciatur, ut & solo cerebro coerceri principes facultates, quas vult toto corpore diffusas esse; nec edi ex organis privatis, sed ex animæ sinu instar luminis fundi: statuitque membri cujuslibet dolore facultatem sensitivam per tactum aliquando ita irritari posse, ut inde cuncta facultas animalis facessat secedatque in animam altius, ut ejus operatio deficiat fiatque velut eclypsis, Cari, *ait*, causa proxima est ejusmodi defectio, qua facultas animalis cuncta altissimè in animam sese mergit, ut ægrè revocetur ac quàm minimè interdum labefacta simul facultate vitali: causæ remotiores sunt ea omnia quæ quandam animæ facultatem ita concite queunt, ut inde afficiatur graviter facultas animalis cuncta: Omnes animæ facultates latere ad tempus queunt ac quasi intermori: Videatur *dictus Schneiderus l. c.*

* Lucem forte ex *Sylvii de le Boe prax. x. lib. II. cap. 27.* mutuari licebit, qui somni morbosi causas, experientia duce, assignat virtuti rerum narcoticæ, quæ, eadem teste, si majori copia assumantur non somnum tantum inducant sed & delirium, adeo ut comatis somnolenti causam opus non sit deducere quam à vi narcotica vel assumptorum, vel humorum in corpore depravatorum, & vim narcoticam acquirentium: Quoad posteriorem hanc causam, cum extra sanguinem, per arterias & venas fluentem, duo primarii in corpore etiam maxime sano observentur humores, Bilis & pituita; Bilis in suo folliculo, pituita, in ventriculo, sed maxime in intestinis, præsertim tenuibus, in horum alterutrum vel utrumq; introduci videtur vis Narcotica, ut in Bile constituatur, Opium ipsum impense amarū, hactenus Bili affine, ac spiritus vini, acrior præsertim sale volatili & pingui abundans, & hactenus quoque bili affinis: Cum ergo utrumque humorem tunc peccare suadeant argumenta mox allegata, satius est utrumque ita considerari, ut a pituita quadam propensionem ad somnum petendum credam, a Bile vero vehementiorem narcosin, sive Soporem atq; delirium; Est enim Bili suū oleum & sulphur, quod narcoticum fieri quid vetat: Est etiam Bili suum sal lixiviosum, & quidem volatile, quod in vini spiritu esse itidem nemo negabit, nisi fuerit Chimiæ ignarus, & in opio esse indicat amaritudo ejusdem: Et licet, Bilis & pituita utiles & necessarii sint humores in sanitate conservanda, qui se mutuo temperant ac in officio continent, quandiu uterque omnibus modis bene se habet, patet tamen quamprimum alteruter quocunq; modo desciscit a naturali dispositione, alterum mox in sua aliquam pati alterationem & itidem recedere, laudabili suo statu &c. Hactenus ergo si non verum, vero tamen simillimum; Vim narcoticam in salis volatilis parte oleosa, sive sulphurea proprie consistere, ac in Bile nostra sedem suam figere, cui comes sit pituita in corpore abundantius repugnans & sanguini permixta: Docuimus præterea medicamenta omnia ad soporem omnem gravem frangendum ac emendandum utilia abundare sale volatili atque acri. *Vide plura l. c.*

Observatio X.

§. *Carus à Cerebro humidiore genitus & sero in vasis totius redundante.*

VIrginem *febris quam* τριταιοφυέα vocat Galenus, infestabat: circa 6. diem κάρος *per protopathiam* genitus, nam & remissionis tempore perseverabat, &c. Aperto capite cerebrum erat humidius quàm è natura foret. (*Vide Tit. de cap. dolore.*)

C*Erebrum humidius*] Lethargū non à crassa lentaq; pituita semper, sed sæpe à seroso humore, in toto primū, tādemq; capite universo ebulliente pēdere probat *Car. Piso*, de Morbis à sero part. II. sect. 2. cap. 6. exemplo Præsulis, qui arthrithidi vagæ acerbissimæ, cum febre magna & continua semper conjunctæ obnoxius vixit, doloribus verò languescentibus non ita post succedebat sensim gravis Sopor, qui vix duobus septenariis excuti posset: cui accedebat σπασμοτρόμος toto corpore & brevibus intervallis infestans, qui in vigilante conquiescebat, in sopito perpetuò excitabatur, cum oculis inconniventibus, sed semper madentibus, facie prætumida, ingenti mentis stupore & oblivione: Hinc demonstrat Vir Clariss. Lethargum humoris serosi sobolem esse, 1. Quia symptomatum, quibus Lethargus definitur, congeries, febri arthritidi cojunctæ, nonnisi jam aliquatenus progressæ, sub finem scil. primi septenarii, vel etiam serius, supervenire & nonnunquam prævertere consuevit: Itaq; Lethargus tanquam primigenia capitis affectio constitui nequit sed per propagationem materiæ serosæ capitis communicatæ aliunde, ex vasis totius, superstite tamen priore foco succrescere fatendum. 2. Quia veternus ille ter quaterve, & sæpius quotannis periodicè recurrens, sponte sua & sine ullis artis præsidiis solvitur. Quomodo igitur hoc fieri potest si à crassa lentáque materia, qualis est mucosa capitis pituita, duntaxat foveretur. 3. Tumor faciei aquæ concolor, id manifestum fecit. 4. ἐφίδρωσις ac urinæ copiosæ & aquosæ prorsus, dejectionésque liquidæ. 5. Convulsorii in toto motus serosum humorem fervore suo membranas cerebri variè impellentem ac distendentem & in se contrahentem & concutientem, etsi non membrana ipsa, sive ob contractionis parvitatem, sive ob mollitiem nervorum vetustate morbi jam effœtorum.

Febris quam, &c.] De febre Tritæophya comatosa vide eundem *Pisonem* sect. 2. p. 2. cap. 4.

Κάρος per protopathiam genitus] Somnus sive sopor, quacunque hora diei omnibus hemicranicis sensim obrepens, doloris alioqui non injucundum carmen sive fascinus, à qua alia amabo causa, nisi ab humore seroso ex se ἀποιῶ, i. e. irritantis qualitatis experte suscitatur, In meatus scil. sensuum expresso, à membranarum cerebri compressione, & sensus tamdiu devinciente quoad loci tepore fuerit resolutus? Quoniam igitur ex quatuor humoribus in sanguinis massa contentis in capitis vasis, bilis vigilias potius infert sua acrimonia & siccitate, reliqui autem, unà cum

tum excremento cerebri mucoso, præ insita crassitie haud facilè possunt resolvi, itaque in meatus sensuum appulsi non levem aut brevem somnnm, qualis hemicraniam comitatur, sed contumacem afferunt: serum autem, cùm natura sua muliebre ac frigidum humidum, tum præ tenuitate facilè resolubile, proindéque somnum primi generis natum est excitare, & eum qui sit alioqui doloris præstantissimum remedium, (quod calor coactus pleonexiam serosam discutiat) ex alia autem parte idem est de vapore bilioso atque de ipsa bile judicium; relinquitur profectò serosum in capite humorem somni in hemicrania esse occasionem ac fomitem. *Idem.*

Observatio XV.

§. *Coma à refluxu seri extre prohibiti ob calculum renum & vesicæ.*

MArgareta Nicola infestata aliquandiu à dolore lumborum, procidit tandem in crudele calculi renalis tormentum cum urinæ difficultate, & interdum tanta ejus suppressione ut totos 18. dies nihil lotii reddiderit, unde excitabatur ipsi ex sero sursum recurrente Sopor, & mox contractio nervorum, ut cogeretur vitam cum morte permutare.

Dissecto cadavere apparuit ren sinister intus frequenti aqua & pluribus calculis infarctus, quorum maximus insinuaverat se, acuto suo apice, tam longe in ureteris principium, ut id integrè occluderetur, neque permitteretur illac descendere quicquam lotii. *Nic. Tulpius lib. 2. observ.* XLV.

§. 2. Joh. Anton. Maginus Mathematicus celeberrimus, à morte sectus, sat magnum in vesica calculum ostendit, qui uncias XV. pependit, tot scil. malorum causam quæ ille in vita perpessus erat: Nam integro octennio continuo urinæ stillicidio & acrimonia graviter divexatus, cùm semper de calculo dubitaret, & omnia in destillationem humoris salsi referret, doloribus tandem succubuit, superveniente febre continua cum Comate, quæ causa extitit ut eum plerique apoplexia mortuum crediderint.

§. 3. Ejusmodi soporem profundum doloribus à calculo ingentibus supervenientem in V. C. Ioh. Iacobo à Brunn Medico Basileensi observatum memoravit G. Segerus oratione de vitæ ejus & obitu. Multos præterea ex Ischuria 5. 6. 7. dierum Comate extinctos vidit. *Ioh. Beverovicius lib. de Calculo c. 9. Velschius Episagm. observ.* LXIV.

§. 4. Scribit G. Cleminius Jurisconsultus de Joh. Hebenstreit Medico præclaro 1593. Eum causarium diúque afflictum calculo vesicæ obiisse, cui ovi magnitudine, sectione à morte reperto, per triduum sideratio accesserit, ætatis anno 64.

Coma ex Ischuria à calculo curatum commemorat J. Beverovicius Epistola ad Guid. Patinum scripta appendice de calculo. *Velschius Episagmate Observ.* 64.

Observatio XVI.

§. *Lethargus in Apoplexiam desinens, à vasis tenuis meningis circa syncipут, sinu tertio sanguine turgidis, ventriculis lateralibus pure oppletis ab eorum ulceribus, &c.*

BArtholomæus Feer Triboldinga Turgovius, adolescens XIX. annorum, circa principium Novembris 1656. capite doluit, assumpta evomuit, hujus causa carnificem consuluit, qui purgans propinavit & V. S. suasit; an præterea aliis medicamentis & qua diæta usus fuerit rescire non potui. In dies morbo in deterius vergente 11. Novembr. ad Nosodochium delatus fuit: Febricitare mediocriter videbatur, dormivit plurimum, expergefactus stupidus quasi erat & delira loqnebatur: nec cibum nec potum petiit, oblatum & intrusum deglutiit, cibandus erat infantis instar: urina naturali simillima. d. 15. Nouemb. quo ipsum cum D. D. Hardero conveneram, profundissimè dormivit, ut ipsum nulla ratione excitare potuerimus: ajebant adstantes ipsum interdiu dormire noctu vigilare, attamen inscius lectum perminxerat: In respiratione nullum adhuc dum vitium observatum fuit: die 17. Nov. hora 10. noctis mortuus est: Ex ore demortui plurimum cruoris effluxerat: Dum ceu sanus adhuc vivebat, odontalgiæ obnoxius erat, cujus causa fumum Tabacci hauriebat: an crebrius id fecerit? nobis non constitit.

Die 18. Novemb. caput aperuimus, Sublata cranii olla per duram meningem vasa tenuis meningis in syncipite, ad sinum tertium meantia, vidimus valde cruore oppleta & triplo ampliora quàm aliàs existunt, adeo ut primo intuitu circa verticem omnia sanguine suffusa apparerent: verùm incisa dura meninge nihil extravasati invenimus, ipse quoque sinus tertius sanguine turgidissimus erat: Remoto corpore falciformi, primò cerebrum ad ventriculum sinistrum incidimus, protinus serum flavum satis copiosè affluxit: Sublato prorsus fornice, conspeximus utrumque ventriculum cerebri lateralem, maximè sinistrum, humore purulento, viscido, instar pultis fluidioris turbido, copiosè imbutum; hic quoque

ad ventriculum tertium defluxerat: Ventriculus quartus plane mundus, nec vel minimum conspurcatus erat. Superficies utriusque ventriculi aspera & inæqualis & insuper flaccida fuit, dum enim blanda manu & leviculè pus detergebam, successit statim medullosa substantia candido suo nitore privata, corticis cerebri instar flavescens, aut subfusca apparens. In dextro ventriculo observavimus superius tabulatum seu fornicem, imæ ejus parti, humore hoc purulento intermedio aliquomodo agglutinatum fuisse: Plexus choroideus iisdem sordibus inquinatus fuerat: Aperto pectore, inciso pericardio effluxit aqua limpida flava: In corde nihil morbosi visum fuit: Pulmo in dextro latere leviter pleuræ accrevit; minus rubebat: in sinistro latere firmiter pleuræ adhæsit undique, admodum cruore suffusus: in abdomine, ventriculus, intestina, lien, pancreas, hepar & cæteræ partes à naturali dispositione non desciverant, quantum quidem oculis usurpare licuit: vesicula bilaria, bile coloris fusci plena fuit.

Quali morbo primùm Juvenis iste affectus fuerit, ignorabatur: cùm 11. Nov. ad Nosodochium delatus jam *Lethargicus* esset, multùm dormiret, expergefactus deliraret, stuperet, oblivisceretur ciborum & potus assumendorum ut infantis instar cibandus esset, Quamvis urina naturali similis, non tamen prorsus à febri immunis erat, licet intensa non fuerit. Die 15. Nov. quo ipsum cum Cl. D. D. Hardero conveni, Lethargus in Carum degenerasse quidem videbatur, quia à somno excitari nequibat, verùm & tunc temporis adstantes fidem faciebant illum interdiu alto Sopore obrui, noctu autem vigilare, sed omnium immemorem, nam inscius lectum permingebat: In cadavere plura occurrerunt, quibus tum febris tum propemodum fere inseparabilis dormiendi necessitas deferri possent: In imo ventre nihil quidem visui præternaturale apparuit, nisi vesicula fellea bile subfusca distenta, qualem in puero aliquando cephalalgiæ, & causam fuisse reperii, nullo ad sensum vitio in cerebro animadverso. A vermibus in intestinis inductum Lethargum tradit *Chiffletius* Obs. 10. pag. 8. In medio ventre pericardium aqua limpida flava plenum fuit, verùm cordi nihil p. n. inerat quod manifestè febrilem fomitem sanguini inesse proderet. Intra cranium per duram meningem tenuis quasi inflammata apparuit, verùm illa discissa vasa tenuis meningis, ad sinum tertium tendentia, triplò ampliora citra inflammationem, ipseque sinus tertius sanguine plenissimus apparuerunt, quod evenit à sanguinis circulatione impedita, vel prorsus intercepta. Pridem hoc factum fuisse credere non possum, quia cordis motu & respiratione integris, vix inflammatio cerebri, vel vasis teneri ruptio in tenui meninge emansissent: non tamen negarim hanc sanguinis stagnationem mortem accelerasse; Potissima Lethargi causa in ventriculis cerebri lateralibus & tertio latuisse videtur, in sinistro enim ventriculo plurimum seri flavi, minus in dextro continebatur, quia tabulatum superius infernæ parti agglutinabatur. Insuper amborum ventriculorum lateralium superficies humore viscido, purulento, turbido, instar liquoris pultis farinaceæ, quo etiam ventriculus tertius & plexus choroideus inquinati erant, ventriculo quarto mundo, quia glandula pinealis hujus humoris descensum eo usque impediebat: denique deterso pure manifestè superficies ventriculorum exulcerata erat, nam aspera, inæqualis & flaccida fuit, & à blanda quoq; detersione medullosa substantia secessit, summumq; nitorem candidum aliquousque amisit, subflaváque & cortici cerebri similior apparuit: Exulcerationem hanc cerebri proculdubio effecit serum flavum, aqueo limpidiore, acrius forte non nisi prævia inflammatione quadam. An Tabacci fumus quo contra Odontalgiam utebatur, aliquid ad exulcerationem contulerit, certò non constat, nam quomodo illo abusus fuerit nescitur, nec in reliquo cerebro fumi illuc penetrantis vestigia observavimus. In Juvene isto serum non ceu primariam causam accusarem, cùm plus aquæ intra cranium contentæ apud alios nihil lethargici pepererit, alioquè mortis genere perierint. Igitur plus tribuerem ulceribus in utroque ventriculo latetali superficiem depascentibus, idque satis profundè, nam non solùm magnam stragem spiritibus animalibus inferre: illorúmq; cursum intercipere & communicationis filum abrumpere valuerunt, unde dormiendi quædam necessitas & rerum oblivio enata est; verùm etiam inquinamenta putrescentia ad substantiam medullosam sanam altius penetrarunt, deliriúmque excitarunt; quædam massæ sanguineæ intra cerebrum admixta febris lentæ causa evaserunt; Apoplexia autem potius quàm syncope extinctus videtur, nam vesperi ante obitum adhuc bene respiravit, nihilque minus adstantes cogitarunt quàm ista nocte illum extinctum iri: Ad producendam Apoplexiam nimia vasorum repletio in cerebro, aquæ redundantia & ventriculorum ulcera conspirarunt.

Pulmo minus rubebat, &c.] Pulmones in dextro latere cum panxillo rubore leviter accreti erant, firmius in sinistro latere, simúlque admodum cruore suffundebantur, ut vel *Pleuritidem*, secundum Plateri sententiam, vel Peripneumoniam ostentarent; Verum hanc suffusionem sanguinis; vel nullam vel nonnisi recentem inflammationem dixerim, natam à sanguinis motu subsistente ad cordis motum in Juvene plethorico subitò abolitum, nam fere ad ultimum halitum nunquam ad actum valde æstuavit, facile respiravit ultima ante obitum vespera, nunquam tussiit, ac urinam consistentia & colore naturalem excrevit.

Ex ore demortui plurimum cruoris] Post mortem multum cruoris ex ore emanavit, qui non ex cranii cavo effluxit, cùm nihil cruenti ibi, secto cranio, visum fuerit, verùm prodiit è faucibus ob venam aut arteriam aliquam in illis sedibus reseratam, quod non rarò accidit fermentante sanguine post obitum; quibuslibet misti particulis, sublato rectore ad sua principia tendentibus, aut ad prædominantis jussa aliam formam affectantibus. *J. Jacobus Wepferus Exercitat. de Apoplexia, historia* XVII.

OBSERVATIO XVII.

Sopor sequutus insignem bregmatis sinistri contusionem.

IUvenis vulnus in regione bregmatis accipit; mox Sopor adfuit, &c. Tota regio bregmatis sinistri contusa deprehendebatur; unde sua sponte octo ossa abscesserunt, de quibus unum acutius in ipsam substantiam cerebri impressum per meninges inveniebatur. *Vide l. 4. tit. de Vulneribus.*

OBSERVATIO XVIII.

Lethargus gravem sinistrorum temporum contusionem sequutus; à sanguine coagulato & nigro lateralem ossis sphænoidis sinistri cavitatem adimplente.

MArcus Prené, ex pago Ondreviliers; Ustrinæ ferrariæ in audincourt Operarius, vir robustus, ann. 30. sub vesperam diei XII. Maii anni 1670. cum alio quodam ejusdem Ustrinæ operario litem habens; impacto in sinistra tempora palo graviter ictus concidit. Surgit paulo post, & prolatis aliquot verbis, Casam passus fortè 40. illinc distantem petit, portatilem bombardam in vindictam explosurus: Uxor maritum, quo minus clavis pendentem arriperet impeditura, colapho excipitur. Illicò post super arca recumbit Marcus, & sopore profundo correptus proxima nocte mortuus est.

Vespere diei XIII. seq. visitato cadavere, nullus tumor, nulla lividitas externè apparuit, sanies è naribus putidissima & cadaverosa effluebat, & eadem lecti lintea è sinistræ auris effluvio madebant. Jubeo Chirurgum raso in circulum capillitio, circumscissa communia cerebri involucra calanticæ instar removere: Hoc facto, sinister musculus temporalis ruber, lividus & contusus apparuit, nulla ruptura vel contra fissura; serrato & remoto cranio, sanguinis circiter ℥iij. coagulati & nigri invenimus, qui lateralem ossis sphœnoides sinistri cavitatem ita adimplebat, ut ab ejus copia incuneata, compressa meninges & cerebrum, adempta spirituum animalium commeatus libertate, mortis unica causa judicata sit; quum nullibi in tota cerebri substantia & ventriculis quicquam inventum sit quod contra naturam esset. *J. Nic. Benningerus Cent. v. Observ.* XXVII.

OBSERVATIO XIX.

Coma à venis meningum sanguine melancholico refertis; Aqua in ventriculis.

DOmi. N. melancholicus, comatosus & aliquantum lethargicus factus est, &c. Venæ sublato cranio apparent plenæ sanguine melancholico: magna satis aquæ limpidæ quantitas in ventriculis. *Vide Titul. de melancholia.*

OBSERVATIO XX.

Sopor à dura cerebri membrana Sanguine & pure suffusa.

QUidam ad sinistram capitis partem percussus, mox Sopore prehensus: Capite aperto reperta durior cerebri meninx sub osse petroso sanguine omnino suffusa cum purulento humore. *Vide l. 4. Titul. de Vulner.*

OBSERVATIO XXI.

Lethargus à Tumore scirrhoso membranis cerebri accreto; Et aqua limpida cerebrum alluente.

MUlier post gravissimum sex mensium capitis dolorem, tandem, in Lethargum incidit. Cranio aperto, è latere sinus tertii, tumor scirrhosus membranis accreverat, cujus interventu utraque meninx aliquanto spatio mutuo accreverant, & vasa sanguifera constipabantur. Porrò cerebri anfractus & cavitas interna fuit aqua limpida repleta, *Vide Tit. de cap. dolore.*

OBSERVATIO XXII.

Sopor à cerebri partis corruptione ortus.

QUidam vulnus accipit in superiore dextri oculi palpebra, sequitur Sopor: vulnu os penetraverat, Durior membrana & vulnerata & sanguine multo perfusa erat, sam corrupta cerebri portione proxima vulneri, substantia ac vitiata, quæ procul dubio exitii causa: *Desid. Iacot. comm. ad aphor. 3. lib. 1. sect. 5. coac. Hippocr. Vide l. 4. tit. de Vulneribus.*

Observatio XXIII.

Sopor à purulento humore circa cerebrum consistente, dura meninge sanguine suffusa.

QUidam baculo crasso ad sinistram capitis partem, supra aurem percussus est: Huic mox supervenit Sopor. Reperta est durior cerebri membrana, sub osse petroso, sanguine omnino suffusa: Purulento etiam circa cerebrum humore consistente. *Vide lib. 4. Tit. de Vulneribus.*

Observatio XXIV.

Carus à cerebri subsidentia, dissolutione & fluiditate excitatus, ob pituitæ copiam.

SI pituita substantiam cerebri largo humore perfundat & refrigeret Carum efficiet. Hæc sic se habere in Caro & apoplexia mortuis ex eo patet, quod copiosus hic humor per os tunc illis aliquando effluxerit: Et sectione quoque diligenti aperta crassa meninge in quibusdam copiosum humorem mox prosilientem observavimus: *Vide supra Tit. de Apoplexia.*

Observatio XXV.

Sopor à flacciditate cerebri, Lapide in eo cum aqua in prioribus ventriculis.

ADolescens XIV. annorum, semifatuus, Somnolentus fuit, &c. Substantia cerebri omnino erat flaccida, Pia mater illi circumjecta. Aqua salsa inter duos priores ventriculos, Calculus in dextro reperiuntur. *Vide hist. tit. de mentis stupore.*

Observatio XXVI.

§. Sopor à cerebri Substantia Sphacelo affecta.

CUidam vulnus illatum in superiore capitis sinistra parte, &c. Supervenit huic Sopor. Reperta est dura meninx sinistra parte livens, sub hac cerebri substantia sphacelo correpta. *Vide lib. 6. cap. de Vulneribus*

Observatio XXVII.

Coma ab abscessu in penetralibus cerebri.

NOb. N. catapultæ ictu circa Tempus dextrum læsus est; hinc comatosus factus: In cerebri penetralibus abscessus est repertus. *Vide l. 4. tit. de Vulneribus.*

Observatio XXVIII.

Cataphora inducta à carie ossis frontis, & læsione superioris orbitæ.

QUidam grandævus Gravedine capitis afficiebatur, tandem subitò in cataphoram incidebat, & quidem lethiferam nec liberari: Patefacto capite defuncti, reperiebatur os frontis carie confectum, & quidem aliqua tantùm ex parte, cerebro salvo ac ejus integumentis integris. *C. Victor Schneiderus l. de aff. cap. Soporosis pag. 241.*

GAlen. 4. de loc. cap. 2. testis est urgere cataphoram, vel minima squammula ossis sauciati mota: idque sæpius comperimus: Cuidam os frontis & sincipitis erat gladio scissum; sic ut innatarent meningibus frusta ossea: Si forfex vel dexterrimè admoveretur, in cataphoram labebatur miser, interdum motu convulsivo reperitus: Inde nec comprimebatur cerebrum, nec initium nervorum, nec spiritus animales consumebantur. Mercatoris cujusdam filius sex annos natus prono ore incumbebat in obtusè fastigiatum lignum, mox omni vi retinens prosternebatur, ut illud os ingereret superiorem orbitam oculi sinistri: Hic dicto citius stertere cœpit, ceu altè soporatus: interrogatus inclamatusque qui haberet se? respondit vertigine se laborare, ac oculis flava oberrare ac viridia ac internitere simul coruscātia fulgura: Hic ea cataphora nec excuti poterat ulla ratione, nec exolvi: sexto die quam hanc exceperat plagam interiit cataphora: ægrè excitabatur, mox obruebatur facultatis animalis ablatione, graviter stertens: integer mentis erat, animique sensa non verbis sed nutu prodebat jam excitatus; nec ulla jactabatur febre: Illa portio orbitæ leviter læsa erat, unde nec cerebri medulla, nec ventriculi, nec denique initium nervorum potuerunt comprimi, ita ut deinde deficerent spiritus animales: Usi sumus, *inquit Hercules Saxonia Pract. lib. 1. de dolore cap. 2.* terebratione, & invenimus os corruptum, & supra meninges copiam pituitæ, unde in soporem & paralysin incidebat semper: quo tempore foramina erant aperta, melius habuit, sed cum occlusum esset foramen [nam invito Chirurgo excrevit caro) Sopor rediit, & ita perduravit usque ad mortem. Mihi perspicuæ fuerunt duæ collectiones humoris inter cranii os & capitis cutē cōtenti, unde in altero ægro extitere motus cōvulsivi: In altero tandē cataphora gravior; Tam mira est proprietas facultatum animæ; Ab earum enim consensu mutuo originem soporosorum affectuū deduco, non à vapore narcotico, nec à spirituum animalium defectu, ceu proxima causa; statuens eā esse cœptam jam facultatis animalis cunctæ abolitionem, ab aliqua facultatum animæ male affecta: *Qui plura volet, videat dictum authorem.*

Observatio XXIX.

Sopor cum stupore à Tumore duro in cerebro, & aqua cerebrum irrigante.

SOporem vidimus in Barone quodam qui longo tempore attonitus, nihil secundum rationem agebat &c. Aperta post mortem calvaria, tumor p. n. durus, supra callosum corpus repertus, cum humoris copia qui cerebrum irrigabat. *Vide historiam integram Tit. de mentis læsione.*

Supra callosum cerebri corpus) Quod spirituum dispensationi potius quam generationi destinatum est; unde illo ab ejusmodi globoso corpore compresso, inertia functionum omnium animalium subsequuta est. Vide Clariss. *VVillisium* Anat. cerebri cap. 10.

Observatio XXX.

Sopor morti proximorum & scorbuticorum, à spirituum penuria pendet; cùm cerebrum ab illuvie serosâ immune reperiatur & satis exsuccum.

SOmnolentia & Torpor insignis scorbuticis frequenter accidunt: in quantum scilicet spiritus animales particulis vel aquosis aut narcoticis onusti ac plurimum aggravati intra cerebrum, etiam valde obstrnctum, motus pernices & expeditos non facile ineunt, neque functionum suarum actus & exercitia diu continuant, quin succumbere, ac otio & quieti indulgere amant. Porro hujusmodi affectus quandoque à spirituum animalium defectu penuria excitatur: Etenim *à sanguine* plurimùm vitiato & quasi effœto, liquor non-nisi tenuis & vigoris omnis fere expers cerebro & nervoso generi suppeditatur: A tali φορᾷ, in moribundis Lethargum excitatum novi, quo scilicet affecti, licet somno continuo indulgere videantur, interpellati tamen illico adstantes noscere, & affatis quibusdam respondere solebant: Spirituum vero animalium copia fatiscente, nec diu evigilare, nec ad colloquia longiora attendere valebant: Tales demum cum somno perpetuo obrutos aperui, cerebrum satis exsuccum, ac hydrope aut colluvie serosa, quibus Lethargici plerumque afficiuntur, prorsus immune deprehendi. *Thomas VVillis Tract. de Scorbuto cap. 4.*

Spirituum animalium copia fatiscente) Dari Cari speciem quandam volunt quæ fiat arteriis carotidibus & musculis temporalibus affectis: cùm enim hæ spiritum viralem, animalis materiam ad cerebrum vehant, illis læsis, huicque transitu negato, priorum generatio non fit; Stabilire hanc cari speciem videtur *Valverdus* Anat. lib. 6. cap. 11. qui refert *Columbum* publice in theatro demonstrasse in adolescente, soporem induci ab arteriis carotidibus compressis vel constrictis: Huc quoque pertinere videtur historia à J. Costæo allata disquis. physiolog. lib. 6. cap. 6. Movendi sentiendique opera [*ait*] non sine spirituum fieri effluxu docent circulatores: Capra illis est, cujus nervis atque arteriis jugularibus injectum vinculum est, quod arbitratu suo contrahere possunt & laxare: eo igitur clam contracto, attonita illa corruit, laxato repente, resilit: firmissimo argumento prius prohibiti, moxque in corpus admissi spirituum cursus: Lucem addere videtur relatio de Mahumetanis, qui Christianorum adultorum præputia amputaturi, colli arterias & venas constringere solent ut indolens exerceatur operatio.

A sanguine &c.) Ex sanguinis circulatione male peracta soporosus affectus excitari posse demonstrat Cl. *Rolfinkius* Differt. Anatom. lib. 6. cap. 50. Somnus naturalis *ait*, quies primi sensorii ut sensorii, fit vaporibus vel humoribus per arterias & rete mirabile ad nervorum principium delatis: Præternaturalis, imo Imaginationis resolutio in Caro, ab ejusdem obstructione, vel spirituum à sulphureis narcoticis, per arterias ascendentibus vaporibus, fixatione: Per easdem arterias ascendentes vapores & humores narcotici & fixativi, excitant Coma somnolentum & Vigil & Catalepsin, nisi per venas debita circulatione moveantur. *Et consilio 3. lib. 2. ubi somni p. n. juxta recentiorum placita, causas per compendium adducit*, Lethargi causa immediata; *ait*, est impeditus spirituum animalium in organa sensus & motus transitus: Mediatæ sunt humores crassiores, pituitosi, in massa sanguinea contenti: Ad Chymicorum placita si respiciamus, accusari queunt hic Sal, Sulphur, Mercurius; Ad Helmontii placita, Acor: Ad Fabri Statuta, Chyli pravitas Sylvius si audiatur, peccabit Sal acidum lixiviosum, & Sulphur oleaginosum, pancreatis & fellææ vesiculæ errore non expurgatum: Humores hi non generantur in cerebro, sed in visceribus confectioni & depurationi sanguinis destinatis, corde nimirum & jecore præcipue, indeque, orta cacochymia, & per ῥόμματισμόν eò promovetur.

Observatio XXXI.

Soporiferus capitis dolor ab abscessu sanioso circa nervum opticum, una cum glutinosa & pellucida aqua.

SOdæ subethicæ hic jam multos interficiunt pueros, quorum è numero ante sex de D. N. filium cùm eum xiv. die sopor citra febrem rapuisset, Dissecto corpusculo omnia salva reperimus, tantum modo in media parte cerebri sinistri, supra oculum sinistrum,

prope nervos opticos, sinum apostematis, castaneæ magnitudine, vacuum deprehendimus, (jam enim in ipsa serratione calvariæ pus per nates exierat mortuo) quem cum amplius videndum palparem, & sinisterius cerebrum eximerem, erupit clara mucilaginis subtilis instar aqua ad dimidiam usque libram, quæ sub cerebro supra nervos opticos & rete mirabili vocato delituerat. *Epist. Ach. Gasseri ad Gesnerum & I. V. Rumlerus observ.* 73.

Observatio XXXII.

§. 1. *Sopor ab apostemate in cerebro, vulnus capitis secuto.*

IN Nosocomio Patavino 1645. caput aperuimus viri in osse temporum vulnerati, qui sine delirio, paralysi & pulsu febrili x. die soporosus decesserat: Vulnus ad cerebrum penetraverat, ubi Apostema excitatum pure copioso abundans, vicinis partibus ad nigrorem vergentibus. *Thomas Bartholinus cent.* 2. *histor.* 34.

Observatio XXXIII.

Lethargus ab abscessu & pure in anteriore cerebri parte.

§. 1. MUlier quædam honesto loco nata, cùm aliquot diebus capitis gravitate laborasset, adeo fuit somniculosa ac in somnum propensa, ut quæcunque agens dormire semper cuperet ac assiduè in somnum dilaberetur, à quo initio excitari potuit, tandem verò accedente febre non potuit: Remedia multa huic tardè adhibita, sed tandem mors supervenit.

Capitis hujus cranii osse sublato, abscessus in anteriori cerebri parte repertus, & pus interiori ossis cranii parti adhærescens, quod & è naribus paulò ante mortem irritatis profluxerat. *Dodonæus Observat. Medic. cap.* 7.

AEtius ex variis causis Lethargum originem ducere refert, & aliquando cerebrum per consensum, quandoque verò primariò laborare: verùm iste Lethargus proprius cerebri morbus fuit, & quidem partis anterioris, cujus partis affectum Lethargum esse veteres testantur. Fit autem cùm pituitosus sanguis præpollet, quem in præsenti lethargia copiosum fuisse pituitosus sanguis ostendit, atque adeo quidem lentus ac viscosus, ut simul cum aqua permixta instar juris carnis musculosæ concretus mox fuerit, tenuis gelatinæ speciem & consistentiam referens, quod nonnisi admodum crudo, pituitoso viscidoque contingit: Talis autem sanguis in quocunque morbo apparuerit, crudorum, pituitosorum humorum redundantiam ostendit, & morbum lethalem, aut diuturnum & difficile curabilem: nobis certè lethales observati sunt morbi tali apparente sanguine. *Idem in annotationibus.*

Accedente febre) Putrescentem in cerebro pituitam Lethargum efficere docent, febremque comitem inde accendi: Verùm nos ex pituitæ putredine, præsertim in capite, febrem accendi posse negamus, qui non capimus quomodo idem humor pituitosus putridus, sua frigiditate Carum, & calore febrem accendere; atque unum idemque & frigidum & calidum esse queat, cùm contraria in eodem subjecto non possint consistere: Ideo longè aliam Lethargi causam, eamque à Caro illius qui febres sequitur causa, non adeo diversam assignamus: In venis mesaraicis febrium intermittentum materia putrescens calore attenuata, copioseque sursum, in prima præsertim invasione, ad caput delata, soporis hoc symptoma, in terrianis & quartanis nonnullis, in principio accessionis, dum frigus adhuc urget, necdum corpus penitus incaluit, accidens, & interdum ad solutionem usque paroxysmi perseverans, parit: Sed & in febribus continuis, cerebrum dolore præcedente diuturno & gravi labefactatum, in vigore, vel post ipsum, Caro subsequente perculsum, ægrum in summum discrimen adducere sæpe observavi: Quod & in principiis continuarum febrium si accidat, & mox propter nimiam evaporationem princeps hæc pars, cerebrum aliquo pacto præsertim ad Carum dispositum, ita labefactetur ut sopor gravis sequatur, Lethargus is erit qui cum febre continua copulatus est & mox cum illa invadit; ab alio Caro qui in declinatione febrium accidit, periculoso quoque, nisi quod statim cum febre incipiat, differens. *F. Platerus Pract. lib.* 1. *cap.* 11. *Vide Sennertum Practic. lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 2.

§. 2. Juvenis cum lapide ad tempora ictus, statim in Carum & profundissimum somnum incidit, à quo non potuit excitari, quanquam à Chirurgo bene tractatus, altero die somno permanente obiit: Quemadmodum alius puer annorum novem, qui cum instrumento ligneo oblongo paulo supra frontem percussus, Caro etiam percussus fuit, febre acuta etiam superveniente, sed hic somniculosus vitam longius produxit, & in septimo obiit.

Capitis hujus cranii osse sublato, in anteriori cerebri parte abscessus repertus est. *Forestus libro* 10. *Observat.* 40.

Observatio XXXIV.

Lethargus à cerebri apostemate, cui Sphacelismus successit.

PUer 11. annorum Julio mense 1545. cum prius Lethargo laborasset ante paucos dies, vel stupore quodam non admodum gravi: à quo cum sanus factus videretur, demum in Lethar-

Lethargum gravissimum incidit & statim cerebri sphacelismum: Videbatur autem dum profundissimo somno detineretur hemiplegia laborare; nam tota pars dextra paralysi resoluta, neque movebatur neque sentiebat; nihil loquebatur; quamvis subinde garrire videretur mussitando, quæ nemo intelligebat; neque ullo modo, caudicis instar jacens, à somno excitari poterat. Tertius dies erat ità jacens absque loquela in castello patris: Ad huncevocatus, thymum (cùm nihil aliud esset ad manus) contritum cum aceto, glandis instar cum acero nari dextræ imposuimus ad excitationem à somno; ut & materia crassa viscida dissolvi posset & ad nates derivari: atque hoc adhibito remedio nonnihil reviviscere videbatur, ut oculos aperiret & verba quædam indistincta proferret; & è nare materia quædam crassa valde corrupta, sanguinolenta, viscosa instar putridæ saniei prodiret: Hæc cùm vidissem puerum abscessum una cùm sphacelo in parte dextra cerebri habere pronuntiavi,& cerebrum corruptum esse, unde nec puerum diem supervivere posse prædixi ob materiam corruptam, non solùm ventriculos cerebri obstruentem, sed & totam ejus substantiam corrumpentem &c. Eo quarto die ut prædixeram,defuncto,rogatus fui ut cadaver aperirem.

Cranii osse sublato, cerebrum & cerebellum in parte dextra, vergens ad posteriorem partem, omnino saniosum, putridum, corruptum, sanguinolentum inventum est, apostemate ex lethargo in abscessum & sphacelismum permutato: sinistra verò pars cerebrum album, sanum & incorruptum habebat: *Forestus lib. 10. cap. 11.*

Observatio XXXV.

Lethargus non semper sequitur ad apostemata cerebri.

Non semper Lethargus ex capitis apostemate provenit; Neque omne capitis apostema Lethargum inducit: Observavi enim quendam ex diuturno dolore capitis, longisque vigiliis afflictum, tandem levi delirio & convulsione correptum periisse: Et aperto cranio inventus fuit abscessus, cum pure admodum fœtente & corrupto: Quare dici debet non semper lethargum ab apostemate induci; sed tunc præcipuè cùm non circumscripta margine, sed in omni cerebri substantia humor diffusus putrescit: Vel cùm apostema circumscriptum mediam & præcipuam cerebri regionem, in qua arteriosi plexus continentur, occupat, ita ut spiritus omnino opprimantur vel corrumpantur: Cùm verò apostema locum certum circumscriptum in cerebro habet, & reliquæ ipsius partes remanent liberæ, nec spiritus opprimuntur in illis, & possunt ex illis ad organa sensuum diffundi, tunc non sequitur, neque lethargus, neque comatosus sopor, licet apostema fiat, ut in exemplo allato, *Sebastianus Nasius Meth. Med. Part. 2. p. 243.*

Observatio XXXVI.

Carus & Soporosi affectus à tumore Phlegmonode meningum & cerebri exterioris ambitus.

In dissectionibus Anatomicis sæpe vidi meninges, imò quandoque & cerebri exteriorem ambitum, tumore phlegmonode obsessas; atqui laborantes minimè phrenesi, verùm è contra torpore affecti à Caro aliisve morbis soporosis interibant. *Vide tit. de Phrenit.*

Observatio XXXVII.

Carus ab abscessu tunicato post vulnus in capite genito.

Miles acinace sauciatus fuit in posteriore capitis parte; Die 22. loquelam amisit, cerebrum Caro fuit correptum: die 23. obiit. Remotis proximis cerebri integumentis, Abscessum tunicatum monstravimus, in sinistro cerebri latere latitantem, ex quo pus fœtidum magna quantitate fluxit: His consideratis ventriculum cerebri sinistrum aliquantulum compressum: dextrum verò aquâ limpidâ distentum vidimus, &c. *Vide tit. de Paralysi.*

Observatio XXXVIII.

Lethargus ab abscessu purulento in substantia cerebri, vulnus orbita oculi sequuto. Et ossiculo duram membranam pungente.

Rusticus consistentis ætatis *phalangie in palpebram* superiorem oculi sinistri vulneratus, parum sollicitus de vulnere non admodum conspicuo, Chirurgum accedit ob imminentem capitis dolorem, qui ea quæ oculorum & palpebrarum vulneribus conveniunt, imponit, à quibus solutio continui penitus curata videtur: At verò cum circa septimum Coma quasi vigilans, & sensuum torpor sese offerret, accitus quoque fui: vires ægro adhuc ita constabant ut ex superiori contignatione in inferiorem ad nos descenderet: Consideratis circumstantiis, anguem in herba latitare dixi,tam ob subitam consolidationem externæ læsionis quàm ob læsionem sensuum internorum. At sequentibus diebus magis magisque incli-

inclinatio ad somnum augetur, donec die obierit nono.

Post mortem cranium apertum fuit, ubi interius orbita oculi in superiore parte punctim ita læsa conspiciebatur, ut una etiam officulum in duram meningem dilaceratam imprimeretur: Separata vero dura matre, tenuis meninx etiam in eodem loco foramen instar fonticuli saniem expellentis exhibebat, sub quo tantus abscessus purulentus latitabat, ut superior cerebri substantia omnino in pus conversa videretur, quo undique cerebri ventriculi, superius & inferius replebantur. *Gr. Horstius Tomo 2. lib. 2. Observ. 4.*

Mirum tam brevi tempore abscessum genitum fuisse? an fortè canicularium æstus ansam præbuit? hinc ferè quibusdam in locis calidioribus vulnera omnia capitis lethalia fiunt. 2. Mirum præter lethargum imperfectum graviora non successisse, paralysin, convulsionem aut apoplexiam? An fortè quod vulnus basin cerebri, adeoque initium nervorum non attingeret? 3. Mirum in tanta cerebri corruptione ratiocinationem, licet obtusam, ferè ad mortem permansisse? An quia cerebri substantia primaria operationis causa est, quæ ex altera parte adhuc illæsa conspiciebatur, qua ratione sæpe jecur scirrho &c. laborans, nihilominus sana sua parte sanguificat? Mirum in tanta copia repletis ventriculis cerebri per materiam purulentam, nihilominus animales operationes, licet imperfectè fuisse peractas? An quia ventriculi cerebri ad excrementa recipienda potissimum formati sunt: *Idem.*

Observatio XXXIX.

§. 1. *Lethargus symptomaticus à Pulmonum vitio inductus.*

Domina le Boindte morbo Medicis incognito, sed tandem inter legendum ab Hipp. descripto periit, Cujus ratio tenenda est ad unguem, quoniam Medici valde decipiuntur: Et Domina Garnier non dissimili morbo consumpta fuit: utraque comatosa, ac velut lethargica interiit, Affecti valde Pulmones reperti sunt. *Gul. Ballonius Epid. & Ephem. lib. 2. pag. 118.*

An lethargus à Pulmone esse potest? Ita sanè eo modo quem Hipp. descripsit 3. de Morb. *Morbi Lethargi appellati idem status ac peripneumonia, & nō omnino remotus ab humida peripneumonia: Tussis & sopor ipsum tenet, cum moriturus est multum & liquidum egerit:* Idem repetit lib. 2. de morb. Ac Lethargus propriè est affectio cerebri: sed hic affectus, qui proprie affectione pulmonis sequitur, & facile cerebro cōmunicatur, ob pulmonum & capitis συμπάθειαν, bifariam aut trifariam à similitudine quadam Lethargus appellatur, 1. quia hominem λήθαργον i. e. ignavum & comatosum cum febre reddit: λήθαργος enim impotentem, ignavum & abjecti animi hominem notat. 2. Quia lethargicam in cerebro dispositionem facit, ob crassorum vaporum elevationem à pulmonibus concalefactis excitatorum: talis enim species peripneumoniæ à pituita putri est, cujus crassior vapor feriens cerebrum, veluti hominem lethargicum facit: Sic enim observavimus ex Galeno in febribus, & præsertim earum accessionibus sæpe soporosos affectus per sympathiam contingere: 3. Lethargus dicitur, quia cum obstructi sint à pulmonibus pituita infarctis mæandri, & vix liber aditus, & exitus spiritibus non sit, & sic lethargicum quid inducitur, quia soporantur instar eorum qui lethargo tenentur: Hæc notanda sunt, ne malè consulas capiti cùm omnino ad pulmones studium referre oporteat: *Idem ibidem.* Rem prope assequutus *Saxonia* Prælect. Pract. part. 1. cap. 4. locum Hippocr. 3. de Morbis & Coac. prænot. afferens, qui lethargum ait desinere ad suppurationem, præcipuè pulmonum: Et exemplum uxoris, quæ à lethargo lethaliter decumbens, accedente tussi & excreto pute liberata est; sed errat ratus pus illud à cerebro in pulmones deerrasse, cùm ibi localem habuisse generationem probet hectica socia, affectuum pulmonum potius quàm cerebri comes: Aliquot habui ægros eo morbo laborantes, ac inter hos anno 1671. mense Julio Veredarium quendam nomine *de Rue*: qui à deglutitis pilulis ab Agyrta quodam, *Zacyntho Turci*, exhibitis, in peripneumoniam lethalem incidit, cujus toto morbi decursu inexpugnabilis lethargus comes fuit: Paucis diebus ante obitum, [quod prædixit Hippocr.] alvus plura & liquida egessit: Eodem pene tempore quinquagenaria mulier, dicta *Vidua Duby*, eodem planè modo interiit ab assumptis iisdem pilulis.

Pulmo insigniter tumidus &c.] Hippocr. l. Coacarc. 145. Lethargi solutionem per Thoracis affectionem crebro fieri innuit, dicens, ἐχέοισι δὲ σίζοντα τῶν ληθαργικῶν, ἔμπυοι ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γίνονται: quæ verba mire torserunt interpretes: Marrianus vult Hippocr. voce Lethargi, non morbum capitis sed pectoris intellexisse: Sed quorsum hæc subterfugia? cùm sæpe contingat materiem morbificam in capite defixam primo veternum excitare, dein postea eandem materiam à sanguine resorptam, & in pectore depositam, empyema aut sputum instar tabidorum producere. In descriptione febris Epidemiæ soporosæ anno 1661. [l. de morbis convulsi. c. 9.] quamplurimis accidisse notavimus. *VVillis Tract. de Anima Brut. part. 2. cap. 3.*

§. 2. Vidua Dom. Garnier in morbum incidit; aderat corporis torpor, ignavia, rerum omnium contemptus: Febris continua fuit: Comatosa erat nec nisi interrogata respondebat: genarum erat rubor, urinam sub finem reddebat involuntariè, alvus etiam involuntariè descendebat, deliria aderant, tremor &c. Aperto cadavere reperti sunt pulmones veluti putres costis adhærentes. *Idem Consil. 45. lib. I. Vide histor. Titul. de Febribus.*

§. 3. Vi-

§. 3. Virum illustriss. febris prehendit cum sopore & thoracis dolore, ac hoc quarto die evanescente sopor redit, genarum rubor &c. In eo pulmo *insigniter tumidus* & quodammodo exesus repertus, in iisque unus humor albus & tenax ac purulentus delitescens. *Vide lib. 4. Titul. de Febribus.*

Observatio XL.

§. Lethargo affectus habuit Calculos in meatu fellis, qua duodeno inseritur.

Rever. & Illustr. Elector Moguntinensis Vigili comate in Lethargum transeunte correptus, me circa morbi vigorem demum accersiri curat, sed mali violentia victus occumbit: Ejus naturalibus visceribus primum inspectis, dum intestinis eximendis occupamur, nescio quid durum occurrit; post deprehendimus meatum bilis duodeno insertum, prapinguem admodum, latum & utriculi instar inflatum, quem rei novitate perciri præcidimus, colligatum eumque calculis undiquaque refertum invenimus: Ex quibus majores omnes colore & forma exacta nucem moschatam ita referebant; ut vel Apellis manum vincerent: Minores plerique omnes plumbeum splendentemque colorem adeo repræsentabant, ut plumbeos globulos (*dragée de plomb*) ingestos diceres: fracti non admodum renitebantur, velut etiam attriti, intrinsecus flavi, gustu amari. Perpetuò ille dum viveret incredibili Siti torquebatur, adeo quidem ut subinde argenteum scyphum aqua plenum ori proluendo, sitisque mitigandæ ergo ad manus haberet, Princeps alias temperantissimus. *Schenkius ex Trassélmanni communicatione.*

* An a Bile ad cerebrum reflua, & a calculis in cysti fellea repertis, exitu prohibita deducendus ille Lethargus? Si fides *Sylvio de le Boe* Append. Tract. 10. §. 347. quemadmodum somnolentia pituitæ adscribenda, ita somnus profundus & insomnia *Bili*, quoties corrupta vim narcoticam induit, & animales functiones omnes turbat, sive hoc fiat continue in febribus continuis, sive per intervalla in intermittentibus, si pituitam præexistentem nacta fuerit.

Observatio XLI.

In quodam ab assumpto Opio extincto, id cordi adhæsisse deprehensum est.

Medici apud Italos homines facinorosos, qui morti addicti sunt, certo anni tempore à præfectis imperrant, in dissectionis usum, & quo rei Medicæ studiosi in re Anatomica exerceri possint: Itaque ne ullos humores dissipari contingat, aut crassiores spiritus evanescere, omniaque se apertè proferant, Opii, hoc est, succi nigri papaveris bina ternasvé drachmas ex vino meracissimo, mortem commeritis exhibent, qua potione hausta, primùm exhilarescere incipiunt, velut risu sardonio perfusi, mox in somnum soporemque resoluti, morte sopiuntur: Tanta siquidem pernicitate venas ac vitalia corripit ut dissecto eorum, qui opio potionati sunt, corpore, Cordi adhæsisse, compertum sit. *Levin. Lemnius de occ. natur. mirac. lib. 2. cap. 52.*

* Qui opio potionati, cordi id adhæsisse) *At in somnum soporemque resolutio ad cerebrum id pervasisse indicio est, nec solum vapore tenus, sed & propria substantia: Rem demonstrat Excell. *Wepferus* Tract. de cicuta æquat. pag. 126. Ratio, *ait*, vere mirabilia intra anfractus cerebri humani, & inter lamellas cerebri surculos profunde intra cerebrum & cerebellum demittentia; item rami arteriosi medullosam ventriculorum superficiem ac corpus callosum perreptantes, & quoque surculos emittentes, qui profundius se immergunt, facile fidem faciunt aditum parere humoribus pravis, etiam succis cicuta & opio impregnatis ad intima cerebri & cerebelli, ibique vim suam exserere posse; nec occultas vias, aut nescio quas rimas, solis vaporibus aut flatibus pervias excogitandas esse: *Primum exhilarescere incipiunt*) Manifestum quoque inde evadir non omne sanguini commixtum, licet deterioris conditionis, summos tumultus excirare, imo quandoque facilius à medullosa cerebri & cerebelli substantia, utpote sensu destituta, tolerari, quam a membrana nervosa, etiam pro ignobilissima habita; Non tamen nego per has vias ad cerebrum & cerebellum causas deliriorum, soporum & convulsionum aliunde transportari; attamen nunquam convulsiones excitare nisi membraneas nerveas, tactus adæquatum instrumentum attingant. *Wepferus ibidem.*

Observatio XLII.

§. Lethargus à Vermibus in intestino tenui conclusis inductus, Sano Cerebro.

Puellæ XI. annorum Lethargus quadraginta horarum spatio funestus fuit: Aperto cranio cerebrum sanum citra inflammationem, & ventriculi mundi reperti: In intestino verò tenui vermes duodecim oblongi, conglobati, & intestinum cum insigni rubore inflammatum fuit, frustra injectis clysteribus, cauterio suturæ coronali applicito & cucurbitulis affixis: *Chiffletius singularium Observ. 10. pag. 8.*

Pueros

Pueros lumbricis laborantes comatosis affectibus corripi apud practicos in confesso est, elatis copiosis vaporibus ex crudis & pituitosis humoribus eos parientibus: Sic in febribus nonnullis intermittentibus sopot inexpugnabilis accessionis initio oboritur, ob crudorum & putrescentium humorum, præsertim in mesaraicis copiam, è quibus vapores exsurgunt spiritus animales aggravantes & velut caligine suffundentes. Castilius mercator, referente *Ballonio* Epid. lib. 2. cum febre continua Caroticus erat aut Comatosus: Vocatus Gorræus (aliis Medicis quò referent causam nescientibus) quo judicio valebat, præsensit id à vermibus fieri: contra vermes pugnatum, cessaverunt ea symptomata: Etiam in viris suspicari oportet de vermibus ut in pueris.

Observatio XLIII.

§. Coma vigil à repletione vasorum meningum, sero flavo in ventriculis cerebri.

Sartor incidit in capitis dolorem, Exinde vigilias, Subinde etiam somnum ad horas tres vel quatuor extensum, profundum, inde evigilabat &c. Mortui vasa turgent in meningibus: Cranium nimiam cerebri molem non poterat capere: In ventriculis anterioribus occurrunt unciæ octo seri flavi. *Vide Tit. de capitis dolore.*

Comatis Vigilis duplex imò triplex est ratio: primo enim quidam id nominis imponunt vigiliarum & somni vicissitudini, si sese identidem excipiant, ut in *Sartore*: 2. Sic vocant delationem in somnum, quo tamen ægri non fruuntur; ita ut adstantibus dubium sit vigilent an dormiant; Seu cum clausis oculis frustra somnum capere tentant: Ex *Galeno* item, libro de *Comate*, unum est Phreneticum, cum delirio: aliud non Phreneticum, quod iterum duplex, vel Ignavum, cum ægri vix moventur; vel Expeditum, cum ægri valde delirant ac promptè moventur, & ubi evigilant è lecto prosiliunt ac nonnunquam adstantes invaduot. Cujus exemplum habetur apud Heurnium. Causam Comatis vigilis promiscuè perhibent bilis cum pituita variam permistionem, ut ab hac somnus, ab ea vigiliæ procreentur: *Platerus* & *Sennertus* vapores narcoticos accusant, simul mentem conturbantes, quod in spiritu vini, solano manico aliisque deprehendere est; una somnum & deliria excitantibus; Febrium malignatum familiare id est symptomata, & quorundam venenorum soboles: Istud Coma, quo laborabat Sartor, ad priorem causam & vulgatam referendum videtur; Si modo serum, in ventriculis ejus anterioribus repertum, pituitæ nomine dignandum sit: Ab hoc enim propensionis in somnum (vide scholia proxime sequentia causa deducenda videtur, sicut à vasorum plenitudine, capitis doloris & vigiliarum: Soli quoque sero uterque effectus imputandus videtur; quia enim serum, pituitæ indolem sapiebat; qua flavum, bilis miscellam arguebat; at sic comatis secundam speciem inferre debuisset in Sartore, non primam. Dixerim ergo eam somni & vigiliarum vicissitudinem iterum sero adscribendam, quod mobile, prout hanc vel illam cerebri partem occupabat, alterutrum symptoma invexit.

Observatio XLIV.

Coma vigil ab abscessu in substantia cerebri, ossiculo duram meningem pungente.

Rusticus circa palpebram superiorem oculi sinistri vulneratus, septima die comate quasi vigili corripitur; 9. is obiit die. Aperto cranio, interior orbita oculi punctim ita læsa erat, ut una etiam ossiculum in duram meningem dilaceratam imprimeretur; qua separata, tenuis foramen exhibebat saniem expellens, sub quo ingens abscessus purulentus &c. *Vide Tit. de Soporosis affectibus.*

Ossiculum imprimeretur &c.) Galen. 4. de loc. cap. 2 ait urgere cataphoram si vel minima squammula ossis sauciati mota sit, quod huic Rustico contigit: Abscessus quoque cerebri consequi Soporosos affectus supra demonstratum, ut hic duplex Comatis concurreret causa. Quæ vero causa vigil effecit? an duræ meningis dilaceratæ dolor? An sanies acris ab ulcere manans, tenuem vellicans?

Observatio XLV.

§. Coma vigil ab aqua plurima in toto capite & corpore stagnante

Vir Illustr. febre prehenditur in cujus episemasia coma pervigil se adjunxit: Defuncti aperto capite reperta aqua plurima in toto capite stagnans, & adhuc in cadavere reses, nec ab ardore febrili deficcata. *Vide histor. lib. de Febribus.*

Cui mirum videbitur coma pervigil febris episemasiæ statim se adjunxisse? coma inquam, sive quod è sanguine in capite, pariter ut in toto ebulliente, vapore plurimo elato, aut sero in ipso expresso sinus cerebri complerentur, ac commeatu reciproco spiritum interdicerent; sive quod vasa ipsa sanguine fervescente magis distenta quam ante obstiparent eosdem sinus: Sive quod aqua in capite ægri, seorsim à sanguine jam ante delitescens, tum fervore concepto irrueret in ventriculos obstrueretque, sive potius quia serum cum sanguine ebulliens in ipsis vasorum stipitibus, sursum concitato quodam raptu impeteret cerebrum: sive denique vapor duntaxat, isque crassus, humidus plurimus è sanguine in toto confertim effumaret in caput: Tot enim sane modis haud dubiè caput aquoso homore in principiis febrium, vel certe vapore aqueo, simul ac semel compleri potest; qui tamen vapor necessariò oportet in capite aquescat: Sed pervigil

coma,

coma, scilicet à bilis ichore sero mixto, aut fuliginibus è sanguine adusto permistis sero, sopore, identidem interrupto. *Idem ibidem.*

Cum febre) Coma vigil rarò morbus solitarius, sed plerumque symptoma est, aliisque affectibus uti febri, phrenitidi, lethargo & similibus superveniens: ideoque remediis primariò indicatis adjungenda alia cephalica.

Aqua plurima in toto capite &c.] Causam statuit Clariss. *VVillis* quod pori & meatus in cerebro, qui spirituum ambulacra sunt, à materia crassiori & soporifera, è cruoris massa effusa; plurimùm occupantur, ut spiritibus à solita expansione & mutuo commercio plurimum inhibitis; Sopor jam jam gravis & inexpugnabilis imminere videatur: At verò in quantum spiritibus istis particulæ quædam acres, & summè agiles, velut totidem aculei adhærescunt; illi perpetim in motus incitantur, ideoque illorum aliqui vias utcunque præclusas & sepimentis obductas perrumpunt, & directè aut obliquè, qua ullatenus data via est, occursant; atque talis eorundem motus, utpote confusus, & propter impedimenta divaricatus; licet functionis animalis exercitium completum exercere nequeat, tamen istius requiem & cessationem facilè interpellat, propterea quidem ut hoc morbo affecti (non aliter quam sub polo degentibus, quibus Solis tantum medietas supra horizontem versatur) neque perfectà nox instet, neque perfectus affulgeat dies, sed illi tantum medio inter Somnum & Vigiliam crepusculo fruantur.

Observatio XLVI.

§. *Coma vigil à venis cerebri varicosis; cerebri & membranarum siccitate; Sero multò in ventriculo medio.*

Adolescenti (de quo Tit. de Phrenitide) modò somnus erat profundior, ut vix excitaretur; deinde Coma vigil & inæqualis symptomatum mixtura &c. Aperto capite venæ quasi varicosæ, tabo & sanguine nigro turgentes videntur: Serum multum in medio ventriculo; Medulla cerebri sicca; membranæ siccissimæ &c.

Hoc est exemplum Comatis Vigilis Phreniticì, ejusque quod Expeditum nominari diximus. Eleganter autem istius affectus ideam tradit, cum causis Excell. *VVillisius* l. sæpius-citato, cap. de Vigiliis: Comate Vigili laborantes, *ait*, etsi in somnum continuè proclives sint, attamen vix omninò dormire possunt, quin Tantali in morem lethæo flumini labro tenus immersi videntur: cui pitissando; quoties se altius demergunt, toties æquæ labascentes semper inferius subsidunt: Sentiunt isti immanem capitis gravedinem, cum sensuum & facultatum omnium torpore; ut sese quaquaversum in lecto movere, aut astantium alloquio interturbari ægrè ferant, seque mox somnum placidissimum inituros expectant: cui tamen cùm penitus indulgere, ipsumque arctiùs amplecti enituntur; phantasmata varia animo observantia usque eos vigiles detinent; neque somnum, iis semper in procinctu esse visum, omnino capessere sinuntur: Huic non rarò delirium accedit, ut dum clausis oculis ægri jacent, absurda & incomposita perpetuò fabulentur, ac brachia & crura huc illuc inordinatè jactent, excitati totvum intueantur: Usitatum est febricitantes tota nocte velut Sopore obrutos manere, interea ut vix horæ minutum sileant quin varia secum obmurmurent, etiam aliquando clament, ejulent, atque lecto exiliant.

Observatio LXVII.

Coma vigil à parvis quibusdam pilis plexui choroideo adnatis.

Juvenem hoc morbo interemptum secui ad investigandum quænam hujus morbi sedes affecta esset: Reserato capite, in primis ventriculis, ubi sunt plexus illi choroidei, in dextera & sinistra parte, duæ parvæ quædam pilæ compactæ ita erant, ut non sine magna laceratione separari possent: Pilæ verò una quæque magnitudine ciceris, sed aliquantulum majoris, tunicam internè flavam habebat, substantia verò erat alba, sed aliquomodo dura, externè verò tunica rubra erat: Hoc ut vidi, collegi undenam proveniret quod huic morbo invalida essent medicamenta omnia, quandoquidem nec medicamento nec ferro, nec igne superari potest. *Domin. Panarolus Pentec. 2. Observ. 9.*

Duæ parvæ quædam pilæ, &c.) Pilas illas plexui choroideo utrinque adsitas, nihil aliud fuisse probabile est quàm glandulas induratas: plurimæ enim minutæ illi adjacent, superfluitates ablegatas absorbentes, & admissas expellentes: Hæ succo concreto turgidæ, non amplius officio fungi potuerunt, & premendo vasa vicina, ex quibus plexus ille contextus est, obstaculo fuere fortè quo minus à sero superfluo liberare se potuerint, quod restagnans comma & delationem in somnum inducere potuit; A sero enim abundante & carum, & coma, & Lethargi speciem, & omne soporosorum affectuum genus deducit Clar. *Piso* lib. de colluvie serosa: Vigil autem Coma erat, aut quia acre fuit id serum, aut aliæ causæ vigilias parientes una adfuere. Inter usus enim Plexus Choroidei hunc recenset Clar. *VVillisius*, repudiato vulgo allato, ut scilicet sanguinis cerebro destinati pars aquosior, in hujus vasa delegetur, eo quidem fine ut reliqua laticis cruenti portio, in spiritus extillanda magis syncera & defæcatior evadat; Sanguis ergo aquosior hujus plexus vasa arteriosa subiens, ex iis in venas traductus, versus cor remandatur; Interim ne serum in vasis istis nimis redundans & ebulliens, circulationem impediat, superfluitates ejus in aliquot tempus à Glandulis tū minoribus, densissime intertextis, tum à Pineali excipiuntur: Vel dictas duas illas Glandulas tumidas, seri copiam admittere non valentes, in causa fuisse quod

quod vasa plexus choroeidei impuro sanguine scaterent, ideò spiritus minus sinceri & puri, ac ad functiones principes edēdas inhabiles geniti sint, torpidi, unde actionū segnities, neutrū statū inter somnum & vigilias referens, ortum duxerit: *Galenus* enim loco superius citato, Coma Ignavum quoddam statuit, nō phreneticum, ad quod istud à *Panarolo* allatum referendum, seu ad mentis stuporem quendam, quo affecti ægri neque vigilantium neq; dormienrium speciem exhibent, quod *Equiti Bonecurtio* accidit. (de quo titulo de mentis stupore) in cujus cerebro tumor globosus repertus: Sijuxta multorum mentem, statuis plexum choroideum sanguinem & spiritum vitalem pro generatione spiritus animalis præparare, dic Pilas illas plexui adnatas, horum generationi in sufficienti copia obstitisse, sanguinem & spiritum vitalem diutius in vasis detinendo, unde ex animalis penuria actionum torpor obortus sit, Comatis Vigilis nomine indigitatus *Panarolo*.

Observatio XLVIII.

§. Coma Vigil à Pulmonibus tabidis parte sinistra, dextra humiditate multa suffusis.

Illustr. Marchesia N. febre continua affecta &c. ferè continuò in somnum propensa est, dormire tamen vix potest, unde colligitur coma vigil &c. In dissecto cadavere reperti pulmones pene tabefacti & exsiccati, præsertim quoad partem sinistram, multa tamen humiditate suffusi ob inflammationem à sanguine pituitoso circiter latus dextrum &c. *Vide l. 2. Tit. de lateris dolore.*

Hoc est exemplum vulgò assignatæ causæ, ab inflammatione enim inductæ sunt vigiliæ; quia verò sanguis pituitosus eam excitavit, inde propensio ad somnum: A pulmonibus autem cataphoram induci ostensum supra.

Observatio XLIX.

In cujusdam Comate vigili affecti meatu felleo Calculi deprehensi.

Reverend. Elector N. à vigili comate in Lethargum transiit, In quo deprehendimus meatum bilis duodeno insertum, calculis undiquaque refertum. *Vide supra Observ. 40.*

* *Meatum bilis*) Comatis vigilis has tradit causas *Fr. Sylvius* Pr. Med. lib. 2. c. 28. Coma vigil est Somnolentia morbosa, & summa ad somnum propensio, ob quam licet clausis oculis ad somnum se componat æger, illum tamen capere nescit, verùm delirans multa patrat absurda: Hæc proinde tria concurrunt 1. Somnolentia vitiosa, eaque summa, 2. Vigiliæ. 3. Delirium: Somnolentiæ causa eadem videtur in vigili quæ in somnolento, necnon eadem delirii in utroque affectu: præcipuum proinde erit vigiliarum assignare causam, quę potens est, cum impediat somni adventum: Vigilias autem p. n. producunt omnia quę spiritus animales agitare possunt vehementius, e. g. 1. Dolores corporis graves, omniaque objecta sensus potius afficientia. 2. Animi solicitudines urgentes 3. Omnia illos per se inquietos, irrequietos præstantia, Acria præsertim, non partes sensibiles, adeoque sensum afficientia, atq; per dolores somnum tollentia & vigilias efficientia, verum in ipsos animales spiritus agentia immediate, ipsosque in motione & agitatione continua servantia: Ubi ergo Coma Vigil producitur, & cum somnolentia morbosa urgent vigiliæ morbosæ, ibi duplicem causam concurrere putem, quarū altera somnolentiam, altera vigilias excitet: Quæ sit Somnolentiæ causa jam docuimus, vigilias autem excitant 1. Dolores graves, & quęcunque sensoria vehementius afficiunt: 2. Animi sollicitudines & anxietates, quatenus per ipsas in continuo motu servantur spiritus Animales: Notandum autem 3. ubi neque dolores corporis, neque animæ anxietates urgent, ab ipsorum spirituum agitatione sola produci posse vigilias in Comate vigili; Inter omnia autem in sensus incurrentia, tum naturalia, tum artificialia, nihil reperitur quod spiritus animales, utpote volatiles, inquietos reddere possit, præter salem volatilem acriorem, hoc autem constituitur ex sale & volatili spiritū, cui quoties cum oleo immiscetur plus ignis, redditur acre: adeo ut primaria ejus acrimonia pendeat ab igne, cui proinde itidem accepta referenda est primario irrequieta spirituum animalium agitatio; quæ in Bile quærenda non est, cui adscripsi comatis somnolenti causam, ut & delirii, sed in alio humore, sale puta, in glandulis forsan quibusdam hærente, atque ibi acriore facto, hinc per volatile, spiritum volatilisato, ac tandem accedente arteriosi sanguinis igne majorem acrimoniam nacto, & sensim ad cerebrū elevato & animalibus spiritibus juncto, atque illos in continua agitatione servante.

Additamenta.

Observatio I.

Sopor lethargicus à sero stagnante circa basin cerebri, medullam oblongatam & spinalem.

Puer undecennis vividus & alacris, lautè habitus, præterito mense Julio 1678. ex esu fructuum vomitu tentatus est alvique torminibus: Mox sequuta febris & ingens *capitis dolor*, Parentes metuebant abscessum cerebri, quibus id genus morbi effluente per aures sanie aliquot liberos sustulerat; Consultus Medicus Parisiensis ipsis familiaris, interna & externa varia præscribit, & capiti nequicquam dicat. Tandem æger nono die Sopore correptus in Lethargum degenerante expirat.

Demortui cadaver coram Josepho Du Vernio, Anatomico Regio, dissecui; Dempta calvaria nullum abscessum in cerebro unquā invenimus, Nec talis erat cerebri cortex qualē *Willis* in pathologia Lethargicorum descripsit, salva enim omnia apparuerunt: Attamen ad basin cerebri, circa medullam oblongatam & spinalem, serum flavescens stagnabat, quo cochlearia argentea tria implevimus. *Ioh. Conr. Peierus Ex. An. & med. xvij.*

OBS

Observatio II.

Carus Lethalis a percusso tempore dextro citra vulnus.

DOm. D. T. annos xl. circiter natus, cælebs exeunte Fabruario anni 1684. ruri utplurimum degens, famulis qui pratum sæpe obsidebant adstans, obvios habet tres juvenes venationi intentos: moleste ferens quod campos suos quaterent & dominii sui jura violaret, modeste illos compellat, ac ut deinceps socium se advocent rogat; Illi urbanitatis nescii, contemptim hunc habent, & se quandocunque libuerit, villam, venationis gratiâ peragraturos ajunt. Injuriæ illatæ impatiens villæ Dominus unum e canibus venantium sclopeto, quo erat ferit, nec tamen necat. Protinus duorum instructus, adversatiorum impetum sustinet, qui sclopetum e manibus extorquent, multis verberibus cædunt, ac inverso sclopero, manubrio alter ferit, caput, parte ea, quàm (quod denticulata sit & lapidem pyritem prehendat) canem vocant, tempus dextrum attingente; mox fuga sibi consulant; Hic graviter se læsum animadvertens domúm repetit, cui soror protinus decoctum tranmaticum parat ac propinat; Cum pars læsa admodum tumeret cum livore, uti & oculus proximus, equum conscendit & in urbem, bihorii spatio distantem, contendit, quo pervenit nullo superveniente symptomate. Illam Ingressus obvium habet unum e consulibus, qui conspectis vibicibus vultum fœdantibus, quid rei sit, inquirit? Hic se rei veritatem sincerè & candide narraturum ait, quasi coram Deo, quod fatum imminere sciret, rem, uti gesta erat, exponit; Domui redditus in lectum conjicitur, Fratrem suum Theologum consolantem audit, qui cum injuriam illatam non impune toleratam iri addidisset, reposuit, se illis qui tam male excepissent bene precari, ac ut Deus delictum condonet rogare, mox profundo corripitur somno; Accersuntur Chirurgi & Medici, quos inter ego: Antequam viæ se committeret vomitus supervenit, multusque è naribus cruor erupit, quin & per os, sed e naribus redundans: Nihilominus antequam advenirem sanguis e brachio fuerat missus, ac enema subditum quod plurimas eduxit fæces, quin & altera Potio traumatica data: Cum sopor nequaquam excuteretur (qui ad interitum usque, qui xxxvj. hora ab inflicto ictu contigit, durabilis fuit.) insignis vero livor cum tumore tempus percussum, citra vulnus occuparet, fracturam ossis subditi suspicati, de incidendo musculo, explorandi gratia an subesset, cogitavimus, admotaque novacula secundum fibrarum decursum, sectio longitudinis trium digitorum transversorum instituta est, e qua vix sex guttæ sanguinis exstillavere, quapropter statim lethale vulnus pronuntiavi, quod affatim & rivulose effluere debuisset; Plurima deinceps in desperato casu moliti sumus, venæ sectionem in malleolo e directo, jugularis oppositæ, (quod vulneri subdita conspicua non esset, sanguine scil. alio converso) iteratos clysteres, pulmonum & pipionum applicationes, Sacellationes, cataplasmata: &c. Quin & superveniens tertius medicus Purgationem urgebat, quasi carus, quo premebatur æger, ab interna causa originem duceret, scil. pituita vel sero cerebrum irrigante sed superveniente stertore a transitu, Cari in apoplexiam) urgere destitit.

Morte succedente, & jubente magistratu, examini corpus subjectum est, quod nullas præterea læsionis notas exhibebat; Locum ergo affectum adeuntes, decussatim tempus dextrum discissum est, apparuitque musculus temporalis universus non contusus modo sed & contritus, nigro sanguine infarctus, corruptionique proximus. Cum vero Chirurgus digito scrutaretur subjecti ossis statum, ejus portio, ad denarii magnitudinem a reliquo abscessit, & altè demersum est, volsellis exemptum: Hinc cranio serra diviso, & remoto pericranio, primo se obtulit prædicta ossis temporis fractura, sub ponte ossis zygomatis, cum fissura duplici ad sincipitis ossis inferiorẽ partem pertingente, quam cranii partem cũ Chirurgus leviter concuteret, ea abrupta est, fragmentũ volæ manus magnitudinis relinquens, fere quadratũ: subjacebat vero illi, & ad majorẽ amplitudinem, cruor concretus & niger ad digiti crassitiem, duræ matri incũbens, cujus vasa lacerata apparuerunt, hæc vero livida a contractu sanguinis proximi, & a contusione eo usq; pertingente, Reliquæ partes cerebri & membranæ illæsæ apparuerunt, quanquã universũ caput verberibus affectũ fuisset; quin & manus faucibus injectæ, ut strangulationis periculũ se incurrisse narraverit æger; fidẽ facere videbatur laryngis protuberantia & durities insignis duodecim horis ante obitum manifesta, sed fugax, quippe quæ ab admoto cataplasmate resolvente ad priorem statum rediit; sed hoc symptoma spasmodes fuit, aliquot enim convulsionibus eodem tempore prehensus fuit, succedente stertore, a Cari in Apoplexiam lethalem transitu:

HOc in casu multa admiratione digna occurrunt, 1. quod tam gravem ictum mors illico non exceperit; id quod robustæ ægri constitutioni adscribendum & quia sanguis ea copia e vasis nõ effluxerat quod cerebrum comprimeret. Theologi quidam adstites sanguini justi effuso, vindictam efflagitanti adscripserunt: 2. Quod tamdiu supervixerit, imo iter duarum horarum, æquo firmus insidens perfecerit, animæ saluti consuluerit, & rei domesticæ; quibus brevissimo temporis spatio peractis inexpugnabilis sopor occupavit: Id vero contigisse existimo quod disruptis & laceratis capillaribus vasis duræ meningis, sanguis guttatim in spatium cranium intra & membranam stillarit; cujus ubi ea copia collecta est quæ duram meningem concretione succedente, compellere versus cerebrum valuerit, hinc hujus pori & meatus coarctati, ac spirituum & sanguinis commeatus præpeditus: 3. Hinc patet cur Temporum vulnera & plagæ lethum utplurimum inferant id quod (pretermissis aliorum rationibus) præcipue & singulari ossis subditi tenuitate dependet; quod vix unguis

crassitiem obtinet; quapropter factum est ut citra vulnus externum, præ fragilitate fractum sit; cute & musculo superposito ictui cedentibus: alias vulnus inevitabile fuisset à renixu durioris ossis; e. g. petrosi proximi 4. Hoc observandum quod male plerique Anatomi os Temporum partem dicti ossis constituant, cum revera ab invicem futura distinguantur, ut observat *Deusingius* in Institutionibus Anatomicis, & manifestum faciunt vetustæ calvariæ.

Observatio III.

In quorundam Lethargo defunctorum cerebro, præter ejusdem corruptionem sanies & pus inventa.

Non putamus a pituita in cerebro putrescente ortum ducere Lethargum, uti censent quidam medici, nec inde probari posse iudicamus, quod in quorundam Lethargo defunctorum cerebro, præter ejusdem corruptionem sanies & pus inventa sint. *Franc. Sylvius Prax. lib. 2. cap. 29. §. 16.*

Lethargus proprie dictus est inexpugnabilis ad somnum propensio, eaque profundo & gravi somno comitata; ut & delirio, rerum omnium oblivione, ac febre lenta continua: hæc enim sunt symptomata quibus præsentibus Lethargum adesse, absentibus vero eundem abesse certo licet pronuntiare: Cum ergo quinque dicta symptomata concurrere debeant, quærenda talis causa à qua prædicta omnia ortum suum ducere possint. De comate autem somnolento agentes, ejus speciem aliquam proposuimus in qua & ad somnum propensio, & somnus profundus, & delirium & febris nunc continua, nunc intermittens observari solet, quam a Bile vi Narcotica infecta deduximus: A qua comatis somnolenti specie cum sola Oblivione, & febre Lenta continua differat Lethargus, si Bili Narcotica vi præditæ jungatur Pituita, eaque viscidior putem Lethargi causam veram patere: Cum enim a pituita sola capitis gravitas & somnolentia, hinc & rerum multarum oblivio pendere in dies per experientiam deprehendantur, illi si comes jungatur Bilis, & quidem narcotica vi prædita, quis dubitabit a tali miscella produci posse Lethargum: Cum autem in omni Lethargo febris adsit continua, signum est Bilem toti massæ sanguineæ commisceri, ac proinde per ductum hepaticum eo vadere. Cum præterea plerumque comes sit febris Quotidiana, circa vesperam recurrens, aut Semitertiana diebus alternis gravius accedens, signum est ejusdem bilis partem aliquam per ductum intestinalem delabi ad tenue intestinum, ac in ipso excitare cum obvia pituita effervescentiam, quæ exacerbationi febrili ansam præbeat & ortum: Pituitam autem partim in tota massa sanguinea dispersam partim in cavitate intestinorum hærentem reliqua evincunt symptomata febrem lentam, h. e. minus ardentem indicantia. Non putamus autem &c. (*vide textum*) Potest enim fieri ut in hominibus sanguine pituitoso, h. e. multam pituitam continente præditis, ac in Lethargum incidentibus, pituita copiosior hæreat in tenuibus cerebri vasis, atque ipsa distendat, mox rumpat, denique in cerebri substantiam effusus sanguis pituitosus ibidem suppuretur, atque sic memoratum a practicis malum pariat, nec tamen ipsa Lethargi causa existat, sed effectus, aut seorsim ob aliud in diæta commissum erratum durante lethargo producatur: Non est proinde locus in Lethargo primario affectus cerebrum, verum tota sanguinis massa, sive vasa sanguinem circumvehentia: quamvis enim caput grave sit Lethargicis potest tamen id a vaporibus aut humoribus cum sanguine ad cerebrum delatis oriri, ut non opus sit ad peculiare ac primarium cerebri vitium recurrere. *Idem* Vide *Platerum* & *Sennertum*.

Observatio IV.

Lethargus, inflammationi Pulmonum conjunctus, ab insigni abscessu seroso in Cerebro.

Causarum procatarcticarum efficacia affectus alicujus originem adscribendam esse certum est, si plures simul invadi contigerit: Inter illas insignis est frigoris susceptio incalescente corpore post exercitium nimium, aliamve causam poros cutis reserantem, si postmodum ab occursu auræ frigidioris occluduntur, unde ἀδιαπνευστία, plurimorum affectuum p. n. origo & parens: Id in sua familia vidit Nob. vir & Exconsul. clariss. Dom. *Michael Tremulens*, anno 1679. Martio mense exeunte: Imprudens ancilla cujus curæ commissi liberi tenelli, instante vespertino crepusculo per urbis pomœria circumduxit, frigidiusculoque jam aëre, quem exceperunt excalefacto corpore partim quod hybernas vestes nondum exuissent, partim quod vix à prægressis imbribus lutosam viam eluctati essent: Hine postridie puellus de dentium dolore, conqueritur, Sororum altera tussi corripitur, tertiam febris continua invadit, sed quæ pluries singulis diebus exacerbabatur, presertim instantibus vespertinis horis: Febris comites fuerunt, Sopor lethargicus, insignis genarum rubor per exacerbationes, ad livorem accedens, vomitus morbi initio; Tussis, sed neque frequens neque molesta Respiratio non multum difficilis; oculos obnubilatio & papillarum concidentia occupavit, quos ex intervallis diducebat, sed inconniventes erant oculi etsi manus admoveretur, ut visus privationis non minor quam mortis metus immineret: Palpebræ livore tinctæ erant. Duodecim ante obitum horis, qui xii. morbi die contingit, catarrhus, ab exoluto cerebri tono, præceps in pectus ferebatur: Deglutitio præterea difficilis fuit, quæ à chirurgo tonsillarum tumori adscripta fuit, etsi ore hiante, etiam ope spe-

speculi oris, nihil vitii deprehendere licuerit, ut neque post obitum aperto corpore.

Quod postridie factum,rogante Nobil.D.Parente, cui mulierculæ omnia lumbricorum præsentiæ deberi imponebant, quanquam de pulmonum inflammatione nullum apud me esset dubium: quarto ergo Aprilis,admoto imo ventri cultro anatomico,obtulit se Jecur naturalem magnitudinem excedens,ad hypochondrium sinistrum exporrectum, quodammodo lividum: Peritonæum admodum tenue & exsuccum, Inanis erat ventriculus, necnon intestina, in quibus sine vermibus,pauca scybala concludebantur, cætera imi ventris viscera statum naturalem servaverant, præter Lienem,qui ima parte quam summa latior: Reserato autem medio ventre,Pulmones intus & extra phlegmone obsessi apparent,quæ in abscessum abierat,dissecto enim & compresso parenchymate pus manavit, Exterius insigniter rubebat, tumentes insignibus maculis nigris conspersi,initiantis gangrænæ indiciis; juxta latera præsertim & dorsum: lobi eorum infimi ad diaphragma exporrecti, labis particeps fecerant ab eorum contractu livore infectum: Cor etiamnum phlegmone attigerat, cujus vasa coronaria admodum distenta, atro cruore turgida conspicua erant: Porro ut de soporis causa amplius constaret, quem ab inflammatione pulmonum aliquando suscitari alibi ostensum,cerebri claustra quoque diruta, cujus suturæ arctiori compage quam pro ætatis ratione conjungebantur: Cerebrum autem tumentius & elatius observatum, adeo ut inter membranam duram id obtegentem spatii nihil intercederet: qua distracta,dum ejus sinus & falx inquiruntur,diductaque cerebri parte læva a dextra,inter corticem & callosum corpus, occurrit Abscessus candicans,ad levissimum digiti attactum disruptus, lympha, inde magno impetu exiliente, limpidissimus enim & plane aqueus humor effusus est, & ut æstimare licuit, ad unciarum octo vel novem pondus;Lethargi per compressionem cerebri & liberæ spirituum distributionem impeditam causa.Admota & anteriori colli parti novacula, ut difficilioris deglutitionis causa se proderet, quam chirurgus plus justo oculatior,dum in vivis erat puella, etiam adhibito oris speculo,in Tonsillarum tumorem retulit,sed neque in œsophago, neque in trachæa quicquam vitii deprehensum est, ut difficultas illa mera fuerit soboles pulmonis inflammationis, & affectus omnino sympathicus, summa ejus parte æque ac imâ phlegmone obsessa.

Observatio V.

Cephalalgia continua & inveterata in Lethargum transiens.

QUinquagenaria per semiannum fermè immani cephalalgia sub sutura sagittali continuò fere torquebatur:ea denique in lethargum cum partiali membrorum resolutione incidit: à curatione tamen per convenientia adhibita,multo pejus quam prius cephalalgia atroci experrecta est; post tres fere hebdomadas apoplectica obiit.

Calvaria dissecta è latere sinus tertii,tumor scirrhosus tres digitos latus membranis accreverat,cujus interventu & crassa meninx aliquanto spatio tenui accreverat, & vasa sanguifera, quæ illic in sinum dehiscere debuerunt, constipabantur. Cerebrum tam extus quam intus lympha madidum.

Ex præcedenti inflammatione dolor primo & deinde scirrhus factus,qui compressione sua sinum tertium adeo angustum reddidit,ut sanguis ex cerebro in illum transire non potuerit: hinc cerebri paralysis,quæ apoplexia dicitur. *Stephanus Blancardus in Anatom. Practica.*

Observatio VI.

Historia Cornato-Epileptici.

PUer 14. circiter annorum,habitu corporis macilentô,staturæ satis parvæ, totô, quantum constat, vitæ tractu,malè habitus,& vitiô linguę, ob quod ne verbum quidem integrum efferre poterat, à primâ nativitate laborans,cùm mense Sept.1680.Orphanotrophii ægros inviseremus, malè se habere tremulis verbis significavit:

Aegrotam volvens faciem, maculisque trementes
Pallentesque genas. Virgil. Aeneid. 4.

Nec tamen doloris locum dicere poterat,nunc parum circum cursitabat,nunc caput contingendo,doloris indicia exhibebat.Verbera quibus à Magistrô, quandoque præter rationem exceptus fuit, ad iram misellum concitâsse videbantur,vana hæc sit sine viribus licet;prægressa quoque mala victus ratio, de corpore vitiosis humoribus repletô,qualiacunque prodidit vestigia: Hinc lene infusum ex fol. Senn. &c. suasimus,quod autem assumere renuit;aliquot diebus post in deterius labens,viridia & flava copiosè vomuit,succedente somnô profundô,à quô difficulter expergefiebat,& expergefactus, præter morem neminem fere ex adstantibus cognoscebat,imò vix dū oculis fixis ipsos tantisper intuitus,in somnū lethæum rursus proruebat;neq; excernenda amplius retinuit, urinâ & fœcibus involuntariè profluentibus,quamobrē misturam antepilepticam per cochlearia sæpius exhibendam ex aq.fl.til. pæon.m. antepil.Lang.Spir.C.C Tinct.castor.& syr.de pœon.præscripsimus, vesicatorium nuchæ applicari curavimus,aliaque pro loci ratione,ex artis præscripto imperavimus:sed vix convulsionibus,quas imminere prævidimus,obviam itum fuit,quin miserū confestim invaderent,& per dies aliquot graviter vexarēt,usq; dū animula,ad Creatorē anxiè tendēs,corpusculū viribus suis prorsus defraudatū dereliquerit, in suo loculo blandè tantisper requieturā,dū suo tempore lætiùs eidem conjungatur. Nos qui anxiè respiranti & stertenti imò agonizanti manè adstiteramus, sub vesperam, ulteriora fragilitatis nostræ hausturi tecmeria, juxta quoque mortis causam demonstraturi, sectionem instituimus, spectatoribus Vir. Excellentiss.& Clariss. D.D.Theodoro Zuingero, jam Eloq. Profess. & Colleg. Leopoldin. Aristo-

tele dignisſ. D. D. Rollvvagio Heilbronnenſ. D.D. Hochrütinero Sangall. D. Uriele Ritzio Pharmacopolâ & D. Phil. Speckero Baſ. Med. Licent. Remotis muſculis ab dominis, epiploon putridum & corruptum totum oculis ſe ſtirit, cum inteſtinis flatibus diſtentis, ventriculo contra parvulo & inani: in illorum interioribus ultra viginti plexus glanduloſos protuberantes oſtendimus, qui omnes tribus tantùm exceptis gangrænoſin cum aliquali duritie contraxerant, de quibus videatur Clariſſ. D.D. Pejeri Exercitat. 2. de gland. inteſtinor. Valvulæ conniventes Kerkringii in iiſdem admodum erant conſpicuæ: Hepar pro ætate & staturâ miſelli maximum, ſublividum: Vaſa cyſtica veſiculam ſuam eleganter perreptabant, pancreas ſubtus ventriculo protenſum albicabat: Lien omninò lividus & ſuperficie ſuperiore admodum corruptus. Vena cava turgidiſſima, ut & vaſa emulgentia & adipoſæ. Teſticuli parvuli nucis avellanæ magnitudinem vix æquantes, ex innumetis vaſorum filamentis compacti: Renes cum ureteribus ſatis ampli: Venter ſupremus cranio ablato, cerebri molem exhibuit, itidem juſto majorem: Vaſa per hujus corticem diſtributa, admodum erant tumida & inflata ſanguine liveſcente: Glandulæ in ejuſdem ſuperficie, præprimis corpus falcatum verſus, vaſis appenſæ videbantur: Sinus tubulo inflati maximi, ipſa autem falx à vaſis reticulariter diſperſis variè perreptabatur: Cortice abſciſſo ventriculi cerebri anteriores, veſicæ inſtar aquâ diſtentæ protuberabant, è quibus inciſione factâ, ichor copioſiſſimè profluxit, qui in 3. & quartâ cavitate non minore quantitate ſtagnavit. Plexus choroideus totus palluit: Vaſa quæ ex hinc corpus falcatum verſus expanduntur, glandulis ſubduris, gelatinâ infarctis, ſtipata erant: Cerebellum flaccidum, à quo ante ſpinalis medullæ progreſſum plures nervos oriri inferiùs vidimus. Glandula pituitaria erat ſubfuſca.

IN inquirendâ ſymptomatum ratione, multùm prolixi heic non erimus, malum ſiquidem ab ineunte ætate pullulâſſe videtur: enimverò balbutiebat linguâ, nec uſque ſapiebat animo; acceſſit mala educatio & prava diæta, unde illatâ paulatim M. H. labe, ipſiſque inteſtinalibus glandulis, Viſcera œconomiæ naturali deſtinata læſa fuerunt, cerebrumque noxam lethalem incurrit, vel enim ſola ichoris copia comprimendo imò tantùm non deſtruendo medullares funiculos, ſoporem profundum excitavit, quem convulſivi motus, particulis ejuſdem vel ſimilibus nervoſum genus, ejuſque incolas aggredientibus, exceperunt, finem ſcenæ facientes, livoremque partibus variis, ſanguinis liberiorem motum in vaſis cerebri præprimis & lienis præpediendo induxerunt, cum inteſtinorum inflatione: glandularum uerò inteſtinalium gangrænoſin non tam iſthinc deducendam autumamus, [quamvis in motibus epilepticis diuturnioribus ac admodum violentis, ſanguinem etiam heic extravaſare non negemus) quàm à ſero ſubviſcido fibrillas earum infarciente, illaſque indurante, cui cruoris particulæ craſſiores & ad motum ineptiores, ſubſiſtentes coadunari & unà hærere ceperunt: pariter etiam vomitus materiæ virideſcentis, cui mala diæta fomentum præbuit, particulas acres, fibras nerveas ſtomachi vellicantes, æquè heic agnoſcit ac iram: (à quâ funeſta ſymptomata pullulâſſe ſeq. hiſtoria docebit) quandoque etiam motus convulſivi nervorum ſplanchnicorum, à copulâ heterogeneâ circa ipſos aut etiam ἐγκέφαλον. ſpiritibus jam admixtâ, ejuſmodi affectus præcedere ſolent: ſunt verò alia adhuc, quæ attentionem merentur: Caput in quibuſcunque fœtibus, præ aliis partibus, quarum ne rudimenta quidem diſtinctè contuemur, conſpicuum eſſe experientiâ nobiſcum alii compertum habent, eſt quoque in non paucis, cerebri moles, aliis partibus, habitâ ratione, major. Nempe fluidum, quod ſecernit, rori reliquæ machinæ maximè neceſſarium eſt, deficitque illo labaſcente ſimul partium cæterarum functio, & ut verbo expediamus corporis animalis œconoma, atque hinc ſtructuræ cerebri integritas valdopere requiritur: utrum autem moles ejus auctior habitâ ratione corpuſculi, aliterque læſa configuratio caloris debilitatem involvat, ac juxta ad fatuitatem aliquid contribuat, diſpicere operæ pretium erit: Equidem quid de calore partium ſentiendum ſit alibi diximus, nec hujus debilitatis aucta moles indicium ferè eſt, niſi ſerum fibrarum cerebri interſtitia occupans, magiſque ab invicem diducens, aut quoque glandulis inter meninges hærendo noxam inferens, pro cauſa ejus agnoſcere velimus: alias ſupponimus etiam in cerebro grandiore, vigente glandularum ductuumque medullarium legitimâ conformatione per arteriolas undique expanſas, materiam ſpirituum legitimè adferri, hoſque ibidem copioſius progigni: nihilominus pertinaciter inficiandum non eſt, ſapientiſſimum Conditorem figuram globoſam, quæ quidem in quibuſvis animantibus perfectioribus, obſervatu digniſſima eſt, fruſtra cerebro non dediſſe, non tam quòd iſta ſit una ex perfectiſſimis, quàm quòd vaſorum circumgyrationibus optimè quadrat, fibrarumque medullarium ſeriem innumeram, ſibi aptè & concinnè reſpondentium, pro ſpirituum æquabili fluxu ac refluxu ex angulis interioribus, eleganter complectitur: atque hinc valere poteſt curioſum Clariſſ. *VVilliſii* ratiocinium: *Qui capite depreſſo vel nimis acuminato, aut alias improportionato inſigniuntur, ut plurimum functionis animalis labe quadam notabili afficiuntur, ejuſmodi namque cerebra, tanquam, ſpecula diſtorta, rerum ſpecies non rectè colligunt, nec animæ rationali eas verè objiciunt.* Prius verò ejuſdem præſuppoſitum de indole ac ingenio à cerebri figurâ & magnitudine pendente, cùm vel in adagio ſit, cerebri parum aut nimium ſtoliditatem arguere, quoniam in parvo cerebro parciores tantùm ſpiritus gignantur, exerceanturque grandius verò texturâ plerunque viliore conſtet, quid reſpondendum ſit, modò innuimus: nec ſcimus an in præſenti hiſtoriâ cerebri moles, quam ſeri unda adjuvare potuit, ſolam moroſin induxerit: nuper quoque adulti, qui à prima ætate uſque non ſapiebat, ἐγκέφαλον aperuimus, in quo autem, niſi quòd mollicellus & laxior eſſet, aliud quid magnopere non deprehendimus: Pariter

quo-

quoque nec 3tia supra laudati Viri positio admodum placet, dum inquit *substantia cerebri sit benè temperata & laudabilis textura, nec tantum quoad caloris & frigoris &c. qualitates: verùm systasis ejus sal. volat. & spir. copiosis cum modicâ reliquorum proportione constans, sit tenuis & aërea, ut spiritus facile totum trajiciant, & fibrillatus procudant*: fluunt ista ex præconceptâ de fermento cerebri spirituô salino, spiritus animalis matre hypothesi, de qua autem sententiam in Dissertat. de struct. Visc. exposuimus, satiusque foret, si deinceps judicium nostrum dicere liceat, si Vir ingeniosiss. in cerebri laudabili textura, pororumque & meatuum in glandulis & fibris bona conformatione, pro functionibus animalibus ritè excolendis substitisset; enimverò deficientibus sparolis hisce, (ut cum ipso loquamur) sive obduratis, aut fluidis nimis partibus hisce existentibus, spirituum necessaria undulatio nec fieri satis, nec sufficienter percipi potest: Pori certè nimis stricti spirituum copiis materiem non satis uberem admittunt, laxi autem supra modum, particulas simul heterogeneas, regimini animali infestas simul recipiunt, quibus motus læsionem fibrarductuum ratione unà addimus, imò non rarò spiritus animalis ipsius ineptitudinem: è quibus utique elucescit, nos cum in fibrillis cerebri malè affectis, sive cerebri malâ conformatione, tum spiritibus ipsis stupiditatis ac fatuitatis causas potissimum quærere: *Fatui*, inquit, Clariss. Willis. *non tam rudi crassaque Minerva quàm Anima pradiri esse videntur, eorumque spiritus animales potius, quàm præcordia ex luto effingi*: nec tamen ita vappidos ac effœtos fieri, ut ille quidem suspicatur, nobis persuademus; enimverò destitutio ipsorum activitatis, in hoc consistere videtur, quod vel ipsorum materiæ in sanguine particulæ adhærescuut, liberam evolutionem & in glandulis corticalibus depurationem impedientes, vel secretis pororum ope, aliquæ accrescunt, lucidam eorum naturam, perniciemque motum offuscantes: fortè autem solo horum vitio malum rariùs contingit, & cerebri labes aliqua frequenter vel conjuncta esse vel præcedere solet, inprimis in malo hæreditario; cùm stulti progignunt stultos: *iisdem particulis effætis ad constituenda organa animalia in filio, quæ fuerant in patre confluentibus*, imò potius cerebri structuram, spirituumque legitimam secretionem lædentibus, maximè ubi mater fuerit stupidior, vel ob mariti fatuitatem animo satis langueat. De valvulis conniventibus, aliqua etiam in dissertat. de struct. viscer. monuimus: Primus eas intuitus fuisse creditur Laudatiss. Kerkringius, qui Observ. Anatom. 39. hunc in modum: sed alia erat novitas, ad quam præcipuè re vocabat, Lector, hæc nostra observatio. Norum enim jam tibi est, & dictum à multis in colo *existere cellulas quasdam à corrugatione per vinculum quoddam externum factas, qua celerem fæcum lapsum sistant, quæque rupto aut laxato eodem illo vinculo relaxentur atque dispareant: sunt ea quidem, nec te decepit eorum, qui hac observarunt, diligentia: sed aliud præterea, quod illi te celaverunt reperies: valvulas nimirum per jejunum & colon intestinum dispositas, quas ego si verbis audacia detur, nominare non reformidem valvulas conniventes. Quia non claudunt ita intestinum, ut totam ejus cavitatem oppilent, sed mediam circiter ejus capacitatem sic occludant, ut singula parte altera latiores paulatim angustiores fiant, & rursus paulò inferiùs ab alia excipiantur, qua latior eâ parte, quâ præcedens erat angustior, talem intestino dent constitutionem, ut faces delabi quidem possint, sed non præcipitari unico quasi lapsu ad inferiora*: &c. Valvulas istas in canibus sæpiusculè conspeximus, in primis autem faciem elegantem exhibent in Salmonibus, in quibus cùm ferè unus continuus intestini tractus sit à ventriculô parvulô ad usque rectum, cui innumeræ appendices materiæ chylosæ organa secretoria pariter ac receptacula undique junctæ sunt, usum non exiguum præstare videntur, morari scilicet particulas alimentorum solutas, dum in dictas appendices recipiantur, simulque fæcum præcipitatarum ascensum præpedire, ceu diversa ipsarum configuratio, dum aliæ obliquæ, aliæ transversæ, aliæ decussatim positæ sunt, satis persuadet, possumusque hanc ostendere curiosis in portione intestini quam exsiccatam servamus: proprerea autem nolumus massam solutam valvulis hisce ceu claustro cuipiam includere; quin vigente fibrarum intestinalium peristaltico motu, valvularum fibræ quiescere prorsus non possunt, ut pote quæ ab illis dependent, maleque etiamnum credimus assertum esse & contra αὐτοψίαν à Kichelmannô, motum peristalticum naturæ instructô superiora versus non ferri; vide sis eruditas Clariss. Pejeri Rationes Obs. c. Decur. ij. Ann. iiij. Ephemer. German. *Joh. Iacob. Harderus Observation. Anatomico-Practicar.* 35.

OBSERVATIO VII.

Abscessus ossis cribriformis subsequente Lethargo letalis.

DN. Johannes Christophorus Otto S S. Theol. Stud. & Minist. candidat. Alumnus in collegio Elect. Palat. sapientiæ, quod Heidelbergæ floret, annos xxvj. natus, temperamenti melancholici, jam à multis annis obstructiones sensit in capite, maximè in naso, quæ ab anno circiter circa finem sagittalis suturæ prope coronalem in capite tanto cum dolore ingruebant, ita ut idem ad tempora usque etiam pertingeret dextra, salvis omninò temporibus sinistris, totóque illo capitis latere sequebatur nasi obstructio & respirationis incommoditas, quare per nares varias adtraxit aquas aperientes & aromaticas, donec tandem materia quædam succederet saniosa sanguini permista, quæ sensim per sinistrum efflueret nasum, adeoque Ozœnam referret, cum tumore nasi circa radicem. Post 9. menses, prævio dolore & exeretione materiæ purulentæ, ubi nares quasi sternutando emungebat, secessit ossiculum tenue, instar lamellæ alicujus, nihilominus perennabat dolor capitis & tumor nasi radicis, subinde materia saniosa, subinde paulum cruenta effluente è nare sinistra cum deperditione odoratus, & vitio loquelæ, tandem post duos menses circiter denuò ossiculum excrevit è naribus porosum, & quasi cariosum, cum sanie cruenta; advocor cum Dom. D. Steigero medico ord. Nosocom. Electoral. in consilium; damus aquam cum succis plantarum traumaticarum in nares attrahendam, & petiam ex spongia eodem remedio imbuendam, naribusque indendam, tum pro abstersione, tum mundificatione ac

ſanatione, cui fini & ipſum opobalſamum loco affecto inunximus, ante hos novem dies in templo pileum delapſum ſiniſtrâ manu è terra attollete voluit, non valuit autem, ob paralyſin ſiniſtri ferè totius lateris cujus & indicia apparebant in oculo, gena & ore, quod peſſimum ego ratus ſignum, generoſa quæque adhibui, ſed cum prognoſi mortis imminentis, maximè ubi lethargus ſupetveniebat jam à ſex diebus, ita ut ægerrimè aut non excitari potuerit, donec tandem XXI. Jun. CIↃ IↃCↃ LXXXVI. Mane poſt hor. 4. placidè non tamen ſine moribus convulſivis in facie, ac bene præpatatus obiret. Aperto cranio, ſuperior cerebri ſubſtantia ſatis apparuit bona, niſi quod in gemino cerebri ſuperiore ventriculo ichor craſſior deprehendeteтur, qui & ad tertium profluxit ventriculum; Anterius verò ad ſellam equinam, immediatè ſub gemino nervo optico, ad principium ſpinalis medullæ aderat in cranio foramen, avellanæ nucis quantitate, materiâ & purulentiâ peculiari folliculo contenta craſſâ plenum, quod derivatam materiam ſenſim ad naſum dimiſit medulla circa cerebellum eodem ichote imbuta, ut inde letna totius mali extiterit. *Georgius Francus Ephemerid. Germanicar. Decur. ij. Ann. vi.*

ANATOMIÆ PRACTICÆ

LIBRI PRIMI

SECTIO IV.

DE CATALEPSI SEU CATOCHO.

OBSERVATIO I.

Catalepſis à craſſo ſanguine, majores venas quæ à poſteriore capite ad ſynciput decurrunt replente, Et ſeroſa materia poſticam cerebri partem occupante.

IN ANATOMIA eorum qui Catoche perierunt, *majores venas*, quæ recta decurrunt à poſteriore capite ad ſynciput, *plenas concocto craſſoque ſanguine* vidimus, & *poſterius cerebrum* ſeroſa materia occupatum; Atque revera in hoc malo poſteriora magis affici veteres Medici putaverunt: Galenus meminit cujuſdam condiſcipuli in Prorrhet. Qui ex hoc, ſed levi malo, ut ſcribit, evaſit: Nam in omni genete morbi, hic gtavior, ille levior eſt. *Iacotius comm. ad aphor. 7. lib. 2. Coacarum.*

MAjores venas craſſo ſanguine plenas] Hinc *Rondeletius* infert Catalepſin frequentiſſimè à ſanguine natales ducere: argumento ducto ab adoleſcente illo cujus meminit *Aëtius* cap. 4. ſerm. 2. tetrab. 2. qui magna ſangninis profuſione per nares libcratus eſt: Item à muliere, quæ cum ſynocho (ſanguinea febris eſt) laboraret, decimo nono die Catalepſi correpta eſt, ſed largo tandem fluente è naribus ſanguine, recuperatis ſenſuum functionibus, tanquam ab orco revocata eſt: Etſi vero ſanguis actu humidus tenſionem & rigiditatem partium inducere non poſſe videatur ſi paucus, copioſus tamen, venas & arterias diſtendendo, tenſaſque retinendo (non abſimili ratione qua plerhora convulſionem nervorum inducit) rigiditatem partium pariet: Sic venarum ſanguine turgentium indicium eſt, cum manus in pugnum, præ vaſorum plenitudine, vix contrahi poreſt: Hinc lumborum tetanum ex atrabilariis humoribus in venis oriri ait *Hippocr.* 4. de ratione vict. in acutis: Ideoque hic affectus in circulationem ſanguinis impeditam & *ϲάϲιν* illius referri poteſt, qui concreſcens in vaſis mortis occaſio fuit iis qui Catocho perierunt: Ab affectu vindicati ſunt, ut juvenis ab *Aëtio* memoratus; & mulier ſynocho laborans, de qua *Rondeletius*, quibus larga cruoris effuſio contigit: Quod ſi Apoplexia circulari ſanguinis motui inhibito plerumque ortum debet, cur ad eandem cauſam finitimus affectus non referetur?

Poſterius cerebrum] *Hercules Saxonia* Prælect. Pract. part. 1. cap. 12. Catalepſeos naturam indagaturus, ad ſenſus recurrit & ad ea quæ manifeſtiora ex anatome ſunt reddita, atq; in cerebello cauſam latere ſtatuit: Cerebellum, *inquit*, unũ habet ventriculũ in quo ſpiritus animalis cõtinetur, qui deinde per meatũ quendam poſteriorem, qui conſervatur apertus à proceſſu quodam, (vermiformis vocatur) per hunc inquam meatum ſpiritus animalis transmittitur ad nervos omnes motorios: habet & meatum anteriorem], qui pariter defert animalem ſpiritum à poſtremo ventriculo in medium

dium, ut sensum tribuat nervis qui sunt in parte cerebri anteriore: His sic stantibus, dum cerebelli pars posterior, aut comprimitur, aut obstruitur, ita ut spiritus ad medullam spinalem non possit confluere, tollitur sensus universi corporis, sed manente aperto meatu anteriore, spiritus potest confluere ad nervos oculorum & auditorios: Potest quoque imaginationi inservire, ita ut aliquando in Catalepsi cum amissione sensus totius corporis, servetur tamen visus, auditus & imaginatio: Quod si integra fuerit vel compressio, vel obstructio utriusque meatus, tunc in catalepsi tollitur etiam sensus & motus, & totius corporis, atque omnium etiam nervorum sensitivorum operatio: His sic stantibus dico resolute, omnem materiam quæ in cerebro continetur, quæve in cerebrum potest confluere, dummodo transmittatur ad cerebellum, sive comprimendo sive obstruendo meatum posteriorem, posse hunc affectum producere.

Venas plenas sanguine, posterius cerebrum serosa materia occupatum) Ideo existimat idem *Saxonia* non unam sed multiplicem esse materiam quæ catalepsin facit; at magna ex parte melancholicam, quia, *ait*, hic humor duritie, frigiditate & siccitate aptissimus fit ad compressionem, adstrictionem & obstructionem inducendam: idem spiritum generet crassum, qui per nervos distribuitus, indurationem efficiat: Ex pituita fieri, colligit ex Galeno 13. metha. 21. 4. de loc. affect. 2. ubi recenset affectiones quæ fiunt ex succo pituitoso, inter quas recenset Catalepsin: *Et Benivenius* de admirandis proponit casum Cataleptici, qui epilepticus factus est; Ille affectus, ait *Dodonæus* in comm. factus fuit ex pituita: De materia Biliosa hoc idem, (Saxoniæ) videtur affirmandum posteaquam scripsit *Hollerius* ad Coacam 12. lib. 5. Post delirium factam esse catochen; Affert vero Catoches historiam, quam vidit Venetiis, quæ persuadet ex bile potuisse hunc affectum fieri: *Camillus Ballionus* annum agens 24. temperamenti biliosissimi, incidit in febrem ardentem ab initio cum vigiliis & dolore capitis intensissimo: 4. die phreniticus evadit cum rixa & furore, cum vigiliis perpetuis, nullis conferentibus auxiliis: 14. die delirio existente maximo, subito corripitur Catalepsi, rigidus manet, supino ventre, apertis oculis & inconniventibus, aperto ore sex horis continuis: Post sex horas redit sensus, & cum eo delirium, sequenti die eadem hora Catalepsis, perduravit 18. horis: sequenti die revertente accessione, eadem obiit: In hoc casu jure optimo posset quispiam, *addit*, arbitrari in tanto delirio catalepsin factam esse ex materia biliosa; quamvis existimet potuisse disrumpi abscessum ex magna inflammatione obortum, & abscessus materiam fuisse catoches causam. De sanguine non contendit: Ab humore melancholico bis mihi contigit videre Catalepsin, in uno laborante lethalem: Prior fuit Nobilis Vasco annos natus 27. qui ex Papiensi obsidione redux, anno 1655. in transitu per Genevam, Autumno, primo erratica febre, hinc quartana corripitur [erat autem ille strigosus, temperamenti admodum melancholici, nomine Darais] post multos paroxysmos, in unius ἀκμῇ aphonos evadit: Hospes illius, Chirurgus, [vocatus Lamont,] me advocat syncope gravi illum prehensum dicens: Accurro & verum Catalepticum video, immotis omnibus, imo rigentibus membris, sine sensu, ad vociferationes & vellicationes insensilem, solius palpebræ superioris motitatione vitæ indicia dantem: Injectus acris clyster, admotæ cucurbitulæ dorso, lumbis & partibus imis adhibita ptarmica, oblatum naribus castorcum, frictiones validæ institutæ, potiones hidroticæ datæ: ac bihorio post ad se rediit, gravissime se fuisse affectum nuntians, sed nihil præterea afferens: Sequenti paroxysmo, catalepsi iterum prehenditur, iisdemque præsidiis sed citius revocatur: Interim obnixe rogat ur sequenti accessioni obviam eatur, de se actum si similis paroxysmus recurrat; Quæro ex illo quid tam grave perpessus sit, ut imminens vitæ periculum existimet? Respondit se referre non posse, sed certissime scire vitæ filum abruptum iri: Quare ea præsidia (& alia) quæ per accessionem administrata sunt, ante ejus adventum in usum duco, sic à Catalepsi immunis fuit, imò & à febre quæ media hyeme soluta est: adventante vero vere, debilis adhuc, insalutato Medico & hospite discessit: Alterum exemplum est cujusdam Aurifabri, Genevensis, nomine Rival, qui nescio quo morbo decumbens, (Pharmacopœi enim curæ se commiserat) post sanguinis missionem in brachio factam, Catalepticus evasit, cujus causa advocatus fui, sed nullis conferentibus auxiliis, paucis post horis obiit, anno 1668. mense Decembri.

Observatio II.

Catalepsis à sanguine concreto in majori vena quæ medium caput perreptat, Et sero rufo in posteriore cerebro.

Secretarius Vasco in febris declinatione, & alvi profluvio, urinis bene coctis certam valetudinis spem præbentibus, catalepsi prehensus uno die obiit.

Aperto cadavere pulmones & hepar corrupta sunt inventa: *Serum quasi rufum* cerebro posteriore contentum. Et sanguis concretus in majori vena quæ medium caput perreptat. *Scholiagraphus ad caput 9. lib. 1. Hollerii de morbis int.*

Sanguis concretus in majori vena) Catoche quadrifariam potest occupare cerebrum & actiones quæ à cerebro sunt labefactare, 1. per præsentiam humoris. 2. per intemperiem; 3. per resolutionem, & primigenii humoris & spirituum primigeniorum cerebri absumptionem, ut quid hecticum in cerebro esse videatur, i. e. 2. modus fit per alterationem, 3. per alterationem; 4. fortem aliquam imaginationem rei tristis, ut spirituum animalium vel fiat conculcatio oppressioque, vel dissipatio: quomodo tunc melancholia dicitur, & cum effectibus melancholicis congruit: Quæ omnia nisi ad unguem tenueris, de Catalepsi nil unquam certum habueris: Maxime verò ad veram ejus essentiam non tam præsentia humoris requiritur, quam eæ intemperies sollicitudinesque animi, concurrente maxime corporis & cerebri temperamento, ut corpus fit siccius strigosiusque

sinusque: Præsentia humoris est, vel ut sit sanguis, vel succus melancholicus: Sanguis bifariam, vel sua quantitate premens, vel qualitate, i. e. ut mora in cerebro, per vigilias aut mœrores melancholici humoris naturam acquirat, florem enim facile suum & nitorem sanguis amittit: Sua quantitate, dum prehendit premitque cerebrum, præsertim si libera est respitatio, utpote partibus obsessis posterioribus, & si juvenis est, qui cum non facile obruatur & stupidus jaceat, & copia sanguinis pressus, veluti vigilans manet: Tunc catalepsis sanguinea dicetur, & ad Κῶμα ἄγρυπνον proximitate accedit: Sin qualitate potius sanguis peccat, tametsi prius esset laudabilis, melancholica catalepsis dicetur: Fit autem cum plenitudo est aliqua in cerebro ad vires, quam cum natura non regit, dum moram ibi trahit sanguis, facile immuratur, præsertim siquis calor alienus adveniat; ut tota affectio Κεφαλοκὴ esse dicatur: Et quemadmodum corpora sanguinea si effluvium non habent, melancholica redduntur, quod in toto corpore fit, id in capite fieri potest, ut particularis sit suppressio, & ob congenerem suppressionem; morbi congeneris generatio, quo in sensu *Hippocr.* 2. Prorrh. pag. 14. *Faciei color bonus & mœstitia multa, malum:* quo loco Gal. demonstrat quomodo ἐξέρυθροι melancholici fiant, cum facile sanguis aduratur & succi melancholici naturam acquirat: maxime verò sanguis in capite immutatur, si quis aut natura sit melancholicus, aut ex eventu & non αὐδ φανερῆς προφάσεως: Nam cum melancholici, utrovis modo sint, perpetuo aliquid animo versent & volvant, facile ea cura agitatioque sanguini mutationem conciliat: atque eo modo tales in catalepsin proni sunt, præsertim vero si qua causa extrinsecus advenerit quæ semen morbi ipsius sepultum excitaverit: Et tales catalepses repente possunt incidere, ut & apoplexia & epilepsia: At non sic quæ ab intemperie frigida & sicca, aut quæ à resolutione, aut à mœrore, quas explicare consilium est: Si quis avidius & diutius incumbit literis, præsertim si noctes insomnes ducit, dissipatione spirituum & siccitate præsertim humorum fluentium & spirituum, rigidus potest manere & catalepticus, quasi in cœlum raptus: Sic non est quod ii arguruli requirant longum valde tempus ad inducendam istam intemperiem frigidam & siccam & præsertim quod pertinet ad alterationem, & fluentes tum spiritus tum humores; quid enim tam facile instauratur & dissipatur quàm spiritus? testantur ii qui natura famelici sunt, qui statim expallescunt & dissolvuntur, guttula vero vini ad se redeunt; Et dum quis ita exhaurit labore cerebrum, jam rudimenta futuræ catalepseos habebat, prout perseverabat effluvium spirituum, sed malum non apparuit, quamdiu partes solidæ invadi cœperunt: Sunt enim quidam morbi qui non prius apparent, quàm jam tacitè clamque aliquot tempora percurrerint, & cùm nos prehendunt, jam pene in vigore sunt: Est & alia Catalepsis à quadam resolutione, per alienationem cerebri, & ea repente incidit, sed non solvitur facile, imo lethalis est: quod repente incidat, id audiendum est quoad sensum, non quoad generationem, nam occasio causaque fovebatur sensim, sed affatim malum sese repræsentat: unde cum nos alloquimur ægros, videmus eos statim mutos, & oculis apertis catalepticos fieri, dispositione hectica jam contracta, & vitio impresso partibus sese statim proferente; Et de catalepsi idem quod de phrenisi dici potest, quæ duplex est, manifesta, in alteratione cerebri; altera occulta in alienatione, & hæc deterior est: Propriè autem catalepsis, quatenus speciem morbi efficit, ob alienationem contingit, ut non solum spiritus & humores fluentes vim passi sint, sed & in partibus solidis ipsius cerebri nota inuratur: Talis catalepsis in morbos longos & febres incidit, cum dissipatio facta est animalium spirituum, calor naturalis imbecillior factus & hectica dispositio inducta in cerebrum: Dicam quod nobis videre contigit, Servus Equitis torquati totam hyemem quartana duplice cum febre lenta laborâtat: exhaustus & marcidus pene erat, repente catalepticus factus est, squallidis & siccis redditis spiritibus, sic generatio longa fuerat, sed invasionis modus subitus fuit, sed non est solutus morbus nisi cum morte: Sic cùm requirunt arguruli ad generationem catal. nescio quid ut cito fiat & solvatur, revera quæ per resolutionem fit, non solvitur cito, quia ab exhausto est, sed longam habuit generationem: Et eo modo *Galenus* quodam in loco ad phrenitidis generationem longum quoddam tempus requirit; in alio docet etiam subito fieri: Sed nodus hic solvendus est priore modo explicato: Filius Consulis Regii catalepticus interiit, cum duos menses tertiana laborasset & pene extabuisset, Ex revera, ut plane fateat, ut repente adoriatur catalepsis; non tam facit sicca intemperies & squalor [nam potiùs ad tarditatem invasionis faceret] quàm motus quidam symptomaticus qui quodammodo suscitat, impellit & animat malum hoc quod in visceribus & medullis latebat: unde iste puer catalepticus capite dolebat ante, & in ipso morbo catocho tantus ardor percipiebatur ut manum ureret: sic dispositio ad catalepsin in capite fota alitaque sese protulit per translationem symptomaticam cujusdam venenati vaporis, aut natura sese in cerebrum exonerante & morbi sarcinam deponere volente: Et tales catalepses sunt ab exhausto: De iis audiendus Hippocr. aphorismus p. 4. lib. 3. prorrhet. *Quæ cum exolitione fiunt catocha & aphonia, pessima*, Sequuntur enim summam paupertatem caloris naturalis & naturæ imbecillitatem, suntque mortis paranymphi. *Quarta species catalepseos* sequitur fortem imaginationem rei alicujus, præsertim tristis, & animi concussionem ægritudinemque, ut viduis accidit, aut mœrore confectis, aut paventibus & metu consternatis: semisiderati manent oculis apertis & corpore immobili; ideo pace Rondeletii dicam, id quod puellæ acciderat congressum mariti repudianti, fuit quidem catalepticum, sed non tam humorale fuit, quam, ut sic dicam, mentale & spirituale: Putat id fieri à sanguine qui in succum melancholicum conversus fuerat, ego vero potius animi pathema fuisse judico, per vim fortem imaginationis, quæ efficit ut nobis quodammodo abripiamur & extra nos simus: quanquam fieri quidem potest ut humorum & natura & propensitas corporis ad id concurrat; *Gut. Ballonius Consil. Medic. lib. 2. hist. 1.*

Serum quasi rufum, & sanguis concretus] Quia Sceliographus *Hollerii* partem cerebelli ait plenam fuisse quodam sero rufo, censet *Saxonia* Catochen ortum duxisse potius ex illo sero quam ex sanguine in vena contento: Eo quod non sit præter rationem arbitrari illud serum rufum transmissum esse ab illa vena, in qua sanguis crassus retorridus continebatur: Quandoquidem si ex vaporibus ortum ducere aliquando potest Catalepsis, ut colli-

colligitur ex Galeno. *a.* de sympt. causis c. 7. ubi scribit ex ore ventriculi fieri posse & melancholias, & comata & catalepses, potiori jure fieri poterit ex ichore, & potissimum pravo.

OBSERVATIO III.

In Catalepticis sanguis etiamnum concrescit.

CONstat refrigerato cohibitoque spiritu, sanguinem non solum frigescere, sed concrescere, quod in catalepticis & apoplecticis, aliisque id genus diffectis observatum. *Hollerius comm. in* 1. *coacam. lib.* 1.

CAtalepsis est subita omnium sensuum, motus & mentis prehensio, qua qui corripiuntur rigidi in eo statu, in quo prehensi fuerant, apertis ac immotis oculis permanent: Causæ variæ statuuntur, Sennertus credit à vapore fixativo spiritus ita figi & immobiles reddi, sicut à fulmine & spiritibus è terræ cavernis prorumpentibus homines & bruta rigida redduntur; Asseritur à quibusdam vinum in dolio à fulminis spiritu interdum congelari: In nitro & plurimis aliis mineralibus insignis reperitur vis figens: plumbi vapor mercurium ita figit ut malleabilis evadat: *Platerus* spirituum animalium nimiam in nervos effusionem è cerebro accusat: Vide cap. 2. lib. 1. de mentis consternatione: Exemplum catalepsis à flatibus pituitosis & melancholicis nervosam substantiam replentibus vide apud *Silvaticum* cons. 76. cent. 1. Inductæ à male curato Erysipelate pedum, apud *Gremb.* Arb. inr. & ruin. l. 2. c. 1 §. 11. Ex nimia animi intentione apud *Platerum* l. 1. Obs. p. 29. Ex amore apud *Tulpium* l. 1. Obs. 22. A vapore melancholico, apud *Thoner.* &c.

Sanguinem congrescere] Cur sanguis concrescat in vasis vide Tit. de Apoplexia Observat. 2.

OBSERVATIO IV.

Catalepsis à sanguine nigro & tabo venas varicosas capitis reddente, cum cerebri & membranarum ejus siccitate.

ADolescens primo febre leni, mox phrenitide & catocho corripitur: Oculi illi fixi & rigentes.

Aperto capite, venæ quasi varicosæ, tabo & sanguine nigro turgentes videntur: Medulla cerebri, quæ mollior & friabilis esse debet, siccior: membranæ siccissimæ &c. *Vide infra Tit. de Phrenitide.*

PErtinet & hæc Catalepsis ad eam speciē quam *Ballonius* proficisci ait ab exhausto, & cum quid hecticum ipsi cerebro impressum est. Siccitas quippe cerebri & membranarum primigenium humorem consumptum indicabant: utrobique melancholici & adusti humoris dominium adfuit.

OBSERVATIO V.

Catalepsis à cerebri circa superficiem siccitate exorta.

CIvis Leodiensis mercator, à rivali suo in carcerem conjicitur, è quo dato vade liber domum reversus, totum melancholiæ se immersit, paucos post dies acutè febriit, sine delirio tamen: à febre liber, in amentiam primum, dein *furorem* versus, vinculis coerceri debuit: numellas manus stringentes tanto interdum quatiebat strepitu, ut fracturus crederetur: uxoris collare dentibus arreptum, non discerpsit sed pene instar farinæ moluit: Melanagogis per epicrasin diu sumptis, conciliato etiam multis noctibus somno, ad mentem rediisse visus, ut omnino restitutus sibi videretur, xx. à captivitate mense *fatuissimus* factus & repuerascens sub ætatis annum XL. primum sinistræ *manus digitos* tres ultimos *ita lunavit* ut nullâ arte extendi possent: Purgato capite, applicitis medullæ spinali oleis calefacientibus & humectantibus, digitorum usum recuperavit, sed paulò post omnes digiti ejusdem manus incurvati riguerunt, &, ut in catochico, nullo ingenio dimoveri potuerunt; paulò post & dextro capitis brachio & utroque crurum, *aphonus* factus, immobilis jacuit, multis litibus & fomentis & gargarismis linguæ usum recepit: Sed toto biennio ad mortem usque vocem articulatam formare non potuit, instar infantis semestris lallabat, alienaque manu cibum capiens sustentabatur: alvus interim utcunque respondebat, respiratio semper liberrima pulsusque optimi: tandem sub anni quarti finem fatis concessit.

Ad anatomen vocatus, uolui primum cerebrum inspici, quod ablato cranio siccissimum, durum, adeoque in summa parte digitis meis friabile, flavedine citri æmula, undiquaque ad altitudinem digiti tinctum, observatum; Circa ventriculos & basin mollius & humidius, colore tamen aliquantum vitiato, rete admirabile depressum: nervorum origines siccæ solitoque graciliores: Thorax, Imusque venter nihil observabile exhibebant. *Henr. ab Heer. Observ. Medic.* 3.

Hæc

HÆc Catalepſ. ſpecies ad tertiam ſpeciem à *Ballonio* deſignatam, revocanda eſt, videlicet reſolutionem & primigenii humoris abſumptionem: concurrentibus ſimul cauſis quartam ſpeciem inducere aptis.

Observatio VI.

§. *Congelatio à ſanguine concreto in venis, ob hauſtum hydrargyrum.*

ARgentum vivum ſi largius ſumatur congelare ſanguinem teſtatur Conciliator, exemplo cujuſdam ſeplaſiarii, qui febre ardenti laborans, cum ad ſitim ſedandam imprudens aquæ vice, vaſculum argento vivo plenum inveniſſet, illiuſque magnam copiam ebibiſſet, Congelatus interiit.

Aperto cadavere ſanguinem circa cor concretum Medici invenerunt. *Primiroſius de vulgi Error. l. 4. c. 29.*

INter venena à plurimis recenſetur hydrargyrum: certum tamen à plurimis ad difficilem partum & vermes necandos innoxiè exhiberi: *Braſſavolus* ſe pueris dediſſe ait ad ℈j; *Amatus* in Dioſc. praxis ignorantes vocat eos qui illud vituperant, ac præſtantiſſimum antidoton ait pueris faſcinatis & à vermibus infectis: Idem ſentit *Matthiolus* cap. 28. lib. 6. Et propterea ſi congelavit ſanguinem, ut refert Conciliator, id quia largius ſumptum præſtitit, nec ideo magis noxia illius virtus quam aliorum medicamentorum cenſeri debet: Imo *Rorarius* contr. 20. ait Germanum ſiti vexatum ac potum quærentem, vas in quo argenti vivi ℔iij. repoſitæ erant exhauſiſſe, quod mane in lecto prope ſe repererit: Veneſum itaque nullo pacto eſſe poteſt, niſi forte gravitate ſua, non aliqua lethali qualitate.

ANATOMIÆ PRACTICÆ

LIBRI PRIMI

SECTIO V.

DE INSOMNIIS ET INCUBO.

Observatio I.

Inſomniis & Incubo cujuſdam vexati cerebri ventriculi aqua diſtenti reperti ſunt.

ACADEMICUS Oxonienſis, hydrope pectoris extinctus, poſtremo morbi decurſu ſomnum niſi prona facie & inclinato capite capeſſere non potuit: Si enim capite in pulvinar reclinato ſomno ſe componeret, intra tertiam horæ partem horrendis Inſomniis & terroribus triſtis ſemper evigilavit, quin & Tremore cordis & ejuſdem oppreſſione maximè diu poſtea afflictus fuit:

In cerebro poſt mortem aperto ventriculi aqua ſummè diſtenti reperiebantur, nulla autem præterea notabilis culpa in toto capite apparuit.

§. Novi quendam Incubo olim maximè obnoxium, virum alias robuſtum & ſatis ſanum, qui per duos annos nunquam in dorſum converſus dormivit, quin ſimul affectu iſto corriperetur, adeo ut neceſſe haberet ſervum contubernalem in eodem lecto decumbentem admittere, qui ſtatim ac gemitus & ſuſpiria, quibus affectus iſte incipere ſolebat, exaudiret, ipſum in latus alterum converteret, quo factum eſt ſemper ut inſultus illi præcaverentur.

I*Ncubo*) Cum ventriculus quartus cerebello ſubjectus multo declivior & magis in profundo ſitus ſit quam reliqui in cerebro, & quam ipſum etiam infundibulum, ideo fit ut lympha in ventriculos cerebri è plexu choroeide ſecreta, in dictum ventriculum reliquis magis declivem, potius quã in infundibulum defluat, præſertim ſi capite reclinato ſomnum quis capiat, Ex quo humorum decubitu cavitas illa plurimum repletur, & eouſque aggravatur ut ponderis ejus ſenſus nervis præcordiorum communicato, ſæpe cordis oppreſſio & Incubus inducantur: Atque adeo ſolenne hydrocephalis fere omnibus ut nunquam ſupini impune dormiant, quin in latus hoc aut illud

illud decumbere cogantur, quo melius hujusmodi molestias præveniant: Quin & plurimos infantes recens editos, si motibus convulsivis obnoxii fuerint, nunquam diu aut placide in cunis dormire, sed variis spasmis & artuum subsultibus corripi observare est: Causa hæc videtur, quod si quidem eorum cerebra multa aqua abundent, ex hujusmodi supino decubitu, qualis in cunis est, aqua in ventriculis cerebri contenta, ob situm magis declivem in ventriculum quartum potius quam ad infundibulum defluit, & proinde medullam oblongatam [ex qua nervi præcordiorum oriuntur] valde aggravat, & comprimendo illam spirituum in nervos transitum impedit, unde cordis gravamen & motus convulsivi tandem succedunt: Atque hoc ideo magis verisimile est, quia in contrario situ, scilicet intra ulnas nutricum, vel in earum sinu, ubi caput magis attollitur, placide & secure magis obdormiunt: *Richardus Lovver. Tract. de Corde cap. 2. p. 150.*

Insomniis) Dimissis Insomniorum significationibus, solummodo inquiro quali spirituum animalium motu & agitatione in cerebro producantur: Dicimus igitur quod spiritus animales, licet alterna motus & quietis tempora naturaliter affectent, dumque requiei indulgent, *humoris nervosi* cerebro recens instillati complexibus, velut catenis, ne motuum ineant, sese colligari patiuntur, tamen plerumque accidit quod spiritus nonnulli hoc vinculum facile excutiant, atque alta inter reliquorum silentia huc illuc exspatiari ament: Atque revera Insomnia sunt tantum excursus quorundam spirituum in cerebro ligatione solutorum, qui dum cæteris arcte constrictis, huc illuc sine duce aut regulatore quovis divagantur, atque motuum typos veluti choreas prius edoctas repetunt, rerum prius actarum cogitationes, licet more valde confuso, repræsentare solent: Spiritus qui aliis interim constrictis custodia soluti varie discurrunt, duplici ratione in motus libertatem vindicantur: Nimirum spiritus nonnulli somni captivitatem effugiunt, plerumque ob nimium cerebri calorem & agitationem, prout à vini potu, nicotianæ fumo, exercitio immodico, necnon passionibus aut studio acriori accidere solet: his enim modis spiritus stimulatione quadam citantur ac velut in impetus adiguntur, ut somno licet obrepente, una omnes constringi ac coerceri nequeant, quin aliqui velut spectra in cœmeterio inter reliquorum sepulchra obambulant, & stupendas rerum apparitiones faciunt: Alia spirituum quorundam in cerebro, qua *Insomnia* producuntur, exsuscitatio fit ob spiritus quosdam in aliis partibus, uti in præcordiis, stomacho, liene, genitalibus, &c. perturbatos, a quibus dum perturbatio eadem per nervos in cerebrum communicatur; unus forsan aut alter spirituum manipulus ibi concitatus varia phantasmata repræsentari facit: In affectione *Incubo* dicta, cum præcordia ob nervos constrictos, aut alias impeditos in motu sistuntur, animal aliquod, aut pondus grave pectori incumbens respirationem inhibere somniamus. Humor genitalis in vasis turgescens, eadémque irritans Insomnia impudica producit. Cibi dyspepti & crassiores in cœna comesti, quatenus ventriculum aggravant & molestia afficiunt, Somnos item perturbatos & phantasmatum terriculamentis infestos reddunt, &c. Dum spirituum turmæ quasi privatæ in cerebro exsuscitatæ, & huc illuc se proripientes, phantasiam exercent, illorum excursus modo *regulariter*, modo *inordinate* contingunt; proindeque Insomnia, aut rerum anteactarum series, aut tantum Chimæræ, sive notiones omnino dispares & incongruas repræsentant; Porro dum Spiritus animales, eo ritu intra cerebrum agitati, Insomnia seu cogitationum simulachra producunt, non raro in genus nervosum resiliunt, ibidémque spiritus alios cientes, motus locales diversimodos producunt, quare nonnulli, etiam quando alte dormiunt, è lecto exsurgere, huc illuc ambulare, &c. solent: Quinimo de plerisque ita lemurum more noctu vagari solitis observare est, quod expergefacti fere nihil rerum in somnis à se gestarum recordantur, quasi diversum aliquid à Somniantibus paterentur, námque bi se motus locales edere concipiunt, quos revera minime edunt, verum isti loco moventur, nec tamen isti conscii fiunt. In somniantibus spiritus excitati omnino interius versus corpus callosum lati, tantum imaginationem & memoriam afficiunt: In somnambulis vero, illorum manipuli quidam exporrecti, φορῶν suam solummodo exterius versus partes motrices dirigunt, interim sensu communi, imaginatione & memoria minime affectis: Mirum est quod Sagis passim accidit, nimirum dum Sopore profundo sepultæ sunt, se loca multum remote adiisse, &c. imaginantur, quia procul dubio Diabolus rerum Ideas phantasiæ illorum objiciet, adóque fortiter imprimit, ut sese illic interfuisse pro certo credant: Econtra Somnambuli totas divagantur ædes, earúmque procinctus, & actiones diversimodas revera perficiunt, quarúmque vigiles facti prorsus ignari sunt. Si hujusmodi passionis ratio inquiritur, hic primo occurrit quod taliter affecti, facultates tum sensitivas tum loco motivas isto tempore libere exercent, quippe non tantum pedes & brachia, velut certis modis & numeris movent, uti solet machina rotis ac elatere instructa: at insuper auribus audiunt, oculis vident, motus locales variant: Quare hinc concludere licebit spiritus quosdam animales, intra cerebri medullium posterius, forsan circa corpora striata inordinate exsuscitatos, nervorum capitella ferire, aliósque deinde spiritus, longa serie intra ductus nerveos, & partes motrices consitos exciere, inque motus prius assuetos ineundos adigere, hinc ut corporis & membrorum lationes diversimodæ producantur: Attamen quia spirituum excitatorum φορὰ tantum exterius tendit, & non omnino interius in corpora striata & callosum reflectitur, proinde ut nec commune sensorium nec imaginatio afficiantur, idcirco agentes nec actiones suas percipiunt nec recordantur. Quod si interrogetur (si quidem sensus communis hoc tempore obtorpescit) quo instinctu spiritus animales juxta sensibilium impressiones, ac motus locales hujus aut illius generis obeundos determinantur? Dicendum erit quod hæc sensus & motus reciprocatio à consuetudine potissimum dependeat, spiritus scilicet hoc aut illo ritu ordinari prius assueti, in somno actionis libertatem nacti, sponte sua ad solitos agendi modos componunt, non secus atque dum citharædus aliquid quippiam meditatur, digiti ejus modulaminis numero prius edocti, fides miro discrimine & agilitate exacte pulsant.

Itaque Somnambulationis causa in eo consistere videtur, quod spiritus animales sint efferi nimis & irrequieti, ut una omnes minime succumbant verum aliqui, cæteris feriantibus, sponte exiliant

ac motum ineant: propterea item quod spiritus ita ad exspatiandum apti, pro excursu suo in medulla oblongata, juxta originem nervosam potius quam in cerebro aut meditullio ejus spatia liberiora obtinent. Videtur enim quod durante somno, pori & meatus in globosa cerebri compage inferciantur, adeout spiritus illic, non secus ac lympha gelu constricta, una omnes arcte compingantur: interim intra medullares cerebri & medullæ oblongatæ processus, qui versus origines nervosas ducunt, substantia laxior & humore adventitio minus occupata existat, ut ibidem spiritus in motum promoti se facile exserant, & nervorum capitella subeuntes, motus locales, quorum sensus communes, & superiores Animæ facultates prorsus ignaræ sunt, producant. Enim vero talis cerebri, ejusque appendicis dispositio, quæ ad Noctuvagationem inclinat, tanquam à peculiari quadam organi conformatione dependeat, quibusdam hominibus à nativitate propria existit, nec quibusvis indifferenter accidit, aut unquam ab inordinata victus ratione contrahitur. Novi in quadam familia ubi & Pater & nati omnes huic affectioni sunt obnoxii, fratres noctu in somnis sæpe per domum discurrere, interdum convenire, ac invicem obviam factos comprehendere adeoque se mutuo exsuscitare: Attamen alii quibus hæc labes haud ab ortu imprimitur, nulla προφάσει, seu manifesta occasione in hunc affectum incidunt. *Willis Tract. de Anima Brut. part. 1. cap. XVI.*

Observatio II.

§. In quodam Incubo aliisque affectibus cephalicis extincto, repertum cerebrum quoad venulas nigricans, & cum pauca materia saniosa in superficie, Et copiosa sanie cum muco in sinistro ventriculo.

Juvenis (de quo Tit. de melancholia) præ supina tristitia continuo suspirans, caput præter morem in sinistrum latus inclinans, paulo ante nocturnis terroribus atque Incubo simul præventus: Paulo post accessit vertigo Epilepsiæ finitima, capitisque & visus debilitas, &c.

Mortui cranio dissecto & separato, prodiit cerebrum, post remotionem duræ meningis, quoad venulas nigricans & lividum, cui in superficie inerrabat materia pauca saniosa cerebro impressa: Dexter ventriculus naturalis, &c. *Lotichius Observ. lib. 4. cap. 4. Observ. 3.*

Hujus affectus Aitiologiam hanc instituit *Excell. Willisius*, Moles ista, *ait, l. c. p. 331.* sive gravamen pectori incumbens revera sentiri videtur, quoniam & cordis & organorum respirationi inservientium motus inhibetur: Etenim corde à motu cessante, aut cum ægrius absolvent, sanguis in sinubus ejus ac in vasis prænominatis stagnans, ibidemque plurimum angustatus, magni quasi ponderis sensus pectoris regionem opprimit, quod item eo gravius videtur, quia una cum corde Pulmones, diaphragma & thoracis musculi, à motibus suis impedita & quasi constricta, magno sese exerendi nixu laborant. At difficilis adhuc quæstio est, Cur motus sive actio præcordiorum supprimitur aut inhibetur? Impossibile videtur hoc à materia organis ipsis impacta fieri, cujus si quidem nonnihil ingens copia pro tot partium remota sufficiat, aliqua saltem alicubi extra paroxysmum appareret: quare potius dicendum videtur partium istarum actiones impediri, quia spirituum animalium influxus supprimitur. Hoc in affectibus spasmodicis crebro fieri experimento Anatomico, scilic. ligatis in cane vivo paris octavi nervorum truncis ostendimus: In affectis autem ab Incubo, spirituum obstructio, neque in ipsis organis, nec in ipsorum nervis excitari videtur: talis enim causa vigilantibus æque ac dormientibus contingens, haud denuo statim mobilis, sed fixa ac permanens esset.

Quamobrem Ephialtis paroxysmum induci putamus, quatenus inter dormiendum, una cum succo nerveo, materies quædam incongrua cerebello instillatur, quæ spiritibus in prima scaturigine torporem inducens, eos mox à functionum suarum muniis paululum cessare cogit, proinde ut ab altero, velut, lethargo intra cerebellum excitato, actiones vitales eclypsim brevem patiantur, qua durante partim à præcordiorum obstrictorum lucta, partimque à sanguine plurimum in iis aggesto & stagnante gravamen illud, ac velut molis incumbentis sensus infertur. Deinde quoniam cæteræ omnes totius corporis facultates à cordis motu dependent, idcirco hoc impedito & suppresso, illæ statim deliquia aut inordinationes subeunt: præsertim vero quia sanguinis in cerebrum, pro spirituum animalium fomite, affluxus interrumpitur, propterea mox horum effluxus in systema nervosum supprimitur; adeout laborantes, dum pectoris molem imaginatiam excutere satagunt, nec corpus nec membrum aliquod movere possint: nimirum quia spirituum (donec sanguinis affluxu destituuntur) irradiatio in partes motrices inhibetur: interim qui in cerebro resident, huic illuc lati phantasmata confusa, & ex molestia à præcordiis impressa, horrenda spectrorum insomnia concipiunt: Incubi paroxysmus cito finitur, quoniam materia raro aut nunquam altius insidens, facile excutitur, aut in sanguinem resorbetur: nam proinde spiritus complexu ejus immunes facti, ac intra solita spacia motus libertatem adepti, functionum suarum exercitia repetunt, quare sanguinis affluxu tunc statim in cerebrum redeunte, mox spirituum emanatio & effluxus, tum in meditullia ejus, tum in genus nervosum, velut lumen de novo accensum restituuntur, unde experrectis, vis motiva redit, atque imaginationis error percipitur. Quod autem in corde & Diaphragmate tremores & vibrationes celerrimæ succedunt, ratio est, quoniam hæc corpora, quamdiu à motibus suis cohibentur exerendi se nixu laborantia quamprimum restituuntur, intra justos limites se continere nequeunt, quia totas vires simul exerentia, & nimis actuosa, debitum officii munus excedunt; non secus ac virga, quæ si aliquandiu flexa detineatur, mox remota vi, impetu quodam se restituens, trepidationis seu vibrationis motum init. Ad hunc modum Ephialtis paroxysmus, quia functionem vitalem, quasi primarium in machina animali

mali elaterem, immediate sistit, illico cæteras omnes facultates cessare, imo totam animam corpoream (plusquam gravior apoplexiæ aut lethargi insultus) nutare, ac velut eclipsin pati cogit. Attamen ab hoc affectu periculum minus imminet, quia materies morbifica è sanguine in cerebelli ambitum suffusa, haud altius penetrare finitur, quippe spiritus, qui istius provinciæ sunt, semper in procinctu ac vigiles, hosti celerrime occurrunt, ejúsque introitum, intermissis licet interea functionis vitalis muniis, fortiter oppugnant: Porro spiritus animales, qui in cerebri ditione sunt, experrectis protinus in cerebello laborantis subsidium convolant: nam Incubo laborantes, si forsan ab ejusdem lecti consorte mox somno excitantur, è paroxysmo citius evadunt. Quanquam autem raro quispiam ab hoc morbo solitario interit, attamen huic crebro obnoxii, siquando aliis affectibus cephalicis, ut Lethargo, Caro, Apoplexia, aut Epilepsia corripientur, longe periculosius decumbent, quia materies morbifica è sanguine in cerebrum suffusa, insuper cerebellum ita prædispositum facile invadet: proinde ut laborantes functionis vitalis, una ac animalis eclypsin passi, in majus vitæ discrimen adducantur: Hinc vulgaris observatio est Ephialte crebra tentari solitos non raro apoplecticos occumbere. Alter Incubi eventus minus periculosus solet esse, quod sæpe in passionem cardiacam, aliásque affectiones pro hypochondriacis vulgo habitas ducit. Novi plures dum juvenes Ephialte, in provectiore deinceps ætate ab ea immunes, cordis tremore, palpitatione, aliísque circa præcordia & hypochondria doloribus & spasmis gravissime afflictos. Commutationis hujus morbidæ causam fuisse putavimus, quod materies morbifica, postquam cerebelli ambitum sæpius obsidere soleret, tandem facta impressione in privatum quendam locum altius penetraverit, & compagem ejus trajiciens, nervis ad præcordia destinatis impacta fuerit.

ANATOMIÆ PRACTICÆ

LIBRI PRIMI

SECTIO VI.

DE VIGILIIS PRÆTER NATURAM.

OBSERVATIO I.

§. *Vigiliæ ob cerebri corticem humore destitutum obortæ.*

GENEROSUS quidam diu valetudinarius, postquam *per quinque fere menses colica*, seu potius arthritide vaga scorbutica atrocissima (in qua non tantum viscera ac lumbi torminibus magnis, sed insuper totius corporis membranæ, ac musculi omnes cruciatibus fere continuis afficerentur) laborasset, atque demum in membris modo spasmos horrendos, modo resolutiones, ac in capite modo Phrenesin, modo insultus quasi apoplecticos aut visus obfuscationem pareretur, tandem viribus attritis, atque *spirituum copiis penitus exhaustis* interibat. Per septem (excepto tantum penultimo) ante obitum dies, quoad sensum & intellectum vegetior fere perpetim *Insomnis* degebat: quin & opiatis, aut blandis, aut fortioribus subinde exhibitis, vis omnino dormitare potuit. Paulo ante hoc Pervigilium, à vesicatorio cervici applicato aquæ quantitas immensa effluxit, & deinceps usque ad mortem quotidie effluebat, hinc ut suspicarer eum Insomnem ideo fuisse propter humorem aqueum à cerebro copiose nimis subductum.

Defuncti capite aperto, cerebri cavitates interiores, sive ventriculi omnes, aqua limpida ad summum impleti & quasi distenti apparebant: Imo circa spinæ summitatem ipse *funis medularis aquis ibidem aggestis* circumdari, & quasi immergi videbatur: Huic ob pulmones multum vitiatos etiam Hydrops pectoris accreverat; Hepar mole ingens maculis ubique albis interspersum & pene exangue apparebat: proinde ut viscerum his culpis sanguinis & succi nervei vitia quodam modo adscribi debuerint.

PEr quinque menses colica, &c.) Pervigilium vel Phrenitidi, maniæ, colicæ, podagræ & similibus symptoma est alteri cuipiam morbo, ut febri, superveniens. Ejusque tunc consideratio

& cura ad affectum illum, cujus proles est, spectat: Vel præterea vigiliæ immodicæ sine alia quavis ægrotatione norabili per se oriundæ, morbus fere solitarius esse videntur. Ita novi quosdam febris aut doloris satis immunes, stomacho valentes, ad negoria satis expeditos, lecto commissos, haud plus somni quam Hesperidum Draconem cepisse; Hujusmodi vigilum nonnulli, somno licet destituti, eo vix carere videntur, nam proinde spiritus nec torpidi, nec defessi, vel exhausti apparent: Verum alii vigilias ægre ferentes, exinde cito languidi & inappetentes facti, necesse habent ad opiatas confugere.

Cerebri cavitates interiores, &c.] Quanquam cerebri inrerioris hydrops, seu ventriculorum ejus inundatio, aut corpora striata vel thalamos opticos comprimendo, paralysin, vel coecitatem: aut nervorum origines vellicando affectiones spasmodicas cieat, attamen Lethargum non à tali causa, sed tantum à cerebro exteriori inundato aut compresso exoriri, ex observatione prædicta evidentissime constar, suspicari enim est Ægrum illum insomnem fuisse propter humorem aqueum à cerebro copiose nimis subductum. *VVillis Tract. de Anima Brut. parte 2. cap. 9. pag. 418.*

Funis medullaris aquis aggestis, &c.] Proculdubio ob hanc rationem in lumbis & membris, ac toto corporis habitu, dolores & spasmi adeo atroces infestabant. Atque propter diluvium in ventriculis, crebris visus offuscationibus & arruum resolutionibus obnoxius fiebat: attamen nullus hinc lethatgus, quin propter aquas à cerebri ambitu per vesicatoria nimis derivatas Pervigilium inducebatur. *Idem ibidem.*

Fere perpetim insomnis.) Vigilia subduplici ratione considerari potest, 1. vel quartenus somno succedit, ejusque terminus est: vel 2. juxta propriam ejus essentiam: Quoad prius, Evigilamus, sive discutitur Somnus, vel quia sponte finitur, vel quia interrumpitur. Ut sponte desinat duo sunt præcipue requisita, nimirum ut Spiritus animales satis refecti, sponte emergant, & ad solitas excubias redeant, quod quidem, nisi impediti, stato tempore utplurimum agunt. 2. Ut humoris serosi, cujus amplexibus ligabantur spiritus, quicquid superfluum est evaporet: namque post epulas lautiores, & crebriora pocula, quibus serosi & spirituosi laticis copia uberior cerebro infertur, diutius obdormimus, adeo somno longe protractiori opus est, Indomitum quod despumare Falernum sufficiat. Interrumpitur verò utplurimum quies à sensatione violenta, scil. spiritus nonnulli, circa nervorum extremitates hospitantes, ab objecti forrioris impulsu expergefacti, alios in communi sensorio exsuscitant, quo sensatio peragitur, & dein ictu ulterius continuato, una omnes velut dato signo in arma vocati, subito evigilant, atque excubiis accinguntur: Ejusmodi sensatio molesta, quæ spiritus animales à somno expergefacit, non tantum à sensibili externo infertur, ut cum sonitus ingens, aut plaga curi inflicta, Soporem excutit, verum aliquando ab humore acri, pharmaco, lumbricis, aliísque affectibus inrerius sitis, partes nervosæ vellicantur, indéque spasmo aut dolore oborto, spiritus in morum coguntur, ut proprerea à somnis excitentur. *Idem parte 1. cap. 16.* Ne tamen hæc spirituum expansio [quæ vigilia est] uspiam ad nimias illorum jacturas diutius quam par est protraharur, Et spiritus subinde defessi flaccescunt, ac velut sponte decumbent, Ac una liquor nerveus in cerebri corticem suffusus, eorum meatus infercit ac occludit: Hinc sequitur vigilias præternaturales à duobus hisce, nempe altero aut simul utroque pendere, Aut enim illi nimis efferi, ac velut œstro periti, haud sponte succumbunt: Aut Liquor nerveus cerebri exrerioris poros non ita implet & obturat, proinde ut spiritus illinc introrsum ad requiem cogantur: utriusque horum typi observandi passim occurrant. Et 1. advertere licet spiritus Animales interdum efferos, ac ira elasticos, aut alias enormes factos, non modo non sedari & quiescere, sed intra propriam emanationis suæ sphæram vix contineri posse, quapropter in Vigilia continua expansi, cerebrum ita implent ac tensum servant, ut succus nerveus, præ foribus licet copiose aggestus, minime admitratur: quod si, ut ipse ingrediatur, spiritus à cerebri cortice introrsum revocentur, statim illic coërciti, vel intra cerebri meditullium tumultuantes, phantasmata mille & sæpe horrenda concitant, quibus somnus arcerur: aut illinc ulterius ὁρμὰς suam in genus nervosum dirigentes, magnas ibidem inordinationes cient, quæ somnum, utut irrepentem & instare visum, continuo abigunt & abrumpunt: Quoad prius, horum sæpe observavi quosdam vigilia affectos, qui somnum, licet oprato ingruentem, inire verebantur, quamprimum enim dormituri oculos clauderent, denuo statim exilientes, confusa phanrasmatum multitudine sese mox adigi ad insaniam clamirabant, proinde ut necesse habuerint somno abstinere. Secundo, Spiritus dum efferatiores facti propter somnum, ab ambitu cerebri versus interiora revocantur quandoque in genus nervosum suas convertunt ὁρμὰς, & tunc, aut in nervos præcordiis aut visceribus destinatos tumultuarie irruentes, in partibus respectivis inordinationes cient, [hinc taliter affectis quoties clausis oculis somnos invitant, aut cordis tremores, subsultus & constrictiones cum spirituum deliquiis, & respiratione impedita: Aut viscerum inflammationes & intumescentiæ, præfocationis sensus aliáque symptomara, pro hystericis vulgo habita, succedunr:) Vel secundo, spiritus ab excubiis vocati, & in genus nervosum conversi, quandoque in spinalem medullam, nervósque exinde in membra quæque exteriora protensos, impetus suos transferunt: quamobrem nonnullis dum lecto commissi somno indulgent, mox in brachiis & cruribus tendinum subsultus & spasmi, tantæque membrorum inquietudines & jactationes succedunt, ut laborantes haud plusquam equuleo rorti dormire possint. Olim pro fœmina Nob. consulebar, quæ interdiu cardialgia & vomitu acerrimo tentari solebat, noctu autem, & somno subinde appropinquare viso, ob affectiones ejusmodi spasmodicas, cum ipso simul invadentes, impediebatur, nec quidem tota nocte dormire potuit, nisi laudano in dosi satis larga prius exhibito: quare medicamentum hoc primo tantum bis in septimana permissum postea quotidie, per tres circirer menses sumebat, nulla exinde noxa aut in cerebro, aut circa aliam quamvis functionem contracta; cúmque ab aliorum inrerea remediorum usu, sanguinis & succi nervosi dyscrasiis emendatis, spiritus animales benigniores mirioresque fierent, illa posthæc opio prorsus relicto, mediocriter dormire potuit. Hujusmodi affectus somnifugi, sive intra cerebri meditulium, sive intra genus nervosum, aut in-

terius

terius aut exterius concitati, omnino à spirituum animalium mala constitutione pendere videntur: nam qui mites, clari & lucidi corpora continentia blande actuare, & influentia benigna irradiare debebant, acres & efferi, ac tanquam effluvia ab aquis stygiis emissa coërceri inhabiles, ea nimis distendunt; voluntatis imperio regi, & à somno sedari recusant, quin uno in loco cohibiti mox in aliis tumultuantur: Talis spirituum animalium constitutio à sanguinis gignentis, & succi nervosi eam foventis & augentis dyscrasiis acidis, & sæpe quasi vitriolicis procedit: Quoniam vero ejusmodi Pervigilia diu tolerari non possunt, ideo imprimis adhiberi debent quæ spiritus demulcent, eorúmque inordinationes blande leniunt. Quod si ii irrequieti blanditiis compesci nolunt, in sedationem vinculis & verberibus quasi inflictis eos cogere oportet: eorum copiæ diminui, simúlque spatia, in quibus liberi & sine tumultu expandantur, dilatari, & ab aliorum humorum sc. sanguinis ac seri infarctibus, expediri debent: In quos fines venæ sectio interdum convenit: Vesicatoria fere semper locum habent: Opiata, si bene conveniant, crebro assumantur, atque interea dum hæc inducias à morbi violentia præbent, hujus causa sedulo aliorum remediorum usu, quantum fieri potest, eradicetur: Quapropter quæ *sanguinis* & *succi nervei* acorem tollunt, eósque dulcedini restituunt de die in diem horis medicis exhibeantur: In quo censu pulveres testaceos, apozemata & aquæ destillatæ alterantes, ex antiscorbuticis temperatis, chalybis præparata mitiora. Spir. c. c. fuliginis & præsertim Tinctura Antimonii. Restat altera Pervigilii species, cujus causa aliqua ex parte, sinon maxima, consistit in pororum sive meatuum in cerebri cortice fere continua apertione, sive nimia dehiscentia; præterquam enim quod spiritus animales acres & nonnihil efferi, sponte sua succumbere & quieti indulgere recusant, insuper iis nulla repagula, aut juga è liquore nerveo cerebri poros subeunte, imponuntur, quin liberi omnique sarcina immunes, illi etiam intra cerebri exteriora spatia ubique vacua expanduntur: quare ob hanc causam pervigiles nullum torporem, aut sincipitis gravitatem, nullum somni appulsum aut desiderium sentiunt. Novi quosdam ad hunc modum affectos, qui cum plures noctes continuas prorsus insomnes degissent, usque tamen alacres & impigri stomacho valentes & ad negotia expediti, somno nondum caruisse videbantur. Hujus causa proculdubio est Sanguis retorridus & atrabilarius, qui cerebro exteriori succum nerveum, non mitem & benignum, sed assatum nimis & particulis adustis refertum suppeditat, qui proinde nec intra poros cerebri diutius manere, nec spiritus animales blande complecti & continere aptus fit: Porro ipsi spiritus ex eo procreati, ex natura sua nimis elastici & irrequieti evadunt, propterea ut nec facile sedentur, nec in soporem sua sponte proclives existant. Cœterum fixiores illi haud prompte avolant, nec cito defatigari flaccescunt, quin longo tempore sine magna refectione perdurant ac vegeti perstant. *Th. Willis Tract. de Anima Brut. part 2. cap. 5.*

Observatio II.

§. Vigiliæ excitatæ à phlegmone meningum, &c.

Juvenis cum per duas septimanas de gravissimo capitis dolore conquestus esset tandem febris aucta & vigiliæ ac mors successere. Calvaria aperta, vasa meningas obducentia, erant sanguine referta: Porro ipsæ membranæ tumore phlegmonode per totum affectæ apparebant. *Vide Tit. de dolore cap.*

Observatio III.

§. Vigiliæ à phlegmone cerebri partis posticæ exortæ.

Juvenis sub cane in gravem capitis dolorem incidit cum vigiliis perpetuis, febre obscura & levissima, &c. Aperta calvaria magna sanguinis nigerrimi, etsi diluti copia effluxit statim: Cerebri tunicæ venulis *nigro torridóque sanguine* turgentibus conspersæ apparuerunt. Pars posterior non solum nigricans, sed & membranæ puniceo colore & gangræna correptæ visæ, &c. *Vide Tit. de cap. Dolore.*

Febre obscura & levissima) Causam affert *Rufus* quod cerebrum solum laboraret, frigidum natura & humidum. Idvero verumne sit jure in dubium revocant Viri gravissimi *Platerus* & *Wepferus*. Revera, si ad magnitudinem & numerum arteriarum, tum ejus substantiam subeuntium, partim superficiem perreptantium: Si morbos calidos, quibus obnoxium est, facilémque caloris susceptionem: Si necessitatem multi sanguinis calorisque ad tot actiones admittendi, rectè id calidum, si non insito, saltem influente calore censebitur. Copia autem excrementorum, quibus redundat, multitudini alimenti ipsi necessarii adscribenda est.

Observatio IV.

§. Vigiliæ ortæ à plenitudine vasorum meningum, nigro sanguine distentorum, Vlcere sub medio ossis sincipitis dextri, Seri copia in ventriculis, &c.

Vir 46. annor. (*de quo Tit. de capitis dolore*) incidit in dolorem sincipitis, quem insequuntur continuæ Vigiliæ, Mortui aperto capite reperio 1. venas arteriásque duræ & piæ meningis turgentes plenásque nigro sanguine: 2. Sub medio ossis sincipitis dextri, ulcus oblon-

oblongum cum sanie crassa & multum flava. 3. In ventriculis anterioribus, ℥XII. seri limpidissimi. 4. Plexus choroideus non nihil erat arrosus & putrefactus.

Observatio V.

§. *Vigiliæ inducta à cranio sphacelato, & ichore putrido sub eo contento.*

Taurini Quæstor (*de quo tit. de cephalalgia*) jam menses aliquot insomnes peregerat ex capitis dolore: Eum secuit N. ubi cranium ad coronalis & sagittalis commissuræ regionem sphacelatum putidúmque invenimus, Et cranio serra aperto abundans ichor putrilaginosus profluxit, &c.

Observatio VI.

§. *Vigiliæ diuturnæ ab abscessu cerebri excitatæ.*

Observavi quendam ex diuturno dolore capitis, longísque Vigiliis afflictum, tandem levi delirio & convulsione correptum periisse: Et aperto cranio inventus fuit abscessus cum pure admodum fœtente & corrupto. *Sebastianus Nastius meth. med. p. 2. quæst. 16.*

Hinc inferendum non semper Lethargum ab apostemate induci, sed tunc præcipue cum non circumscripta margine, sed in omni cerebri substantia humor diffusus putrescit: Vel cum apostema circumscriptum mediam & præcipuam cerebri regionem, in qua arteriosi plexus continentur: occupat, ita ut spiritus omninò opprimantur vel corrumpantur: Cum verò apostema locum circumscriptum habet, & reliquæ partes sunt liberæ, nec spiritus opprimuntur, tunc non sequitur lethargus. *Idem.*

Observatio VII.

Vigiliæ à vasis utriusque meningis sanguine turgidis, Vlcere oblongo sub sincipite dextro, Plexu choroideo nonnihil arroso, &c.

Vir Nob. incidit in dolorem sincipitis, quem insequuntur Vigiliæ continuæ, &c. Illi vasa utriusque meningis sanguine erant turgida; Aderat ulcus oblongum sub medio ossis sincipitis dextri, Plexus chorœideus nonnihil arrosus. *Vide Tit. de cap. dolore.*

Observatio VIII.

Vigiliæ perpetuæ à Pancreatis abscessu latente excitatæ.

Mercator ætate virili & ἄσαρκος, cujus facultates naturales suo probe fungebantur officio, Verum de Somno apud Medicos duntaxat ipse conquerebatur; *Cum enim dormire conabatur*, tum in leipothymiam & totius faciei frigidum sudorem incidebat: Propterea qui tum ipsi aderant Medici, ob stomachum, quem male affectum esse opinantur, hieram Galeni propinarunt, sed frustra & absque ullo commodo, imo verò assumpto pharmaco multo quam antea deterius se habuit: Quare Medici mutarunt sententiam (quia ex juvantibus aut lædentibus non solum noscuntur interni morbi, sed curandi indicationes sumuntur) & ad Cardiaca intus & foris adhibenda confugiunt, ex quibus tamen nullum quoque commodum prorsus percepit: Itaque cum prorsus nihil dormire posset, tandem miser ille interiit.

Post sectum est cadaver, in quo Pancreas, interno salvoque vitæ principio & stomacho, duntaxat repertum est abscessu putrefactum: Unde per somnum spiritibus ab extremis partibus ad sua revocatis principia, tetros malignosque vapores cor ferientes, & forte etiam stomachum efferri excitarique Medici post hac conjectarunt: &c. *Iac. Aubertus progymn. Exerc. 44. ad lib. de abd. Fernelii.*

Pancreas abscessu putrefactum, &c.] Hæc fuit remota & mediata Vigiliarum causa; Ut somnus obrepat tria requiruntur, Cerebri temperies, Animi tranquillitas & suavis Anathymiasis, qualis ab abscessu laborante parte efferri non potuit. Teter vapor inde manans, imo sanies, per ductum patentem à Wirsungo detectum in Pancreate, in duodenum hiantem, prompte ventriculo inferri potuit, lacessitisque ejus orificiis, eximio sensu præditis ob insignes nervorum propagines, & leipothymiam frequentem & perennes Vigilias, ob communionem quæ ventriculo cum Cerebro intercedit, & perpetuum vaporum ascensum parere valuit. Inter affectus quos Pancreas malè constitutum accersere solet, Vigilias recensent *Tulpius* lib. 4. Observ. 32. *Riverius* Pract. l. 13. cap. 4. *Higmorus* in disquisition. Anat. ait in Nobili matrona Epilepsia & convulsionibus frequenter tentata, salva omnia fuisse, præter Pancreas quod ulceratum repertum est: Ex tenore *Sylvianæ* doctrinæ accusanda venit Pancreatici succi excedens aciditas; aut ejusdem vitiosa cum bile effervescentia, Cum constet acidos aut acres suc-

succos Vigiliarum parentes esse.

Ob stomachum quem male affectum) Vel idiopathice, vel per consensum, ut hic à substrato Pancreate abscessu tentato: Excellent. Willesius narrat de sene hypochoodriaco, ipsum inter alia symptomata, eructationi crebræ sonoræ & valde molestæ à pluribus annis obnoxium fuisse: Eructationem istam in Pervigilium permutatam esse, nam affectu eo multo remissius habente Virum illum totas sæpe noctes insomnes traduxisse; Remediorum ope Pervigilio sensim evanescente, Eructationem rediisse. Hinc ut constet, *ait*, utriusque causam eandem fuisse, scil. particulas adustas & irritativas è massa sanguinea modo in ventriculi tunicas, modo in corticalem cerebri partem suffusas.

ANATOMIÆ PRACTICÆ

LIBRI PRIMI

SECTIO VII.

DE PHRENITIDE, PARAPHRENITIDE & DELIRIO.

OBSERVATIO I.

Phrenitidem non gigni à meningum phlegmone, Nec Paraphrenitidem à Septi inflammatione procedere, ex dissectionibus ostenditur.

QUOD spectat ad Phrenitidis & Paraphrenitidis causas conjunctas, facile erit ostendere illam non semper à meningum; Et Hanc, non omnino à Septi inflammatione procedere: In Dissectionibus Anatomicis sæpius vidi meningas, imo nonnunquam & cerebri exteriorem ambitum tumore phlegmonode obsessa: arqui laborantes minime Phrenesi, verum è contra Torpore affecti, à Caro aliisve morbis soporosis interibant.

Nec minus Diaphragmatis inflammationem rejicimus, quam Paraphrenitidis causam *Galenus* olim assignavit; Observationes Anatomicæ hujus oppositum plane evincunt, Olim puellæ leipothymia subita interemptæ cadaver dissecantes, in carnosa Diaphragmatis parte abscessum magnum cum cysti, sanie & vesiculis aquosis impleta reperimus, nectamen illa unquam delirio aut Phrenitide tentari solebat.

Quondam item viri Illustris, à Pleuritide spuria & diuturna defuncti, cum Anatomen faceremus, manifesto liquebat abscessum magnum in pleura & musculis intercostalibus suppuratum ac interius disruptum, puris copiam ingentem in Thoracis cavitatem profudisse, quod Diaphragma substratum corrodens, ingens in eo foramen excuderat: Nec tamen hoc in tota ægritudine sua Phreniticus aut omnino Delirans fuit. Quapropter hunc affectum vix unquam à tali causa produci arbitror.

PHrenitis definitur quod sit Desipientia continua, Seu principum cerebri facultatum depravatio, ab inflammatione meningum orta, cum febre synocha: Huic morbo alter affinis, scilicet Paraphrenitis, vulgò accensetur, ejusque causa non membranarum, quæ ἐγκέφαλον tegunt, sed Diaphragmatis inflammatio statuitur: Porro in utroque affectu [uti etiam in Pleuritide, sed perperam) febris, quasi tantum esset symptomatica, ab eadem conjuncta causa, scil. partis cujusdam phlegmone exoriri perhibetur: Verum enim vero Phrenesim potius febri succedere, & quia sanguis effervescens recrementa sua adusta capiti transfert, produci *Hippocr.* olim, & nunc quisquam vel è plebe observat: in quantum scilicet febricitantis urina, à turbida & crassa in tenuem & aquosam mutata Phrenesim imminentem indicat: cujus idcirco affectus causa exinde colligitur esse materiæ febrilis in cerebrum metastasis.

Quoad Phrenitidem, rem ita habere (scil. ab inflammatione meningum non produci) ratio planè dictitat, nam meninges inflammatæ, eòque magis tumidæ, cerebrum valde comprimerent, & circa ambitum ejus spirituum ductus & vias occludent, proinde ut vigiliæ & memoriæ functionibus impeditis, lethargus (uti de facto liquet) necessario sequatur, longe secus in Phrenesi, cerebri meatus & pori omnes spirituum excursibus ample nimis patere videntur, in quantum scil. ex ultimis, simulque omnibus memoriæ

thecis species reconditæ una suscitantur, quæ sibimet invicem, aliisque à phantasia & sensorio communi tumultuarie suggestis occursantes, motiones adeo multiplices & maximè confusas pariunt. Tantum abest animæ sensitivæ intra ἐγκεφάλε expansionem [quam certe meningum inflammatio efficeret) angustari, ut potius supra modum dilatari, & cerebri poris omnibus reseratis, ultra solitum ambitum efferri videatur: Eveniat forsan à diuturna istius morbi mora sanguinem intra meningum vasa copiosios aggestum, ibidemque stagnantem, demum in iis phlegmonem parere, sed tuoc propterea suspicamur (quoniam ita crebro assolet] Phrenitidem in Carum aut Letbargum transire, à quibus nimirum phrenetici crebro emoriuntur.

Opinio autem Paraphrenitidem à Diaphragmatis inflammatione obotiri, inde nata videtur, quod sæpenumero in vera Phrenitide, ona cum desipientia continua, Diaphragmatis motus impediri aut perverti solet: uti colligere est ex respiratione inæquali & difficili, scil. quasi anhela & modo suspensa, modo crebra & celeriter repetita, cum respiratione interdum duplicata: cujusmodi symptomata, simulque mentis alienatio, dicuntur à septo inflammato, & propterea convulso procedere, quamobrem antiquiores diaphragma φρένας appellabant: Verum istis non opus fuerat si considerassent diapbragmatis actionem omnem à spirituum animalium è cerebello effluxu pendere, & propterea necesse esse, si materia phtenitica cerebellum invadente quædam pars ejus in cerebrum simul irruet, ut præter desipientiam, insuper septi, ex se licet insontis, motus alteretur.

Itaque Phrenitidis ratio formalis in eo consistere videtur, quod spiritus animales, imprimis in toto cerebro, plurimum irritati, in motus inordinatos & valde confusos, simulque impetuosos adigantur: proinde ut functionis cujusque animalis actus depraventur & varie pervertantur, rerum ideæ simul plurimæ à memoria suscitatę, veteres cum novis, aliæque aliis male conjunctæ aut divisæ mire confundantur, phantasmata multiplicia & pene innumera, eáque tantum incongtua imaginatio suggerat. Sensibilium species distortas, duplicatas aut incohærentes, sensorium commune repræsentet: hinc ut mens & voluntas conceptus, & passiones nonnisi ridiculas & impertinentes eliciant, atque corporis actiones fere tantum irregulares edi faciant. Porro non tantum in cerebro, sed etiam in cerebello, & ubique in nervoso genere spiritus velut œstro perciti tumultuantur: quare phrenetici non solum delirè loquuntur, sed inæqualiter respirant, vociferantur, pugnos cedunt, manus & pedes jactant, quin & membra quæque viribus intensis cúmque impetu validissimo exerunt, revera ut tota videatur anima in toto corpore furiosa excandescere & debacchari, seu potius velut incendio correpta inflammari: Et qoidem Phrenitis nullo modo aptius definiri potest, quam quod sit totius animæ sensitivæ; sive spirituum animalium, quoad totam eorum hypostasin, phlogosis sive inflammatio: Incendium hoc à spiritibus cerebri incolis semper incipiens, & exinde in reliquas animæ sensitivę partes emigrans à sanguine igne febrili prius æstuante, tum materiam primo incentivam, tum constans incendii pabulum accipere videtur: Enimvero probabile est sanguinem febriliter ardescentem, particulas interdum sulphureas una cum spirituosis cerebro offundere, quæ semiaccensæ, & quodammodo efflagrantes, si una cum alteris penetrariut, exinde mox omnes ductus medullares & nerveos subeuntes, spiritibus ubique adhærent, eósque adeo inflammatos summe efferos & implacabiles reddunt: Certe verisimilius est Phrenitidem hoc ritu à spirituum phlogosi, potius quam à meningum aut cerebri inflammatione, quæ cephalæam aut letbargum, certius quam furorem (*prout ex cerebri Anatomiis compertum* habui) inferrent excitari.

Et quidem ita fieri haud nostra tantum aut nova prorsus opinio est, verum Hippocratis pręcipuus ille sectator & Interptes optimus *P. Martianus* idem expressis fere verbis statuit, *Vide Scholia ad. cap. sequ.* Ubi manifeste distinguit inter *calorem* & *flammam*, atque istum respectu qualitatis, & hanc respectu substantiæ alterationem esse statuens, Phrenitidis causam spirituum inflammationi plane adscribit.

Spirituum à sanguine in cerebro productionem destillationi chymicæ sæpius comparavi. De qua observare est, si liquor spirituo sulphureus igne nimis intenso urgeatur, eum inter exstillandum quandoqoe ignem concipere, ac efflagrantem cum flamma aperta in alembicum ascendere. Hoc de oleo Terebinth. per se, aut cum floribos sulphuris ebulliente quibusdam magno suo damno satis innotuit. Pariter opinari licet sanguinem intensius ardescentem, etiam spiritus de se exstillatis non raro incendium communicare, scilic. particulas quasdam semiadustas cerebri poris insinuare, qoæ in spirituum ductus omnes, tum ibidem, tum in appendices ejus irruentes, spiritus ubique accendunt atque in motus pernicissimos ac velut fulguratos cogunt.

Quod autem febribus non omnibus, nec tantum maxime ardentibus, Phrenitis, superveniat, ratio est quod cerebri claustra in tantum obserata esse debent, ut non modo iis nihil extraneum suffundatur, sed nec sanguinis, utut summe flagrantis, & circumcirca consiti flamma intensior eo perrumpere valeat: quare nonnullis febre causo affectis etsi cruor totus ardescit, torrentur viscera, æstuant medullæ, linguæ & fauces velut à carbone vivo assantur, usque tamen cerebro firmiter occluso functiones animales fartæ tectæ perstant: Verumè contra alii, quibus cerebrum debilius & nimis laxum est, atque sanguis plus debito sulphureus, non tantum à febre ardente, sed interdum à mitiori visa phrenitici evadunt.

Sanguinis autem prævia diathesis, disponens ad Phrenesin, requiritur, quæ modo simplex modo duplicata existit, Prior est constitutio ejus calida & acris, sive biliosa, nempe quod plurimas in se particulas sulphureas contineat, quæ plus debito in febre accensæ, sanguinem magis efflagrare, atque incendium suum cerebro insinuare aptæ sunt: Dispositio hæc quando potens & summe actuata fuerit, morbum istum per se non raro producit: plerumque vero subest altera sanguinis diathesis, quæ priorem istam adjuvat, & magis efficacem reddit, nempe quod præter particulas sulphureas & inflammabiles, adsunt aliæ asperæ & penetrativæ, quæ videlicet subeunt & aperiunt, adeóque priores facilius introducunt: Hoc corpuscula salina sulphureis conjuncta quodammodo efficiunt: hinc biliosi & melancholici febricitantes, in furorem sunt magis proclives: Attamen longe potentius particulæ beterogeneæ cum sanguini insunt, à febre commotæ, cerebri

ostia

ostia aperiunt & inflammabiles quasque intromittunt: Quapropter variolis & febribus malignis ac pestilentius Phrenesis crebro supervenit.

Requiritur & alter ad Phrenesin apparatus, qui cerebri est, qui partim in istius temperie & conformatione, partimque in spiritnum incolarum indole consistit. Quoad prius, cerebro calido & sicco præditi in Phrenesin maxime proclives reperiuntur; non quod ea constitutio inflammationi sive phlegmoni magis obnoxia sit, (nam ad hanc minus apta est) sed quoniam in tali cerebro, secus ac in calido & humido; vel frigido & sicco, pori & meatus apertiores sunt, & nimis dehiscentes materiæ incentivæ à febre suggestæ aditum præbent. Quæ insuper multo facilius admittentur; si spiritus admodum fugaces & pathetici, levi quavis occasione in tristitiæ, timoris, iræ aut odii passiones apti fuerint; proinde ut materiæ extraneæ incursibus minus obsistant, ipsique incendium promptius concipiant.

Quod autem febribus non omnibus, nec tantum maxime Ardentibus, Phrenitis superveniat, inde est quod cerebri claustra in tantum obserata esse debent, ut non modo iis nihil extraneum suffundatur, sed nec sanguinis, utut summe flagrantis, & circumcirca consiti, flamma intensior ea perrumpere valeat, quare nonnullis febre causo affectis, etsi cruor totus ardescit, torrentur viscera, æstuant medullæ, lingua & fauces velut à carbone vivo assantur, usque tamen Cerebro firmiter occluso functiones animales sartæ tectæ perstant; verum è contra aliquibus cerebrum debilius & nimis laxum est, atque sanguis plus æquo sulphureus, non tantum à febre ardente, sed interdum à mitiori visa Phrenitici evadunt. *Willis de Anima Brutor. part. 2. cap. 10. pag. 428. & seq.*

Observatio II.

Phrenitis à retrocessu humoris biliosi erysipelas in tibia parientis, in pulmones ac cerebri membranas irruentis, in quibus pustulas, &c. excitavit.

Anno 1664. mense majo Tolosæ degens discipulus M. Franc. Prieur Chirurgi, Vicarii Dom. Francisci de Barnouin, Regii Chirurgi primarii, accersitus fuit sanguinem nem missurus juveni Typothetæ Lemovicensi, cui suborum erat erysipelas in tibia dextra, totam partem interiorem, à metatarso ad genu usque obsidens: Legitimum id fuit, solo rubore ad citrinum colorem, citra tumorem, vergente se prodens; comite dolore punctili & insigni partis æstu: Dom. Mulaterius; Doctor. aggregatus Facultat. Tolosan. congrua præscripsit remedia: accedenti vero mulierculæ potiorem fidem adhibuit æger quam med., qui cholagogo eum purgari curaverat; præmissa sanguinis missione, appositis parti affectæ linteis lacti repenti immersis & expressis: medicastra vero usa fotu ex lenticula palustri; umbilico veneris, solano, foliis pruni sylv. malicorio aquæ fabrorum & aceto rosaceo incoctis, frigido actu adhibito, humorem intro repressit, qui illico remisso calore evanuit; at retrocessum diu non impune tulit æger; postridie enim cruris sensus stupidus evasit, affectu altius irrepente, regionemque epigastricam, umbilicalem & hypogastricam simul invadente, nec non thoracis latus dextrum, accedentibus *febre*, leipothymia, nausea: Et quanquam periculum imminens ab ejusmodi fotu patefecissemus, ideo tamen non destitit: hinc remisit quidem omnino affectus; sed in pejorem & lethalem desiturus: Exacto enim triduo intumuit ægri caput, ab occupato membro principe: Successit his ingens *spirandi difficultas*, *sitis* quæ sedari non poterat, ob quam *lingua extra os* perpetuo *exerebatur*: Apertæ fuere venæ brachiorum & pedum: præscriptus litus ex unguent. rosac. albo Rhasis, citrino; Adeo insignis fuit capitis totius cum rubore intumescentia, ut prioris formæ vix ulla superessent vestigia: Postridie discussus tumor, succedente Phrenitide, & die morbi XI. morte.

Juvenis apertum fuit cadaver; anno XXVIII. denati, coram Dom. D. de Quayrats, Primarii Medic. Professoris, & Mulaterio Chirurgo. In imo ventre repertum hepar exiguum, exsuccum, lividum, Intestina vacua & quasi contracta. Thoracis regione aperta, Pleuræ pars dextra pustulis miliaribus obsita deprehensa est, necnon Pulmonum loborum membranæ, ante & retro. Dempto cranio, dura mater similibus pustulis conspersa apparuit, omnino exsucca & arida. Earum quædam dissectæ humorem crassiusculum effuderunt, sebo non adsimilem. Fœtor summus præsertim capitis ulteriorem disquisitionem prohibuit. *Ex communic. Magist. Bailly Chirurgi Genev. peritissimi.*

Erysipelatis curam immit. *Hippocr.* aph. 25. sect. 6. *Erysipelas foris intro verti malum: intus vero foras bonum*: Quasi dicat, (commentator *Heurnius*) In Erysi. non est valide refrigerandum, nam bonis ægrorum rebus fit mutatio intus foras: laudatur enim semper exclusio in partes infirmas ac ignobiles & externas partes: Quare non repelle ubi morbus est malignus, natura debilis, & materia copiosa & acris cum phlegmone viscerum: Ita in pleuritide & peripneumonia non repercutimus materiam, nam repressus intro sanguis auget horum viscerum phlegmonem; Quicquid igitur ex visceribus ad cutem abit non debet retrudi: Excludenda tamen est causa antecedens, interdum phlebotomia & pharmacia, feroque lactis propinato ac julapiis temperandus fervor: Quin topica frigida & humida admovemus, non tam repressionis quam temperationis gratia: Si

causa antecedens non magna subsit, lintea smegmare aqua soluto madentia admovemus optimo successu, maxime si acerrima vel maligna fuerit materia, & si viscus germen morbosum habet, vel si senex fuerit, aliave de causa vires titubarint: Praeclarum remedium est stercus recens bubulum, si in sartagine coquatur cum adjectis floribus chamaemeli & sambuci ut fiat cataplasma, quod tepide admovetur; Ex aceto rosato & ex aqua ranarum coquitur myrrha, & ea aqua admovetur. *De Erysipelatis cura inter caeteros consulendus Sennertus Pract. lib. 5. part. 1. cap. 7. & lib. de Febribus.*

Observatio III.

§. Phrenitis à cerebri inflammatione & membranarum.

PHrenitici biduo extincti caput apertum, in quo cerebrum & membranae cum rubore adeo tumebant, ut venae ab ipsius substantia separari possent. *I. Rhodius Centur. I. Observ.* XXXIX.

Observatio IV.

§. Phrenitis à Pia matris inflammatione illaeso cerebro.

FAbritius Bartholetus mihi fassus est se in plurimis phreniticorum cadaveribus invenisse piam matrem sine omni cerebri noxa inflammatam. *I. Rhodius Obs.* XL. *Cent.* I.

Observatio V.

Phrenitis à durae matris exulceratione, Vasorum ejus plenitudine & Pia, cum Abscessu in cerebello flaccido.

QUidam per biennium conquestus fuerat de dolore in Occipite, tandem hic Phrenitide ac convulsivis motibus correptus subitò interiit. Huic crassa cerebri membrana aliquot locis exesa erat variis foraminibus, idque potissimum in bregmate sub sagittali sutura, ubi ea cum coronali jungitur. Ex iis foraminibus effluebat, & per membranam dictam effusus erat sanguis fermè concretus, ater ac adustus, admodum foetens. Tali quoque sanguine distenta erant vasa per exteriorem crassae meningis superficiem discurrentia, quin & ea quae numerosa per tenuem disseminata sunt. Huic intra cerebellum abscessus humore non naturali scatens repertus fuit: erat is humor colore ex citrino ad pallidum vergens, pallida nimirum bilis. Ipsa cerebelli substantia flaccida omnino molliórque multo quam cerebri substantia. *Petrus Pauwius Observat. Anatom.* VIII.

C*Onvulsivis motibus*) Suscitatis ab ea pallida bile quae abscessum cerebelli fovebat, Aut ab eodem humore qui cerebri membranam aliquot in locis exeserat, Imo Phrenitidem Epilepsiae complicatam vidit *Saxonia* in adolescente, qui Phrenitide captus singulis diebus ac noctibus plusquam trigesies capiebatur Epilepsia, quadesinente statim redibat Phrenitis, qui vixit usque ad 14. cum his symptomatis.

Observatio. VI.

In quodam ab obscura phrenitide extincto repertae sunt venae cerebri varicosae, medulla cerebri siccissima, membranae siccissimae.

ADolescens medio Octobri capite doluit; febris sed ea fallax, cum se febrire non putaret; nulla dum intermissio officii, lex vitae neglecta, dolor tamen *capitis* aggravescebat: Externa accusabantur, ut aetas ad omnia prona: Tandem febris aucta, dolor capitis auctior; febris verè κεφαλικὴ τυφώδης: nihilominus tamen sui negligens ruri modo in urbe fuit, securus omnium tandem lecto affigitur & affligitur: *fallax pulsus, ut in morbis capitis*, urina fallacior, ille febri non respondebat, & in capite secus erat; segnities alvi, nec nisi arte provocata quicquam ex alvo profluebat: aestus viscerum, sed major capitis, oculus ardens, facies rubra, maximè genae: aliquid pulmonicum suspicabamur; *dolor capitis* major ad sinciput: omnia noctu graviora, clamores, jactationes, *deliria* fugacia, indecora corporis compositio, mox ad se reditus: rursus deliria intra verba, somnus profundior ut vix excitaretur: deinde coma vigil, & inaequalis symptomatum mixtura: mox catochus; nisi quod deliratio jugis non foret, mox lethargicum quid, mox typhomaniae species: tandem oculi fixi & rigentes, ut in catoche: obscura phrenitis, blanda, contrectabilis, dextrarum partium rigor revera σπασμώδης & deinde paraplegiacum quid; Siriasin quandam & φλόγωσιν suspicati sumus: difficilis respiratio, qualis peripneumonico; omnia visa sunt mitiora: Convalescendi spes aliqua; morbus variè lusit oppugnatus, sed non expugnatus invaluit, dolores repetunt, omnia in pejus ruere, per dies 40. traxit, mors.

Aperto

Aperto capite venæ quasi varicosæ, tabo & sanguine nigro turgentes videntur: Item observatum in ventriculo medio serum multum: medulla cerebri, quæ mollior & friabilis esse debet, siccior: membranæ siccissimæ, quasi per siriasin & deflagrationem arefactæ & rigentes, vix lacerabantur, vix novacula præcidebantur, acuriei secantis resistentes: imò sectæ crepabant more membranarum arietinarum atque occalescentiam: Pulmonis partes dextræ lateri adhæsu contumaciore, lacerabiles nectebantur plenæ vomicis tabo & pure scatentibus: hæc reliqua ex gravi peripneumonia, quæ anno præterito illum oppressit ac pene consumpsit: Hepar labem conceperat, sed non maximam qualem pulmo: *Ballonius lib. 3. consf. 71.*

M*Embranæ siccissimæ*) Causa interitus & symptomatum fuit illa Siriasis & phlogosis, præsertim membranarum cerebri. In his & in cerebro non tam fuit alteratio quàm alienatio: Et in his fuit quædam hectica intemperies diuturnitate temporis contracta: Accessit pulmonis dextri impuritas, in quo vomicæ erant, veteris tabi & puris reliqui ex peripneumonia: Hippocr. notat ex pulmone quosdam lethargos; cùm afficitur cerebrum tetro vapore, unde marcor cerebri, & marcet æger; necfari potest; ut uno dicam verbo, Typhemaniæ erat potius species quædam, mixtis symptomatis phrenitidis & lethargi; non vera & aperta fuit phrenitis, in qua ad omnem audaciam prompta mens est, sed ob impressam inustamque hecticam cerebro & membranis intemperiem obscuram. Vulgus designat phrenitim ex morsu, clamore, insultibus, involatu, in obvium quemque unguibus, delirio perpetuo, sed alia est sine his manifestis: id quod *Galenus* manifestè expressit in prorrh. Citat locum Hipp. ex Epidem. *Nullus phreniticorum valde insanivit, sed veternosa ad somnum inclinatione gravati peribant*: Et hi phrenitici obscuri vocantur: & id sæpe vulgo ignotum & Medicis: Eos demum vocant phreniticos qui clamant & exiliunt: In obscura virium languor est, & hectica quædam affectio phrenitidis est: Idem contingit quod lanis tinctis quæ colorem non deponunt: ita quidem hæc affectio cerebro impressa hectico modo vix elui potest. *Idem ibidem.*

Dolor capitis, Deliria, Somnius &c.] Symptomata quæ caput exercent, aut sunt Cataphorica cum somno profundo: aut Paraphorica, cum delirio: aut Catarrhoica cum fluxionibus; aut Cephalalgica cum dolore capitis: Tria sustinuit æger, paraphorica, cephalalgica, cataphorica.

Fallax pulsus ut in morbis capitis] Quod in apoplecticis præsertim deprehenditur, quorum pulsus ingruente affectu vix immutatur; qui si concidat, corruentis simul vitalis facultatis cum animali, instantique fati certum indicium præbet. An vero cordis Pulsus à spirituum animalium per nervos influxu ita necessario dependeat, ut eo prohibito cordis actio omninò cesset, disquirit Excell. *Willisius* Anat. cerebri cap. 24. Ac pro decisione experimentum in cane vivo factum affert, Circa jugulum, cute per longum discissa, utrique paris vagi trunco seorsim arrepto, ligatura valde stricta injiciebatur: quo facto statim canis torpescere visus, obmutuit & circa hypochondria motus convulsivos cum magno cordis tremore passus est: verum hoc affectu brevi cessante postea quasi moribundus jacuit, ad motum quemvis impotens ac alimenta quævis oblata respuens, nihilominus vita ejus adhuc perduravit, nec, postquam Nervi isti penitus dissecarentur, statim extinguebatur, quin per plures dies superstes tamdiu vixit, donec fere præ longa inedia viribus sensim attritis enecaretur: Cadavere aperto, sanguis intra cordis ventriculos, & vasa illinc undequaque protensa, scil. tum arterias, tum venas valde coagulatus in grumos concreverat: nimirum proinde quia sanguis, licet pro vita utcunque sustinenda aliquatenus circularetur, maxima tamen ex parte tum in corde tum in vasis stagnaverat: cujus stagnationis causa non alia videtur assignanda, quam quod præcordia, prohibito spirituum animalium influxu, solitus motus deficeret. Quod si ultra inquiratur, unde spiritus animales (præcluso utrinque paris vagi ductu.) cordi adhuc motum ejus perennantes suppeditentur? Ait id fieri posse per nervos Recurrentes; utpote è quorum nodis surculi & fibræ plures cardiacæ prodeunt, atque præterea nervi utriusque extremitas Nervo à superiori plexu dimisso occurrens unitur: Notandum vero quod spiritus animales intra nervorum ductus ultro citrove deferri poterunt: quare; cum vitæ necessitas urget, spirituum penus diminutior licet, è plexu prædicto dimissus, à nervi recurrentis cauda excipitur, ac illinc commeatu retrogrado in ramos cardiacos, & demum in cor ipsum derivatur: Utcunque experimentum illud concludere videtur cordis motum non minus à spiritus animalis, quam à sanguinis influxu pendere: utriusque privatio totalis vitam adimit; atque à sanguinis defectu (quatenus spiritui cordis insito copula sulphurea denegatur) cordis vigor ac vis elastica supprimitur, ut pulsu sensim debilitato vita paulatim extinguatur: Proculdubio in tenore pulsus explorando semper attendi debet qualis ipsi alteratio spirituum animalium & sanguinis vitio inducatur. *Vide plura loco dicto.*

Deliria intra verba) Tremulæ, obscuræ blandæque desipientiæ valde phreniticæ, ut Didymacho in Co obvenit, ut citat. *Hippocr.* 1. Prorrh. *Galenus* in comm. meminit phreniticorum, de quibus loquitur *Hippocr.* 3. Epid. Nullus phreniticorum, *ait*, vehementer insanivit, velut aliis usu venit, sed alia quadam veternosa in somnum inclinatione capite gravati peribant. *Et paulo post.* Phrenitide ex bilioso succo generationem habente, cum is in cerebrum decubuerit, principio quidem qualitate ipsius nondum toti corpori cerebri permixta confusaque, tumultuosæ fiunt desipientiæ: procedente vero tempore simile quippiam contrahitur lanis quæ à tinctoribus appellatis tincturam accipiunt: nempe & hæ vix eluibiles redduntur, non secus atque eæ quæ ab initio colorem habent: Talis igitur cerebri tinctura, desipientiam hecticam habet, atque ob id affectio horum, ac febrium hecticarum prava est.

Observatio VII.

Phrenitis à tumore inflammatorio in substantia cerebri.

Ad invisendum puerum duodecennem accersitus, arteriam in carpo contemplor duram cum pulsu frequenti, & exiguo: ægrum imaginatione laborare deprehendo, continuo delirantem, floccos carpentem, insomnem, immorigerum: cui lingua exusta, fuliginosa, nigra excrementa sicca, dura, pilularum instar: Hunc phrenitide confirmata laborare, eaque exitiali mihi persuasi: nam triduo post, nullis auxiliis aptis proficientibus, migravit è vivis:

Secto capite, contemplatoque cerebro, in ejus medullari substantia repertus est tumor nucis juglandis magnitudine, rubidus, & venis turgentibus sanguine repletus, qui hujus noxæ causa fuit certissima: rupto abscessu, emanavit fœtidus ichor, cochlearis quantitate, & venæ jam ante tumidæ, subsederunt: *Nicol. Fontanus Analector. cap. 1.*

Eo exemplo probat cerebrum posse inflammari, quia venis arteriisque præditum est, & quia nativa temperie calidum est: Objicientibus autem, quo fiat inflammatio requiri ut humor in parte detineatur & circumscribatur, ut diffluri prohibitus putrescat, qui ob tenuitatem à cerebro laxiori cohiberi non potest, sed diffluit: Respondet bilem tametsi sit humorum tenuissimus, tamen acredine sua facile in cerebro laxo, aliquo persistere posse tempore, non obstante hujus laxitate aut mollitie, cum pulmo mollis & spongiosus phlegmoneis quoque sit capax.

Observatio VIII.

§. Phrenitis à verme utramque meningem perforante.

In Anatomia cerebri vermis inventus est, qui piam & duram matrem transfoderat, unde phrenesis generata fuit: *Paracelsus lib. 2. Paramyr. §. 2.*

Observatio IX.

Phrenitis à meningum, præsertim piæ, inflammatione.

Laboraverat juvenis gracilis & siccus Tertiana quadam continua, pravis comitibus symptomatis: imò quotidie sæviens cephalalgiam concitavit, ex retorridis fuliginibus caput ascendentibus: Ob dolorem, accedente etiam vigilia, vaporibus tetris oppletum est caput: quorum copiam multam cùm cerebrum reciperet, factum est ut nono die paraphrenitis invaserit ægrum, ex qua paulatim Phrenitis suborta, & sævis stipata symptomatis superveniet, quæ nullis auxiliis levata est: sed cum pulsu duro, cute arida, *rubentibus squallidisque oculis*, furiosus, amens, inquietus & insomnis, 63. die occubuit.

Disecto cranio, cerebrum sine læsione inventum, sed maculis sanguineis undiquaque resperfum: Meninges, præsertim pia, tumens visa est, sanguine nigriusculo turgens, & eo excessu, ut omnes ejus ramuli, qui per totam cerebri molem disperguntur, aliquatenus apparerent tumidi & accensi: quoniam igneus inflammationis calor, alteratione per continuum facta, imò communicatis fuliginibus, universam tenuis meningis molem inflammat ubertim: *Nic. Fontanus Analect. cap. 2.*

Tertiana quadam continua) Duplex est generationis phren. modus, primariò scilicet vel secundariò affecto cerebro: Si à causa aliqua externa, ut insolatione, meri potu &c. æstum concipiat, sanguis ejus vasis conceptus extra illa in ejus substantiam & meningum effunditur, ubi fit systrophica inflammatio, cujus calor ad cor usque diffunditur, febremque symptomaticam dictam concitat: Quod itidem à vulnere, contusione &c. fieri potest, Phrenitisque hoc modo genita Primaria dicitur: Secundaria autem illa est quæ febribus ardentibus vel malignis succedit, detrusa humoris morbifici ad cerebrum portione: Plerumque enim in talibus contingit, ut natura à causa morbifica lacessita, hujus partem in viscus aliquod extrudat, inde ortus variis in partibus phlegmonum: quæ depositio si ad cerebrum fiat, fit hinc Phrenitis, in qua febris delirium præcedet; Cum in primariis delirium ab initio conspicuum sit: Harum generationem dat Hipp. lib. de affect. *Quæ febres*, inquit, *hyeme sive ex vino, sive ex lassitudine, sive ex quavis alia re oriuntur, diligenter observandæ sunt: interdum enim in acutas transeunt, earumque transitio fit hujusmodi, Agitatis duobus humoribus, tum bile tum pituita, ubi quæ minimè conveniunt corpori admoventur, ipsi in sese collecti in eam corporis partem quamcunque, sors obtulerit, incidunt, fitque phrenitis aut &c.*

Tumens visa est) Admissa sanguinis circulatione, Phrenitis hanc habet generationis viam, Circulatione turbata, æstuosus, biliosis atomis perfusus sanguis, nauseabundo vasorum & ductuum fastidio & vomitu, ejectus in inania spatia circa cerebri substantiam medullarem, aut meningem ipsam investientem, calefacit, inquit *Cous lib. 1. de morb.* totum corpus reliquum & desipit homo, & non sibi constat præ febris copia. *Guern. Rolfinkius Differt. anat. l. 6. cap. 1.* Pars mittens humores est totum corpus, quod potentia superat omnes partes seorsim sumptas, inque cerebrum sabur-

saburram suam exonerare potest: non mirum est humores hos petere summa: magna vis in angustis vasorum meatibus est coactionis, ut unda trudit undam, non solum deorsum, verum etiam sursum; ita etiam sanguis: In circulo non est nesque sursum neque deorsum, ita neque in sanguine circulato: propensio moti biliosi sanguinis non est solum à naturali ad motum inclinatione, verum etiam præternaturali à fermentatione & quadam ejus διαχωρήσει, segregatione. Humores hi non generanrur in cerebro συναθροισμῷ, sed in visceribus confectioni & depurationi sanguinis destinatis, corde nimirum & jecore præcipuè; indeque orta cacochymia, & per ῥευματισμὸν eò promoventur: Impacti iidem ibidem, σάσει ἢ συμπηξει quadam insinuati, συσροφήν convolutionem quandam spirarum instar faciunt, nodosque & crispitudines, exitum non invenientibus per majores arteriolas & ductus, in minores qui influxerant humoribus. *Idem cons. 3. lib. 2.*

Membrana sanguine nigriusculo turgens] Exemplis edoctus Clar. *Bartholinus* asserit membranis cerebri inflammatis, vel spinali medulla sphacelata delirium ortum. *Epist. 86. centur. 3.*

Rubentibus squallentibusq; oculis) Inflammatarum meningum signum: Sed & ex eorum motu incomposito Delirii signa petuntur. Nam sicut [*ait Excellent. & Elegant. Menjotius Dissert. de Delirio*] datur, ἔμβλεψις ἐμφρονώδες, aspectus bene compositus, liquidum tranquillumque animum arguens; sic ὄμματων θράσος est ἀφροσύνης, truculentusque fixus contuitus delirium præenuntiat; ut etiam oculorum ῥιψις, inconstans volubilitas: Nam cum oculi proximi sint cerebro, ac venis arteriis, nervis, membranisque cum eo consociati, solent primi inter sensus ipsi laboranti συνπάσχειν.

Observatio X.

Phrenitis vulnus sequuta, hinc abscessum sub calvaria genitum.

Miles in occipitio vulneratus moritur: Aderat rima & depressio solius laminæ internæ cranii: hinc ortus *abscessus sub calvaria*, qui introduxit Phrenitidem. *Vide lib. 4. Tit. de Vulneribus.*

Abscessus ex vulnere aut contusione capitis genitus sequentibus signis dignoscitur: Post acceptam contusionem Torpor quidam & mœstitia apparet, animalibus spiritibus à materia extravasata labefactari incipientibus: Morbo invalescente febricula exoritur, materia putrescere incipiente; His capitis dolor succedit & somnolentia: mox aucta putredine omnia symptomata ingravescunt; febris intensior evadit, æger è profundiori somno emergens subito vociferatur & surgit è lecto, statimque iterum decumbit: frequenter manum ad caput adducit: Ex his plerique ante obitum purulentam materiam & virescentem ore aut naribus rejiciunt. *Riverius Pract. lib. 1. cap. 12.*

Abscessus sub calvaria) De abscessu hypocranio vide sectionem 1. Observ. 55.

Observatio XI.

Paraphrenitis ab inflammata dura meninge, plexu choroideo, Ichore inter meninges & cerebrum.

Amedeus N. post varios morbos tandem aucta febre, cum paraphrenitide extinctus est. Dura mater erat inflammata; Inter meninges & cerebrum ichor multus: Plexus choroides inflammatus. *Vide lib. 3. tit. de Cachexia, ex Hildano.*

Paraphrenitide extinctus est) Cur non potius Phrenitide, ad cujus ὕπαρξιν meningum inflammatio requiritur, quæ hoc in casu adfuit? An quia tumultuosum non fuit delirium, cum excandescentia, paraphrenitidis nomine donavit? At in homine viribus jam fracto à præcedentibus ægritudinibus, non potuit vehemens ille impetus, qui in cæteris adest phreneticis, quos morbus ab initio adoritur, observari.

Observatio XII.

§. *Phrenitis ab abscessu sub cranio latente, putredine meningum & particulæ substantiæ cerebri.*

Agricola, cujus caput diu Solis radii verberaverant, (*vide tit. de dolore cap.*) primo dolore capitis, febre &c. affectus fuit, die 5. accessit *phrenitis*: Paulo ante obitum per os, narem & aurem dexteras pus fœtidissimum effluxit: Dempto cranio in conspectum venit Tumor avellanæ magnitudine, qui apertus pus effudit fœtidissimum viridantis coloris: Dura & pia mater putredine affectæ erant: Substantia cerebri labem passa erat, quæ fœtidissima, à me resecta ad usque ventriculum anteriorem dextrum: Doloris sedes vix assis Gallici magnitudinem æquabat.

Die 5. accessit Phrenitis) Cerebrum vel primario afficitur, cum immediate à causa aliqua procatarctica incalescit; vel secundario cum febribus ardentibus vel malignis Phrenitis succedit; usu enim venit ut natura à causa morbifica lacessita, illius portionem in viscus aliquod excutiat, hinc peripneumonia, anginæ, hepatitides &c. *Vide Hippocr. lib. de Affectionibus.*

Observatio XIII.

§. In Phrenitici cerebro nullæ phlegmones notæ repertæ.

EGo, Phreniticum jam phanaticum redditum, qui septem diebus μανικὸν ἢ τεχνικὸν intuens quosvis invadebat; à fatis secui, Nec ullam unquam phlegmones deprehendere potui. *Heurnius de morbis pector. cap. 1.*

SEptem diebus &c.) Phrenitidem vocat Hippocrat. Delirium cum febre continuum, ab inflammatione earum partium quæ rationi & menti inserviunt, ita enim spiritus animales, quorum vitio deliria fiunt, non simpliciter modo incalescunt, sed & secundum substantiam alterantur: hinc fit ut Delirium sit continuum in phrenitide, substantiæ enim spirituum vitium ex fervoris remissione, aut aliqua re adveniente emendari non potest: Quod perpendens Hippocr. Phrenitidis causam in sanguinem vitiosum retulit, quo existente impuro, perfectam spirituum animalium generationem fieri est impossibile: (1. de morb. f. 2. v. 277.) Cùm igitur ad Phrenit. generationem spirituum animalium substantiam & temperiem vitiati sit necesse, merito dictum hanc ab inflammatione earum partium pendere quæ menti & rationi serviunt:. Inflammatio enim putredinem supponit, quæ spirituum substantiam & temperiem alterare prompte valet: Menti verò inserviunt, Jecur, septum transversum, cor & cerebrum: *Jecur*, quia materiam generationi spiritus vitalis subministrat, ex quo animales spiritus animæ instrumenta generantur: *Septum*, quod flabelli instar cordis & spiritus vitalis fervorem temperat; & cerebrum facultatis animalis sedes: De *Jecore*, 4. Epid. v. 348. legimus, Quibus in dextris distensio sub mollis, Phrenitici fiunt: Et de hac phrenitide specialiter tractavit lib. de affect. v. 92. A septo transverso phrenit. excitari, in *Hippocr.* doctrina adeo frequens est, ut hanc solam Phrenit. causam agnovisse visus sit: Cerebro inflammato eam fieri certum est: Phrenit. cordis inflammationem sequentis nullus mentionem facit, quia mors eam occupat: Quoties autem hepar inflammatione corripitur, ea tãta esse debet ut totum viscus occupet, & præsertim vasa omnia per illud disseminata: Cum enim pars aliqua ab inflammatione libera est, sanguis in parte non læsa genitus, purus existens, spiritus vitalis materia evadit: Cor enim optimum ad se trahit, unde spiritus puri generantur, quo casu nulla mentis læsio contingit: hinc non omnes inflammatione hepatis detenti Phrenetici fiunt *Pr. Martianus comm. in lib. 3. de morb. v. 99.*

Nec ullum phlegmones vestigium) Scil. in cerebro & membranis: quæ potuit esse vel in diaphragmate vel Jecore, aut etiam corde, juxta Martianum: Ob oculos autem habeat Medicus *Ballonii* cautionem cons. 71. l. 3. traditam: Sæpe *ait*, capita hominum morbo capitis consumptorum aperta sunt, in quibus nihil commemorabile repertum est quod mortem intentasset, cùm alioquin Medicus aut abscessum, aut simile quid repertum iri pronuntiasset: spes augurantium ipsa inspectio fefellit, & eorum fiducia, & expectatio in stuporem vertit, ac si cum ipsa anima mortis occasio evolasset.

Uterque ventriculus aqua &c.) Ex absentia inflammationis meningum, confirmari potest sententia *Paracelsi*, qui Phrenitidis causam propinquam & præcipuam deducit ex sublimatione mercurii: Generationis modum lib. 1. paramyron de orig. membr. cap. 4. pluribus proponit; Mercurius iste ab alio quopiam (necessario aliquid extrinsece assumit) sublimatur seu elevatur, & primo quidem calore virtutis digestivæ, quæ accidentalis est, prævalente, eumque ex inferioribus partibus propellente: deinde calore exercitii 3. calore astrorum: postquam verò mercurius diu fuerit motus, adeoque subtilis effectus ut in suum ascendat gradum, tunc depellitur suo Astro [quæ depulsio corporis est morbus & morborum omnium principium) tunc nequitiam suam exercet & præparatione istiusmodi adeo fit subtilis, ut nemo ipsi possit resistere ob vim internæ naturæ: sulphur & sal non possunt ipsum coercere ob vehementissimum calorem qui repellit hæc duo. Hinc collige phrenitidem Paracelso esse morbum mercurialem in liquoribus existentem, & quidem sublimationem, quæ fit à calore interno vel externo. *Petræus Nosologia p. 28.*

Plexus Choroidis vasa &c.) Idem lib. 1. de Virib. membr. spir. c. 3. Phrenesim & maniam generari ait ex oppilatione spiritus vitæ, quando nempe meatus per quos spiritus vitæ ad cerebrum transit, obstruuntur, tunc oritur putrefactio & exulceratio; & cum jamjam spiritus suffocatio & mortificatio adest, tunc totum corpus febrili paroxysmo percutitur:

Observatio XIV.

§. Phrenitis ab aqua cærulea cerebri ventriculos replente, à qua sinister exesus erat.

JUvenis anno 1583. Phrenitide xvij. die perierat; Hunc secuit Matthias Grabisgadius Medicus Germanus: Inventi cerebri ventriculi aqua pleni cærulea, Ab hac sinister ventriculus exesus erat, acerrima enim inventa est: *Observatio Nereti Neretii Medici Florentini.*

CErebri ventriculi aqua cærulea pleni &c.] Causa hujus morbi ex Parac. est Mercurialis liquor: absque humore igitur morbus hic non fit: humor ille calidus est, subtilis, acer, pungens, bilis dictus: Neque intellige humorem biliosum, qua solum calidus est & siccus, nudas nempe qua-

qualitates primas, sed talem substantiam quæ in sese habet δυνάμιν, μεγάλην ἰσχὺν & impressionem validam, quæ ubi ad ἀκεστήρια pervenit & a reliquis secreta fuit, κακοπαθέει ἄνθρωπον, ut Hipp. loquitur: Secretio autem fit & divortium, cùm vel quantitate cæteros humores nimium excedit, vel à calore p.n. nimis exsiccatur & aduritur, unde partibus benignioribus, quarum humiditate temperabatur, exhaustis, acrior, amarior & corrosiva magis reddita, cerebrum in similem intemperiem abripit & morsu quodam vellicat. *Petrus Nosol. p. 29.*

Acerrima inventa est) Vt in externo Mercurio sublimatio sine salium administratione, à quibus illam acrimoniam & corrosione cōtrahit, peragi nequit, ita in interni elevatione concurrunt Salia corrosiva, quæ partes mēbranosas rodūnt, & atroces dolores inferunt, licet ob mentis ægritudinem non sentiantur. *Vide Petræum Nosolog. Harmon: part. 1. cap. 2.*

OBSERVATIO XV.

Phrenitici cadaver exhibuit Diaphragma gravi inflammatione correptum; Hepatisque partem inferiorem, Cum Polypo in sinu longitudinali duræ meningis.

DEc. 11. 1674. aperui cadaver defuncti Phrenitici: Diaphragma gravi inflammatione correptum notabatur; similiter ac hepatis pars inferior: In sinu meningis duræ longitudinali, materia continebatur alba, tenacissima; quæ non tantum sinum ipsum videbatur replere; sed & ad omnes sinus hujus rivulos, meningem tenuem pererrantes se extendebat; sic ut quoties stylo digitove traheretur materia hæc sinu dicto hærens; eadem ad aliquot digitorum longitudinem se extendens moveretur: fibrosa maxime erat, & in filamenta plurima separabilis, non tantum quæ sinu detinebatur, sed & quæ sinus hujus ad anfractus cerebri excurrentibus propaginibus: Exacte satis hæc cognoscere licebat, quoties elevata substantia ea quæ in sinu hærebat; funiculorum ab ea ad sinus dictos rivulos extensorum unum alterumvé lenta manu extraheremus: Phreniticus hic quod motu convulsivo obierit, valde probabile mihi faciebat digitorum utriusque manus; brachiorumvé contracturæ graves, quales in demortuis aliis haud notari solent. *D. Blasius Observ. med. 2. p. 6.*

DE Phrenitide exorta ab inflammatione diaphragmatis, Jecoris, aliarumvé partium naturalium, vide Notas ad Observat. 13.

* Quomodo Deliria per consensum oriantur, explicat celeberr. *Wepferus lib. de Cicuta aquat. p. 126.* Retia, *inquit*, vere mirabilia intra anfractus cerebri humani; & inter lamellas cerebelli, surculos profunde intra cerebrum & cerebellum demittentia; item rami arteriosi medullosam ventriculorum superficiem ac corpus callosum perreptantes, & quoque surculos emittentes, qui profundius se immergunt; facile fidem faciunt aditum patere humoribus pravis etiam succis cicuta, opio, hyoscyamo &c. impregnatis ad intima cerebri & cerebelli, ibique suam vim exserere posse; nec vias occultas, aut nescio quas rimas; solis vaporibus aut flatibus pervias excogitandas esse: *Huc refer Scholion ad Observ. 13.*

OBSERVATIO XVI.

§. Phrenitis absque inflammatione cerebri & membranarum ejus, ab aqueo & pituitoso humore in pluribus partibus cerebri;

ANno 1567. mense Augusto, Mulier ex ingenti animi mœrore, febri ardenti cum capitis dolore, cui postea Phrenesis supervenit, correpta, vulgus duxit Hungaricum illum morbum fuisse: Signa omnia attestabantur hanc *Phr. ex sanguine fuisse*, ridebat, jocabatur, cantabat, omnibusque gestibusque hilaritatem exhibebat: interim ad interrogata responsum dedit, aliquando non; frequenter manum capiti, tanquam istic dolorem persentisceret, admovebat: Tempestivè fuit levibus medicamentis purgata & vena secta; sanguis erat majori ex parte pituitosus, crudus & serosus: tandem resipuit & paulò post obiit.

Aperui caput: dum serra cranium removebam, effluxit aqua loturæ carnium similis: Tenuis membranæ & *plexus choroidis vasa aquoso & pituitoso sanguine turgebant: uterque ventriculus*, tam dexter quàm sinister, plenus aqua fuit inventus: *Nullam nec in membranis*, nec in cerebri substantia deprehendere quivi *inflammationem*: Ex sinibus duræ membranæ cerebri, ut aliasex suspendio enecatorum cerebris, extraxi fibras, seu filamenta crassa, lumbricis non dissimilia, ex alba pituita conflata; Similes sumpsi ex cordis uentriculis. *Volch. Coiter. lib. observat. Anatom.*

P *Hrenitidem ex sanguine fuisse)* Deliria sunt vel μετὰ γέλωτος cum risu; vel μετὰ σκέψιος, cum studio qualia artificum, tanquam apud se essent, de arte sua differentium: Illa à sanguine excalefacto, hæc à bile oriuntur, suntq; in meditullio posita desipientiarum festivarum atque ferocium, ab atrabile originem ducentiū, per quas ęgri notos ignotosq; adoriuntur: Sanguis autē estγελωτοποιὸς, gemina m risus causam, gaudiū scil. & admirationem accersendo: Gaudium quod attinet, à splendore sanguinis excalefacti spiritus redduntur lucidiores, unde instante hæmorrhagia λαμπηδόνες πυκναὶ καὶ πυρώδεες, scintillarum micæ, ac igoei circuli oculis offeruntur, auctoque spirituum fulgore

fulgore conciliatur hilaritas: Admiratio vero ignorantiam ſequitur: ac licet objectum delirii in ſe novum non ſit neque inſuetum, à mente ramen depravata velut inſolens apprehenditur. *Menjotius Diſſertatione de Paraphroſyne.*

OBSERVATIO XVII.

§. *Phrenitis abſque febre, cum inflammatione cerebri & meningum.*

AVicennas & Rhazes nobis deſcribunt quandam Phrenitidem veræ ſimilem, tamen *abſque febre*, atque adeo ſine apoſtemate, cœteris autem ſimilem inflammationi meningis: In hac, inquiunt, ſtringitur ipſius anhelitus, & *ſitis* ejus, & cum bibit aquam, ſtrangulatur ea, & expellit ipſam, & plures mortes ipſorum ſunt cum ſtrangulatione &c. Dices, non eſt hæc phrenitis idiopathica, quia ſine febre & apoſtemate, ſed tantum ſimilis in multis accidentibus? fateor, verùm eadem ratione, imo majori, poteſt id contingere in ea vera Phreniride quæ fit cum febre & apoſtemate, ſi ſit maligna & ferina, ut ex bile acerrima & quaſi venenoſa, ut aliquando accidit, imò in pleriſque: Et poſſum ego ſanctè hoc affirmare; vidiſſe in Medicinæ praxi aliquos Phreniticos, qui ſtatim 2. aut 3. die hæc ſymptomata paſſi ſunt uſque ad mortem, quorum unum memini me præſente diſſectum, qui ex phrenitide notha & remiſſa incidit in paralyſim & apoplexiam, ex quibus periit. Et inventa eſt meninx purulenta, & medullæ cerebri exterior pars vicina inflammata, partim ex rubro nigricans, partim purulenta: Alios aliquos omnia idiopathica Phrenitidis ſigna habuiſſe, qui idem paſſi ſunt quod diximus: nulla tamen inflammati diaphragmatis aut anginæ primariæ experti ſunt: Ejuſmodi affectus, aut phrenitis idiopathica, cui ſimilis eſt, neceſſario habet *ſpiritum parvum & frequentem*, ob neceſſitatem ventilationis, atque adeo vocem acutam quæ prius non fuerit: Quare ſpiritus, parvus, frequens, ac vox acuta non ſunt tecmerium inflammationis diaphragmatis, (quod vult Laurentius) ſed communia Phrenitidi idiopathicæ. *Theodorus Collado Adverſar. lib. 1. cap. 20. §. 56.*

S*Piritum parvum & frequentem.*) Delirantium reſpirationem exponam: hi ſunt negligentes ſui, nec eorum voluntas ante ſeſe erigit ad functionem, quam acrior ſenſio excitata fuerit in phantaſia per incrementum neceſſitatis: unde nonniſi impendente ſuffocationis metu reſpirant: hujuſque reſpirationis raritas magnitudine compenſatur, natura intermiſſionis diſpendium reſarciente: quod enim intenta alibi mens opus reſpirationis rarius exequatur, irati monſtrant & mœrentes, & idiotæ ad ſpectacula ſuſpenſi, & amantes, quorum ſpiritus gemebundus eſt: Notandum autem non omni deliranti πνεῦμα ineſſe μέγα ἢ διὰ παντὸς, ſed κατ' τ' ὑπόθεσιν, nimirum ſi magna fuerit exſpatiantis mentis μετεωρεία, visque movens robuſta fuerit, cum obedientia organorum ſpirabilium, poteſt namque tam parva eſſe mentis pauliſper læſæ digreſſio, ut reſpiratio indelibata maneat: poteſt quoque alia affectio delirio complicari, quæ ipſo potentior ſit ad pervertendum reſpirandi ordinem, ut virium jactura, & dolor anguſtiave in membris ſpiritalibus: his namque de cauſis cum pectus ſufficienter diſtendi non poſſit, crebritas adjungitur, quæ magnitudinis defectum ſuppleat. Itaque vigente ſolo delirio, ſpiritus magnus eſt atque rarus: urgente ſolo dolore partium thoracicarum, parva & frequens eſt reſpiratio: delirio & affectu dolorifico ſimul concurrentibus, ſpiratio inæqualis redditur, nunc magna & rara, nunc parva & frequens, pro alterutrius cauſæ dominio: quamobrem in libris Epidemicis multi ægri deſipuiſſe leguntur, qui tamen ſpiritum magnum & ex longo intervallo non duxerunt. *Menjotius Diſſ. de Paraphroſ.*

Sitis adſtringitur &c.) I. e. ajunt interpretes, non poteſt ſedari, quia nequit deglutire aquam ob impedimentum ſtrangulationis vel ſpaſmi fortis in ſpiritualibus: tanta eſt neceſſitas ſpirationis crebræ, ut nequeat tandiu retinere ſpiritum dum aquam deglutiat, ſed ſtatim ab aëre ſurſum expellitur, & exit per os & nares & ſpumoſa, etſi valde ſitiat ob vehementiam ariditatis cerebri & gutturis: Hic ergo aderit etiam vox acuta ob ſiccitatem & anguſtiam.

Abſque febre) Capitalem adfuiſſe veriſimile eſt, de qua vide l. de febr. c. 1.

OBSERVATIO XVIII.

Phrenitis ab inflammatione meningum, cui ſucceſſit earum ſyderatio.

QUidam ſæpius in dies ebrius, cum vino ſe ſaburraſſet, cephalalgia corripitur cum omnium ſenſuum dejectione: cum viderem ipſum aſſidue exilientem, corpus, manus pedesque maxime jactantem: nec verbulum, etſi aciculis premeretur, proferentem, dico videri mihi *ſphacelo cerebri* correptum &c. Mortui invenimus meningas valde lividas omninoque ſyderatas &c. *Vide Tit. de Capitis dolore.*

S*Phacelo cerebri*) A paucis authoribus deſcribitur, licet ab Hippocr. annotatus ſit lib. 3. de morbis: Eſt autem ſubſtantiæ cerebri ſuppuratio vel corruptio, quæ gangræna vel ſyderatio ejuſdē nominatur: cauſa immediata eſt cerebri ſubſtantiæ inflammatio, quæ tamen à Phrenitide diſtinguitur quod in hac membranæ potiſſimum inflammantur, & ab iis inflammatio parti tantum exteriori & contiguæ communicatur: In hac vero inflammatio partes cerebri interiores, ac totam propemodum illius ſubſtantiam occupat: Magna autem illa inflammatio, in parte humidiſſima

ma & mollissima brevi sphacelum accersit: Inflammationis causa est sanguis supercalefactus, vel admodum biliosus, in cerebri corpus & partes ejus intimas affatim irruens: Causæ procatarcticæ sunt quæ sanguinem calidum copiosum in toto corpore cumulare & ad caput transferre valent; [præsertim meri potus) sed frequentius vulnera capitis gravia & contusiones: Hinc tamen genius abscessus & sphacelus à priori differt, quod in hoc tot cerebri partes ut plurimum non occupat, sed uni præcipue adhæret; unde symptomata leviora, saltem ab initio esse solent, & affectus ad plures dies prorogatur: *Signa* Abscessus & sphaceli, sine vulnere aut contusione producti, ita se habent: Invadeote affectu ingens capitis adest dolor, qui per occiput collo & universæ spinæ communicatur, cui mox succedit sensuum omnium tum internorum tum externorum abolitio: Variis motibus & inordinatis sese ægri exagitant, ut vix uno in loco contineri queat: manibus interdum partes superiores invadunt, easque divellere ac dilaniare conantur; faciem unguibus dilacerant, crines avellunt, ac procedente morbo corpus languescit & ad motum impotens efficitur: *febris* acutissima est ab ingenti inflammatione: Ægri neque cibum neque potum admittunt, & vix aliquid in stomachum intromitti potest, unde citior virium exolutio. Abscessus ex vulnere & contusione signa vide supra *Obs.* 10. *Riverius Prax. lib.* 1. *cap.* 12.

OBSERVATIO XIX.

§. *Delirium à vasis meningum sanguine turgentibus, Cerebri substantia aqua madida, &c.*

Puella febre tentata Delirè loquuta est de sua veste in aquas delapsa querebatur &c. Mortuæ aperto capite, vasa meningas perreptantia sanguine plurimum turgescere conspiciebantur, quasi vero tota cruoris massa in capite aggereretur: Membranæ, ubi cerebellum investiunt ac à cerebro dirimunt, sanguine extravasato suffusæ: Cerebri substantia prorsus madida humore aquoso irrigata &c. *Vide Titul. de Convulsionibus. Willis Parthol. cerebri.*

Delirium excitatur in quantum spiritus animales, aut nimis irritati, aut in confusionem acti, huc illuc intra globosam cerebri compagem (ubi phantasiæ & memoriæ sedes habetur) ἀτάκτως & tumultuose efferuntur: Ita namque dum variæ imaginationis & memoriæ species simul excitatæ invicem confunduntur, phantasmata tantum absurda & incongrua animæ rationali objiciuntur, & proinde tum intellectus, tum voluntatis actus solummodo inordinate eliciontur: Porro, quemadmodum hi intra cerebri meditullium, sive corpus callosum, tali œstro perciti, cogitationes multiplices & valde perturbatas cient, ita dum extra hujus confinia in originem nervosam feruntur, loquelam incongruam, corporis & membrorum gestus absurdos, & non raro motus convulsivos producunt: Si quidem vero talis spirituum orgasmus (secus ac in phreoesi aut mania) statim defervescit, & à tumultu istorum peracto nulli tractus devii in cerebro cuduntur, Delirium citò pertransit, & affecti iterum mox animo constant, sine relictis desipientiæ vestigiis.

Sanguine plurimum turgescere &c.] Quod si inquiritur unde hic furor brevis spiritibus cerebri incolis imprimitur; ut excussis animi habenis ita in œconomia sua omnia susque deque habeant; dicimus eos dupliciratione hujusmodi inordinationem concipere: nempe œstrum hoc, aut è *sanguine* cerebri compagem perfluente iis immediate confertur; aut spiritus quidam animales exterius, intra nervosum genus degentes, ἀταξίαν quandam primo ineunt: dein eadem cerebro per ductus nerveos communicata, spiritus ibidem hospitaotes pariter afficiens in delirium ciet: Utriusque horum variæ sunt species & causæ, quarum præcipuas breviter hic attingemus; & 1. ostendetur, quomodo & ob quas προφάσεις sanguis aut nimia effervescentia tumidus, aut materia venenata prægnans, quatenus vel particulas efferas & indomitas, vel malignas & regimini animali infestas cerebri poris & meatibus insinuat, Delirii pareos existit.

Quoad prius, In febrium intermittentiū paroxysmis & continuarum ἀκμῇ, sanguis incendio immodico effervescens interdum mero ebullitioois suæ impetu delirium concitat, in quantū scil. iste plurimum turgescens, dum exiles arteriarum propagines per cerebri exteriorem ambitum ubiq; diffusas pertransit, eas valde inflat & distendit; proindeque cerebri substantiam comprimens, spiritus valde impellit & quasi in turbas valde confusas cogit: Porro è sanguine cum spumosa rarefactione ita turgescente, caloris effluvia, cumque iis particulæ heterogeneæ, cerebri poros & meatos subeuntia, spiritus exagitant, & huc illuc tumultuariè corripiunt: 2. Propter similem fere huic rationem Ebrietas aut altum soporem, aut Delirium infert, in quantum scil. massæ sanguineæ spirituosas vini particulas (à quibus effervescit) in cerebri poros & meatus insinuat, à quibus spiritus ibi hospitantes aut plane obtuuntur, aut in motus inordinatos & confusos aguntur: Quippe indomita vini aut cerevisiæ uberius epotæ corpuscula, cerebri cujusvis, utut firmi & sani; claustra reserant, atque altius in ductus medullares penetrantia, & rationis & imaginationis actus perturbant & plane evertuot: 3. Nec tantum sanguis particulas febriles & turgidas, aut vinosas & indomitas, sed interdum malignas & quasi venenosas regimini animali suggerens, cum, vel sine febre Deliriū ciet: Quoad prius, in peste, variolis, febribus malignis [etiamsi calor moderate habeat) materies maligna ad cerebrum translata, quatenus spirituum copias dissipat (potius quam quod eos in tumultum adigit) notiones abruptas, incohærentes & tandem distractas parit: 4. Ob parem huic rationem Toxica quædam & venena intus sumpta, ac (or nonoulli asserunt) exterius applicata delirium cito accersunt: Hoc de solano furioso, mandragora & radicibus pastinacæ sylvestris vulgo fertur, Verum in super advertimus, Delirium à spirituum animalium penuria & dissipatione magna nonnunquam excitari: quippe illorum series abruptæ, & ab invicem distractæ, non secus ac tumultuarie conglobatæ, notiones confusas & incongruas suggerunt: Hinc observare est quosdam à ma-

gnis hæmorrhagiis, aut longis vigiliis & diuturna inedia delirasse: propter hanc rationem plures moribundi delire & incongrue loqui solent.

Restat altera Delirii species, in qua sanguine insonte, spiritus animales alicubi in Nervoso genere scatentes, primo ἀταξίαν subeunt, dein eadem affectio per ductus nerveos ad cerebrum perreptans, spiritus meditullii ejus incolas in Delirium ciet; Hoc satis obvium est in passionibus quæ dicuntur Hystericæ, nempe post ventris intumescentiam & cordis oppressionem, demum modo ἀναισθησίαν, modo fabulationem absurdam cum risu & fletu succedere: Pariter in colica atroci observavi interdum immanes, circa viscera aut lumbos cruciatus, mox in delirium cessisse, deinde paulo postea hoc cessante, tormina rediisse: Huc etiam facit quod sæpius adverti, à gangræna in membro quodam externo incipiente Delirium accieri; Atque hoc pro signo lethali in vulnere aut ulcere passim habetur, quia denotat spiritus animales in parte affecta internecioni datos. *Idem Tract. de Anima Brutorum part. 2. cap.10.*

Observatio XX.

Paraphrenitis à vasis cerebri sanguine turgentibus nigro, ut & cordis: Bile multa in cystide &c.

AUriga ex febre ardente quasi furibundus obiit: Ventriculus erat plenus humore ex viridi nigricante; E cysti fellea exsudabat bilis crocea, vicinas partes corradens: vasa cerebri turgebant sanguine nigricante; E corde dissecto idem dimanabat. *Vide de Febr. l.4.*

Observatio XXI.

§. Delirium occultum ab apostemate cerebri in Sphacelismum abeunte.

PUer in lethargum gravissimum incidit: nihil loquebatur, quamvis subinde garrire videretur, mussitando quæ nemo intelligebat &c. Hæc cum vidissem, puerum abscessum una cum sphacelo in parte dextra cerebri habere pronuntiavi: Cranii osse sublato, cerebrum & cerebellum in parte dextra omnino saniosum, putridum inventum est, apostemate ex lethargo in abscessum & sphacelismum permutato. *Vide Tit. de Soporosis affectibus.*

GArrire videretur &c.) Hecticæ Phrenitidis præludium, in qua ægri non loquuntur, quieti manent & dormire videntur: Mentis emotiones tremulæ, obscuræ, pulsantes valde phreniticæ sunt, ait. *Hippocrat. lib. 1. Prorrhet. §. 33.*

Oservatio XXII.

§. Delirium excitatum à tumore phlegmonode meningum.

JUvenis (*de quo Tit. de Capit. dol.*) cum per duas septimanas de gravissimo capitis dolore conquestus esset, Tandem febre aucta, mox vigiliæ, confabulatio delira & mors succedebant: Calvaria mortui aperta, vasa meningas obducentia erant sanguine distenta: Porro ipsæ membranæ tumore phlegmonode per totum affectæ apparebant &c.

Obbservatio XXIII.

§. 1. Delirium à phlegmone intra calvariam, Duræ meningis inflammatione.

MUlier percutitur leviter in capite, 3. die febris, capitis dolor, mox Delirium &c. 5. mors; Ingens phlegmone intra calvariam invento: dura meninx tumens, durа, livore affecta &c. *Vide lib. 4. Tit. de Vulneribus.*

§. 2. Virgo à casu vulnusculum in capite contraxit: 4. die febricula, Delirium &c. Sanguis sub cranio collectus erat, Cerebri membranæ inflammatione correptæ. *Ibidem.*

PErcutitur in capite) Delirium vel est innatum, vel adventitium: *Hoc* oritur à causis seu externis seu internis, causæ externæ sunt πολύφροντις, meditationes cerebræ & attentæ, æstus solis, quo cerebrum una cum spiritibus suis incalescit, ictus capitis conquatiens cerebri machinam spiritusque animales perturbans: Ossis διακοπὴ si invacuum, h. e. spatium cranio & meningibus interpositum penetraverit: Item inanitio vel à venere immodica, vel à vigiliis, vel ab immoderato sanguinis profluvio: *Illud*, scilicet Innatum, fit ob infausta τὰ πρῶτα τῆς φύσεως, naturæ novercantis primigenia, duplexque est, aut à parentibus devolutum in prolem; aut non hæreditarium, etsi congenitum, ab accidentario seminis vitio &c. *Menjotius Dissertatione de Delirio in genere.*

Observatio XXIV.

Delirium à sanguine vasa utriusque meningis replente, Vlcere sub medio sincipitis dextri, Plexu choroeideo vitiato &c.

VIr Nob. incidit in dolorem Sincipitis, quem sequuntur vigiliæ & Deliria interpolata, post continua, suavia tamen, non irata aut furiosa; In mortuo reperta vasa meningum

ningam sanguine turgida; Ulcus oblongum sub medio sincipitis dextri; Plexus nonnihil erat arrosus & putrefactus &c. *Vide Tit. de Capitis dolore.*

PLexus choroideus) In hoc; ut & in rete admirabili, sanguinem ad spirituum animalium generationem in cerebro præparari volunt: Vitium quod huic inerat, ab acrimonia humoris inductum; prædictam impedivit generationem & elaborationem spirituum animalium.

Deliria interpolata post continua) Paraphrosynen à phrenitide hoc volunt differre plurimi, quod phreniticorum jugis sit desipientia; etsi modo increscat modo decrescat; pro majore aut minore phreniticæ bilis exacerbatione: At παραφρονοῦντες per intervalla intra rationis septa reverti, quod in febris laxatione, si quæ evaporatio conscendat sursum, ea & parcior sit & mitior quam ut mentem transversam agere valeat: Verumtamen signum istud est sublestæ fidei, quoniam febris continua tam intensa succendi potest, ut in suis quoque remissionibus halitum γνώμης παράφορον ad caput evehat: Deinde quia si febris eodem currat tenore; ut Synochus ὁμότονος, ac multo magis si vires eundo acquirat; ut synochus ἐπακμαστικός, perennem excitari paraphrosynem nihil impedit: Usu tandem quotidiano compertum est non paucos febricitantes plurium dierum, ac interdum septimanarum spatio, sympathica desipientia detineri. *Menjotius Dissertat. de Paraphrosine.*

Observatio XXV.

§. *Delirium excitatum ab ulceribus in ventriculis cerebri lateralibus, pure oppletis; Vasis tenuis meningis distensis sanguine &c.*

BArthol. Feer (de quo Tit. de Soporosis affectibus) capite doluit, febricitabat mediocriter; dormiebat plurimum; expergefactus stupidus quasi erat & Delira loquebatur: Mortui aperto capite, per duram meningem, vasa tenuis in sincipite, ad sinum tertium meantia; vidimus valde cruore oppleta, & triplo ampliora quam alias existunt: &c. Sublato prorsus fornice conspeximus utrumque ventriculum cerebri lateralem, humore purulento imbutum: Superficies utriusque aspera & inæqualis; ab ulceribus depascentibus, idque satis profunde; quæ non solum magnam stragem spiritibus animalibus inferre valebant; unde rerum oblivio, verum etiam inquinamenta putrescentia ad substantiam medullosam sanam; transmittentia; Delirium excitarant.

VNde rerum oblivio) Respirationis, famis, sitis, excretionum cæterorumque operationũ animalium prætermissiones ad μνημονικὸν ἁμάρτημα falso reduci consueverunt, cum vis imaginatrix istis actionibus det operam, non interveniente memoria: hæc enim circa res præteritas, priusque cognitas, minime vero circa præsentes occupatur; ac idcirco quibus memoria citra desipientiam proflua est, ii memorata symptomata haud patiuntur: Galenus ergo delirantes respirare tardius urinamque emittere scribens, quia oblivione tenentur, nomen oblivionis non sinit pro privatione actus memoriæ, sed καταχρηστικῶς, & juxta politicum dicendi modum, communeque, ut ajunt, forum pro inconsiderantia phantasiæ, quæ præsentia objecta non animadvertens, sui muneris oblivisci, hoc est, eo non fungi dicitur: Hanc esse Galeni mentem liquet ex lib. 2. de Dyspnoea, ubi magnam raramque delirantium spirationem, non obliviosæ sed vitiosæ actionis affectum esse docet, ut enim *ait* immoderatam facere spiritus attractionem, rursusque immoderatam quietem, ejus est qui enim quando desinere actionem oporteat, novit, neque quando rursus incipere &c. *Menjotius ibidem.*

Observatio XXVI.

Delirium vulnus sequutum, à duræ meningis & cerebri phlegmone; unde sphacelus.

CUidam vulnus illatum in superiore capitis sinistra parte, Supervenit sopor, delirium. Reperta est dura meninx sinistra parte livens, necnon subdita cerebri substantia sphacelo correpta. *Vide lib. 4. Tit. de Vulneribus.*

CErebro afflicto mens non percellitur quamdiu spiritus animales inviolati permanserint: inde fit ut frequentissime è vulneribus capitis, aliisque gravissimis cerebri morbis absit delirium, quod spiritus animales fiant ἄνοοι; ac ex adverso à tantillo vapore spiritibus inquinatis, vel supra modũ agitatis, simulque cerebro quamvis exiliter alterato, mens sæpenumero subvertatur. *Menjotius.*

Observatio XXVII.

Delirium in muliere, cujus cerebrum tenue serum madefaciebat, & ventriculos implebat.

IUvenis mulier (*de qua Tit. de Paralysi*) ad extremum Delirio ac Epilepsia occubuit: Ex cerebri substantia inter dissecandum effluxit aqua tenuis: Ejus omnes ventriculi eadem tenuissima, limpidissima, & puta scatebant.

A*Qua tenuis*] De Phrenitide ab aqua cœrulea, acri in cerebro, vide supra Observ. 14. Alias purum putum serum, acrimoniæ expers, delirium excitare non valet; ut nec pituita: quare Hippoc.

mentionem faciens lib. de Morbo sacro, Desipientiæ à pituita genitæ, per quam ægri nec vociferantur, nec tumultuantur, non intelligit pituitam naturalem frigidam & humidam, hæc siquidem ignava est, nec corrumpit, verum minuit auferive cerebri actiones, sed præternaturalem & putridam, ut in lethargo, quæ calore & acrimonia deliria movet, licet multò humaniora atque pacatiora quam bilis, propter istarum qualitatum remissionem:

Ad extremum Delirio) An forte à defectu spirituum animalium, ut in moribundis? Quomodo autem spirituum animalium egestas cieat delirium dubium est, cum facultas languida actionem imminuat non corrumpat: Placet plerisque facultates principes citra spirituum supellectile infirmari, ac ob ingentem potentiæ infirmitatem non solū ἀμυδρῶς, sed etiā ἀλλοιωτικῶς exerceri actiones: licet enim hæ nonnisi à calore, qui κινητικὸς est, ut frigus φαῦλον queant insigniter depravari, attamen à causa quoque frigida, si potentissima fuerit ipsas mediocriter corrumpi posse affirmant, ut revera delirium exolutionem consequens moderatum existit; quemadmodum, *inquiunt*, in tremore à debilitate τῶν φέρειν, præpondere τῶν φερομένων motus impotens est simulque pravus, ita dum objecta quæ ad mentem imbecillam deferuntur, vehementiora sunt, non mirum si nutet animus in eorum comprehensione: Nos verò à facultate languida functionem continuo imminui, ac nunquam erroneam evadere arbitramur; quotidie enim actiones cujuslibet generis infirmissimæ, & tamen nullatenus depravatæ conspiciuntur: Tremorisque exemplum non quadrat, quod tremor motus sit mixtus, partim à caduca vi motrice, partim à naturali partis gravitate: σύνεσις autem quantumvis manca atque defectiva, à sola facultate rectrice obeatur nullo interveniente motore externo: deinde etsi inidonea illa tremoris comparatio admitteretur, tamen objecta facilia atque analoga menti debiliori proponi possunt, imo objecta modulum animi excedentia nullam rationi adjicient pravitatem, sed mera inde exurget rerum cognoscendarum ignorantia, quæ à delirio longissime distat: Itaque spiritus animales si perpauci fuerint, in vacuo ac inani cerebri spatio amplius quam decet commoveri, sicq; delirium adducere probabilius nobis videtur, uti in decrepitis senibus, ac iis qui morti finitimi sunt. *Menjotius Dissertatione de Delirio in genere.*

Observatio XXVIII.

§. *Delirium & amentia à sero plurimo per cerebri & cerebelli substantiam oberrante.*

I. Reutinger (de quo Tit. de Soporosis affectibus) aliquot septimanis ante obitum crudelissima cephalalgia afflictus fuit; præ dolore quandoque amens erat, ut quicquid vel diceret vel faceret, non raro nesciret.

Mortui cranio aperto, & saucia dura meninge profluxit serum cum impetu, maxima ex parte collectum in spatio quod inter duram & piam matrem est. Imo ipsa substantia cerebri & cerebelli plurimum serum imbiberat, nam summopere utrumque erat flaccidum & molle &c. *I. Iac. VVepferus Exercit. de Apopl. hist.* 4.

Observatio XXIX.

Delirium à vasis cerebri & cerebelli sanguine refertis.

Miles vulnus in capite accepit; primis 4. diebus sat bene habebat usque ad 7. quo vomitus supervenit cum paralysi, Deliriis frequentibus, &c. Venæ omnes cerebri & cerebelli sanguine refertissimæ erant. *Vide lib. 4. Tit. de Vulneribus.*

Observatio XXX.

§. *Delirium à membranarum phlegmone.*

Virgo capite in postem incidit & vulnusculum in vertice contraxit, &c. Sexto morbi die comperi ipsam delirantem, faciem & oculos inflammatos, sequente die obiit, &c. Sanguinem sub cranio collectum & cerebri membranas inflammatione correptas invenimus. *Vide lib. 4. Tit. de Vulneribus.*

Observatio XXXI.

§. *Delirium à putredine dimidiæ partis cerebri, ventriculis laterali & medio pure & aqua cruenta occupatis.*

Quidam ab equo vehementer percussus in capite &c. 19. die accessit capitis dolor, delirium &c. paulo post mortuus est: Aperto capite, inventa supra memorata, &c. *Vide lib. 4. Tit. de Vulneribus.*

Observatio XXXII.

Delirium exortum ab abscessu in profunditate cerebri.

N. Ob. catapultæ ictu circa tempus dextrum læsus est; 60. die plane restitutus videbatur: Dolor in veteris vulneris loco subortus est: *Deliria intra verba solum*: Eo mortuo

tuo in *cerebri penetralibus abscessus* repertus est. *Vide lib. 4. Tit. de Vulneribus.*

D*Eliria intra verba solum*] Mente captorum tres sunt classes, Alii enim sola cogitatione delirant, qui silent quidem, sed longam ridicularum cogitationum telam ordiuntur; Alii vero desipiunt, sic ab Hippocr. sect. 1. lib. 2. Epid. οἱ διαλεγομένοις ἀλλόχοοι dicuntur qui inter loquendum sermones serunt a veritate, ratione, vel proposito dissentaneos: Alii denique opere etiam insaniunt, qui cogitata dictaque sua factis insuetis vel indecoris explent: horumque nonnulli adhibent artes, summamque speciem sanitatis præbent in captandis majorum operum occasionibus, sed exitu deprehenduntur. *Menjotius Dissertatione de Delirio.*

In cerebri penetralibus abscessus] Unde species Delirii ad fatuitatem pertinens & dementiam, exorta est; quia hic morbus organicus adfuit; at in Delirio simplici spiritus animalis solum patitur: Duplex est imaginationis instrumentum *inquit ibidem Vir Excell.* unum immediatum, primarium & inanimatum, nempe cerebri substantia, alterum mediatum, secundarium & animatum; scil. spiritus animalis, qui non modo ut medium internum sed etiam ut organum principibus potentiis famulatur: Præcipua igitur Deliria causa est cerebri morbus; non quidem organicus [hic enim fatuitatis & dementiæ potius quam delirii author est) sed similaris vel communis, ac frequentius calida intemperies; Duplex autem est in cerebro spiritus; unus insitus, fixus & animatus, ad cerebri integritatem pertinens: alter influens, vagus & inanimatus, utpote corpori contiguus non continuus, qui proprie animalis dicitur: hic à genuina conditione recedens; σχέτηκα ἢ ἄλυτα parit deliria: ille vero à naturali integritate declinans; puta impurior ac intemperatior redditus, desipientias promovet ὀχλικὰς ἢ δυσλύτους; quales plerumque sunt melancholicæ: spiritus influens afficitur salvo insito, sed spiritus insitus labem suam influenti illico communicat; quod ejus creator sit ac δημιουργός. *Idem ibidem.*

Observatio XXXIII.

§. *Delirium ob pus è cerebro exitu prohibitum.*

RUsticus vulnus circa dextrum os bregmatis baculo accepit: 8. die vocatus inveni ipsum febricitantem & delirantem, rubicundis oculis, &c. Huic dura mater ita adhærebat cranio ut nihil puris exstillare posset. *Vide lib. 4. tit. de Vulneribus.*

Observatio XXXIV.

§. *Delirium à collecto sanguine intra meningem duram & cranium, venis omnibus sanguine tumidis &c.*

MIles vulnus in capite exceperat, Sanguis vix sisti poterat: Empiricus aluminis parum offi instravit, hinc paralyticus factus, deliriis frequentibus adjunctis &c. Sanguis plurimus intra meningem duram & calvariam collectus erat extra venas: Dura meninx puris acrimonia erosa; venæ omnes cerebri & cerebelli sanguine refertissimæ &c. *Vide lib. 4. Tit. de Vulneribus.*

Observatio XXXV.

§. *Delirium ab ingenti phlegmone intra calvariam; Tumore duræ meningis &c.*

MUlier exiguo in fronte vulnere vulneratur 3. die febris, delirium &c. 5. mors: Ingens phlegmone intra calvariam inventa. dura meninx tumens; dura, livore affecta & ingenti puris copia suffusa &c. *Vide lib. 4. Tit. de Vulneribus.*

Observatio XXXVI.

§. *Phrenitis à phlegmone posticæ partis cerebri.*

JUvenis sub cane in gravissimum capitis dolorem incidit, hinc phreniticus factus &c. Aperta caluaria magna copia sanguinis nigerrimi effluxit; Ubi detectæ sunt cerebri tunicæ, mox universim venulis nigro torridoque sanguine turgentibus conspersæ apparuerunt: Parte posteriore membranæ gangrænâ correptæ visæ, ut & fere tota basis cerebri cum cerebello & initio spinalis medullæ. *Vide Tit. de Capitis dolore.*

J*Uvenis post capitis dolorem phreniticus*] Causæ efficienti adjicitur causæ suscipientis dispositio, eaque duplex, generalis & specialis: Nam in genere cerebrum, etsi temperie donatum algidiore, prompte tamen incalescit ob infirmitatem mollitiei junctam, tenerrima enim, non minus intra quam extra corpus, & gelantur facile & uruntur: In specie vero Desipientia frequentius appetit Juniores, biliosos, iracundos, studiosos, caput natura vel casu invalidum habentes, cura, exercitio, ac præsertim inedia vexatos: Jure his consulit Hippocrat. lib. 1. de Diæta: ut pleni potius quam jejuni gerant negotia: Mixto enim familiari alimento stabilior redditur anima quamdiu cibi indiga est: Leves etiam ac turbulenti homines, vel parvis occasionibus; firmi vero & constantes nonnisi magnis de causis deliri fiunt, ex Galeno, *Menjotius Dissertat. de Paraphrosyne.*

OBS.

Observatio XXXVII.

Delirium ab inflammatione, hinc suppuratione septi transversi.

VIrgo sævis dolotibus cruciatur ad alam sinistram & costas mendosas, cum febre & Delirio: Secto cadavere inventum est septum transversum in interiori parte suppuratum. *Vide l. 2. Tit. de Lateris dolore.*

DOcebat quondam Plato in Timæo, septum transversum cerebro visceribusque naturalibus, quibus anima brutalis tanquam ad præsepe vincta est, fuisse interpositum, ne rationis domicilium ab iis violaretur: Sed istud deber intelligi de statu hominis naturali non morboso. An Phrenitis oriatur à septi inflammatione vide Observ. 1. hujus sectionis.

Observatio XXXVIII.

Delirium in quodam cui pulmones corrupti & nigricantes.

QUidam febre ardentissima correptus *Deliria nocturna* habuit: doluit etiam à latere: Pulmonibus corruptis & nigricantibus inventus est, *Vide lib. 2. Tit. de Lateris dolore.*

D*Eliria nocturna*) Causa adjuvans paraphrosynes est nocturnum tempus vaporum præpediens difflationem: ac observare est in febribus deliria de nocte præsertim vigere, quod Hippocr. 4. de diæta acnt. notavit; *Noctes magis quam dies Delirii significationem prabent.*

Observatio XXXIX.

Delirium ab abscessibus tentatis Pulmonibus.

ANno 1601. in Ducatu Urbini grassabantur pleuritides, peripneumoniæ, anginæ &c. Ægri floccos aut paleas à parietibus carpentes IV. aut V. delirii die peribant, Sectis cadaveribus reperti sunt pulmonum abscessus: *Vide lib. 4. tit. de Febribus.*

A*Egri floccos carpentes*) Signa delirii è quadruplici fonte hauriuntur, 1. ex dissimilitudine morum, qui à natnra non longe abeuntes desipientiam minitantnr; ab ea vero plurimum desciscentes, ægrum mentis valetndine jam teneri commonstrant: Mores autem duplices sunt, insiti & instituti; illi quia temperiem necessario sequuntur, sunt mutabiliores: Hi, quia per Philosophiam acquiruntur, non pendent per se à temperie, sed apud animum habitant, & ut ardua est eorum comparatio, sic difficillima depulsio, ideoque plus potest morum adsciritiorum quam ingenitorum innovatio ad diagnosin delirii. 2. Delirium petitur ab ἀναισθησίᾳ laborum: hinc Hippocr. 2. aph. 6. Qui parte aliqua corporis dolentes, dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat. 3. Desipientia detegitur rerum propinque dictarum & factarum repentina ac extraordinaria oblivione, per quam æger eadem verba sæpius repetit, inchoatamque orationem narrando pertexere non recordatur: Quarto, omnis actio arbitraria quæ citra causam evidentem vel deficit, vel exuperat, vel indecenter fit, Delirii notis annumeratur; ut pertinax silentium in homine loquaci, λογοδιάῤῥοια in taciturno: Huc refertur manuum gesticulatio, linteorum & operimentorum indecora nec necessaria collectio; aut ubi æger cœcorum more suspensa manu, aut cum palmo aliquid vestigat; aut inani opera muscas venatur, de pariete stipulas legit, tomentum & flocculos à stragulis detrahit &c. *Menjotius Dissertat. de Delirio in genere.*

Observatio XL.

Delirium ab inflammato ventriculo ortum, impuro.

VIr XXIV. ann. usus fuerat dum caleret maxime, alias bene sanus, frigido potu: altero die Delirio corripiebatur vehementi, adeo ut vix detineri ab adstantibus potuerit: sæpius, porci instar, foveis terræ se abscondebat, stramineque etiam summe impuro contegebat;

In defuncti corpore reperiebatur ventriculus totus, imprimis quoad inferiora, inflammatus, repletus materia flava, mucosa, qualem etiam aliquot diebus antequam obiret, maxime autem ubi agonisabat, vomitu excreverat. *Blasius observ. med. 21.*

V*Entriculus inflammatus*) Anathymiases λιγεστοιαὶ, ad rationis arcem obrepunt, vel ab intestinis verminantibus aut ileosis: vel ab inflammatis partibus internis, ut pulmone, jecore, diaphragmate: vel in febrium intermittentium paroxysmis ab earum foco: vel à toto corpore, ut in augmento aut vigore, ac interdum etiam in principio febrium continnarum. *Menjotius Differt. de Paraphrosyne.*

Oservatio XLI.

Delirium sequutum Tuberculi in ventriculo disruptionem.

ILlustriss. Ferrariæ Duci Alphoso Tuberculum in ventriculo disruptum est, Habuit hæc symptomata Exolutionem, vomitionem, animi defunctionem, imo & mentis alienationem. *Vide lib. 2. tit. de Syncope.*

Mentis alienationem.] Scil. paulo ante obitum. Huc pertinet illud Hippocr. 1. Prorrhet. Deliria τῶν περιξαδυναπησάντων, prædebilitatorum pessima sunt, quod à causa pernitiosa oriantur; videlicet extrema spirituum animalium indigentia: Sic eo loci Hippocr. vires attritas considerasset, non velut causam delirii, sed simpliciter tanquam signum assidens delirio, profecto nihil novi nos docuisset; cum non solum in desipientiis, sed in quacunque alia ægritudine ruentem naturam mortis præsagium esse nemini non notum sit. *Menjotius Dissert. de Delirio simplici.*

OBSERVATIO XLII.

Delirium à vitio uteri exortum.

PUella suffocationibus uterinis obnoxia, Delirio subinde afficiebatur. Juxta uteri testes vesiculæ erant tetro humore plenæ: In thoracis cavitate humor aquosus sanguinolentus, ex vitiato Pulmonum alimento. *Vide lib. 3. tit. de Hystoc. aff.*

Juxta uteri testes vesiculæ) Ab utero, partibusve illi adnatis, semine vel sanguine corruptis turgentibus Deliria oriri, constans fama est; Hippocr. lib. de virgin. morbis, Sanguinem menstruum, si in virginibus viro maturis effluvio careat, & diaphragma præ multitudine regurgitare ait, inde cor primum infatuari, hinc torporem, & ex torpore dementiam invadere. Putridum semen hysterica symptomata, atque inter hæc Delirium parere notum est; emisso scil. vapore maligno, tenui & spirituoso ad mentis arcem, non solum per venas aut arterias, sed & per nervos ac cæca spiracula: Sed præter menstruum sanguinem & semen, quivis alius humor venenatam qualitatem induere potest in partibus utero adsitis.

OBSERVATIO XLIII.

Delirium ab abscessu in apice gibbæ hepatis partis.

ADolescenti crus dextrum vehementer doluit cum acuta febre, & Delirio ex intervallis. Abscessus repertus cum pure albo in apice gibbæ hepatis partis. *Vide lib. 4. Tit. de Doloribus externis.*

DE Delirio à vitio Jecoris & aliarum partium extra cerebrum orto vide Observ. 13.

OBSERVATIO XLIV.

Paraphrenitis à bile acerrima è cysti fellis exsudante, vasis cerebri & cordis sanguine nigro turgentibus.

AVriga ex febre continua (*Vide l. 4. tit. de Febribus*) ardente quasi furibundus mortuus secabatur. E cystide fellea integra exsudabat tenuis bilis portio, trium digitorum transversorum spatio, circumcirca partes vicinas croceo colore inficiens, quæ putredine quasi affectæ. Vasa insuper cerebri turgebant sanguine nigricante: E corde dissecto sanguis niger prodiit: Vnde facile colligendum vim bilis erodentem simul nervosum genus tetigisse & ægrum furiosum reddidisse.

ADDITAMENTA.

OBSERVATIO VNICA.

Anatome Phrenitici.

EX eodem Xenodochio fuit, qui febre per semestre spatium afflictus, tandem in delirium incidit saltuque, in cœlum enisurus, in aquam se præcipitârat; vixque huic periculo vel cum sospitatoris exitio ereptus, graviori aliquot dierum furore agitatus, animam efflavit.

Ex partibus motoriis, Musculos rectos separanti pyramidales portionem horum constituere videbantur.

Peritonæum crassum admodum. Ex nutritiis: (1) Novum alimentum præparantibus, Intestina tabes infecerat, adeò emarcuerant.

Receptaculum chili & Pancreas Asellii ex mesenterio evolventibus, locus, ubi lactei ductus ad glandulam majorem tendunt, corpus durum, officuli cerasi vel pisi majoris speciē obtulit; ipsiusque glandulæ majoris tumor præternaturalis visus, tactui vitium subesse, dignoscendum præbuit, ut in detecta patuit, quid monstri aleret; cùm detracta membrana pars ejus superior grumosa casei recentis speciem referret, inferiori in lapideam duritiem concreta; caseosum istud solis calori exposui, quo in niveum corpus gypseum abiit; uti adhuc fidem faciet asservata glandula; Minor glandula tota calculi naturam induerat aspera ubi membranis illam denudâras.

2. Vltimum Alimentum defecantibus: Hepar magnitudine vastum, & pondere grave, quale

quale non memini friabile, minus soliditatis habens levissimo contactu in fissuras & rimas dilabens, pluribus ligamentis dextro lateri erat annexum.

Vesicam fellis, dissecanti, multa viscosa crassaque bilis picis liquidæ instar, qualis ex cysti bubula ultimo exiit; pori biliarii liquor longè subtilior erat & fluidior. Partes vicinas hepatis aliorumque viscerum nullo colore bilis tinxerat. Fundi vesicæ interna facies reticulatum opus exprimebat. In cervice aperta rugas plures observavi quas inter una insignior, quæ minori permittebat, majori stilo denegabat aditum: nulla tamen membranea comparente valvulâ: Cholidochicus communis rectô ductu itidem a porô biliarô descendebat incurvatô tramite ad illum accedente cysticô; pori biliarii unicus truncus externus sub parenchymate Hepatis in duos ramos erat divisus.

Lien vastus, malè compactus, cum levi pressura distringeretur, quomodo putrefacta solent, colore intus atertimô, non item extus. Mirabilis species qualem Aristoteles 3. de partibus animal. 7. Quadrupedum oviparorum dicit, reniformis, magnum enim dorso æqualiter declivi & convexo referebat, cavernulis item sive recessibus quibusdam foveas præsentabat, quibus inserta erant vasa portæ, uti emulgentia renibus inseri videmus. Crassities latitudinem æquabat, ut de pondere conjectura sumi possit.

Vasa brevia, inflatâ venâ portæ, satis conspicua, per quæ eadem opera insigniter etiam intumescebat ventriculus.

Pancreas scirrhô erat infectum, minimis glandulis induratis; neque ductus Virsungianus se sistebat quærentibus unicô foramine perforatô duodenô. Crassissimam pancreatis partem recta transibat vena portæ, quæ pollicem caperet amplitudine (3) Vltimum alimentum coquentibus, Cor parvitate memorabile, vix bimuli æquabat pugnum.

Pulmonum pars Diaphragmati, pars sterno, multis fibris & distinctis tunicis erat connexa. Tribus in dextro duobus in sinistro lobis.

Ex partibus sensoriis turgidis omnibus matrem duram cranio minimè adhærere advertimus; incisa autem eâdem, cruor & sanies diluta effluebant affatim, hinc sinum falcatum patefacientibus, vermiculus quasi sanguini innatare visus quem uncô extrahentes blandè concretum subalbidam massam quæ carnem mentiretur, polypi figurâ fuisse constitit. Ad Torcular Herophili extendens brachia excurrebat, ubi divisus ramis duos hujus transversos occupabat; erat latitudine pennæ mediocris ubi crassissimus; finiebat in quarti sinus confiniô, Torculari Herophili multô cruore oppletô.

Matre durâ circumcirca recisâ & sublata, pia occurrit illæsa multis vasis turgida; stagnante in interstitiis anfractuû copia subcœrulei humoris. Curiositatis ergo piam accuratè separans, illam alteram duram matrem exhibui, non solum quod crassitiem tunicæ, sed & quod amplitudinem vasorum; eademque a cortice cerebri facilius quam unquam dura a piâ, auferebatur, cum nullo adhæsu cortici esset annexa; quô ipsô subcoeruleus per piam translucens humor effusus se lympham intuentibus probavit.

Anfractus vero corticis cerebri, piâ hâc matre semotâ, nudi prorsus omni membranâ destituti, præclarô spectaculô intestinulorum vel funiculorum seriem quandam dispositam digitis ordine explicandam offerebant, nullis in ipsorum superficie conspicuis vasis, sive sanguineis, sive lymphaticis, saltem uti cocta Agnotum & vitulotum intestina tenuia, tubulos erectos densè coagmentatos exhibebant, adegi cultrum per corticem ad medullam usque crebraque sanguinea stigmata in medullâ hinc inde animadversa.

Ventriculi madidi lympham agitatione dilapsam arguebant, tertiô adhuc cochlearis mensurâ sat puram effundente. Exinde plexus choroides nostrum excitavit studium pineali glandula nihil singularis demonstrante; atque plexus prorsus non sanguineum colorem præ se tulit, sed albicans magis pallidumve, glandulosum aliquod corpus exhibuit, præprimis in extimo limbo conspicuis glandulis compluribus.

Medullam oblongam instar arboreti jucundissimi vasorum mirabilis plexus succinxerat.

E*x istis patet*) I. Phrenitidis causam, si modò unquam, non semper tamen meningum aut cerebri esse inflammationem.

II. Cl. Willis part. 2. de anim. brut. c. 10. phrenitidem à meningum inflammatione oriri posse negans ipsam spirituum animalium inflammationi vindicat, particulis sulphureis a sanguine in cerebri claustra suffusis, illosque spiritus accendentibus ibidem continenter. Ex nostra historia huic sententiæ Willisii quod faveret illud fortè esset quod stigmatibus sanguineis interior medulla fuerit dispuncta, unde qui medullam subiit sanguis sulphureæ admodum naturæ judicari poterat. Reveta enim s. n. neque corticem, neque medullam sub intrant vasa sanguinea; quomodo forsitan capiendus Aristot. 1. de Hist. anim. 10. &c. Quando cerebro & vasa sanguinea denegat, non obstante quòd per injectiones ater liquor, vel ipse Sanguis in medullam adigi possit, aut quod etiam in ferocibus animalibus, quibus vivaque adhuc, animæque aliquid retinentia membra dilaniamus, medullam notis sanguineis non una vice observaverimus. An quoque ex Wartoni, Malpighii, Willisii & cæterorum sententia, cerebri medulla aut cortex s. n. minime aliquid sanguinis admittet?

III. Ve-

III. Verum an phrenitis hujus nostri incendio spirituum animalium, a sulphureo sanguine excitato, debeatur, multa reddent dubium: (1) Omnes anfractus, omnes ventriculos limphâ inundârat. (2) Plexus choroides ex sanguis; [3] Polypus sinui falcato immersus: [4] sanguinis quodcunque adfuit admodum dilutum, (5) Pia mater incrassata & avulsa, hæc omnia non sulphurei alicujus incendii, sed aquei alicujus diluvii, patrata diceres facinora.

IV. Sanè videtur febris diuturna omnes exhausisse caloris nativi vires, quo factum ut sanguis sursum ad cerebrum adactus, hujus frigore superatus, polypo materiam relinquere coactus fuerit; atque cùm novus qui accessit sanguis, pariter generoso calore minus esset coctus, in viis latiusculis commeatum solùm obtinuit, totoque corpore non valens minima penetrare, subtillissimum ichorem per angustias viarum transmisit stagnante crassiori; hincque adeò in sulcis, sive liris corticis cerebri, exundavit limpha; hinc in ventriculos eadem extillavit per plexus Choroideos; hinc pia dura reddita mater. Interea verò cùm justum incrementum Polypus accepit ut sinum falcatum fermè obturavit circa torcular imprimis, coarctatio hinc & depressio meningum atque cerebri impedito cursu sanguinis, non sine dolore, proxima puto phrenitidis nostro fuerit caussa: Conf. Excell. Pechlini Ephem. German. ann. 9. & 10. obs. 24. Sanguinea verò puncta in medulla ex vehementia commoti sanguinis, quando viam vi sibi fecit furore æstuantis succensus.

V. Dari vasorum Lacteorum obstructionem.

VI. Eandem ad glandulas majores febris caussam huic nostro extitisse.

VII. Ubique locorum in corpore animatô calculos generari posse.

VIII. Generationem calculorum non esse momentaneam; sed coagulata particula, illi alia atque alia nova aposita, tandem corpus justum exsurgere inæquali primùm duritie, donec tempus omnia solidaverit.

IX. Non solum sal aut terram sed viscidum caseosum materiam calculis præbere uti in hoc nostro chylos lympha sua destitotus.

X. Viscerum Hepatis & Lienis friabilitatem refero, in defectum lymphæ, quòd hæc ob glandulæ majoris obstaculum ad ductum thoracicum non tam liberè commeaverit, unde torridus sanguis redditus præsertim lymphâ in cerebro insuper suppressâ.

XI. Eidem lymphæ defectui viscositas & crassities bilis in folliculo adscribenda.

XII. Non semper tenuiorem esse bilem vesicæ quamvis Cl. Diemerbrokii istud fuerit placitum, sed cōtingere ut porosū bilis sit fluidior & tenuior.

XIII. Hippocrates de morb. mul. c. 87. de liene magno §. 11. succedit autem semper ex hoc hydrops: huic minime suffragator nostra historia Ast Græcus Textus qui addit ὑπὸ τοῦ παιδὸς Hippocratis propositionem forsitan deffendet.

XIV. Non opus habere naturam ubique valvulis membraneis pro instituto suo sive arcendi, sive admittendi quidpiam e.g. in cervice cysteos.

XV. An vesica fellis nihil aliud erit quàm sinus cholidochici?

XVI. An male ductus Hepaticus, à poro biliario distinguitur? rectiùs saoè cholidochicus, qui nunc audit; communis truncus supponendus cujus rami designandi aut divaricationes; quodque alii rami parenchymati hepatis incumbant, alii verò idem sub intrent.

XVII. Dari à venâ portæ ad ventriculum per lienem commeatum; an vero & f. n.?

XVIII. Pancreatis scirrhus in defectum lymphę aliquando referendus.

XIX. An parvitas cordis præter naturalis dicenda ex paucitate sanguinis.

XX. Pulmonis alterius tria fissa inter rariora notanda vult Cl. Bartholinus.

XXI. Pia mater p.n. illustriorem adhuc reddet luculentam descriptionem ejus sec. n. apud Clar. Wislinum anat. cerebr. c. 7.

XXII. Favet nostra observatio corticalibus sive glandulis sive tabulis Exc. Malpighii.

XXIII. Stabilitur eadem quoque sententia Willisis loc. cit. c. 12. quòd plexus Choroidei glandulæ sint destinatæ sero, sive cerebri, sive cerebelli, digerendo.

XXIV. Glandulas plexus choroidei sæpius vix conspicuas annotat Diemerbroekius. *D. Philippus Jacob. Hartmannus Ephemerid. Germanic. Dec. II. Ann. 5.*

ANATOMIÆ PRACTICÆ

LIBRI PRIMI

SECTIO VIII.

De MANIA & RABIE seu HYDROPHOBIA.

OBSERVATIO I.

§. I. *Mania à Siccitate cerebri in superficie, flavedine tincta, &c.*

CIVIS Leodinensis totum melaucholiæ se immersit, Paucos post dies acute febriit, sine tamen delirio, à febre liber in amentiam primum, dein in Furorem versus, vinculis coerceri debuit. Ablato mortui cranio siccissimum, durum, adeóque in summa parte digitis friabile, flavum undiquaque, ad altitudinem digiti tinctum observatum. *Vide Tit. de Catalepsi.*

Melancholiæ se immersit] Melancholiæ Mania in tantum affinis est, ut hi affectus sæpe vices commutent & alteruter in alterum transeat; nam diathesis melancholica in pejus evecta Furorem accersit: atque furor defervens non raro in diathesin atrabiliariam transit. Sæpe hæc duo quasi fumus & flamma se mutuo excipiunt ceduntque: Et quidem si in melancholia cerebrum & spiritus animales fumo & densa caligine obfuscari dicantur, Mania istis quasi apertum incendium accersere videtur. At vero si quidem spiritus animales accensos, sive inflammatos, Phrenitim cum febre (qua mania caret) excitare ostendimus, illorum affectio in hoc morbo, sicut in melancholia, ex *Liquorum Chymicorum* analogia melius elucescet.

Hinc in Furorem versus est] Quandoquidem mania sine Febre, cumque insigni functionis animalis læsione excitata, continua & diu permanens esse solet, *Subjectum* ejus proximum & immediatum erunt *Spiritus animales*, qui scil. non per consensum, nec ab alio impetum faciente, sed per se & habitualiter affecti, ab indole propria & genuina, nempe *Spirituo-salina*, in *Sulphureo Salinam* (prout alibi innuimus) Aquæ Stygiæ æmulam adsciscunt, proindéque actus tantum inordinatos edunt, atque ita perperam agere diu persistant: Hic illorum vitio aliquid forte Cerebrum, aut sanguis, aut aliæ partes contribuunt, at ipsi spiritus primo & potissimum in culpa sunt. De Maniacis observate est hæc tria illis fere omnibus esse communia, scil. 1. eorum phantasias, sive imaginationes cogitationum impetuosarum æstu perpetuo occupari, ut dies & noctes varia sibi obmurmurent, aut clamando & ejulando proferant: Secundo, Notiones sive conceptus & incongruos esse, aut sub specie falsa sive erronea iis repræsentari. 3. Illorum delirio audaciam & furorem sæpissime adjungi, contra ac in melancholicis, qui timore ac mœstitia semper affliguntur.

Primaria istæc Maniæ symptomata à Spiritibus animalibus indole *aquæ stygiæ* æmula præditis aptissime deduci ex sequentibus patebit: 1. enim Aquæ Stygiæ particulæ summe agiles & irrequietæ, in motu perpetuo existunt, hinc ut effluvia ab iis decedentia nares continue feriant, atque liquor è vase effusus corporibus quibusque aliis occurrens, valde effervescit, eorúmque poros & meatus penetret, Cujus ratio est, quod particulæ salinæ sulphuri conjunctæ, se invicem exagitant, cumque nullis alius generis cohærent: Pariter opinari licet spiritus animales è sanguine uberiori & quasi nitrosulphureo extillatos, insigni mobilitate sive inquietudine præditos esse, qui proinde è cerebri meditullio quaquaversus tum in ambitum ejus, tum in systema nervosum expansi, indéque perpetuo reflexi, phantasmata efferata, & fere nunquam interrupta, atque functionis tum sensitivæ, tum loco motivæ inordinationes maximas & perpetuas producunt.

2. Effluvia è spiritibus nitrosis sive Stygiis exhalantia, haud tantum in spatiis apertis evaporant, quin valde penetrantia, in quovis fere subjecto poros & meatus, per quos erumpere possunt, ubique novos producunt, imo corpora pleraque hujusmodi spiritus continentia, aut vasis foramini imposita, ab ipsis ita perforantur, ut friabilia statim reddantur ac in partes minutas decidua. Pariter opinamur in affectione Maniaca Spiritus animales ex indole sua morbida, valde mobiles fieri & plurimum exacui, ita ut priores ituum ac reditutum tractus relinquant, ac in cerebro spatiola sive ambulacra ubique nova & plane devia sive excavent, in quibus dum scaturiunt, notiones insuetas & valde absurdas producunt, unde necesse est ut affecti plerumque incongrua & tantum incomposita imaginentur, loquantur & agant; præterita præsentibus aut futuris, & contraria vel opposita simul confundentes. 3. Observare est vaporosa corpuscula è mineralium spiritibus nitrosulphureis decedentia, non (uti halitus à liquoribus acetosis emanantes) tantum in vicinia subsistere, sed longissime & quaquaversus in ambitum remotum diffundi. Sæpius vidi cum spiritus nitri butyro Antimonii commisceretur, totam cameram fumo atrato, è liquoribus istis stygiis ascendente repletam: Cum Aquæ fortis, aut Spiritus nitri ex alembico vel lento calore avocatur, vapor acerrimus inde diffusus, procul adstantium & nares & pulmones percellit; quod certe contingit ob salis fluidi & sulphuris efferati conjugium, quorum scilicet utrorumque corpuscula se mutuo incitant, proindéque simul combinata longius provehuntur. Pari equidem modo citæ spiritus animales in Maniacis habere videtur, qui si quidem ejusdem ac aquæ stygiæ indolis fuerint, idcirco tum cerebri compagem, tum appendicem citissime trajicientes, affectus non tantum furiosos, sed velut Dæmoniacos efficiunt, adeo ut metu & languore quoque immunes quodvis audacter aggrediantur, ferro & flammæ sese intrepidos objiciant, etiam ob prodigiosas spirituum eorundem exertiones robore immani polleant, vincula & catenas sæpe disrumpant, atque viros fortissimos iis obstantes, & coercere nitentes simul plurimos debellent. Spirituum animalium cum aqua stygia, seu spiritu nitro-sulphureo comparatio, clare indicit quæ sit maniæ conjuncta causa, sive immediata, quæ nimirum consistere videtur non tam in bile adusta, aut humore aut vapore tetro & acri in cerebrum detepente suffuso, atque spiritus incolas in œstrum & orgasmos incitante [talis enim vapor vel humor aut sponte exhalaret, aut remediorum ope cito diffiari posset, proindéque dementia inde concitata æque cito & facile uti furor aut de'itium à pastinacæ sylvestris esu producta transiret] quin potius habitualiter Insanos, seu Maniacos, ita fieri constat in quantum ipsi spiritus animales ab indole miti & benigna, æque ac subtili & satis agili, nempe *spirituo-salina*, in aliam acerrimam, nempe salis fluidi ac sulphuris Arsenicalis participem, degenerant. Quod spectat ad Maniæ causas remotiores sive Antecedentes, videl. propter quas spiritus animales diathesin acerrimam acquirunt, prius ostendere oportet quomodo & qua ratione latex quispiam corrosivus (qualem supponimus spiritus animales cum vehiculo esse) in corpore humano progigni & subsistere possit. Profecto humores acerrimos interdum in corporibus nostris generari multis observationibus plane constat: Novimus Nobilem cerebri & nervorum affectibus graviter obnoxium, cujus sudor (cum in paroxysmo esset) camisiam, quasi aqua forti intingeretur, exedens, mox friabilem redderet: usitatum est nonnullos sæpe laticem quasi vitriolicum œsophagi ac palati tunicas erodentem, vomitu excernere: porro ulcera cancrosa, scrophulosa & pestilentia, humorem acerrimum, quo scil. carnes & membranæ velut

ab aqua forti iis affusa cum acredine exeduntur, præbent. Porro observare est stagmata corrosiva haud potissimum in sanguine producta, carni musculosæ aut viscerum parenchymatis affigi, sed multo frequentius in *liquore nerveo* procreata cum latice ejus in partibus nervosis: aut eorum emunctoriis deposita, apostemata ac ulcera phagædenica, septica, aut alias cacoethea producere: Hæc enim sæpissime in glandulis, vel juxta tendines aut membranas excitantur, cúmque humor ab iis decidens primo tenuis & aquosus est, postea atratus, valde fœtidos & corrosivus evadit, indicio saneipsum *Liquorem nerveum* in ejusmodi putrilaginem abire.

Quemadmodum antea liquor iste ad hunc modum depravatus, in partibus nerveis prædictos affectus ciet, ita non difficile erit concipere eundem laticem, quatenus spirituum animalium in cerebro scatentium pro vehiculo est, una cum spiritibus ipsis indolem corrosivam & quasi stygiam acquirere proindéque Maniam excitare. Spirituum animalium una cum succo cerebrum irrigante depravato; Sive Dispositio Maniaca, variis modis & propter diversas causas exoriri solet, ut plurimum vero affectio illa (prout de melancholia observavimus, vel à spiritibus ipsis vel à sanguine incipit. 1. Mania à Spiritibus incipiens nonnunquam à causa evidenti solitaria, uti passione violenta exoritur; quandoquidem à procatarxi in cerebro jacta procedit, veluti cum melancholiæ aut Phrenesi supervenit. 1. Quando vehemens affectus quempiam à mente sana depellit, id ita fieri contingit, vel quia spiritus animales prosternuntur nimis & in confusionem adiguntur, vel quia supra modum elevantur & ultra sphæram suam se expandere nituntur. 1. Spiritus prosterni solent à passione violenta ac terribili: ita passim accidit quosdam à spectri inruitu vero aut imaginario, mox panico terrore perculsos, in Maniam perpetuam incidere, Porro nonnulli propter insigne opprobrium, aut repudium, ali i ob vesani amoris spem subito ac improviso frustratam; aliique ob vota temere rupta, primo animo insigniter perturbati, mox dementes evaserunt. Cujus ratio est quod spiritus animales extra series suas, & meatus solitos propulsi, & in confusionem adacti, tractus sibi novos & devios procudunt, quos subeuntes phantasmata mox delira pariunt: Interea succi nervei particulæ salinæ, spirituosis depressis, à volatilitate desciscunt, atque fluorem passæ, corpuscula sulphurea è sanguine in cerebrum, tunc debile & patens, suffusa sibimet assumunt, unde liquor hic statim instar aquæ fortis acerrimus, atque spiritus animales efferi & plurimum incitati, furiosi evadunt. 2. Spiritus animales quandoque dum *elevantur* nimis, pari fere modo & sibimet & succo nerveo diathesim maniacam inducunt: hinc ambitio, superbia, & æmulatio, quosdam insanire fecerunt: Cujus ratio est, quod dum Anima corporea propriæ excellentiæ opinione & fastu intumescens sese erigit & quaquaversus amplissime ultra corporis oram expandere annititur, spiritus animalis εἰς ἐγκέφαλον tumultuarie vocari, intra solitas orbitas contineri nequeunt, ibidem vero refracti & propter exertionem nimiam diversimode reflexi, in tractus novos & plane devios coguntur: quapropter tum ipsi è propriæ emanationis cursu exturbari, tum *liquor nerveus* diathesin (prædicto modo) acrem & incitativam cito acquirunt & proinde *mania* succedit.

A febre liber in amentiam, hinc in Furorem versus est; Hæc de Mania propter causam evidentem solitariam excitata: Verum hic morbus insuper sæpe ob procatarxin in cerebro præexistentem exoritur, & præcipue ob melancholiam aut Phrenesin prægressas: In illa spiritus animales cum succo nerveo paulo magis exaltati, & in hac aliquantulum depressi diathesin Maniacam acquirunt.

Quoad prius, vulgaris observatio est Melancholiam subitam & magnam plerumque Insaniæ proximam esse: cujus ratio est; quia cum spiritus animales, una & liquor nerveus in acorem degeneres pervertuntur, tantummodo sulphuris accessu opus est, quo isti mox indolem stygiam nacti Maniam superinducant (veluti cum liquor acidus à virriolo aut sale ex stillandus, addito sale nitroso aqua fortis evadit; At vero in immani Melancholiæ passione, quia spiritibus disturbatis cerebri meatus nimis dehiscunt, è sanguine bilioso & rancido particulæ sulphureæ diathesin priorem acetosam in stygiam seu Maniacam provecturæ, facilem aditum inveniunt: Hinc observare est si quispiam temperamenti calidioris in delirium atrabiliarium cum metu & mœstitia inciderit; quandoquidem in humoribus ejus particulæ sulphureæ, quæ salinis in fluorem depressis adjunguntur, in promptu sint; ipsum ab initio tristem & valde cogitabundum, brevi postea insanum fore: Secundo, Quod item Phrenesis in Maniam sæpe desinit, ratio fere eadem ac prior ista, sed diversa est, quatenus nimirum in Phrenitide *spiritus* & *liquor nerveus* sulphurei nimis & inflammati, postea deflagrantes, particulas salinas sibi conciscunt, & proinde pariter indolem acerrimam & quasi stygiam nanciscuntur, quare tunc febre cessante, Furor continuus & fixus evadit. 2. Dispositio Maniaca haud minus frequenter in massa sanguinea radices habet, & demū in actum producitur, quando nimium sanguis sûme depravatus & nitrosulphureus, liquorem nerveum, una & spiritus animales aut pervertit aut malos suppeditat; cujusmodi sanguinis labes aut hæreditaria aut acquisita est.

1. Communis Observatio est homines è parentibus ortos quandoque insanire solitis, eidem morbo obnoxios fore, & quamvis supra 30. aut 40. annos sæpe prudentes & sobrie vixerint, postea tamen absque ulla occasione, aut causa evidenti in Maniam incidere; Cujus ratio est, quod sanguis eo tempore à debita crasi sensim in nitrosulphuream deflectens, spiritus animales, una & succum nerveum indolis acerrimæ participes εἰς ἐγκέφαλον suppeditat. Olim ostendimus in complexione nostra particulas elementares seorsim à secundariis per nutritionem suppeditatis, durante vita persistere, atque suæ cruditatis, maturitatis & defectionis tempora habere, quamobrem & morbida seminia juxta ætatum periodos, in fructus maturari censemus: Porro annotamus sæpenumero morborum fructus ejusmodi maturatos aliquandiu, aut perpetuo quoad vitam manere, quandoque tamen velut sponte deciduos emarcescere, deinde nonnunquam aliquo temporis tractu ex miasmate relicto fruges novas repullulare, atque ad ἀκμὴν paulatim assurgere; Quapropter Mania hæreditaria interdum continua est, quandoque intermittens, ejúsque paroxysmi modo post breviora, modo post longiora intervalla repetere solent. 2. Quemadmodum Maniæ procatatxis sanguini inhæ-

inhærens, sæpe innata sive originalis est, ita nonnunquam eadem, aut mala victus ratione aut evacuationum solennium suppressione, ob febrem prægressam aut ob alias causas sensim progignitur, & demum ad maturitatem perducta, in Maniam erumpit. Usitatum est in magna annonæ caritate pauperes quosdam, cibis tantum incongruis aut dyspeptis vesci coactos, primo tristes cum aspectu torvo & lurido, & brevi postea Insanos fieri. Hæmorrhoidum aut Catameniorum fluxus cohibiti, aut ulcera cacoethea suppressa, verius hunc morbum disponunt. Porro qui originaliter aut acquisito temperamento acriori, & moribus efferatis, & vultu minaci præditi sunt, propter sanguinis diathesin nitrosulphureæ propinquam, à causa evidenti fortiori in Maniam incidere periclitantur.

3. Fermenta venenosa *sanguini* & *Succo nerveo* insinuata, uti imprimis ab Animalium rabidorum morsu, aut toxicorum quorundam assumptione Insaniam excitare solent. Sic novi Dominam Ill. quæ ex aconiti foliis teneris in acetario comestis, intra nycthimeri spatium Maniaca obiit.

Hæc de Maniæ causis, his insuper adjiciere visum est Audaciam, Robur, & quod labores quosvis usque indefatigati, dolores illæsi tolerent: Maniaci, non uti melancholici, tristes ac timidi sunt, verum audaces ac plurimum confidentes, adeo ut pericula fere nulla effugiant, & res quasque difficillimas aggrediantur: Cujus ratio est; quia spiritus animales efferi admodum ac incitati, tum imaginationem fortificant, ut nullum objectum ei solito majus aut immanius videatur: tum præcordia cum vigore actuant, proinde ut sanguinem nervose acceleriter ejiciant, inque ultima corporis oras vegete propellant. In hoc affectu Anima ultra corporis ambitum efferri & quasi exilire satagit, adeoque quaquaversus enitens, contra quosvis exteriorum incursus sese intrepidam gerit. 2. Insani usque ad prodigium validi ac robusti sunt, adeo ut vincula & catenas disrumpant, &c. cujus certe causa est quod in sanguine ac succo nerveo maniacorum particulæ quasi nitrosulphureæ, aut alias acerrimæ, ac veluti stygiæ continentur, unde spiritus animales vi elastica, seu explosiva stupenda, & longe supra naturalem immani pollent. 3. Observare est Insanos fere nunquam delassari, nam licet debacchando aut eluctando plures dies & noctes membra sua validissime exerceant, ac interea jejuni ac insomnes degant, vix omnino oblanguescunt, nec viribus exolutis ab actionibus desistunt. Quod proculdubio ita fit in quantum spiritus animales, etsi valde mobiles & elastici, non tamen volatiles ac facile dissipabiles, quin ob particulas salinas à volatilitate in fluorem depressas, cum sulphureis combinatas, firmi & fixiores evadunt, & ob id in activitate sua diutissime perdurant: pariter ac observamus de Aqua forti, quæ licet in vase aperto contenta effluvia quamplurima perpetim emittat, usque tamen substantiam suam illibatam fert, ac vim corrosivam retinet, secus ac spiritus vini aut sanguinis, quorum virtus cito evaporat. 4. Ob eandem pene rationem quantumvis tolerant aut affliguntur, minime læduntur, sed frigus & æstum, Vigilias, jejunia, verbera & vulnera absque noxa sensibili perferunt, quia Spiritus fixati & robusti, neque tergiversantur nec avolant: porro sanguis dyscrasiam nitrosulphuream nactus, cujusque alius subitæ mutationis incapax est; quare licet transpiratio insensibilis inhibeatur, aliæque vacuationes solennes supprimantur, aut succi nutritii supplementa denegentur, nec catarrhus, nec febris, nec atrophia, nec cacochymia Maniæ facile superveniunt; Nam in hoc affectu, quamvis sanguinis particulæ valde turgescant, attamen ob salis copiam incendium febrile minime concipiunt. Ut etiam Aqua fortis, etsi multum effervescat, & alia subjecta adurat, ipsa tamen non omnino inflammatur, quin potius incendio resistit. *Willis cap. de mania.*

OBSERVATIO II.

Maniacus affectus in puero, ab atra bile vasa duræ & piæ matris occupante, Eadem in vasis partium vitalium & naturalium contenta.

ANno 1677. 14. mensis Maii, dissectus est puer annorum quinque à Magistro Bailly Nosodochii Genevæ Chirurgo perit. in Orphanotrophio, me præsente & D. D. de Communis Nosodochii Medico Præstantissimo. Vividi erat ingenii puer, agilis, macilentus, qui per quatriduum tantum ægrotavit. Conquestus est de dolore capitis, cum febre mediocri. Tertia die morbi, noctu ululabat instar canis, cum brachiorum varia agitatione, de die satis erat quietus, sed quid garriret nemo intelligebat, adeo ut assistentes obsessum à cacodæmone esse crederent, Latine & Græce eum loqui asserentes: quæ causa fuit quod cultro anatomico expositus fuerit.

Aperto medio ventre: 1. Peritonæum divulsum apparuit, nec non omentum, quorum pars supra, altera infra retracta erat. 2. Intestina flatibus tumida apparuere, præsertim colon, cum paucis fæcibus in omnibus. 3. Mesenterium aridum erat, exilibus admodum vasis præditum. 4. Jecur diaphragmati adnatum erat pluribus in locis per fibras membraneas. 5. Vesica fellis magna, bile fusca, grumosa repleta. 6. Lien fere orbicularis figuræ, in orbem convolutus. 7. Renes pro ætate magni, intus & extra hydatidibus referti. 8. Vesica lotio repleta. 9. Ventriculus contractus, interius admodum rugosus, cum aliquo mucore. 10. Vasa omnia imi & medii ventris atrum humorem continebant, *Thorace aperto.*

11. Pul-

11. Pulmones dextri cohærebant undique partibus vicinis; sinistri summa tantum parte, per fibras ex mucosa humore concretas; qui pulmones extimâ parte vestiebant, marmoris instar variegatos, scirrhosos, tuberosos; quorum vasa atrum cruorem, sed paucum continebant. 12. Pericardium plurimam aquam limpidam continebat. Cor pro ætate magnum, omni pinguedine destitutum, cujus nulla in toto vestigia. 13. Diaphragma, parte qua imum ventrem respicit, hydatidibus erat coopertum. Nihil tamen hactenus deprehendere licuit quod causam morbi & mortis innueret, at hæc in tertio ventre, scilicet Capite, manifesta fuit, nam ablato cranio superno, adeo tumebat cerebrum, ut eo reposito, intra proprios limites reprimi non potuerit, dissidentibus ab invicem admodum utrisque oris. Vestigia suturarum, coronalis & lambdoideæ, duræ matri altè meningi duræ impressa erant, quæ se inter illas intruserat; vasa utriusque meningis atro sanguine admodum erant tumida, qui multus erat in sinubus & torculari. Inter dissecandum cerebrum: (more Sylviano) maximè in corpore calloso, infinita puncta sanguinis micabant, præsertim compressione facta. Abscisso collo, quo faciliùs cerebri partes in conspectum venirent, plurimum serum ex occipitio emanavit, quod proculdubio in ventriculis continebatur, qui exhausti apparuere. *Ex propriis Observationibus.*

Hac ex historia manifestum fit verum esse quod ex *Ballonio* Observat. 6. sequenti adducemus, in multis qui insaniverant, vasa capitis inventa esse turgentia, dilata ac varicosa. Atrum verò sanguinem in iis deprehensum, localem in cerebro non habuisse generationem, patet ex eo quod vasa imi & medii ventris atro humore scatebant; sed pauco, cujus pars maxima in cerebrum delata fuit. Quæ causa raptus, insolatione an alia, nos latuit; Id vero illi cum plerisque fuit commune, quibus scilicet ater ac crassus cruor in cerebro; vel alio in viscere reperitur, ut iisdem multum serum, à sanguinis massa secretum, in vicinia deprehendatur. Sic hoc in puero vasa meningum atro cruore erant tumida; resecto autem collo, copia seri insignis ex occipitis foramine exiliit: In pulmonibus paucus erat humor, crassus, niger: at in pericardio plurima aqua; hydatides multæ diaphragmatis parti quæ imum ventrem respicit adnatæ erant, necnon plerisque pectoris & abdominis locis.

Observatio III.

In Maniacorum cerebro macula nigra deprehensa est, aut meningibus.

Maculam quandam in cerebro vel meningibus deprehensam sectione, Maniæ causam fuisse aliquando inventum fuit. *Platerus Praxeos lib. 1. cap. 3.*

Observatio IV.

Meningum putredo in Maniacis aliquando notata.

Sicuti & nonnunquam putredinem in cerebri meningum aliqua sede natam inventum fuit: A quibus vapores tetros continuo suscitatos spiritus conturbasse verisimile est. *Idem.*

Observatio V.

Mania à vermibus in cerebro inducta.

§. 1. A Vermibus in cerebro genitis Maniam accidere posse aliqui prodiderunt; Quæ vitia occulta, cum post mortem calvaria aperta primum manifestantur, vix vivente homine qualia sint, nisi in genere ex eo quod alia signa, quæ alias demonstrabant causas, hic desint, conjicere licet. *Idem.*

§. 2. In quodam milite qui resimis erat naribus, ex fœdiore quadam eluvie diutius cohibita, vermes duo villosi instar digiti, intra nares geniti inventique sunt, qui tandem in Furorem illum adegerunt; febréque non admodum manifesta de medio sustulerunt. *Fernelius Patholog. lib. v. cap. VII.*

§. 3. Vermis qui generatur in Cerebro, & Maniam inducit Equo; an à putredine humoris? An ab apophysi vermiformi in vermem degenerante: (Initio quarti ventriculi apophysis quædam apposita est, à vermis figura vermiformis dicta) *Vercoquin* Gallis dicitur, inde proverbium; *Chacun a son Vercoquin en la teste*, ac si intelligerent istam apophysin Vermiformem. Quinetiam veterinarii istum vermem interficiunt ustione facta inter caput & collum. *Riolanus Anthrophag. lib. 4. cap. 1.*

Observatio VI.

§. Mania à venis cerebri varicosis ortum ducens.

Multis qui insaniverant post melancholicas affectiones, caput apertum fuit: Venæ capitis inventæ sunt turgentes, dilatatæ ac varicosæ factæ. Idem capiti contigerat quod

quod venis varicosis. Imo affectus erat quem Hippocr. lib. 2. de morbis ταρίμενον vocat venarum; Supervomitionem & eructationem voco. *Ballonius Paradigm.* 184.

V*Ena varicosa*) Crassiori & exusto sanguine circa valvulas hærente & impacto, qui ibi ϛάσει ϰ συμπήξει quadam insinuatus, συςςφθεὶς, convolutationem quandam, spirarum instar facit, nodósque & crispitudines: venarum enim officium est sanguinem, per arterias jugulares ad cerebrum evectum in cor iterum revehere.

Ταρίμενον, &c.) Affectum illum sic ab Hippoc. vocatum dolorem capitis inducere vult: ut vero mania inde deducatur, aliud præterea requiritur, occulta scil. qualitas, humoribus ibi coercitis inhærens, enormium illorum pathematum parens, quæ à manifesta causa solóque calore p. n. proficisci non possunt. Sic furor uterinus à semine corrupto, malignam & venenatam vim adepto oritur: Sic hydrophobia, species maniæ, à morsu venenato canis rabidi, in quocunque temperamento, sine atræ bilis concursu oritur: venena præterea quædam; ut cerebrum mustelæ & solanum maniacum, eam inferunt, quanquam non negandum in melancholicis & atrabilariis frequentius produci, quod humor ille tali dispositioni suscipiendæ idoneus est.

Venæ turgentes, dilatata) Dispositio maniaca sæpe in massa sanguinea radices habet, & demum in actum producitur: De sanguinis labe ad eum morbum inducendum requisita, *consule Observat.* in Scholiis. Continetur autem nunc in universi corporis vasis, nunc in cerebro propioribus; interdum in ipsis cerebri vasis, unde etiam mitiora vel graviora & hæc vel illa symptomata excitantur. Totius corporis vasa materiam continuerunt in Eo qui per Transfusionem sanguinis curatus est, de quo consule Acta Londinensia: Cerebri vasa affecta fuere præsertim in iis quibus post obitum venæ cerebri quasi varicosæ repertæ sunt.

Observatio VII.

In demorso à cane rabido, pericardium sine humore repertum, & ex parte consumptum, Sinus cordis aridi.

RAbidi canis venenum quatro ordine calidum esse videtur, cum enim dissectum esset Monachi cujusdam cadaver, tria notanda apparuerunt: 1. Nulla aderat humiditas aquosa in pericardio, tota erat consumpta ab hoc igneo veneno: 2. Sinus cordis conspiciebantur aridi & sanguine prorsus destituti, 3. in Pericardio portio quædam fuit observata ferme combusta & in pulverem redacta. *Capivaccius pract. lib. 7. cap. 12.*

NOn inde tamen evincitur hujus morbi causam in qualitatibus primis consistere, cum cujusque temperiei homines invadere queat: defectus enim aquæ in pericardio, Siccitas ventriculorum cordis & ὑγρασίας nota in pericardio sequi potuerunt ad potus abstinentiam quæ hydrophobiam sequitur: Statuatur ergo causa venenum peculiari modo dispositum, à tota substantia, ut loquuntur, agens: Qualitatibus primis non adscribendam causam ex eo patet, quod in dies multæ mutationes in primis qualitatibus accidunt, quæ tamen rabiem non excitant. Experientia præterea teste, non in maximo solum æstu, sed & per maxima frigora canes in rabiem aguntur, quod non contingeret si à caliditate & siccitate malum ortum duceret; à causa enim frigidissima effectus calidissimus oriri non potest.

* Eandem veneni rabiosi caliditatem ex memorata observatione Capivaccii deducit Clariss. D. Franciscus Raynaud tractatu suó gallicó de febribus malignis & puncticularibus; pluribusque id etiam confirmare intendit, ac propterea affert historias à Palmariô, Meischnero, & Fabriciô Hildanô, conscriptas; item rationem operandi variorum medicamentorum antylissorum; quibus adjicit eatenus aquam hydrophobicis tot creare molestias ac turbas, quia calci sanguinis; seu inquinamento cinerulento, ut ipse habet, ibidem contento; affusa, non aliter agit, quàm humida lapidi calcario excocto superinjecta, videmus operari. Cujus autem ponderis sint hæ rationes si cui placet perpendere, poterit eas legere fusè fatis exaratas à prædicti tractatuli pag. mihi 104. ad usque pag. 144.

Observatio VIII.

§. *In quodam hydrophobia affecto summa siccitas viscerum reperta.*

ANno 1674. mense Majo juvenis artis Saltatoriæ magister, à cane rabido mordetur; Tertia post septimana in hydrophobiam incidit, salvo tamen judicio; dantur illi pilulæ purgantes, à quibus ritè expurgatur: postridie, quod nausearet, exhibitum vinum emeticum; Paulo ante assumptionem, cum alio ejusdem Artis magistro, cui cum jurgium extiterat, in gratiam redit mutuisque amplexibus uterque ejus firmitudinem testatur; tertia ab hausto hora extinguitur: Pro more loci, ante sepulturam, à Chirurgo, ad id officii destinato, cadaver examinatur: Ille livore digitorum animadverso, (qui à convulsionibus inter irritos vomendi conatus ortus erat) malignitatem suspicatus, & ignarus eorum quæ præcesserant, aperiri cadaver voluit. Intactum fuit cerebrum, sed in visceribus naturalibus & vitalibus summa siccitas fuit deprehensa, quæ an veneni indoli, aut potius inanitionibus præcedentibus adscribenda fuerit, dubium remansit. *Ex propriis observationibus.*

Dios-

Dioscorides, eumque sequuti quidam practici, ubi Rabies ad hydrophobiam processit Elleborum exhibeot. At vero cum id venenum mere sit spirituale, satis est propriis specificis oppugnare, atque per vesicatoria & caustica evocare: Inter specifica commendatur eximie radix cynorrhodonis siccata & ad ℥j. pluries ex aqua quapiam hidrotica, e.g. cardui ben. exhibita. Forsan ab ea efficacia, rosæ caninæ & rubi canini nomen illi inditum.

Observatio IX.

§. *Luporum morsus, præsertim Rabientium est venenatus, quod in eorum renibus serpentes nascantur.*

IN Luporum senum renibus serpentes observavi, ita ut aliquando Lupus in uno rene duos habeat serpentes, quorum unus pedem longus, alter pollicis longitudine, alii etiam breviores sint, qui venenatissimi redduntur & cum tempore Lupum enecant. Hinc videmus si animal aliquod à Lupo fuerit præmorsum, raro & quam difficillime curari, quod dubio procul propter peculiare venenum in Lupo delirescens usu venit: pleraque enim animalia præmorsa moriuntur, aut saltem membrum præmorsum putrescit. *Carolus Stephanus Agricult. lib. 7. cap. 1. Gaspar Bauhinus lib. 1. cap. 17. de corp. hum. fabrica Ioh. Bauhinus Tract. de Luporum rabie memorabili p. 77.*

Observatio X.

In iis qui demorsi sunt à cane rabido nihil anginosum deprehenditur.

MOrdendi desiderium in à Cane rabido morsis, magni nominis Medicus referebat ad inflammationem faucium, & conjunctam Anginæ speciem: Sed aperta aliquoties cadavera, nulla inflammationis vestigia ostendere. *Gu. Rolfinkius Dissertat. Anat. lib. 1. cap. 13.*

Observatio XI.

§. *In Equis, Bobus & ovibus Rabie affectis vermes in capite deprehensi.*

ÆStas hæc sicca æstuansque multa animalia in phrenitidem & vertiginem agit, quod damno suo multi apud nos agricolæ experti sunt. Notandum id imprimis de equis bobus & ovibus, vermes capiti inesse ita affectorum rusticorum nostrorum est observatio *T. Bartholinus Cent. 3. Observ. 48.*

ADDITAMENTA.

Observatio I.

In Rabidis Oesophagus phlegmate repletur.

RAbidi laborant vel palati inflammatione, quod non videtur: vel ea angina quæ laryngem occupat, vel ea qua œsophagus phlegmate repletur. Quæ quidem duo in ipsis fieri per Sectionem facillimè patere potest. *Iosephus de Aromatariis tractatu de Rabie contagiosa.*

HIc Auctor in ea est sententia rabiem esse sui generis anginam, affinitatemque aut potius identitatem eorum morborum ex his deducit. 1. Quòd anginâ & rabie præcipuè afficiantur canes. 2. Ex symptomatum anginam ac rabiem concomitantium similitudine, sic enim de angina Aretæus, ex interpretatione Pauli Junii Cassii. Adest sane in cane angina laborante tonsillarum, faucium, totius oris inflammatio: lingua extra dentes & labia prominens: Saliva effunditur: pituita crassissima ac frigida defluit: facies rubicunda & inflata est: oculi exerti, patentes valde rubent: potus in nares refunditur: dolores acerbi sunt: sed strangulatione vexati eos obscurius sentiunt: pectus & cor ardent: frigidi aëris desiderium adest, & admodùm exiguum inspirant, eo usque donec demum intercluso ad pectus aëris transitu strangulentur. Jam verò *inquit Clar. de Aromatariis*, quis hujusmodi accidentia in cane viderit, qui non statim ipsum rabidum affirmet? Nonne sunt ista quæ nos deducunt ad rabidorum cognitionem, dictitantibus auctoritatibus & ipsa insuper natura? 3. È causis utriq; morbo communibus, sc. caloris aut frigoris excessu, unde fluxio facillimè in fauces concitatur. Quòd autem fit contagiosa non minus esse addit quandoquidem etiam sine contactu affectoines contagiosæ reperiantur, hicque virulentia in parte affectâ gigni possit, quæ commorso membro infusa contagium inducat. Verùm causam hanc nullatenus agnoscere potest Clariss. Martinus Lister sua de Hydrophobia dissertatione; siquidem, inquit, bolos optimè & facillimè, imò avidè, canum more appetunt devorantque, cùm ne linguæ quidem apice potionem ullius generis tetigisse valeant. Quid ergo est, addit? Planè ipsa saliva in causa est: nam quoties illam deglutire contingit, stomachus tanquam contra rem maximè odiosam insurgere solet: nec aliud molestius aut gravius symptoma, quam quod ex mota saliva oritur. Quæ itaque humida sunt, cùm ex similitudine naturæ communis, crassis & solidis cibis promptiùs salivam movere soleant, ideò multò magis abhorreri credibile est. Potionem itaque hi mi-

feri per se non recusant, sed quòd propriam salivam venenatam, à porulentis vehementiùs mostam, ampliùs deglutire in stomachum non sustineanr.

Observatio II.

In Anatome Hydrophobici viscera variè affecta reperta sunt.

LAurentius Serenissimæ & Clementissimæ Reginæ meæ à pedibus, die 1. Martii, 1678. in subitaneam incidit hydrophobiam, ut ne guttulam liquidi cujuscumque generis posset deglutire, cùm tamen solida quæcunque promptè per gulam demitteret. Ab exhibitis bezoarticis & alexipharmacis parum juvabatur, die tertio rabie correptus, salivâ ubertim ex ore fluente adstantes omnes conspuebat, quarto demum morbi die extra lectum in sella sedens, facto uno & altero corporis subsultu, subitò suffocabatur. Aperto per Chirurgum Regium Philippum Hacquardum me præsente cadavere, corpus prorsus extenuatum erat, ac si hectica diuturna tabefactum fuisset, caro musculosa omnis, ut & pinguedo penè consumpta, omentum item penitus absumptum ut intestina flatibus distenta nuda jacerent, mesenterii glandulæ & pancreas prorsus extenuata. Hepar in parte convexâ sano simile, in parte concava inflammatum & gangrænæ proximum cum pleura tam firmiter coaluerat ut vix nec sine ruptura avelli posset. Sinister lobus hepatis lieni tam firmiter adnatus erat, ut nonnisi sectione ab invicem possent separari. Vesicula fellis bile viridiuscula plena, costis itidem arctè adhærebat. Ventriculi interior tunica corrupta ut digitis posset abradi. Ejus superius orificium exile admodùm, ut & totus œsophagus angustus valdè & quasi constrictus. Pulmones atidi & ex succi costis utrinque adnati. Pericardium ne guttulam aquæ continebat. Cor flaccidum & extenuatum, cujus dextra auricula insigniter tumebat, dexter ventriculus sanguine grumoso plenus, in sinistro sanguis planè fluidus. Renes satis magni notabili vitio carebant, succenturiati egregiè conspicui. Cerebrum non intro spectum, quia instrumenta ad calvariæ depositionem necessaria ad manum non erant. An à cane rabido demorsus unquam fuerit, à me, cùm mente adhuc constaret, interrogatus, se id non meminisse ajebat, suadere tamen id videbatur cicatrix in sinistro crure post mortem conspicua, quanquam non desint exempla lethalis hujus aquæ metus, ut Plinio lib. 8. N. h. cap. 40. Vocatur etiam citra morsum canis rabidi, prout videre est apud Marcellum Donatum histor. medic. mirab. lib. 6. cap. 1. Salmuth. cent. 2. observ. 52. Zacut. Lusitan. de Medic. Princ. histor. 20. Borell. cent. 3. observ. 38. Proinde etiam famosum illud aquæ marinæ balneum in cura neglectum, quòd demorsi antequam hydrophobia superveniat juvamen aliquando inde accipiant, ubi verò aquas jam horrent; *Nec formidatis auxilientur aquis* Joh. Henricus Brechtfeld in Actis Danicis Bartholinianis Ann. 1682.

Observatio III.

Rabidorum cerebrum vermibus scatere repertum.

CUm anno 1674. ipsis diebus canicularibus Hamburgo cum aliis in Saxoniam inferiorem proficiscerer, occurrit nobis in rheda amicè confabulantibus circa crepusculum canis pastoralis rabidus, quem, ne aliis in vicinia noceret, ocyus quidam è sociis nostris plumbeo globulo trajecit, nomine Tobias Lorch Prussus, Chirurgiæ candidatus, literisque bene tinctus. Qui, cùm me medicum esse rescivisset, multis humanitatis officiis in itinere non semel præstitis, amicitiam meam ambiit & promeruit. Post sobriam cænam mihi in horto ambulanti sese sociat causam rabiei cupidè indagans. Placuit juvenis studium orto ergo sole caput prædicti canis aperuimus. Tum neuter quidem fœtorem persentit, ambo tamen deliquio animi correpti cæpimus titubare, illeque vomere. Sumptis verò rotulis bezoardicis statim nobis ex voto redditi. Hinc contra venenum, quantum potuimus, balsam. antapoplect. & acero theriacali Timæi, satis muniti, sufflaminato halitu, clausisque naribus & ore, hocque aceto illo repleto, avensaque circa cadaver strue, ex ligno quercino & fagino congesta, propius & animosius accessimus mirabilia naturæ contemplaturi. O si tunc nobis adstitisset Reysius, expunxisset fortè merum cerebelli sui figmentum in Camp. Elys. quæst. 61. §. 1. publicè pronuncians se injutiam fecisse Jacobo de Partibus. Totum cerebrum maximè putridum è calvaria statim protapsum in gramine longiùs diffluxit, inque eo diversi vermiculi, quorum plusculos in majoribus bullis, è viscoso putrique cerebri liquore elevatis, vel ex motu interiori notavimus. Hæc agentibus supervenit canus opilio anatomen nostram visurus. Qui cùm utrumque adhuc quasi attonitum cerneret cum cachinno ajebat: mihi sanè nihil novi, cùm tamen literis me nunquam manciparim. Parratio cum ovibus: Notastine talia spectacula in ovibus? Mirabiles socii/ vidistis

dictis tales vermiculos? sunt rabidi vermes, seu potius vermes rabiem inferentes; corrodunt bestiis cerebrum, inque rabiem agunt, ut quiescere nesciant. Uterque ei 24. grossos ostendens. Dic nobis, quæsumus, o bone senex, at dic serio, an res ita se habeat. Ille corrugata fronte, & pectus suum palma tundens; quid? Si ego silicernium vobis mentiar, rapiat me diabolus! Vultis ne interiora canis, inque iis vermiculos contemplari? Vera loquor, credite mihi, & senes adhuc sapiunt. Bene; manum igitur ad canem. Quod si feceris gratiam mereberis & hoc præmium. Ille, sumto priùs jentaculo, & devoratis, ni fallor, 12. baccis lauri, quibus se canitiem suam debere sanctè fatebatur, rem animosè aggrediens, nobis interim procul sensim recedentibus, aperto canis ventre, viscera, pedo suo hinc inde, longiùs aliquantulum recedens, subindeque volutans, allium mandebat. Cùm verò nullos cerneret vermiculos, præter lumbricum ex intestinis protractum, cum indignatione dicebat lumbricum istum minores omnes vermiculos devorasse.

AMphion noster amicus Reiselius, nunc Consil. & Archiater-Studgardianus, reperit in sinistri lupini renis superstite membrana vermem 2½. uncias, seu pollicem, longum, ore patulo, capite cruento, plures insuper albos minores. In narium quoque spongioso osse duos invenit lat. usculos, velut qui in ovium hepate sunt. Hosce vermes rectissimè rabiei causam conjicit. Ego, ut nihil omitterem, quantum ad notitiam veritatis, ab ipsis canicidis per alios explicatus sum, annon & ipsi in rabidis canibus occisis similes notassent historias? Negantes promisso præmio monui, ut scrutarentur. Multum enim interesse, ut scirem. Fuere, bisque mihi monstrarunt in capitibus, renibus ac intestinis canum, ob rabiem cæsorum, inventos. Sic alicubi observationem sequentem scriptam reperio. Vidi canem ex cujus toto corpore, magno cum fœtore, innumeri prodibant vermes albi, qui ei intra biduum mortem intulere miserrimam. Hic canis rabidus antea fuerat, sanatus tamen iterum. Cùm vero cadavere equino, intolerabilem mephitim longè latèque spirante vesceretur, denuò incidit in istum morbum, in quo etiam periit. Dices, si hoc malum à vermibus, eccur Hacquard. Regius in Dania Chirurgus, amicus quondam noster, in anatome Hydrophobi nullos omnino reperire potuit? R. Nec cerebrum, ob instrumentorum defectum, introspectum est. Et licet nulli, oculis saltem obvii, in cerebro inventi fuissent, quid inde? Cadaver infaustæ illius Catharinæ quæ anni retro quasi 20. innumeros bufones vomitu rejecerat, à curioso Sirio nostro, Dom. Volignadio dissectum, ne vestigium quidem bufonis ampliùs exhibuit. Ergo ne relatio ficta? Narravit etiam mihi Nobil. D. Francisc. Guilielm. à Steinhauss, fautor olim honorandus, in dissectis capitibus rabidarum ovium, ab aliis, quorum officium erat, diligentiùs examinatis, aliquando integros globulos vermium plenos fuisse repertos. Et in evisceratione lupi, ob rabiem à rusticis Westphalis cæsi, in dextro rene planè exeso, vermem rubicundum, sed albis maculis eleganter distinctum, palmam infantis longum, cauda bifurcata, & acuto rostello armatum, inventum esse, à Veterano quodam Venatore in Comitatu Waldeccensi olim accepimus. Quocunque itaque modo rabies nobis communicetur, atomi verminosæ, seu μιάσματα vel seminia fermentabilia, simul in nos derivantur, vel tamen ex seminio, ante in nobis contento, suscitantur, quæ non secus ac ictu suo tarantula κρᾶσεος suæ velut genium, vi fermenti deterioris, inducunt. Ut enim in seminibus vegetabilium tota latet idea plantarum quæ sub veris initium, jam tum tumente & sale suo gravida tellure, ipso quoque calore solis, genuino coctionis opifice, in partem veniente, excitatur, digeritur, perficitur. Sic in exigua admodum particula, in minima atomo, fermenti ita dicti, morsu, contactu, alioue modo in hominem translati, inque corpore ejus paulatim luxuriantis, tota reconditur indoles symptomatum, quæ post variè producuntur, pro vario ægrotantium temperamento, læsa puta phantasia, ac læsis spiritibus, à fermento illo peregrino. *Christianus Franciscus Paullini in Cynographia Curiosa.*

APPENDIX.

In qua duplici historia præcipua Hydrophoborum symptomata dilucidè explicantur.

§. 1. IAcobus Cotton, juvenis procerus, atque admodum robustus; à Cane quodam rabioso dextra manu leviter morsus est, vulnusculum per se sanatum est; imò res ipsa & sibi & ejus uxori omnino oblita est; mihi tamen respondit (cùm Hydrophobia correptus est, & ea à me causa assignata est, cur aquam jam bibere non potuit.) se uxori dixisse, illud sibi valdè mirum visum fuit, quòd canis, antea sibi tam familiaris, ipsum tunc morderet: at è memoria id totum sibi excidit. Post quadraginta verò plus minus dies de dolore quodam totum quidem corpus, maximeque dorsum & tota circumcirca præcordia, vehementer afficiente queritur; pallescit, huic cavi oculi, &c. Die autem tertio à primo insultu ad vesperum, circiter medium *Martium*, Anno 1682. Spiritum Vini dictum meracum, & calefactum, petiit, potavit, lecto decubuit, vomuit, noctem inquietam egit, & postridie manè valdè ægrotavit cum stomachi vehementi insultu; & quamvis *minimè sitiebat*, tamen omnino bibere non potuit; imò jam propriam salivam ægrè quidem deglutiebat, quod ipsi, ut nobis seriò multotiès asseveravit, vel morte pejus erat: ejusdem autem diei manè, & Diascordii tantillum, & aquam Theriacalem ei obtulit quidam Pharmacopola. Diascordium

quidem

quidem sumpsit, at aquam gustare non potuit. Atque hæc mane: Prima autem ejusdem diei pomeridiana hominem primùm vidi, lecto decumbentem; pulsum protinus exploravi admodùm tardum, & interdum inæqualem; at neque id, nisi ab aliquo stomachi gravi insultu; habitus corporis frigidus, lingua non sicca, sed flexilis & humida, subalbida. Hominem surgere jussi, & ante claram lucem eum posui; & quòd de nescio qua gravi ægritudine circa stomachum multùm querebatur, aquam Theriacalem, quæ ad manus erat, propinavi: at cùm ori ejus poculum appropinquarem, inhorruit quidem tremuitque: illud equidem infinita admiratione spectabam; adeóque vinum aquámve petii; & aquam mihi ejus necessarii attulerunt, quam ei statim potandam dedi; se vehementer ad eam resiliit, & ejus stomachus modo quodam insolito valdè intumuit, & tunc pulsus ei multùm tremulus & commotus est: ampliùs autem eum ad bibendum provocavi; sed ut ad ejus os aquam propiùs moverem, magis magísque attonitus, caput retrò avertebat, singultiens, & eam torvis oculis intuens, non sine dentium stridore tandem & vociferatione. Illud vehementer miratus sum, nec ejus symptomatis rationem ullo modo reddere potui; diu verò cogitabundus, feliciter mihi in mentem venit, hunc *Aquæ metum* esse, mihi tantùm ad hoc tempus ex libris cognitum, nondum tamen visum. Quo animadverso, iterùm atque iterùm hominem ad bibendum provocavi; & totiès illum valdè perturbatum expertus sum, maximè ad aquæ appulsum: Tandem uxoris matrem & ancillam adstantes interrogavi, qua corporis parte nuper vulneratus est; qua quidem quæstione confusæ, responderunt, Quare id quærebam se velle scire: Illum à quodam cane morsum esse dixi. Id verum est, ipse ægrotus territus subitò migirespondit, à cane cujusdam *Sutton*, vicini mei, morsus sum; sed vulnus jamdiu sanatum est. Posthæc hominem rursus decumbere jussi, illúmque relqui. Uxorem autem & necessarios alibi domi conveni, & ejus mortem, ut rem certissimam prædixi; siquidem tardiùs esset, quàm opem aliquam ferre potuerim; item neminem præter custodes, strenuos aliquot viros, illi adesse permittere volui.

Venam autem in brachio demorsæ manûs statim secandam curavi; vulnus scarificatione profundiore aperui & vesicatoria superinjeci, eadem regioni interscapulari, tibiis & brachiis ex interna parte admovi; item Antidotos famosas & usitatas, ut Theriacam *Andromachi*, cinerem Cancrorum fluviatilium, Rutam, Agaricum, &c. formâ boli propinavi. Illud autem notandum est, *solida* quæque cochleari assumere potuit; (quod ut jam video *Celsum* non latuit) sed id non sine multo tremore & metu; obnixè supplicans, ut cautè id fiat, neque aliquis ea subitò & improvisò afferret, & ut in ejus manus leniter deponerentur; quibus acceptis, manum suam suspensam paulatim versus os dirigens. subitò cochleare intra id, velut ejaculando, conjicere voluit, & dicto citiùs, velut *canis ad offam*; quicquid in cochleare contentum est, deglutite, idque multo expeditius, voraciúsque quàm est hominum aut consuetudo aut natura. Ex variis autem Antidotis aliquid singulis horis ad multam noctem sumpsit, & semper admodum jam descriptum: item Potionem plurium generum subinde obtulerunt die noctéque quam tamen nunquam sine horrore vidit, *gravi stomachi motu superveniente*. At Salivam deglutire ei horrendum fuit; perinde, ac si mortem ipso momento inferrer. Nox illa ex toto insomnis fuit.

Postridiè verò ejus sanguinem, è venis missum, diligenter inspexi; optimè quidem se habentem, & colore, & consistentia, & proportione utriúsque partis seri ac crassamenti rubri, & sanorum sanè quàm simillimum.

Febricitavit jam primùm, & pulsus jam celerrimus, fortasse magis à calidis Antidotis, multoties exhibitis, & vigilia perpetua & animi anxietate, quàm à morbo. Aqua denuò oblata est, sed frustrà: imò me magnopere rogavit, ut non ampliùs ei molestus esse velim, ut saltem quietè mori finerem, adeò aqua ei terribilis, ut nihil suprà; sed & omnia alia quæcunque illi jam terrorem incutere dixit; ejus mortem jamjam instare sentit, quòd animo, inquit, penè defecturus sum; & admodum quidem pallidus, & cavo & tenui vultu erat.

Multâ autem difficultate hominem vestitum persuasi, ut se in faciem inclinaret, lectóque incumbentem, sese super ventrem prosterneret; pectore tamen & vultu in terram ultra lectum liberè deorsum prospiciente: nam mihi verisimile esse videbatur, ut hoc corporis positu (sc. *canino*, aut quadrupedum more, quàm erectiore, humanóque) faciliùs biberet. Itaque cerevisiæ tenuioris Vrnam capacem ipsius ori placidè subjici curavi; quam, protinus ut aspiceret, infinito gaudio amplexus est; & ejus odore se admodum refici dixit; potionémque jam cum insigni voluptate vidit; seque minimè dubitare, quin totam Vrnam siccare posset affirmavit; & qui jam tantùm non moribundus videbatur, jocosè loquutus est, & cum uxore & necessariis ejus multa lepidè & jucundè confabulatus est; inventionem meam mirificè laudat, mihique gratias quàm maximas ex animo dedit, &c. Caput autem versus cerevisiam maxima festinatione impetúque movebat, sed frustrà, nam, quoties labia aperuit,

aperuit, stomachus vehementer offensus est; linguam jam exeruit, ac si lamberet; sed cùm vel summo ejus apice cerevisiam tangere contigit, territus resiluit; bibendi tamen vana imagine usque delectatus est; amphoramque è conspectu ejus subducere ancillam sinere noluit, & quoties eam parùm & leniter subtrahere conata est, odorem sequutus est naribus, canum more, sollicans. Diu & multùm sic frustrà fatigatus, se jam plurimùm offendi dixit odore cerevisiæ tenuioris, scilicet nimiùm vapido & languido; idque sibi ne biberet impedimento esse; itaque *alam* (fortiorem cerevisiam nostratibus dictam) petiit. Atque illa ex voto dicto citiùs oblata est; sed post infinitos conatus, & linguam millies, canino more, exertam, neque ex ea vel primis labiis gustare potuit. Atque hac positione modo ventri incumbens, modò manibus & genubus innixus, integrâ minimùm hora persistebat (*Tantalum* agens) at omnino citra potionem. Deinceps, tenuis fistulæ, è pennis coagmentis confectæ, alterum caput ejus ori, atque alterum cerevisiæ, immittimus; sed illo Syphone uti non potuit; atque idem esse videbatur, ac si quis illum Canis ori intrusisset. Ita vexatus, me persuadente, tandem decubuit, & non multò post exitum meum nervorum contractione correptus est, ore spumavit, *latravit*, adstantes dentibus petiit.

Hoc autem paroxysmo finito *Elleborismum* in bolo propinavi, quod libenter avidéque, perinde ut cætera, sumpsit, ab eo ter quaterve copiosè vomuit, eóque se multùm levari dixit; tamen subinde convellebatur, & in accessionibus semper desipiebat. Post quatuor autem horas hominem rursùs visitavi, & jam Sacerdos etiam accersitus est, quo cum multa loquutus est sobriè & piè, præcésque publicas ab eo repetens, & sacramentum mensæ Dominicæ vehementer petiit; quod tamen propter morbum dare non licuit. Testamentum scribi jussit & rationum libros inspexit. Post hæc rursus hominem ad bibendum sollicitavi, & jam promptè seipsum in ventrem sua sponte vertebat, omnique artificio & ingenio usus est, ut de cerevisia capiti subjecta biberet, sed nunc ut olim frustrà. Insuper poculum exiguum argenteum, Potionis plenum, in ejus manum tradidi; quod, cùm prope os leniter & suspensa admodum manu admovisset, subitò intra proprias fauces illud ejaculare voluit, ut de bolis facere consuevit, sed dentibus allisum, in amphoram subjectam cecidit.

Illum autem, cum non meminissem, toto decubitus tempore vel minxisse vel semel dejecisse, ideò enema dari curavi, quod protinùs rejecit & convulsus occubuit. At eum non minxisse, & satyriasi molestissima correptum fuisse, (de qua plurimùm quæstus est, maximè cùm in genibus & manibus incumbebat lecto) à vesicatoriis potiùs, quàm à morbo oriri, verisimilius mihi esse videbatur; at lecto postea *Cælio Aureliano*, Antiquorum diligentissimo (si quis alius) scriptore, ipsius morbi unum *è propriis signis* esse cognovi.

Ne quid autem omitterem de iis, quæ aliquo modo ad morbi intelligentiam facere possint: insuper dicam, me quandam mulierem è propinquis ejus fortè convenisse, cujus filia: ut mihi retulit, valdè anxia erat, ne illa quoque periclitaretur, quòd hic vir à sua domo redeuntem puellam nocte conducere ad ædes maternas voluit; séque benè meminisse ejus manum, qua illum tenebat, totúmque corpus tremuisse, & frigido sudore maduisse, multúmque secum murmurasse, ut illum rogaret, quomodo se haberet; respondit, quòd post operam quotidianam, (nam supellecticarius erat) ita se malè habere nuper consuevit.

Neque illud silentio prætereundum est, ipsum canem, à quo morsus est, hominem ea nocte sequutum esse: imò ipse canis vivus & sanus esse videbatur, quo tempore homo mortuus est. *Martinus Lister de morbis aliquot chronicis, Dissertatione de Hydrophobiâ.*

§ 2. Jacobus Dumas Lanificus, juvenis, à cane rabido in utroque brachio commorsus, se commisit Chirurgo cujus opera & consilio perductis ad cicatricem celeriter vulneribus ad mare se contulit, ubi non solùm per triduum, uti mos est, balneum assumsit, verum ad majorem, ut opinabatur, prophylaxin, aquam marinam per ipsum triduum potavit. Paucis à reditu in domum diebus decubuit, sensimque ingravescente morbo, in Hydrophobiam incidit. Vocatus ad illum sequentia observavi. Ad ignem sedebat æger amictus pallio, frigore totum corpus obsidente astrictus, lassitudinibus fractus, doloribusque caput & præcordia occupantibus cruciatus. Universum corporis habitum quasi aculeis pungi querebatur, rigorésque illum identidem invadentes desinebant in sudatiunculam frigidam, qua detersa, prædicta symptomata protinus recurrebant. Susurros modò, tinnitusque auribus percipiebat, modò fulminei venti sonitu perterrefactus, ostia & fenestras cubiculi diligentissimè claudi curabat. Ardentes oculi, suffecti sanguine & igni à diurna luce perstringebantur; idcirco lumina detorquens ab illa, abditum manibus vultum versus tenebras convertebat: Difficilis respiratio à flebili suspiriosaque voce, item & à gemitu frequentique singultu interrumpebatur. Sudarium ori admovebat, ut salivam largo flumine erumpentem abstergeret, illudque frequenti morsu premebat, ut stridorem crepitumque dentium cohiberet. Pulsus, ut & respiratio, ipsi erat inordinatus, modò scilicet intermittens,

modo

modò deficiens, reciprocus & intercurrens. Cùm autem omnia cujuscunque generis alimenta fastidiret, & per triduum jejunus, tandem parentum amicorumque suasu cibum assumsisset, siti ardens aquam haurire enixus est: verùm ad ejus conspectum horrore perfusus, nauseam, liporhymiam, dyspnœam & motus convulsivos passus est. Post tam dira symptomata, exurentem sitim relevare studens, aquam in lagenam immitti jussit, ne illius intuitus prædicta symptomata revocaret: sed lagenam ad os admovens, iterum nauseabat miser, singultiebat, convulsusque non minùs in furias sublatus erat quàm si aquam ipsam terroris sui causam vidisset. Tunc autem interrogatus à me cur aquam bibere recusaret, aut etiam qua de causa illius aspectum sustinere non valeret, oculos in me torquens, minaciaque murmura pro verbis reddens, repentino impetu terga dedit, & in lectum totò vultu procumbens, sudarium morsu corripuit & conscidit, terramque pedibus supplosit. De salute miselli actum esse judicans, rabieique illum brevi exagitatum prodromos advertens, præcepi quamprimùm vinculis coërceri. Probavit consilium ægrotans ipse, quòd jam jam futurus impos sui, morsus cuique obvio paraturus esset. Interim de ægrotantis anima solliciti parentes, verbi divini ministrum advocarunt, ut illum verbis amicis solaretur, & appropinquantem æquo animo accipiendam mortem hortaretur. Mirum quàm pie placideque consolatoris sui dictis auscultaverit. Etsi enim spumante rictu frendens, & canis instar in auras latrans, morsus quandoque inferre niteretur; attamen, intermittente diro symptomate, in vota & preces effundebatur. Sed vires eundo acquirens furiale virus, præcordia contagione sua labefecit; pulsu enim & respiratione deficientibus, gelidòque sudore è toto corpore manante, reliquias vitæ cum larga & stridente spuma ex membris abstulit.

Eadem die qua prædictus juvenis à rabido cane commorsus fuerat, vinitor quidam septuagenarius, & juvenis famulus, hic in brachio, ille in facie, mordicus imperiti fuere. De Vetulo accepi, præter horrenda symptomata quæ sustinuerat, priapismo ardentem uxori concubuisse, liberosque ministrantes momordisse, verum innoxie omnia. Occidit uterque: sed quoniam acrius commorsus, & lacerus crudeliter ora, vinitor, citius occubuit: famulus verò in unico brachio demorsus, tanta non passus est numero. Verum melancholicus, & pene furiis agitatus, noctû per vias & compita vagans, seseque à dæmone possessum putans, sacrificuli cujusdam auxilium imploravit, qui aquam lustralem ipsi potandam præbens, quandoquidem ejusdem intinctio ne hilum profecerat, rabiosum ita exasperavit, ut mentis alienatione, singultibus, & ferme latratibus convulsionibusque universalibus tunc temporis recrudescentibus, ab omnium conspectu, vere lymphaticus, aufugerit. Hæc Alesiæ Gebennorum, mense martio ann. 1671. *Ex communicatione amicâ Clar. Viri D. Riveliier Medici Nemausensis Lausannæ jam degentis.*

De *Furore Vterino*, quia alibi non extat ejus per anatomiam tractatio, hoc ipso de Maniæ capite meritò per aliquot Observationes, agendum credimus.

Observatio I.

Furor uterinus, in quo clitoris mirè promineus ovariaque seu testes maximæ magnitudinis reperta sunt.

§. 1. Virgo Gallica Nobilis, jamque nubilis, vitam otiosam ducens, calida diætâ utens, postquam amorem clandestinum cum ignobili quodam contraxerat, cui tamen innuere recusabant parentes, insomniis fatigatur; jam aliquot dies incipit vociferari, locum, qui nos ab altero sexu distinguit, ostendere, lasciva cantare, torvum tueri, & Bacchæ bacchanri si velit quis adversarier ex insana insaniorem reddit. Imo nisi à robustissimis vinculis, & duobus, imo tribus viris in lecto retinetur, totis artubus ignem concipit, nuda prosilit, & si quis masculus ipsi obviam factus, in illum ferociter ruit, utque veneri sacra faciat, lasciva petit. Perpetuo ferme vigilat. *Scintillant oculi, mala mens, oratio blanda.* Facies in totum ignescit & rumet. Humor mucosus, acris, viscidus, lintea fere corrodens, per sinum pudoris, per inordinata temporis intervalla effluit. *Et teter sese halitus atris faucibus effundens, nares contingit odore.* Pulsus præterea vehemens. Lingua exsucca. Macies in corpore totô. Medicus vocatus, virginem hanc in carnificinam Medico Gallicam inducit, ubi, post iteratam trigesimam intra sextum diem venæsectionem, cum sanguine simul in sanam mentem, vesanum amorem, caram vitam, caramque simul & fere divinam virginis pulchritudinem, exhausit.

Postquam jussu parentum, in viscera defunctæ inquirere licuerat, præter clitoridem mira magnitudine prominentem, ulterius postquam curiosas manus admovimus, ovarium, sive testes muliebres, deprehendimus maximæ magnitudinis, ovulaque inspersa pisum, si non

nos superantia, certè adæquantia. Obstupuimus horum aspectu, cùm vix credam tale quid annotatum fuisse, exceptô Clar. Blancardô qui simile exemplum in Anatomiâ Practicâ recensuit. Quænam admirandi hujus phænomeni causa in scholiis jam addendis videbitur.

Morbus, qui ægram affligit, est intemperies acris calida, Cerebri, uteri, ac partium generationi dicatarum, cum delirio, audacia & immoderato Veneris appetitu, ortus à sanguinis & spirituum animalium propter vehementiorem amasii impressionem orgasmo, atque ferocia quasi ignea, acrimoniam irritativam conjunctam habente. Vocatur vulgo Nymphomania, item furor uterinus, uteri delitamentum, ex anili Formula uterum cum Platone tanquam Animal furibundum concipiente, à Gallis vocatur la Fureur de la matrice. Belgis Moedet-Raserny. Germ. *Mutter-Wahnsucht*. Estque is morbus, quo Virgines affectæ leguntur Milesiacæ, de quibus Plutarchus, quæ se suspenderunt, quod improbæ Veneri non offerre possent sacra; & Lugdunenses Fœminæ ex alto sese præcipitarunt in fluvios, ex nimio coeundi desiderio. Datur quoque lacus in Bœotia Furialis, quo si quis biberit, ardore libidinis exardescit & in furorem agitur.

Differt vero hic morbus ab aliis delirii generibus, quia Nymphomania tota in venere versatur, & nihil aliud affectæ imaginantur aut loquuntur, quam de *coitu*, corporeisque deliciis. A suffocatione uteri, quod morbo tentatæ sint garrulæ, iracundæ & inquietæ; in suffocatione vero uteri mulieres manent attonitæ sine motu & loquela ac cum exigua respiratione.

Pars Affecta est cerebrum, cum quo per consensum afficiuntur partes generationi vacantes. Cerebrum vero affici patet ex functionum principum læsione; uterum, ex humore acri è sinu pudoris affluente. Afficitur quoque totum corpus, quod ex macie aliisque phænomenis patet.

Causa Procatarctica morbi est calida diæta, qui ægra usa est, i.e. Cibis multo sale volatili & Sulphure scatentibus, qui tantam effervescentiam in corpore effecerunt, ut particulas quasdam crassiusculas & nonnihil viscosas pori arteriarum transmiserint, quæ alias non fuissent egressæ. Possunt enim pori arteriarum peccare, (1) cum nimis patuli sunt, ita ut crassiores quam solebant particulæ extravasentur, quæ in partibus hærendo producant obstructiones, postea dolores, denique. Inflammationes. (2) Cum pori contorsione aliam figuram acquirunt, ita ut partes acres à se dimittant, quæ sua acredine dolores excitant. (3) Etiam pori peccare possunt nimia angustia, ita ut non transmittant particulas, quas admittere debebant, hinc si sistantur particulæ illæ acres, lancinando quaquaversum dolores insignes pariunt. Videmus jam nostro in casu poros Cerebri & uteri peccasse, primo & secundo modo. Primo dum crassiores viscosæ in cerebro particulæ extravasatæ fuerunt, quæ obstructionem, postea inflammationem produxerunt, & antecedentem hujus morbi causam præbuerunt. Secundo dum pori aliam figuram nacti particulas acres salinas à se dimiserunt, quæ in partibus venereis actionibus dicatis hærendo, suaque acredine vellicando pruritum, titillationem, denique dolorem pepererunt.

Causa antecedens est dispositio inde enata sanguinis & spirituum animalium fervida, seu ignea sulphureosalina acris, quæ ad Cerebrum dehinc ad uterum delata, atque utrinque in orgasmum acta, proxima ac immediata Affectus nostri causa facta est. Hic vero ad concipiendum clarius modum, quo Cerebrum & uterus in dicto casu afficitur, de Cerebro & utero nonnulla infstenda erunt.

Cerebrum itaque concipio, tanquam contextum innumerabilium fibrillarum tenuissimarum, sibi mutuo intertextarum, plus minusve totundarum, non quidem Mathematice, cum natura tanta *ακρίβειαν* opera sua non exsequatur, sed utcunque teretium & multis in locis figurarum irregularium. Quapropter ob figuram hanc non tam arctè sibi incumbere possunt, quin aliquos ductus relinquant intermedios, non secus ac inter aliquot cylindros sibi mutuo impositos, remanere videmus per totum decursum spatium aliquod triangulare. Et hæc spatia fere referunt figuram talem, qualis ex contactu trium pluriumve circulorum oritur, sed inordinatius figuratam, adeo ut in quibusdam locis vix ullum tale intermedium spatium relinquatur. Istos autem canales exiguos secundum fibrarum longitudinem extensos cujuscunque figuræ vocabimus tubulos.

Uterus contextus est innumerabilium vasculorum tam Venosorum quam arteriosorum, imo Lymphaticorum quoque & nerveorum, id quod videre licet in uteri vasculis cera repletis, qualem philiatrorum oculis publice Lugd. Batav. exhibuit Dn. Nuckius Anatomicus Arausoniensis Principis, in quo minima etiam vascula quæ alias visum fugiunt, & non nisi armatis oculis cerni possunt, ad instar minimorum ramusculorum arborum, cera rubra, viti lii & Mercurio suo præparato subtilissimo repleta, in conspectum venere. Textura autem illa remosa non potuit non tam arctè sibi incumbere, ut non relinqueret spatiola, quæ pototum intro foras & foris intro nomine veniunt.

Nunc in viam redeamus, cum extra oleas hic migraverimus, statuimus, particulas crassas viscidas, in jam dictos Cerebri tubulos adactas, vel totaliter illos obstruxisse, vel partialiter. Totaliter, quando corpus obstruens ejusdem figuræ fuit cum obstructis poris, e gr. si porus fuerit triangularis & particula obstruens etiam triangularis. Partialiter vero, quando corpus obstruens non fuit ejusdem figuræ cum obstructis poris, adeoque necessario reliquiæ quædam pororum remanserunt. Ut cum pori rotundi obstruuntur à corporibus triangularibus aliisque angulosis, qui itaque non totaliter opplentur, sed reliquiæ quædam pororum remanent per quos non nisi Materia Primi Elementi Cartesii sive subtilissimus (qui æther primus ille motor nostri corporis, ut & aliarum omnium rerum in macrocosmo existentium est teste Cartes. Tom. 1. Ep. 45. 48.) fluere potest, ob parvitatem indefinitam, (cum vacuum in rerum natura non detur) multum istius igneæ materiæ indesinenter illac fluere cogitur, quæ materia ex sua natura celerrimo motu per hasce angustias, cum determinatione quadam magis versus hanc quam illam partem Cerebri, torrentis, imo fulminis instar ruat, prout nempe illi pori aliter atque aliter sunt, dispositi, atque æquilibrium spirituum animalium in Cerebro tollunt. Nam cum spiritus in statu naturali in æquilibrio

positi sint, minima vis superaccedens hoc æquilibrium tollere valet; quare non mirum est quod Materia Primi Elementi ab una parte magis quam ab alia mota, hoc æquilibrium tollat; æquilibrio jam sublato non placide & æquis viribus ut ante per Nervos in corpus distribuuntur, sed inordinatis motibus huc atque illuc discurrentes per Cerebrum, & ejus vestigia, Delirium producunt.

Nunc ordo jubet, ut ex causis prædictis inflammatione nempe, & ignea ferocia, tum acrimonia sanguinis & spirituum propter calidam diætam contracta Phoenomena in casu nostro proposita deducam. Et quidem lasciva est memorata Virgo, ut locum scil. ostenderet, qui nos ab altero sexu distinguit, lasciva cantaret, nuda prosiliret, in viros obviam factos rueret, linguam micantem intra labia aliorum vesana vibraret; non aliunde vero hæc oriebantur, quam quod per vitam otiosam & contractum cum ignobili Juvene amorem, sanguinis & spirituum, tum in Cerebro, tum in partibus generationi destinatis, excitatus fuerit orgasmus, huicque nulla alia Cerebro impressa fuerint vestigia, quam de iucundo conjugio, celebrandaque lascivis istis gestibus Venere. Nam quotiescunque talia vestigia repræsentantur menti, oritur etiam cogitatio de eisdem objectis, spiritus enim animales dum motu feruntur immodico neque Anima amplius in eos obtinet imperium, Phaëtontis ad instar solares equos flectere impotentis, in illa vestigia irruunt, quæ cũ nihil nisi lascivi contineant, nihil nisi lasciva quoque menti repræsentant, adeo ut Mens, quatenus in cogitatione consistat, minimè deliret, (æque namque sana est in stultissimis quam in sapientissimis) sed in eo tantum vitium sit, quod non distinguat bene objecta simul sibi oblata, quæ cum in ægra nostra nulla alia sint, quam lasciva, oriuntur miræ illæ compositiones & sermones huic ægræ nostræ familiares. In hoc igitur erat mens, dum putat ideas excitari in sese à causa externa præsenti cum excitentur revera tantum à vestigiis Cerebro impressis. Sic etiam præter rationem moribundi dicuntur ratione destitui, eo quod nesciant cogitationes suas proferre, ad interrogata apposite respondere, unde non est, quod mulierculæ tantopere clamitent, eorumque miserantur, quasi omnem rationem perdidissent, cum tamen illis in casibus, Mens tanquam suo ergastulo soluta, multò felicius agat & longe diviniora speculetur. Interea otiosam vitam, quæ prægressa est in nostra ægra, impleviste talibus vestigiis quoque Cerebrum, Ovidius Amoris ille Proto-Notarius jam olim testatus est:

Otia si tollas periere Cupidinis arcus,
Contemptaque jacent, & sine Luce faces
Quam Platanus rivo gaudet quam populus unda, &c.
Tam Venus otia amat, finem qui quæris amori,
Cedit amor rebus, res age tutus eris.

Accedit, quod Virgo fuerit, n.m
Fœmineo magis est usu Venus effera sexu.
Mitior illa Viris.

Imo nubilis, juxta Ovidium enim
Prima cupidineis ætas manet apta triumphis.
Non gaudet veteri sanguine mollis Amor.

Porro etiam natale solum ad hunc Affectum quicquam contulisse dici posset, est enim Virgo Gallica.

Pronumque genus regionibus illis,
In Venerem est, flagrat vitio gentisque suoque.

Imo quod lasciva nimis fuerit ante hunc affectum, ex gestibus facile colligere erat, præprimis ab abominando, dum micantem linguam intra labia aliorum vibraverit, qui mos Gallis, talis, Hispanisque frequentissimus, attamen periculosissimus. (Galli vocant baiser à la Florentine, eo quod maxime sint consueta hæc oscula Florentinis fœminis. (Dn. D. *Ioh. Mauritius Hoffmannus* quondam mihi retulit, sibi Patavii notum fuisse Baronem Suecicum, qui ex osculis à fœmina Lue Venerea infecta, labiis impressis, & saliva per linguam communicata, uvullam suam amiserit. Idem quoque Amico meo contingit, qui cum Galinas magis quam Gallos Lutetiæ quæsivisset, ex osculo tali Lue venerea correptus, misere animulam suam exspiravit. Tales jam lasciviæ impressiones in Cerebro factæ cum spirituum ope Animæ repræsententur, lege conjunctionis Mentis cum corpore, (quæ consistit in eo solo, quod Mentis cogitationes certas sequantur certi motus in corpore, & quod certos motus in corpore, sequantur certæ perceptiones & cogitationes in Mente; sic mox quoque in dicta ægra indecoros corporis motus introduxerunt, atque effecerunt, hinc ut vociferaretur lasciva, cantaret.

Non peccare putans quod sæpius oscula jungat.

Quemadmodum vice versa quando partes genitales pruriunt, ab acribus sanguinis particulis, ita ut particulæ nerveæ vellicentur, & periculum incurrant ruptionis, tunc in Anima oritur idea titillationis Venereæ & influxus fit spirituum; Jam vero cum spiritus inordinatis motibus hinc illinc discurrant & justo copiosiores influant, facile patet, cur ægra nostra interdum a tribus viris, & fortissimis vinculis in Lecto retineri nequiverit.

Vigiliæ perpetuæ in ægra dein notabantur, excitatæ propter spirituum animalium motum nimium, ex imaginatione impressisque phantasiæ vestigiis subsecutum.

Facies in totum ignescit & tumet, quia Materia Primi Elementi seu æther subtilissimus copiosius per humores & sanguinem prope partem inflammatam cum transfluat, hinc omnes humores cum sanguine movet & rarefacit, unde Tumor oritur & inflatio faciei ejusque rubor, unde etiam dependet Pulsus vehemens.

Lingua exsicca est, ob duplicem rationem, aut (1) quia dum serum & partes aqueæ sanguinis habitum corporis, vel per alias vias magna copia extra corpus protruduntur, Lympha vix aliqua pro necessaria humectatione fluit ad os, linguam & gulam, quod alias tunc sensum ariditis in nobis, & tunc sitim efficit, quæ sitis potu sedari potest, cum tantum proveniat à defectu humidi; aut (2) glandulæ salivales sunt obstructæ, ut nihil vel parum salivæ secretæ ad os mittatur, & hinc à dicta causa si cœteroquin fiat sitis, potu, licet immodico, non tollitur, sed ventriculi coctio & appetitus destruitur; quare potius opera danda erit, ut gargarismatis & internis Medic. mentis obstructio referetur.

Adhæc Spiritus acres magno impetu in ægra dicta dum ad arvum seminale quippe lascivitatis partem propulsi, acrimonia sua titillant & convellunt quasi vaginam Uterinam, glandulis undique

ſitque & undique repletam,ad modum mali Citrii compreſſi liquorem exhibentis, vel ſpongiæ aqua repletæ,manuque fortiter compreſſæ,inde pariter Liquorem profluere faciunt,adeo acrem, ut lintea corrodat,pruritum pudendorum inducat,teterrimum quoque de ſe ſpargat odorem. Eadem demum acrimonia ſpirituum horumque celeberrimus motus, in cauſa eſt,quod macies fit in corpore toto. Cum enim pinguedo nihil aliud ſit,quam racemi minimi ſubſtantiæ oleoſæ minimis veſiculis contentæ, à quibus ductus peculiares primum prodire Malpighius obſervavit, qui ſimilem ſuccum oleoſum venis advehunt, (uti id graphice demonſtravit in Curſu Anatomico [illegible] du Verney. Anatomicus Regius Pariſius) ut acrimoniã ſanguinis temperet, quia particulæ vero illæ pingues, ob ſanguinis acrimoniam hic nimium ſunt abraſæ, nihil aliud ſequi poteſt,quam ut ſanguis in dies deficientibus hiſce oleoſis particulis, acrior reddatur, particulæ nutrientes abradantur, & macies ſic inducatur.

En phœnomenorum hoc in Caſu occurrentium origines, nunc ad Prognoſin accedamus. Miſerabilis igitur hic Affectus turpiſque, & macula honeſtioribus familiis; uti lente tantum & ſenſim curari, ita denique in Maniam conſummatam degenerare poteſt.

Curationem quod attinet, ante omnia illa inchoanda eſt à regimine rerum non-naturalium, adeoque aër eſt eligendus temperatus, quod ſi enim frigidus corpus noſtrum intrat aut ambit,poros conſtringit Cutaneos,contringendo claudit, obſtructionibuſque anſam præbet. Calidus vero nimiam in corpore efferveſcentiam auget, particulaſque craſſas extrudendo inflammationi materiam præbet. Alimenta uſurpanda ſunt tenuia, aquea, inſipida, cavendum à ſalſis calidioribus multo ſale volatili & ſulphure conſtantibus, cum ad Venerem ſtimulandum maxime ſal conducat, ut hinc non adeo inſana & vana ſit Poëtarum fabula, Venerem ex Saturni teſtibus in mare projectis & ipſius ſpuma ſalina ortam, fictitans, hinc Auſonius cecinit.

Orta ſalo, ſuſcepta ſolo, patre edita cœlo.

Æneadum genitrix--Venus. Vinum ſi concedi debeat, ſit oligophorum, Cereviſia tenuia aquoſa,præſertim hordeacea,particulis ſuis mollibus particulas pungentes acres vaginularum inſtar recondentibus, Somnus procurandus, quieſque imperanda,imo hypnoticis concilianda,à nimia tamen doſi cavendum; nam ubi ægri à nimiis vigiliis ſunt defatigati, ſi ſemel dormiant, vix iterum expergeſiunt, id quod ante aliquot ſeptimanas obſervare licuit Furthi in Patria mea, in obſtetrice, quæ ex parva tincturæ opii doſi,vigiliis antea defatigata,fatis ceſſit Excretiones quantum poſſibile promoveantur; Ocium vitetur, (monente Ovidio.

Fac monitis fugias otia prima meis,
Hæc ut ames faciunt,)

& laborious continuis exerceatur. Exhortetur ſemper talis ægra ad honeſtatem, & opprobrium ei proponatur ni reſipiſcat, ſic Mileſias virgines curatas legimus Lege promulgata, ut quæcunque ſeſe, hoc affectu percitæ, necarent, per forum nudæ traherentur. Venere litent cui thura ſunt, nam & in maritatis interdum hic Affectus,præſertim illis, quarum mariti ferendis talibus oneribus impares obvenit,

In non maritatis his nihil proficientibus, triplici indicatione curatio inſtituatur. (1.) Sanguinis nimius motus imminuatur; (2.) Obſtructiones reſerentur; (3.) Acrimonia ſanguinis corrigatur. Incipiemus itaque juxta primam indicationem à Venæſectione tanquam ſacra anchora quæ bis vel ter eodem die erit, modice reiteranda, ut vaſis ſangnineis notabiliter depletis, & non ita diſtentis, pori illorum magis coarctentur & ſubſidant, unde tanta copia ſpirituum in Cerebro deponi non poteſt, & omnia in corpore fiunt tranquilliora. Locum quod attinet Rodericus à Caſtro Saphænam conſtituit; nobis ſufficit quævis patentior Vena, cum propter ſanguinis circulationem in Medicam artem noſtram introductam, omnes illæ veterum controverſiæ de Venis eligendis, corruant. Unam tamen admittimus diſtinctionem, nempe ſi ſanguis ſubtilis uti in hoc caſu peccet, Venæſectio in brachio; ſi craſſus terreſtris in pede eſt inſtituenda; & quidem in Affectibus, illis ubi ſanguinis magnus impetus eſt, & vires adhuc conſtantes, melius eſt affatim illum extrahere, ad leviſſimum Animi deliquium,in reliquis Caſibus ut in morbis frigidis; non tutò nos tam liberales eſſe poſſumus, quam Veteres fuerunt in illa adminiſtranda,eo quod homo facilius in Lypothomiam deturbari quam inde revocari queat.

Rodericus à caſtro cucurbitulas commendat, ſed quid quæſo illæ præſtare poſſunt? nonne ſanæ rationi, & circulo ſanguinis repugnat hoc dolorificum remedii genus? Videamus quomodo illæ apponentur, & quem uſum præbeant. Candelam ceream primum iiſdem ſupponunt, unde aër intra eas rareſit, hoc facto eas cuti apponunt & aër rarefactus iterum condenſatur, ac minorem locum replet, undè fit ut cutis attollatur intra cucurbitulas, ad locum ab aëre relictum replendum. Has uno atque altero momento temporis ita applicatas, & in quiete relictas, removent à cute, illamque ab aëre illo ſublatam & attractam (uti loquuntur) incidunt lancetta, ſic iterum candelam accenſam illis ſupponunt,& tenuiorem ex læſis vaſis capillaribus ſanguinem extrahunt, obſtructioneſque in vicinia aliquo modo tollunt, ſed ſucceſſus non ſemper eorum votis reſpondet: quia ſæpe accidit, ut humores ita ſint indurati, ut quamvis tubuli majores ſint facti, iſti propter viſcoſitatem non poſſint egredi. Imo ſubtiliori ſanguine per cucurbitulas extracto, craſſæ remanent, & terreſtres particulæ, in corpore, tanquam inſtrumenta novas obſtructiones producentia, (quæ jam in noſtro Affectu ſunt;) an igitur hoc in caſu conducant cucurbitulæ, conſiderandum illis relinquo, quibus.

De meliori luto finxit præcordia Titan.

Veteres Autores curationem abſolvere ſtudent frigidis, ſed nunquam innuunt, quid ſint frigida. Et quidem frigida ſunt, quæ particulis craſſis & immobilibus conſtant, hæc obſtructiones in corpore facere apta nata ſunt, jam vero nonne in noſtro caſu accuſavimus obſtructiones ſane redderent pertinaciores. Proſunt tamen ex frigidis nitrata, quæ ex ſalium ſunt natura, quibus deobſtruunt potius, quam obſtruunt, nullum ſal volatile in corpus ingerunt, imo denique parum Materiæ ſubtiliſſimæ ſecum vehunt, accidit enim idem cum nitro quod cum marmore aut glacie, quibus ſi manus imponatur,

tur, friget: nimirum cum calor alias in nostro corpore sentiatur, quod certa ætheris copia fluat per ejus poros, unde Tremor inducatur in texturam ejus fibrarum; jam si extrinsecus ponatur impedimentum, quo minus solita illa ætheris copia affluere possit, statim ille Tremoris gradus, qui erat in fibrillis minuitur, atque inde sentitur frigus Sic e.g. Glacies, & marmore, poros habet, per quos parum materiæ P. E. fluit, jam si manus imponatur, impeditur æther, quo minus solita copia in illam partem irruere queat atque hinc coloris oritur imminutio seu frigus. Fiat itaque pulvis refrigerans talis.

℞. Lap. Prunell. gr. xv. l. ℈i. Camph. Sacch. Saturn. an. gr. iii. iv. Laud. op. gr. i. M. F. Pulvis. Camphora enim & Laud. op. leniter incrassando faciunt, ut sua spicula salina acria non adeo exserere possit Massa sanguinea.

Confert potissimum serum lactis, præcipue si chalybs in eo sit extinctus, nam volatile in sanguine aliquatenus remoratur, ob metallicam gravitatem. Nitrum in aqua dissolutum (vel ejus loco Sal. prunell.) propinatum, summe quoque prodest in omnibus morbis, ubi sanguinis nimius peccat æstus, & is nimis volatilis est, ut & sp. nitri qui aperit, & coagulando motum sanguinis retardat, & denique diutiuscule in sanguine hæret.

Prosunt quoque omnia, quæ sanguinis motum compescunt, ut oc. canc. Corall. Terra sigill. omnia martiata Sol. auri. & lunæ, sed hæc omnia subtilissime debent teri, ne ubi alias aperiunt, nunc potius obstructionem pariant.

Inter externa sequens Oxyrrhodinum (ut levis somnus excitetur) conducit.

℞. Ol. Rosar. ℥iiß. Succ. portulac. Lactuc. Sola. an. ℥i aq. papav. Rosar. an. ℥iii. Aceti rosacei ℥i. M. F. Oxyrrhodinum.

Cum linteis duplicibus capiti tepide applicandum. Possent vero etiam insuper ad æstum sanguinis coërcendum maxime mihi commendatæ emunctoriorum inunctiones nitrosæ, & sinapismi umbilicales hic insignis usus esse.

Accedimus ad secundam & tertiam indicationem quæ consistit, in obstructionum referatione & acrimonia sanguinis temperanda; ad quas obstructiones in cerebro & meningibus referandas conducit potens sudoriferum, si vires constiterint, particulæ enim sudoriferi, particulas acres secum attollunt, easque volatiles reddendo, extra corpus protendunt.

℞. Sal. Cardui. b. gr. xviii. Bezoard. miner. gr. vii. Camph. gr. ii. Laud. op. gr. i. sp. vitriol. gtt. vi. aq. Cardui. b. ℥ii. Syr. papav. ℥iii. M. F. Potio.

Viva animalia dissecta & capiti applicata porro prosunt, quia calor & vapor blandus, qui ex iis exhalat, maxime amicus est nostris poris, & conveniens aliquo modo ad obstructiones referandas in iis.

Pedes quoque contineantur in balneo tepido, in quo cocta fuerunt Capita papav. & Fl. Chamomill. & reliquæ herbæ emolientes, ut vapores placide ad caput ascendant, quæ minorem motum sanguini concilient, & particulis suis mollibus instar lanæ, hastas acusque pungentes, i. e. particulas acres involvunt, & sic quietem inducunt.

Confert quoque ob particulas molles, acres, temperantes, sequens Emulsio.

℞. Amygd. dulc. excorticat. ℥i. contunde in mortario, adde aq. decoct. hord. ℥viii. Sem. iv. frigid. maj. an. ℈ii. papav. ℥i. Sacch. alb. ℥iß. Syrup. de papav. ℥ß. M. F. Emulsio.

Omnia præterea lenientia prosunt, ut Gelatina C.C. hordeata, amylum, & omnia gummata, quia particulæ eorum moles, & ductiles, acrimoniam sanguinis involvunt, & sanguinis motum nimium inhibent.

His omnibus nihil conducentibus, matrimonium, si possibile est, dat, idque cum juvene, aut viro robusto, & qui strenuum in hoc ludo athletam agere possit.

Nunc promissis meis memor, quam infelicissime res gesta sit cum hac nostra ægra, paululum annectere lubet. Accersitus quip. Medicus, vix explorato morbo, initiatus intra VI. dies triginta per V. S. revulsionibus & derivationibus, injecto quidem primo clystere acri, cum tamen sanguis acrimonia peccaret, postea que exhibita purgatione, ad putrefactum semen evacuandum, (juxta methodum Gallicam, quam ad oculum delineavit Medicorum galli. otum Momus Dn. Moliere, in ludo scenico, inscripto: *Le malade imaginaire*: scilicet clysterium donare, postea seignare ensuita purgire) in ultima inituta phlebotomia, quæ erat trigesima, ita curavit scil. ægram, ut cum sanguine impum simul spiritum efflaverit, incasso illi amatori nuptu-rium, quem immundissimum vocare solent spiritum, dum ultimus adhuc de rebus venereis halitus increvisset, nam *casta Venus cygnis vehitur, Venus improba Corvis*. Joh. Michaelis in Praxi clynyca Spe. le ali.

§. 2. Virgo furore uterino tacta, tanta mania fuit correpta, ut catenis vinciri deberet. Interim ex improviso obiit.

Aperto cadavere, ovarium dextrum pugni magnitudinem æquabat, succique plenum erat. *Stephanus Blancardus in Anatomia Practica.*

Observatio II.

Furor uterinus, excitatus à semine in sinistro testiculo incluso, viâque id ad uterum deferente occlusa.

Virgo claustralis, quæ sæpius diversisque temporibus in Furorem uterinum inciderat, tandem tam violento ejusmodi maniæ paronysmo corripitur, ut catenis, cohibendæ enormis & effrænatæ libidinis causa, vincienda fuerit: dum conatus autem varios, quibus ab iis se expediret, adhiber, suffocata derepente interiit.

Apertô cadavere deprehensum eam nunquam Lucinæ expertam esse labores, Testiculus autem sinister pugnô magnitudinem propemodum adæquabat, crasso spermate turgidus: vas autem à testicu o ad uterum protensum (quod ex Anatomicorum sententia ejaculationis minis destinatum non est, quia manifesta cavitas illi deest;) non modo media parte vase dextri testis, majus, erat, sed præterea durissimum & callosum: cæteræ autem partes conformationem naturalem adeptæ erant. *D. le Duc observ. 7. Zodiaci med. Gall. anni 1.*

Ex hoc phænomeno, me judice, duæ elici possunt consequentiæ, probabilitati innixæ, 1. est, Affectum prædictum originem duxisse, quod statis temporibus semen ad uterum vergeret & inclinaret, commotum ab objectis realibus aut imaginariis; Id autem, via dicta occlusa, à commotione præcedente fermentationem extraordinariam in testiculo excitasse, spiritibus inducere aptam natam exagitationem, parens sincerum illorum comitem; Altera est, cum semen testiculo conclusum, non potuerit vas prædictum permeare, verisimile esse vasa hactenus credita ejaculatoria, aliis usibus dicata esse. *Nic. de Blegni l. c. observationum collector.*

ANATOMIÆ PRACTICÆ.

LIBRI PRIMI

SECTIO IX.

DE MELANCHOLIA & AFFECTIONE HYPOCHONDRIACA.

OBSERVATIO I.

In Melancholico venæ meningum sanguine melancholico plenæ repertæ sunt, cum aqua in ventriculis.

Frater uxoris Dom. Baillon febre non apparente tenebatur, τλὼ γλωσσλω ἀκεϱτὴς, quod melancholicum esse scribit Hyppocr. taciturnus, sitibundus comatosus, & aliquantulum *lethargicus* factus est, ingens *capitis dolor* mortuus.

Venæ sublato cranio apparent plenæ sanguine melancholico: magna satis aquæ limpidæ quantitas in ventriculis reperta est, An id occasio mortis esse potuit. *Balonius Epid. & Ephem. lib.* 2. *p.* 244.

Τλὼ γλῶσσλω ἀκεϱτὴς,] Hippocr. sect. 5. lib. 2. Epid. ait Balbos, celere lingua præditos, atræ bilis humori obnoxios esse. *Arculanus* cap. de melancholia explicat qua ratione blæsi balbíque Melancholici dicantur, Corpora, *ait*, habentia cor calidum, cerebrum autem humidum, sunt dispositioni melancholicæ opportuna. Nam caliditas cordis est choleræ nigræ in corde genitrix; Cerebri autem humiditas causa est cur facile impressio ejus suscipiatur quod in corde gignitur: Ideo balbi & lingua vacillantes ad melancholiam parati sunt, maxime si linguas lenes habuerint & oculos mobiles, & cætera; Sic pilositas & rubor faciei calorem cordis significant: Blæsitas mollitiesque linguæ cerebri humiditatem: *Hæc Arculanus*, Quorum plurima in præsentem ægrum quadrant, Venæ enim meningum atro sanguine refertæ, Sitis, Soboles sunt caloris viscerum & cordis: Aqua plurima in ventriculis reperta, humidi cerebri index est, unde linguæ ἀκϱασία, coma, dolor capitis.

OBSERVATIO II.

§. Melancholia à mane ad vesperam vigens, orta à sanguine superfluo cerebri vasa replente & distendente, Ventriculorum & plexus choroidei superficie muco oblita, &c.

Ursula Pulen Frizen (*cujus vide historiam integram Tract. de Soporosis affectibus*) diu continuos capitis dolores passa est, quos sequutum delirium in quo notissimos & omnia tuta timebat; Sæpius in sylvas aufugit ut vix satis custodiri potuerit; ter violentam mortem sibi inferre nitebatur, &c. Delirium hoc plerunque sub auroram incepit, duravit usque ad vesperam, hinc minus sibimet metuebat, quietior erat, nec custodiam sui exegerat, &c.

Mortuæ remota cranii olla, vasa sanguifera utriusque meningis ubique majora & sanguine pleniora videbantur, &c. Utriusque ventriculi lateralis superficies lutea penitus & quasi rubigine obducta videbatur, oblita enim erat muco croceo, illi simili qui circa aquas ferratas conspicitur, & lapidum & terræ superficiem incrustare solet: Eodem quoque plexus choroideus infectus erat: pertingebat rubigo ista quoque ad tertium ventriculum, quartus prorsus mundus erat, &c.

DElitium ante & post partum aliquot mensibus fœminam hanc exagitans melancholicum fuit, nam omnia tuta timuit, non sine desperatione quadam: Id in Delirio hoc notatu dignum quod à summo mane ad vesperam ipsam perterruit, noctu vero quietem indulsit, ut remotis custodibus acquieverit, causam in sanguine delituisse. Juvamen ex venæ sectione, frustraneis medicamentis, clarum fuit: Ventriculorum lateralium & tertii, ut & plexus choroidei superficies muco croceo oblita non parum me perturbarunt & varias suspiciones apud me moverunt, cum ventriculorum superficies, imprimis fornix, splendescant & lucis alicujus participes sint, verum posteaquam tot venæ sectionibus melancholiam expugnatam fuisse, illámque placide vixisse perpendi, necessario melancholiæ causam in massa sanguinea concludi arbitratus sum. *I. Iac. Wepferus Dissertat. de Apoplexia, histor. XV. p. 414. & 420.*

Ventriculi superficies quasi rubigine obducta] Excell. *Willis* spirituum in melancholicis diathesin spiritibus è mineralibus distillatione elicitis comparat, *Vide Scholia ad Observ.*]

OBSERVATIO III.

§. *Melancholia à Sanguine nigro in venis tenuis meningis.*

MElancholicus juvenis Epilepticus obiit, &c. In latere dextro admodum turgebant venæ tenuis meningis multo sanguine nigro & concreto; Ea pars nigricabat, &c. *Vide Tit. de Paralisi.*

APPENDIX.

Melancholia ab effecto cerebro circa Torcular.

NOvit *Ioh. Sylvius* quendam qui levem quandam melancholiam patiebatur, & aliquando similis furioso videbatur: is ardorem magnum dicebat se sentire interna capitis parte qua Torcular est, vasorum cerebralium ad suturam lambdoideam & in occipitio ubi decidit vas insigne, quod reptans ad frontem usque inter duo cerebella protenditur, in quo solum cerebrum afficitur: In hoc morbo sectio cephalicæ & basilicæ inutilis fuit, atque etiam poplitis; Forte vena Frontis secta utilis fuisset, quod animalem facultatem exoneraret. *Douynetus Apologiæ lib. 3. c. 2.*

OBSERVATIO IV.

§. *Melancholia ab humore atro in dextro cordis sinu contento.*

IN mulieris melancholia hypochondriaca laborantis sinistro cordis sinu, repetta pars humoris melancholici ibi velut concreta ac fermentata, &c. *Vide lib. 2. de palpitatione cordis ex Ballonio.*

S*inistro cordis sinu*] Melancholia vulgo definitur Desipientia sine febre aut furore, cum metu & tristitia conjuncta: Unde sequitur illam & cerebri & Cordis affectionem complicatam esse. Nam quod melancholici delirant, à cerebri & spirituum animalium in eo degentium vitio ac inordinatione procedit: quod autem valde tristes & meticulosi evadunt, hoc Cordis passioni merito attribuitur. Melancholia ergo non tantum cerebri & spirituum in eo degentium, sed insuper præcordiorum & sanguinis ibidem accensi, & exinde in totum corpus projecti affectus est, & quemadmodum illic delirium, ita hic timorem & mœstitiam producit, quo tamen ritu videamus: In mœstitia imprimis animæ pars flammea, seu *Vitalis*, quoad ambitum suum coarctatur, & intra brevius spatium coercetur: Dein consequenter pars *Animalis*, sive lucida, sphæram suam contrahit ac minus vigoratur: In Timore autem utraque subito reprimitur, & quasi nutare, atque intra minima spatia se continere cogitur: In utraque passione *Sanguis* non vegete & cum pleno incendio circulatur & conflagrat, verum circa præcordia aggeri & restagnare aptus, ibi gravamen aut diliquium ciet; ac interim caput ac membra uberiori ejus affluxu destituta clanguescunt. Quod autem istæ passiones in Melancholicis habituales fiunt, Caussa est partim in *sanguine*, & partim in *Cordis* actione animali; Enimvero sanguis ob particulas salinas exaltatas minus inflammabilis existit, unde nec in pulmonibus satis accenditur, neque intra cordis & vasorum ductus flamma satis clara ac uberi ardescit, sed qualis ad venti cujusvis flatum reprimi & pene exsufflari apta sit. Hinc cum flamma vitalis tam tenuis & languida fit, ut ad motum omnem nutet ac trepidet, nihil mirum est si Atrabilarius velut animo subsidente & semiobruto, tristis semper & meticulosus existit: Propter salinam hujusmodi sanguinis dyscrasiam Melancholici rarius febricitant: ea tamen correpti, propter irregulare sanguinis incendium, periculosius decumbunt.

Nec minus vitio *Cordis* accidit Melancholicos ob sanguinis cursum retardatum, aut subinde revocatum, mœstos & meticulosos fieri: nam siquidem iste musculus spirituum nonnisi imbecillium & enormium influxu actuatur, contractiones suas haud valide satis & constanter, quibus sanguis sine remora aut resilitione in totum corpus

corpus propellatur, obire potest: Ita sanguis & spiritus animales labe reciproca se mutuo afficiunt & alt. iutris invicem noxam inferunt. Sanguis attrabilarius, hoc est è particulis salsius, una cum sulphureis evectis constans, spiritus animales indole acetosa præditos progignit, atque spiritus hi functionis vitalis munia perperam obeuntes, talem sanguinis dyscrasiam augere faciunt. *Willis Tract. de Anima Brutor. part. 2. cap. xi.*

Observatio V.

§. 1. *In Melancholicis quibusdam cor aridum & exsuccum repertum.*

POsse universam cordis substantiam aliquandiu pati, præter Marulli Mimographi historiam 7. de A'dm. Anat. in dubitatam nobis fidem facit *Melancthonis* authoritas, qui lib. 1. de anima testatur *Casimiro Marchioni Brandenburgio*, ob mœrores & vigilias, humore qui involucro cordis continetur, exhausto & exsiccato, cor exectum pyri tosti faciem retulisse: ubi proculdubio perpessi fuere tres illi humores (secundarii vulgo dicti) satis conspicuam cladem, si quidem eas in angustias redactum est cor non parvo temporis momento, quod ex assignata causa colligi potest, non adeo vehemente puta tristitia, quæ sapiens in sacris voluminibus etiam ossa affectat arescere: unde non modo levem, sed etiam *insignem cor posse sustinere intemperiem* opinamur, *Iordanus de pestis phænomenis, lib. 1. cap. 16.*

§. 2. In Nobili matrona Vidua, memorabili, sed merito sine nomine dimittendo, exemplo, post melancholiam αὐτοθάνατον laqueo sibi fauces præcludente, sicque strangulata, & cor exsuccum, & nullum in ventriculis sanguinem observavimus. *Rolfincius Dissertatione de corde cap. 2.*

INsignem cor sustinere posse, &c.] Vulgo tamen dicitur quod humor melancholicus, præsertim cum naturam malignam acquisivit, cordi & nativo calori est tanquam capitalis hostis: Si hoc verum est, quomodo tamdiu durant & vivunt? quomodo morbos tam longos sustinent? quomodo tantas vacuationes & tam validas ferunt? illud enim absonum videtur calorem naturalem, imo naturam ipsam virulentia ipsius humoris melancholici aut atrabilarii affici, & tamen tamdiu persistere: cum videamus solo sæpe vapore aliunde elato vitæ nostræ filum abrumpi, aut cardiacas contingere syncopas. Hoc non caret difficultate. A pure aut abscessu, aut à grumo solo sanguinis vapor elatus mortem intentat, cur non ab humore melancholico Vapor elatus idem faciet? Forte analogia est inter vaporem luis veneræ fomitem, & vaporem à succo melancholico aut atrabilario excitatum. Prior ille vim habet, non ad dissipandum, non ad necandum, sed ad alios quosdam effectus, idque per quandam ἰδιοσυγκρασίαν. Et tale venenum ad cutim & musculos natura depellit, unde juncturarum dolores implacabiles. At vapor pestilens, aut à pure aut à grumo sanguinis excitatus dissipat spiritus, & propterea alia quadam proprietate nocet & mortem affert. Idem de menstruo & semine corrupto, quod hysterica pathemata non mortem affert. *Ballonius Epidem. & Ephem. lib. 2. p. 219.*

Observatio VI.

§. *Melancholia ab atro sanguine in cordis cavitate, serositate in pericardio, & abscessu prope sinistram auriculam.*

PEr trium annorum, tempore quo cruciabatur, admodum mœstus & gemebundus vixit, repente verò obiit: Aperto cadavere, præter atrum sanguinem in cordis cavitate, & serositatem in capsula cordis, repertus est abscessus instar ovi prope sinistram cordis auriculam. *Observatio Ludovici Nonnii Medici Antverpiensis.*

Observatio VII.

§. *Melancholia ab atro sanguine adusto in corde exsiccato & mesenterio.*

SAnguis in quodam subjecto tam erat à melancholico humore exsiccatus, ut omnes venæ cordis & ipsum cor à perito Chirurgo dissecari nequiverint. Turgidæ tamen mesaraicæ cernebantur sanguine atro & luculento. *Bartholinus Cent. 3. hist. xciv.*

§. Dominus de Harsy Jurisconsultus, (Cujus historia extat lib. 3. Tit. de Ventris Tumoribus,) affectione hypochondriaca à liene multis annis divexatus, post obitum dissectus in toto venoso & arterioso genere, in cordis sinubus, lienis parenchymate nihil præter atram bilem exhibuit; Melancholica pathemata singulari animi robore premebat ut inter sodales & ludicra festivissimus & in jocos pronus videretur; sibi relictus & inter familiares occultum aliis pathema manifestum faciebat.

Observatio VIII.

§. In Melancholici cadavere cor arefactum repertum est.

Quidam cum Melancholia tentationibusque variis vexaretur, proprio gladio se confodit: vulnus intra duos menses sanatum est, sed iterum de *absurdis cogitationibus* conquestus vomitu vexatus exspiravit, &c. Cor arefactum erat, copiosa aqua citrina in capsula, &c. *Vide lib. 3. Tit. de vomitu.*

De *absurdis cogitationibus conquestus*] Extant varia & multiformia imaginationis depravatæ genera, de quibus in communi observare licebit, quod affecti vel circa omnes, aut saltem plurimas res delirant, ut fere de nullo subjecto judicium ritè ferant; vel isti solummodo in uno aut altero particulari casu perperam imaginantur, verum de plerisque aliis notiones suas prorsus incongruas instituunt. Etiamsi melancholica universalis affectio delira symptomata multiplicia contineat, tamen illa in his tribus potissimum consistunt. 1. Quod affecti in cogitando fere continuo occupantur, ut eorum phantasia vix unquam otiosa & quieta fuerit. 2. Inter cogitandum res pauciores quam antea solebant, animo comprehendunt, ut sæpe dies & noctes idem objectum animo volutent: de rebus aliis, quæ interdum longe majoris momenti sunt, nihil solliciti. 3. Objectorum sive conceptuum ideæ sæpe deformes & velut sub larva apparent, semper autem in majore specie repræsentantur, ita ut res quælibet exigua iis magna & difficillima videatur. Ad hunc modum phantasmata in cerebro male configurata, intellectui objiciuntur simili fere ritu ac species visibiles vitri cujusdam optici interventu sistuntur oculo, ubi nimirum objectum quodvis monstrum horrendum ac ingens apparet, & propterea rei visibilis in immensum auctæ portio tantum exigua aspectu accipitur: dein propter horrendam ejus & inassuetam φάσιν, imago semel concepta non facile nec cito dimittitur. Expendemus modo quali cerebri & spirituum affectioni hæc phænomena contingunt.

Hic autem 1. inquitendum occurrit de *Spirituum animalium diathesi*, seu constitutione præternaturali: nam in quantum isti irregulari modo se habentes, in anomaliis suis aliquandiu aut semper persistunt, cumque huic illorum affectioni non paralysis, apoplexia, vertigo, aut convulsio adjunguntur, quæ cerebri obstructiones arguunt, inferre licebit quod spiritus animales, neque ab alieno impetum faciente in tales inordinationes adiguntur, neque potissimum ob cerebri poros & meatus obstructos ἀταξίας suas concipiunt, sed potius in hoc casu propriæ indolis vitio prædicta symptomata ægris accersunt.

Talis Spirituum animalium indispositio ad hunc modum vulgo describi solet, nempe quod illi cum transparentes, subtiles & lucidi esse debuerint; in melancholicis obscuri, opaci, tenebrosi evadant, adeoque rerum imagines velut umbra, aut tenebris obductas repræsentant. Cujusmodi explicatio non incongrua videtur, si quidem ostendimus spiritus animales à sanguine accenso emanantes, se quodam modo tanquam lucis radios à flamma profectos habere: Atqui satis constat lucem diversi mode se habere, juxta quod ab incendio corporum vario titu effragrantium, scil. spiritus vini, olei, sevi, sulphuris mineralis, nitri, aliorumque procedit: pariter & spiritus animales, in quantum à sanguine crasin modo hanc, modo illam aliámve nacto, aut subtiles & clari, aut hebetes, crassi & velut fuliginosi exstillantur, functionum animalium organa varie trajiciunt & irradiant, eorúmque proinde actus diversimode pervertunt: Verum insuper, cum spiritus animales non uti lucis corpuscula prorsus, liberi & soluti existunt, sed mutuo cohærere; & ne animæ continuitas abrumpatur, quodam latice contineri debent, idcirco ipsi una cum vehiculo cui inhærent, liquoribus quibusdam Chymicis, è mixtis naturalibus per destillationem elicitis, satis apte comparantur: Quæ quidem analogia in explicandis *Insanis affectibus* commodissima videtur, prout ex sequentibus patebit.

Primo Liquores Spagyrice destillati, juxta quod elementa activa variis modis in iis combinantur, diversi generis existunt: Horum præstantissimus, omnium consensu, perhibetur esse in quo *Spiritus Salis* unitus eum volatilisat, invicémque ab eo acuitur & aliquatenus statuminatur: hujusmodi indolis concipiuntur *Magnus Elixir*, & *Liquor Alkahest*, & revera quodammodo sunt, *spiritus sanguinis, C. cervi, fuliginis* & similium valde subtiles, volatiles & penetrantes, nec tamen inflammabiles aut cito dissipari apti: Et quidem spiritus animales diathesi sana & legitima potiti, quadantenus se habere videntur tanquam liquor spirituosus sale volatili refertus, qui à sanguine distillatur, præterquam quod huic insignis acrimonia & empyreuma ab igne inferantur, quæ à liquore cerebri & nervorum irriguo omnino absunt.

2. Alii liquores Chymici sunt nimis *sulphurei*, & ardentes, uti spiritus vini & terebinthinæ, quæ cum spiritu & sulphure una combinatis constent, facile inflammantur, & sua sponte ab aliis secedunt, & huc illuc qua data via se proripiunt, cujusmodi indolis spiritus animales in Phrenetide quadantenus participare ostendimus.

3. Liquores, sive Spiritus quidam, ab opere chymico producuntur, in quibus Sal fixus ad fluorem evectus dominio potitur, cujusmodi sunt qui ex aceto, lignis ponderosis & quibusdam mineralibus igne mitiori exstillantur, quorum particulæ sunt valde mobiles & irrequietæ, sed minoris activitatis, ita ut effluvia ab iis longe emanent, ut, si in balneo destillentur, nihil præter phlegma insipidum in alembicum evehatur: Et quidem spiritus animales hujusmodi indolem acetosam, cum salis fluidi dominio in affectibus melancholicis habere suspicamur, prout mox ostendetur.

4°. Stagmata quædam Spagyrice prolicita quandoq; sunt acerrima, in quibus nempe salis indi, una & sulphuris arsenicalis particulæ indomitæ simul combinatæ exaltantur, ut sunt *aquæ Stygiæ* ex nitro, vitriolo, antimonio, arsenico, viridi ære & similibus exstillatæ, quæ omnes naturæ sunt efferæ, valde penetrativæ & irrefragabilis, ita ut effluvia earum motu perpetuo agitentur, quidvis penetrent, etiam longe lateque diffundantur: Atque hujusmodi liquores spirituum animalium diathesin in *Mania* acquisitam satis apte referunt.

Impræsentiarum vero ut Melancholiæ *rationem formalem* & *causas* tradamus, opinari fas sit liquorem è sanguine cerebro instillatum (qui τ̃ ἐγκεφάλȣ ejusque appendicis nervosi poros & meatus omnes implens ac irrigans, spirituum animalium & vehiculum & vinculum est) à natura, miti, benigna & subtili, in acetosum & corrosivum (cujusmodi sunt liquores ex aceto, buxo & vitriolo proliciti) degenerasse, atque spiritus animales qui à cerebri meditullio, tum in globosam ejus substantiam, tum in systema nervosum irradiantes, sensuum & motuum tum interiorum tum exteriorum functiones omnes producunt, pariter habere ac effluvia è liquoribus istis chymicis acetosis decedentia: De quibus observare est hæc tria, videlicet 1. Illa esse in perpetuo motu, 2. haud longe emanare 3. non tantum viis apertis ferri, sed porositates novas in corporibus vicinis producere, iisque se insinuare: Ex hujusmodi conditionum circa spiritus animales analogia evenit, quod *Melancholici* sunt semper *cogitabundi*; quod res pauciores omnino comprehendunt; quod de iis notiones suas perperam instituunt; singula hæc paulò explicatius perpendemus:

Itaque primo advertimus effluvia è liquoribus acetosis stillatitiis decedentia esse perpetim in motu, Nam spiritus vitrioli, aceti radicati, aut salis marini continue evaporant, Cujus ratio est, quoniam istæ salis hujus particulæ fere cum nullis aliis cohærent, quin ubicunque sistuntur, mox subjecta sua derelinquere aptæ, consortia nova ambire videntur: Hinc quidam *mobile perpetuum* nulla ratione melius affingendum censent, quam si acidi mineralium spiritus phiola hermetice obsignata includantur, ita namque vapores, sive effluvia circulatione continua vitri latera perreptabunt: Pariter opinari licet, à sanguine interdum sale fixo, vel particulis vitriolicis, aut alias heterogeneis referto, *liquorem nerveum* acetosum, pro spirituum animalium materia & vehiculo in cerebrum instillari, proindeque illos intra τ̃ ἐγκεφάλȣ meditullia admissos, propter functionum animalium actus, poros & meatus omnes non ocyus trajicere & irradiare, sed tanquam ἀτμίδας aciaiusculas, lente sed incessanter huc illuc pereptare, & velut formicationis motu quodam irrequieto, per totam viciniam se paulatim diffundere: Hinc cogitationum æstus perpetuus cietur, quibus sine intermissione cerebrum occupari solet, adeo ut melancholici phantasiam dies & noctes continue perturbatam habeant; in quantum scil. eorum spiritus animales ex materia indesinenter mobili constant: hinc item oculis intortis aut fixis oblique aut torvum intuentur, aliasque facultates & sensitivas & loco motivas inadvertenter exercent; in quantum spiritus motus assiduitate attriti & distracti, systema nervosum non bene actuant aut irradiant:

2. *E spiritu acetoso*, arte Chymica parato, licet effluvia continue decedunt, tamen ista non longe pergunt, quin prope liquoris superficiem densissime agglomerata, corporibus tantum vicinis impinguntur, procul consita minime attingentia: Hinc spiritus vitrioli, salis, aut aceti, è cucurbita in alembicum altiorem, nisi calore valde intenso urgentur, haudquaquam ascendunt, at phiala humiliori inclusi epistomium perforant & corrodunt: Pariter habet circa *atrabiliariorum phantasmata*, nam in quantum spiritus animales in naturam acidam degeneres, haud totam cerebri compagem, uti prius irradiant & cito permeant, ast in meditullio scatutientes impetu suo in poros & meatus tantum propinquiores feruntur, ideo cogitationes inde concitæ, utut perennes, tamen res pauciores comprehendunt: cumque ita plures spirituum copiæ finibus angustioribus coercentur, objectum quodlibet exiguum & minoris momenti, iis prægrande & curæ insignis videtur: pari certe ratione & modo ac cum per vitrum microcospticum species visibiles trajectæ oculo inferuntur; nam quatenus ejusdem rei plures radii concentrantur, ejus magnitudo in immensum augeri videtur, ita cum species quælibet intentionalis spirituum una plurium confluxu in cerebro confirmatur, ista solito major & gravior animæ apparet, Hujus veritatem unusquisque nonnunquam in seipso experitur, cum enim à victu crassiori & melancholico, aut propter tristitiæ passionem cogitabundi evadimus (cujus affectus causa est quod spiritus animales emanationi liberiori impares existunt) tunc de minimis quibusvis, tanquam exinde salus nostra, aut fortuna in æternum periclitaretur, valde solliciti & timidi sumus: Hinc etiam, quia spiritus animales, licet fere semper in motu, usque tamen intra eosdem breves cancellos limitantur. Melancholici sæpe rem eandem cogitando, & in animo revolvendo, diutissime persistunt:

3. Verum restat adhuc alia spirituum animalium, cum istis è *vitriolo*, aliisque salinis exstillatis, similitudo, nimirum quod sicut effluvia è spiritibus ejusmodi acetosis dimissa, haud tam spatiis apertis & tractibus prius excusis evaporant, quam poros & meatus sibi novos in corpore objecto producunt, adeo ut suberem vasis continentis foramini impositum facile perforent & friabilem reddant: quod minime accidit à spiritu vini ad eundem modum phiola incluso: ita quidem in melancholicis usu venire solet, nam in quantum spiritus animales particulis salinis velut aculeati, dum è cerebri meditullio scaturiunt, haud priores tractus & expansionis suæ orbitas observant, verum spatiola sibi nova & insolita intra globosam cerebri substantiam densissime excavant: hinc cogitationes haud quales olim habuerunt, at novæ, incongruæ & plerumq; absurdæ animo objiciuntur: Enimvero quod Phantasia circa rerum conceptus prævaricatur, & propterea quod judicii & rationis actus perperam efformantur, unice in causa est quod spiritus animales rejectis prioribus ambulacris, suisque ituum ac redituum in cerebro viis, huc illuc in obliquum & transversum lati, itinera omnia devia & inassuera affectant, quod equidem illis agere ex diathesi acetosa qua labo-

rant

rant proprium est: in quantum sc. istiusmodi liquorum effluvia via haud directa & libera emanatione, velut lucis radii se expandunt, verum motu flexuoso, & velut formicante, quaquaversus in viciniam perreptant. *Th. Willis Tract. de Anima Brutor. cap. de Melancholia.*

Observatio IX.

§ *Anatome Melancholici in cujus corde reperta vesicula atrum sanguinem continens.*

N. Dum viveret taciturnus erat, frequentia hominum colloquia non affectabat, melancholicus: &c. obiit ex inflammatione hepatis: cordis adhaerebat dextro ventriculo vesicula justae magnitudinis continens in se sanguinem atrum. &c. *Vide lib. 3. Tit. de Hypochondriacis doloribus.*

Observatio X.

Anatome Melancholici, in cujus cordis utroque sinu reperta pituita vitrea.

Juvenis diu melancholici omnia se recte habuere praeter cordis ventriculum utrumque, qui non sanguine, sed pituita potius vitrea repletus erat. *Vide lib. 2. Tit. de morte repent.*

Observatio XI.

Melancholia ab atro sanguine in cordis cavitate.

Puer trium annorum (*Vide lib. 2. Tit. de Morte subita*) admodum moestus & gemebundus vixit: Repertus ater sanguis in cordis cavitate, & serositas in capsula &c.

Observatio XII.

Melancholia ab humore atro in sinistro cordis sinu.

In sinistro cordis sinu mulieris melancholia hypoch. laborantis, reperta est pars humoris melancholici velut concreta. *Vide lib. 2. Tit. de Palpit. cordis.*

Observatio XIII.

In Melancholici sinistro ventriculo cordis reperta caro nigricans & glandulosa.

In Nob. viri cordis sinistro ventriculo glandulosae, sed nigricantis carnis libras duas reperimus, corde instar uteri ad ejus carnis molem extenso, & homine ante mortem habitu utcunque melancholico. *Vide lib. 2. Tit. de Pulsu non naturali.*

Observatio XIV.

Melancholia à foetido humore in sinistro cordis ventriculo concluso.

Civis M. per triennium melancholia laboraverat hypochondriaca: In defuncti cordis sinistro sinu repertus tenuis, praeruber & foetidissimus humor. &c. *Vide lib. 2. Tit. de Syncope.*

Observatio XV.

Melancholica mulieris pericardium undique cordi adnatum erat.

Uxor N. per tres ultimos vitae annos moesta valde & melancholica erat: Viscera inferioris ventris integra erant, Cordi vero toti pericardium ubique arcte accreverat &c. *Vide Tit. de de Syncope.*

Observatio XVI.

Hypochondriaca affectio à ventriculi vitio, Epiploi humore melancholico infarti.

In aperris cadaveribus eorum quos sua sors peremerat, alias inventa Pylori inflammatio, obstructionis & angustiae causa: In aliis glandularum mesenterii durities, & quasi callus mesenterii, aut quidam sphacelus &c. *Vide Tit. de Vomitu. lib. 3.*

Observatio XVII.

Hypochondriaca affectio à ventriculi vitio, Epiploï humore melancholico infarcti.

Dom. N. temperamento melancholico & adusto, vomitu contumaci affligebatur, crebris ructibus &c. Epiploon erat crassum, rubrum, scirrhosum, in quo humores melancholici acervati ad ventriculum effluebant: hic lividus in fundo tenuis parte superna. *Vide Tit. de Vomitu lib. 3.*

Observatio XVIII.

Hypochondriacæ affectionis sedes in pyloro reperta.

Nob. N. hypochondriacus revomebat semper cibum & simul aliquid nigrum. Pylorus scirrhosus erat: Diocles subjectum statuit Pylorum potius quam venas mesaraei, *Vide lib. 3. tit. de Vomitu.*

Observatio XIX.

Hypochondriaca affectio à Liene male constituto orta, Vasis mesaraicis atro sanguine turgentibus.

Vir 49. annorum, constitutionis melancholicæ, hypochondriaca affectione per aliquot annos mire divexabatur; maxime tamen de dolore hypochondrii sinistri conquestus est: Defuncti Lien quidem sat magnus, colore lividus & flaccidus: Mesaraicæ tam venæ quam arteriæ, tum & vasa gastro epiploica atro sanguine turgescentia & quasi varicosa conspiciebantur; Pulmones sanguine nigro turgescentes fermentescente, Talis etiam sanguis in Liene & confinio venæ portæ, ac dextro cordis ventriculo conspiciebatur. *Vide Tit. de Hæmoptysi. lib. 2.*

Mesaraica tam vena quam arteria &c.] Vidi ego sæpe obstructas venas mesenterii, seu medii intestini, per vim adeo dilatatas, natura conatu munus suum perficere distributionis, ut speciem intestinorum potius quam venarum præ se ferrent. *Guarinonius consult. 58.*

Observatio XX.

In Hypochondriaci cadavere omenti vitium deprehensum.

In cadavere M. Beale hypochondriaci & scorbutici, omentum nigricans, laceratum, friabile & fere putridum ac pinguedine destitutum inveniebam: Plurimis quoque in locis infra umbilicum peritonæo adhærebat, venisque nigris & turgentibus, certis obstructionis indiciis scatebat. *VVarthon Adenographiæ cap. 12.*

Observatio XXI.

Lien frequenter vitii accusatus, sæpe inculpatus in melancholicis deprehenditur.

§. 1. Lien olim affectuum melancholicorum reus actus est potius quam peractus: Neque sententia illa nuperis experimentis est consentanea, Plurimi enim istiusmodi affectibus obnoxii, & post obitum exenterati, Lienem ab omni tali culpa absolverunt. *Glisson Anatom. Hepatis cap. 45.*

§. 2. Franc. Sylvius non admittit peccare in melancholicis Lienem, qui in quinquaginta & ultra cadaveribus vix unquam se Lienis vitia deprehendere potuisse testatur. *Olaus Borrichius apud Th. Bartholinum cent. 3. Epist. 97.*

§. 3. In affectibus melancholicis obnoxiis, & post obitum exenteratis, Lienem ab omni tali culpa absolverunt Medici. *Nath. Highmorus de aff. Hypochondr. cap. 4.*

Quatenus inter partes in affectione Hypochondriaca affici suspectas, maxime querelæ contra Lienem suscitantur: erit operæ pretium inquirere quali officio hoc Viscus defungatur: dein quoties ab eo desciscit, utrum huic morbo contribuat? Mihi probabile videtur à sanguine per arterias advecto, portionem quandam fæculentiorem, scilicet materia terrestri & sale fere constantem in hoc viscere deponi, quæ illic velut digestione, exaltata, & in fermenti naturam evecta, denuo sanguini per venas refluo committatur, quæ ipsum ζυμώσι quadam inspiret, atque circa ἀνθρώπων ejus idem præstet quod fermentum nostrum vulgare massæ farinaceæ commissum; nam sicuti panis incocti portio quædam, ad austeritatem servata, istam indo-

indolem assequitur ut panes alios fermentet, eorumque particulas alias ignes in motum vindicet; ita videtur quod sanguis in liene reconditus, ibidemque velut stagnatione acescens fermenti naturam induat, quo quidem reliqua cruoris massa, aliique forsan humores tanquam spiritualisari, in motum vividiorem actuentur. Hic amplius annotare libet, quod in corporibus animalium ex elementorum quinario conflatis, uti spiritus cæteris præpollere debent, ita quidem isti viscosa sulphuris & aquæ humiditate irretiti præpediuntur adeo, ut sæpe vires suas vegete satis exercere nequeant, hinc particulæ salinæ, ut pote plurimum fermente scibiles, ad hoc requiruntur ut corpuscula spirituosa aliorum complexu semi obruta ac sopita exsuscitentur, ac in motus libertatem vindicentur: unde in nobis ipsis experimur cum à sanguine nimis halitnoso spiritus hebescunt, à liquoribus acetosis, uti primario vinis tenuibus, & pomaceo insigne juvamen præstari: hujusmodi enim remedia spiritus exacnunt ac torporem quemvis excutiunt: Talem omnino ζυμώσεως virtutem à liene recte se habente erga sanguinem & liquorem nervosum jugiter exerceri facile credimus: Cum enim hoc viscus triplici vasorum genere instruatur, scil. arteriis & venis, ac insuper magnis vasorum plexibus, fibrarumque nervearum textura consitissima, singulorum usus ad hunc modum dirimi censemus: nempe per arterias sanguis Lieni infertur, hinc fæculentias suas, è sale fixo & materia terrestri conflatas, in meatus & porositates ejus deponit, atque istæ ibidem reconditæ, velut digestione quadam in succum valde fermentativum evehuntur, cujus item portio sanguini per venas reducendo continuo permiscetur, adeoque tota ejus massa hujusmodi particulis fermentativis à liene inspiratur, à quibus eidem velut austeritas quædam & acumen cum motus vigore conciliatur, ita ut propterea ipse sanguis vegetius in vasis feratur, etiam exinde succus nervosus è sanguine procreatus magis activus tegimini animali suppeditetur, at vero haud tantum hoc ritu mediate & cruoris interventu, lienis virtus fermentativa cerebrum & genus nervosum inspirat, verumtamen opinari licet quod hoc aliquatenus immediato nervorum in liene dispersorum, commeatu fiat; nam si quidem in hac parte nervorum & plexuum nerveorum, fibrarumque ab iis ortarum ingens satellitium anatomia detexit, merito ambigitur quali usui inserviunt: Super hoc imprimis annotetur ventriculum & lienem cum cerebro intima commercia habere, in tantum ut Helmontius in visceribus istis animæ sedem posuerit, hoc autem nulla quàm per nervos prædictos commodiori via fieri possibile est; Quapropter hic merito suspicamur non tantum spiritus animales à meta alterutra ad alteram internuntios esse, quin etiam & liquorem nervosum, qui spirituum illorum tum pabulo tum vehiculo est, modo à cerebro versus hæc viscera descendere, modo à visceribus hisce per nervos susceptum versus ἐγκέφαλον perrepetare, cujusmodi succus lienaris ad cerebrum delatus spiritus animales exacuit, eosdem segnes erigit ac in motus pernices irritat: unde à liene mentis acumen & sagacitatem proficisci vulgo fertur, & Lienosi pro ingeniosis habentur: Cæterum probabile est quod passionum ὁρμαὶ impetusque, à spiritibus cerebri incolis incoepti, nervorum commeatu in lienem feruntur, adeoque spiritus inibi degentes pathetice afficiunt, & sanguinem illuc confluum in perturbationum fluctus exagitant; hinc enim aliquatenus procedit in ita, tristitia aliisque animi affectibus, juxta quod Lienis fermentum, plus aut minus commotum sanguini inspiratur, hujus liquor diversimode ebullit. Porro ob hanc rationem accidit lienosis, à passione quavis violenta sinistri hypocondrii inflationes & commotiones magnas cieri: Circa Lienis usum his ita prælibatis in promptu erit, juxta hanc nostram hypothesin, symptomata pleraque ad affectionem hypocondriacam pertinentia explicare & singulorum rationes assignare:

Si quando enim Lien in officio suo deficit, h. e. cum sanguinis recrementa atrabilaria non secernit, nec in materiam fermentativam coquit sicut in pueris, aliisque temperamenti sanguinei aut nimis phlegmatici crebro evenire modo observavimus, animi indoles fit hebetior, corpus otio pinguescit, quin & sanguis debito segnior intra vasa stagnare, aut saltem minus vegete circulari aptus est: è contra vero cum lienis vis fermentativa nimis exaltatur, aut pervertitur, sanguis proinde debito acrior aut austerior factus, huc illuc rapide transcurrit atque motuum anomalias concipit: quin & succus nervosus à recta crasi deficiens, spiritus animales copula heterogenea & explosiva imbuit, eosque adeo velut tumultis afficiens in crebros spasmos incitat: ut non prorsus immerito Liene, perperam habenti, plurima morborum genera imputentur: dum autem afficiendi rationes, quibus Lien male dispositus passionis hypocondriacæ symptomata producit, aut saltem eorum ortui contribuit potissimum, hæ sequentes.

Scilicet 1. accidit interdum spongiosam Lienis substantiam à sanguinis fæce potis ejus nimis impacta, ibidemque stagnante plurimum infarciri ac obstrui, ut deinceps massæ sanguineæ recrementa haud satis excipiat, quin eadem illuc delata, sed minime suscepta, in arterias coeliacæ ramos propinquos regurgitent, unde statim in ventriculi membranas, omentum, mesenterium, aliasque partes vicinas deferuntur, ibidemque affigi solent: hinc viscerum illorum tonus in tantum labefactatur, ut circa chyli coctionem debita munia haud rite exequantur; & membranæ circumquaq; consitæ particulis heterogeneis & irritativis plurimum imbutæ, si quidem fere continuo vellicantur, à spasmis hic illic suscitatis doloribus vagis contracturis distentionibus & flatuum proventui graviter obnoxiæ fiant: propter hujusmodi sanguinis à Liene obstructo regurgitationem, verisimile est pulsationem illam, quæ in hypocondriacis subter ventriculum sentitur, excitari.

2. Cum sanguinis fæculentiæ Liene obstructo excluduntur, partibus ei vicinis, uti dictum est, affixæ, sinistri hypocondrii affectionem valetudinariam pariunt: at vero licet viscus illud succum atrabilarium è cruore per arterias advectum satis excipiat, sæpe tamen eundem haud rite coquit, verum sale plurimum exaltato in humorem nimis acidum aut austerum, vel alius generis vitiosum pervertit; quo cum tota massa sanguinea, atque succi alibilis in sinu ejus contenti penitus imbuuntur, seminii hypocondriaci fructus in toto corpore repullulant, sanguis indebito effervescens in quibusdam impetuosius agita-

agitatur, simulque in altis stagnare aptus est: hinc Lienosis familiare est statim à pastu faciem rubescere, manuum volas incalescere, hypochōdria æstuare, cordis oppressiones atque pulsus variationes insignes succedere: cæterum particulis istis fermentativis è sanguine in partes solidas ubique translatis, *dolores vagi* hinc inde transcurrentes, & punctionum sensus in plerisque corporis membris accientur: porro ab hôc cruoris inquinamento, si quidem massa ejus à temperie benigna & balsamica in salsam & tartaream mutatur, corporis habitus malicentus cum vultu lurido & obfusco inducitur.

3. E sanguine ita Lienis culpa depravato, etiam *regimini animali* labes sæpenumero infertur, nam particulæ heterogeneæ & spasmodicæ non raro in *cerebrum*, indeque in nervosum genus suffunduntur; ita ut spiritus animales in utraque provincia degenres, varias anomalias concipiant propter noxam τῷ ἐγκεφάλῳ impressam, hypochondriaci variis phantasmatis & cogitationum mole fluctuationibusque tentari solent, Insuper iis crebræ vertigines, scotomiæ, cephalalgiæ & non raro affectus paralytici contingunt: dein quatenus materies morbifica è capite in nervosum genus prolabitur; affectiones spasmodicæ in plerisque corporis partibus, potissimum vero circa præcordia, ac imi ventris viscera excitantur; cum enim spiritus intra nervos, qui partes istas respiciunt, scatentes; propter animi affectus valde perturbantur, particulæ spasmodicæ istos ductus promptius subeunt, illisque spiritibus diathesin convulsivam facilius imprimunt: Itaque partim ob labem, mediante cerebro transmissam; partimque ob noxam à Liene (ut ostensum est) immediate communicatam, *cordis palpitatio, tremor & frequens deliquium, pectoris constrictiones, respirationis impedimenta, stomachi* dolor, rugitus, multa alia in istis visceribus accidentia hypochondriacis contingunt.

4. Præter hujusmodi inordinationes quæ sanguinis trajectu à Liene in humores & partes solidas, ipsumque cerebrum & nervosum genus derivari solent; & alia præterea mala quæ ab hoc viscere, etiam nervorum commeatu, exoriri videntur: quippe cum eorum propagines extremæ, ipsæque fibræ nerveæ visceribus intertextæ, extimis suis osculis humorem quendam imbibere, ipsumque nonnunquam sursum convehere ostendimus, summè probabile est fibras nerveas Lieni dispertitas (quarum ingens satellitium est) succum ejus acerrimum suscipere; qui ductus nerveos altius perreptans, motuum convulsivorum causa existit: Revera quod inter cerebrum & Lienem tam intima commercia habentur; nimirum longe citius quàm quæ per sanguinis ambages fieri possint, opinari liceat nervos paris vagi & intercostalis, proximam commeatus viam esse qua hæ partes invicem communicant, ac sese mutuò afficiunt: Videtur enim quod cum atrabilis in Liene, aut sponte turgescit, vel à causa quadam evidenti commovetur, particulæ ejus fibras nerveas, eidem densissime distributas, subeant, quæ spiritus animales in iis scatentes perturbant inque explosiones, aut saltem ἀταξίας quasdam adigunt: dein spiritus ita perturbati proximos, illique alios afficiunt, donec continuata ipsorum serie passio intra Lienem incepta usque ad cerebrum propagetur, ibidemque phantasmata inordinata, qualia hypochondriacis accidunt, producit: Etiam vice versa; cum gravis animi affectus, intra cerebrum occasionaliter excitatus, spiritus ejus incolas molestat; impressio phantasiæ oblata spirituum intra nervos paris vagi & intercostalis consitorum serie, & affectione successiva, usque ad Lienem perducitur: hinc fermentum ejus magis commotum, tum in viscere isto, tum in tota vicinia, fibrarum & membranarum spasmos ciet, & insuper sanguinem in fluxus & refluxus, variasque æstuationes cogit; quin & spirituum perturbationes in cerebrum reflectit: Ab hujusmodi reciproca cerebri & Lienis affectione accidit quod Hypochondriaci adeo sunt irrequieti, instabiles & proposito quovis fluctuantes; quasi juxta Poetam *Decem animi in iis unà certarent. Th. Willis Pathol. cerebri cap. 11.*

Observatio XXII.

§. *Melancholia à Lienis absentia prognata.*

Uxori N. cutis atro colore erat tincta, absque febre perpetuo mœsta. Medici causam judicarunt contumacem lienis & mesenterii obstructionem, &c. cadaver sine liene inventum est &c. *Vide lib. 3. Tit. de Ictero.*

Observatio XXIII.

§. *Hypochondriaco malo laborans Lienem gerebat quatuor librarum ponderis & Durum.*

Lienis corpus præter modum augmentum sumere posse, naturale, vel omnino præternaturale, Anatomicorum observationes satis docent. Placet communicare observatum rarius recurrens. Quatuor nempe librarum pondus vix potuisse æquivalere ponderi Lienis alicujus, ex vero diu Hypochondriaco malo vexato exsecti. Durus insuper hic lien. *G. Blasius in observat. Anatom. p. 127. Et observat. med. 22.*

Observatio XXIV.

§ *Hypochondriaca mel. à Liene scirrhoso.*

Generosus N. hypochondriaci affectus symptomatibus & nephriticis doloribus crebro infestabatur. In mortui cadavere ventriculus mediocriter habebat. Lien scirrhosus erat, Jecur floridum, In mesenterio nulla apparebat noxa. *Vide histor. Tit. de Renum doloribus, lib. 3.*

OBSERVATIO XXV.

§. *Melancholia Hypochondriaca à Liene male constituto, livido, flaccido, Vasis mesaraicis atro sanguine turgentibus.*

VIr 40. annorum constitutionis melancholicæ, hypochondriaca affectione per aliquot annos mire divexabatur, maxime tamen de dolore hypochondrii sinistri conquestus est &c. In illo Lien fat magnus repertus est, colore lividus & flaccidus: Mesaraica vasa, & gastroepiploica, atro sanguine turgescentia & quasi varicosa conspiciebantur. *Laur. Wolfrigel in Miscellan. curiosis anni 1670.*

OBSERVATIO XXVI.

§. *Melancholia hypochondriaca à Liene Scirrhoso, cui adnatum tuberculum, & Mesenterio atro succo referto.*

NObilis matrona (*de qua lib. 2. Tit. de Phthisi*) hypochondriacas molestias & lienis tensiones annuatim quasi; circa Solstitia maximè & Æquinoctia, passa est.

Inciso mortuæ cadavere, Lien erat scirrhosus, appendice ovum columbinum æquante instructus, Hepar vero magnum & floridum: ventriculus & intestina omni fere humore destituebantur, mesenterium autem atro succo refertum erat &c. *I. D. Horstius Observ. anat. 8.*

OBSERVATIO XXVII.

Melancholia hypochondriaca à vitio lienis, orta, in quo venæ varicosa &c.

DOm. N. symptomatibus melancholicis affectus fuit: Corpus Lienis aliquomodo erat globosum, coloris diversi, in cujus medio, digiti latitudine, atra linea, In convexo venæ varicosæ, crasso sanguine farctæ &c. *Vide lib. 3. Tit. de Ventris tumor.*

OBSERVATIO XXVIII.

§. *Melancholia à parvitate Lienis inducta, &c.*

D. Nicodemo Sitzlino obtigit natura frigidior ac siccior & *plane melancholica*, prout ex totius corporis constitutione arida ac macilenta, facie livida, barba nigra patescit: exin ab ipsa statim adolescentia melancholiæ hydochondriacæ fuit obnoxius: cerebrum obvenerat frigidius ac siccius, quia ἄγρυπν@ & catarrhosus, in rebus peragendis tardior: cor & ipsum frigidiore donatum intemperie, cujus θεχμήσιον metus, mœstitia, pusillanimitas jugiter molestantia: Hepar olim in juventute videtur fuisse calidius, cum ille atrabilarius: ac progrediente ætate evasit frigidius, prout ex serosa massa sanguinea, colore Jecoris pallido & plumbeo, & vesica fellis grandiore aquoso repleta humore, innotuit. Enormes in diæta commiserat errores, Baccho indulgens, non tam desiderio vini quam ad demulcendos acriores atræ bilis fumos: Accessit ἀγρυπνία plusquam annua, ut media nocte ad lychnum legere solitus dum somnus obrepsit: crebrior usus validiorum etiam pharmacorum: Spatio annuo bis in acidulas profectus: exin vix ultra annum in vita superstes mansit: Aliquot ante obitum septimanis, nocturno imprimis tempore, infestatus gravissimis destillationibus affatim è capite destillantibus, & in asperam arteriam subito irruentibus, ut nonnisi *recta cervice spirare* fas, & non tato ingens impenderet suffocationis discrimen. *Quin & ex infernis partibus per anadromen restagnantes serosos humores pectus replevisse à ratione haud alienum:*

Aperto demortui thorace, inventum pus in eo, dixisses lutum viscosum cruore imbutum: Erat defunctus μεγαλόσπλαγχν@: notatu per quam dignum omnia interna membra, Hepar, Pulmones & Cor, in tam arido & exsucco corpore, admodum grandia & pallida, ac pene plumbei coloris visa, haud aliter colorata ac adhuc viventis facies tincta & plane livida: Cum hepar sit officina sanguinis, nihil mirum totam massam sanguineam consimili colore è mortuo infectam, & exin progeneratum humorem melancholicum: Recordor cum aliquando venæ sectioni adessem, & sanguinem emissum contemplarus, cum lividi ac plumbei coloris observasse, haud secus ac hepatis constitutio deprehensa: Quin & reperta vesica grandior, instar nivis candida, in gibba hepatis parte, pellucida, aquoso conferta humore, quæ hydropis prænuntia: Si fata defuncto diuturniorem lucis usuram concessissent, proculdubio hydrope fuisset extinctus, ab empyemate & orthopnoea maturius sublatus. Melancholiæ hypochondriacæ tam contumaci, & ultra 20. annos duranti, occasionem haud levem suppeditavit vitiosa *Lienis* à natura conformatio in diminuta quantitate; qui *admodum pusillus*, vix dimidię palmę manus, & lividi coloris in conspectum venit, uncię unius pondus haud excedens.

Cor

Cor ingens ratione proportionis corporis se ostentavit; quin & ejus duo ventriculi repleti sanguine crasso & nigerrimo, instar atramenti, qui index humoris melancholici. *Augustinus Thonerus Epistola 2. lib. 6.*

§. 2. Huic observationi adstipulatur *A laurentius*, referens sibi cognitam Illustrem familiam, melancholiæ hypochondriacæ obnoxiam, ex qua nonnulli præmatura morte sublati, nec ulli causæ præpropèrum fatum imputari potuisse quam exiguitati splenis, functioni à natura destinatæ satisfacere nequeuntis.

Cum Lien eum in finem destinatus à natura, ut massam sanguineam depurget à fæce melancholica, aut parte chyli crassiore; si is justo minor non potest tantum attrahere quantum natura exigebat, idcirco è venis regurgitans ac restagnans, per totum mesenterium dimanat ac diffluit. *Idem Thonerus Ibidem.*

Ex infernis partibus humores pectus replevisse &c.] Pectoris omnino maximus cum hæmorrhoidali arteria consensus est, quod truncus ex quo arteria oritur à corde descendens, in primo statim exortu intercostales ramos propagat: Unde accidit ut qui Hypochondriacæ affectioni & Scorbuto sunt obnoxii, sæpe de acerbissimis pectoris doloribus, iis tamen non diuturnis, ut & pectoris constrictione conquerantur, materia flatulenta, serosa, tenui & acri per dictas vias in musculos thoracis effusa, membranasque ibi vellicante & distendente. *Sennertus Pract. lib. 3. part. 3. c. 2.*

Nonnisi recta cervice spirare] Lienis perturbationi Respiratio difficilis passim in hypochondriacis & scorbuticis succedit: quia nervi splenici cum peripneumonicis communicant: quandoquidem igitur utrique materia morbida, seu spasmodica obsidentur, eadem in alterutris commota spasmos ciens, alteros in affectus consensum trahit; *Willis Pathol. cerebri cap. 12.*

Lien admodum pusillus] Excrementi melancholici receptaculum esse qui negant, id confirmant exemplo eorum quibus tristitia causa fuit mortis, in quibus partium internarum examen instituenti Anatomico, nulla fere occurrit quæ minus à statu naturali recesserit Liene, corde solo excepto, quod spiritus vitales insigniter adeo defendunt ut minus aliis partibus afficiatur. *P. Barbette Anatom. Pract. lib. 1. cap. 15.*

Observatio XXIX.

Melancholia à liene corrupto exorta.

Secuit nuper D. *Van Horne* quendam *Martinum del Slaper*, qui quod febricula tentatus carnificis ministerium occuparet, h. e. seipsum è clavo fenestræ suspenderet, cessit in prædam novaculis publicis. Duo in illo rariora, Totum pectus, imo & abdomen hispidum, imo & dorsum, sed præcipue brachiorum superiora, nec tamen pili illi, præsertim in dorso, ad inferiora vergebant, ut solenne alias, sed nitebantur omnes versus superiora. In humeris, qua brachia exeunt, tam hirsuta omnia, ut pene Ursi alicujus armos videre me existimarem. In cruribus tamen vix pilorum vestigium.

Quod ad interiora *solus Lien peccasse* videbatur, ablata enim, qua tegitur membrana, totum lienis parenchyma instar crassæ & nigræ amurcæ diffluebat, nihil in eo solidum, ut non crederetur dissimile vero ex corruptione melancholici visceris, miserum in deliria actum, jus vitæ suæ laqueo dixisse. *Bartholinus Epist. 97. cent. 3.*

Solus Lien peccasse] Lien male affectus totius corporis œconomiam turbare plurimasque partes in consensum trahere potest: Imo quod ait Hippocr. de utero, quod fœminis sexcentarum ærumnarum author sit, idem de Liene affirmamus, quod infinitarum fere calamitatum faber existat. Cerebrum licet à Liene sit satis remotum, gravissime tamen ejus culpa potest affici, & in varia symptomata præcipitari: Melancholiam à Liene non recte constituto non semel observavimus, quod plurimorum quoque authoritate confirmatur. *Moebius Fundam. Physiol. cap. 17. §. 8. 9. & 10.*

Observatio XXX.

Melancholia hypochondriaca sedes est in vasis cœliacis & mesentericis.

In cœliacis & mesentericis arteriis & venis melancholiæ sedem arbitratur esse *Spigelius*, illas autem hoc in morbo esse affectas, continua & vehemens illarum pulsatio & insignis calor suadent. Solebat idem in ægris hoc morbo defunctis φλογώσις *partium* ostendere ab illis irrigatarum: unde & solis clysteribus humectantibus & moderate refrigerantibus hos affectus debellari posse putabat. *Rolfinkius Dissert. Anat. lib. 6. cap. 25.*

Insignis calor] *Wepferus* Tract. de Cicuta aquat. p. 193. in anatome caniculæ provectioris ætatis, in spatio vacuo hypochondrii sinistri inter ventriculum & lienem ac crura diaphragmatis & renem sinistrum, calorem contactu comperit cordis calori prorsus non impare m. Spatium illud sordibus offarctum reperi in cadavere vetulæ, intrusa manu quam lutulentam eduxi: Sordes illæ incendium si concipiant, non secus ac fimetum concalcatum, insignem caloris sensum ægris exhibent.

Φ *Κεφ. των partium &c.*] Morbi ideam, & qui maxime sint obnoxii ostendit egregiè *Ballonius lib. consil.*38. Qui sunt corpore squalido, macro, sicco, pulsu satis infirmo, aut qui præruptis sunt (de quibus Galen. 3. loc.aff.) ii melancholiæ hypochondriacæ sunt obnoxii: Item qui curis, ægritudinibus perturbationibusque animi concutiuntur, qui generosis vinis se dediderunt, eos in melancholiam hypochondriacam præcipites fuere testatum satis est: Quò fit ut mirum non sit si desideretur inflammatio aliqua in partibus illis, & retorreat in hypochondriis humores & ita obstruat: Inde hypochondriorum æstus, inæqualitas in calore & frigore, vincente victoque calore, & materia superante calorem & ab eodem superata: Itaque nomen phlegmones non ita strictè accipiendum ut illic tumor sit, sed pro phlogosi accipiendum: Non quin calor ille qui eò loci exuperat, & materiam contumaciorem reddat, exucto tenui quodam humore in tetrum vaporem degenerante, tandem coacervet aliquid quod proximè in flatus facesset, partimque tumorem aliquem in partibus illis excitet: Accedit quod dominatu illius caloris, quodammodo febrilis, vasa quadamtenus conniveant & concidant, hinc major coacervatio, hinc obstructio, hinc alimenti impedita distributio: Sic nimirū hypochondriaci dum vel minimum alimenti sumpserunt, videntur impleti satiatique, nequeunte distribui alimento ob viarum angustiam: Itaque statuendum vitio splenis, mesenterii & intestinorum, melancholiam hypochondriacam contingere: Intemperies enim est mesenterii, vel venarum mesaraicarum, quæ ad intestina & ventriculum deducuntur: Et intemperies illa potius juncta est cum caliditate & siccitate aliqua; item cum obstructione à calidiore sanguine, cujus pars tenuior halitus modo, à calore exurente excitata summittitur in cerebrum, crassior autem deses ignavaque resistit, & calorem obruens, & gravitatem in partibus illis afferens: Ut de curatione verbo dicatur, Temperatio illius caloris acris, obstructionis libertas omni ratione est procuranda.

Observatio XXXI.

Melancholia essentialis & hypochondriaca, à cerebri venis atro sanguinis plenis, Sanie & muco in ventriculo sinistro; Iecore & liene lividis, & Corde nigro sanguine referto.

FAmulus mercatoris 30. annorum, verno tempore melancholia, sicut videbatur, hypochondriaca & vera laborabat, ita ut præ insolita & supina tristitia nihil præter mortem ultimumque diem optaret, continuoque suspitaret: Imprimis autem caput, præter morem, sinistrum in latus contorqueret: paulo ante noctutnis illis terroribus, atque *Incubo præventus.*

Multis tentatis remediis 3. Julii, postquam à matutino tempore usque in vesperam acerbo agone conflictatus esset, tandem supervenientibus haud obscuris convulsionibus, exspiravit circa septimam vespertinam. Die sequenti cadaveris visitatio *Anatomica instituta.* Cranio dissecto & separato, prodiit cerebrum, post remotionem duræ meningis, qua *venulas, nigricans & lividum*, cui in superficie inerrabat materia pauca saniosa, cerebro impressa. Dexter ventriculus naturalis, nisi quod materia sanguinolenta, instar filamenti oblonga & tenui esset infarctus: In sinistro verò maxime ventriculo morbi tam contumacis mortisque causa extabat, copiosa scil. sanies, cum muco ac materia putrescente inibi contenta, cui adscribendum quod Spasmis ejusce lateris initio affligeretur; capite nimirum ac collo in id latus inclinato. Eodem *latere* cadaver maxime lividum & intense nigricans notabarur. Juxta etiam dextræ manus *digiti* impensè livebant nigricabantque: 2. *Aperto infimo ventre*, *intestina* flatibus redundabant: *Ventriculi* fundum vacuum: *Lien* extra, media sui parte, livebat, intus nihil mali præ se ferens: *Hepar* pariter gibba parte ex dimidio lividum, sima vero & intus naturaliter sese habens. 3. Aperto medio ventre; *Cor* dissectum nigrum multumque effudit cruorem. *Pulmonum* autem lobi omnino erant lividi, saniosi & corrupti. E qua rati, pertinacis & lethalis mali historia evidens est, non melancholiam, prout initio suspicio nascebatur, tantum hypochondriacam, causam & originem præbuisse, sed forte gravioris alicujus veneni violentiam primum pulmones; juxtaque cor, vitæ communis fontem, & sic deinceps ipsum cerebellum corripuisse è materiæ μελαίνας. *I. Petrus Lotichius Observ. Midic. l.4. cap.4. Obs.4.*

MElancholia *Essentialis & Hypochondriaca*] Interdum melancholia à Spiritibus animalibus perturbatis, & in confusionem quandam actis incipiens, & aliquandiu persistens, sanguinis diathesin atrabilariam accersiti, quandoque item sanguis dyscrasiam istam primo contrahens, spirituum indolem pervertit.

Melancholiam à regimine animali sæpenumero ordiri unusquisque è plebe satis advertit, quatenus nimium spiritibus animales a passionibus animi violentis inordinationes concipiunt; in quibus cum diu persistunt, totam Animam, imo & corpus à debita crasi & constitutione deflectunt: Ita imprimis amor perditus, tristitia vehemens, terrores panici, invidia, pudor, cura & studia immodica hunc affectum crebro excitare solent: Propter enim hujusmodi ***** spiritus animales extra solitas expansionum orbitas depulsi, & ob passionis assiduitatem in errore suo permanentes, demum in tractus devios incidunt, quos postea observantes, in priores ac debitos ægre revertuntur: Dein siquidem propterea cordis motus & vigoratio minuuntur, ideo sanguis à debita crasi & ***** descicit, atque

atque fixior & salino sulphureus exinde factus, spiritus animales nonnisi in acorem degenetes suppeditat, adeoque sanguis à posteriori depravatus, diathesi melancholicæ, à spiritibus inceptæ fomitem tribuit.

Nec minus crebro accidit melancholiæ semina primo in sanguine jacta, demum spiritibus labem illam impertire. Propter hanc rationem nonnulli hæreditario jure isti morbo obnoxii sunt: Cæterum victus inordinatus, exercitii diu assueti intermissio, evacuationes solennes, uti sanguinis menstrualis aut hæmorrhoidalis, item seminis aut ichoris fetosi subito suppressæ, pluresque aliæ occasiones sanguinem facile inquinant ac atrabilarium reddunt, cujus dein pravam diathesin necesse erit sanguini communicari:

Quod autem plerique Medici Melancholiam ab *humore* atrabilario alicubi primario & per se genito exoriri statuunt, & pro genesi ejus loca singularia, nempe cerebrum, lienem, uterum & totum habitum corporis assignant, non facile hæc omnia concedimus: præterquam enim quod nullæ talis humoris mineræ, nisi forsan in Liene, usquam consitæ apparent, insuper ipse sanguis est qui intemperiem atrabilariam, aut quamvis aliam per se primo concipit, dein recrementa ejusdem indolis in propriis emunctoriis aut receptaculis deponit; Nec enim flava bilis in vesica fellea, aut atra, sic dicta, in Liene reconderetur, nisi prius massa sanguinea humores istos progigneret: Si quando hi, aut alii excrementitii alicubi depositi, à cruore excipiantur, hujus effervescentiam, sed non statim, aut facile in temperiem ejus producunt:

Primo quod itaque melancholiæ origo interdum capiti adscribitur, atque cerebri intemperies ab his, uti nimis calida, ab illisque frigida accusatur, potius statuendum arbitror affectionem istam quandoque à cerebro, Animaque ipsam incolente, primo incipere; quod etiam *Hippocrates* 6. Epidem. Sect. 8. textu 58. plane asserit, Namque Epilepticos & melancholicos simul aut successive factos, quoad morborum rationes formales distinguens, ait ἢν ῥέψῃ τὸ ἀῤῥώστημα ἐς τὸ σῶμα, γίνονται ἐπιλεπτικοί: ἢν δὲ ἐπὶ τὴν διάνοιαν, μελαγχολικοί, Ita in melancholia Animam distincte, & quasi seorsim à corpore sive cerebro affici innuit:

Secundo, quod morbi hujus origo nonnunquam ab *utero* deducitur, non putandum est humorem atrabilarium ibi primo generari, sed melancholiæ occasionem inde procedere; vel quoniam ob menstrua suppressa, totus sanguis inquinatus & degener factus, postea in dyscrasiam atrabilariam prolabitur: vel quatenus propter veneris stimulos, non sine magna animæ corporeæ reluctatione cohibitos, spiritus animales diu coerciti & restricti, demum fixiores & melancholici evadant.

Tertio Melancholiam quandoque à *Liene* male affecto, aut primario excitari, aut plurimum foveri, proindeque peculiari vocabulo *Hypochondriacam* appellari, & communis est & nostra fert sententia; Attamen sanguis prior in culpa, feculentias atrabilarias ab initio in se gignens, in Liene deponit, quas postea in mali fermenti naturam exaltaras denuo excipiens, ab earum inquinamento in crasi sua magis vitiatur.

Quarto, quod insuper alia melancholiæ species ab Hypochondriaca & prioribus distincta, simul in *Toto corpore* propigni perhibetur, nihil aliud est quam totius sanguinis massam propter errata in sex non naturalibus, & ob plures alias occasiones, à recta indole degenerem, dyscrasiam atrabilariam, (hoc est ubi spiritu depresso particulæ sulphureæ, una & salinæ cum aliquot etiam terrenis evehuntur) acquirere; cum sanguinis diathesis melancholica plurimum affinis sit isti sulphureo-salinæ, quam in scorbuti quodam genere præpollere ostendimus. *Willis l. c.*

Incubo præventus] Juxta veterum decreta, fit ob influxum prohibitum spirituum animalium, præclusis nervorum poris, in principio spinalis medullæ contentorum, Bartholinianis ex fundamentis accusari potest crudus chylus per lacteas ad cor delatus. Hic crassus, semicoctus, viscidus, flatulentus, superari nequit & probi sanguinis naturam induere: Hic à corde per arterias carotides & vertebrales transmissus, in capillaribus vasis subsistit, nec ultra pergit, hinc spiritibus animalibus fomentum subtrahitur, ut indecenti copia ad partes sensui & motui destinatas descendant: Atque inde forte repetenda contorsionis capitis in sinistrum latus causa, à subsistente scilicet ejusmodi chylo sanguini commisto, in ramis capillaribus; atque in cervicali arteria testaguante, unde distensio fibratum carnosarum.

Cerebrum qua venulas nigricans & lividum] A crasso & fœculento sanguine per arterias in cerebrum delato, qui non rite in venosos ductus transsumptus, sed circa ἀναστομώσεις stagnans, spirituum animalium puritatem inficit ac pathemata melancholica induxit. Sed annon materia similis à circulatione in habitum simul abripitur? Ita sane est; Nec sola cava vasorum impuritate scatent, sed & spatia extra ea: præsertim partium infimi ventris, quæ generationi aut defæcationi sanguinis inserviunt.

Aperto infimo ventre] Prima mali scaturigine: Hinc recte monet *Riverius* Pract. lib. 1. cap. 14. In curatione melancholicæ, undecunque morbus traxerit originem, hæc duo perpendenda esse; 1. ut totum corpus ab humore melancholico, omnique aliorum humorum illuvie libetetur; cum rarissime contingatur unica pars hoc humore obsideatur: 2. ut ad hypochondria curatio præcipue semper dirigatur; cum in hepate & liene prima humoris melancholici generatio, & in iisdem partibus, totaque hypochondriaca regione illius collectio fieri consueverit.

Lien &c. Hepar &c.] *Gabriel Cunæus* in apologia pro Vesalio, p. 102. in melancholicis morbis & mania reperiri ait membranam quandam à jecore ad lienem tendentem, ventriculo subditam, omnique illo intervallo mesenterii vice fungentem, in qua pravi succi coacerventur, qui post longas variasque, modo continuas, modo intermittentis febres, interdum per vomitum, interdum per sedem excernantur: Sed negat *Volterus Coiter* libello observ. se nnquam invenire potuisse ejusmodi membranam, quanquam multa secuerit corpora: *Riolanus* Anthrop. lib. 6. cap. ult.

Eam membranam nihil aliud esse quam omentum duplicatum censet.

Observatio XXXII.

Melancholia à Iecore nigricante, œdematoso, fissuris affecto &c.

NObilis quidam rerum suarum jacturam passus, *gravi mœrore & animi dolore* pressus, in Melancholiam incidit, assidue tristis, cogitabundus, ingemiscens: parsimonia jacturam reparare studebat: mutuebat lemures & spiritus quosdam: Cum autem malum intenderetur, nec spes aliqua superesse videretur ut ad mentis sanitatem redire posset, commissus est monachis quibusdam, apud quos sui similis multis annis vixit. Postquam autem hoc modo annis plus minus 20. vixisset, tandem de virium debilitate conqueri cœpit, & cibum ac potum aversari, quæ tamen citra appetentiam admisit: *Nulla* aderat *febris*: sitis nulla, universum corpus frigere videbatur, pedes processu temporis œdematosi facti sunt: Urinæ autem rubicundæ erant, veluti si febris ardens aut jecoris inflammatio præcessisset, quæ quales reddebantur permanebant, nec ab aëre aut frigore perturbabantur: Malo autem ingravescente ad alium cibum sumendum, præter exiguam sorbitionem adduci haud potuit: Ita tandem deficiente naturali facultate, inedia quodammodo confectus è vita migravit.

Hujus Hepar colore undiquaque nigrius quam secundum naturam apparuit, sed tamen minus nigricans quam pulmonis sphacelo correpti substantia: impressorum digitorum vestigia facile retinuit, nec minus facile soluta parenchymatis unitate rimas contrahebat. *Dodonæus cap. 3. Observ.*

MAnifestum hinc hepar sphacelo correptum,& urinæ ruborem haud à calore Iecoris, sed ex debilitate pene abolitæ facultatis naturalis natum fuisse: urinam autem eadem de causa talem permansisse qualis fuit reddita, quod crudissimis proprium est. *Dodonæus cap.30. Observat. De causis hujusmodi urinarum vide lib.3. tit. de urinis non naturalibus.*

Gravi mœrore & animi dolore pressus]. Potentissimam vim passionum animi esse affirmamus; Causa hæc προκαταρκτικὴ necne dicatur, tamen ubi quis ex ægritudine tanquam causa procatarctica in morbum incidit, gravissime omnium laborat: Ipsa enim ægritudo imprimit nescio quid animo, deinde corpori, animi instrumento, unde functionum omnium & omnis œconomiæ ratio, & ut ita dicam, cardines concuti ac convelli videntur: Et nisi ipsa ægritudo resederit, ægre autem levatur ac residit, vix ac ne vix quidem corpus suum primum robur ac vigorem recuperat ac resumit: declarat hecticarum prompta ope ægritudinem animique pathemata & mœrorem generatio: Quod enim vix longo intervallo facit febris, etiam satis magna, id est contactis partibus & solidis partibus ipsius cordis hecticam non generat, id brevissimo spatio facit mœror animique ægritudo: Imo nostram ipsi experientiam judicium que interponemus: Nos nos (inquam) in ipsis operibus Artis experientia didicimus eos omnes quos mœror ægritudoque animi in morbum, tanquam primaria ac externa causa conjecerit, aut lethaliter aut gravissime periculosissimeque ægrotare: vix enim ægri si liberari debent, etiam rebus omnibus rite factis liberantur: Tanta est vis ipsius ægritudinis pathematumq; animi: Nam cum *ex Tullio in Tusculanis*, omnis ægritudo miseria est, tum etiam est carnificina, habet ardorem libido, levitatem lætitia gestiens, humilitatem motus, sed ægritudo majora quædam affert, tabem, cruciatum, afflictionem, fœditatem; lacerat ipsa, exedit animum planeque conficit: Itaque cum ægritudo tale sit monstrum, & quod renascentis hydræ instar repullulet acrevivisçat, qua possumus ratione & animo pene herculeo oppugnemus, vincamus, elidamus, conteramus: Denique eam animi præsentiam infractionemque adhibeamus, quæ masculam virilemque virtutem in nobis inesse declaret ac testetur. *Ballonius lib.3. consil.5.*

Nulla aderat febris]. Affectu hypochondriaco obsessi horarum aliquot spatio falso se febricitare putant, quoniam arteriæ omnes, tum ob vehementem æstum, tum propter compressionem arteriæ magnæ immodice pulsare solent, & potissimum per horas ab assumpto cibo, vel à corporis motu, Cum tamen nulla sit febris, quæ tribus aut quatuor horis omnino cedat quanquam febris lenta aut alia accedere possit.

Observatio XXXIII.

§. *Melancholia Hypochondriaca ab atro humore in cavitate ventriculi, Pyloro arcte ob scirrhum concluso, mesenterio scirrhoso & lapidoso.*

STrenuus & Nob. Vir in Germania ex Italis parentibus natus, ætatem consistentem prætergressus, raræ texturæ, picrocholus, crinibus subflavis, euchymis cibis usus & facilis digestionis, maxime iis diebus quibus carnis esus concessus, reliquis ex farinaceis cibis comedit, cum piscibus commode uti non posset: vinum bibit bonum, verus ac clarum, ingurgitationibus non favebat, avide tamen comedebat ac celeriter more Italorum, Nec hoc ob ipsius ingenio erat alienum: *quum celeres haberet animi motus*, quibus & acta mentis & cordis πάθη agitabatur corpore agilis, unde etiam motus facilis, celer, inquietus, Non tamen ullam in exercendo corpori violentiam faciebat, quiescere tamen more gentis diu nequivit: Errata in victu fecit exigua, nisi quod conquestus de potu vappæ, aut musti incertus fuit, & suæ afflictionis

causam

tatum pronuntiavit: Hausit in convivio invitus quod emptionis aut venditionis causa instituitur, siquidem firmari omnes contractus fama est compotatione: Ab illo tempore *pondus in stomachi sensit fundo*, ructus habuit fœtidos, *flatus vagos, murmurantes in abdomine*, dejectiones cineritias fœtidas & sæpius diarrhœas æmulantes, maxime primo anno *æstus* quosdam sensit, sed eos non magnos *in hypochondriis*: Appetentia non plane primo concidit, cibis vescebatur optimis & facilis digestionis, ferre nullum potuit in bibendo erratum: *Distensiones hypochondrii* sensit & tristitiæ ac metus dedit signum, periculum ex hoc malo certo sibi prædicens: Augustani Medici pronuntiarunt flatulentam hypochondriacam, & ei morbo auxiliares manus votis potius quam persolutione adhibuere: Negavi ego morbum durius tractandum esse, ventriculo succurrendum abstergentibus, eluentibus & evacuantibus fermentum hoc in ventriculo relictum, factum hoc pilulis aloëticis, syr. rosato laxativo, quum facilis solutionis esset, idque diversis & vicibus & temporibus: Pilulas aloëticas menstruum volui esse auxilium: Morbus longus est, & de quo oraculum Montani verissimum; Medicos nimitum & medicinas esse fugiendas, quæ incendium ventriculo afferunt, ut loquitur *Ferriolus*; carminativa & calidissima aromata exitio esse ægro: miscre siquidem cum eo agitur cujus ventriculus à medicamentis exsiccatur, ne flatuum fiat hospitium, quod extenuatus nostri ægri ventriculus probe docuit: deterrime quoq; quum medicamenta fortia evacuantia ad saburram eluendam sæpius propinantur: Labor Augustanorum Medicorum erat ut obstructiones mesenterii reserarent, ventriculi saburram levi medicamento abstergerent & cruditatibus omnem viam intercluderent; unde quidam vinum chalybeatum, quidam mecum alterara herbis brodia, cum pilulis interpositis, aut hieræ picræ, aut aloës rosatæ, exhibuit, adjunctis carminativis hepaticis: Interim cum mali hujus medela esset nulla perfecta, impatiens æger moræ diuturnioris ab omnibus consilium petebat, obtemperabat omnibus, sed ita ut misceret omnium auxiliorum materias; Acidulis meo suasu ante biennium usus, haud deterius habuit, quamvis nec hujus levaminis perseverantia, nec usus ritus fuit: Inveterato malo accessit taciturna melancholia, præter hominis ingenium, *lancinationes*, subversiones, deliquia cacotrophia, œdematosi pedes, difficilis incessus & appetitus casus: summa omnium functionum imbecillitas, defluxio ad aurem dextram brachium & femur, convulsiones ventriculi aliquales, tandem coma vigilans luctuosam præcedebant multis horis mortem.

Dissecto Nobil. (*Octaviani à Taxis*) cadavere, diligenterque omnibus partibus perspectis, nullum in ulla alia parte notabilem affectum observavimus quàm in solo ventriculo ejusque inferiori orificio, & mesenterio: Ille namque à flatibus admodum distentus, valdeque extenuatus existebat, in cujus fundo *atramento similis* copiosa & maxime corrupra (sicut fœtor denotabat) continebatur *materia*: Orificium vero, seu *pylorus*, *scyrrhosus* arctissime contristus, ut vix penna transire posset, una cum mesenterio toto scirrhoso & lapidoso quasi, *in cujus venulis sanguis ater*, serosus videbatur: Hepar, Lien, Renes, Intestina, vesica, Pulmones omni parte integri erant, præter quam quod cor multa pinguedine obsitum fuit. *Hæchstetterus observ. 3. Decade. 5.*

Historia hæc Ventriculi & Mesenterii vitium & labem innoxio hepate & liene monstrat: Scirrhum ex præpostera cura & à calidioribus medicamentis fieri pauci dubitabunt; M. *Martini*, de mor. mesenterii, affectus hypochondriaci octo differentias ponit; in quarum numerum si collocatur, hic stomachicus & mesentericus dicetur, videri ibi possuur signa diagnostica:

In cujus fundo atramento similis humor &c.] Ructuum flatuumque vel sursum erumpentium, vel intus cum rugitu strepituve conclusorum huic affectui familiarium, causam statuit Fernelius præcipuam pathol. lib. 6. cap. 3. Bilem flavam vel atram ventriculo substratam, tunc enim liquidi flatulentique cibi pars maxima concoctione calorisque vi facessit in flatum.

Pylorus scirrhosus &c.] Pylorus inferioribus imperat omnibus, ex sententia Helmontii, digestionis moderator: De ejus furore multa loquitur, ac in hac affectione multum molestari censetur, tum in Pancreate, corpore glanduloso, multis fermentis donato, pro necessitate œconomiæ naturalis, si peregrinum quoddam sal volatile, ex digestione natum, illic locorum irrepserit, mediante latice vel cruore, tum inclusum hoc, quia non vitale archeo molestum ex maturitate temporis incalescit (omnis enim calor opera corrosivorum salium fit, ait *Grembs* Arbor. int. & min. l. 1. c. 7. §. 9.) hinc pervenit illa phlogosis hypochondriacis familiaris: Isthæc etiam exinde provenit dum archeus partis hospitem exosum sentiens blas alterativum excitat, & dum non valet expellere, varie commutat, propter viciniam hujus partis pylorus afficitur, induens pertinacem segnitiem, ex qua segnius se aperit: rum si super cibum diutius retentum vis fermentalis desuper operetur, necesse est ut in flatus pars chyli transmutetur; hi, si per ructus non expellantur, tum solent compressionem excitare, de qua hypochondriaci fastidiose lamentantur: Hinc conficit *Helmontius* in melancholia hypochondriaca Pancreas & Pylorum maxime affligi.

Flatus vagos, murmurantes in abdomine] Non raro accidit ut humoribus & flatibus in ea omenti parte quæ est inter Lienem, septum & ventriculum congestis & inprimis in cavitate illa in sinistro hypochondrio sub diaphragmate, ex ventriculi, omenti, coli & viscerum connexu orta & exitum non habeute, sed ita conclusa ut aquam continere possit, quam Sal. Albertus de

Scorbuto th, 71. stagnare aqua vidit, de qua accipiendus aph. 57. 7. ut Lien frustra accusetur, materia in omento consistente, & sæpe abdomen in sinistra parte versus umbilicum in tumorem attollente, Accidit etiam nonnullis ut dum ventrem attollunt vel comprimunt, aut moventur, sonum & strepitum quendam in ventre audiant, quod evenit ob humores & flatus in hac omenti cavitate conclusos, hosque nonnulli ἐγγαστριμύθους appellari putant. *Sennertus Pract. lib. 3. p. 3. c. 8. Vide eundem de affect. hypochondriaca.*

Lancinationes &c.] Ex Aristot. & experientia constat eos qui atro succo abundant, ut dolenti ita conquerendi finem non facere: At dolor non ob calorem, non ob frigus adest, sed ob inexplicabilem ineffabilemque qualitatem sanguinis, quam à nescio qua viscerum affectione & diathesi acquirit, Et natura eum succum ut non mitem & benignum refugit relegatque: & quoad potest suis facultatis expellentis præsidiis usa repellit ac rejicit: Hoc dum fit, dolores in partibus nervosis, quia humor cietur, excitantur: Et unum notandum est de iis, quod calcis modo eorum calor fuliginem pravam excitat etiam benignitate alimenti irrigatus, & à cibo sumpto deterius multo habent, imo febricitare quasi videntur, *Gub. Ballonius cons. 4. lib. 3.*

In mesenterii venulis sanguis ater &c.] Nam si ejus vitia ita vasa consistunt, ut in hæc facile effundi, & proinde in corpus hinc inde diffundi non possint, tot symptomatum quot in affectione hypochondriaca animadvertuntur, causæ esse non possunt: imo plerumque nonnisi in mortuis cognoscuntur, cum in partibus ignobilibus consistant: Et observationes Medicorum docent plurimos qui talia mesenterii, pancreatis, omenti mala passi sunt, de affectione hypochondriaca conquestos non esse: Itaque locus in quo affectionis hypochondriacæ causa continetur, talis constituendus è quo humores hinc inde fluere possint: atque ipsum statuimus esse ramos venæ portæ & arteriæ cœliacæ ac mesentericæ, qui ab hepate & liene ad ventriculum & vicina loca tendunt: Et certe ea mesenterii, omenti & pancreatis loca sunt è quibus in hæc vasa humores vitiosi facile recurrere possunt. &c. *Sennertus Pract. lib. 3. p. 5. S. 1. cap. 2. ubi vide plura.*

Observatio XXXIV.

Affectio hypochondriaca à vitio ventriculi, cujus tunicæ tenues; humore atro in cavo ejus, Pancreate, Hepate duris &c.

Ferdinandus Imper. Affectionis hypochondriacæ pleraque habuit symptomata, borborygmos, ructus &c. In ventriculo libræ duæ biliosi & melancholici humoris, Ejus tunicæ instar chartæ tenues: Vas breve obstructum: Lien admodum parvus: Pancreas nigrum, durum, Hepar in dextro lobo scirrhosum; cystis fellis vacua &c. *Vide Tit. de Vomitu lib. 3.*

Observatio XXXV.

§. In melancholici ventriculo, ranam vivam in eo se gestare rati, repertus scirrhosus Tumor.

Vidi virum rusticum, qui adeo graphice ranam se in ventriculo habere vivam multis Medicis pro consilio significavit, ut profecto licet hominem prima fronte melancholicum suspicaremur, nobis tamen de rei veritate dubitandi ansas injiceret non graves: Ajebat annum esse quo hoc affectu detineretur: timere se ne sperma ranarum cum aqua hauserit: coaxationem stridoremque ranæ in ventriculo existentis se inaudire sæpius; nuper ex vino adusto bibito evacuasse se excrementa spermati ranarum simillima, oculis nigris distincta: Ex potu aquæ ranam in ventriculo innatare, ac tunc sibi esse maxime infestam: mire vero debilitari illam ex allii decocto frequentissime sibi consueto: In vomitionibus Ranam ad gulam usque ascendere, sed ob magnitudinem ejici non posse, unde animal hoc exterius ad regionem ventriculi manibus se prehendere, ac detinere sæpissime constanter affirmabat: Interim dormire se, appetere, functiones alias recte peragere, nisi quod parum videatur emaciari: Profecto hæc rustici relatio. Viri cæteroquin prudentis, ac minime temperamenti melancholici, non immerito Medicos detinuit perplexos: Itaque adhibita sunt aliqua, utpote species diaturbith cum Rhabarbaro, & mercurio dulci. Data quoque Antimoniata: Ranæ excrementis ægroti ad fallendum studio impositæ: Propositæ pro abstersione, evacuatione, acidulæ Ægrenses, in vermibus nobis expertæ, vel aquæ salsæ ex Rhœtia &c. sed omnia incassum:

Anno iterum elabente, dum hæc scribo (1673.) virum hunc esse mortuum intelligo macie confectum; Apertum cadaver à Clar. viro D. Raimundo Maria Pistorinio, Tumor Scirrhosus, ovi gallinacei magnitudine, venis varicosis distinctus, ventriculi pyloro proxime adhærebat, & paulatim cancrosum ulcus minabatur: Ecce Ranam quam toties rusticus manibus prehendebat, totiesque agitato per vomitum ventriculo ad gulam usque ascendere credebat: Porro casus notabilis quem eo libentius recitavi, non quod rusticum hunc inter vere melancholicos repositum velim, sed ut appareat quam sæpe abstrusæ nobisque incognitæ causæ occultos morbos foveant, nec non prudentium Medicorum judicia mite suspendant. *Franc. Ignatius Thiermair. Consil. Medic. lib. 1. cap. 5.*

Non inter vere melancholicos &c.] Ratiocinatio enim non semper multum lædit, neque in omnibus, & ut *Aretæus* 1. de causis morb. diut. c. 5. loquitur, In melancholia in una re aliqua est lapsus, constante in reliquis judicio: Ratiocinationis tamen aberratio hic adfuit, phantasiæ depravatæ & ranæ præsentiam fingentis adfuit: Hypochondriacæ autem radicem hic adfuisse certum, scirrhosum scil. tumorem, ad cancri naturam vergentem, cum ventriculus speciei illi natales sæpe det. Historiam Juvenis Ranam vivam se in corpore alere existimantis & sanati vide apud *Platerum* in Observat. p. m. 47.

Observatio XXXVI.

In melancholico capsulæ atrabilariæ majores solito animadversæ sunt & peculiaris figuræ, cum parvo Liene.

CApite truncatum anno 1551. aperui, vir fuerat melancholicus, firmo tamen corporis habitu & succi pleno: Lien illi exilis rotundusque: Capsula atrabilaria dextra major & longior, duplici cavitate ampla, una rotunda, altera ad latus oblonga & angusta: Sinistra latior sed brevior. In utraque cavitate parietes tingebantur nigrore quodam *Th. Bartholinus cent.* 1. *histor.* 38.

* *Capsula atrabilaria*] *B. Eustachius* sub glandularum nomine meminit: *Casserius* Renes succenturiatos vocat, *Bartholinus*, ob usum quem iis tribuit, capsulas atrabiliarias, In his enim recipi censet humorem bilarium, crassum & excrementitium, qui à sanguine in hepate vel corde; vel liene, vel utroque confecto non jam ex purgatus fuit, ibique servari & vincit quia per angustos rerum meatus penetrare non potuit, Hinc forte urinæ etiam nigræ sunt, si aliquando humor hic in capsis nimium coacervatur: ubi quoque sedes alicujus causâ morbificâ indubia esse potest, præsertim melancholiâ.

Dextra major & longior] magnitudo non semper æqualis ait *idem*, ut plurimum dextra sinistram superat, aliquando tamen & hæc illam; in fœtu renes fere adæquant. Tamen in adulto, ob atræ bilis copiosium proventum dupla magnitudine semel observavi, quum alioquin majorem nucem vomicam non superent.

In utraque cavitate &c.] Cavitatem habent internam manifestam in majori extremitate tam in adultis quam fœtus, extrema totius fere capsulæ interius fere ambientem, in qua humorem quendam continere deprehenduntur fæculentum & nigrum, ut etiam parietes interiores eo nigrore tincti appareant. Vide plura Anat. renovatæ l. 1. c. 18.

Observatio XXXVII.

§. In Hypochondriaci cadavere magna colluvies materiæ purulentæ inter duas mesenterii tunicas reperta.

PAtritius quidam intemperantissimus in affectionem hypochondriacæ non dissimilem admodum sua forma incidit: aderat & *nausea continua*, *creber vomitus* & cogitationes melancholiæ: symptomata levibus purgationibus & tempestiva sanguinis missione aliquanto remissiora sunt reddita, at nunquam malum fuit extirpatum: aliquot diebus post *sensit horrorem*, & supervenit tumor & dolor in sinistro genu: itidem circa pubem tumor prognatus, qui vesicæ orificium ita compressit ut difficulter urinam redderet: hic tumor interdum augebatur, interdum minuebatur, unde causa flatibus adscripta est: quotidiano tamen incremento ita auctus est ut sese ad umbilicum & latus sinistrum extenderit & respirandi difficultatem excitarit: fuit redditus Cacochymicus & cachecticus, & postquam cruciatibus morboque totus contabuerat, septimo à morbi principio mense obiit diem.

Apertum fuit corpus, & in eo inventa collectio materiæ purulentæ ac fœtidæ, nimirum *inter duas mesenterii tunicas*: Collectio hæc occupatat majorem inferioris ventris partem & hepat sua putredine infecerat: *Coiter libello observat. Anat. & Chirurg.*

HInc non mirum si facta mala sanguificatione tumoribus inflammationibusque crura infestata (ut hydropicis contingit) fuerint: opinandum sane est multos similem materiam, tanquam gravissimorum morborum fomitem, in hoc mesenterio coacervare, à qua si non per vomitum vel per alvum liberentur, in tædiosos longos atque gravissimos morbos incidunt, & ultimo miseriis consumpti occumbunt. *Idem ibidem.*

Inter duas mesenterii tunicas] An obstructio mesenterii hypochondriacam melanch. potest generare; Affirmatur, si materia obstruens exusta sit & fervida, quæ melancholicis fumis & halitibus cerebrum perturbat & operationum principum depravationem inducit. Ratione enim obstructionis, cum sanguinis liber commeatus impediatur, necesse est ut hinc plus justo incalescens adurarur, quod præsertim contingit in atrabilariis: In virginibus chlorosi laborantibus, adest ejusmodi mesenterii obstructio, sed sanguis ibidem collectus refrigeratur & recrudescit, hinc emergit affectus frigidus, quod color subalbidus innuit, crudorum humorum soboles. *De obstructione & aliis affectibus mesenterii vide inter cæteros Wartoni Adenograph. c. 1. Item Matt. Martini de morb. mes. abstrusior.*

Se ad latus sinistrum extenderit.] Ubi flatus qui

hypochondriacis molesti sunt, hæreant? dubium. De ventriculo & intestinis nullum est dubium: At cur, inprimis in sinistro hypochondrio fluctuatio & borborygmi percipiuntur? Sedem nonnulli constituunt in Colo intestino, quod eo loci arctius est, ideoque flatibus commodum domicilium præbere potest, vel eo præsertim nomine quod ibi circumflexum facile illos detinet; at quia inde patet exitus, locus alius quærendus est, *marcellus Donatus* histor. mirab. l. 4. c. 8. aquositates ejusmodi (quibus flatus fere semper commisti sunt) inter binas mesenterii membranas collocat, ea ratione inductus quod etiam repetitis vacuationibus, cæterisque symptomatibus mitescentibus; borborygmi nunquam desinant: A calore enim absumpta pinguedine, inter binas tunicas vacuum relinqui locum qui aquositatibus illis & flatibus hospitium præbeat. At neque inde deduci causa potest cur in sinistro hypochondrio fluctuatio illa percipiatur, cum ejusmodi pinguedinis absumptio totum æque mesenterium attingat: Verisimiliter ergo dici humores & flatus in illa cavitate contineri quæ in sinistro hypochondrio latet, sub diaphragmate, ex ventriculi, omenti, coli & viscerum connexu orta, e qua exitus à contentis non patet; Ab Aquapendente in structura omenti descripta. Aliquando adstiti dissectioni vetulæ, factâ à Mag. Bailly chirurgo nostratæ cujus suasu manum in prædictam latebram immisi, quam sordidam & lutulento humore infectam eduxi, ipse vero fæculentum humorem copiose deprompsit.

Observatio XXXVIII.

Anatome Melancholici hypochondriaci, in quo aneurisma sub clavicula dextra repertum.

Pelet *quinquagenarius*, *atrabilario temperamento præditus*, cum gravissimis curis afflictus fuisset, *post multa symptomata melancholiam hypochondriacam attestantia*, passus est tumorem sub clavicula dextra eminentem, & ovi dimidii magnitudinem æquantem, mollem & reliquæ cuti concolorem, in quo *pulsatio insignis* apparebat: Judicatum fuit esse aneurisma insanabile.

Eo defuncto inventa est arteria magna ascendens à cornu ad claviculam, ita dilatata, ut brachii fere magnitudinem æquaret. *Laz. Riverius Cent. 4. Observ. 34.*

Aneurisma] P. Barbette Pract. lib. 2. c. 3. ait partem affectam sæpissime, imo fere semper, ob arterias carotides, collum esse: etsi in aliis partibus, ut genubus & brachiis, observatum.

Arteria] In cœliacis & mesentericis arteriis & venis melancholiæ hypochondriacæ sedem statuebat *Adr. Spigelius* Ab his in cætera potest transfundi sanguis fervidus atque aneurisma parere.

Quinquagenarius, atrabilario temperamento præditus] Affectus qui vulgo hypochondriaci perhibentur hominibus temperamenti atrabilarii, cum aspectu lurido & graciliori corporis habitu, potissimum accidunt: Raro est quod morbus iste *εὐσάρκυς*, vultu florido, aut etiam nimis phlegmaticos molestat: circa ætatis *ἀκμὴν* signis manifestis se prodit. Huic viri frequentius quam fœminæ obnoxii reperiuntur: *Th. Willis pathol. cerebri cap. XI.*

Post multa symptomata melancholiam hypochondriacam attestantia] Symptomata quæ huic morbo accensentur vulgo valde multiplicia & diversimodæ indolis existunt, neque in omnibus parem originem, aut eandem à se mutuo dependentiam observant: quippe in his ventris inferioris viscera, in illis præcordia, in aliis cerebri confinia plurimum affici videntur. In plerisque, veruntamen haud omnibus, ventriculus multum laborat; circa appetitum sæpe nimius, atqui ab ingestis statim aggravatur; In sinistro hypochondrio distensio, pulsatio, dolores, murmura, &c. In Thorace sæpenumero adest magna constrictio, respiratio difficilis: Insuper de cordis tremore & palpitatione, cum insigni ejusdem oppressione laborantes queri solent: item crebra spirituum deliquia & leipothymiæ metus supervenient, ut ægroti mortem iis semper imminentem putarint: In hac regione circa membranas, ac præcipue mediastinum, dolor acutus, qui modo in una parte circumscribitur, modo ad scapulam extenditur, hujus morbi symptoma familiare est: At vero in capite malorum ilias hypochondriacos plerunque perturbat, nempe dolores atrocissimi periodice revertentes emergunt; item scotomiæ, crebræ vertigines, vigiliæ pertinaces, cogitationum æstus & fluctuatio molestissima, animi incertitudo, phantasia perturbata, rei cujusque formido & suspicio: morborum, quibus immunes sunt, possessio imaginaria; pleræque etiam aliæ spirituum distractiones, imo interdum melancholia & mania hanc ægritudinem comitantur: Præter interiores has ce corporis regiones ab hoc morbo obsessas, insuper partes fere quasvis extremas dolores vagi, necnon spasmi & stupores cum formicationis sensu invadunt; Sudores nocturni, sanguinis in facie & volis manuum suffusiones, febres erraticæ & pleræque alia incertæ originis symptomata passim oriuntur: Interim observare est quod præcipua hujus ægritudinis symptomata sunt spasmodica, atque immediate à spirituum animalium & succi nervosi anomaliis, potiusquam à viscerum coctioni inservientium dyscrasiis dependent: *Idem ibidem.*

Pulsatio insignis] In iis quos melancholia hypochondriaca male habet, sæpe pulsatio in sinistro hypochondrio percipitur, exagitatis scil. iis in locis humoribus fervidis, qui in vapores soluti arteriarum systolen & diastolen intendunt, hæc pulsatio manum admoventibus aliquando se exhibet, tum præsertim manifesta, cum ægri meri potu exercitio ve incalescunt, aut in iram feruntur; Contingit autem præsertim in cœliaca arteria, quæ illa parte insignior est: In morbo inveterato nullas quandoque dat inducias, perassiduo molesta, imo admotæ manui perceptibilis, morbi hectici & curationem respuentis indicium. Inde finentem illum *σφυγμὸν* aneurysma aliquando sequitur, quale observatum à *Fallopio* lib. de Tum. p. n. cap. 14. Nec solum arteria cœliaca in iis pulsat, sed omnes

quoque

quoque aliquando, tum ob vehementem æstum, tum ob compressionem aortæ, præsertim per horas aliquot & sumpto cibo; vel ab immodico motu.

Raimundus I. Fortis Consult. 89. Cent. 2. agens de ejusmodi Pulsatione in hypochondriaco; Tumor, *ait*, qui modo pulsans percipitur primò observandus, num immediate sub digito pulset, an mediate à magna arteria, quod hypochondr. familiare: namque si immediate pulset, credendum foret arterias à ramo cœliaco illac percurrente, plus justo dilatatas, simulque venam gastricam dexteram, pyloricam scil. sanguine crasso, usto, copioso repleti, ac varicosam velut fieri. Quod si pulsatio ab arteria magna sub pyloro proveniat, conjiciendum sanguinem crassum per cœliacam in pylori substantiam evomuisse, sicque tumorem excitasse, &c.

Idem Excell. *Fortis*. Arteriarum pulsationis causam, non solum in calorem sanguinis & spirituum refert, sed præsertim in insignes & contumaces obstructiones, non mesenterii solum, verum vasorum Pancreatis præcipue; à quibus dum comprimitur arteria magna; sanguis & spiritus continuo eandem præterfluentes, ac eorum transfluxu ob compressionem intercepto, viam sibi parare nitentes, impetum faciunt; sicque non naturalis: sed violenta quodammodo sequitur ejusdem arteriæ pulsatio. *Consult.* 17. *Cent.* 1.

Nausea continua, creber vomitus, &c.] In plerisque hypochondriacis ventriculus multum laborat: circa appetitum sæpe nimius; at qui ab ingestis statim aggravatur: cùmque alimenta ob βραδυπεψίαν diutius in eo morantur, eorum particulæ salinæ in fluorem evectæ, totam chyli massam in pultem modo acidam aut austeram; modo in salsam aut acrem pervertunt; hinc cardialgia, flatuum ingens proventus, rugitus ac crebra vomitio succedunt. Et quoniam ob πνευματώσεως defectum, chymus haud in totum volatilisatur, ac foras provehitur; quin viscosæ materiæ saburra ventriculi tunicis adhærescens, pone relinquitur, Sputatio fere continua eos infestat; Licet vero Ventriculum in hoc affectu sæpe graviter laborare concedam, cujus siquidem tonus sit laxus, & totur præfractum, propter alimenti indigestionem, pituitæ viscosæ suburra usque in sinu ejus progignitur; cui ob particulas salinas diutina mora in fluorem evectas sæpe acor insignis aut austeritas accedunt: dein quia vitium in prima coctione haud emendatur, in secunda ἀταξίαν istam sanguinis dyscrasiæ & inordinationes excipiunt: Verumtamen in illam opinionem haud adducat ventriculum semper esse primum in culpa, aut cætera morbi hypochondriaci symptomata tantum à vitiosa illius constitutione pendere. Novi enim plures ægritudine ista immaniter afflictos, qui stomacho satis valebant: etenim de pulsatione in sinistro hypochondrio, de pectoris angustia & dolore vago in eo excitato, nec non de cordis tremore & oppressione, cum metu continuo & imaginatione perturbata plurimum questi sunt; interim cibos copiose appetere, ac ingesta quævis sine ventriculi molestia aut gravamine, etiam absque sputatione aut ructu acido digerere solebant: Quinimo observavi alios bibaces, & mala victus ratione utentes, stomachi flacciditatem cum dyspepsia, flatulentia & crebra vomitione contraxisse, qui circa præcordia & facultates animales satis sani; pro hypochondriacis haud omnino habebentur: Præterea in hoc affectu sæpe ventriculus, potius aliarum partium aut sanguinis vitio quam propria culpa laborat: quippe usitatum est hujusmodi ægrotos, quam diu in lecto compositi multum perspirant, circa stomachum recte habere: cum verò excitantur, poris occlusis, & massæ sanguineæ fœculentia intus restagnante, statim cardialgia, flatuum aggestione & crebro vomendi nixu affici. Propter hæc aliaque rationum momenta, affectionis hypochondriacæ originem ab alio fonte quam à ventriculi imbecillitate derivandam esse existimo: *Thom. Willis patholog. cerebri cap.* XI.

Mesenterii Glandulas induratas, &c.] In mesenterio plurimas glandulas reperiri omnes consentiunt; quas *Vesalius* & alii Anatomici in hunc usum fabrefactas à natura scribunt, ut vasis, quæ per mesenterium copiosa disseminantur; fulcimentum quoddam ac firmamentum sint, ne in violentis motibus disrumpantur. *Fallopius* autem censet eas obstare quominus vasorum ductus comprimantur; vel à repletis intestinis, vel à repletis intestinis, vel à prono decumbenti animali; vel compresso abdomine quopiam alio modo. Utrumque vero usum præstare posse verisimile est si naturaliter sint constitutæ, cum spongiosa rara & levia corpora sint: si autem humore quopiam crasso & terreno; qualis melancholicus, repleantur earum cavitates, fit ut potius comprimeant vasa & anadosi impedimento sint. Replentur itaque in hypochondriaca affectione eæ glandulæ, ut testatur *Mundinus* in Anatome cap. 13. humore crasso; atro & melancholico, assato scil. sanguine qui in vasis multiplicibus; quibus abundat mesenterium continetur; Cum autem centrum mesenterii insigne glandulosum corpus occupet; insigniores, ac primas vasorum distributiones suffulciens hinc fit ut ibidem magna arteria; quæ juxta Cavam per dorsi medium versus sinistram partem perrepit; si crasso humore glandulosum hoc corpus turgeat; simul & reliquæ circumsitæ glandulæ comprimantur; accedente simul calidiori intemperie, insignis ratione compressionis; in sinistro hypochondrio pulsatio percipiatur. Alios præterea usus his glandulis assignant *Glissonius*, *Warthonus*, *Lauver* & alii.

Observatio XXXIX.

§. *In Melancholico Omentum maximum & Scirrhosum, ob transfusum à Liene humorem melancholicum; deprehensum est.*

In Canonico Monspeliensi *Omentum* vidimus *schirrhosum*, totam epigastrii regionem occupans; & quatuor digitorum transversorum crassitudinem æquans; Ille autem tumor lienis colorem referebat; ut verisimile fuerit humorem melancholicum à *Liene in eam* partem translatum & cumulatum fuisse, cum æger temperamento valde melancholico donatus fuisset & via patentissima fit per ramos splenicos à liene ad Omentum: Per quos etiam

ramos

ramos in hydrope, (ut docet Hipp.) non raro fertur aqua à liene ad omentum, è quo in capacitatem abdominis exstillat. *Laz. Riverius Prax. lib. 11. cap. 5.*

Omentum scirrhosum, &c.] An hic vel similis tumor curabilis est? Valde dubium est, præsertim cum tales excrescentiæ non aliter quam ferro, seu sectione curari velint: ac quo modo in ejusmodi tumore interno sine vitæ periculo hoc fieri possit non video. Si quis tamen sagaci conjectura principium tumoris observabit, non dubitandum quin usu continuo discutientium & resolventium fortiorum aliquid præstare possit. Difficultet enim (inquit *Sennertus* lib. 3. pract. p. 3. cap. 8.) humores vitiosi in Omenti venas & substantiam effusi evacuantur, quia venarum illarum orificia in locum evacuationi aptum non dehiscunt, ut venæ mesaraicæ, & si evacuari debent, necesse est ut regurgitent ad loca per quæ sunt illapsi: quod verisimile non est fieri posse, cum expultrix hujus partis valde debilis esse videatur. *Greg. Horstius Problem. 10. Decad. 6.*

Ut verisimile fuerit &c.] Quod de toto Epiploo ponit *Riverius* id ejus portioni à colo dependenti assignat Riolanus Authropograph. lib. 2. cap. 11. Altera *ait*, portio Epiploi à colo dependens, intestinis gracilibus supertensa, pendula est, pluribus venis intertexta, &c. duabus etiam membranis ad invicem disjunctis contexta est. Quare facta fuerit hæc portio pendula infra colon dubitatur? An ut instar utris crassam Lienis illuviem excipiat, quæ in illas Omenti venas transfertur si quando redundet? Nec mirum si Omentum venis amplis & evidentibus conspersum fuerit, quum nullas aut raras, easque exiles venulas in alio adipe queas deprehendere. Quas existimo impuritatem & illuviem lienis in Omentum duplicatum, multis venis scatens derivari & conservari, &c. Id annotatum ab Hippoct. lib. de locis: Ubi vasa pinguedine vasa fuerint, & à splene florescente & augescente in omentum defluxerit, utpote vicinum valde existens, & vasa habens eaque vacua, &c.

OBSERVATIO LX.

§. In Melancholico ab hypochondriis, glandulæ Mesenterii & Omenti scirrhosæ & induratæ deprehensæ sunt; Tumor Scirrhosus in eodem, &c.

Rustica imaginabatur sibi ad mortem usque se ranas tres viventes per 4. menses in ventre gestare. Cujus falsæ imaginationis occasio hæc fuit: bibit illa aliquando ex fonte per fistulam scaturiente, & jam satiata, ore à fistula remoto, pedem ranæ fistulæ inhærentem vidit, unde se tres, uti dictum, ranas imbibisse vulgus per rugitus flatusque, præsertim jejuno corpore, uti solent, discurrentes & quasi coaxantes, sedulo persuadebat. Accessit quod quasi capita ranarum tria in superiore abdominis parte tangi adstantibus, imo & Chirurgo videbantur: Ascitica tandem facta pie obiit, nec ante obitum, *licet non melancholica nimium,* ab hac imaginatione falsa seduci potuit.

Aperto abdomine, inciso peritonæo, aqua qualis hydropicorum est, affatim effluxit, unde partes infimi ventris fere omnes concidebant, erigentibus sese excrescentiis tribus, quas mortua, cum vulgo, capita ranarum putabat; Glandulas autem omenti scirrhosas & induratas fuisse deprehendimus. Adnatus hisce tandem tumor Omenti scirrhosus totus videbatur, Gissensi non absimilis, cujus Cl. T. in suis Therap. meminit, nisi quod libras duas cum unciis tribus solum penderit, ille contra libras quinquaginta sex. Totius Omenti tumorem ego hunc puto, nostrum ejusdem saltem partialem, cum particulas Omenti adhuc invenerimus: *Mesenterii autem glandulas majores*, cum omenti quibusdam, *induratas* scirrhosasque fuisse affirmari posse videtur, quod tumoris pars inferior, quæ in centrum mesenterii desinere videbatur, non sine laceratione à lumborum vertebris liberari potuerit. *Ex observationibus Ioh. Huldarici Streitter apud Greg. Horstium Tomo 1. p. m. 141.*

Licet non melancholica nimium] Melancholia morbum ab humore melancholico factum significat, quia hunc solum humorem illius causam esse multi putant ac ad eum solum remedia dirigunt. Non tamen semper ab hoc humore ejusque vaporibus fieri multa ostendunt, nam multi sæpe hoc symptomate vexantur in quibus nulla ejusmodi humoris prædominantis signa, imo cujuslibet temperiei homines sic affici interdum possunt, ex sola intemperie aut cerebri aut spirituum; Hippoct. solum timoris & mœstitiæ meminit, ubi delirium omittit: Matthæus in Rhasin vult cogitationes fortes longas adducere ad hanc passionem non immutando realiter complexionem, & homines fieri tristes cum non possunt consequi effectum rerum de quibus cogitant. Videmus sæpe irrito conatu melancholicos ejusmodi à Medicis torqueri purgationibus aliisque remediis, qui statim postea curati sunt mutata solum imaginatione. Vide plura apud *Primirosium de vulgi erroribus lib. 2. cap. 26.*

OBSERVATIO LXI.

§. *Melancholia vitio Cordis, Pulmonum & Iecoris exustorum, cum cerebri ventriculi corruptione, excitata.*

IN capsula cordis observatur esse aqua rori similis, ad cordis irrigationem necessaria in illo assiduo motu & calore: Hæc aqua in magna mœstitia paulatim arescit, eaque consumpta Cor contabescit, Id quod αὐτοψία anatomica declarat, Vidi enim anatomen cujusdam mortui ex melancholia, cujus cor totum exustum, Jecur totum fumosum, Pulmo inassatus, ventriculus cerebri corruptus extiterit. *P. Boaysteu Theat. mundi l.3.p.103.*

COr totum exustum] Affici cerebrum, & quidem ut pars similaris est, extra controversiam est, Verum cum, ut *Fernelii* verbis utar, nègandum non sit dum iracundia, doloribus, gaudio, metu cæterisque ejusmodi animi perturbationibus concutimur, conspicue atque insigniter Cor in nobis opptimi & gestire, animique perturbationes in corde fieri, Melancholia vero sit delirium cum tristitia aut metu, aut certe alio animi affectu, concedendum est ea ratione in melancholicis simul Cor affici, imo plerumque principium melancholiæ esse ex corde: cordis enim temperies corrupta corrumpit temperiem cerebri. Et licet delirium hoc nunquam accidat nisi cerebro primario affecto, tamen si spiritus vitalis impurus sit & tenebricosus, (*qualis à Corde retorrido gignitur impuram quoque materiam suppeditante Iecore fumoso, Pulmonibus inassatis vitium etiam imprimentibus*) vitium hoc spiritibus animalibus & cerebro communicatur; & ita cor sæpe huic delirio primam occasionem præbet, malumque hoc fovet, & proinde tum non solum ad cerebrum, sed etiam ad cor in curando respiciendum. *Sennertus Pract. lib.1.p.2.cap.8.*

Ventriculus cerebri corruptus] Melancholiæ initia etsi potissimum, & non raro, fere tantum à spirituum *indole acetosa* procedunt, postea tamen sæpe in causæ partem adsciscitur ipsius cerebri conformatio: Nempe quatenus sanguinis atrabilarii recrementa perpetim suffusa, substantiam ejus magis crassam & opacam reddunt, atque functionum animalium tractibus, sive orbitis primariis pene deletis, novi, obliquiores & densi procuduntur, in tantum ut spiritus, etiamsi meliores suppeditantur, haud facile cerebrum irradient, aut statim ductus priores recuperent. *Willis cap. de melancholia.*

OBSERVATIO XLII.

Melancholiæ hypochondriacæ sedes reperitur plerumque in illis venis quæ alimentum è ventriculo excipiunt, sanguine crasso ac torrefacto tumefactis, quasi varicosis.

GAlenus 3°. de locis aff.7. *Flatuosas vocatas melancholias credendum est plus caloris quam deceat in illis venis quæ alimentum è ventriculo excipiunt. In iisque sanguinem crassiorem esse factum,* asserit. Sed neque hic finis præsentis p.n. affectus, quandoquidem tamen *aliquando* accedit, quem suborum alias observavi, repletis venis illis crassiori sanguine, nec non de exusto atque nigro tumefactis ac varicosis redditis, ut in *dissectis cadaveribus observari* aliquando, accidit cum tenuior & serosior ejusdem sanguinis portio à vasis in Pylori substantiam se insinuat, & reliquo non adeo tenui vehiculum præstat, atque adeo partem in tumorem elevat. *Raim. Ioh. Fortis Consult.88. Cent.2.*

AFfectionem Hypochondriacam in Legitimam & spuriam distinguit Vir Excellentissimus, Hujus sedem in visceribus, Iecore, Liene ac Mesenterio statuit: Sicut prioris in Pyloro ac mesaraicis, in quibus adest phlogosis; Eo diversa ab inflāmatione, quod in illa fervidus sanguis in venis conclusus est: In inflāmatione vero extra venas effusus & in aliqua parte impactus: hincque fit quod in phlogosi nulla sit febris, prout inflammationem semper eadem necessario comitatur; quæ doctrina est Galeni loco in textu allegato: Utraque ab obstructionibus ortum ducit, Spuria quidem in Lacteis venis, ob cruditates in ventriculo genitas, quæ à calore circumstantium viscerum siccæ, terreæ & melancholicæ redduntur. Legitima non à cruditatibus provenit; sed à sanguine crasso, melancholico, atque exusto in locis memoratis. *Vide Consultat. à 1. ad 35. cent.3.*

OBSERVATIO XLIII.

Melancholici vasa mesaraica nigro sanguine distenta reperta sunt.

MElancholicæ constitutionis viduus conquerebatur de dolore ventriculi cum ructibus austeris, &c. Supervenientе vomitu nigricantis sanguinis & leipothymiis crebris obiit. Intestina in dextro latere livida, nigricantia, sphacelata visa sunt: Vasa mesaraica in intestina desinentia sanguine nigricante turgida: Intestini coli pars superior sanguine concreto, feculento, nigerrimo instar picis, quale vomitu rejecerat admodum repletum. *Vide l.3. Tit. de Inappetentia.*

OBSERVATIO XLIV.

Melanchol. Hypochondriacæ sedes est ut plurimum in sinistro hypochondrio, multo nigro succo scatente.

Causæ derinentes humorem melancholicum sunt Lien, Venæ tam mesenterii quam hæmorrhoidales, Vasa spermatica, Uterus, & aliæ ventris inferioris cavitates, in quas vel intemperies, aut morbus organicus, ceu obstructio, vel utrumque cadere potest: Quorum ratione non semel visi sunt Hypochondriaci, quibus istæ corporis partes, ac sinistrum cumprimis hypochondrium, multo nigro succo, tanquam atro jure, oppletæ distentæque fuere: aut quibus haud absimilis humor, susque deque, sine tamen periculo, fuit ejectus; qualem etiam *Solenander* conf.7. sect.2. ad sex aut 7. libras ex dextro hypochondrio citra noxam explosum fuisse affirmat. *Matthæus Martini Tract. de Affect. Hypochondr. p.* 136.

OBSERVATIO XLV.

§. *In Affectu hypochondriaco laborantibus vasa mesaraica veluti varicosa & cancrosa evadunt.*

Sunt multi qui in hoc & in aliis morbis nihil nisi obstructiones accusant, Verum equidem non negamus in aliquibus vasis humores quasi impactos esse, ita quidem ut *vasa ista* veluti *varicosa & cancrosa* fieri interdum scribat *Mercatus* lib.1. de mo bis cap 7. Etenim si natura vitiosos humores in vena cava per ramos ejus in certas partes depellere potest, ut in cruribus varices, in aliis etiam partibus venæ cancrosæ humore atro turgeant, Cur non idem in ramis venæ Portæ accidere posset? Atque id ubi accidit, malum fere desperatum est & medicamentis facile exacerbatur, &c. *Sennertus Pract.lib.3.p.5.s.1. c.3.*

OBSERVATIO XLVI.

§. *Melancholia hypochondriaca orta à Mesenterio nigris varicibus obsito: Pancreate obstructo, Hepate parvo, nigro, scirrhoso, Liene duro. &c.*

Celsissimus quidam Princeps, staturæ brevis, melancholicus, pauciloquus, sedentariam agens vitam, & deformem dorso, ad instar litteræ M. ferens gibbum, duobus annis ante mortem cœpit ab ore insigniter fœtere, cum excoriatione gingivarum & dentium notabili mobilitate: Octo diebus ante mortem correptus *febricula lenta*, cum virium resolutione, ob defectum probi sanguinis & spirituum catentiam in Domino obdormivit.

Ut debitus cadaveri balsamationis redderetur honos, apertum est abdomen, ubi primum sese omentum fœtidissimum atque putridum sese obtulit: deinde mesenterium nigris varicibus undique circumseptum, cum pancreate induratis multis magnisque glandulis impervio: Hepar extitit parvum, nigrum atque scirrhosum: Ren vero infra hepar latens, major capite puelli duorum annorum, ponderans libras duas cum semisse, in cujus centro calculus ℥iii. ß. repertus, cujus acumen afficiens parietes ipsius renis, gangrænam induxit: Infra hunc renem, circa musculum psoas, aderat abscessus longus atque profundus, flavo ac fœtido pure plenus, absque ullo femoris torpore vel dormitatione, contra *Fernelium*: Ventriculus mediocris atro humore plenus: Lien longus, durior solito: Ren vero altior & naturali major, continens ad minimum centum parvos lapillos, apparuere: Hinc deventum est ad medium ventrem, in quo visæ sunt duæ hydatides, ab humero usque ad septum transversum, inter pulmones & pleuram, aqua, veluti glaciaria repletæ, cum pulmonum, tam secundum substantiam quam secundum vasa insigni corruptella: Ita ut melancholia hypochondriaca, Scorbutus, Tabes, spirituum resolutio, viscerùmque corruptio causæ fuerint istius interitus: Sed quod mirum est, toto tempore vitæ nunquam est conquestus de doloribus nephriticis, calculis, urinis sabulosis, aut difficulter vel diminute fluentibus, multo minus ad renis dextri ingens augmentum, femur dextrum torporem est perpessum. *Antonius de Pozzis Observ.29. miscell. curios. anni 4.*

OBSERVATIO XLVII.

§. *Sectio Gravidæ Hypochondriacæ, hæmoptoicæ, In cujus ventriculo materia viscidissima, spadicei coloris reperta, copia sanguinis concreti, Pylorus constrictus, &c.*

JAn. 26. Catharina Caspareidis, mater octo liberorum abortivit: Per totum tempus conjugii valerudinaria fuit. Per tres menses sanguis menstruus non est purgatus. A septem hebdomadibus in parte sinistra pectoris & hypochondrii dolores sentit,& in hypochondriis quoque tensionem, Terrore à spectro incusso perterrita incidit in hoc malum. Frigus molestum non calor. Alvus respondet, Paritur subinde aliquid uterinis suffocationibus simile, Tum flatus erumpunt, unde levatur, ℞. *aq. puleg.* ℥ii. *Theriacal.* ℥ß. *tinct. castor.* ʒii. *ol. succin. gtt.* iv. *laud. op. gr.* ij. *syr. fœnic.* ʒvi. me. *Die* 24. in variis levamen sensit: Dolores omnes minuuntur: Itererur mistura 26. præscripta. *Die* 28. dolores leviores sunt. Quando respirat sibilus auditur in pectore: Iteretur mistura dicta: *Die* 29. suffocatio adhuc subinde urget: Nec heri nec hodie dejecit, Sed propter suffocationes non consultum purgare: Iteretur mistura dicta. Pro Tussi ℞. Massæ Pil. de cynogl. ℈i. f. P. n°. viii. *Die* 3. *Febr.* præterito die Sabbathi paroxysmum febrilem passa, cujus frigore durante incepit dolor rodens & molestus femoris & tibiæ, qui adhuc durat: ℞. ung. marriati, ol. Nard. an. ʒiii. ol. philosop. ʒi. m. *Die* 4. hodie mane circa 5. ex vehementi tussi in sanguinis vomitum incidit, ac subito extincta est.

Secuit Cl. Sylvius cadaver die 6. Febr. Rugæ se offerebant in infima ventris superficie, externa signa partuum antegressorum. In abdomine secto copiosa & laudabilis pinguedo. Colum sub umbilico situm: Intestina pleraque flatibus distenta. Illorum substantia tenuis & elegans, imprimis quo in loco distendebantur. Præ aliis tamen omnibus in immensum distendebatur intestinum tenue, ante sui inflexionem sinistrorsum versus: Intestina hinc inde colore fellis infecta: Folliculus fellis prægrandis erat & pallidus. Lien quoque solito multo pallidior. Plures in intestinis erant lumbrici. In ventriculi aperti parte inferiore nihil cruenti,sed materia viscidissima spadicei coloris fere: Totus ventriculus valde rugosus & densus: Ex parte superiore extra insignis copia concreti sanguinis cum fluidiore, simul saporis austeri: Orificium inferius, sive pylorus, valde constrictus: Rugæ ventriculi tortuosæ & prope pylorum fere circulares. Intestini vero rectæ secundum fistulæ intestinalis ductum. In intestinis nihil rubicundi aut obscuri: Hepar variis in locis per fibrillas diaphragmati annexum. Pulmo dexter pleuræ firmiter connexus, mollis, boni coloris, sed flatu distentus, thoracem totum opplens, sectus apertùsque liquorem limpidum, salsum subacidùmque fundens. Sinister lividior distentus,passim connexus pleuræ,gelatinoso & viscido humore obductus,firmus nigricansque, interius etiam, sanguinis instar coagulati. Pancreatis substantia elegans,à liquore per syringam immisso parum tingebatur. In latere complures glandulæ plane non tinctæ:Ductus Pancreaticus insignis, Lien pallidior multo, in quo initia apostematis: Hepar bene habebat, Bilis copiosa, pallida & tenuis. Humor in pericardio subsalsus & subacidus: Cor bene constitutum: In dissecti ventriculo dextro parum sanguinis, in sinistro ne gutta quidem. Prope radicem Mesenterii connectuntur renes vertebris, ligamentis firmis. Hic suspicatur *Cl. Sylvius* quærendas vias à ventriculo ad renes, per quas potus sæpe tam cito transeat. Papillares in renibus carunculæ foraminulis perviæ,per quas urina colatur. Extrema in parte tubarum, variæ vesiculæ aqua repletæ, hydarides dictæ. Ligamenta rotunda uteri, extra abdominis musculos elapsa, parvum quasi musculum adjunctum habentia, in varia tenuissima filamenta disperguntur, quæ partim ad os pubis, partim in pinguedinem, & forte cutem,partes externas muliebres inseruntur: Arteria spermarica utraque ex trunco oriebatur, ut & venæ spermatica dextra, sed sinistra ex emulgente, uti in viris: Rami illi, qui ex Iliacis ad uterum tendunt, hic fere æquales illis qui ad crura. Quarto mense gravida judicata. Tota substantia uteri spongiosa & cavernosa multis magnis foraminibus, sive potius canalibus pervia, in locis quibusdam stylum crassum admittentia: In horum unum immissus sinistram versus tubili ope, flatus per uteri substantiam & venam spermaticam in venam renalem & cavam transiit, magisque tumens universus observatus uterus, quasi etiam in ipsius cavitatem flatus penetrasset. Inflata arteria spermatica ad ipsos usque testes mora & tumefacta placenta uteri cum secundina, sive membrana chorio,mirabili textura è tenuissimis fibrillis conjuncta. Funiculus umbilicalis in latere sinistro placentæ insertus: Fœtus caput in fundo uteri: Fœtus masculus lateri sinistro incumbens: Extremitates manuum pedùmque, ut & narium albicantes: Umbilicus parte ventris magis inferiore quam in adultis. In totius corpusculi superficie venarum ramificationes elegantissimæ conspicuæ: Facies rudiret efformata. In arteria aspera sanguis coagulatus, in œsophago non. *Matthias Paisenius in Miscell. cur. ann.4.& 5. Observat.XCVI.*

Observatio XLVIII.

§. *Sectio cadaveris Puerperæ ex mœrore mortuæ.*

A Clar. Sylvio in Nosocomio Leidensi anno 1664. administrata.

Foemina erat 15. ante obitum dies fœtum enixa, cujus vir ante 6. fere hebdomadas, morbo decumbens Nosocomium delatus ibidem mortuus: Objectum forte fuit fœminæ à vicinis quod male viri sui curam habuerit, eámque calumniam tam ægre tulit ut totam se mœrori dederit. Enixa deinde, nec sedato illo animi affectu, cum nullam corporis rationem haberet, nec cibos aut medicamenta caperet, tandem mente destituta intra xv. diem mortua est.

In ipsius dissecto cadavere hæc imprimis inveniebantur præ cæteris rara & notatu digna. Omentum non omnia intestina, quæ nonnihil loco mota erant, tegebat, *Vnde Clar. Sylvius colligebat fœminam, dum in vivis fuit, sæpissime torminibus ventris colicisque doloribus laborasse.* Intestinum crassum non circumdabat totum abdomen cinguli instar, sed à ventriculi fundo infra umbilicum intorquebatur, indéque ad ventriculum redibat, facta fere semiluna: Cl. Sylvius addebat se in variis variè hanc inflexionem & gyrationem observasse. Idem intestinum, ut & tenue, inæqualiter flatibus turgebat, ita ut inter partes valde inflatas medium spatium interesset omnino vacuum & contractum, vix ad pollicis crassitiem: *Cl. Sylvius* affirmabat se in vivis animalium sectionibus, imprimis cuniculorum, idem observasse, & ita quidem ut pars quæ jam inflata erat mox detumuerit dum secaret, & contra. In hoc cadavere quoque dum intestina movebantur, æqualiter omnia distendebantur. *Cl Sylvius* putabat ob doloris sensum partes intestini constringi: Ejusdem intestini crassi flexus sigmoidis, qui alias infra rectum est intestinum & interiora respicit, contrario modo se habebat. Observabile etiam erat quod de tenui intestino, Ileo dicto, commonstrabat D. Sylvius, nempe oriri illud in dextro latere ad Ileum os, & post aliquot flexuras retro & deorsum tendere, ascendere deinde rursus sub umbilico per ipsum mesenterium, sinistrúmque latus occupare, séque ad hypochondrium sinistrum, os Ileon & vicina reliqua loca extendere: Unde patet, docente eodem Sylvio, *Tormina quæ hypochondriacis in hypochondriis accidunt, non alibi quam in hoc intestino latere, imprimis cum hoc antrorsum,* ubi dolores *maxime percipiuntur, vergat. Lien verò interiora magis petat, Et vix etiam in cadaverum sectionibus tales obstructiones in vasis illis vix inveniantur quæ tantos dolores producere possint.* Visa quoque fuit utriusque ductus, tam biliarii quam pancreatici in intestinum illud insertio, quorum pori in cadavere hoc juncti erant. Hinc remotis Pulmonibus & ventriculo, apparuit Ductus thoracicus, sive Chyliferus, inter venam azygon, quæ ad dextram erat, & magnam, quæ ad sinistram, situs, una cum capacitate illa inferius sita, & nonnullis capsula dicta, quod chylum excipiat, alias nimis ductum illum obruturum. Flexuræ ventriculi in parte dextra subjacebat Pancreas. Dexter pulmo omnino naturalis erat constitutionis, sinister costis adhærebat. Sub utraque mamma, quia lactis non habita fuerat ratio, apostema erat repletum pure, quod tamen in dextro latere copiosius profluebat. *Vterus,* quia omnino erat singularis, & nunquam ita à Cl. Sylvio observatus, ultimo loco accuratius secabatur, in eo hæc imprimis notata: Magnitudo ejus erat omnino insolita, superabátque fundi latitudo vel octo digitos transversos: crassities erat ad minimum quatuor digitorum, cum tamen mulier jam ante xv. dies peperisset: Crassities ipsius substantiæ uteri erat fere pollicis: Causa hujus magnitudinis, ut post sectionem patebat, erant relicta in utero placentæ frustula, uteri parietibus firmiter adhærentia, quæ putredo & inflammatio consequuta fuerat. Clar. *Sylvius conjectabatur mœrorem inter alia hujus retentionis & cohærentiæ causam fuisse, utpote qui omnia in corpore duriora & magis fixa reddat, cum contra lætitia eadem magis solvat:* In vasis, ut ex cavernis, sive tubulis uteri, substantia viscosa & pituitosa hærebat hujusmodi, qualis si in corde & alibi hæreat, Polypus dici solet. Apparebat insuper in utero esse communicationem vasorum omnium in utroque latere: Inflata enim uteri vena, omnia vasa, ut & lateralia & utrumque uteri ligamentum inflabantur: vasa etiam minima turgebant: Inflata etiam arteria, quæ ex iliaca oriebatur, ingressus inflati aëris observabatur ad totam uteri substantiam & sinus anfractuosos, sed sensim, quod in vena citius apparebat. Uteri substantia tota est cavernosa, experimento per tubulum sumpto. *Matthias Paisenius in miscell. cur. anni* 4. *Observ.* 143.

Observatio XLIX.

Melancholia à vasis spermaticis semine corrupto referta.

Illustr. matrona à non exculto uteri fundo in melancholiam incidit. Vasa omnia spermatica semine, sed indurato turgebant. *Vide lib. 3. tit. de Hystericis affectibus.*

Observatio L.

Anatome canis melancholici, in cujus hepate vermis repertus.

Magnus canis solitarie vivens, & magis quam alii canes melancholicus fuit, qui ob calorem quendam internum, pluviosum amabat tempus, adeo ut à pluvia nunquam recederet, séque madefaciendum præberet, dissectus fuit à D. Tardin, & in ejus hepate vermis hirsutus repertus est. *Petrus Borellus Centur. iij. Observ. xxxiij.*

ADDITAMENTA.

Observatio I.

Hæc quamvis extra ordinem, quia propriò suô locô omissa, non tamen prætermitti debet.

Anatome Maniaci.

Quæ mira in cadavere hominis maniaci reperta, à Viro Experientiss. atque Clarissimo *Dn. Sylv. Samuele Anhornio*, Sangallensi Poliatro Celeberrimo ipsiusmet ejus verbis Curiosis nostris communicanda duxi. Videlicet Gabriel Studer, Juvenis erat nobili stemmate natus, ab incunabulis sanus & alacris, staturæ satis procetæ, coloris faciei rosei, oculis nigro splendentibus, concinnis moribus & perspicaci judicio prædirus: cum ætate provectior, mercaturæ exercendæ & linguarum addiscendarum gratiâ, ad Gallos & Italos mitteretur, in omnibus ita profecit, ut pares tum temporis habuerit Paucos. Sed verò hanc animi & corporis elegantiam suô Eheu! sibi irreparabili malô donatum voluit fatum quàm maximè infaustum; dum vel amici cujusdam perfidi malitiâ nefandâ exacerbatus, vel injuriis à consanguineo acceptis consternatus; aut quod persuasissimum habuit miser, à Puella Veneta ex urceo viridi propinato Philtro, suâ ratione & saniore mente privatus, ac ad insaniam, tandemque furorem maniacum redactus, catenis triginta annis in carcere detentus, non quidem ex defectu ciborum & Potûs nobiliorum, sed improbâ vesaniâ motus, stercus proprium, stramen, calcem & ex sæpius confractâ fornace, argillam devoravit; hisce attamen postremis sex annis, furor circa plenilunii interstitia remisit, æger neminem lædebat, & vinculis solutus ampla spatia domûs liberè perreptare potuit; verùm ori intrusit quæcunque offendit; interdùm etiam præteritorum memor fuit, ad interrogata respondebat, & literas quascunque, Vernâculo, Gallico, Italico idiomate pictas exactè legere novit. Inde à duobus annis ipsi alvus constipari cœpit, ut quam prius singulis septimanis exoneraret, tum per quatuor & quinque septimanas retineret; promoventium ceu purgantium ne quidquam admisit, ni quæ fraude piâ jusculis commiscere poterant, quorum insuper vis utplurimùm infracta fuit cibis, potu, & alienis, quæ simul quantitate magnâ assumpsit; accidit etiam interdum, ut iis largiter solveretur alvus, sed abinde constipatio pertinatior utplurimum successit, quæ sæpe sæpius decem, duodecim ad quindecim usque septimanas duravit, nec ullis mediis, quæ quidem propinari poterant, emolliri voluit; exinde autem venter enormiter intumuit, sed nihilominus appetitus uti olim constabat; factum tandem sponte suâ, & naturæ solius operâ, ut provida hæc unâ vice deponeret, quam hactenus collegerat stupendam stercoris sarcinam, ex quo dein venter concidit, & propemodum rugosus evasit. Ultima quæ obitum præcessit fœcum alvinarum retentio ad sexdecim septimanas protrahebatur, sitis invaluit, ciborum parum appetiit, & pro siti sedanda aquam ex fonte in domûs atrio manante, & adhuc pridiè ante obitum copiosam ingurgitavit. Venter verò magis, magisque intumuit, æger viribus & corpore defecit, tandemque elanguit ac postridie Iduum Aprilis anni hujus 1685 placidè expiravit. Sacrum duxi, hujusmodi cadavera in ædibus publicis extinctorum, prius tetræ mandari, quàm verò monstrarint Curiosis, quid hactenus foverint iniqui; quapropter convocatis Viris Nobilissimis D. Hieronymo Zollicoffero, & D. Christophoro Hochreutinero, illi medicinæ, huic juris doctoribus eximiis, amicis per quam suspiciundis, uti & bigâ Pharmacopæorum & Chirurgorum peritissimorum, ad sectionem cadaveris me accinxi, quod mensæ impositum artus omnes monstrabat marcore

confectos, venter autem solus in magnam molem distensus, ulnis duabus cum dimidia comprehendebatur, ex oculi dextri orbita, seu ejusdem vasis lymphaticis, serum limpidum ubertim ad unciam unam extillavit. Cute ex abdomine detractâ, multum seri inter hanc & musculos delitescens profluxit; dein penitus per peritonæum, membranam admodum crassam adacto cultello, instar scaturiginis ex cavo abdominis prosilierunt tres circiter aquarum mensuræ. Ventre hoc tandem penitus detecto, intestina, rectum, & colon oculos admirandâ mole & magnitudine subiêre, quæ post exhaustas serositates, omne reliquum occuparunt abdominis spatium, cùm autem præ iis cæteras partes examinare non licuerit; intestinum, prope anum abscidi; ligare ante abscissionem propter arctissimè compactas fæces, non valuimus, exemi proinde ad ea cum reliquo intestinorum tubulo, scrutinio nostro ulteriori, penficulatius subjicienda. Intestinum rectum ab inferiore sui parte, ubi stupendo hiatu, in anum terminabatur, ad colon usque fæcibus alvinis compactissimis ita infarctum & oppletum fuit, ut mera cloaca videretur, & hoc filo mensuratum, ulnam cum tertia quadrantis parte crassum erat, anum obturabat scybalarum massa solidissima, quæ per vim ingentem in osse sacro effigiatam penitus explevit, & ultra libram civilem ponderabat, ac manu & unguibus divelli non poterat, reliquum stercus non item fuit induratum, sed nil minus nigricans & fœtidum, hoc unguibus discerptum continebat ossa tarsi & metatarsi vitulina quamplurima, item lapillos, stramen, lignum, & petiolos pyrorum &c. Ossium memoratorum triginta inter rariora asservo, alii non minus distrahebantur, cùm tamen fæcum tertia pars vix examinata fuerit. Similis si non pertinacior alvi obstructio obtigit in præteriti 1682 anni mense cuidam civi nostro *Gaspar Tanner*, cui intestina in scrotum prolapsa Dn. Stoklini, Chirurgi, peritissimâ manu nullis fomentis emolliri ac deponi voluerunt. Chirurgus tandem sollicitus fuit de alvo quæ multis septimanis delituerat, primùm laxanda, in quem finem interna adhibuit, externa ano nulla etiam vi intrudere valuit; balneo patientem imposuit, sed omnia pari & frustraneo successu; tandem speculo anum aperire conatus, instrumentum hoc in præsentia Viri Prudentissimi Dn. Georgii Meyeri, Pharmacopœi & Tribuni plebis, τῶ νῦν ἐν ἁγίοις adaptavit, anum aperuit, & obstantem præ foribus deprehendit materiam ex lapillis cerasorum innumeris, & magmate fœcum induratissimam, quam ferramentis detrahere multo labore debuit; at etiam hæccè talibus instrumentis subductio pro solvenda naturali alvo insufficiens fuit, tandemque Sphacelus intestina prolapsa corripuit, & patiens miserè diem suum obiit, hæc ἐν παρόδῳ. Itaque seposito nauseabundo scrutinio nostro ad cætera properavimus. Colon autem pellucidum & solis flatibus distentissimum, modo tertia parte minor in ambitu erat, quam rectum & fæcam nil quidquam continuit. Cæcum ei instar vermiculi seu pennæ anserinæ semidigito longum, appensum fuit; tenuia intestina cum ventriculo admodum gracilia & penitus collapsa nil præter paucum humoris tenuis ex albo cineritii inclusum habuerunt, ileon exterius planè cruentum & sanguine ubi refertum florido transparebat; at verò factâ sectione, sanguinem hunc intra membranas fluentem & rutilo colore pellucentem comperimus. Ileon usque ad cæcum continuo quasi agmine glandularum insignium consitum fuit, quæ compressæ mucum viscidum stillabant, in jejuno plures etiam, sed minus ita racematim positas, & quàm in Ileo majores inveni. Duodenum duobus digitis sub Pyloro etiam insignem plexum glandularum miliarium monstrabat, sub quo per ductum cholidochum ad vesicam biliariam manifesta via insculpta videbatur, verùm ductus Pancreaticus etiam sedulò quærenti obvenire noluit, & eo loci, ubi communiter inseritur intestino, carunculam observavimus duriusculam magnitudinem pisi majoris, à sui parte superiore in figuram pyramidalem acuminatam, sed stylum etiam abscissa nullibi admittentem; quod tandem suspicionem movit inibi fortè hunc ductum coaluisse. Ventriculus apertus fœtore acidissimo omnium, qui adstabant, nares feriebat, ejus tunica interna crustaceâ admodum densa fuit, muco turbido obliterata, undique lævis, nullibi rugosa, uno in loco supra Pylorum nempe, rarior fuit, in quo fibrillæ sanguineæ pellucebant. Omenti nec ulla vestigia vidimus. Mesenterium eo loci, ubi intestinis tenuibus appenditur, glandulis solitariibus pisi magnitudinem tenentibus, sed latioribus, innumeris conspersum fuit. Vesica urinaria seri plena, à stercore subjacente pressa, figuram penitus in transversum elongatam acquisivit. Ren dexter plane flaccidus fuit, & nihil insueti continuit, ex pelvi in ejus medio conspicuâ, patula via dabatur in ureterem, quæ digitum pollicem ad usque ureteris medium facillimè admisit, ab inde verò sensim constrictior evasit, & sub finem ubi vesicæ implantabatur, vix pennam anserinam cepisset. Ren sinister è tunicis evolutus, exterius sex hydatidibus consitus fuit, quarum una & maxima ovum columbinum æquans. Ad latus vasorum emulgentium appensa, coloris lividi ejusdem cum vena emulgente fuit, ut etiam antequam per facta experimenta consideravi; pro eadem vena à resistante sanguine dilatata imponeret, cæteræ sero turgescentes vesiculæ hinc inde positæ, nuce avellanâ majores & minores fuerunt, omnes transparentes, & pellucidæ; flatu per ureterem immisso, cum omnibus hydatidibus; ureter autem eo loco ubi renem subintrat, enormiter intumuit, ut ibi-

dem ovum gallinaceum facilè contineret; inferius autem ab ejus medio sensim constrictior factus, prope insertionem in vesicam pollicem non libenter admisit; hoc insuper notatu dignissimum habuit hic ren, quòd, factâ sectione secundum ureteris longitudinem in usque substantiam renis, natura inibi formârit Pelves quatuor amplas, figura quadrangulari juxta se invicem positas, sero flavescente refertas, & omnes eâdem tunicâ ureteris expansâ gaudentes, magnitudine æquales, quarum quævis nucem moschatam comprehendisset. Flatus in atteriam emulgentem immissus, ad vasa capillaria renis superficiem per reptantia pertigit, sed non intumuit ren; ex venâ insufflatâ nihil planè commoveri vidimus; hydatis maxima, juxta vasa emulgentia posita, serum viscidum gelatinosum ex flavo livescens, cæteræ autem serum fluidum per tunicam transparens continuerunt, inflatâ hydaride magnâ, flatus ex pelvi prorupit. Hepar non fuit discolor, naturalem magnitudinem obtinuit; vesicula fellis ei appensa, fermè inanita erat, cui vix drachmæ duæ bilis, glutinosi ad instar, seri inerant. Lien parvus figuræ inæqualiter rotundæ & flaccidus fuit, discissus & digitis pressus, totus in amurcam satis rutilam convertebatur. Pancreas magnum & glandulosum exactè referebat pancreas vituli elixatum; glandulæ ejus compressæ parum humoris subsalsi exudabant. Pulmones ex albo nigro & rubro exterius variegati, intus sani fuerunt; Vena cava & arteria aorta, parùm sanguinis, & quidem fluidi & quasi aquâ diluti, cordis verò ventriculus sinister coagulata sanguinis filamenta obscurè rubentia continuit. Caput exteriùs deformârunt excrescentiæ seu tubercula aliquot, quæ nucis magnitudinem habuerunt. Tuberculum maximum quod mediæ suturæ sagittali inhærebat, tunicâ albâ & crassâ, cute capitis pertinaciter adnatâ ac inclusâ ambiebatur; materiam capiebat pultiformem granulatam, coloris grisei; exsectionem integri tuberculi, & ejus separationem à cute capillatâ, nemo viventium tolerâsset, quam Chirurgi præsentes multâ industriâ tentârunt, ac quidem effectui dare vix potuerunt; tunica hujus tuberculi, in basi cum pericranio conjuncta & quasi una fuit; excrescentiæ cæteræ minores, in vertice ac occipite prominulæ, materiam à Priori alienam, & amurcam sanguinis instar milii granulatam comprehenderunt; ne autem setior vespera ab accuratiore cerebri anatome nos excludat, cutem capitis capillatam decussatim sectam Chirurgi præsentes detraxerunt. Pericranion in orbem separârunt, & studiosè cranii ollam detexerunt. Suturæ cranii firmissimè coalitæ, velut ex inductâ cicatrice protuberantias osseas formârunt. Meninx duobus in locis cranio firmissimè adhæsit, & citra disruptionem avelli non poterat; ibidemque (in cranio) insculptas, & sicut in osse cribrisormi videre est, inæqualiter perforatas cavitates notabiles habuit, quibus infixa erat; cranium ab anteriore parte semidigitum crassum, in occipite multò latius fuit; pia mater duræ meningi arctè adhæsit, & solùm obiter perreptabat cerebrum secus ut alias contingit, dum intra cerebri anfractus sese insinuat. Cerebrum à nervorum & medullæ oblongatæ nexu ubique solutum paria nervorum omnia conspicuè monstravit; glandula pituitaria ex sede suâ tegiâ, studiô in apricum productâ ad attractum instar aquæ diffluebat, de reti mirabili, cujus ambitu aliàs complectitur dicta glandula, nihil vidimus, eò quòd omnia ibidem sero inundata, vel in avulsione cerebri, vestigia ejus expuncta fuerint, quamvis multas in cerebri basi ad instar retis complicatas vasorum carotidum & vertebralium ramificationes observaverimus; post exemptum cerebrum, in pelvi relictæ seri cruentati propemodùm sex unciæ fluitabant, elevatâ dein digitis in basi cerebri medullâ oblongatâ, & detectis ventriculis à latere firis, in conspectum venit. Plexus choroidæus prægrandis, ab utroque latere totam interiorem ventriculorum superficiem perreptans, & ex multis insignibus vasis sanguiferis à ramis carotidibus, per foramen à septi anteriore parte patulum, accedentibus, constans; ubique hic plexus vesiculis lividis, seu hydatidibus pisiformibus conspurcatus fuit, quæ vel lanceolâ apertæ, aut manibus ruptæ, serum gelatinosum, livescens fuderant. Ab hoc plexu quatuor insignes venæ sanguine hinc inde fluctuante refertæ, ad ipsissimam glandulæ pinealis basin derivabantur; vasa verò medullaria, quæ in eam inseri dicuntur, nullatenus, quamvis sedulâ investigatione reperire potui; glandula hæc fibris sanguineis subtilissimis conspersa prorsus rubebat, & solidior fuit solito. Septum lucidum, ventriculos cerebri anteriores distinguens, etiam punctula sanguinea habebat. Thalami nervorum opticorum elevatô fornice elegantes, exterius albissimi, intus verò ad instar corticis cerebri cineritii prodiêre, in cæteris nihil obvenit quod fuerit notatu dignum. *D. Theodor. Zvvinger. Ephemer. Germanic. Decuriâ ij. Annô VI.*

Observatio II.

Illustrissimi Hypochondriaci mors misera ab Inunctione Mercuriali, & ejusdem Anatome.

Contigit in Bohemia nostra (locum & Personam obticeo) quod illustrissimus quidam, Temperamenti calidi & humidi cum prædominio bilis, vitæ cœlibis, à multis annis variis

concur-

concurrentibus, causis, quas longum esset recensere, de obstructionibus Hypochondriorum conquestus est, unde pro tollendis iis varias curas adhibuit, inter quas etiam erat ante aliquot annos ternus usus Thermarum Carolinarum, quas profuisse eidem illustrissimo, in confesso fuit. Quia autem videntur errores in sex rebus non naturalibus interea successisse, non attenta corporis debita ex purgatione, factum est, ut in corpore colligerentur humores crassi & viscidi; qui cum alimento translati, ad juncturas artuum, denegato corpori omni exercitio, ibidem loca figentes, effecerunt artus ita debiles, ut illustrissimus ille inhabilis foret, ad deambulandum, & se se loco in locum movendum, unde vita sedentaria coactè, accedente maxime tempore hyemali, prohibitâ tali pacto insensibili transpiratione; alimentis boni succi interea corpori suppeditatis, aggregatio sit facta humorum crassorum & viscidorum, qui de die in diem magis & magis corpus inhabile reddiderunt ad quæcunque exercitia motus exsequenda.

Multa in hanc rem fuerunt, ut intellexi, adhibita, tamen non causa, sed effectus curabatur, ut, fuerunt Balnea, confortandorum causa nervorum, ex tebus calidissimis confecta, quæ materiam illam in juncturis hærentem magis incrassarunt & exsiccarunt, Inunctiones, Frictiones & nescio quæ alia cum nullo denique Illustrissimi patientis levamine. Tandem hac hyeme præsentis anni (1670) nescio quis curam proposuit inungendi artus cum unguento Mercuriali, id est, in quod Argentum vivum ingreditur quid quidem præviis corporis purgationibus universalibus, potens est materiam in artubus hærentem dissolvere, & postea illam per venas corporis circumportando ad palatum protrudere, & eandem per sputum, quem ptyalismum vocamus expellere. At cum quanto id fieri periculo soleat, pleni sunt libri observationum narrantium de iis, qui similes curas sustinuerunt, ita ut nisi cautè cum iis processum fuit, ultra vitæ periculum, aut Edentuli, Contracti, Tremuli, aut Paralytici, aut Hydropici remanserint; Paucis evadentibus qui aliquod signum ex simili cura non reportarent. Quamvis & aliqui evaserunt, sed ii intelligendi, qui robustæ naturę, & ad sustinendam talem curam habiles fuerunt, morbumque simili curę proportionatum, & medicum attentum artisque suę peritum habuere. Inunctio autem hęc fieri solet; tempore verno, non ultra quater, cubiculo calido, prevīa purgatione & intermediis sudoribus, ne Mercurius vi unctionis in habitum corporis impulsus, moras nimias in corpore agat, & Cerebrum Nervosque frigiditate suâ venerocâ partim inficiat, partim humores crassos & viscidos nimium commovendo eosdem pravâ suâ qualitate afflet, qui ad partes principes, ut Cor, Pulmones, Cerebrum, Hepar delati, ibidem novas obstructiones causarent, unde Apoplexia, Lipothymiæ, Syncopes, Phthisis, & Hydrops sequi possent.

Si enim talis materia, per motum sanguinis ad Cerebrum deferatur, causa est Apoplexiæ, Paralyseos, Convulsionum, Spasmi, Tremoris; si ad Cor, Lipothymiæ, Syncopes, Suffocationum; si ad Pulmones, Tussis, Phthiseos, inflammationis; si ad Renes, suppressionis urinæ; si ad Hepar, obstructionum, sanguificationis læsæ, & inde concomitante suppressione urinę, occasio Hydropis. Hęc ergo mala evenire solent si materia talis in juncturis hęrens moveatur; & non interdum dum in motu est, evacuetur, partim per purgantia, partim per sudorifera, partim per diuretica, sed eidem libertas permittatur, ut copiosè ruat, quo natura illam ducit.

Ut autem omnibus constet, quod hęc quę de Unguento Mercuriali dixi non sint fors verba à me conficta, sed ratione & experientia, dudum à primariis nostrę facultatis authoribus confirmata, loco omnium citabo Excellentissimum Virum *Danielem Sennertum Pr. L. VI. p. 1.17.* de Argento Viro, tum crudo, tum sublimato, tum pręcipitato, ubi hęc habet: *Etenim argentum vivum non extinctum, nec præparatum, si in corpore hæreat, Stomachum & Intestina lædit, non quidem pondere seu gravitate sua, ut credit Dioscorides l.6. c.28. sed vi maligna sua & erodente, flatus magnos excitat, doloresq; ventriculi & intestinorum vehementissimos, iis similes qui in Torminibus percipiuntur quæ ab Erosione intestinorum contingunt, & aliquando Alvi dejectiones liquidas, cum gravitate Stomachi & gravedine totius corporis, & si diu retineatur & non egrediatur, accedit urinæ suppressio, ob dolorem, qui fluxionem in partibus internis movet, quæ meatus obstruit; unde postea totum corpus intumescit, & colorem plumbeum sive livescentem refert, ob humores ab eo infectos & inquinatos. Fœdum quoque ex ore ægri halitum emittunt, qui & ij percipiunt, qui in Lue Gallica Mercurio vivo inunguntur. Tandem inducit Paralysia membris, quibus adhæret; aliquando etiam Epileptiam, Apoplexiam, Syncopen, & ipsam denique mortem.*

Eadem mala etiam Mercurium vivum extinctum & inunctionem argenti vivi sequuntur, ut videre est in iis qui in Lue Venerea, vel scabie iis unguentis utuntur, de quo supra, hæc Sennertus. Malâ ergo forte itum est in consilium suadentium ut Illustrissimus huic curę se committeret.

Commisit se itaque annò 1670. Mense Februario, nulli autem artis perito sed homini rudi & malę conditionis; verbo Carnifici, inunctiones factę sunt, non quater tantùm sed

spatio

spatio trium Septimanarum, non observatâ penes regulâ ullâ; aërem vitandi, nam durante unctione, Illustrissimus se aëri committebat, nec ullatenus purgato corpore; placuit enim curatam ægro, quàm adstantibus, quo Illustrissimus Dominus Patiens, sine ullo remedio interno restitui pristinæ valetudini poterit, inunctione toties reiterata, unguento hoc modo concinnato, & sæpius repetito. ℞ farinæ de baccis lauri unciam unam, ol. de bacc. lauri unciam j. cerusæ unc. iß. mastiches unc. j. aluminis usti unc. iß. oliban. ℥i. mercut. crudi unc. ß. axung. veter. unc. iij. Camphor. dragm. j. Mota loco est materia crassa illa & viscida, quæ longa serie annorum; in artubus delituerat, & tum loco movebatur, quia venenosa qualitate imbuta ante nôn fuerat, ut alias tale remedium solet veneno luis Venereæ opponi, & quidem non temerè, sed urgente necessitate, tum scilicet ubi ligno guaiaco, vel salsapatilla morbus hic curari non potest.

Concepit pravam qualitatem à minerali illo, nempe argento vivo & more consueto, spatio trium septimanarum, exoneravit se pars materiæ illius per fauces, & solitam Palati & Gingivarum, à pravitate sua sive salsedine occasionavit exulcerationem cum periculo excidentiæ dentium pars autem ejusdem occupavit partes vitales. Cor, Pulmones; deinde Ventriculum, Hepar, Lienem & Renes, unde difficultas spirandi, puncturæ Cordis, dolor Lienis, Urina pauca & accensa, sanguinem colorem referens, se se insinuabant.

Ptyalismo procedente & ad finem vergente, nec dum corpori reliquo, præsertim visceribus prava qualitate infectis fuit provisum: tandem & necessitate de die in diem crescente conclusum & hic quoque providere, & Medicum, qui errores tam antiquos quam noviter factos corrigeret advocare.

Sors ergo cecidit super me qui alias ante septennium Illustrissimo Dno. in usu Thermatum Carolinarum feliciter inservivi. Vocatus ergo die 13. *Martii* illum lectulo decumbentum, vix artus moventem, ore fœtidam materiam, jam quidem in pauca quantitate, expuentem, de mobilitate dentium conquerentem, de puncturis cordis & difficili respiratione lamentantem, urinam paucam & ruffam emittentem inveni, unde causâ horum affectuum rescitâ periculi plenum illustrissimo Domino pronunciavi: nam signa ex urina desumta; ex mente Hippocratis mihi magnum quid in Illustrissimi patientis corpore latere indicabant.

Signa ex urinæ colore. Urina rubra vel ruffa & tenuis, talis diu perseverans mala *River. Instit. medic. l. ß. sect. 3.*

Significat enim magnum caloris incendium, & inflammatoriam quandam dispositionem, in Hepare, aut Ventriculo, aut Pulmonibus residere, à quo nulla concoctio, sed adustio potius in humores introducatur, ideoque talis urina diu perseverans cum vitium imbecillitate mortem prænuntiat.

Signa ex paucitate urinæ. Urinæ pauces & tenues & assumto potui non respondentes, in quolibet morbo malæ. *Id. River. loc. c.*

Vel enim significat Facultatis Expultricis, & Secreticis imbecillitatem, vel calorem intensum humiditates corporis exurentem unde omnes ægroti, qui urinas paucas & tenues emittunt, paulo post obeunt. Item signa ex Respiratione me magis in proposito confirmabant. Magna & frequens Respiratio periculosa *River. instit. lib.3. sect.3. c.2.* magnum enim incendium significat & putredinem cordi partibusque vicinis maximam, quæ cum multa indigeat ventilatione, magnam & frequentem respirationem efficit. Unde cum nec dum corporis viæ expurgatæ fuerint, quo melius accedere possem, cum medicamentis ad partes remotiores, 11. Martii ordinavi lenem Purgationem sequentem. ℞ aq. Laxat. unc. iij. mann. calabr. unc. iß. Crem. tartar. scr. i. M. F. potio: post quam illustrissimus Dominus septies cum alleviatione purgatus est. 12. 13. 14. 15. 16. Martii secundis viis deobstruendis & materiam ad exitum præparandis, sicuti & viis urinariis reaperiendis insudatum est, cum jusculis ex herbis deobstruentibus, aperientibus & simul pectoralibus, exhibendo per vices spiritum salis marini, item Tinct. martis dosi aliquot guttarum. Item ut à Corde & Pulmonibus materia prava inibi stabulans revelleretur, ordinata fuit conserva rosarum cum auro foliato, ob sympathiam quam cum Argento vivo habet, & uni cornu præparato, de qua illustrissimus Dominus bis in die bolum nucis juglandis magnitudine assumebat & sudorem eliciebat.

XVII. die, iterum Illustrissimus Dominus blando medicamento ex foliis senn. cum syr. diasereos purgatus fuit. Et quia de dolore Hæmorrhoidum conquerebatur, quæ si aperirentur, bona spes allucescebat, missum fuit pro Chirurgo, qui

XVIII. Martii 4. sanguisugas Hæmorrhoidibus applicuit, à quarum usu Illustrissimus se modicum alleviatum sensit.

Hoc decursu temporis de die in diem paucior urina bis aut ter intra diem comparebat, respiratio difficilis continuabat, anxietates increbrescebant, tumor pedum ædematosus se se insinuabat, appetitus dejectus, sitis intensa, somnus vix aliquis. Illustrissimus autem timens punctum Æquinoctii magis se perplexum reddebat, sicuti & ipsum dies illa non fefellit.

Nam

Nam XIX. Martii, præcedentem Æquinoctium, in meris natura laboribus anxietatibus & difficillimis respirationibus consumsit, donec horâ tertiâ promeridianâ natura motum materiæ morbificæ procurans, fecit ut Thorax liberior factus fuerit & aliqua pars materiæ à partibus pectoris mota, in partem dextram abdominis sub Hepare instar libonis panis decubuerit. Bona spes quidem affulsit, si in reliquis symptomatibus quoque natura se se emendasset. Sed à die xx. usq; ad xxi. diei horam tertiam urinæ suppressio cœpit, ut vix semel Illustrissimus Dominus urinam quantitate trium cochlearium emiserit, quod idem denuò xxij. & xxiij. die, & sequentibus factum, ita ut spatio 24 horarum, ordinariè primo modicum urinæ emittere solitus fuerit, & id circa quartam pomeridianam, aut circa occasum solis. Interea tamen de cibo porulento, ut jusculo & hordeata, ob imporentiam masticandi, parum, sed de cerevisia in quantitate notabili ab Illustrissimo Domino epotum fuit, quia autem excretio non respondebat, ut fieri deberet injectioni, unde illa omnia applicata sunt, tam interna quam externa diuresin procurantia, tam lenia, ut Decoctum Nephriticum Foresti, Hedera terrestri, Oculi cancrorum, quàm fortia, ut sal Succini volatile, Sal urinæ volarile, Spiritus urinæ, Spiritus salis armoniaci in appropriatis vehiculis; sed nihil effectum est. Urinæ suppressio eadem continuavit XXIV. XXV. XXVI. diebus, quibus diebus, adstrictione alvi concomitante, partim clysteribus, partim Rob de spina cervina cum pulvere Gialap. ad promovendas aquas, sæpius provisum fuit, cum exiguo tamen ipsius alvi correspondentis effectu. Interea rumor pedum ultra genua progrediebatur, in Abdomine autem decumbente illustrissimo, subsistebat, sedente in sellâ, in crura descendebat, nunquam tamen totaliter deperdebatur. Ipsum Abdomen rendi incipiebat, difficultas respirandi increscebat, præsertim si lectulo decumberet, omnia in Hydropem tendere videbantur. Vires de die in diem collabescebant, quamvis tam internis quam externis primariis ex genere pharmaceutico petitis remediis, & cuique fere parti appropriatis, iisdem iretur in suppetias, Aqua Perlarum, Confect. Alkerm; Balsama odorata, nullâ ferè horâ fuerunt intermissa, sed hæc non nisi aliquod solarium Illustrissimo afferebant, & quasi aliquod interstitium modicum causabant, paulò post in pristinos labores redeunte Illustrissimo.

xxvj. die Martij: utpote septima ab Æquinoctio, usque ad horam tertiam more naturæ solito quietior fuit. Ab horâ tertiâ autem, Urinæ suppressione continuante, Abdomine tumidiore cœpit inquietudo, anxietas, difficilisque respiratio talis in illustrissimo, ut nocte totâ quasi jam jam se suffocandum putarer. Retentum enim serum, per totum corpus distribuebatur, & prout in hanc, vel illam partem ruebat, suffocationem aut aliud aliquod lethale symptoma minabatur (ita enim Jacobus Carpus in isagoge Anatomica, quendam ab urina hoc modo retenta suffocatum esse testatur, & Jacobus refert, quendam in somnum & torporem lethalem incidisse;) unde anxietatibus crescentibus sub aurotam diei XXVII. Martii, timens de aliquo inopinato eventu insinuavi periculum his, quibus intererat, ita ut animæ & aliis provideretur. Hæc dum agebantur Illustrissimus ab onere seri in corpore restagnantis magis & magis premi, unde etiam majoribus anxietatibus de horâ in horam corripi cœpit; ita ut inopinatus aliquis naturæ motus die sequenti, id est nona, futurus metueretur, qui *& xxviij. die Martij* resignatione omnium temporalium ab Illustrissimo Domino cum summa omnium ædificatione peractâ, conrigit. Nam sub meridiem vomere cœpit in copia bilem flavam, cum tantis ructibus, ut timuerim ego, de repentina suffocatione, quam Illustrissimus sibi eventuram ex retentione Spiritus metuebat: Vomitus etiam horâ II. circiter incipiens, continuavit usque ad horam tertiam pomeridianam, procedente vomitu livido & nigro aliquot vicibus, qui inter lethalia signa ab *Hippocrate* ponitur *2. prog. 39.* significat enim hujusmodi vomitus bilem porraceam, æruginosam aut atram in corpore redundate, at hæ omnes bilis species malignos morbos atque lethales producere solent.

Causa autem talium humorum in Illustrissimi Domini corpore videtur fuisse venenum illud Argenti vivi occultâ vi corpus ejusdem destruens; Etenim humores in corpore nostro adeò ope illius degenerant, & tantam malignitatem acquirunt, ut iis partibus, in quas à natura detruduntur, Necrosin, hoc est, Gangrænam inducunt, ita *Sennertus Pract. L. V. p. 2. 19. d. Gang. & Sphac.* adhibitis variis ventriculum corroborantibus remediis internis & externis, vomitus ad occasum solis cessavit, debili relicto summopere Illustrissimo Domino. Hujus diei vespere ad venerunt duo Chirurgi, Dominus Kilianus & Dominus Nic. Strubenmayer, vocati ad suppetias ferendas Illustrissimo Dno. videns enim ego suppressionem urinæ continuare, & ex eâ Tumorem, pedum attolli, illumque in Abdomine remanere incidit mihi, si interea Cauterio in illa parte tumida Abdominis effecto, quo natura singularem copiam aquæ videbatur deposuisse, succurreretur, & simul etiam in tibiis vesicatoria applicarentur, ut ita natura ab onere aquæ in corpore restagnantis sublevata, longiorem vitæ moram concederet Illustrissimo patienti, atque exinde motâ impetratâ, ne aquæ restagnantes pravitate sua viscera inficerent, causæ suppressionis Urinæ provideretur. Suppressio enim Urinæ à seri secretionis actione

læsa

læsa ortum ducens, jam novem diebus ita enim *Sennert. l. 3. part. 7. p. 2. c. 1.* & quidem æger si ante septimam diem iterum mejere incipit servari potest, quod si ultra hoc spatium retineatur, & si urina reddatur, plerumque tamen æger moritur, Consilio ergo cum Chirurgis inito, Abdomini cauterium potentiale; Tibiæ vero dextræ Vericatorium est applicatum. Nox illa post vomitum paulo quietior visa est.

xxix. Martij. Illustrissimus Dominus mane denuo de difficili respiratione conquerebatur, unde ad ventilandum Cor & imminuendam inflammationem massæ sanguineæ, abundante sero refertæ, venam brachii dextri secari curavi ad uncias 4. circiter, authoritate etiam ductus eorum qui in suppressione Urinæ eandem proficuam suadent, non neglectis partim cordialibus & vires imbecilles reficientibus, partim diuresim procurantibus.

xxx. die Martii. Illustrissimus Dominus parùm se fuetio rem sensit ex somno eidem artificialiter procurato, quem à multis noctibus ambiverat.

xxxi. Martij mane misit Urinam Illustrissimus Dominus Comes ad quadrantem sextarii, vesperi iterum misit aliquid, hac die cum nullam sedem habuerit Illustrissimus post pulverem Gialapæ duo suppositoria vesperi applicata sunt, sed cum nullo effectu.

I. *Aprilis*, Illustrissimus Dominus totam diem in doloribus & anxietatibus consumsit, Urinæ etiam mane ad unc. x. excrevit, sed tamen hæc nihil auxilii afferebat, nam quadruplo & ultra plus diu noctuque de Cerevisia (nam alium omnem potum medicum abhorrebat) ebibebat.

II. *Aprilis* nox inquieta sicuti & dies fuit, doloribus & anxietatibus intermixta, habuit illæ dies duas sedes, & aliquantum urinæ demisit. A xxix Martii. huc usque vesicatorium bonum effectum in emittendo sero faciebat. Cauterium autem ob nimiam pinguedinem, nullum adhuc de facto effectum præstitit.

III. *Aprilis* iterum Illustrissimo pejor fuit prioribus, viribus multùm collabescentibus, non obstante, quod remediis confortantibus internis & externis continuò usus fuerit. Nox mala sequuta est, ita ut eam Illustrissimus totam sedendo transegerit, timens suffocari si jaceret.

IV. *Aprilis* paulo quietior visa quoad anxietates, maximè post prandium.

V. *Aprilis* inquieta & anxia magis magisque fuit. Hac die varios appetitus comedendi hæc & alia Illustrissimus habuit, unde condita quædam assumendo, super ea tantos dolores ventris habuit, ut eosdem duobus granis laudani compescere oportuerit. Hanc noctem totam insomnem duxit cum frequenti potu Cerevisiæ Girkaviensis, à triduo jam extrema frigere cœperunt; manusque ambæ rumidæ factæ sunt; urina etiamsi bis in die mingeretur, pauca tamen erat, & minimè potui correspondens, pedes magis magisque tumidi.

VI. *April.* virium imbecillitatem nobis maximam attulit, manentibus omnibus causis, eam occasionantibus, unde diu non duraturum, sed deliquio repentino auferendum prædixi: Nox insomnis, & si aliquis somnus superveniebat, ille laboriosus erat, unde *Hipp. S. 2.* in quo morbo somnus laborem facit lethale.

VII. *April.* dum illuxisset, paulo alacriorem nobis Illustrissimum demonstravit, sed considerando illum uno oculo nos aspicere adverti. Unde Hippocr. mihi in memoriam revocavit, cum in morbo acuto oculus unus altero minor fiat lethale. Interea nullâ quiete illâ die habitâ, sed jam ad lectum, jam ad sellam petente, tamen modico cibo sumto, circa horam secundam pomeridianam dum ita inquietus Illustrissimus esset derepente passus est deliquium animi, ex quo modicum ad se rediens iterum recidit & agonizare cœpit, atque horâ quartâ, & uno quadrante supra, animam Deo efflavit.

VIII *April.* Cadaver Illustrissimi Domini apertum est, cujus partes internæ taliter fuere constitutæ. Abdomine aperto in *stomacho*, duo ulcera reperta fuere, præterea totum quod ingestum erat, atrum colorem referebat. *Hepar* magnum, durum & quasi coctum, in duabus partibus sideratum. *Splen* totus putridus. *Renes* utrique duri & materiâ crassâ viscidâque referti, quæ obstructio causa fuit suppressionis urinæ. *Membrum virile* cum testiculis totum quantum Necrosi infectum, eodem modo orificium *vesicæ* compertum. *Omentum* circa vesicam inferius disruptum & nigrum. In Thorace Cor magnum sed flaccidum. *Pulmones* Thoraci utriusque lateris accreti, ab inflammatione nigri, & integra sui parte materiâ purulentâ undique referti. *Femora* cum *Tibiis* Hydropicarum instar aquâ tumida. *Cauterium* quod Abdomini applicitum fuerat, nec dum pinguedinem quâ Illustrissimus ad 4. digitorum crassitiem pollebat, pertransiverat. Infelix hoc fatum quare Illustrissimo Domino acciderit, ex præmissis & præsenti partium constitutione conjicere licet, Illustrissimum Dominum fato cedere debuisse, neque possibile fuisse evadere, nisi divinitùs inspirata remedia fuissent, quod hisce suppositionibus confirmo.

Suppono 1. Illustrissimum Dominum à longa serie annorum de affectione Hypochondrii sinistri, id est, Lienis conquestum fuisse: signum igitur est, hoc viscus, aut à natura debile

aut

aut per errores in rebus sex non naturalibus commissos tale evasisse; unde paulatim computruit: Putridum autem viscus, ut est Lien, in corpore diu permanens lethum inferre solet se solo.

Suppono II. Seposita I. Suppositione Illustrissimus Dominus hunc morem habuit, ut bene comederit & biberit, & nullatenus se exercuerit, sed quasi semper domi nisi coactus immobilis hæserit: nonne per hoc multa aggregata, quæ alias per exercitium exhalassent in corpore remanserunt? corpusque superfluis humoribus refertum, ad putredinem concipiendam aptum reddiderunt?

Suppono III. Illustrissimum ut gravedine illa corporis, quam molestam sibi advertebat, liberaretur, variorum hominum remediis usum fuisse, sive illa secundum rationem fuerint, sive non, nonne per usum talium non repurgato corpore, humores magis impactos reddidit, & usu variorum remediorum viscera sibi debilitavit.

Suppono IV. Inunctionem Mercurialem esse venenosam.

Suppono V. Inunctionis Mercurialis infringi venenositatem, si in contrarium venenum habeat quod agat.

Suppono VI. Inunctionem Mercurialem soli Lui Venereæ, & quidem nec adhuc temere competere.

Suppono VII. Illustrissimum Dominum Lue Venerea non laborasse.

Suppono VIII. Si ergo Lue Venerea non laboravit, & non temerè illis debet inunctio Mercurialis adhiberi, qui illâ correpti sunt, multo ergo minus illis qui illam non habent.

Suppono IX. Inunctionem Mercurialem insinuatione suarum atomorum in corpus vim habere commovendi humores crassos, & viscidos, & quasi congelatos, per modum fermenti alicujus eos resolvendo & fundendo.

Suppono X. Inunctionem Mercurialem non solùm habere vim humores commovendi & fundendi, sed etiam ubi non invenit quod agat sua venenosa qualitate inficiendi, & calorem nativum partium suffocandi, inibique Gangrænam formandi.

Suppono XI. Mercurii inunctionem etsi is pravâ qualitate non esset præditus, dummodo humores crassos & viscidos liquaret, sufficire, ut homini mortem occasionaret.

Suppono XII. Liquatis tali pacto crassis & viscidis humoribus, hi massæ sanguineæ commixti, tanquam grumuli aliqui in illa oberrant, & quo sanguis fertur, cum illo circumducuntur.

Suppono XIII. Si tales viscidi & crassi grumuli non bene dissoluti transeant per aliquos subtiles meatus, illos ibidem figere se posse, & obstructionem causare.

Suppono XIV. Si tales viscidi grumuli in principibus partibus se figant, pro diversitate nobilitatis partium, diversorum causa erunt symptomatum.

Suppono XV. In Exemplo: si grumi tales viscidi instar muci, in renibus à sanguinis massa deponantur, viscíditate suâ meatibus illis adhærebunt, illos obstruunt, & datâ semel obstructione impedient ne serum à sanguine aut per vasa lymphatica delarum possit transcolari in Ureteres & Vesicam.

Suppono XVI. prohibitâ transcolatione, serum illud, aut ruptâ venâ aliquâ, in Abdomen stillare debebit, aut in sanguinis massa remanere, & cum sanguine, quo ille fertur, circumire.

Suppono XVII. Serum illud esse superfluum naturæ, & excerni debere.

Suppono XVIII. Serum illud præterquam sit superfluum, continere in se superfluum salem, qui si remaneret, in corpore inflammationes, putredines & ipsam gangrænam occasionaret, unde necessarium est ut excerneretur.

Suppono XIX. Serum illud superfluum, si non alicubi perfringat, cum sanguine per omnia viscera, vi motus sanguinis deferri.

Suppono XX. Similes grumos viscidos cum massa sanguinis in Illustrissimo Domino inunctionis Mercurialis hinc inde fuisse commotos.

Suppono XXI. Similes grumos viscidos, Renes Illustrissimi Domini obturasse, unde suppressionem Urinæ passus est.

Suppono XXII. Serum illud partim se diffudisse in femora, partim cum massa sanguinea fuisse delatum ad partes principes præcipuè Pulmones, jam ante hac malè dispositos & Thoraci accetéros & inibi calorem nativum suffocasse, & salsedine suâ pravâ Gangrænam suscitasse.

Suppono XXIII. Dari exempla à purâ diuturnâ suppressione urinæ morruorum, etsi Mercurio non fuissent uncti.

Suppono XXIV. A solâ suppressione urinæ potuisse omnia mala ista Illustrissimo Domino obvenire, etiam sine veneni cooperatione.

Suppono XXV. Accedente tamen venenositate Mercurii, eò citiùs acceleraram mortem, quàm fors secura fuisset, nam Hydropici modicum mingendo sat diu tamen vivunt.

Suppono XXVI. Hydropem solere Gangrænam causare, unde rarò tales sanari.

Suppono

Suppono XXVII. Gangrænam quæ fit cum affluxu venenosorum humorum & occultâ qualitate difficilioris curationis esse, quàm quæ fit sine affluxu, pauci enim à tali Gangræna evadunt.

Suppono XXVIII. Ab utraque causa Gangrænam exortam, esse lethalem.

Suppono XXIX. Dari exempla partium externarum Gangrænâ correptarum à qua homines (ubi tamen applicari poterunt remedia) mori debuerunt.

Suppono XXX. Ubi ventriculus, Pulmones, Lien, Membrum virile, Testiculi, Omentum, Hepar, Gangrænâ corripiuntur, quò difficile est applicare remedia, quis ille erit qui talem liberare poterit, nisi solus Deus?

Talis fuit noster Illustrissimus Dominus patiens repertus, non desunt igitur causæ sufficientes cur fato cesserit.

Suppono ergo me fundamentaliter demonstrasse, quod demonstrandum erat. *D. Iac. Ioh. Wenceslai Dobrzensky de Nigroponte in Ephemerid. Germanicarum Decuriâ* I. *Anno* I.

ANATOMIÆ PRACTICÆ.

LIBRI PRIMI

SECTIO X.

DE IMAGINATIONE, RATIOCINATIONE & Memoria depravatis & abolitis.

OBSERVATIO I.

§. *Amentia à vitiosa cerebri conformatione inducta, ob aquæ copiam cerebri molem inferciente & distendente.*

PUer Hydrocephalo extinctus à robustis parentibus satus, actionibus Animalibus quæ ex cerebro prodeunt; puta Ingenio, loquela, risu, &c. Destitutus fuit. In duobus cerebri ventriculis aquam crystallo clariorem ad libras octodecim invenimus, quæ non solum ventriculos, sed & substantiam cerebri distendebat. Ita ut totum cerebrum, (cerebellum excipio) in sacculum extenderetur, hinc fiebat ut circumvolutiones & gyri cerebri non conspicerentur, sed turgerent omnia. *Vide Tit. de Hydrocephalo ex Fabritio Hildano.*

STupiditas sive μώρωσις, etsi potissimum ad Animam Rationalem spectat, atque intellectus & judicii defectum significat, non impropriè tamen inter morbos capitis, seu τοῦ ἐγκεφάλου recensetur, in quantum scil. ista Animæ superioris eclypsis ab imaginatione & memoria læsis procedit, atque harum deliquia à spirituum animalium ipsiusque cerebri vitiis pendent.

Animam Rationalem in sensitiva sive corporea subsistere, ejusque sedem quasi principem Imaginationem esse; porro ab hac & memoria rerum omnium quas Mens speculatur, aut notiones ipsas, aut earum occasiones suppeditari alibi ostendimus. Quare si, quando has functiones corporeas deficere aut inhibere contingit, proinde intellectus acies, quasi oculis ejus obvelatis, hebetari plurimum, aut penitus offuscari solet. Itaque ut Stultitiæ & stupiditatis pathologia ritè tradatur, imprimis inquirere oportebit qua ratione & quibus causis Imaginatio & memoria sæpe deficiunt vel præpediuntur. Super his ut methodice procedatur, huc referri debent quæ de Animæ corporeæ functionibus, earumque subjectis & instrumentis disseruimus, Imaginationis sedem *Corpora Callosa* sive *Cerebri meditullium*, atque Memoriæ, *Cerebri corticalis medullas*. Porro utriusque organa immediata esse Spiritus animales declaravimus. Quamobrem quod potentiis istis (quæ functionis cujusque alterius scil. tum rationalis tum sensitivæ primi aut præcipui elateres sunt) præpeditis, Mentis imbecillitas & hebetudo, Tarditas ingenii, Stupiditas, ac ipsa demum Amentia sæpenumero oriuntur, in culpa sunt aut Cerebrum ipsum, aut Spiritus animales, aut utraque simul, atque prius modo hi, modo illud.

Primo quoad Spiritus animales, cujusmodi illi ex propria & ingenuina indole esse debent, & quales ob diathesin præternaturalem in Phrenetide, Mania, Melancholia existunt jam declaravimus: Verum insuper suspicari licet Spiritus istos interdum particulis activis fere destitutos, quasi vappidos & effoetos fieri, nempe cum particulæ spirituosæ præpollere, atque sibimet salinas

salinas volatilizatas consciscere deberent, in Stupiditate tum hæ utræque, tum sulphureæ nimis depressæ, aquosis vel terrestribus immerguntur fere ac obruuntur: Enimvero *fatui* non tam rudi crassaque Minerva quam Anima præditi esse videntur, eorumque Spiritus animales potius quam præcordia ex luto effingi: Plures sunt causæ evidentes quibus spiritus animales texturam adeo levidensem acquirunt, quarum præcipuas attingemus. 2°. Attamen haud frequenter evenit Stupiditatem mera spirituum, aut ipsius *Animæ corporeæ* culpa solitaria excitari: quin sæpius cerebrum ipsum potius aut prius in culpa esse reperitur. Quippe cum plurima sint requisita quibus hoc peridoneum functiones animalis subjectum sive machina constituatur, si forte eorum quodlibet aut deficiat, aut depravetur, facile sequitur taliter affectos ingenio minus pollere. Primo vulgaris observatio est Indolem ac ingenium nonnihil à capitis, & consequenter à Cerebri ejus Magnitudine & Figura pendere, nam quoad molem ejus, in adagio est Cerebri Parum aut Nimium stoliditatem arguere. Et quamvis hoc non semper, attamen crebro sic evenire Cujus ratio est, quoniam in *parvo Cerebro* pauciores tantum spiritus gignuntur exercenturque, (Vide Observat. 3. 4. 5.) *Grandius* autem textura plerumque viliori constans mentis acumini minus accommodum existit.

2°. Cerebri figura genuina & optima Globosa esse debet, scil. in eum finem ut spiritus æquabili effluxu à meditullio ejus quaquaversus in ambitum diffundantur, & illinc æqualibus ubique reflectionum angulis retorqueantur: Verumtamen qui capite depresso, vel nimis acuminato, aut alias improportionato insigniuntur, ut plurimum functionis animalis labe quadam notabili afficiuntur: ejusmodi namque cerebra, tanquam specula distorta, rerum species non recte colligunt, nec Animæ rationali eas vere objiciunt.

3. *Substantia cerebri* sit bene temperata & laudabilis texturæ, nec tantum quoad caloris & frigoris, siccitatis & humiditatis qualitates, verum systasis ejus sale volatili & spiritu copioso cum modica reliquorum proportione constans; sit Tenuis & Aërea, aut Spiritus facile totum trajiciant, & sibi tractus procudant; simulque mediocriter firma & compacta, ut tractus & meatus extesi permaneant, nec statim à partium nimis mollium subsidentia deleantur. In stupidis vero suspicari licet, modo in cerebro qualitatis cujusdam manifestæ, uti imprimis humiditatis aut frigiditatis excessum, propter quam rationem pueri & senes sensuum hebetudine sæpe affici solent, modo *texturam* nimis crassam & terrestrem esse, proinde ut spiritus non facile ipsum irradient, aut sibi tractus procudant: nempe haud, plusquam lucis radii, corpus opacum penetrare possint. Hujusmodi levidensis cerebri texturæ rusticorum & agrestium nati, quasi ex pejore luto formati, crebro obnoxii sunt: hinc in quibusdam familiis, multas retro progenies recolendo, vix unum sagacem & sapientem reperire datur: In quibusdam locis cœli ac aëris influentia incolas ad stupiditatem inclinare perhibetur, ita in Bœotia nasci, in adagio idem est ac Fatuum esse, *Vide Observ. 2. 9. 10. 15. 16. 18.*

Quarto præter hæc cerebri vitia, quæ ut plurimum originalia & connata sunt, nonnunquam mala ejus secundum poros & meatus conformatio, propter inordinationes quasdam acquisita; in causa est quod functio animalis minus recte excolitur. Nam 1. quod attinet ad cerebri meatus & poros minores (quos ipsi spiritus per totam ejus compagem ubique procudunt, inque iis pro functionum animalium exercitiis perpetuo scatent) nonnunquam accidit hos *deficere* aut *perverti*; proindeque mentis hebetudinem aut morosin accersiri Spatiola hæc *deficiunt*, in quantum cerebri consistentia, aut obdurata aut fluida nimis, ea debito modo procudi, aut permanere non sinit. Cæterum, meatus illos *perverti* suspicamur, vel quatenus nimis laxi vel constricti sunt, vel quatenus eorum conformatio inæqualis est: Pori nimis stricti materiem pro spirituum copiis haud satis uberem admittunt: Supra modum laxi, una cum materia ista particulas heterogeneas & regimini animali infestas excipiunt: Inæqualiter conformati videntur, siquidem patentiores sint in una parte cerebri, & angustiores in alia. Propter hanc causam putamus esse quod nonnulli res satis recte sentiunt, sed male semper judicant; quippe notiones eorum & conceptus, velut species visibiles, medium diversimodum pertranseuntes, distorti evadunt: Porro ob hanc rationem fortasse contingit quosdam imaginatione & phantasia satis pollere, ac in memoria plurimum deficere, & alios è contra.

Tertio interdum accidit utrasque has Memoriæ causas conjunctas simul concurrere, nempe quod tum spiritus animales hebetes ac torpidi, tum cerebrum male conformatum fuerit: Et revera quæcunque pars prior in culpa est, brevi alteram pariter ream facit: Quippe cum spiritus obtusi ac inertes cerebrum haud libere trajiciunt, Pori & Meatus in eo vel non satis producuntur, vel denuo coalescunt; atque spiritus si ob malam cerebri structuram satis expandi nequeunt, ipsi tandem segnes & otio obtorpescentes diathesin vitiosam acquirunt. Vide Observ. 11. 12. 13. 14.

Hæc de Moroseos causis conjunctis, quod ad procatarcticas & evidentes spectat, plures sunt προφάσεις propter quas prædictæ labes cerebro aut spiritibus, vel simul utrisque inferri solent. Primo enim stupiditas interdum originalis sive connata est, & sic vel *Hæreditaria*, ut cum stulti progignunt stultos, Cujus ratio satis patet, iisdem nempe particulis effœtis, ad constituenda organa animalia in filio, quæ fuerunt in patre confluentibus, Vel stupiditas *congenita* quasi *accidentalis* est, nempe frequenter accidit sapientes & summe ingeniosos insulsos ac bardos progignere.

Secundo plures sunt *causæ evidentes*, quibus Stupiditas nonnullis originaliter sanis induci solet: Quidam prius solertes & ingeniosi, mera ætatis declinatione, sive magnis in victu erratis, sensim hebetiores ac demum insulsi evadunt, quatenus nimirum *sanguis* & *liquor nerveus* (quorum dyscrasiis spiritus animales obsequuntur) tanquam vina quædam, aliique liquores fermentati, post fermentationem perfectam à vigore decedunt, & paulatim quasi in vappam degenerant: Enimverò observare est quorundam ingenia juxta ætatum suarum periodos, varia incrementa & decrementa suscipere: Novi plures in pueritia sagaces admodum & summe dociles, ut literatura suâ & discursu suo quosvis in admirationem raperent, qui postea adolescentes obtusi & hebetes evaserunt: E contra evenit multos primo indociles, litteraturæ prorsus ineptos, & vultus inconcinni videri, qui ubi ex ephebis excesse-

excesserunt, eximia mentis acie & formæ nitore pollent. Prioris ratio est, quod ingenium præcox, instar fructus hotarii, haud diu in eodem statu permanet, quin cito declinans brevi emarcescit. Quippe in omni mixtione & concretione rite facta requiri viditur, ut progressus à cruditate ad maturitatem lente & paulatim fiat, hoc est, elementa activa imprimis haud cæteris emineant & supra modum præpolleant, quin iis obvoluta paulatim emergant ac sese exserant. Secus enim ab initio libera nimis & soluta facile avolabunt, subjectum suum effœtum fere ac vappidum relinquentia. Quapropter de pueris, qui primis annis paulo hebetiores videntur, spes erit eos postea cum cerebri temperies, (evaporata humiditate superflua) maturatur, satis ingeniosos fore.

3°. Interdum magna capitis plaga aut concussio, præsertim quæ casu præcipiti ab alto contingit, facultatis animalis noxam & debilitatem infert: Novi quosdam egregie literatos, atque summi acuminis ac judicii homines, qui fortuitis hujusmodi casibus superstites, postea hebetes & crassioris ingenii fuere. Vulgo dicitur taliter affectorum *Cerebri substantiam inversam* esse, & quidem vehemens cerebri concussio assuetos spirituum tractus & orbitas valde pervertit, & non raro comprimit aut occludit, proinde ut memoriæ & imaginationis actus in posterum ægre aut perperam obeant, adeo ut nonnulli à plaga fortiori capiti inflicta Bardi prorsus & amentes evaserint.

4°. Ebrietas frequens & crapula, præsertim si poculis indormiant, somno vinòque sepulti, quorundam ingenia plurimum labefactant & rationis usum infirmant: quatenus nempe hoc modo pori & meatus cerebri aperiuntur nimis, iisque corpuscula heterogenea & regimini animali valde infesta introducuntur: Ob similem fere rationem frequens Opiatorum usus quibusdam mentis aciem valde perstinxit.

5°. Violentæ ac subitæ passiones, quales imprimis sunt improvisus atque immanis terror, aut tristitia vehemens, nonnullis vecordiam intulere, proinde ut sensa animi verbis exprimere, aut actiones vitæ familiares vix obire potuerint. Quod certe accidit in quantum spiritus cerebrum incolentes, propter talem occasionem plurimum dissipati, & ab invicem distracti, priora motuum suorum vestigia postea repetere nequirent: pariter ac milites à subito ac violento hostis incursu fugati, ordines & stationes suas haud facile recuperant.

6°. Observare est quosdam homines ob morbos cerebri immaniores etiam Morosin contraxisse: In epilepsia gravi & diuturna hoc frequenter accidit in quantum hic affectus cerebri meditullia occupans, poros & meatus omnes, ob spiritus ibidem crebro & vehementer explosos pervertit, & fæculentiis inficit, adeoque implet, ut spirituum tractibus occlusis sensuum motuumque internorum actus inhibeantur. Novi puellam primo indolis acutæ ac vividi ingenii, quæ postquam morbo comitiali diu laboraffet, μορύχ μωρῖέα evasit. Porro stupiditatem *Paralysin* comitari aut præcedere in pluribus notavi, nempe eadem materie, quæ in *corpore striato* resolutionem, in *Calloso* aggesta, si non apoplexiam aut carum, sæpe morosin accersit: *Th. Willis parte 2. c.13. Tract. de Anima Brutorum.*

Robustis parentibus satus] Frequenter accidit Sapientes & summe ingeniosos, insulsos ac bardos progignere; quod ob hanc causam ita interdum fieri putamus, quatenus patentes literarum studiis, imo & lectioni aut meditationi nimiis dediti, spiritus animales cerebri hospites in tantum impendunt, ut pro supplementis eorum generosissimæ sanguinis particulæ usque ad ἐγκέφαλον accersantur, paucioribus tantum & tenuioribus ad corpora spermatica descendere permissis: Quando anima rationalis de fœtu suo (qui Intellectus opera sunt) edendo maxime sollicita est, tunc Anima corporea (spiritibus in alterius obsequia vocatis) aut minus aut imbecillius prolifica evadit. Alia ratio nimis frequens occurrit, nempe quod parentes intemperantia, luxuria & malis moribus, corpora sua ita infirmant enervántque, propterea ut natos nonnisi languidos aut valetudinarios gignant. Hinc ut plurimum qui parentibus senio fractis, aut nondum ætate maturis, aut ebriis, aut mollibus, aut effœminatis nascuntur, ingenio magno & liberali carent. Nec minus facultatis animalis detrimentum iis accidit quorum sarores malis cerebri affectionibus, ut paralysi, epilepsiæ, caro, spasmis & similibus obnoxii fuerunt, ita ut ex parentibus nasci, quibus mens sana in corpore sano est, patrimonio amplissimo longe præstet. *Idem ibidem.*

Observatio II.

§. *Oblivio & Desipientia à sinistra parte cerebri laxiore reddita, Dura matre livida, &c.*

Quidam vulneratur in occipite, die nona febris oritur quam *paralysis* excipit, subsequente *desipientia* & oblivione; xxxx. die moritur. Remoto cranio, Sinistra pars cerebri multo laxior apparebat, duráque mater circa tertium sinum, prorsus livida. *Vide historiam l.4. tit. de vulneribus.*

Febris oritur] Ab excitata phlegmone in tenui meninge. Alias interdum accidit Febrem quosdam stultos & stupidos sanasse & acutiores reddidisse: Refert Janus Huarrus in Scrutinio Ingen. quendam Cordubæ in aula Regia fatuum, cum febre maligna afficeretur, in medio morbi ad tantum judicii & discretionis acumen pervenisse, ut universam aulam in admirationem raperet, & toto vitæ, quod residuum habuit, tempore prudentissimum perstitisse. Novimus & nos quendam obtusi & plane Bœotici ingenii qui in febre delirans, dicteria acutissima, & plurima sale condita celerrime promebat. Novimus & senem, memoriæ, & proinde discursus usum amisisse, qui ab intemperie febrili postea accedente juvamen maximum recepit: Quotum ratio videtur esse quod æstus febrilis caliginem cerebro obductam quandoque rarefaciat & dispellat. *Willisius l.c.* Id usuquoque competum in pueris febricitantibus, ut supra ætatem sapiant & ratiocinentur, calore scil. febrili, humorem superfluum, cerebrum obruente, discutiente & ad temperiem ratiocinationi congruam deducente.

Observatio III.

§. Fatuitas nativa ob parvitatem Cerebri & Plexus intercostalis, cerebro & cordi communis exilitatem.

Cum nuper cujusdam à nativitate Fatui cadaver dissecaremus, nullum in cerebro, nisi quod mole perexiguum esset, defectum aut vitium reperire potuimus. Præcipua autem discriminis nota quam inter illius & viri cordati partes advertimus hecce erat, nempe quod prædictus Nervi intercostalis plexus, quem Cerebri & cordis internuntium & homini proprium diximus, in stulto hoc valde exilis & minori Nervorum satellitio stipatus fuerit.

Dum hæc scribuntur, Cercopitheci Anatomen instituimus, Cujus cerebrum parum ob eo quod in cane aut vulpe cernitur differebat, nisi quod proportione ad sui corporis molem habita longe esse capacius, ejusque anfractus ampliores existerent. Prominentiæ orbiculares, *Nates & Testes* dictæ; item *Protuberantia annularis* à cerebello dimissa, ad earundem partium figuram & magnitudinem in Homine propius accedebant. Quod autem præcipue notatu dignum occurrebat, hoc erat, scil. quod Nervus Intercostalis, licet pariter ac in cæteris brutis assolet, eadem cum Paris octavi trunco vagina inclusus, per collum ferebatur, tamen iste ab hoc Nervo prope claviculam abscedens, antequam Plexus juxta superiorum costarum radices posito inserebatur, aliquot surculos in cor & appendicem ejusque fibras quasdam in diaphragmatis nervum mittebat: Quæ forsan ex parte ratio est, cur hoc animal præ cæteris bestiis adeo solers & mimicum existat, atque hominis non modo gestus, verum passiones quasdam & gustus, tam apte referre & imitari possit. *VVillis Neurologiæ c. 26.*

Nisi quod mole perexiguum, &c.] Vide Not. ad Obs. 9.

Nervi Intercostalis Plexus (quem cerebri & cordis internuntium diximus:] Nervi Intercostalis descriptionem & ramificationes vide apud eundem toto cap. xxv. præcedenti: Inter Hominem autem ac Brutum, quoad partes principales, nempe Cerebrum & cor, haud tam magnum discrimen occurrere ait Vir Clar. quam est circa commeatum ab *uno* ad *alterum*, sive commercium quod istæ partes ad se mutuo habent: In utraque specie, propter functionis vitalis exercitium, spiritus animales ab ἐγκεφάλῳ in præcordia constanti emanatione derivantur: quali eorumdem influxui Nervorum Paris vagi ductus sufficiens videtur: quare in plerisque brutis, & tantum hac via, & vix omnino per ullos Paris intercostalis nervos, aditus ad cor aut appendicem ejus patescit; Verum in homine Nervus Intercostalis, præter officia ejus in imo ventre, huic cum cæteris animalibus communia, etiam ante pectoris claustra internuntii specialis loco est, quæ cerebri & cordis sensa mutua ultro citroque refert: Cum etiam præter Vagi Paris nervos, etiam in præcordia humana attensos (qui certe ad functionis mere vitalis munia exequenda satis videntur) totidem insignes rami à prædicto plexu intercostali mittuntur, quodnam muneris genus his attribui potest, nisi ut spiritus animales contineant, quorum opera & ministerio Cerebri & cordis mutui respectus & affectiones invicem communicentur? Dum hanc utriusque speciei differentiam perpendo, succurrit animas Brutorum esse velut machinas apparatu simpliciori & minus operoso fabricatas, proindéque tantum unius generis motu instructas, sive ad idem prorsus agendum determinatas: Attamen in homine diversimodæ motuum series, & velut rotarum intra rotas complicationes apparent: Enimvero prædicti plexus commeatu, cerebri conceptus statim afficiunt Cor, ejusque vasa & reliquam, una cum diaphragmate, appendicem commoveri faciunt. Hinc sanguinis motus, ejusque in corde accensio, simul cum pulsu & respiratione perficiuntur; proinde vero à corde alterato, non modo eorundem nervorum ductu impressiones in cerebrum retorquentur, verum & ipse sanguis, cursu suo immutato, fluctuatione diversa aut inassueta cerebrum appellit, adeoque spiritus animales variis impulsibus agitando, conceptus alios, & subinde alios, produci facit: adeoque propter has reciprocas cordis & cerebri affectiones, quæ longa serie vicissim propagari solent, cogitationum & phantasmarum multiplicitas oritur. Hinc veteres, tum Theologi tum Philosophi, Sapientiam in corde posuerunt: Certe prudentiæ & virtutum opera à mutuo, quod cordi cum cerebro intercedit, commercio plurimum dependent, quippe ut cogitationes circa appetitus, aut judicii actus rite eliciantur, sanguinis fluctus in pectore coerceri, ejúsque ac ipsius cordis inordinationes à nervis tanquam habenis regi, inque motus aptos & requisitos oportet. *Idem Ibidem.*

Observatio IV.

Mentis Stupiditas à tumore globoso in cerebro, & aqueo humore copioso ventriculos distendente.

Gaspar Bonecurtius Nob. Eques sensim per biennium mente alienari cœpit, adeo ut tandem omnino attonitus nihil secundum rationem ageret, & Cibum nec petebat, nec nisi per vim intrusum capiebat: lectum nonnisi coactus petebat, sed ad mensam brachio innixus *continuo dormiens* fere sedebat, nec nisi interrogatus sæpeque admonitus, verba quædam, sed quæ ad rem minime pertinebant, proferebat: *stillabat* interim *è naribus pituita aquea* copiosa frequenterque. Quibus sic semi anni spatio se habentibus, tandem expiravit. In causis perquirendis nihil quod huic malo ansam præbuerit certius cognosci potuit quam *ictus capitis*, quo tribus aut quatuor annis ante percussus, cerebri imbecillitatem ab eo tempore cœpit experiri, cum alias prius strenuus alioqui miles, nihil tale sensisset.

Calvaria post mortem ipsius aperta, cerebro diducto, *supra callosum cerebri corpus*, insignis tumor globosus, glandulæ instar carnosus, scirrhosus fungosusque, pomi mediocris magnitudine, deprehensus est, qui privata tunica investitus, venulisque erat consitus, ab omni tamen connexione cum substantia cerebri liber, adeò ut citra sectionem manibus exemptus, foveam insignem aqueo humore mox repleram, *quo & ventriculi admodum dilatati* diductique referri erant, post se relinqueret. Quem *globum* sua mole *cerebrum illiusque ductus comprimentem* irrigantémque, hujus stuporis & torporis, tandémque mortis occasionem fuisse deprehendimus. *Platerus observationum lib.1. pag.13.*

I[*Ctus capitis*]. Juvenem capite percussum semifatuum evasisse, refert *Hoeferus* Herculis med. lib.1. cap.13. quem curavit fonticulo suturæ coronali impresso: *Hildanus* Cent. iii. Obsetv.21. narrat. puerum decennem, eatenus vividi ingenii, memoria paulatim orbatum fuisse, post intellectu, ob depressionem cranii decimo anno factam: curationéque spreta, ac paulatim indurato cranio, depressionem cum functionum principum læsione ad extremum vitæ diem perdurasse. Vide *Borellum* Cent. 2. Observ.73.

Tumor globosus] De tumore tunicato in cerebro genito, vertiginis & apoplexiæ causa, post contusionem capitis. *Vide tit de Vertigine.*

Globum cerebrum comprimentem, &c.] Cerebrum porosum est; & in porosa & fungosa quasi ejus substantia spiritus animales generantur, continentur & moventur. Hi meatus & cavitates ut ad cerebri nutritionem, spirituum generationem, conservationem, motum & in totum corpus distributionem necessaria sunt; ita iis angustioribus redditis istas actiones lædi necesse est. Angustiæ plures quidem sunt causæ, his tamen meatibus & cavitatibus præcipue obtingit ab Obstructione vel compressione. In dicto Nobili Compressio locum habet, quæ cum à causis internis vel externis contingat, Inter internas sunt primo humores crassi & pituitosi; 2°. sanguis ex vulnere, contusione, &c. 3. Vasorum φλεβώδης διάθεσις; 4. ipsa cerebri substantia mollior flaccidiórque reddita: 5. ut hoc in casu. Tumor durus pondere illos meatus comprimens & angustiores reddens, generationi spirituum, illorumque libero excursui & commeatui obstans, Inter externas causas est cranii celebrique à causis externis compressio.

APPENDIX.

De Fatuitate à vitiosa cerebri conformatione, cujus indicium erat prava suturarum dispositio.

IN fatuo Neopoli in Nosocomio Incurabilium cum M. A. Severino observavimus Suturas Capitis omnes uno quasi clivo exaltatas ac toto sublimiore prominentes: *Bartholinus Histor. xxx. Cent. ii.* In figura deviabant Suturæ capitis Fatui cujusdam, quæ omnes uno quasi clivo exaltatæ eminebant. *Idem Anatomes Reform. libello 4. cap.5.*

SUturarum prava figura vitiosæ cerebri conformationis index erat; de qua *Platerus* Praxeos lib.1. cap.3. sic disserit: Conformatio prava cerebri, ut si nimis magnum aut parvum, vel alias non rectè formatum existat Stultitiam innatam, cum ab insitis causis à semine parentum, qui vel ipsi stulti fuerunt, vel semen ipsorum aliquod vitium contraxit, hoc proveniat, plerumque procreat; faciléque ex eo quod stulti fuerint ab ortu cognoscuntur, & quod caput cerebro informi, magnitudine vel exilitate aut deformatione respondeat: Quod vitium si ad nervos quoque aliasque partes pertingat, non minimum hos interdum vel surdos, vel mutos, vel incurvos, aut strumosos aliove modo vitiatos esse: Quam certè potissimam stultitiæ originalis causam esse, uti hæc ipsorum deformatio interdum apparens, interdum nonnisi sectione post mortem deprehensa ostendit: Thersites, qui minus decentem capitis figuram obtinuit, pravi ingenii & morum fuisse perhibetur.

OBSERVATIO V.

§. Stoliditas à lapide in cerebro reperto; Substantia ejus flaccida; & Cerebri cum cerebello mala cohærentia, Defectu glandulæ Pinealis.

I. Nicolai xiv. annorum adolescens, id ætatis inter rationis stultitiæque confinia traducerat, semper somnolentus, semper capite obtuso, ut si quid ageret quod hominem saperet, potius ex creperæ cujusdam rationis scintillis, quam ex vero ejus usu proficisci videretur. Is cum obiisset in causam constitutionis inquisivi.

Substantia Cerebri omnino erat flaccida: *Pia mater, quod in hydrocephalis* fieri amat, ita laxe cerebro erat circumjecta ut nullo negotio posset ab eo separari; Cerebrum, non ut in hominibus fit, cerebellum magna ex parte obumbrabat, sed ab eo recedens, ut videre est in ovibus, nudū cerebellum primo aspectu oculis subjiciebat; *Glandulæ Pinealis ne vestigium* quidem natura elaboraverat: An forte quia non decreverat homini huic indulgere (quod hic fieri quidam putant) animæ corporisque colloquium? An camphoræ instar aëri expositæ in nihilum redacta? An denique resoluta erat instar salis ab humido? Ratiocinentur alii in quaslibet partes, Ego nihil nisi quod vidi & tetigi, aut alio sensu percepi in medium profero: Inter quæ aqua salsissima, quæ priores duos ventriculos fatui hujus plus media parte repleverat; quorum dexter etiam inclusum servabat calculum colore albicantem, qui Medica statera examinatus grana pendebat tredecim: *Th. Kerckringius Observ. Anatom. 35.*

Glandulæ Pinealis ne vestigium Cartesius, ejusque sequaces, nobilissimum munus huic assignat, Animam quippe vult in hac sola sensibilia externa, & omnes ideas quæ à quinque sensibus proficiscuntur, apprehendere tanquam in centro & discernere, atque deinde ejus ope spiritus ad varios nervos mittere: Vide de hac opinione judicium Clar. *Bartholini* Anat. reform. lib. 3. c. 6.

Observatio VI.

§. *Ossium capitis crassities nimia stoliditatis indicium est & feritatis.*

Si præter modum ossa capitis crassa fuerint, indociles & parum à feris abhorrentes ac obliviosos ostendunt; Talia sunt Indis Hispaniolæ, ut *Oviedus* refert, atque adeo dura, ut consensu inter Hispanos convenerit non esse ferienda capita, tametsi nuda, Indorum, quod ensēs frangerentur: *Cardanus lib.12. de Subtilitate.*

Observatio VII.

§. *Mentis stuporia seroso humore bile perfuso caput replente &c.*

Ill. Virum horripilatio cum lassitudine invadit mane, circa noctem oblivio & desipientia quædam obrepunt; &c. Aperto capite, aqua plurima in toto stagnans reperta &c. *Vide lib. 4. Tit. de Febribus.*

Observatio VIII.

§. *Fatuitas à cerebri siccitate in superficie.*

Mercator in carcerem conjectus totum se melancholiæ immersit: 20. à captivitate mense fatuissimus factus & repuerascens &c. Cerebrum siccissimum inventum, durum, summa parte friabile &c. *Vide Tit. de Catalepsi.*

Observatio IX.

§. 1. *Mentis stupor ob cerebri molem justo minorem, & gyris paucioribus instructam.*

Vir Illustr. parentibus proavisque, aut cerebri aut nervorum dispositioni alias morbidæ obnoxiis oriundus, circa ætatis παρακμὴν stupore affici cœpit: Dum cranio aperto morbi causam perquirimus, primo occurrebat cerebri molem justo minorem & gyris paucioribus instructam fuisse, unde spiritus animales non satis copiose productos suspicati fuimus: *Vide Tit. de Convulsione.*

Etsi mentis stuporis nulla fiat mentio, eam tamen colligere licet ex causis præcedentibus: immediata, paucitate spirituum, Mediata, cerebri mole justo minore & gyris paucioribus instructa: Si spiritus animales, *inquit Sennertus Pract. lib.1. cap.15.* sint pauciores quam par est & deficiant, omnes animales actiones languent, & ex defectu spirituum actiones principis facultatis imminuuntur, abolentur aut depravantur: ut enim dum pondus nimium facultati moventi imbecilli offertur, tremor excitatur: Ita dum objectum sensibile principi facultati debili offertur, Imaginatio & Ratiocinatio, objecto non satis proportionatæ & debiles, vacillant. Homini præ cæteris animalibus ignobilioribus, ob functionum animalium præstantiam & numerum, grande cerebro concessum est. Si inquiritur quid cerebro gyri & convolutiones præstent? Respondet *Willisius* Anatom. cerebri cap. 10. datos esse tum propter uberiorem alimenti spirituosi receptionem, Tum ob commodiorem spirituum animalium in quosdam usus dispensationem ad varios Imaginationis & memoriæ actus, intra certos & distinctos cancellos commotionem, motuumque istorum per eosdem tractus sive orbitas iterationem crebram. Vide plura l. c.

Observatio X.

Fatuitas nativa ob cerebri molem justo minorem & tenuiorem.

Apud *Willis* Anatom. cerebri cap. 3. Figura 4. extat effigies cerebri humani cujusdam adolescentis, ab ipsa nativitate Fatui, & ex eorum numero qui vulgo Lemurum subditi perhibentur: Cujus cerebri moles cum tenuior ac justo minor fuerit, limbus ejus ulterius elevari & reflecti potuit, ut interiora quævis penitius conspicerentur.

OBSERVATIO XI.

§. *Stupor mentis à vitio duræ meningis pustulis obsitæ; Cerebri spiris nigro sanguine refertis, unde compressio anteriorum cerebri ventriculorum, &c.*

JUvenis diu in carcere detentus, languidus decubuit, perpetuo *Stupore* afflictus: Secto capite, pustulæ supra duram meningem apparuerunt; erosa ipsa, & cerebro per foramina eminente pluribus in locis: Omnes ejus spiræ nigro sanguine refertæ erant: In ipsa etiam substantia copiosus latebat, unde inflammatio exorta erat, & hanc ob causam anteriores ventriculi vix in conspectum veniebant: Ejus substantia mollior, sanguine pituitoso affluebat. (*Vide Tit. de Epilepsia.*)

OBSERVATIO XII.

§. *Stoliditas à vesicis corpori calloso incumbentibus.*

SAcerdos quidam stolidus subito factus est, & paulo post apoplecticus: Repertæ vesicæ aliquot rotundæ, albidæ, humore pituitoso repletæ, supra corpus callosum. *Dom. Panarolus Pent.* 1. *Observ.* 17.

S*Vpra corpus callosum*] Quod propter hunc finem conditum est (ex mente *Willisii* Anat. cerebri cap. 10.) ut in eo spiritus undequaque confluentes, velut in propria sua sphæra expandantur & facultatum animalium actus exercere incipiant. Vide plura l. c.

OBSERVATIO XIII.

Mentis stupor à seroso humore caput opplente.

ILl. Vir cum febre oblivione & desipientia prehenditur: Reperta aqua plurima in toto capite stagnans: *Vide Tit. de Febribus lib.* 4.

OBSERVATIO XIV.

§. *Mentis hebetudo ob anteriorem cerebri cavitatem sanguine cum seri copia plenam.*

JUvenis (*de quo Tit. de Paralysi*) post resolutionem unius lateris paulò postea in mentis hebetudinem quandam & torporem incidit &c. Capite aperto, anterior cerebri cavitas sanguine partim ichoroso, partim concreto & grumoso, cum seri copia implebatur.

OBSERVATIO XV.

Mentis stupiditas ab aqua cerebrum inundante.

COloniæ invisi puerum cui caput in incredibilem molem increverat: Cranio mortui dissecto inveni in duobus anterioribus cerebri ventriculis, aquam ad ℔. XVIII. à qua substantia cerebri ita distendebatur ut gyri non conspicerentur: Hic ingenio plane fuit destitutus &c. *Vide Tit. de Hydrocephalo.*

OBSERVATIO XVI.

Mentis & totius corporis torpor & hebetudo à flacciditate cerebri pituita perfusi, Polypo in corde.

MOmma Baxius, homo torpidus ac hebes, occisus repente à morbo attonito, obtulit secanti Chirurgo cerebrum adeo flaccidum, & membranas ipsas tam frequenti pituita perfusas, ut opus fuerit spongia eam detergere: Qua eadem pituita replebantur utique & venæ per cerebrum dispersæ, nec minus sinus falciformis: In ventriculis quoque non tantum plurimum aquæ, sed & spinalem medullam udam. Polypum quoque invenimus in sinistro cordis ventriculo, ex concreta pituita formatum &c. *Vide Tit. de Apoplex.*

Observatio XVII.

Fatuitas à summa siccitate cerebri superficiei. Retis mirabilis depressione.

Civis Leodiensis à melancholia in Furorem transiit; Medicamentorum ope ad mentem rediit, sed post fatuissimus factus & repuerascens. Illi post obitum siccissimum cerebrum, adeoque in summa parte digitis friabile, flavedine citri æmula, undiquaque ad altitudinem digiti tinctum, observatum: Rete mirabile depressum &c. *Vide tit. de Catal.*

A[*Cerebri siccitate*]. Ab ejusdem frigiditate, fatuitatem sed fugacem inductam animadverti Excell. *Bartholinus* histor. 88. cent. 6. In tribus puellis nubilibus, quæ hyeme intensa in rheda circumductæ, domum reversæ, velut extra se raptæ fatuæ videbantur, per 14. dies, quas pelle vervecina calente, nuper à vervece detracta, capiti imposita restituit: Mentis quoque stuporem, à spirituum fixatione observavit. *Idem* in Nauta quodam, cui pedes frigidissimæ aquæ immersi, redeunte ad cerebrum ex calcaneis sanguine alterato, ei id algoris particeps fecerunt, adeo ut vix annunum spatium emendando suffecerit.

Rete mirabile] In proverbio est, quod quando aliquis stultus apparet, dici solet, *Caret rete mirabili.*

Observatio XVIII.

Stupiditas mentis in quodam cui lobus Hepatis, qui pertinet ad diaphragma, niger exterius deprehensus est.

Quidam morosus, stupidus, melancholicus: Lobus ille Hepatis qui pertinet ad diaphragma, erat niger exterius, ad palmæ latitudinem intra parenchyma. *Vide lib. 2. tit. de Voci læsione.*

Observatio XIX.

Fatuitatis inveteratæ nulla in cerebro causa deprehensa.

Nobilis Virgo circa VIII. ætatis annum à vespertilione demorderur: Paulo post stupor mentis accessit: adeo ut domi ad 35. annum conclusa maneret: Aliquot ante obitum mensibus de ventris doloribus conqueritur, qui mentis errori adscribuntur: Tandem morte subita abripitur: Viscera omnia imi & medii ventris corrupta inveniuntur, cum teterrimo fœtore, unde causa mortis evidens fuit: Cum dissectioni præessem caput quoq; aperiri curavi; in quo cerebrum integerrimum, absque omni labe deprehensum est.

Observatio XX.

§. Oblivio excitata à serosa colluvie cerebri anfractus exteriores ejusque poros alluente.

In unaquaque fere Lethargi specie advertitur quasi signa pathognomonica semper adesse, & pari passu succedere Torporem & *Oblivionem*: Morbi hujus insultum graviorem passi, si quando in declinatione ejus vi quadam excitantur, rerum omnium *obliti*, haud propria aut amicorum nomina *recordantur*. Etiam qui pocula hæc lethæa aliquando parcius biberunt, quantum in somnum proclives sunt, tantum etiam in memoria deficiunt, ita ut nuperrime actorum immemores, idem sæpius agendum repetant, & eandem quæstionem multoties propositam proponant: Quoad cæteras facultates, quales sunt Ratio, Phantasia, potentiæ Sensitivæ ac Locomotivæ, earum deliquia aut defectus, juxta somni & memoriæ enormitates proportionantur: Eadem ergo causa quæ soporem Lethargicum, eadem & oblivionis causa est, serosa scilicet colluvies cerebri anfractus exteriores, ejusque poros & meatus corticales subiens, quam sæpe observatione Anatomica sæpe se deprehendisse testatur *Willisius* Tract. de Anima Brutorum. *Vide tit. de Soporosis affect. cap.*

Profecto & somnus & vigilia ac memoria, earundem partium & locorum affectiones sunt: cujus non leve indicium est, quod experientia satis vulgari constat medicamenta opiata, quibus somnus provocatur, crebro exhibita memoriam lædere: Quin & ipse memini quendam ab hypnotico fortiori assumpto, postquam febre laborans plures dies & noctes insomnes degisset, memoriam, quoad longe præterita, fere in totum amisisse: Cum vero somnus excedit, memoria deficit, in quantum scilicet spiritus cerebri exterioris incolæ, aut constricti, aut tractibus suis expulsi, nec è corpore calloso cerebri corticem irradiant, quo fiat imaginario & vigilia: Nec inde introrsum lati, & vestigia priora repetentes, rerum ante actarum ideas, sive imagines repræsentant. *Idem ibidem.*

APPEN-

APPENDIX.

§. *A Lienis constitutione pendet morum diversitas, ut quibus sit coloris rubicundi, iis animi indoles ad hebetudinem, otium & mollitiem inclinet: Quibus coloris lividi, ii solertia, sagacitate &c. præditi sint.*

Doctissimus Velthusius in Liene fermentum, quo sanguinis particulæ segniores ad activitatis statum perducuntur, contineri; uti summe probabile constituit; Quippe animadvertens quod in pueris, aliisque temperamento sanguineo, & habitu corporis obesiori præditis, uti mores & animi indoles ad otium, mollitiem & hebetudinem inclinarent, Ita Lien semper coloris rubicundi & sanguinei, uti hepar, florido repletus fuerit: hinc concludit in his Lienem, uti partes genitales ante pubertatem, aut in elumbis, minus officio fungi: E contra vero quandoquidem in viris circa mediam ætatem, præcipue in istis qui sunt vultus severi & corporis graciliotis, uti solertiæ, sagacitatis, constantiæ ac fortitudinis indicia se produnt, Ita Lien coloris lividi, & sanguine velut cœnoso imbutus reperiatur: Hinc insuper arguit sanguinem in Liene, velut conditorio, diutius asservatum plane in fermentum abire, quo reliqua ejus massa subinde inspirata subtilisetur magis, ac spiritus acutiores in regimine tum animali tum vitali progeniti supponit enim corpora nostra naturaliter humiditate nimia scatere, qua quidem partium & viscerum plerorumque functiones plurimum hebetantur: At vero Lienem massæ sanguinis communicare partes solidas, constantes, firmas nec facile dissipabiles, atque has detergere illam humiditatem, simulque aliquatenus à sanguine & spiritibus illam mollitiem auferre, quæ in tenella ætate præpollet, eo ferme modo quo Boreas, aut ventus orientalis, siccitate & robore suarum partium, aërem ventilans & intime penetrans aëti & corporibus nostris robur inspirat. Vide plura Sectione de Melancholia.

ADDITAMENTA.

Observatio I.

Oves fatuæ cerebro carere deprehensa.

Narravit mihi Lanius se oves aliquando habuisse adeo fatuas (est enim & sua bestiis sapientia, est sua fatuitas) ut neque edendi, neque bibendi sentirent stimulos, sed fame perissent nisi ore ei apetro alimenta ingessisset: Incessit eum cupido examinandi num quæ fatuitatis hujus in capite extarent indicia: Diciso igitur ovis ejusmodi cranio, nihil in eo cerebri, aquâ solummodo tantillum reperisse, idque, curiositate una stimulante alteram, non semel sibi in ovibus oblatum esse ajebat.

Non ad vanitatem fictam fabellam, sed anatomicam historiam narrasse tunc mihi visus fuit, quando esse puerum ex hydrocephalia mortuum accepi; medio circiter & quinque mensibus vixerat: Suturæ capitis magno hiabant spatio, intus autem non cerebrum, sed cerebri loco aquam reperi mucosam: Apud Tulpium per aquæ quinque libras capiti inclusas gestabat, sed oculi aëre penitus directa, visum est perspicue cerebrum non defuisse, sed amissa figura globosa induisse formam convexi fornicis, adeo quamvis stupenda sit hæc historia, non tamen est eadem cum hac ovium & Pueri nostri, ubi nihil cerebri repertum fuit. *Th. Kerkringius Observat. Anat.* 46. Vide Tulpium lib. 1. cap. 24.

Observatio II.

Fatui cerebri ventriculi humore nigro pleni reperti sunt.

D. N. post longum usum aquæ papaveris rhoeadis infatuatus est & tandem obiit; Aperto cranio cerebri ventriculi inventi sunt à me pleni humore nigro, atramenti æmulo summo fœtido. *P. Pachequus obs.* 41. *in Riverii centur.*

ANATOMIÆ PRACTICÆ.

LIBRI PRIMI

SECTIO XI.

DE VERTIGINE.

Observatio I.

Vertigo à seroso humore cerebri anfractus alluente, ejusque ventriculos replente & Arteriis venisque coalitis, cum glandulis plurimis & duris adsitis.

Italus quidam mercator, bene coloratus & bene habitus, in virili ætate sensim cœpit vertigine laborare, quæ ætatis decursu adeo invaluit ut nec ambulare, nec in lecto se erigere quin corrueret, posset: Sic autem otiosus decumbens dies noctesque in lectulo, cibum nihilominus capiens & bibens sanorum instar & dormiens, mire factus est obesus, atque eo modo mulros annos, scabie interim quandoque infestatus, perduravit, tandem verò *Caro* correptus in somnum profundum incidit, quo diebus aliquot elapsis expiravit.

Causam indagaturi, antequam calvariæ scutella detraheretur, à sectione vulnerata illa crassa meninge, aqueus humor copiose per faciem in corporis, quod erectum nonnihil erat, humeros pectusque defluens linteamina admodum madefaciebat. Calvariæ dein pars separata, cum tenaciter duræ matri connata esset, ægre ab ea, & non citra illius dilacerationem avelli potuit. Intrinsecus omnes cerebri anfractus & ventriculi aqua madebant: Vas venosum, omnesque arteriæ induratæ callosæque factæ occalluerant, distinctisque globulis toto ductu undique in capite, ad ipsorum juxta infundibulum insertionem usque protuberabant.

Ex quibus & aquam, longo tempore in capite collectam fluctuantemque & vertiginis & cari subsequentis causam fuisse, uti & arteriarum illam obstructionem vertiginis deprehendimus: *Bauhinus Theat. Anat. cap. ultim. de Similiaribus partibus*: *Platerus obs.l.1. p.101.*

Repletionem cerebri ab humore aqueo, tam seroso quam pituitoso factam, vertiginem causare certum est, Quod ex ipsorum relatione constat, qui de fluctuatione in capite conqueruntur: Et aperta calvaria hanc humoris immensam copiam sæpe invenimus: In eoque cui arterias quoque occalluisse diximus, tantam illius copiam deprehendimus, ut aperto cranio undatim defluxerit: Quæ & una cum arteriarum illa obstructione, geminam causam vertiginis proferens, eam tam diuturnam & incurabilem effecerat. *Idem Praxeos lib.1. cap.7.*

Ut Vertiginis causa morbifica, & fiendi modus p. nat. eruatur, inquirendum quo ritu eadem affectio à rebus non natur. concitari soler, 1°. Quando homines aliquamdiu circumgyrantur, tum in motu isto omnia circumgyrari videntur, tum etiam à circumgyratione cessantibus phantasma illud persistit: Cujus apparitionis causa dependet à fluxili spirituum animalium substantia: Quippe intra cerebrum scatentes non secus habent ac aqua, aut densa vaporum congeries phialæ inclusa, quæ una cum vase continente circumagitur, & facto semel vortice, etiam vase quiescente, motum istum aliquamdiu continuare persistit: Pari modo, cum quis circumgyratur spiritus cerebri incolæ, ab ista capitis, tanquam vasis contineutis, circumductione, in motus tornatiles ac velut spirales aguntur; cumque ideo solito influxu, & directo jubare nervos irradiare nequeant, hinc una cum visibilium rotatione, sæpe scotomia & pedum vacillatio inducuntur: Hemisphærium visibile rotari, videtur, quia spiritus speciem excipientes circulariter moventur: quare si quidem sensibilis receptio, recipitur per modum recipientis, prout spiritus ita objecta in orbem moveri videbuntur. 2. Intuitus ab alto & pontium transitus V. excitant, in quantum ab objectis inassuetis, nec non à corporis situ, aut incessu periculoso, imaginationi terror injicitur: unde ipsa valde sollicita quo pacto spiritus in nervorum organa rite ordinet, ac firmius dirigat, eos in cerebri meditullium revocat, adeoque à solito affluxu & irradiatione pervertit, cumque eorum aciem melius instruere, & certius dirigere satagit, cura nimia in confusionem quandam ac motum irrugulare m adigit: quati ebrii ac audaces, quia de spirituum anima-

animalium aurigatione minime solliciti sunt, nihil quicquam tale patiuntur. Navigatio, aut vectio in curru, Vertiginem infert, quia spiritus valde fluxiles nimis agitati, tanquam aqua in vitro concussa, inordinate huc illuc transiliunt; porro plerique in navi aut curru circumducti, etiam vomitioni fiunt obnoxii, quia spiritus motu nimio & fluctuatione confusa in ἀταξίας rapti, nervorum paris vagi capitella inordinate incurrunt; ideoque spasmos & motus convulsivos in visceribus excitant: 3. Ebrietati vertigo velut pathognomicum accidit, item Nicotianæ fumo, quod scil. liquore aut vapore exhibitis, particulæ quædam efferæ ac indomitæ, sanguinis vel succi nervosi commeatu cerebro inferuntur, quæ spiritibus animalibus, si quidem incongruæ ac improportionatæ sunt, occursantes, eos huc illuc, à solitis itum & reditum tractibus abigunt, adeoque in vertices ac gyros agunt.

Hæ sunt præcipue causæ evidentes solitariæ quæ Vertiginem in hominibus quibusvis excitare valent, cujusmodi effectuum occasiones istæ producunt, in quantum spiritus animales extra statas series, & ordines suos perturbari, rum intra cerebri meatus huc illuc fluctuatim & inordinate moventur, tum solitæ irradiationis suæ in nervorum genus quædam quasi fila interrumpunt: Enimvero, hæc duo fere semper reciproca se mutuo excipiunt, & ab invicem dependent, Nempe Spirituum intra cerebri meditullium perturbatio, Eorumque effluxus in nervosum genus impeditus, quacunque de causa alteruter affectus infertur, mox alter subsequitur: Corporis circumgyratio, Vectio in curru aut navi, ebrietas, inassuetus Nicotianæ fumus, spiritus in cerebro inordinate titubare faciunt, qui proinde statim à debito in nervos affluxu inhibentur, ut affecti vix stare aut progredi valeant: Pariter è contra, Intuitus ab alto, pontium transitus, languor aut syncope ingruens, spiritus à solita in nervosum genus emanatione revocant, qui proinde intra cerebrum tumultuantes, aut inordinatius commoti, Scotomiam aut objectorum circumrotationem inducunt:

Inquirendum, his præmissis, quot modis à causa intrinseca & præternaturali Vertigo induci solet; Super his annotetur Vertiginem quandoque symptoma esse, ab affectu quodam alio modo intra cerebrum, modo extra ipsum consisto dependens; Interdum vero hunc per se morbum esse, qui intra cerebri meditullium excitatus, molestus admodum & terribilis, sæpe etiam curatu difficilis existit: Quo ad prius, plerique morbi cephalici, dolor acutus, lethargus, epilepsia, carus, apoplexia &c. Vertiginem sæpe adjunctam habent, in quantum scil. æquabilis spirituum expansio, eorumque exinde in genus nervosum irradiatio, à variis ejusmodi causis morbificis facile interturbantur: Cæterum hoc symptoma interdum ob affectus alios, longe extra cerebrum consitos produci solet, idque duobus potissimum modis, Nam 1°. usitatum est Scotomiam oriri propter sanguinis affluxum à cerebro derepente avocatum, uti in syncope ejusque approximatione: magna inedia, improbo labore, hæmorrhagia immensa, longis jejuniis, violentis tristitiæ aut metus passionibus &c. si quando sanguini motus in corde deficit aut vacillat, ita ut affecti in lepothymiam proclives sint, statim quia liquoris vitalis tributum subducitur, etiam spiritus animales in cerebro deficientes irradiationem in nervosum genus suam subtrahunt: quippe cum eorum scaturigo præscinditur, qui superstites sunt, ab emanatione sua resilientes, confuse in cerebro oberrant, & affectus vertiginosos & non raro deliros cient.

Secundo spirituum animalium à viscere quodam, aut membro externo, inordinatus in cerebrum recursus, non raro vertiginem infert, in quantum scil. spiritus à parte affecta, longa per nervorum ductus seriem perturbati, demum alios cerebri meditullium incolentes perturbant, inque pares ἀταξίας adigunt, propter hanc causam est quod humores acres ventriculi fibras vellicantes, quod materies sæpe infesta & irritativa in Liene, Pancreate aut Intestinis commota, leves in cerebro scotomias parit: Novi à dolore acuto, ulcere & sphacelo in pede aut brachio consitis, spirituum in cerebro quasi ritubationes, & vacillationes crebras & leves inductas fuisse:

Dum concepta spirituum inordinatio à loco affecto per nervos in cerebrum transfertur, formicatio, seu velut auræ frigidæ ascensus persentiri videtur: quare hujus affectus causa vaporibus inde ad caput elevatis vulgo adscribitur, quem errorem alibi satis refutavimus: Porro quod mulris cum jejunaverint, aut prandii horam diutius protelarint, oculi obfuscari & caput rotari solent, & deinde mox a levi comestione nebulæ istæ evanescant, id non (uti populi vox est) ita contingit in quantum à stomacho vacuo flatus & vapores ad caput ascendunt, quos alimenta ingesta mox supprimunt, sed quoniam ventriculi fibræ & filamenta nervosa succo nutritio quo irragari amant, destituta corrugari & spasmos leviores inire solent, cujusmodi spasmi & spirituum inordinationes, siquidem per ductus nervosos in cerebrum continuantur, affectionem vertiginosam producunt, quæ quam primum stomachi fibræ corrugationes suas remittunt, sponte cessat: Ob hanc rationem novi quosdam à vomitorio exhibito, & ventriculi tunicas lacessente, vertigine immani correptos: quinimo à cibis dyspeptis, aut cerebro ingratis affectum illum nonnunquam oriri suspicor.

Attamen vertigo non tantum symptoma, sed interdum primario & per se morbus est, cujus naturam ut penitius indagemus, inquirere oportet in subjectum ejus, rationem formalem & causas:

Vertiginis subjectum immediatum procul dubio sunt spiritus vitales, quos unusquisque hoc affectu laborans valde perturbatos, susque deque oberrare persentit: Subjectum vero mediatum illæ cerebri partes sunt in quibus imaginatio & sensus communis resident & inde in genus nervosum proxima via ducit: hæc sunt autem corpora Callosa & striata: Enimvero spiritus animales intra hæc loca medullosa quasi in campum amplissimum quaquaversus expandi & exspatiari amant; quare sicut lucis radii medullarum omnes poros & meatus densissimos, jubare pleno & irretorto trajiciunt: hinc dum una serie è corporis callosi oris extimis (nempe è corporibus striatis & cerebri gyris) versus meditullium ejus blande scaturiunt, imaginationes & phantasias jucundas repræsentant; dumque alia serie & forsan per alios meatus illi è corporis callosi medirullio in cerebri gyros emanant, notionum tesseras pro *memoria* illuc transferunt, atque dum exinde in corpora striata

&

& nervorum origines tendunt, partes omnes motrices, actuant, & iis quoties occasio fuerit, motuum inenndorum instinctus deferunt: In vertigine autem æquabiles istæ spirituum, velut radiorum lucis emanationes, variis in locis intercipi & diversimode perverti videntur: quippe spirituum manipuli quidam obscurantur; alii alio inflectuntur, huc illuc in gyros & vortices aguntur, & non raro in transversum rapiuntur: Quapropter in cerebro, ob spiritus ita perturbatos, phantasmata confusa, sensibilium species vagæ & inconstantes, aut circumactiones repræsentantur: dein quatenus irradiatio in nervosum genus minuitur aut inhibetur, scotomia & functionis motivæ deliquia ac vacillationes sequuntur: Quod si adhuc amplius inquiratur à quo impellente, aut vias obstruente, spiritus ita intra cerebrum aut deviare, aut tumultuari cogantur? Probabile videtur tales eorum inordinationes à duplici causa pendere; scil. 1. quod particulæ quædam efferæ & extraneæ, cerebrum una cum succo nerveo altius ingressæ, spiritibus adhærent; eosque in motus enormes agunt: hoc autem à vini aut aquarum ardentium potu immodico, nicotianæ fumo insolito, vegetabilium quorundam esu, ab inunctione mercuriali quibusvis accidere cum experientia vulgati constet, in quantum scil. corpuscula quædam heterogenea, & spiritibus infesta, eos usque in cerebri meditullium assequuntur & corripiunt, quidni è sanguine aliisque humoribus plurimum vitiatis, ejusmodi particulæ morbificæ & vertiginosæ suggeri, inque cerebri conclave penitius insinuari possunt? dein 2. suspicari licet quandoque illuviem serosam una cum succo nerveo sensim irrepere, & cum altius demum penetraverit, purissimas has medullas contaminare, ejusque poros valde infarcire, proinde ut spiritus animales non luce clara & plena, sed debili, & multis quasi umbellulis interspersis fracta irradient. In vertigine habituali ac inveterata, causam conjunctam utraque hæc complecti, indicio non levi à juvantibus & lædentibus desumpto constare videtur, nam in plurimis observavi affectionem istam ob duo ἀειρόδιων genera in pejus aut melius alteratam fuisse, nam quæcunque intus sumpta particulas turgidas, & plus nimis efferri & effervescere aptas progignunt, uti vina, aquæ ardentes, alimenta piperata & flatulenta vertiginosos fere afficiunt: nec minus nocumenti propter occasiones quibus cerebrum impletur & plus infarcitur, uti sunt crapula, somni meridiani aut matutini protractiores, ventus austrinus, aer humidus, nebulosus & crassus, habitatio humilis & paludosa, percipiunt: E contra autem idem à victu tenui & leviori, etiam à cœlo sudo, atque solo aperto & perflato ut plurimum adjuvantur: Hæc de Vertiginis Subjecto, Ratione formali & causa Conjuncta, jam in causam Procatarcticam inquiramus, Ob quem scil. apparatum, sive prædispositionem morbidam gemina hæc spiritibus cerebri meditullium incolentibus labes inferri solet: Hic autem in culpa deprehendemus esse tum cerebrum ipsum, cum Liquore irriguo; Tum sanguinem cum humoribus inquilinis: Hujus sæpissime vitium est quod à recta crasi in temperiem acrem, acidam aut alias vitiosam degener succum nutritium pervertat, ac insuper in sinu suo serum & fæculentias varii generis congerat, quas præsto est in caput suffundere: Plures autem sunt causæ evidentes, scil. mala victus ratio & errata in non naturalibus; item scorbutus, febris diuturna aut maligna, aliique morbi prægressi, propter quas sanguis adeo cacochymicus & ἐγκεφάλῳ noxius evadit; Interea cerebri crimen est, quod temperies ejus humida & debilis, compages laxa & minus firma, cum poris debito apertioribus & nimis dehiscentibus existunt, proinde ut particulæ quævis heterogeneæ & elasticæ, simulque recrementa serosa, aut alias morbida, è sanguine in caput suffuso, in cerebrum una cum succo nerveo facile admittantur, & propter meatus ejus magis patentes usque in meditullia, scilicet corpora callosa & striata, sine obice decumbant: Hujusmodi cerebri nimis laxi & dissoluti habitudo, quibusdam innata & originalis existit: Porro qui teneræ sunt constitutionis, scil. viri ac fœminæ, delicati, pathici & molles, quorum spiritus nihil fortius sufferre valent, diathesin vertiginosam facile contrahunt, seu potius succrescentem habent: quatenus nimirum cerebri spiritus, cum alienis incursibus resistere nequeant, materiæ cuivis appellenti aditum præbent: Cæterum aliis licet robustis, victus inordinatus, vita sedentaria, frequens crapula, item somni ac studia intempestiva: insuper scorbutus, inveterata cachexia, febres diuturnæ, & morbi alii cephalici pravam hujusmodi cerebri dispositionem non raro accersunt, Quoad morbi hujus sedem, notandum, illam modo interius, ac, uti videtur, in corpore calloso contingere, fere tantum in sincipite spirituum tumultus & vacillationes, atque notionum & sensionum actus vagos, inconstantes & sæpe confusos habere; quandoque autem materiem morbificam posterius circa corpora striata decumbentem, scotomiam, functionisque motivæ deliquia ciere, ut sæpe oculi obscurentur & gressus vacillent. *Th. Willis Tract. de Anima Brutorum parte 2. cap. 7.*

OBSERVATIO II.

§. Vertigo à sero caput replente ob suppressam urinam.

JOh. Baptistæ d'Ornano Polemarcho, cum per dies undecim *suppressa esset urina*, In aperto cadavere inventum caput aqua plenum, causa vertiginis: Ren unus maliccnus: Inter alterum & ureteres, durities inventa quæ aquæ fluxum impediverat. *Scipio du Pleix in historia Gallica.*

Observatio III.

Vertigo ob ventriculum cerebri sinistrum compressum; dextrum aqua limpida distentum &c.

Miles acinace sauciatus in posteriore capitis parte &c. (*vide historiam tit. de Paralysi*) ventriculum cerebri sinistrum aliquantulum compressum: dextrum verò minime depressum, sed aqua limpida distentum ostendit: In sinistro plexus choroides pallidus, in dextro rubicundissimus apparuit: Ex dictis causam Vertiginis &c. habemus. *I. Scultetus Armam. Chirurg. Observ.* 19.

Observatio IV.

Vertigo ab aqua limpida in ventriculis cerebri & substantia.

Puella cum febre vertigine fuit affecta. Cerebri substantia prorsus erat madida, aqua irrigata; ventriculi omnes eadem impleti: vasa meningum sanguine turgida: *Vide lib.4. Tit. de Febribus.*

Observatio V.

§. *Vertigo à vermibus in cerebro.*

Anno 1571. grassatus est morbus epidemicus, paulatim vertigine affligens, 2.3. aut 4. à decubitu die jugulans: Aperto cerebro repertus est (in quodam) lumbricus rubeus, indice digito longior &c. *Vide Tit. de cap. dolore. Observ.* 116.

Observatio VI.

§. *Vertigo ab abscessu saniem effundente in cerebri substantiam.*

Rusticus aliquot vulnera in occipite & vertice accepit, quæ ad cicatricem fere perducta: 9. à vulnere die febris & scotomia supervenit &c. Sanies inventa est putulenta in ipsa cerebri substantia: In dextra occipitis parte pellicula instar abscessus contenta &c. *Vide lib.4. Tit. de Vulneribus.*

Observatio VII.

§. *Vertigo à sanie & muco in sinistro cerebri ventriculo &c.*

Juveni melancholia affecto, post incubo, &c. accessit vertigo epilepsiæ finitima &c. Cranio dissecto prodiit cerebrum qua venulas nigricans & lividum, cui in superficie inerrabat materia, pauca saniosa; in sinistro sinu copiosa sanies cum muco ac materia putrescente &c. *Vide Tit. de Convulsione.*

Observatio VIII.

§. 1. *Vertigo ab abscessu in cerebro aqua limpida repleto.*

Anno 1634. narravit mihi Nicol. Reutten Chirurgus de suis oviculis, quarum una laboravit Vertigine, Ex relatione pecoris magistri, hoc malum pulchrioribus fere esse commune, ipsasque, toto cerebro in aquam converso, randem subita morte perire: Dictus igitur Chirurgus oviculam vertigine & longa circumgyratione debilitatem mactari jussit: mactatæ caput aperui: detectis meningibus cerebri substantiam, ejusque anteriores ventriculos perlustrans, ne guttulam aquæ reperi: hic 3. & 4. inspexi, in quibus pariter nullum aquæ vestigium invenire licuit, sed tertius concreto sanguine repletus comparuit: postea olfactus organa manubrio scalpelli anatomici osseo elevavi, & in sinistro latere, inter cerebrum nempe & piam matrem, inveni abscessum instar vesicæ piscium, aqua limpidissima repletum, propeque oculum sinistrum substantiam cerebri subnigram: Ego miratus fui, cum in hoc malo ipsissimum cerebrum afficeretur, cur ovicula non potius convulsionibus aut paralysi, quam vertigine laboraret.

§. 2. Anno 1645. una ex meis oviculis simili vertigine interiit: quare secui caput, & ablato cranio, substantiam cerebri cum omnibus integumentis examinavi, statimque in sinistro occipitis quasi latere, sub dura matre folliculum, instar piscium vesicæ, crassum, aquaque & vermiculis, quales in caseis generantur, repletum, incipiebat enim ad fundum putrescere:

Hic autem tumor tunicatus, magnitudine ovum gallinæ superans, in cerebri substantiam ita se insinuavit, ut tertium ejus ventriculum nonnihil comprimeret: hæc ovicula, opilione teste, tota sui interitus die in dextram sese partem circumgyravit.

§. 3. Quod accidit superioribus oviculis, illud etiam hominibus evenire potest: observavi namque similem affectum in Maria N. quæ post contusionem syncipitis à me curatam, per integrum annum de sola vertigine gravissimas querelas habuit, remediisque frustra usurpatis *Apoplexia* fortissima subito obiit.

Aperta calvaria, inspectoque cerebro, in sinistro latere tumorem, quoad folliculum & materiam contentam, superiorum duorum postremo non absimilem, qui magnitudinem ovi gallinæ mediocris adæquans tertium cerebri ventriculum ex parte compressit.

Quærentibus quænam hujus tumoris tunicati causa extiterit; Respondi, nec forsan adeo male, quod cerebrum ea parte vehementer percussum, debilitatem quandam contraxerit, ob quam affluens alimentum non in cerebri, sed in descripti tumoris substantiam fuit conversum, *I. Scultetus Chirurg. Armamentar. Observ.* 10. & 11.

Observatio IX.

Vertigo à vesiculis aqueo humore refertis, in cerebri ventriculis.

Vertiginum gravissimarum causam nonnunquam esse vesiculas, aqueo & seroso humore plenas, in tertio ventriculo conspicabiles, plus vice simplici in ovibus, & semel in homine animadverti. *Rolfinkius Dissert. Anatom. lib.*1. *cap.*13.

Anno 1650. cum juvenca in pascuis crebrius vertigine corriperetur, mactata fuit: capite aperto, ac cerebro denudato, sinistrum latus sub sincipite tumidius & mollius reperii, quod cum durius attrectassem, prosiliit aqua limpidissima, faciemque mihi conspurcavit, tumor subsidit: divulso cerebro ad corpus usque callosum, ventriculum sinistrum aperui, *inveni vesicam tenerrimam* totam ejus anteriorem partem occupantem, quam citra ulteriorem lacerationem integram extraxi, superantem ovum gallinaceum magnitudine: In ventriculo, tam verticem versus superius, & infra, asperitas leviuscula, ubi vesica annata erat, apparuit, ac si seminibus papaveris albi aspersa fuisset: ventriculus iste sinister duplo major erat dextro in anteriore parte: superior ejus pars & lateralis tempora versus, propter extensionem, tenuis & vix cultelli dorsum crassitie æquavit: cætera sana erant.

Retulit mihi N. frequentem esse morbum bonum apud Subsylvanos in Helvetia, se Vertigine prodentem; ac bubulcos esse qui ipsi medeantur hac ratione, primum malleolo cranium post cornua pulsant, ubi ex sono aliud vacuum spatium, ac ordinarie sunt in craniis bubulis, percipiunt: statim in pulsato loco perterebrant, ac foramini pennam indunt, & attracto spiritu vesicas hujusmodi extrahunt; Si in superficie existat, prompte suctioni cedit: Si autem profundior & cerebro immersa sit, successu eos frustrari dixit, ac proinde semper lanius huic operæ adstat, ut si de animalis valetudine desperetur, ipse curationis telam absolvat. Exempla curatorum se vidisse adseverat. *VVepferus de Apopl. p.*69.

[*Inveni vesicam tenerrimam*] Hæ in brutis inventæ vesicæ, ex membrana ventriculos succingente enatæ, instar hydatidum aliarum partium, argumento mihi sunt non adeo tenuem esse ut vulgo creditur, vel tam porosam & spongiosam esse ut Clariss. Riolanus existimat; alias vel millies à tanta aquæ copia ruptæ fuissent, nec unquam ad hanc molem crevissent. *Idem ibidem.*

Observatio X.

§. 1. Vertigo ab Abscessu, magnus juxta cerebri dextrum ventriculum cum Hydatibus, &c.

Ursula Aberlin (*vide histor. Tit. de Paralysi*) ex pondere gravi capite gestato, sensit manifeste aliquid intra cranium ruptum fuisse: Hinc de Vertigine querebatur, ob quam pronam se casuram verebatur, hujusque sedem dextram potius partem dicebat, cum cerebrum præcipue turbari ibidem distincte sentiret, &c.

Olla calvariæ ablata, divisa dura meninge, copiosum serum effluxit: Cerebri portione ad ventriculum dextrum usque ablata, protinus ex illa exiit aqua turdida: Dilatato amplius hoc ventriculo, occurrit abscessus ovi gallinacei magnitudine, peculiari tunica, crassitie pennæ columbinæ vestitus, cujus oppositum latus versus tempus dextrum exporrigebatur: Inciso hoc folliculo aqua turbida subfusca effluxit &c. *I. Iac. VVepf. Diss. de Apop. p.*398.

§. 2. Hydatides majores intra ventriculos Jumentorum Vertiginis causa vulgo creduntur, atque hujus causa ad eximendos folliculos aqua plenos trepano cranium perforatur, & vesiculæ sectione per pennam facta proliciuntur, ut supra, Obs.9. memini: Id à rustico Berovienſi, hujus

hujus artis perito, Gurtvvilæ 1664. præstitum, atque aliquot hydatides extractas fuisse vidi: Verum cum pluribus hydatidibus, quarum quædam nuce moschata non minores erant, eductis vertigo non cessaret, Jumentum necessario protinus mactandum judicavit, quod plures in profundioribus cerebri partibus laterent eæque lethiferæ: In mactati animalis ventriculis cerebri, præcipue sinistro, & pariete intergerino, cerebrum à cerebello distinguente, ubi cerebrum respicit, plurimas inveni, plerasque instar ovorum serpentinorum, aut lacertarum cohærentes, & tum internæ ventriculorum membranæ medullam operienti, tum parieti dicto accretas.

§. 3. Amicus quidam meus vidit in prædio suo vitulum anniculum inter armenta sua, ob Vertiginem semper ad latus inclinare ab aliquot septimanis: noluit illum veterinarii dubio experimento exponere, sed protinus mactandum curavit, & capite integro me donavit: Ablata olla & dura meninge, cerebri pars anterior quasi fumo denigrata apparuit, quamvis nunquam in fumoso stabulo commoratus fuisset: Detracta tenui meninge, cerebri superficies sanorum instar albebat: In dextro ventriculo nihil p.n. nisi hydatis in plexu choroideo, ubi ejus ala cum sinistra jungitur, prope glandulam pinealem, apparuit: Aperto sinistro ventriculo, mox grumus sanguinis, longior & major ovo gallinaceo secundum longitudinem dimidiato, durus, tenax & granulis minutis, rotundis, albicantibus, seminis papav. albi aliquomodo similibus conspersus occurrit: Ventriculus ad methodum Excell. D. *Sylvii* undique dilatatus triplo amplior, ejusque tabulatum superius tenue, verum multo tenuior & quasi membranea erat pars ejus posterior cranio incumbens, ibidemque superficies interna sordido vulneri similis, inæqualis & viridis apparuit: detersis blande sordibus, secedebant corpuscula lentis magnitudine; viridia, caseo Glaronensi colore & consistentia similia: Plexus choroidei ala sinistra amplior, crassior & densior erat naturali, aliquot centenis granulis, magnitudine seminis papaveris albi conspersa, ea serie composita qua semina bombycum aut aranearum conspiciuntur: In nullo ventriculorum lympha aut serum redundavit: Processus mammillares ambo cavi erant & sinistro dexter amplior, aqua limpidissima plenus: Grumum sanguinis non demum post mortem concretum existimo, nam citra percussionem capitis necabatur: Sinister ventriculus ita distentus erat, ut foris anfractus obliterati essent: grumus compactior erat quam ut talem firmitatem statim à mactatione nancisci potuisset, ut taceam granula quibus aspersus erat: Granula ista, quæ ad manus, exsiccata, subflava sunt & pellucida instar succini.

Postquam Cephalalgia (*Ursulæ*) sævior recruduit, accessit ei vertigo, qua sibi prone cadendum verebatur, cujusmodi casus periculum auxit brachii sinistri pondus ab oedemate: Hujus vertiginis sedem ipsamet dextram partem esse definierat, quia manifestè hanc turbari senserat: Proculdubio tumores duo insignes in ventriculo dextro, causa Vertiginis mense Augusto evaserunt, qui ante insultum Hemiplecticum, & postea demum aliquot elapsis mensibus hanc nondum excitarunt, quia minores adhuc erant, & spirituum animalium cursum, nondum comprimendo medullosam substantiam turbarunt, donec ab errores in victu majorem molem acquisivissent: Plexui choroideo, utrinque glandulis albentibus & pellucidis referto, nullam vertiginis culpam tribuere possum, cum ab illo nihil ad cerebrum deferatur, verum sanguis à cerebro refluus per illum ad sinum quartum & torcular deducatur: Nisi quispiam velit ob glandulas lympha turgidas sanguinis cursum retardatum aliquomodo fuisse: Serum intra meninges, anfractus & ventriculos stagnans forte quoque non in censum causæ Vertiginis veniat, quia copiosus apud *Iac. Spœrlin* nullum attulit. *Idem ibidem.*

Observatio XI.

Vertigo excitata à repletione cerebri ab humore aqueo, tum seroso tum pituitoso.

Repletionem cerebri ab humore aqueo, tam seroso quam pituitoso factam, Vertiginem illam causare quæ Apoplexiam & Carum præcedere aut minari solet, certum est; Quæ frequens & diuturna, & nisi præcaveatur, in hosce morbos terminari cum vitæ summo discrimine solet: Verum hoc refrigerando & humectando cerebrum non facit, cum agitatio hæc spirituum quæ in Vertigine fit, sic potius impediretur quam promoveretur: Sed fit hoc cum cerebri anfractus spatiaque adimplens, maxima copia calvariam replendo, & flatuum simul copiam generando (qui ex aqueis humoribus sæpius quam vapores generantur) in ea fluctuat: Tunc enim sicuti in cordis involucro aqua redundans, cum agitatur, palpitationem cordis facit, ita & hic cerebrum undique opplens, cum caput movetur, agitatus humor & capitis motum sequutus, talem sensum capiti præbet: Quod ex ipsorum relatione qui de tali fluctuatione conqueruntur, satis patet: *Et aperta calvaria hanc humoris immensam copiam* sæpenumero invenimus, sicuti in apoplexia dictum. *Platerus Praxeos Tomo 1. p. m. 183.*

OBSERVATIO XII.

§. *Vertigo à plenitudine vasorum meningum, cerebro suffuso sero, aqua limpida in ventriculis.*

PUella febre laboravit absque calore aut siti intensis, vertigo fere continua molestabat &c. Mortuæ calvariâ amorâ, vasa meninges perreptantia sanguine turgida conspiciebantur, quasi tota cruoris massa in capite aggeretetur: Cerebri substantia humore aquoso supra modum irrigata videbatur, ventriculi omnes aqua limpida repleti: *Vide lib. 4. tit. de Febribus. Ex VVillis.*

VAsa meninges perreptantia] Impedita hinc circulatione sanguinis: Sanguis autem vertiginem inducit, aut quia fervidior in osculis τῶν ἀγγείων dum restagnat, hinc inordinatus spirituum concitatur motus: Aut quia dum impurus & cacochymicus ad cerebrum per arterias transfertur majores à corde propagatas, hinc in minores, fæces suas non deponit in membranas narium aut faucium, sed impurus ingreditur angustissimos cerebri ductus ac ipsam medullam, sic turbat spirituum animalium motum, Aut quia recto tramite non decurrit ad cerebrum, sed ob impedimentum & angustiam vasorum, cæspitat in via, inordinatumque spirituum motum inducit. *Rolfinkius lib. 2. consf. 5.*

OBSERVATIO XIII.

§. *Vertigo à Sphacelo cerebri in Bove genita.*

VErmes capita brutorum infestare creduntur, cum præter consuetudinem delirare solent. Tales subinde in cerebro Equorum visi: De quibus observat *Laurentius Rusius* Equum semel vermibus infestarum nunquam inposterum ex solito agilem, tametsi integra valetudine appateat: In Bove Jani Johannis, Cauponarii Hagestedani, aliter observatum, in quo Vertigine laborante, cùm mactaretur, Universa cerebri compages nigricans visa instar artamenti, & sicur aqua diffluens, præsertim sinistra parte, ad quam plerumque vivus caput flectebat; Humidæ æstatis vitio id contraxisse existimandum; *Hipp.* oraculo Coaca 187. Sideratos septem dies evadentes perire scimus si os disparatum apparuerit. *Bartholinus Actor. med. anni* 1671, *Observ.* 33.

OBSERVATIO XIV.

§. *Vertigo vitio ventriculi, nigro succo ex dimidio pleni &c. excitata.*

ADolescens (*de quo lib. 3. Tit. de dolore ventriculi*) crapulæ indulgens, cœpit vertigine laborare &c. In aperto cadavere inventum Epiploon putrefactum, Hepar siccius, ventriculus interior ad finem quasi contusus, nigro succo ex dimidio plenus. *Hollerius lib. proprio Observat.* 21.

INde Vomitoria in vertigine sæpius prodesse constat; cumque vertiginosi non raro sponte vomant, hinc opinio inolevit morbi causam fere semper in ventriculo latere, quod secùs habere ostensum: Emetica autem juvant, quia maxima humorum à cerebro fit revulsio, & spiritus in eo tumultuantes quamprimum coercentur: Quando ventriculi & viscerum juxta consitorum membranæ & fibræ vellicantur, in eas partes varii humores, scilicet nerveus, serosus, lymphicus, pancreaticus & biliosus attrahuntur, adeoque emulgentur, ut ἐγκέφαλος eorum affluxibus immunis perstet, quin & plurimos jamjam ipsi impactos facile excutiat: Dein quoad spiritus animales, alibi ostendimus inter eos stomachi, aliosque cerebri incolas maxima semper commercia intercedere; proinde ut ventriculi ab assumptis affectio grata vel ingrata, spirituum in cerebro degentium ovationes aut dejectiones inferat: opiatæ dum adhuc in cerebro commorantur Soporem accersunt: Pariter in vertigine, aliisque morbis cephalicis, quo spiritus cerebri susque deque aberrantes, & enormiter agitati reprimantur, ac in ordines redeant, non parum conducet si consocii ipsorum, sive affines, intra ventriculum, à pharmaco irritante, consternantur, quippe dum in horum subsidia plurimi à cerebro evocant, alii superstites inordinationes suas remittentes, unà priſtina resument: Hinc certe est quod Emetica in affectibus maniacis opem sæpe egregiam conferunt, usque adeo ut Empirici quidam iis fere solis utantur. *Willis l. c. p.* 390.

APPENDIX I.

De Vertigine gravissima, memoria jacturam sibi adsciscente, delirium & paralysin feliciter curata.

GEnerosus quidam 66. annos natus, cum à longo rempore vertigine leviori, & fere tantum occasionaliter excitari solita, obnoxius degisset, circa finem novissimi Autumni affectu

affectu illo gravius laborans etiam obliviosus fiebat. Hunc, postquam per tres circiter hebdomadas ægrotasset, invisens, vultu & aspectu, utriusque vigore diminuto, valde immutatum reperi; Huic, cum quotidie ad vesperam febricula, cum pulsu alto & vehementius vibrante afficeretur, sanguinem imprimis è brachio & post 6. vel 7. dies è podice detrahendum præcepi: Insuper vesicatoria statim cervici, & subinde pone aures, etiam cauteria pro duabus amplis fontanellis inter homoplatas excitandis applicanda curavi: intus remedia cephalica cujusque fere generis horis medicinalibus quotidie sumebat: Intra mensis spatium recuperati visus, foras deambulare & res domesticas curare cœpit: Ineunte vero hyeme à frigore, dum quotidie foras prodiret, contractos, in febriculam cum majori spirituum intra ἐγκέφαλον perturbatione incidit; nam vesperi quotidie delirus, quod ageret aut diceret parum conscivit; verumtamen intra 7. aut 8. dies, febre post sanguinis missionem & victum tenuem evanescente, cerebri affectio à pristino statu immutabatur: nam vertigine prorsus cessante, obliviosus valde, simulque in toto latere dextro paralyticus evadit: De capite sæpius interrogatus, num clarum illud, scotomia & phantasmatis confusis immune esset? respondit quoad ista nunquam melius fuisse, nam bene intellexit infirmitatem suam, amicos &c. salutatum venientes cognovit, vix ullorum vero nomina recordari potuit: cumque de rebus quibusvis colloquia iniret, verba deerant quibus animi sui sensa exprimeret: dein quoad latus affectum, in brachio & crure dextro, non modo resolutio talis & ἀκινησία, verum in utroque insuper tumor œdematosus ingens accreverat, in tantum ut non modo curationis, sed & vitæ diu prorogandæ spes fere omnis deponeretur, imo magistratus officium jamjam alii efflagitabant: Utcunque ab opera therapeutica non desistebam: Ægro sedulo ministrans, pilulas solutivas ex intervallis sumendas, atque aliis diebus remedia cephalica, antiscorbutica, antiparalytica, horis medicinalibus capienda dabam: Capiti rosoemplastruum è gummi & balsamis imponendum; partes resolutas oleis & balsamis illinendas & fortiter perfricandas præcipimus: Dum hæc aguntur, cum aliquali quoad majorem intellectus claritatem successu, nescio qua de causa media hyeme in febrem incidit, adeo ut singulis noctibus cum calore & siti ingenti, somnoque interrupto valde æstuaret: lingua torrefecta & scabra pulsus altus, urina rubicunda & contentis saturata erat: phlebotomia abstinuimus ob senium & paralysin, & præcipue ob hydropem in latere affecto inchoatum: attamen victu tenui è jusculis hordeaceis & avenaceis imperato, julapia, apozemata, aliaque remedia sudores & urinas moventia de die in diem adhibeo, cumque hoc tempore fontanellæ juxta homoplatas excitatæ copiose fluerent, æger quoad memoriam & paralysin melius habere cœpit, & deinceps ab utrisque his affectibus, simulque à febre sensim convalescens, & quotidie proficiens, intra sesqui mensem integræ sanitati restituitur, & etiamnum sanus vivit.

IN hoc ægrotante materiæ morbificæ motus & varia metastasis notabilis fuit, nam quæ primo cerebri meditullio, scil. corpori calloso, insidens vertiginem immanem excitabat, eadem postea adaucta, ac (uti probabile est) ulterius in cerebri anfractus diffusa, priori affectui obliviohem superinduxit; dein quatenus materies eadem à febri commota & paulum discussa, partim in corpus unum striatum decidens, hemiplegiam intulit: partimque in cerebri ambitum expulsa memoriam pene sustulit, corpore calloso interea sudum obtinente: denique non sine alterius febris adminiculo fuit, quod materies morbifica ab utrisque his ultimis focis discussa penitus eliminaretur, Ægro ad salutem restituto. *Th. Willis ibid.*

APPENDIX II.

Vertigo aquæ limpidæ per nares stillatione desinens.

NOvi aliquos Scotomiæ & affectibus vertiginosis valde obnoxios, quibus sub finem paroxysmi aquæ limpidæ ingens copia extillarit, cujusmodi evacuatione, velut critica, paroxysmus terminari solebat.

Novi fœminam illustrem cephalea immani, nec non Vertigine infestari solitam, quæ cum à gravi paroxysmo melius habere cœpisset, primo in cerebri fastigio motum formicantem, velut aquæ irrepentis sentiebat: Dein motu isto paulatim anterius & deorsum progrediente, demum aquæ limpidæ plures guttæ è naribus exstillabant: hoc symptoma illi passim obtingere solebat, ut minime dubitaret ægra quin lympha ista ab ipso cerebro exstillaverit.

Hæc ratio suadere videtur cerebri ventriculos, sive cavitatem à limbi ejus complicatura factam, esse meram humoris excrementitii cloacam; quòdque humores illic congesti per nares & palatum expurgentur. *Willis Anatomes cerebri cap. 12.*

APPENDIX III.

De Vertigine emetico curata.

THeologus sexagenarius, postquam per tres circiter menses vertigine leviori, sive spirituum in sincipite crebra velut coruscatione laborasset, randem morbo ingravescente σκοτοδινίᾳ insuper ac caducus evasit, in tantum ut inter deambulandum quandoque pronus in humum corrueret. Ad curationem vocatus, phleborhomiam cum catharsi leni ex intervallis repetendas præscripsi; insuper electuaria & mixturas sedulò exhibui, vesicatoriis itémque aliis administrationibus minimè neglectis. Post duas septimanas nullo ex his levamine insequuto, Vomitivum ex sale vitrioli & infusione croci metallorum propinavi, à quo cum decies & facile evomeret, exinde statim melius habuit. Et cephalicis alterantibus per duas circiter septimanas adhuc amplius usus, perfectè convaluit, & ab eo tempore per sexennium vere atque autumno vomitivum, cum pharmacis quibusdam aliis quotannis cepit, & etiamnum integre valet. *VVillis Ibidem pag. 333.*

APPENDIX IV.

Vertigo Antidinicis curata.

VErtiginosi cujusdam importunis querelis defatigatus, post alia multa remedia incassum tentata, præscripsi tandem ut mensis spatio Pulveris sequentis circiter cochlear bis in die quotidie assumeret, superbibendo haustum decocti Salviæ aut rorismarini, Coffée tinctura imprægnati, ♃. pulv. rad. pæon. mar. ℥ij. flor. ejusdem contusor. & Sole exsiccator. ℥i. stercor. Pavonis albiss. ℔ß. sacch. albiss. ℥ij. m. Vix credibile quantum ab hoc remedio juvamen recepit; post mensem me denuo invisens, novus & alter homo visus est, vertigine immunis, confidenter ambulans, res domesticas curans, neg. tia quævis ardua tractare valens. *Idem ibidem p. 356.*

OBSERVATIO XV.

§. Vertigo à Semine in vasis seminariis concluso.

NObilis coitui addictissimus, ab eo per sex menses abstinens Vertigine corripitur, post Epilepsia enectus est. Dissecto corpore nullum vitium in ventriculo, cerebro repertum, sed in cavitate vasis semen in penem deferentis, quæ semine oppleta visa est, cum ulceribus sordidis inde contractis. *Vide Tit. de Epilepsia.*

OBSERVATIO XVI.

Vertigo à nigro succo in ventriculo contento.

QUidam crapulæ indulgens cœpit Vertigine laborare. Ventriculus inferior ad finem quasi contusus erat, nigro succo ex dimidio plenus. *Vide lib. 3. tit. de Ventriculi dolore.*

OBSERVATIO XVII.

Vertigo à concrescente in venis sanguine.

PUella cum per diem capitis gravitatem, vertiginem, &c. passa esset, die sequenti moritur, In arteria magna & in vena cava totus sanguis coaluerat, &c. *Vide Tit. de Syncope.*

ADDITAMENTA.

OBSERVATIO UNICA.

Vertiginosi, sæpe vomentis, ac de dolore ventriculi quærentis, dissectio anatomica.

Anglus quidam in Galliam veniens, crapulæ indulgebat. Postea vertigine correptus, cibos revomit, ac de ventriculi dolore quæritur: levi quoque febricula laborabat, nonnunquam delirans: sudavit ex se copiose, ac inter sudandum interiit.

MOrtuo, inventum omentum plane putridum, jecur scirrhosum: Ventriculi interior faices circa pylorum quasi contusa: nigro humore semiplenus erat.

Ex

Ex nimia vini ingurgitatione, & cerebri & nervosi generis oritur imbecillitas: ex imbecillitate nervorum obstructiones, & exinde vertigines, vomitus &c. Sanguis, cæterique in corpore succi ex nimia acidi vini copia inspissati sunt, unde jecur scirrhosum: ubi abundat acidum, ibi deficit bilis, & vice versa: deficiente igitur bile, in hepate obstructiones fieri necesse erat. Abundante acidô, viscidisque humoribus, ventriculus infestatur succis anomalis, quorum levi convulsione vertigines & vomitus: imò ab acidi corrosione latera ventriculi mollia, & quasi contusa erant.

Ex imbecillitate & glandularum cutis obstructione, etiam tam copiosè sudavit, præsertim præsente febrili calore. Qui enim sudor facilè per cutis glandulas circulari non potuit, poros subire coactus fuit. Sudor multus, frigidus, calidus ve; frigidus majorem, calidus minorem morbum significat. *Stephanus Blancardus in Anatomiâ Practicâ.*

ANATOMIÆ PRACTICÆ.

LIBRI PRIMI

SECTIO XII.

DE EPILEPSIA.

Observatio I.

Neque cerebrum neque meninges subjectum sunt Epilepsiæ, quod illa sequuta non sit iis à pure vellicatus.

Qui abscessu in dura matre excitato, & postea disrupto, cum à pure fœtidissimo meninx tenuior & cerebri cortex exederentur, ægrum primo in *Stuporem*, & demum in apoplexiam lethalem incidisse, qui tamen in toto morbi decursu symptomate quovis Epileptico immunis degebat. *VVillis Pathol. cerebri cap. 2.*

Epilepsiæ subjectum, sive sedem ubi materies morbifica præsertim subsistit, reperire difficillimum est: neque enim probabile est eandem per cunctas cerebri partes diffundi: Nec tamen constat in quo loco singulari ea defixa, cæteras omnes partes ita subito in ejusdem noxæ consensum trahat: E variis sententiis duæ præ cæteris magis probabiles videntur; & pari verisimilitudine assensum sibi vendicant: quarum una asserit *cerebri meditullium*, atque altera *Meningas ipsum investientes* esse primariam Epilepsiæ sedem: Prioris ratio in hoc fundatur, quod ubi spirituum animalium fons & ipsius animæ sensitivæ origo consistit, ibidem hujus morbi causa poni debet: nempe cum principes facultates primò læduntur, cæteræ omnes ejusdem noxæ facile participant: verum enim verò ut concedam in Apoplexia & spirituum Deliquio ita habere, attamen in convulsione, cujusmodi est Epilepsia, non sequitur fibras & nervos omnes convelli, quia cerebri medirullium prius convellitur: quippe hoc cum sit mollis & fluidæ substantiæ, ac motus & sensus expers, Contractionis sive affectionis spasmodicæ minime capax videtur: Quapropter alii Cerebrum & quamvis ejus partem à morbi hujus culpa eximentes, causam ejus omnino in meningas rejiciunt, asserentes membranas cerebrum investientes, ac imprimis illarum processus cerebri ac cerebelli fissionibus instratos, siquidem à materia morbifica vellicantur, spasmos immanes concipere: Dein à meningibus istis contractis & diductis, una cerebrum inclusum valde comprimi & constringi, ita ut poris & meatibus ejus constrictis ἀναθυμίασις inferatur, simulque nervorum candices, quibus utraque meninx appenditur, in consensum illarum perducti, etiam motus convulsivos ineant. At mihi ab hac sententia discedere visum est, quia nimirum haud constat quo ritu & quam ob causam imminente caduco, meninges istæ spasmos adeo horrendos concipiant: quinimo nec liquet quomodo ab iisdem, utut convulsis, paroxysmus Epilepticus inducatur. Quoad prius, impossibile videtur meningas, quoad totas earum concavitates, ita contrahi, ut instar marsupii arctius constricti, contenta sua undique convellant ac in spatium angustius contrahant: quippe dura mater pluribus in locis calvariæ firmissime cohæret, quin & isti pia mater, juxta sinuum processus, mutuo membranarum nexu, & ubique præterea vasorum continuitate colligatur: hinc facile patet utramque membranam quoad magnam sui partem immobilem esse, ita ut spasmos universales nequaquam ineant: Quod vero ad spasmos minores attinet, ut cum meningis hujus, aut istius, aut simul utriusque portio

quædam convellitur, revera tales evenire concedimus: nam sæpius audivi cephalalgia graviori affectos, de magna partium sub calvariæ latere, modo dextro modo sinistro constitutum, constrictione immaniter queri: nec tamen exinde ullus caduci insultus sequebatur. Porro utut membranæ istæ insigniter læsæ vellicationes maximas subeant, haud propterea tamen paroxysmus epilepticus induci solet. Novi enim abscessu in dura matre excitato, & postea disrupto, cum à pure fœtidissimo meninx tenuior & cerebri cortex exederentur, ægrotantem primò in stuporem, & demum in apoplexiam lethalem incidisse, qui tamen toto morbi decursu symptomate quovis epileptico immunis degebat: Item memini duram matrem, terebello à Chirurgo imperito adhibito valde dilaceratam: In alio casu eam cum parte calvariæ per vulnus abscissam, ut portio quædam cerebri extuberaret, nec tamen cuilibet horum pathemata quævis epileptica supervenerunt. Quapropter nec verisimile est sanguinem aut humores, vel vapores meningibus istis impactos, majorem noxam inferre, quam aut plagam aut vulnera iisdem inflicta, aut saniem ibi suffusam. Præterea epilepsia leviori affecti, si quidem vix concidunt, ac per totum morbi insultum adhuc animo constant, membranas ita contrahi, & cerebri globum arctius compingi perciperent si ejusmodi quædam affectio subesset: verum illi è contra cerebrum quasi inflammatum, & spiritus cum efferatione quadam exilientes ac velut explosos persentiscere videntur. Et quidem, uti verisimillimum, arbitror paroxysmum epilepticum à spirituum animalium cerebri incolatum (qui nempe sunt primum & immediatum hujus morbi subjectum) subita quadam rarefactione & explosione concitari: qua scil. cerebrum ipsum inflatur adeòque insensile redditur, simùlque nervi appensi in convulsiones aguntur. Hinc enimvero contingit hujus morbi accessionem ita derepente incipere, & perfectè terminari, sine magna materiæ morbificæ provisione aut reliquiis, qua nempe labes non tam partibus solidis quam ipsis spiritibus infertur.

Alibi ostendimus (*Vide Scholia ad Observ. 1. Sectionis sequentis*) quo ritu copula heterogenea & explosiva, particulis uti videtur nitro sulphureis constans, spirituum animalium particulis spirituo salinis accressens, ab iisque ob plenitudinem aut irritationem denuo elisa & explosa, symptomata convulsiva producit: quamvis autem ejusmodi copula spasmodica, è sanguine in cerebrum primo extillatur, plerumque tamen spiritus ibi non prehendit, aut cum iis saltem illic non diu hospitatur: quin potius versus appendicem nervosam illico detrusa, spasmos particulares, & juxta loca affecta respectivos accersit: Interdum verò si quidem materies spasmodica uberior & potens, atque cerebri constitutio imbecillis fuerit, copula heterogenea spiritibus non tantum in nervoso genere, sed etiam intra ipsum ἐγκέφαλον consitis affixa, diathesin epilepticam infert, atq; spirituum & copulæ istius particulæ explosivæ ab invicem elisæ caduci paroxysmum cient. Quandoquidem enim urgente Epilepsiæ insultu, ἀναισθησία plerumque symptoma primum & fere pathognomonicum existit, inferre licet spiritus animales, intra ipsum cerebri meditullium scatentes, ante alios affici, proindéque partem eam esse principalem morbi sedem: Dein quatenus ægrotantis casus sive in humum projectio, atque membrorum & viscerum spasmi sæpissime ἀναισθησία illi succedunt, sequitur spiritus animales etiam systhematis nervosi incolas, eadem particula explosiva imbui, cumque ipsis cerebri incolis in consensum trahi, ab iisque ad explosiones pariter inordinatas excitari, licet aliquando (tota spirituum tum in cerebro tum in nervoso genere consi. orum series, instar longioris pulveris pyrii tractus ad explosiones prædispositi.) spasmus exterius & è longinquo, forsan in membro quodam aut viscere incipiens, posterius in cerebrum traducatur.

Interim ipsius cerebri regio semper hujus morbi sedes primaria statuatur, atque pro affectus causa conjuncta supponere debemus, non aquam in cerebri ventriculis contentam, nec humorem crassum aut viscidum, ejus poris & meatibus impactum, tales enim causæ sensim gignerentur, & proinde signa quædam paroxysmi imminentis prænuntia ederent: porrò accessione morbi hujus talis materia non ita brevi tempore penitus discuteretur, quin à reliquiis ejus functionis animalis impedimenta quædam manerent, quod equidem in Epilepsia, nisi inveterata, rarius contingit: Attamen pro caduci insultu excirando, nihil minus suspicari licet quam spiritus animales, qui intra medullarem cerebri substantiam scatentes, sensus interioris actus perficiunt, copulam heterogeneam nactos inordinatè explodi, proinde istis extra ordines & stationes suas perturbatis, superiores regiminis animalis facultates eclipsin pati: Dein ab hac majori spirituum explosione, velut à fomite ignario, spiritus alios, appendicis medullaris & nervolæ hospites, etiam in explosiones prædispositos, similes ἀταξίας concipere, paririerque explosos, corporum contineurium motus convulsivos ciere.

Quamvis enim cerebri meditullium semper esse primariam Epilepsiæ sedem, & ab initio fere tantum in illa regione materiam morbificam congeri statuamus, tamen affectu ingravescente hæc uberius in caput delata fines suos latius explicat, adeo ut particulæ spasmodicæ, & in reliquo cerebri, & insuper in appendice nervosa, tanquam pulveris pyrii, sive seminii explosivi strata, huc illuc, longe latéque protenta jaciuntur, quo fit ut primo ἀναισθησίας insultui convulsiones modo in his, modo in illis partibus & non raro in toto corpore excitatæ superveniant. *Willis Pathol. cerebr. cap. 2.*

Copulam illam explosivam censet *Franc. Sylvius* pra. lib. 2. c. 20. §. 89. esse spiritum acidum volatilem, atque ideo minus acrem; quo enim fixior est acidus spiritus, eo existit acrior; quo volatilior eo blandior, est viceversa quo volatilior, eo celerius operatur, quo fixior eo segnius: Volatilem autem fieri spiritum acidum ab admisso ipsi spiritu volatili, cujus ope facilius jungitur spiritibus animalibus, illosque exinde ab invicem disjunctos commovet & conturbat. Statuit ergo verum & adæquatam Epilepsiæ omnis causam, esse spiritum acidum volatilem, quacunque demum in parte genitum, congestum & inde ad cerebrum delatum, spiritibus animalibus junctum, ipsos divellentem, impetuose commoventem, ac proinde à blando, continuo, ordinato, & voluntati, imperio subjecto motu ad interruptum, inordinatum, conturbatum, impetuo-

impetuosum & violentum deducentem: Hanc autem esse spirituum animalium in Epilepsia omnino affectionem confirmat levior Epil. in qua uti sensus externi imminuuntur, & obtenebrantur duntaxat, aut quodam saltem abolentur, reliquis obfuscatis tantum, sic motus convulsivus blandior fit, & ipsa musculorum contractio minus violenta. Idem confirmare videtur epilepsia nonnunquam a gravi terrore concitata: in omni enim metu & mœstitia dominarum in corpore nanciscitur & augetur spiritus acidus: cui ob concurrentem tunc animalis motûs tarditatem aut defectum, copiosior immiscetur spiritus volatilis, eundem spiritum acidum itidem volatilizans. *Vide plura l.c.*

Observatio II.

Idiopathica Epilepsia ex ventriculorum infarctu non semper suscitatur.

Quæ in cerebro fit Epilepsia, aperto eorum qui è vivis decesserunt capite, animadversa est sæpius aliunde suscitari quam ex ventriculorum infarctu: Causam interdum deprehendi cerebri abscessum esse: interdum corruptam meningis portionem calvæ adhærentem, *summo dolore, quibus è locis* tetet vapor in cerebri ventriculos penetrabat. *Fernelius Pathol. lib. 5. cap. 3.*

Hinc (infert.) non sola noxii humoris copia Epilepsiam infligitur, quod in Sopore ejus copia infit citra convulsionem: Quocirca præter humoris copiam, venenata & cerebri substantiæ graviter infensa atque inimica qualitas Epilepsiæ causa statuenda est, quæ quoties exagitatur ac proreptt in cerebrum, ea quidem ferente, cerebro autem contra pugnante, quasi a colluctatione quadam & dimicatione, fit Epilepsia; Ejus autem, *addit lib. 2. cap. 15. de abditis rerum causis*, quæ ipsomet affecto cerebro fit, non alia videtur quam ejus quæ per consensum fit, causam enim aliquando observavimus é summo capitis vertice, in quo sub pericranio vitiatus venenatusque humor coercebatur, vaporem manifesto sensu intro subire, qui Epilepsiam conciraret, hancque postea caustico persanatam medicamento, ita proculdubio existimari debet, intus vel circum meninges, vel circum cerebri substantiam virium contineri veneni æmulum, cujus ex intervallis impetu facto Epilepsia suscitetur.

Quibus è locis, &c.] Idem ibidem, Visa est *inquit* Epilepsia quæ à summo vertice capitis originem haberet, èquo vapor quoque versum excurrens, si per externas partes solum vagabatur, vertiginem: Sin intro penetrabat in cerebrum, Epilepsiam ciebat.

Observatio III.

Epilepsia suscitata à carie cranii, parte interna juxta cerebellum.

Juvenis xxx. annorum diu capitis dolore vexatus, tandem in melancholiam taciturnam incidit; Sed capitis dolor: quando tunc temporis mitigari videbatur, ob affectæ partis innatum calorem quasi emortuum, Epilepsia vehementissima corripitur, cujus paroxysmo tertio extinguitur.

Dissecto cadavere, diligenterque calvariæ osse in posteriori parte interna, quæ perpetuo ante dolebat, perspecto, nullum ibi notabilis morbi signum notavimus, At capite aperto, *ossis posterioris interiorem partem*, juxta cerebellum *satis notabilem cariem* contraxisse vidimus: Tetigimus ea in parte foramen quoddam, ad denarii magnitudinem; quod quidem usque ad summam laminam, exclusive tamen perveniebat.

Conjectandum hinc Epilepsiæ & mortis causam, fuisse malam quandam auram ab osse & partibus affectis in cerebri substantiam sublevatam: Cujus mali causa exterior nobis fuit incognita, nimirum *capitis illinitio ex hydrargyro frequens*, non sedandi doloris gratia, sed aliam ob causam: Hydrargyrus autem usque adeo frigida est, ut vi narcotica dolores quosvis sopiat quidem, at partium tenuitate corpora omnia, vel etiam durissima ossa subeat penetretque, emolliat atque dissipet; sua frigiditate cerebrum valde offendit, nervos & artus valde infirmat, inde tremor & paralysis, necnon partium frigidarum corruptio aut caries, ut dentium aliorumque ossium. *Zecchius Consult. IX.*

Hinc credendum Epilepsiæ in hoc subjecto causam interiorem fuisse, vel malam quandam auram à carioso osse in cerebrum sublevatam; non frigidam crassamque materiam cerebri ventres obstruentem: Ideo sum in ea sententia vitium hoc sequi morbum in via, non obstrictionem ventriculorum cerebri, ab humore frigido, crasso, lento, quod vult Galenus, sed potius, adstrictionem seu angustiam meatuum ipsius cerebri, sese contrahentis ad malæ cujusdam auræ, sive perniciosi humoris graviter molestantis expulsionem, quo deinceps excluso statim in pristinum restituuntur statum; qualem motum in singultu edit ventriculus, ubi acri mordetur humore, aut corrupto cibo molestatur, vel etiam cibi copia gravatur. *Idem ibidem.*

Cariem satis notabilem] *Rumlerus* Observ. LXV. notat in Sartore venerea lue summe laborante & Epileptico, esse repertam exesam calvariæ partem posticam, sanitatique fuisse redditum, quamquam postremo catarrho suffocativo & Epilepsiæ paroxysmo succubuerit.

Capitis illinitio ex hydrargyro frequens, aliam ob causam] Multos ipse vidi inde Epilepticos eva-

fisse

fisse, quod in curanda lue Venerea, dum unguentis ex hydrargyro illinerentur nonnihil in aurem & in cerebrum penetrasset. Talem igitur & in omni alia Epilepsia causam existimato, atque si quid aliquando putridi humoris inesse deprehenditur, non ex ea ipsa putredine, sed ex venenata quam concepit qualitate, hoc mali suscitari: Itaque quocunque corporis in loco is fuerit, venenatus illiac vapor in cerebrum sublatus, id ipsum meningésque totius substantiæ inimicitia acriter ferit. *Fernelius de Abditis lib. 2. cap. 15.*

Ossis posterioris interiorem partem] Ex Hippocr. lib. de vuln. cap. Cranium est duplicatum, διπλόον, in capitis medio, id est, cavum intra duas laminas, ut medullarem succum contineat ad nutritionem ossium: Addit *Hippocrates*, universum caput exigua parte excepta, spongiam refert plenam carunculis humidis, quas si digito premas sanguinem stillare cernes. Etiam tenues venulas discurrentes videbis sanguine abundantes. Ex istis carunculis vehementiore ictu collisis sanguis & putrescens os corrumpit, foris integro apparens, seu exudans sanies ab interiore tabula cerebrum ipsum corrumpit ac putrefacit. Externam laminam sæpe lues Venerea exedit, & utramque interdum vita superstite, teste *Palmario l. de lue c. 4.* Exemplum simile leges apud *Benivenium* lib. de Abditis c. 18. Et nos sæpius id observavimus. *Riolanus Encheirid. Anat. lib. 6. cap. 7.*

Observatio IV.

§. *Epilepsia à Vitio duræ Meningis pustulis obsitæ, & perforatæ, nigro sanguine per cerebri spiras sparso, cum inflammatione, hinc ventriculorum constrictione, &c.*

Anno 1588. obiit juvenis qui diu in carcere detentus, Epilepsia correptus erat cum aliis symptomatis, diu enim languidus decubuerat, perpetuo *stupore* afflictus.

Secto capite, pustulæ supra duram meningem apparuerunt, erosa ipsa & cerebro per foramina eminente plutibus in locis: *Omnes ejus spiræ nigro* sanguine refertæ erant: In ipsa etiam substantia copiosus latebat, unde inflammatio exorta erat, & hanc ob causam anteriores ventriculi vix in conspectum veniebant: Communis humore seroso plenus, Rete autem mirabile totum flaccidum apparebat: cerebelli substantia, præterquam quod solito esset mollior, sanguine etiam pituitoso affluebat. Hinc ad pulmones deventum, qui costis & sterno adligati flaccidi omnino erant, mole tamen magni, humore spumeo referti, dextro latere inflammati. Similiter & cordis ventriculus dexter sanguine plenus repertus est, sinister vacuus: hepatis unus quasi globus apparebat, stupendæ magnitudinis, laudabile alias & sanguine bono abundans: hujus moli ut cederent renes, ipsi quasi venæ cavæ ad spinam dorsi adalligati erant. *Rumlerus Observ. 53.*

Epilepsiam credo per consensum ortam esse, cum pustulæ illæ, quæ usque ad calvariam exetebantur, morbi Gallici soboles fuerint, cariem autem ex lue, etiam usque ad membranas progressam, si modo opportunus medicus accessisset, nunquam lethalem fuisse experientia constat. *Idem ibidem.*

In ipsa etiam substantia copiosus latebat, &c. Unde Apoplexia extinctum colliges, in hanc enim sæpius transire Epilepsiam observata. *Velschius.*

Rete mirabile totum flaccidum]. Effuso scilicet sanguine in ipsam substantiam cerebri, ut fieri solet: Quæ vero de cerebello itidem oppleto adduntur, firmandæ sententiæ G. Hofmanni fecerint, quam perdocte de torculari Herophileo fovebat, licet & reliquum cerebrum excludi non debeat. *Idem.*

Epilepsia correptus cum aliis symptomatis] Sic complicatam vidit Phrenitidem cum Epilepsia *Saxonia* in adolescente, qui phrenitide captus singulis diebus ac noctibus plusquam trigesies corripiebatur Epilepsia & 14. obiit. Fatuitatis sociam Idem animadvertit in puero: Apoplexia connexam, ut mutuo se exciperent, in Medico quodam, & in Matrona quæ spatio 17. horarum obiit, Epilepticos fieri melancholicos, & vicissim, asserit *Hippocrates*. Ejusmodi, addit *Saxonia*, Epilepsia non potest fieri ex repletione partium infra caput, nam functiones principes & sensitivæ insigniter patiuntur: Itaque causa tunc temporis nulla est alia quam portio hujus materiæ quæ replet partem sentientem, quam dum natura tentat excutere, motum facit convulsivum.

Observatio V.

§. 1. *Epilepsia à Sero caput replente.*

Epilepticos affectus à sero caput opplente, & præcipue posticam ejus partem, excitari ex Anatomia didici, Nam dissecto anno superiore cadavere, posticum caput universum aqua turgens repertum, ut non solum principium nervorum aquæ innataret, sed membranæ ipsæ aqua prægnantes & imbutæ, non secus atque papyrus aut tela aquæ diu immersa, conspicerentur: At quamprimum cranium sectum, aqua ex ea parte diffluxit plurima, quin etiam sanguis in venis ea parte concretus inventus, à frigore scil. aquæ stagnantis. *Carol. Piso De morbis à colluvie serosa sect. 2. part. 2. cap. 7.*

§. 2. Amorthæi Consulis pusio quadrimestris *torminibus vexabatur*, ut colligere erat. Non longè

longè post aphonos, *oculos intorquebat*, *convellebatur*, mirum hoc, repente facies mutabatur, tanquam conantis aliquid excutere; deinde velut comprimebatur, tumque *occurrebat in os spuma*, & spiritu velut compresso diu, quasi ad se rediens, magnum spirabat, eorum more qui contentione animi aliquid intuentes spiritum cohibuere. Per totam noctem convellebatur tantum *brachio* sinistro, & illud *convulsorio modo agitabatur*; deinde cessante hoc, idem brachium dextrum passum est: & ex intervallis occurrebat spuma magna copia, & aphonos erat, & excreta spuma salivâque, magna spiratione, tunc restituebatur. Epilepticum hoc fuit: Provisum ventri: aliquid συζητείς. Duodecimo ætatis mense interiit.

Aperto cadavere ingens aquæ copia in cerebro reperta est: nervi optici erant valde angusti, alii nervi erant ferè duplò majores. *Ballonius consil. lib. ii. annot. 1.*

Torminibus vexabatur] Ad ventris tormina sæpe subsequi Epilepsiam experientia ostendit. Tunc fæces alvi infantum viridis & porracei sunt coloris, quibus exclusis & ad naturalem colorem redeuntibus cessat Epilepsia, quæ tunc per consensum ab intestinis oboritur. Ut in hoc Pusione verisimile sit per consensum, & per primariam cerebri affectionem genitam fuisse Epilepsiam, quæ à duplicis causæ concursu gravissima fuit.

Oculos intorquebat, *convellebatur*, *Spuma magna copia*, &c.] Si affectio sit primaria in cerebro, totum corpus & facies partes convelluntur. Pituitam cognoscetis ex ætate puerili, & spuma admodum copiosa: Spuma autem circa os, & involuntarius seminis, urinæ & excrementorum alvi exitus, non sunt signa Epilepsiæ necessaria, sed tantum vehementis, propterea dicebat *Rhasis*; Quod si Spuma superveniat, & semen, aut urina, aut alvi excrementa egerantur, tunc passionem esse graviorem: Nam ut docuit *Gal. 2. aph. 43.* Spuma fit ex infigni agitatione & motu succi pituitosi in cerebro existentis. *Saxonia Prælect. Pract. parte 1. cap. 15.* Ex his indiciis constat Pusionem affectum fuisse Epilepsia idiopathica, quia facies partes convellebantur, & quia infantium cerebrum debile facile percellitur: Eandem à pituita fuisse genitam, ob spumæ copiam & ætatem pituitæ feracem.

Brachium convulsorio modo agitabatur. Epileptici quidam in terram prostrati pectora sua manibus gravissime tundunt & cohiberi se ægre tolerant, nam cum præcordia spasmo affecta & præpedita, movere se solito more non possint, sanguisque in iis stagnans non sine insigni cordis gravamine vitæ suffocationem minatur, tunc fit ut laborantes, cerebro licet inscio, mero naturæ instinctu thoracem percutiant, nimirum ut præcordia ita concussa, & velut exagitata, motus suos redintegreat, adeoque sanguis à stagnatione, & tot à gravi oppressione vindicentur. Non absimili ritu id fieri videtur ac cum dormientes aut titillati aut pulicum morsu vellicati, illico locum affectum inscii confricant aut scalpunt.

Occurrebat spuma magna copia] Epilepsiæ symptoma maxime pathognomonicum habetur, si affectis in terram prostratis, & convulsiones horrendas passis, Saliva spumosa ex ore effluat, quæ quidem à cerebro constricto in palatum exprimi putatur. Verum enim vero, ut concedatur hoc spumæ effluvium sæpenumero Caduci signum esse, tamen illud non ita huic morbo appropriatur, quin idem in apoplexia, in caro, in affectibus hystericis, aliisque convulsivis interdum accidat; Porro ejusmodi Spuma haudquaquam à cerebro descendit, nullus enim per quem transeat meatus patescit: Verum à pulmonibus inflatis ac usque ad laryngem elevatis, unde velut cum effervescentia quadam & ebullitione saliva spumescit: Urgente enim Caduci paroxysmo, cum plerique nervi in toto corpore contrahuntur, etiam qui pulmonum & diaphragmatis motibus inserviunt, spasmos immanes passi, præcordia omnia sursum elevant, eâque in sistole diuturna fere immobilia continent, ita nimirum ut pulsus & respiratio vix ac ne vix perficiantur: Interea quia sanguis intra cordis sinus coërcitus ipsum distendit admodum, ac fere opprimit, Pulmones utcunque impediti ne more solito & naturali moveantur, quod possunt tamen festinata & spissa agitatione quoquomodo sanguinem è corde exanclare satagunt; à quo ipsorum nisu, aër humiditatem viscosam crebra respiratione succutiens, ut agitatum ovi albumen in spumam attollit, mox sursum in oris cavitatem elevat & illinc ulterius foras propellit. Quare saliva spumosa etiam in aliis affectibus, ubi nervi pneumonici aut contrahuntur, aut à functione sua obeunda inhibentur non raro succedit. *Th. Willis Pathologia cerebri cap. 3.*

Observatio VI.

Epilepticorum cerebrum, ventriculi & sacra fistula plerumque limpida aqua imbuta sunt & repleta.

Pluries invenimus in cerebri ventriculis sacrâque fistula aquam limpidam, tenuem & puram, quam flavam, vel bili colore similem, vel etiam alium humorem: Majorique itaque ex parte, si non semper, paralysin excitat tenuis limpidàque aqua in cerebri ventriculis atque in spina dorsi collecta, quæ sensim à superiori parte nervos irrigat, quoad pervenerit ad eorum extremitatem. De Epilepsiæ causa, idem quasi asserendum opinor, nam similem aquam *in Epilepticis & apoplecticis multoties vidi*, &c. Nihil in cerebri ventriculis pituitæ, nullam in iis obstructionem, & non plus tenuis humoris aquosi & limpidi in medio ventriculo, atque in reliquis deprehendere quivi, cæterum totam cerebri substantiam inveni aquosa humiditate infarctam, ventriculósque omnes eadem aqua plenos. *V. Coiter lib. Observat. Anatom. & Chirurg.*

Qua lympida] Lymphæ, Et si hactenus vasa lymphatica in cerebro conspicua non fuerint, credendum tamen id iis non carere, sed ob teneritudinem & tenuitatem exhausta lympha, visum effugere: Ratio cogit multiplex ea admittere, & 1°. necessitas eadem quæ in cæteris partibus ubi reperiuntur, ad suscipiendam scilicet lympham cerebro inutilem & gravem, peracta nutritione: 2°. aquæ copia sæpe in capite reperta, à sero aliis vasis concepto, arteriis præsertim, omnino alienæ, quod et si tenue, coloris tamen non est expers. 3°. Vas illud excretorium in narium tunica, à Clar. Nicolao Stenone repertum, quod sobolem esse eorum vasorum verisimile est, cum lympham puram effundat.

Observatio VII.

Epilepsia ab aqua cerebrum alluente, cum pustulis; ventriculi vitio, &c.

Puella unius anni diarrhoea corripitur, febre, capitis dolore, &c. tandem Epileptica obiit. Ventriculus erat in sinistra parte nigricans, viridi humore refertus. Cerebrum librarum quinque copiosa aqua circumfusum, aderant ipsi pustulæ aqua plenæ. *Vide tit de Febribus.*

Observatio VIII.

Epilepsia à sero tenui cerebrum madefaciente & ventriculos implente.

IUvenis mulier, (*de qua Tit. de Paralysi*) ad extremum delirio ac Epilepsia occubuit. Ex cerebri substantia inter dissecandum effluxit aqua tenuis & rubicunda, quod vasorum incisioni adscribendum; nam aqua, qua omnes ventriculi scatebant, fuit tenuissima & limpidissima.

Observatio IX.

Anatome Epileptici pueri, cujus cerebri ventriculi tres aquam limpidam continebant.

Filius Dom. N. decennis ex alto cecidit: Quum autem nec vulnus nec contusio aliqua externa appareret, nec febricitaret, morbus neglectus. Post menses quinque asthmaticus factus est, gibbosus: Tandem accidit catarrhus, sinistri lateris resolutio & nonnulli paroxysmi Epileptici.

Capite aperto lapis membrana inclusus in posteriore parte capitis, inter duram & piam matrem inventus; In tribus cerebri ventriculis, hoc est, in duobus anticis & medio, ultra duas libras aquæ limpidæ reperimus. *Vide lib. 2. tit. de Gibbositate.*

Observatio X.

§. 1. Epilepsiam excitari à sero præcipue posticam capitis partem opplente, ostendit Anatome.

EPilepticos affectus à sero caput opplente, & præcipue posticam ejus partem excitari, partim ex anatome didici, Nam dissecto anno superiore cadavere Claudii Juvenis, posticum caput universum aqua turgens repertum, ut non solum principium nervorum aquæ innataret, sed membranæ ipsæ aqua prægnantes & imbutæ, non sicut atque papyrus aut tela aquæ diu immersa conspicerentur: & quamprimum cranium sectum, aqua ex ea parte defluxit plurima, quin etiam sanguis in venis ea parte *concretus* inventus, *à frigore scil. aquæ stagnantis.* Partim idem colligere est ex *analogia affinium morborum*, scil. Catalepseos. Narrat enim Hollerius in occipite cujusdam vi Catochi demortui, plurimum serum quasi rufum in cerebro posteriore, una cum sanguine concreto in majore vena quæ medium caput perreptat. *Car. Piso de morbis à sero sect. 2. p. 2. cap. 7.*

Sero caput opplente) Cum seri in capite collectio foveatur à colluvie serosa totius; certe propagatio ejus seu corrivatio è toto in caput, vel sensimsine sensu fieri potest, vel cum raptu quodam; ac sensim quidem duplici nomine, scil. vel trahitur serum à parte, ratione nutritionis, vel sponte sua idem movetur ad caput, sive quia sanguis, præcipue tenuis & aquosus, ichore bilioso affusus, superum affectat à natura locum, sive quia ratione officii sequitur motum spiritus vitalis. Nam cum spiritus vitalis cuique parti laboranti succurrere soleat, una cum spiritu vitali sanguis, præsertim arteriosus, ad caput movetur, ut pote cujus perpetua fere est actio, ac proinde serum ad caput abunde confluit. Jam confestim in caput idem serum rapitur quodammodo, à causa quacunque sanguini in vasis fervor accidit: tum enim cum in illo fervore tenuem sanguinis partem sustolli & despumare necesse sit, evenit serosam & biliosam partem sursum rapi & caput petere: Quod contingere vidimus in quibusdam febribus, à qua causa, affluxu scil. seri biliosi, oppletum cerebrum tentatur epilepticis insultibus. *Idem ibidem.*

Ex analogia affinium morborum scil. Catalepseos, &c.)

&c. (Platerus utriusque causam deducit ab effusione seu profusione spirituum animalium in nervos cerebro continuatos : quæ à duabus causis præsertim proveniens , diversa nonnihil accidentia profert ; quarum prima est, *ait*, nimia & vehemens perseveransque sensuum internorum operatio per quam uti in cordis magnis passionibus adeo spiritus vitales efferri videmus, ut animi inde defectus sequatur, ita & si per vehementiorem cogitationem & intentionem in rem aliquam , spirituum animalium fiat in externorum sensuum organa dissipatio, accidere potest ut velut attoniti leviter stupeant, & vel mox iterum remeantibus illis , ad se redeant ; vel si diutius perseverent diversæ catalepseos species excitentur. In quibus si non penitus spiritibus effusis , portiones aliquæ illorum in cerebro remanserint , sensus quoque aliquos persistere, aliis cessantibus , & prout in nervos effunditur, motus quoque vel saltem permanere , aut cum rigiditate sese, citra convulsionem , exerere posse , si nulla nervorum fiat contractio : utique tamen quoque si per animi violentum affectum adeo spiritus efferantur , ut aliquandiu se recolligere nequeant, Epilepticorum instar illos corruisse vidimus in quibusdam , qui cum in magnis conventibus perorabant , ob nimiam animi & sensuum contentionem , spiritibus agitatis hoc passi sunt: Unde forte quod idem ob eam causam in comitiis aliquibus contingere solebat , Epilepsia comitialis morbus dictus fuit : Altera & frequentior profusionis spirituum in nervos causa, unde graviora Epilepsiæ & Catalapseos sequuntur symptomata , cerebri irritatio existit, talis per quam facultas illius expultrix excitata , ad excutiendum quod molestum est insurgit.

Concretus à frigore aqua stagnantis) Concretionem sanguinis præcessit illius à sero secretio , per coagulationem quandam , sic actis pars caseosa quandiu sero confusa est, liquida permanet, accedente vero causa coagulante , serumque ab ea sequestrante , illico crassitiem adipiscitur. Idem de sanguine esto judicium, concretio autem sanguinis potius partibus hæterogeneis divulsionem facientibus , sero commixtis , quam illius frigiditati adscribenda est.

§. Puella trium annorum post clamorem horrendum insultu correpta est Epileptico. Scissi mortuæ cerebri substantia , stagnantes aquæ citrinæ , nervorum conjugationes inundantes, nobis patuerunt. *Vide lib. 2. tit. de Tussi.*

Observatio XI.

Epileptici insultus à seroso humore in cerebri substantia & ventriculis.

Filia D. N. septennis cum dolore capitis gravi paroxismos quoque epilepticos passa est, cum spuma in ore : Consilium inituris nunciatum eam novo paroxysmo Epileptico sublatam, ac post mortem puris aliquid per nares effluxisse , quod nobis abscessus latentis suspicionem fecit.

Sub cerebro aperto nihil repertum præter serosum humorem in cerebri substantiam & ventriculos effusum. *Laz. Riverius Observ. 37. cent. 1.*

Observatio XII.

§. 1. Epilepsia ab aqua limpida in cerebro , ventriculis & Sacra Fistula.

Secui mulierem quæ post colicam paralytica facta est , ad extremum Epileptica occubuit. Ex mortuæ cerebro effluxit aqua tenuissima ac pura , ut & è cerebro & ventriculis , Sacra fistula eadem plena fuit. *Vide tit. de Paralysi.*

§. 2. Hippocrates cum ovicularum Epilepsia sublatarum cerebra , aquæ liquore plena repererit , eum morbum inde tradidit diffundi : Quidam puerulus levi Epilepsia arripiebatur, cujus mox in dies intumescebat caput , ut tandem morbo , cui nomen est Hydrocephalus, diu teneretur. Hujus jam defuncti cerebrum tenui sero perfusum erat , & hic semel tantum Epilepsia attentatus fuit. *C. V. Schneiderus l. de Catarrhis special. p. 257.*

Observatio XIII.

Epilepsia in apoplexiam desinens à sero acri in cerebro , inter meninges & in ventriculis stagnante , cum vermibus in intestinis.

Anno 1672. die 23. Maii , in Xenodochio , vir annorum circiter xxx. habitu carnoso, pilis nigris , temperamento sanguineo melancholicus , dissectus est à D D. *Glasero* Qui occubuit tandem *Epilepsia terminata in Apoplexiam*, cum anno ante ægrotaret febre lenta, dein intermittente , ictero , quartana , hydrope , à quibus malis sibi videbatur convaluisse ut nulla videretur aqua adesse , sed versa pagina è vivis excessit , in cujus corpore sequens anomalia inventa.

In infimo ventre 1. Hepar ingentis magnitudinis & ponderis , licet mollitie naturale, colore verò livido, duplo fere majus erat quam natura esse deberet. 2. Lien etiam duplam magni-

magnitudinem vel triplicem ad naturalem habebat, substantiam flaccidam, friabilem, colore ad lividum accedens; Scirrhus neque in hepate neque in liene reperiebatur. 3. Epiploon putridum, à quo mesenterium infectum inflammatione tentatum. 4. Intestina copiam magnam vermium continebant, ut aliquibus locis instar nodorum complicarentur: aqua pauca, aut fere nulla reperiebatur: infimi ventris reliqua erant naturalia. 5. In thorace cor flaccidum, molle, ita ut substantia cordis tantum dimidiam crassitiem contineret, quam habere deberet; Capsula cordis aqua repleta, uti & in toto thorace seri magna copia stagnavit. 6. Pulmo in sinistra parte adnatus, cæterum semi putridus. 7. In capite inter piam & duram matrem, ubique, uti & in ventriculis, magna *seri* copia stagnavit, *cujus sapor acris*, subacidus & salsus & parum excedens repertus. Venæ circa membranas valde turgebant. In tertio ventriculo, inter anum & vulvam, ponticulus instar duorum nervorum complicatorum reperiebatur, colligar s quasi crura cui innitebatur septum lucidum; Exterior cutis color lividus erat, ob sanguinem per circulationem revertentem, circa cutem stagnantem. *Ex communicatione Clar. D. D. Mangolt Medici Basiliensis.*

E*Pilepsia terminata in apoplexiam* (Quia serum dum circa meninges inerrabat, acrimonia eas vellicans Epilepsiam induxit; Idem in cerebri meditullium effusum, per ejus oppressionem Apoplexiam peperit. In apoplexia à sanguine oborta idem observavit Excell. *Wepferus* historia 2. Apoplecticorum p. 332. Cessante *ait*, Epilepsia, fortissima apoplexia supervenit, sanguine largius inter cranium effuso, tum quia flexibilior à violentissimo motu redditus fuerat, tum quia corrugato cerebro, fortius superne exprimebatur & inferne ascensu liberiore prohibebatur. Cur autem apoplexiæ mutuo succedat Epilepsia, id fieri censet *Avicenna* quia pituita in ventriculis cerebri conclusa, ebullitionem ibi patitur. Sed dum fit ebullitio flatus & vapor elevatur, hic replet membranas ventriculorum, quæ statim concutiuntur, unde fit convulsio Epileptica.

Seri cujus sapor acris) Urinæ liquor (qui serum est humorum) analysi spagiricæ expositus in has partes, velut principia potest resolvi inter destillandum; 1°. ascendit quicquid inest spiritus vinosi cum aqua diluti, verùm exigua admodum quantitate, ut non facile sit ipsum gustu percipere: 2. succedit latex aquosus in proportione satis larga; cui salis, ac præcipue sulphuris particulæ quædam laxiores commiscentur. 3. exstillatur aqua valde penetrativa, quæ vulgo spiritus vinosi fere expers, maxima ex parte tantum phlegma est Sale insigniter aculeatum. 4. post humiditatem penitus exhalatam, in fundo cucurbitæ altera salis portio cum terra remanebit. & *Willis Tract. de urinis cap.* 1. Hinc constat qua ratione serum Epilepsiam pariat, scil. non obstruendo, sed quia continet in sese partes acerrimas, quæ expultricem irritant & vellicant: Ideo *Saxonia prælect. pract. cap.* 15. de materia quæ reperitur in ventriculis cerebri verba faciens, ait aqueam, nisi sit permista succo bilioso, nec sit flava aut viridis, non facere Epilepsiam: atque inde esse quod in plurimis cerebri ventriculi reperti sint aqua simplici repleti sine Epilepsia, in aliis inventa sit aqua biliosa in ventriculis, quos Epilepsia interemit.

Epilepsia terminata in apoplexiam] Non est inconveniens, [ait *Martianus* comm. 3. in lib. Hippocr. de Glandulis, unum eundémque humorem modo apoplexiam modo epilepsiam inducere, quando quotidie observatur Epilepticorum plerosque à superveniente apoplexia èmedio tolli: Imò quotiescunque humor, qui cerebrum infestat, acris est & mordax, quia facultatem inde non irritari non est possibile, ideo convulsionis motus semper inducitur. Etiam Hippocr. in apoplexia l. c. cerebrum convelli ait; quod quidem non observatur; si quidem convulsio apoplexiæ penitùs adversari videtur, quando hæc motus privationem, illa vero motum injussum & p. n. importat: Sed Hipp. acutissimus speculator, causam apoplexiæ respiciens, quæ acris & rodens materia existit, impossibile esse existimavit cerebrum non convelli, dum ab illa materia acri irritatur, quandoquidem ex 7°. Epid. constat omnes motus convulsivos à stimulata facultate pendere: Quia igitur cerebrum ab acri materia roditur, facultatem irritari necesse est, quæ ut quod molestat expellat, cerebrum motu convulsionis movet, verum quia spiritus animales per nervos, ad motum præstandum, ferri prohibentur, motus illi convulsivi cæteris partibus non communicantur, & ideo motus nullus ad sensum fit conspicuus; Si autem idem humor acri qualitate sanguinem in cerebri sinubus existentem corrumpat, ita ut sistatur, & naturali motu privetur [in hoc enim essentiam apoplexiæ Hippocr. reposuit] quia spiritus animales ad motum efficiendum concurrere non possunt, ideo convulsio, quæ in motu p. n. consistit, in partibus ultra cerebrum non percipitur: quamvis ipsum cerebrum irritatum intimius concuti convellique rationabile videatur Hippocr. sed sensus & motus privatio tantummodo apparet; quæ duo symptomata apoplexiæ essentiam constituere existimantur. Si vero ab humore prædicto non fiat corruptio & congelatio in sanguine, quæ lationem impediat animalium spirituum, sed facultatem tantummodo ipsius cerebri irritet, tunc spiritus importuno illo motu agitati, convulsionis motum faciunt, iisdem quod molestat expellere tentantibus, unde totius convulsio oritur, quæ communiter Epilepsia dicitur.

Observatio XIV.

§. 1. *Epilepsia ab obstructione ventriculorum cerebri non fit, eo quod in defunctis ejus nullum vestigium appareat.*

In sectione Epilepsiæ defunctorum nullum obstructionis vestigium apparet, sed modo macula, modo humor atet & spumosus, modo nihil prorsus. *Henricus Petræus Nosol. Harmon. lib. 1. Dissert.* VI.

Obstructionem à Galeno positam, factam ab humore frigido, crasso & viscoso, ventriculos cerebri non integre obstruente reiicit Vir Clar. 1. quia si fieret ab obstructione sequeretur privatio, aut saltem diminutio motus, at vero omnes partes præter voluntatem ad motus violentos hic concitantur. 2. quia esset eadem cum apoplexia, vel tantum majoris & minoris ratione differrent, nec tam diversa haberent symptomata, cum eadem utriusque statuatur causa, idem subjectum, idem læsionis modus, desineret etiam sicut illa in paralysin. 3. quia in Caro sequerentur symptomata Epileptica, quia talis adest causa. 4. Sternutatio, singultus & vertigo, quæ maximam cum Epilepsia similitudinem habent, à simili obstructione fierent. 5. Subita invasio & solutio non potest esse ab humore crasso difficultet mobili & dissipabili, nec locus est in quem tanta copia tam cito detrudi queat. 6. Ob rationem in textu allatam, 7. quia vacuationis post paroxysmum qualitas id ipsum redarguit; oscitant enim, sternutant, spumam per os reddunt, pandiculantur. Probabiliorem eorum sententiam statuit, qui vaporosam & tenuem materiam, sive ut Pelops Galeni præceptor nominabat, πνευματικὴν τινὰ οὐσίαν ὥσπερ αὔραν Epilepsiæ causam esse sentiunt, quæ vel acrimonia & adstrictione, vel qualitate venenata & maligna cerebrum nervosumque principium vellicando & molestando, constrictionem & angustiam meatuum inducat, & sensibiles partes ad noxii expulsionem stimulet. Vide plura l. c.

§. 2. Complurium Epilepticorum cerebrum dissectum nihil habuit ex quo obstructio colligi posset. Dissecti enim alii sunt *in quibus ventriculi* aqueo humore, aliquando etiam cruento pleni apparuerunt, quamvis Epileptici nihil passi fuissent. *Erastus Parte 4. Disput. contra Paracelsum.*

Quamvis Epileptici nihil. (Quippe ex sententia *Fernelii* desuit qualitas occulta & venenata, proxima hujus mali causa. Eum impugnat *Saxonia* Prælection. Pract. p. 1. cap. 15. §. 6. quod non possit causam reddere cur in corporibus sanis per somnum tantum, crapulam & ebrietatem, per sonitum vehementem, terrorem aut mœrorem, odorem galbani aut myrrhæ statim excitentur epileptici: Statuit autem qualitatem istam quandoque esse manifestam, quandoque occultam, priorem elevari aut ex pituitoso succo, salso, acido melancholico, ex pure, sanguine, sive concreto, sive adunc in vase excitente.

In quibus ventriculi (An possint esse in Epilepsia locus affectus, vide infra cap. 19. Illi, ex Columbo & aliis succinguntur membrana tenui, ex pia ortum ducente, sensu exquisito, prædita, ut ideo hac irritata, aut aliqua ex parte repleta, fiat Epilepsia.

Observatio XV.

Epilepsiæ causa sæpe est humor limpidus calidus & acerrimus.

Morbum comitialem ab humore limpido, calido & salso, aquæ fortis artificum æmulo nonnunquam ortum novimus.

Fervorem & acrimoniam non vereor sero tribuere, quo aliquando saturata est pituita prope crystallina. Cogitent quæso Naturæ consulti quam sit fallax caloris vel frigoris à colore indicium: Norunt id optime qui mineralia & metalla, ignis beneficio in varias partes dirimentes, prolectant liquores subtilissimos ac limpidissimos plane igneos, quibus nullum, quantumvis purissimum, resistit metallum; Eadem vero principia sunt omnium quæ terræ sinu conduntur, quæque eam vestiunt ad mortalium nutritionem; Proinde nec mirum humani corporis succos alibiles eorum repræsentare naturam, quibus insigni acrimonia immoderatis, & calore propemodum igneo præditis conficiuntur ac sustentantur. Cruda porro etiamnum excrementa quandoque ex putredine incalescunt vel excedente qualitate ignea contrahunt acredinem, quæ non raro cutem adeoque carnem ipsam exedit; Hinc Galenus, non minus vere quam diserte de causis sympt. c. 6. lib. 5. pruritum pituitæ nitrosæ adscripsit. J. *Rhodius obser. 29. cent. 1.*

Humore calido & salso (Hinc Paracelso Salinus est hic morbus, quippe chronicus de sale, stabiliore principio, participare ipsum oportet. Item *vitriolatus*, quia omnes vitrioli proprietates, tincturas & symptomata secum circumfert; quas tincturas exhalando temporis intervallis, malignas, acres, acidas, adstringentes & corrosivas, spiritibus vitalibus & animalibus, symbolum & conspirationem habentibus, nullo negotio commiscet. Fomes siquidem tetri hujus vaporis est mucilago tartarea seu impura, quam alias phlegma vocant, pituita acida, sanguis grumescens & putrescens, bilis potracea vel æruginosa, melancholia adusta, qui humor ob copiam salis vitriolati, aluminosi & armoniaci, quandoque & antimonialis & arsenicalis phlegmate mercuriali & sulphure glutinoso exutus, imitar *aquæ fortis* summam acrimoniæ, fermen-

rationis, corrosionis, & penetrationis violentiam acquirit, adeoque omnium acerbissima, gravissima & exitialissima corpori symptomata infert. Cùm enim pungentissima salia exquisitissimi sensus partes lancinant ac vellicant, & tota substantia cerebrum infestant, aciditateque styptica ventriculos coarctant, vasaque constringunt, & sulphurea fuligine spiritus obnubilant, convulsiones, luctæ, distorsiones, sensuum, tam exteriorum quam interiorum interceptiones, aut interitus etiam consequuntur; pro diversa liquoris & vaporis mercurialis & salini copia, acrimonia, aciditate atque virulentia. *Henric. Petraus Nosologia Harmon. Dissert. v. t. lib. 1.*

Observatio XVI.

Epilepsia obnoxia oves & capræ, ob redundantem fœtidam in cerebro humiditatem.

CErebrum humidius quam pro natura existit, & pituita exundat, ita ut crebriores defluxiones contingant, neque amplius fieri possit ut pituita excernatur, neque ut cerebrum resiccetur, sed irriguum & humidum esse necesse est: Id ipsum autem præcipue ex Ovibus hoc morbo correptis quis cognoscere queat, ac præsertim Capris, quæ frequentissime hoc morbo prehenduntur. Harum si caput secueris, cerebrum humidum & sudore redundans, & male olens deprehendes: Ex quo certe cognosces morbum non Deum corpus infestare, Sic etiam in homine se res habet, cum enim inveteraverit morbus, amplius curari non potest, cerebrum enim à pituita eroditur & colliquescit; quod colliquatum est in aquam vertitur, foris cerebrum ambit & circum circa alluit. *Hippoc. lib. de Morbo Sacro.*

Observatio XVII.

§. Epilepsia ab humore fœtido in cerebri substantia.

DEprehendimus in altero, cerebri substantia *humorem fœtidissimum*, eumque exiguum contineri: ventriculos tamen & meatus omnis humoris omnisque obstructionis expertes. *Fernelius de Abditis lib. 2. cap. 15.*

H*Umorem fœtidissimum, &c.*) Præter inanitionem & repletionem, vulgares Epilepsiæ causas. Saxonia Prælect. Practic. part. 1. c. 15. Irritamentum cum cæteris neotericis ponit. Quanquam nullus istorum, ait, exponat quale sit hoc *irritamentum*: Id autem dupliciter fit, Aut repleta parte sentiente, cujus facultas expultrix sit valida, quæ propterea statim insurgit ad expulsionem rei nocentis: Hujus causæ, occultis tamen verbis, meminit *Galenus* 3. de loc. aff. c. 7. circa initium, nam posteaquam declaravit fieri Epilepsiam ex crasso humore ac pituitoso, subjungit convulsionem fieri concutiente se ipsum cerebro, ac moliente expulsionem rei nocentis: Aliud *irritamentum* est tantum qualitatis sive acris & mordacis, sive venenatæ. Primam irritamenti speciem non admittunt *Erastus*, neque *Rondeletius* aut *Fernelius*, aut *Holl.* qui propterea non possunt reddere causam, addit *Saxonia*, Cur in capite per essentiam repleto, aut melancholia, aut pituita, aut aliis humoribus, vel alia materia extranea, ut in casu præsenti; Aut tumore oborto, ut in præcedenti, frequentes fiant convulsiones Epilepticæ, & illæ quidem universales. Nec quoque causam reddere possunt cur aliquando mutuo se excipiant Epilepsia & Apoplexia, Epil. & Melancholia, item Fatuitas & Phrenitis: Ejusmodi Epilepsia non potest fieri ex repletione partium infra caput, nam functiones principes & sensitivæ insigniter patiuntur: Itaque causa tunc temporis nulla est alia, quam portio hujus materiæ quæ replet partem sentientem, quam dum natura tentat excutere motum facit convulsivum.

Observatio XVIII.

§. Epilepsia orta à pauco humore putri inter calvariam & crassam meningem delitescente.

ALiquando observavimus è summo capitis vertice, in quo sub pericranio vitiatus venenatusque humor coercebatur, vaporem manifestò sensu intro subire, qui Epilepsiam concitaret, hancque postea caustico persanatam medicamento; Ita proculdubio existimari debet intus, *vel circum meningas, vel circum cerebri substantiam*, vitium contineri veneni æmulum, cujus ex intervallis impetu facto Epilepsia suscitetur: Aperto Epileptici Philosophi, qui decesserat, capite, qui vehementissimo *dolore circa sinciput* torquebatur, deprehendimus crassiorem meningem ea sede calvæ ossi adhærescere, pauculo humore putri interjecto. *Fernelius Pathol. lib. 5. cap. 3. & lib. de Abditis 2. cap. 15.*

Observatio XIX.

§. Epilepsia ab humore tenui & crasso in ventriculis cerebri.

OBservarunt præstantissimi Anatomici plerosque dissectos, habuisse ventriculos cerebri aqua simplici repletos absque Epilepsia: Contra verò Epilepsia laborantes post mortem inventi sunt habere in ventriculis *aquam biliosam, Aut saltem succum crassum fœtidum. H. Saxonia prælect. pract. cap. XV. n. IX.*

Ventriculos aqua simplici repletos.] A multis impugnatur Galenus, quod ab imperfecta ventriculorum cerebri obstructione Epilepsiam nasci dicat. Etsi vero causa hæc sit infrequens, non omnino tamen impossibilem esse quidam statuunt, quod omnis irritatio fiat à materiæ quantitate aut qualitate: Quantitas autem materiæ morbiferæ, naturæ gravis, ejus expultricem lacessit. Si ergo humor ventriculos cerebri obstruens naturæ molestus sit, quidni cerebrum ad illius exclusionem insurget? Rationes Fernelii sic evertunt. 1. Si, inquit, Epilepsia ab humoris copia fieret, in sopore ea maximè contingeret? ♃. humorem sopoiis causam substantiam cerebri, sensu destitutam, obsidere, non ventriculos, hinc nulla expultricis irritatio, in ventriculis maximè residentis; 2. Cum Epilepsia citò solvatur, cur eam paralysis non excipit? ♃. In apoplexia, cum debilis sit expultrix, ad viciniores partes detrudi materiam, succumbit enim ea præ humoris copia, in Epilepsia vegetiorem esse, ac ad emunctoria excrementa pelli: Demum falsum supponere Fernelium, ad Epilepsiam non sequi paralysin, quod à multis id observatum sit, Imo non rarò apoplexiæ præcursor est Epilepsia, quod anno 1657. Neocomi Helvetiorum in Caupone quodam vidimus, qui paroxysmos Epilepticos plures ante apoplexiam brevi lethalem sustinuit. Nec Galeni argumenti vim expugnarunt, qui illi objiciunt ut completa ventriculorum obstructio integram functionum abolitionem infert, sic incompleta imminutionem earum, non depravationem inferre apta est: Nam in integra obstructione, natura mole obruta onus excutere non tentat: In imperfecta autem satis superest roboris ad noxii exclusionem: Sic, si Pulmo totus catarrho oppleatur, nulla sequitur tussis, quia scilicet impar est expultrix copiæ materiæ, ac ne tentat quidem sarcina se liberare, sequiturque tantum summa dyspnoea: Si minori copia humor infiltat, ad expulsionem se accingit pulmo. *Riverius cap. de Epilepsia.*

In ventriculis] Cerebri ventriculos simile humore repletos, aut alio modo affectos, apertis defunctorum capitibus adinveniτe multi Medicorum, ut Smerius, Coiter, Thevartus, Salmuth, Riverius, Glandorpius, Bontius, Falcoburgius, teste D. D. Bartholino, Borellus, Rhodius, Petrus Pauvius; Vis expultrix naturalis ab ejusmodi vitiis cerebri & meningum, ac etiam à sero innatante æque lacessi potest ac à dolore & à malis cæteratum partium, &c. *C. V. Schneider. l. de catarrh. special. p. 274.*

Aquam biliosam, aut succum crassum fœtidum.] Qualitas irritans in variis latere potest humoribus, in pituitoso succo; salso, acido, melancholico, ut pure, in sanguine, tum concreto, tum vasis concluso: Ex Bile, quanquam *Hippocr.* hoc negaverit lib. de morbo sacro, experientia tamen docuit in corporibus biliosis & ingeniosissimis viris, qualis fuit *Cæsar* & *Mahumet*, frequentes factas esse Epilepsias. Ideo *Galenus* 2°. de locis 5. refert historiam Grammatici, qui cum diutius à cibo abstineret, Epilepticus fiebat, non aliam ob causam quam bilem: Melancholicum succum parere posse Epilepsiam ait *Hippocrates* Epidem 6. sect. 7. ubi ait Epilepticos fieri melancholicos, & vicissim. Ne autem putetis hoc fieri quod tota materia melancholica transmutata à substantia ad ventres pariat Epilepsiam, nam si hoc esset, sequetetur sublata accessione Epileptica, melancholiam aliquo saltem temporis spatio defecturam, quod tamen non est, imovero cum primum desinit Epilepsia, melancholia est in suo robore; Itaque causa tunc temporis nulla est alia quam portio hujus materiæ quæ replet partem sentientem, quam dum natura tentat excutere, motum facit convulsivum. Aliquando etiam sanies & sanguis corruptus Epilepsiam facit, sic observavi in filia cujusdam Nob. Patavini disruptum in capite abscessum vehementissimam peperisse Epilepsiam, quæ tamen est sublata, expurgante natura saniem per aures, per oculos & nares. Sic quoque in magnis cerebri contusionibus & vulneribus, extravenato sanguine, neque exitum habente fit Epilepsia: Nonnunquam ex suppressa urina, cujus rei historiam habeo ego singularem cujusdam monialis, cui supervenit Epilepsia ob suppressionem urinæ supra renes factam, renibus ipsis angustatis partim à calculis, partim ab inflammatione. Fit & Epilepsia cum repente aliquis cutaneus affectus recrocedit; Sic scribit Trincavellius lib. 2. cap. 6. patrem & filium scabie laborantes & inunctos, recedente scabie Epilepsiam incurrisse. *Saxonia Prælect. Pract part. 1. cap. 15.*

Ventriculos repletos] Hoc in casu duplex accedit causa angustiæ ventriculorum, materia obstruens, aut subsidentia ipsa: nam quadruplex est causa sublatæ functionis sensitivæ ac principis, sola obstructio, sola subsidentia, subsidentia cum obstructione, & subsidentia, cum compressione: Est sola obstructio, quando fit Epilepsia ex insigni copia humoris pituitosi ventriculos obstruentis, atque universum cerebrum replentis, id quod fit quando Epilepsiæ mutuo succedit Apoplexia: Est quandoque subsidentia, quando scil. membranæ ventriculorum cerebri irritamentum patiuntur à vapore aut flatu, aut qualitate mordaci aut venenata, non in ventriculis contenta, sed ex alio loco confluente: contingit tertio ut aliqua reperiatur materia in ventriculis cerebri, quæ potest esse aquea aut crassa, Si sit aquea, dummodo non sit permista cum succo bilioso, propterea non sit coloris flavi aut viridis, non facit Epilepsiam, *Idem ibid.*

Aqua simplici) De ejusmodi materia aquea pronuntiat Idem, eam nisi sit permista succo bilioso, nec sit flava aut viridis, non facere Epilepsiam, quod desit irritamentum, necessarium ad illius morbi productionem. *Vide Observ. 17.*

Ventriculi repleti absque Epilepsia, &c.). Si materia Epilepsiam committens est quam confinxit Galenus, cur innumeri catarrhosi, & quibus multa pituita plenum est cerebrum, Epileptici non fiunt? An quia est dispositio aliqua, an non? Et si est dispositio, an prius inducta est, an simul cum materia inducitur? Si materia id facit, quare non omnes Epileptici fiunt? an quia materia aliam acquirit qualitatem? Qui subtili sunt ingenio, & delicato cerebro, ii facile in Epilepsiam cadunt, Item qui crasso & obeso sunt corpore, & obtuso ingenio: An id eadem ratione? Nequaquam, exquisitus sensus id facere potest; omnis pars delicata & exquisito sensu prædita, non facile fert cumulum humorum, & tetra adversaque anathymiasi prompte feritur: Imo etiam solo jejunio facile nervi laborant, & melancholicis, quia assiduis agitati curis spiritus & sanguinem inflamant, cerebrum à sua mole facile obruitur. *Iac. Thevart Annot. 4. in consil. 4. lib. 2. consil Ballonii.*

Aquam biliosam] Hippoc. lib. de morbo sacro, hunc morbum ait pituitosos non autem biliosos inva-

invadere: Hujus tutelam suspiciens *Martianus*, ait hunc morbum ex sui natura biliosos non corripere, quia non est verisimile cum hoc temperamento tantum pituitæ generari, ut corpus, & caput maxime, ad hunc morbum producendum disponatur: At quia ab erroribus in victu, per repetitas cruditates hujusmodi humores accumulari possunt, ideo non esse inconveniens Apellæum Larissæum, juvenem temperamento biliosum (5. Epid.) sacro morbo correptum interiisse, propter errores in victu commissos, quo respiciens Hippocr. subjunxit in historia *Erat valde vorax multi cibi*, Ex hoc inferens morbo incongruo correptum, & interemptum fuisse. Pituitam autem sinceram vix hunc morbum parere posse, ex ipso Hippocr. constat, qui eodem libro Capras & Oves huic morbo obnoxias pronunciat, ob cerebrum humidum quidem & sudore redundans, sed male olente: accedente nempe humoris putredine: Et paulo post subdit cerebrum à pituita erodi & colliquescere, quod simplex pituita præstare nequit.

Observatio XX.

§. *Epilepsia ab apostemate in cerebro, venis tenuis meningis sanguine nigro turgidis, &c.*

Melancholicus Iuvenis Paralysi & convulsione in febre laborans, Epilepsiæ frequentes paroxysmos patiebatur, &c. In latere dextro admodum turgebant venæ tenuis meningis multo sanguine nigro & concreto, Ea pars nigricabat & Apostema continebat in proxima cerebri parte. *Ex Observat. Ioh. Bauhini.*

Melancholicus Iuvenis) Hippocr. 6. Epid. sect. 8. ait melancholicos plerumque fieri Epilepticos & vicissim, prout in alterutram partem morbus inclinaverit. Si quidem in corpus, Epilepticos fieri vult, Si autem in mentem, melancholicos. *Galenus* 3 de locis, converti in mentem dicit, esse afficere secundum temperamentum. Converti in corpus, afficere secundum compositionem: Epilepsiam ergo fieri ab humore obstruente, Melancholiam ab humore intemperiem inferente, mentisque sedi tenebras offundente. Clariss. Willis (qui melancholiam distincte Animam, & quasi seorsim à corpore, sive cerebro, affici statuit, quatenus nimirum spiritus animales (qui animæ corporeæ hypostasin constituunt) à passionibus animi violentis inordinationes concipiunt, in quibus cum diu persistunt, totam animam imo & corpus à debita crasi & constitutione deflectunt, per mentem ipsam animam intelligit.

Melancholicus juvenis paralysi, &c.) Quod hic morbus non raro in paralysin, melancholiam aut maniam desinit, ratio est, quia crebris spirituum animalium explosionibus cerebri tonus & conformatio depravatur, ejusque naturalis status tandem ita pervertitur, ut particulis morbificis, etiam alius generis intus admissis, spiritus figantur, nec amplius in explosiones justo procliviores sint; quin potius vitio interdum contrario superinducto, ipsorum virtus elastica nimium deficit, ita ut supra modum hebetes & torpidi evadant: non secus ac intensiora febris incendia sanguinis intemperies justo frigidior sæpe excipit; atque hæ quidem spirituum depressiones, partim propria ipsorum culpa contingunt, quippe particulis agilioribus nimium explosis, segniores tantum superstint & deinceps suppeditantur: partim vero cerebri vitio accedunt, eo quod pori & meatus ejus, à crebris caduci paroxysmis, usque adeo dilatantur & aperiuntur, ut postea una cum succo nervoso, particulis quibusdam heterogeneis, & diversimode morbificis aditus patescat. *Willis Patholog. cerebri cap.* 5.

Observatio XXI.

§. 1. *Epilepsia ab abscessu in cerebro excitata.*

Quæ in cerebro fit Epilepsia, aperto eorum qui è vivis decesserunt capite, animadversa est sæpe aliunde suscitari quam ex ventriculorum infarctu: Causam interdum deprehendi Abscessum esse. *Fernelius Pathol. lib. 5. cap. 3.*

§. 2. Juvenis caput aperuimus qui punctim ense tenuissimo in dextra frontis parte ante XVI. dies ictus fuerat. Calvaria cum utraque meninge perforata, in cerebrum alte penetrarat, Abscessumque fecerat; in quo puris albi unciæ fere tres latebant. XI. vulneris die cum Epilepsia febricitabat. *H. Smetius Miscellan. lib. x.*

Aliquando sanies & sanguis corruptus Epilepsiam facit, Sic observavi in filia Nob. Patavini disruptum in capite Abscessum vehementissimam peperisse Epilepsiam, quæ tamen est sublata expurgante natura saniem per aures, per oculos & nares: Hic causa Epilepsiæ non potest esse sola qualitas; nam simplex qualitas cito dissolvitur, neque alius remanet affectus, quod aliquando contingit, ut cum jungitur apoplexia, fatuitas, phrenitis, melancholia; Sed repletio partis sentientis, cerebri & ventriculorum, quorum expultrix valida insurgit ad impulsionem rei molestæ. *Saxonia l. c.*

Observatio XXII.

Epilepsia à læsione substantiæ cerebri ab accepto vulnere, cum sanguinis effusione, &c.

Studiosus vulneratur in vertice, musculo masseтere sinistro, utroque calvam penetrante, & in dextra frontis parte. Sexto die Epilepsiam patitur: Ipsa cerebri substantia divisione passa

passa erat: Os autem cranii fissuram habebat, Sub cute in occipite, in tempore dextro, & frontem versus, contusiones aderant cum sanguine coagulato interfuso. Et inter calvam, circa verticem & lambdoidis initium, ex sanguine grumoso, macula ossi inhærens, &c. *Vide l.4. tit. de vulneribus.*

OS cranii] ut Cranium osseum evadat, causa efficiens sunt particulæ salinæ in sanguine: cerebrum irrigante, quæ interiori spirituum animalium operi inutiles, adeoque extra amandatæ, in peripheria ita concrescunt ac in duritiem saxeam congelantur. Enimvero sanguis versus caput delatus, uti spiritu, ita sale plurimum abundat: hujus particulæ summe volatiles, spiritibus conjugatæ, cerebro impenduntur: interim corpuscula salina, quæ fixioris naturæ sunt, à spiritu insito de cerebro in circumferentiam protrusa, cranium lapideum, velut bullam flatu incluso superinductam, constituunt. *Willis Anat. cerebri cap.6.*

OBSERVATIO XXIII.

§. 1. *Epilepsia à cerebro Sphacelato post crany vulnus.*

VUlneratur quidam in cranio, qui visus est Chirurgo sanitati restitutus, Egreditur domo & funus quoddam procurat, altera vero die repente concidit & Epilepsia extinguitur.

Aperitur cranium & dimidium cerebrum Sphacelosum reperitur. *Philip. Salmut. Cent. iij. Observ. xxv.*

§. 2. Cerebrum Sphacelosum vidit *Glandorpius* Observat. 6. atque hinc ortam Epilepsiam.

OBSERVATIO XXIV.

In Epileptica mulieris Sinu meningis duræ Polypus insignis repertus.

IN sinu meningis duræ longitudinali subjecti muliebris, publice in Theatro Amstelodamensi dissecti, materia continebatur alba, tenacissima, quæ sinum replebat & ad omnes sinus rivulos diffundebatur. Epilepsia laboraverat mulier jam ab aliquo tempore, qua etiam extincta. *G. Blasius Observ. Med. 2. Parte 6.*

OBSERVATIO XXV.

§. *Epilepsia à gladioli frustulo in ipsa cerebri substantia impacto.*

REtulit Joh. Dom. Sala, in ipsa cerebri substantia gladioli impacti frustulum perpetuo cuidam, reliquo curato vulnere, sine detrimento hæsisse, nisi quod Comitiali morbo frequentius convelleretur. *Th. Bartholinus hist. LXVII. Cent.4.*

OBSERVATIO XXVI.

Epilepsia oborta à carnoso tuberculo in cerebri ventriculo contento.

NUllo ingenio huic malo admodum gravi, quandoque medelam reperiri miretur nemo, qui communis mali causas, ut plurimum inexpugnabiles consideraverit. Quidam singulari Joh. Prævotii fama excitatus, recuperandæ valetudinis spe Patavium venerat Nullo effectu ad suos reversus, quum paulò post fato cessisset, in ceribri ventriculo Tumor carnosus fuit inventus, qui cerebro compresso inanem huic morbo Medicinam docuit. *Ioh. Rhodius Centur. 1. Observ. lv.*

OBSERVATIO XXVII.

Epilepsia excitata ab osse acuto juxta falcem latente; cui successit gangræna duræ meningis.

CApitaneus ex equo repente cecidit aphonus, ubi ad se rediit, invadit dolor capitis; post sextum annum, herculeus morbus lethalis. Aperto capite, dura meninx à futura coronali ad frontem fuit detenta; & in medio cerebro latuit sat magnum os, acutum, quod suo acumine membranæ inflammationi & corruptioni dedit ansam. *Vide Tit. de Dolore cap.*

OBSERV.

Observatio XXVIII.

In Epileptici cadavere angustia nativa ventriculorum cerebri reperta est.

ANno 1649. adolescens quidam 18. annorum Epilepticus in nosodochio Leydensi, in ipso Epileptico insultu mortuus est, cujus dissectionem cum Clar. Falcoburgius aggressus esset, & inter cætera in causam mortis accurate inquireret, Nullam invenire potuit manifestam, præterquam quod *ventriculi cerebri nimis erant angusti* quam alias naturaliter constituti esse solent: In Pectoris vero capacitate humoris sanguinei cocleat unum inventum est. In imo ventre omnia optime constituta erant, Lien solito gravior, sed boni coloris & habitus: Præterea *membra generationi inservientia* p. n. erant conformata, nam vasa semen Deferentia vix conspiciebantur. Præparantia in uno latere deerant, Testiculi autem intus retracti fuere. *D. Simon Schulzius miscell. cur. anni 1671. Observ.62.*

ADolescens *vasa generationi inservientia p.n. conformata*) Epilepsiam interdum sua sponte terminari; ac fere tantum circa pubertatem contingit, adeo ut qui ista periodo elapsa, h.e. ante 25. ætatis annum minime curantur, vix unquam postea sanitatem recuperent; Nimirum circa pubertatem corpori humano duplex alteratio, atque propterea morbi comitialis, aut alterius cujusvis altius radicati, non raro solutio contingit. Nam 1°. hoc tempore humor genitalis in vasis spermaticis congeri incipit, unde sequitur particulas spiritnosas, quæque ipsis accrescere solent nitrosulphureas, & morbificas non tantum in cerebrum, sed etiam in testes deponi, quare si heterogenea ista spirituum copula in novum hoc promptuarium uberius inferatur, ex inde cerebrum immunius degens, diarhesin epilepticam, aut alias morbidam non raro exuit. 2. Circa pubertatem, prout sanguis aliquid cerebro prius destinatum, per arterias spermaticas genitalibus suffundit, sic etiam fermentum quoddam ab iisdem partibus per venas retributum accipit, sc. particulæ quædam seminali tinctura imbutæ in massam sanguineam regeruntur; quæ ipsam vigorant, ac virtutem novam & vegetiorem inspirant: quare tunc temporis & corporis & animi dotes se potissimum exserunt, pili erumpunt, vox sonora evadit, fœminis catamenia fluunt, aliaque accidentia superveniunt: quibus liquido constat & sanguinem & succum nervosum ζυμώσει quadam recenti impraegnari, quam fermenta, sive seminia morbifera nisi ab hoc novo fermento naturali superantur, deinceps sæpe usque in mortem indomita persistunt. *Willis Pathol. cerebri c. 3.*

In ipso Epileptico insultu mortuus est) Accedente forte casu, qui in vehementi affectu fere accidit. Notandum autem monet Clar. Willis hoc morbo laborantes non tam cadere prout Apoplecticos, aut syncopen passos, sed potius cum impetu prosterni, inque terram, aliáve corpora fortuito objecta, tanquam à spiritu quodam maleflco dejectos allidi, ita ut sæpissime aliqua capitis aut faciei pars præ casu violento lædatur, affectosque haud secus ac Dæmoniacos in Evangelio, non raro in ignem aut aquam præcipitari. Huc referre oportet Epilepticos ejusmodi malis obnoxios fieri, eo quod urgente paroxysmo iis notitia omnis sive providentia adimitur; ac insuper nervis capiti vicinis valde contractis tota corporis moles in præceps corripitur. Nimirum in syncope & apoplexia, corporis affecti casus videtur tanquam ædificii ruina, quæ ob fulcimenta ejus substracta contingit: At vero in caduco, non aliter res habet quam si domus à pulvere pyrio exploso everteretur, quæ ut plurimum extra locum in quo steterat dimovetur.

Ventriculi cerebri nimis angusti] Ideoque, ex sententia Galeni, imperfectæ obstructioni magis obnoxii; Si cum Neotericis excrementorum receptacula eos statuis, dic quandoquidem præ angustia eorum capaces non essent, ab illis oppressum fuisse cerebrum, meatus obstructos, &c.

Observatio XXIX.

§. *Epilepsia à compressione ventriculorum cerebri, & sanguine concreto in substantia ejus.*

NOnnunquam cerebri ventriculi ita collapsi sunt in Epilepticis, ut spirituum non facilis sit transitus liber: *Adr. Falcoburgius* puerum XVI. annorum in ipso Epilepsiæ paroxysmo extinctum aperuit, nullámque aliam Epilepsiæ mortisque causam invenit, nisi quod cerebri ventriculi valde fuerint compressi, sibique invicem superiacentes, sine ulla manifesta cavitate: In supremo verò cerebro, prope cranium, sanguinem concretum detexit. *Th. Bartholinus cent.2. histor.92.*

VEntriculi valde compressi] Huc pertinet Epileptici Iuvenis historia à *Ballonio* Paradigm. 122. allata, Quidam *ait* XX. annos natus epilepticus erat; nil tale passus erat antequam natus esset annos x. At nono ætatis anno inciderat in cranium, qua decurrit corona στεφανιαῖα, effractum est cranium; Effectum ut quod intro pulsum erat relevaretur: Os illud quod effractum erat vitium attigerat, ideo incremento & nutritioni prohibebatur: Sic reliquum cranium crescebat, & qua parte læsum fuerat non nutriebatur, secundum illam partem tamen cerebrum crescebat: Sic per oppressionem cerebri, quo præsertim tempore turgebat, vertigines & Epilepsia.

Observatio XXX.

§. *Epilepsia à materia adipi simili inter cerebri ventriculos sita.*

FAto functo Epileptico quodam, inter cerebri ventriculos magnam materiæ adipis æmulæ copiam reperi. Hæc autem materia sine dubio, vel ventriculos comprimebat, vel vasa, adeo ut obstruerentur, nec spiritus animales facile ea permeare valerent. *Petr. Borellus Cent. 2. observ. lxxviii.*

Observatio XXXI.

In Epilepticæ cerebro nihil secanti occurrit præter tenuia & exilia quædam corpuscula in ventriculis.

MUlieri intra paucas horas extinctæ cum convulsionibus, in cerebro nil ferè alienum compertum est. In ventriculis aliqua erant corpuscula; sed adeo tenuia & exilia ut parvi essent momenti. Accepimus eam huic morbo alias obnoxiam fuisse. Erant hæc Epileptica. *G. Ballonius Epid. lib. 1. p. 69.*

Observatio XXXII.

§. *Epilepsia ab incurvatione diploïs interna excitata.*

VIri cujusdam magni nominis filiolus septimestris, dum nutrici de nocte ad lactandum traderetur, somno, si non vino, obrutæ (nam solebat per vetulam furtim vinum emendicare, matula deporratum) postquam denuo puellum in cunas reponeret, cecidit supra earum quandam prominentiam, unde post quatuordecim dies correptus Epilepsia ad plures abiit.

Ut ignota, & à perversis mulieribus suppressa innotesceret causa, dissectum fuit caput, in quo paulo supra tempus sinistrum inferior cranii lamina, seu tabula, in notabilem tumorem elevata versus cerebrum, superiori omnino illæsa, visebatur: unde facta eo loci membranarum compressione, humorum affluxu, ac cerebri notabili corruptela, Epilepticus exspiravit. *Antonius de Pozzis, Observ. 35. miscell. curios. Anni iv.*

Appendix.

Suturarum prava dispositio in tribus Epilepticis.

IN figura deviabant Suturæ capitis fatui cujusdam, quæ omnes uno quasi clivo exaltatæ eminebant. Quod in tribus Epilepticis pueris Neapoli vidimus, præsertim coronalis, ut novam Epilepticorum & causam & curationem suggesserit. *Bartholinus Anatom. Reformata libello iv. cap. v.*

CUrationem (Ad eas futuras, quæ muri instar extabant, deprimendas ustione Arabica, per fila accensa, utebatur *Severinus* in Siphyllide, hydrope, ulceribus, tumoribusque, summo successu cum Ægyptiis usitata: Ego in quodam ingenii acuti, sed singularis, ossicula suturæ lambdoideæ ita tumentia vidi, ut digitis singula discernere valuerim, dubio omni procul cerebro huc amandante supervacaneas humiditates, ficut in exostosi & siphyllide in tumorem ossa elevari videmus: Ossa enim, quia per sanguinem nutriuntur augenturque, abscessus pati possunt & quosvis Tumores. *Idem cent. iy. histor. xxx.*

Observatio XXXIII.

Epilepsia à vasis tenuis meningis sanguine nigro & concreto repletis, cum apostemate in proxima cerebri parte.

MElancholicus juvenis (*de quo Tit. de paralysi*) laborabat paralysi & convulsione cum febre insigni; mente constabat extra paroxysmum Epilepsiæ: In latere dextro admodum turgebant venæ tenuis meningis multo sanguine nigro & concreto: Ea pars nigricabat, & apostema continebat in proxima cerebri parte.

De Epilepsia à sanguine vide *Petrum Salium Diversum de affectibus partic. cap. 3.*

Observatio XXXIV.

§. *Epileptici motus per consensum à Pulmone dextro adusto, nigerrimo, thoraci adhærente, Cerebro & reliquis partibus salvis.*

ADolescens Basileensis territorii, annorum forte aliquot supra viginti, ingenti Parotide laborans, á Chirurgo nuper curatus fuerat: Certa die incalescens frigidæ haustum avidissime sumit & herbæ incubat, Paucis diebus post de cephalalgia conqueritur, febricitat, delirat, ita ut in Xenodochio nostro detentus pauper vinciri juberetur: Inde omnibus fere horæ diei quadrantibus buccas extraordinarie motitans, Epilepticis insultibus corripitur, sputum album bullis refertum plurimis exprimens, oculos intorquens, servato semper judicio & sensibus, ut mihi interroganti in ipso vigore observare contigit, imo expedita satis post paroxysmos breviusculi temporis ad interrogata responsione. In collo dolere se compellatus respondebat, ubi tamen & nihil p. n. exterius deprehendebatur: urina citrina, crassa erat cum hypostasi: pulsus debilis, æqualis & parum febrilis, sudoribus facillime diffluebat æger: Deliria quidem theriaca & syrupo de succo limonum cum aqua acetosæ pacari potuerunt, nunquam illis vel aliis curari morbus.

Aperto cadavere, fellis vesiculam externe & interne albam & vacuam plane reperiimus: Pulmonem dextrum adustum, instar atramenti nigrum & thoraci firmiter adhærentem, Unde per consensum cum cerebro motus epileptici & deliria accesserant: In cerebro & reliquo corpore nihil contra naturam invenimus. *I. Nic. Binningerus Observ.38. cent.3.*

Observatio XXXV.

In Epileptici cordis sinubus humor concretus repertus.

IN hominis cadavere per me secto, inventus uterque *Sinus cordis* humore obsitus concreto, instar vulgaris gelatinæ flavioris; quam ego putavi potius pituitæ mucaginem, bilis aliqua portione tinctam. Hic primum Epilepticus & elinguis, demum occubuit cum sinistri brachii convulsione: Ejusmodi ad unguem concrementum repertum est & in *magnis venis quæ cordi inferuntur*, atque etiam in hujus auriculis Religiosi. *Severinus de Abscessibus pag.277.*

IN *magnis venis quæ cordi inseruntur (Hippocr.* Replerionem Epilepsiæ causam pronuntiat, quæ ipsi præcipuè est in venis illis duabus, quæ ab hepate & liene cerebro communicantur, ut lib. de morbo Sacro legitur; Facit enim ibi venosi non nervosi generis affectum, ut ostendunt verba illa, quibus grandiores ab hoc affectu absolvi ait, Quia venas cavas patentes habent & magnas, in quibus sanguis calidus est multus, Senes è contra, quibus vacuæ venæ, paucus sanguis, aquosus & tenuis, facile interfisci. Tumultus & harum turbarum causam, in libro de Flatibus ponit sanguinem conturbatum & tumultuantem, cujus motus inæqualis & impeditus est: Libro autem de rat. vict. in Ac §. 37. & 38. venarum earundem interceptiones accusat, & spirituum liberum per eas excursum impeditum. Quum dolores *ait*, accesserint, atræ bilis & acrium fluxionum affluxus fiunt; Dolent autem partes internæ dum mordentur, conversæ vero & valde siccæ factæ venæ, intenduntur, & inflammatæ affluentia attrahunt, Unde corrupto sanguine, & spiritibus non potentibus naturales in ipso vias permeare, perfrigerationes fiunt ex statione, & vertigines & vocis interceptio, & capitis gravitas, & convulsiones, si jam ad cor aut hepar, aut ad venam devenerint: Hinc morbi Comitiales fiunt, aut Semisyderati, si in ambientes locos fluxiones insiderati, & à spiritibus pertransire non potentibus, resiccatæ fuerint, Vide comment. *Vallesii & Pr. Martiani* in eum locum & P. *Salium* de Affect. partic. cap. 3.

Ejusmodi concrementum, &c, (De hujusmodi concrementis & fibrosis corporibus, in corde & vasis illi vicinis repertis vide Tit. de Apoplexia. Talem viscositatem, vasis majoribus adhærentem deprehendisse se in arteria pulmonica, venosa dicta, in infante, ternario subsultu è vivis erepto. tradit *Bennevus Theatri Tabid. Exercit. 19.*

Uterque sinus humore obsitus) Hinc collige venæ sectionem ad Epilepsiæ curationem conferre, restituta sic sanguini, alias stagnaturo, commeatus libertate. Narrat *Riverius cent. iv. Observ.* 38. Puellam 12. annor. Epilepsia frequenter corripi solitam, irritis omnibus remediis, cum pleuritide correpta fuisset, pluries ei sectam venam, & ab eo tempore ab Epilepsia vixisse immunem. *Et Rhodius cent. 1. Observ. 64.* ait octennem puerum, frustra omnibus tentatis, tandem sanguine è vena cubiti aliquoties in mense educto, convaluisse, summa in corpore inducta mutatione ab hoc præsidio, quam tamen non admittendam monet; præterquam in morbo per consensum cum genere venoso & sanguine plurimum fervido oborto. Qua de causa, & cum per arterias deferuntur humores *Epilepticorum insultuum causâ*, Arteriotomiam imperat Severinus Chirurg. Efficacis p.4.6. atque feliciter institutæ exempla profert.

Cordis (Firmari videtur inde eorum sententia qui Epilepsiam per cordis consensum adstruunt, & eo quod plerisque antequam afficiatur cerebrum, insignem in cordis regione læsionem percipiant. Refert *M. Donatus* H. M. lib. 2. c. 4. Canonicum quendam antiquæ & frequenti Epilepsiæ obnoxium, imminente paroxysmo de corde conquestum esse; cujus regionis, si à socio fieret frictio, multo levius evaderet malum, citiúsque

citiisque hinc desineret paroxysmus. Non tamen hinc licet inferre Cor principaliter & primo affici, considerent enim vires si læsio esset idiopathica, antequam sympathica fieret: Cardialgiæ autem, paroxysmi prodromus, vapori venenato, ab inferioribus mananti, ac cor in transitu lacessenti adscribenda videtur, quod prius palpitat antequam icto cerebro sequatur Epilepsia: At quia interim dum cor afficitur mens permanet integra, hinc est quod ægri de sola cordis passione querelas edunt, non de corde, quo subinde affecto mens quoque aberrat.

Sinus Cordis (Cujus insignis cum cerebro consensus, tum in statu naturali tum præter naturam: A mutua cordis cum cerebro, inquit *Clar. Louver. Tract. de corde cap. 2. p. 99.* & sibi invicem accommodata opera, tota sensus motusque ratio dependet, Dum scil. à cordis motu, sanguis continuo in cerebrum & cerebellum pro extillandis spiritibus transmittitur, & spiritus vice versa per nervos in cor influentes, motum ejus perennem & constantem vicissim conservant, Adeo ut cordi debeatur quod spiritus in cerebro nunquam deficiant: Quin & cerebrum hoc agit ut cordis motus nunquam cesset.

OBSERVATIO XXXVI.

§. *Epilepsia illæso cerebro ejusque ventriculis excitata.*

DEcembr. x. 1613. aperui corpus cujusdam decollatæ quæ Epileptica dicebatur; In ejus tamen ventriculis cerebri nullus omnino humor apparuit: Ipsa etiam cerebri substantia erat temperamenti siccioris: Unde conjeci ipsam aut Epilepsia non laborasse aut Epilepsiam fuisse per consensum. *Saliz mannus observ. Anatom. pag. 48.*

C*Erebri substantia erat temperamenti siccioris*) An ut Vertigo (Epilepsiæ prodromus & ἀδελφὰ ἰδιοφυὴς) aliquando oboritur cerebro nimium repurgato, ideoque exquisitioris sensus reddito, ut in iis qui Trochiscis viperinis abutuntur, Sic Epilepsia similem habet generationem? Revera constat quosdam sagacissimi ingenii, cerebrique ob id defœcati, soni lentico morbo laborasse, quod de Mahumete produnt & Julio Cæsare: Auram autem, & vaporem subtilissimum ad eum affectum inducendum satis esse omnibus in confesso est, ut oculis obviam causam exposcere necesse non sit.

OBSERVATIO XXXVII.

A Sero vel aqua limpida, qua talia sunt, Epilepsiam non posse produci, ostenditur ex eo quod in plurimis defunctorum capitibus cerebrum illis immersum, citra affectum illum repertum est.

TAntæ ægritudini excitandæ colluvies serosa, aliique minus efferi humores, licet in ipsis cerebri ventriculis, aut circa nervorum origines depositi non sufficiunt: Quippe in defunctorum capitibus non raro cerebri medullia, ipsaque nervorum principia aquæ limpidæ prorsus immersa vidi, quibus tamen dum vixerunt, nec Epilepsia nec motus convulsivi adfuerunt. *VVillis lib. de morbis convulf. cap. 2.*

POtius ad hos motus producendos requiruntur corpuscula maxime activa, qualia sunt salina & sulphurea, quæ cum spiritibus combinata, & dein subito erumpentia, particularum mineralium combinationes, violentasque combinationes imitentur. Quandoquidem enim in motu regulari & ordinario musculi impetum motivum & vim elasticam concipere nequimus, nisi spirituum animalium explosio quædam supponatur, certe multo magis pro insultibus Epilepticis, aliisque convulsionibus admirandis excitandis, eorundem spirituum cum aliis particulis valde efferis complicationes, eorumque ab invicem elisiones vehementes requiri asserere licebit. *Idem.* Vide plura de Convulsione in genere.

OBSERVATIO XXXVIII.

§. 1. *Anatome puellæ Epilepticæ cujus cerebrum vitio caruit, cum viscerum omnium integritate.*

ANno 1676. mense Junio obiit puella annicula, Filia Illustr. Dom. Ezechielis Spanhemii, Serenissimis Electoribus Brandenburgico & Palatino à Consiliis, Coloniæ eorum nomine Residentis, &c. Leviri mei, Quæ per tres hebdomadas gravissimis insultibus Epilepticis vexata, randem irritis omnibus remediis interiit.

Dissecto mortuæ cadavere, viscera omnia sine labe reperta sunt, nec quicquam vitii præ se tulere, quod tam pertinacis affectus & lethalis causam proderet: Cerebrum omnino incolume.

MEminisse hic debet Medicus præcepti à *Ballonio* traditi hist. 1. lib. 2. consil. alibi adducti, Nescio qui fiat, *ait*, ut morborum cerebri notitia difficillima sit, quoniam multi convulsi sunt, pavoribus consternati phrenitide, apoplexia, Epilepsia sublati, lethargicis affectibus oppressi, Sideratique, in quibus nullum fere vestigium mali, aperto cranio, inventum est,

nec sanguis, nec aqua, nec ichor; quanquam Medici, qui historiam morbi vidissent, & terrifica symptomata observassent, certo affirmarent, sibique persuaderent se aut inter membranas, aut in cavitatibus, aut alia in parte, aut abcessum, aut sanguinis, aut aquæ copiam deprehensuros: Ut tantò cautiorem prudentioremque Medicum esse oporteat, & in investigandis rerum causis diligentiorem, quanto res sunt abditiores: Adeo est obscura morborum capitalium ratio & evolutio difficilis.

§. 2. Infantium Epilepsia extinctorum cerebra perspexi, sæpius nihil in iis unquam notavi: Quos tamen medentes concordi assensu confirmabant Essentiali, ut loquuntur, Epilepsia conflictatos fuisse: multos hic morbus à teneris unguiculis exercuit, nec ulla nota offensi cerebri post mortem eorum in capitibus deprehendi poterat. Non vero is sum qui cerebrum nego vitiari posse. Ipse in eo viscere malos humores résque alienas aliquando deprehendi; inde autem Epilepsia semper haud nata fuit: Ac si accesserit irritatio tantum in cerebri partibus sensibilibus facta, fuit commota hinc facultas naturalis expultrix, qua corpus tantopere concutitur, vis autem animalis illis debilior est, ut prior validior: Ii vero convalescunt ætate procedente, qua Animalis se interdum corroborat. *S. V. Schneiderus lib. de catarrhis specialiss. pag. 257.*

Observatio XXXIX.

In muliere Epilepsiæ & convulsionibus obnoxia, solum Pancreas male affectum deprehensum est.

Licet sæpius contingat *Epatis*, *Lienisve affectiones* pravas malam Pancreatis, constitutionem insequi, non raro tamen contrarium evenire experientia docet, Hoc in Nob fœmina *Highmorus* observasse se in disquisitionibus Anatom. scribit, quæ annos retro plures convulsionibus, Epilepsia & *passione hysterica* laborabat, & tandem post dolores & cruciatus exquisitos *obiit*, Aperto corpore, *solum Pancreas male affectum* & ulceratum inveniebatur. *Ger. Blasius ad cap. iv. Anat. Veslingij.*

Pancreas male affectum (Pancreatis affectus ad cerebrum pertingere palam faciunt vigiliæ pertinaces totos sex menses quendam fatigantes, in quo omnia illæsa præter Pancreas reperta sunt. Quomodo autem eo affecto Epilepsia induci queat, vide infra.

Post dolores & cruciatus exquisitos, &c.) Accidit sæpe, ait *Sennertus pract. lib. 1. p. 2. c. 31.* ut instante paroxysmo epileptico, dolor vel tensio in cruribus, aut alia parte externa percipiatur: imo inde etiam quasi aura quædam ad caput ascendere sentiatur; Cum tamen eo loci causa mali genita non sit, sed in utero; cujus expultrix causa morbifica stimulata per vasa materiam venenatam excludere conatur, cui calor innatus, & vis partium principum occurrens, eam per vasa in pedes, vel alia loca remotiora detrudit, ubi congesta vires tandem acquirit, & vel nervis communicata, vel per alias vias ad cerebrum tendens, Epilepsiam excitat: In tali causa diligenter inquirendum an uteri affecti signa præcesserint.

Hepatis Lienisve affectiones [Epilepsiam per consensum à variis partibus oriri constat: Cum melancholia conjunctam, a Liene ortam vidit *Tulpius* in Juvene l. 1. Obs. 9. Lien in eo, *ait*, à turgido atræ bilis fermento jam tumidus, diffudit illico ex se vapores cerebro tam inimicos, ut Juvenis protinus concideret in vehementissimos morbi comitialis insultus, excitatos non tantum à causa interna, sed subinde quoque ab externa: nam pressa vel solo digito regione Lienis, contrahebantur illico omnes nervi, & sequebatur confestim miserabilis universi corporis distensio, lædens iteratis, suis circuitibus usque eo mentem jam aliquoties labefactatam, & cumprimis vim ipsius imaginatricem, &c. Ortum quoque Epilepsia à Renibus & vesica ducit, Referebat nobis, (*inquit Excell. Thomas Bartholinus* histor. 61. centur. 5.) Bened. Silvaticus vidisse se in Austria Principem Epilepsia laborantem ex Renum affectione cum vesicæ calculo; hocque ipsi malum fuisse hæreditarium narravit, à matre calculosa contractum, quæ Epilepticis convulsionibus sæpe correpta tabida tandem obiit. *Galenus 3.* de loc. aff. 7. ex pollice pedis suscitatam refert, quod & Saxonia Prælect. pract. cap. 15. observasse se refert, *Galenus* item 6. de loc. 5. ex utero natam vidit, ob retentum semen & menses. Eandem à Testibus & vasis spermaticis suscitari quidam tradunt.

Tandem obiit. (Cum paroxismi Epileptici crebro repetunt, & qualibet vice atrociores fiunt, functio animalis brevi debilitatur; atque hinc labe in spiritus & nervos; præcordiis inservientes sensim traducta, functio vitalis paulatim enervatur, donec tandem languente toto corpore, pulsuque imminuto, ac demum cessante, postremo flamma vitalis extinguitur. *Willis Patholog. cerebri cap. 3.*

Epilepsia, dolores & cruciatus, &c. (Ventris scil. Epilepsiæ autem & ventris torminum causam in succo pancreatico quærit *Cl. Regn. Graaf.* Tract. de eo succo c. 10. *Epilepsiæ* quidem, à succo Pancreatico (*inquit* (acidiore puerorum insultus Epilepticos provenire nemo non credet, qui accurate ad insultus, & ipsos concomitantia symptomata, & curandi rationem attenderit: nam præterquam quod acidum sæpissime per os expirent, ventris tormina patiantur, lac concretum sursum & deorsum excernant; alvi excrementa viridia sint & acidum odorem a se fundant, etiam acidum temperantibus curantur, v. g. aqua fœniculi, liliorum convallium, spir. salis ammoniaci & similibus.

Ventris autem *doloris* causam sic statuit. Si succus Pancreaticus acrior cum Bile actiori concurrat, ingens statim in tenui intestino excitabitur effervescentia, qua intestina quandoque ita distenduntur ut ruptionem minentur, &c. Si præter dictos succos modo jam dicto peccantes,

cantes, multa in intestinis hæreat pituita, eàque viscida sit, præter dicta incommoda statim accedent flatus: Si succus Pancreaticus acidior cum Bile inertiori concurrat, non quidem tam manifestam excitabit effervescentiam, sed acrimonia sua intestinorum tormina, erosiones, &c. excitabit.

Observatio XL.

Infantis Epileptici cadavere aperto, vitium in intestinis & ventriculo repertum est.

SÆpius apud Nos infantes recens nati, vel etiam ad semestre spatium accedentes, derepente sine ulla manifesta causa, quandoque cum, quandoque sine magnis clamoribus Epilepsia corripiuntur, emoriuntur, ut suo merito hinc νόσημα παιδικὸν ex Hipp. sententia audiat: vix enim denos inter centenos reperire licebit infantes mortuos, qui non convulsionibus; vel illis certe supervenientibus, mortui. Novi in Ill. familia aliquot successive Epilepticos obiisse infantes, omnes sex vel septem septimanis à partu, ita ut desperabundi parentes in proxime nascituro inustionem occipiti, more in Italia, imprimis Florentiæ receptissimo, instituere decreverint, ad avertendum gravissimum hunc effectum: Alios notavi, qui à convulsionibus servati, ad primum tamen usque septennium stato tempore singulis annis semper recidivam passi, reliquo tempore bene & extra ullam molestiam, constituti. Varias & diversas vulgus promit hujus mali causas: nec minus operosi sunt Practici, nunc cœli constitutionem, nunc horam nativitatis, nunc cerebri imbecillitatem, nunc aliud incusantes.

Cum mense martio anno 1674. Viennæ essem, mercatoris cujusdam, in vicinia, ubi diverteram, habitantis filiola 24. septimanarum, per aliquot dies alvi profluvium cum torminibus clamoribusque die ac nocte passa, hoc ipso die suasu adstantium fœminarum, licet satis debilis, purgata fuit syr. ros. mosch. circa vesperam: post unam vel alteram operationem extreme debilitata, in consilium vocor. Vidi statim fatalem instare terminum, & cum Epilepsia finem vitæ prædixi, id quod & factum, nam media noste supervenere convulsiones Epilepticæ, per tres horas durantes, & altero die mane mors. Simili plane fato ante annum, ejusdem ætatis obiit ipsi filiolus, Hinc avidus sciendi morbi causam patens, petiit ut interessem apertioni corpusculi.

Nihil autem in aperto cadavere invenimus, nisi intestina inflata, distenta, vacua, & pauco excremento bilioso, liquido, hinc inde fluctuante repleto: ventriculus inflatus continebat materiæ pituitosæ spumantis, & quasi adhuc fermentantis, quantum binis cochleatibus excipi potuisset.

IN hanc materiam Pater & Chirurgus causam funestæ Epilepsiæ conjiciebant, quos in sententia reliqui: Mihi vero verisimilius visum infantem hunc, & præcedentem, ut & plerosque omnes multo meconio bilioso, quod omnibus recens natis solemne, & à me studiose expurgari solet, abundasse; qua suburra biliosa insequens nutrimentum fuisse corruptum, & lac coagulatum, unde tormina; & propter exhalantes ad caput vapores malignos, Epilepsia: Observavi namque sæpius, si excrementum hocce connatum statim post partum, vel robore naturæ, vel medicamentis bene expurgetur, infantes præservari: sin minus morbo hoc vel vexari vel enecari penitus: unde sui anthor, ut si in posterum ipsis nasceretur infans, statim parum vel de syr. ros. mosch. vel de elect. de manna exhiberetur. Id quod feliciter etiam suasi Ill. præfatis parentibus, quippe binis infantibus quos postea habuere, nihil tale quid evenit, sed salvi & incolumes adhuc vivunt. *Carolus Rayger in miscell. cur. ann. 6. & 7. p. 696.*

Pauco excremento bilioso) Non paucos & videre mihi licuit infantes Epilepsia correptos; cum alvi torminibus & dejectione fæcum viridium. Plurimi simili in casu confugiunt ad pulveres antepilepticos, præsertim de *Gutteta Monspelientium*, vel ad occipitis inustionem, sed inani effectu, cum morbi minera in primis visis lateat, Plerosque à morbo vindicavi usu mellis ros. solut. cum syr. de cichor. misti, additis gutis aliquot spir. vitrioli, cochleatim exhibendo, donec prædicta minera exhausta sit, & fœces naturalem colorem & consistentiam adipiscantur. Dolores mulceo exhibitione olei amygdalini cum pauco decocto flor. cham. Rom. & calendulæ ac sacch. candidi pulvere.

Observatio XLI.

§. 1. *Epileptici canis anatome cujus intestina vermibus erant obsita.*

ADrianus Spigelius Catellum Milesium, quem in delitiis habebat, Epilepsia confectum aperuit, Intestina vermibus scatebant: Sed imprimis latus Lumbricus iis adhæsit capite bifido, qui vetam candidi coloris fasciam ferebat. *Ioh. Rhodius centur 1. Observ. l. ix.*

EPilepsiam à Lumbricis in intestinis oriri confirmant practici sit sed hoc inter alia, exemplum ab Excell. *T. Bartholino cent. 6. hist. 20.* allarum, de Iuvene convulsionibus sæpe tentato, cũ inter cætera remedia ἑλμινταγωγὰ fuissent præscripta, ac deturbati ascarideti, meliori cursu cura, processit. *Idem cent. iv. hist.* vii. adducit historiã mulieris Epilepticæ, in qua observavit mirandas plane

plane vermium formas teretium, latrum, ovalio ferme formâ, multipedum: Illi ut plurimum erant rubri, hi viridi lanugine investiri, duas in capite prominentias habentes, quasi essent cornuti: Biberat sitibunda in itinere, veniens ex Italia cum marito, sæpiuscule de obvia sibi aqua avidissime. Cum non procul (ait Clar. Vir.) à nostris finibus abesset, prehensa fuit tam gravi Epilepsia, ut nec aquam nec ignem præterire posset, quin statim gravissimo insultu corriperetur: Totum corpus intumuerat tam retro colore infectum, ut similem huic nunquam viderim, fuscus erat viridi dilutiore permistus. Examinata à me paulo accuratius, statim morbi mineram cognovi: Exhibui itaque præmissis præmittendis, ea antepileptica quæ specifica virtute ad insecta exterminanda valerent, referebat enim se statim Post aquas improvide ingestas pejus habuisse, ventris continua tormina persensisse, colorem corporis sensim sensimque degenerasse, & antequam Epilepsia corriperetur, sensisse semper in sinistro latere motum viventis cujusdam animalis, movi dictis aliquid sed nihil promovi, donec tandem pilulas meas mercuriales propinarem, quarum usu aliquoties repetito, tantam multiformium verminum copiam dejecit, ut numerari haud potuerint: Quam primum hi hospitio suo exturbati fuerunt, paroxismi quoque Epileptici desiere sequuta sanitate, &c.

§. 2. Secui puellam quadrimam verminosam, quæ post Epilepsiam Ileosa facta, per os & vermes & alvina excrementa deposuit: Quærens causam, tandem in fine Ilei quinque intestini complicationes inveni, Hujus sine dubio putri vapori, atque à vermibus elevato originem suam debebat. *Heer Spadacrenes Observ. xxiv.*

Observatio XLII.

Anatome Pueri Epileptici, cujus Lien induratus, scirrhosus & fere lapidosus repertus est.

Serenissimi ac Celsissimi Principis D. Ferdinandi Alberti Ducis Brunsvvicensis, & Lunæburgensis Filiolus unius anni, Convulsionibus Epilepticis admodum erat obnoxius, Cum his ita graviter affligeretur ut tandem vitam cum morte commutaret, corpus ejus die 27. Iann. 1673. aperui, & Lienem colore lividum & nigrum, substantia admodum induratum, scirrhosum & fere lapidosum inveni. *Matthias Tilingius in miscell. curiosis ann.* 1674. 1675. *&* 1676. *p.* 280.

Observatio XLIII.

Anatome Epileptici, cujus viscera salva inventa, solus ventriculus repertus tenuissimæ membranæ instar.

Chirurgus ex majori Polonia, artis suæ bene peritus scripsit nuper Nobilem quendam *anxietate cordis* diu vexatum, infinitisque usum remediis, tandem Epilepsia correptum per duos dies mortuo similem jacuisse, tandem satis cessisse.

Aperto cadavere reliqua viscera salva inventa fuisse (ut ille ait) solum ventriculum repertum tenuissimæ membranæ instar. *Ioh. Patersonius Hain, in miscell. cur. ann.* 6. *&* 7. *p.* 239.

Observatio XLIV.

Epilepsia à suppresso semine.

Nob. quidam coitui addictissimus, tandem hujus fœditatis pertæsus, castitatem sibi servandam ita rigidè proposuit, ut deinceps jejuniis, abstinentiæ & orationi solum esset intentus: Ecce post sex menses nausea correptus, vertigine concutitur, & post paucos dies Epilepsia sæva opprimitur: Medici à vitio ventriculi subortam rati ventriculo, sed frustra consulunt: nam malo ferocius infestante in plenilunio, præcedentibus inordinato linguæ motu, capitis rotatione, pallore faciei, caligine oculorum, Epilepsia cum valido dentium fragore correptus, post paucas horas velut sideratus enectus est.

Dissecto corpore, *nullum vitium in stomacho, cerebro* reliquisque partibus inventum, præterquam in cavitate vasis semen in penem deferentis, quæ licet conspectum quodammodo Anatomicis fugiat; & coitus tempore solum aperiatur, tamen ea semine in virorem mutato oppleta visa est, & ulceribus sordidis, ab hac virulenta substantia retenta & corrupta forte contractis conspurcata, è quibus ascendebat indesinenter aura noxia, quæ cerebrum lancinans, excitata Epilepsia, ægrum ad interitum deduxit. *Zacutus Prax. Admir. lib. ij. Obs.* cxix.

S C H O L I A.

Nullum vitium in stomacho, cerebro, &c.) Epilepsia in idiopathicam & sympathicam distinguitur; Hanc Galenus observavit vel à partibus externis, vel internis procedere: Plura equidem Epilepticorum exempla occurrunt, in quibus paroxysmo ingruente, primo spasmus cum stupore in manu, aut pedis digito, aliòve membro particulari sentitur, qui statim exinde, velut cum formicationis sensu, versus caput procepit; quod cum attigerit, illico æger in terram prostratus αἰσθητικαῖς aliisque pathognomonicis caduci symptomatis corripitur: Nec minus usitatum est istius morbi proventum, & primam quasi velitationem à stomacho, liene, utero, intestinis, genitalibus, aut aliis visceribus incipere: imprimis nempe in istorum aliquo perturbatio quædam cietur; dein ab eo loco

auræ velut frigidæ in caput ascensus percipitur: cuistatim affectioni caduci accessio cum horrendo symptomatum apparatu succedit: hinc vulgo creditur Epilepsiæ causam in parte ita primario affici visa delitescere, atque noxam suam in cerebrum ex se insons propagare. Verum enimvero super hisce dicendum esse videtur, in quavis Epilepsia causam, non modo procatarticam, sed & conjunctam omnino in cerebro consistere: nempe spiritus hujus incolas ad explodendum dispositos, ibidémq; explosos, caducum omnem inferre: Quoad præliminaria istæc in quibusdam epilepticis symptomata, ea interdum causæ evidentis, nonnunquam verò tantum signi rationem habent: si quando enim diathesi epilepticæ mala cujusdam visceris, puta stomachi, lienis aut uteri dispositio accidat, quoties invisceté isto affectoperturbatio quæpiam cietur, facile contingit ob fermenti illinc transmissionem, aut spasmi in caput continuationem, in cerebro prædisposito accessionem Epilepticam excitari: At tamen ejusmodi caduci symptomata, quæ exterius suscitata affectum cerebro propagare videntur, non rarò ipsius cerebri consensu oriuntur, & paroxysmi epileptici ingruentis, sive spirituum in cerebro explodi incipientium tantum signa existunt: cum enim spiritus animales in cerebri & cerebelli meditulliis, simúlque in medulla oblongata, juxta nervorum origines consiti, copula heterogenea ita saturantur, ut ad ipsam elidendam, proindéque morbi insultum acciendum parati sint, priusquam illi una omnes conglobatim explodantur spiritus aliqui exterius in privatis quibusdam nervis scatentes, si quidem assueto superiorum influxu destituuntur, inordinationes quasdam concipiunt; proindéque spasmos ineunt, qui spasmi (prout in ejusmodi affectibus sæpe mos est) à nervorum extremitatibus, huic vel isti membro aut visceri insertis incipiunt, unde sensim ad eorum principia protepunt, quo cum pervenitur, illico spiritus per totum ἐγκέφαλον, prius in explosiones dispositi, ab eo spasmo commoti, proindéque tanquam fomite igniario correpti, subito eliduntur: adeóque Epilepsiæ paroxysmum per se prius incipientem, velut secundario & instinctu aliunde tradito excitare videntur. Ad hunc modum aliquando passiones hystericæ, cum ab imo ventre incipientes, cerebro communicantur, à visceribus istis oriti, & eorum culpa suscitari creduntur; cum interim causa morbifica circa nervorum origines potissimum subsistit: *Th. Willis patholog. cerebri cap. 3.*

In cavitate vasis, &c.) Epilepsiam Testium consensu oriri, ait *Dom. Leonus art. med. 14.* A Testibus au, & vasis spermaticis, quando in iis sperma corrumpitur infstigi laturque, & sibi induit naturam veneni, ejus vapor ascendens cerebrum lædit & epilepsiam inducit: Assentitur *Iacchinus 9. ad Alm. 14.* Neogamus quum se ad satietatem amore formosæ puellæ expleret, nec depleri facultatem animalem perciperet, Epilepsia corripitur referente, *H. ab Heer Observ. 18.* Συνουσίαν parvam Epilepsiam vocat *Aristoteles.*

Observatio XLIV.

Epilepsia leve palpebræ vulnus sequuta, lethalis, nullo alio vitio in corpore apparente.

Homo ad iram pronus cum puero gladio obtuso contendit: ab hoc sub oculo sinistro leviter vulneratur: hinc fit ἄφωνος, & post aliquot horas fortissima Epilepsia correptus obiit. Examinato post mortem vulnere, nulla læsio, præter eam quæ exterius videbatur apparuit. *Vide lib. 4. tit. de vulneribus.*

Appendix.

Epilepsia in Inguine dextro fomitem habens, tandem lethalis.

Epilepsiæ per consensum originem præbere multas partes, etiam habitus corporis, fama est: Ab inguinibus suscitatæ exemplum hactenus non prodiit: Inde tamen ortam observavi ann. 1656. Neocomi Helvetiorum in Dom. Rosselet, vallis Locle Coactore, Vir erat quinquagenatius, rufi capillitii, festivus, veneris sacris, sic audiebat, in juventute addictus: Ex intervallis illi Inguen sinistrum, bubonoceles instar intumescebat, hinc formicationis sensus per totum crus lento gradu ad pedis Plantam usque progrediebatur, quam ubi attigerat, vapor quidam, quavis aura citius illinc recurrebat, cerebrum invadens, ejúsque sinistram solummodo partem afficiens, quod ex contractionibus & lævæ partis faciei manifestum erat, corrugationibus crebris deformatæ, salvo tamen judicio & loquela, attamen vitiata, vapore etiam nervos linguæ ferientе: hæc enim verba apud me, sed balbutiens, in paroxysmo Proferebat, *vide, vide, inquit, quam male atrox iste morbus me habeat*, comitibus simul brachiorum & crurum jactationibus, intra duodecimam horæ partem desinentibus: Multa tum à Medicis tum ab Empiricis præscripta in usum duxit remedia: Cum meo quoque consilio uti vellet, ferro & igne id malum oppugnandum esse dixi, caustico partem inutendam, viámque vi malignæ illi auræ, quo pateret exitus, faciendam: neque solum partem maleficii suspectam attingendam, sed & in femore interno & tibia emissaria paranda, quacunque scilicet pemicioso illi vapori esset via: Renuit Patiens, supplicia teorum hæc esse dicens, non remedia; nec toleraturum ut sibi eorium cribro simile tot perrusionibus factis evaderet: Unicam, eámque lapide caustico faciendam admitteret suasi, quam quoque renuit: Tandem ut ligatura, infra vel supra genu facta, excursum vaporis interciperet, author fui, cui consilio assensit: statim enim ac commoram auram, titillationémque cum extumescentia in inguine animadvertebar, periscelide, perpetuo spondæ lecti eum in usum appensa, tibiam arcte stringebat, unde remota paroxysmis semper injecta; Neglectis autem

cæteris remediis, ecce dum coenat cum uxore & liberis, qui mensam lecto admoverant, exsurgit vapor, nec satis cito removentur impedimenta arripiendæ fasciæ, ea ferocia diu coercitus vapor mora deterior factus exurgit, ut in eo paroxysmo extinctus, sit vir ornatissimus.

ADDITAMENTA.

OBSERVATIO I.

Plurimi Epilepsia affecti post obitum exhibuerunt, aut circa meninges, aut in cerebri substantia putridam & glutinosam saniem.

MEmini iis dissectis quos viventes morbus Comitialis aliquando immaniter corripuerat, me aliàs circa meninges, aliàs in cerebri substantia putridam quandam & glutinosam saniem fabæ quantitate aut nucis juglandis invenisse, quæ crudelis hujus & immanis affectus fomes fuerit. *Fernelius consil.* 1.

OBSERVATIO II.

Epilepsia ob obstructionem partis maximæ ramorum vasorum Iugularium, ab humore glutinoso exsiccato.

§. 1. DOm. N. Lugdunensis annos 42. natus vitam causariam jam ab annis, xii agens, ultimoque tribus ab hinc annis insultibus Epilepticis frequentissime correptus, simul *hydrope pectoris*, quo remediorum ope liberatus erat, tandem mense Julio anni 1682 ab hora 8. matut. ad meridianam usque, quinque aut sex vicibus vehementius solito concussus est, ἀφώνως per illas sex horas, & apoplecticus, ultimo insultui non resistens fato cessit, aperto cadauere hæc observata, 1. Abdomen, Hepar, Lien, Intestina insolitæ magnitudinis, *ut edacibus* qualis erat esse solet, 2. Stomachi constitutio satis naturalis. 3. Pulmones tumefacti, coloris obscuri ac fere lividi, quod afflicti ab hydrope pulmonis residuum erat. 4. Cerebri lateralis pars inflammata, 5. In ventriculis cerebri sanguinis coagulati copia; rupturâ scil. vasorum sanguineorum è motibus convulsivis procurata, quæ apoplexiam & mortem intulit. 6. Pars major jugularium ex internorum ramorum, indurata & obstructa humore glutinoso exsiccato: hinc inde, forte in valvulis, corporibus quasi glandulosis venas magis attollentibus. *Observ. D. Iacobi Sponij med. Lugdun.*

P*Ars major jugularium)* Hinc ex ultima hac observatione, quæ oppido rara est, concludere licet circulationem sanguinis, hac in parte impeditam, regurgitasse in cerebrum sanguinem & lympham; quæ insultus illos Epilepticos pariebant: qui quidem insultus primo anno, ubi vasa leviter obstructa erant, leves fuere, ut sensibus non privaretur æger, sensimque fortius obstructis graviores etiam fuerunt. Quæ quidem Epilepsiæ causa, etsi non unica, frequentissima tamen videtur esse, cum pueris & pituitosis, ut ait Hippocrates, & confirmat experientia, sæpius quam aliis accidat: etsi glutinosis humoribus abundant, has obstructiones accersentibus: Cæterum Divino *Hippocrati* non incognita causa hæc fuit, cum ait libro de Flatibus, *Epilepsiam fieri cum obstructiones multis mediis circa venas contingunt, & sanguinis motus prohibetur, atque hic quidem sistitur, ibi tardius permeat, alibi autem citius*; ex qua *sanguinis* per corpus transitus inæqualitate, variæ etiam inæqualitates contingunt. *Idem.*

§. 2. Anno 1684. mense Augusto, denatus est Serenissimus Princeps Wirtembergensis Gochshamij, decimo tertio à nativitate die, Convulsiones toto vitæ brevis, decursu illum, vexavere. Aperto corpore obstructa omnino reperta sunt vasa colli, adeo ut ne gutta quidem sanguinis in caput inferri posset, qui totus in pulmones confluxit. *Ex Epistola Nobilissimæ Virginis Aulicæ Genevam perscripta.*

OBSERVATIO III.

Epilepsia luis venereæ soboles.

MUltos Gallico affectos in Epilepticos casus devenisse, scimus, postquam etiam in cranio gummata extitere, nam forsan antequam exeat materia facilius eo casu possunt apprehendi; Vidi enim ego in cerebro cadaveris Gummata à gallico facta quæ in viridem colorem ex albo vergebant, Scio ego nunc Anchonæ esse juvenem qui sub gallico morbo est, eo malò casu tentatum. *Guarinonius Consult.* 15.

Observatio IV.

Epilepsiæ causa à conformatione capitis singulari utplurimum dependet.

IGnotum tibi non esse existimo id quod tertia hujus anni pars Ephemeridum tendit, ab Epilepsia liberatum fuisse quendam, ejus transplantatione in canem facta: Sin hanc aliquandò succedere contingat, inde tamen ne colligas perpetui eventus esse; ut plurimum enim originem trahit ab indecenti partium conformatione; Abunde id probat quod à D. *le Duc* observatum in cadaveribus plurium Epilepticorum; comperit enim in omnibus quotquot aperire licuit, cranium capacitate justo majori donatum fuisse, proportione ad partium contentarum magnitudinem habita: Id ipsum vero semper crassissimum fuisse; ex unico osse quandoque conflatum, sæpius ex duobus, tribus vel quatuor, suturis vero quibusdam admodum compactis, dura vero meninge à sub stantia cerebri semper separata interveniente aquarum collectione; quæ majori semper copia in iis reperiebantur quibus paroxysmi vehementiores semper fuerant. *D. le Duc Zodiaci med. Gall. anni 1679. pag. 50.*

EX superioribus sequentia colligere licuit 1°. vapores perpetuo in cerebrum irrepentes. Si ejusmodi capitis conformationem nanciscantur, in aquas necessario converti, eo quod facilem exitus viam non inveniant: 2°. cranii amplitudinem ejusmodi aquarum congestioni ansam præbere, 3°. paroxysmos epilepticos crebriores aut rariores esse, prout majori aut minori vaporum in corpore redundantia, h. e. ratione habita temporis spatiis requisiti ut cranii vacuum adimpleatur: 4°. tandem prædictorum paroxysmorum reditu; moram in dies posse, vel saltem eorum vehementiam obtundi ope illorum remediorum quæ superfluum serum exhaurire possunt, cujusmodi est syrupus emeticus, si Epileptico, Luna inclinante, & imminente, si ita licet, accessione, uncia una vel sesquuncia illius in aqua artemisiæ aut melissæ exhibeatur. *Nic. de Blegny ibidem.*

Observatio V.

Epilepsia ab abscessu in cerebro genita.

NObilis adolescens equestribus deditus exercitiis tentabatur crebro tussicula, sed sicca, & subinde dentium doloribus. Rejecta in collum angustiis, & catarrhum à glandulis capitis descendentem culpa; augebatur suspicio, quod oculi tantillum extra orbitas suas eminerent, & nonnihil erubescerent. Sed cùm sæpiùs, & gravius admoneret odontalgia, dentem, cui dolor præcipuè incubabat, evelli jussit, nullo fere operæ pretio, serpebat enim malum ad vicina,& ad ipsam maxillam penetrabat. Sociis interea delicatulum clamantibus, quod à muliebri ægritudine constantiam suam turbari pateretur; ille die quodam in publico diversorio inter amicos subitò corruit exanimis quasi fulmine percussus. Deportatur in lectum, ibique odoribus & aquis apoplecticis varie excitatus tandem post horam dimidiam vivere se ostendit, domumque translatus postero die surgit sed languidior, & in narcosin cum gravitate capitis junctam propensus. Vocati Medici cephalicis & iis, quæ comitialem avertere solent, insistunt,exiguo fructu, quippe æger ex intervallo jam animi deliquiis, jam epilepticis convulsionibus, iisque horribilibus divexatus, tandem pleno rationis usu ex languore insolito succubuit. Cumque testamento ultimo jussisset se in Patriam à morte transferri, adeoque balsamo, more Gallico, condiri, ne navigantibus fœtore molestus esset, desiderio ejus adversati non placuit. Aperitur ad condituram à quatuor Chirurgis, & in reliquo corpore, nihil adeo morbosum deprehenditur, præterquam quòd superior dextri pulmonis facies præter morem nigresceret, ex acidis, opinor, humoribus istuc sensim à capite depluentibus, & dexter testiculus inter abdomen conderetur, pusillus & exsuccus; Sed ubi ad cerebrum perventum est, abscessus se obtulit in dextra ejus, & quidem superiori parte, non ad latus, sed propemodum in meditullio, isque fœtidissimo pure albo stagnans, ad amplitudinem ovi gallinacei aderat & serum, sed parcius, quòd ad spinalem medullam videbatur sibi aditum patefecisse, unde convulsionum frequentia. Æger autem, qui sæpe conquestus erat de dolore frontis, & quandoque occipitis, nunquam ostendit sibi illam partem dolere, quæ vomicam occultabat, haud dubio argumento, cerebrum ipsum non patere doloribus, sed duntaxat; quibus involvitur, membranas. Constat inter alia ex hoc exemplo quàm vanæ sint pollicitationes quorundam, spondentium certam cujusvis epilepsiæ, etiam hæreditariæ curam, cùm hic ipsum Apollinem,ipsum Æsculapium frustra advocassent Amici. Nihilominus ne nunc quidé quiescit

in urbe nostra Empirica, sed promiscue omnibus hoc malo aggravatis opem promittit. Illa autem (ne mysterium publicè ignoretur) ex sutoria pice, granis Pœoniæ, & oleo Castorei emplastrum format & occipiti, erasis, si qui obstant, capillis, calidè applicat, tamdiu hæsurum, donec sponte decidat, quod plerumque circa duodecimum diem solet accidere. Quod si perseverat adhuc malum, toti capiti, sed raso, idem emplastrum circumfundit; successu aliquando non pœnitendô, sæpius tamen nullô, ut palam est. Quid enim faceret hoc emplastrum ad tollendum abscessum cerebri? quid, quoties malum urget per sympathiam? quando maligna aura attollitur vel à tumore manus dextræ, quod *Platero* observatum, vel à sinistra, quod *Hætsfettero*, vel à mamma, cruribus, restibus, pollice pedis, quod *Schenckio* & aliis; imò infinita sunt exempla Epilepsiæ per consensum, quibus ab illo emplastro parum sperari potest præsidii, id rarum in quodam cive nostro, cui à carioso pedis pollice oboriebatur hoc malum, quoties perceptô prius in pollice motû inquietiore, & mox in crure, fascia crus ipsum paulò infra genua strictè ligabat, antequam ultra pergeret formicans inquies, paroxysmum notabat suspendi; sed si negligentior pateretur malum superare genua, postea nullum à fascia injecta observabatur auxilium. Potuisset is vel exstirpatione pollicis, vel inunctione butyri Antimonialis, de qua medicatione Henricus ab Heer, persanarii, sed maluit periclitari totum, quam partem ignobilem tolli Clariss. *Olai Borrichii, in Actis Hafniensibus Bartholinianis.*

OBSERVATIO VI.

*Epistola renunciatoria, super morbo & inspectione cadaveris D. de * ad D. de * in qua de Epilepsia lethali ex Plethora agitur.*

EGo subsignatus Carolus Drelincurtius Regis Christianissimi Consiliarius & Medicus ordinarius, hoc ipso obtestor scriptô, quòd cùm advocatus fuerim in Curam D. de * annos 18. nati, reperierim eum die veneris mensis Martii septima, ann. 1664. in totali sensuum amissione, cum respiratione ac pulsu valde impedíris: tumque perquisitò ab amicis ac adstantibus, præcedaneô ægri statu, agnoverim inde, ut & ex propriâ contemplatione, illum habitus athletici, carnosi ac sanguine turgidi, esse: quibus additum, ipsum avarâ manu cibos minime sumpsisse, sanguinemque per nares fundere solitum; Amici præterea omnes affirmarunt eâ ipsâ die quâ eum in tantâ cum morte luctâ cernebamus, lautiùs pransum; quodque cùm circa secundam pomeridianam domô exisset, sphæristerium subingrediens ibidem pilâ ludere paratus fuisset; antequam se ludo commisisset, aut aliàs corpus commovisset, subito in terram conciderat sanguinem naribus fundens, oculos spasmodicè contorquens, dentibus stridens, evomens, excrementa omnia per inferiora reddens, membra jactitans, spumam per os excernens, sensibus interea, voce, ac ratione destitutus, & in eos qui in ipsius solatium accurrebant dentibus cum furore irruens; unde sphæristerii ipse custos exterritus adhibuerat in symptomatum tam horrendorum attestationem adstantes omnes, qui unô pronunciarunt ore hanc primam sibi cognitam esse mali in hoc ægro prehensionem, quodque subita fuisset ac spontanea, à nullâ causâ externâ excitata.

Delatô Ægrô in proprium cubiculum ocyus illuc convocor; tumque vidi subsistere vomitum, stridorem dentium, convulsiones, spumam oris, rationisque abalienationem, ac præterea respirationem pulsumque, quamvis elatiorem, admodum impeditum. Interim tamen prò temporis momento aliquid spei affulsit; & tam horrendam tempestatem sopitum iri creditum est; sed fallax fuit malacia; postquam enim exclamasset æger, *ah caput! ah caput!* addidissetque, *Mi Deus quomodo possibile est in tantos dolores incurrere!* ac tandem, *Vomiturus sum, subducite vos paululum*; vomuissetque reverâ, in novas incidit convulsiones, quæ magis ac magis cùm exasperarentur, illum tandem circa sextam matutinam dici subsequentis de medio substulerunt.

Hebetioris etiam ingenii hominibus ex tot symptomatis constare posset causam eorum conjunctam in cerebro residere, indeque ventriculum subverti, sphincteres ani & vesicæ laxari nervos & musculos commoveri, rationem obnubilari, ac tandem spumam copiosiorem in os ac ipsa labia protrudi.

Si cujusque symptomatis peculiarem inirem rationem, longiùs sic deducerer. Artis Asclepiadeæ Magistri per nudam hanc, ac veram narrationem, satis videbunt, illic non adfuisse aliquam ex affectionibus quas soporosas dicimus, Coma scilicet, Lethargum, Carum, aut Apoplexiam; ut nec Maniam ac Phrenitidem: sed facilè mecum consentient prehensionem hanc Caduci paroxismum validissimum, mortem necessario dum omnes satellites descriptos habet comites, secum vehentem, dici debere.

Causam quod attinet non opus est eam aliò exquirere, quàm in habitu plethoricô ac athletico, Hippocrati tantopere suspectô; scilicet in ea sanguinis copia, unde venæ sic turgeant, ut

ut minimâ data occasione disrumpantur, primô præsertim hoc lunæ quadrô, quô venesectio mortem præcavisset.

In hoc posita est origo maligna unde erupit sanguis qui cerebrum suffocavit. Si etenim pura humorum plenitudo venas narium quandoque reserat, indeque plenô torrentô sanguinem fundit; quidni, quæso, imaginabimur eandem reserationem possibilem in arteriis cerebri? idque præsertim ineunte vere & in juvene plethorico, cujusque sanguis in venis non parum ebulliebat.

In arteriis itaque cerebri gravius quàm ferre possent onustis, ac adapertis, cerebrumque, nobilissimum viscus, inundantibus, facta est vis morbi. Dum scilicet illæ alluvie sanguinis contenti, irritationem in meningibus viscus obvestientibus, ac ejusdem nervis procreârunt, sicque promptam ac inopinam perniciem intulerunt.

Hæc est, Domine &c. sententia nostra de causa quæ vobis, quasi per turbinem eripuit carissimum filium, quæque illum tumulo condidit. Nec hæsunt vanæ ideæ à pura imaginatione deductæ, quando quidem cadaveris inspectio opinioni nostræ demonstrationis vim addidit: Quippe cùm vidissem neque ab iteratis venæsectionibus, neque ab aliis auxiliis, diluvium è cerebro derivari, aut mortem magnis adventantem passibus fugari ac arceri potuisse; suasi D.* pateretur cadaveris apertionem, quò scilicet certiùs quid super mortis causâ vobis renunciandum haberemus, ac demonstraremus quâ ratione in aliis Illustrissimæ Vestræ Familiæ individuis præcaveri possit idem infortunium.

Nos igitur obtestamur, quòd primô intuitu conspexerimus horrendum spectaculum, faciem nempe, collum ac summum pectus, livida, cum sanguine spumoso ex ore ac naribus manante. Craniô verò ablatô, observaverimus duræ meningis arterias, aliasque omnes quæ cerebrum cingunt, aut etiam altùm ipsum penetrant, adeò tensas & turgidas, ut sanguis contentus in grumos atros compactus foret, quia scilicet ibidem suffocabatur, serumque admistum per rimulas ex nimia tensione enatas, effluxerat. Præterea viderimus, summisque præhenderimus ungulis, tria ad quatuor cochlearia sanguinis effusi prorsus grumosi, quem delicatulæ cerebri arteriæ abruptæ ac laceræ in omnes ejus anfractus ac sinus effuderant. Animadverterimus deinde quòd diluvium impetuosius fuerat super apophyses mammillares, quæ sanguine coagulatô prorsus vestiebantur, quamvis post mortem ille per nares & os rivulosè prodiisset.

Super hoc non possum, Dom. quin addam quod etiamsi venæsectiones, frictiones, ligaturæ ac cucurbitulæ adhibitæ torrentum in cerebrum invectum inhibuissent, non sic tamen fieri potuisse ut sanguis jam effusus ac in grumos coactus discuteretur, aut in canales suos disruptos reduceretur, vel trepanô admotô totus exhauriretur: Phrenesis siquidem nos prævenisset, ægrumque nobis invitis ac totâ industria nostra allaborantibus, post crudeles torturas eripuisset.

Cæterùm, Domine, opinatus sum, quòd etiam si perquisivissem essentialem mali causam, illamque in sua origine pleniùs observavissem, non tamen peccarem, si oculos perfunctoriè saltem in pectoris ac imi ventris viscera conjicerem. In animo enim erat curiosiùs rimari anne tam copiosus sanguis in cerebrum effusus, non etiam aliquid labis in stomachum induxerat. Verùm unicum reperi, scilicet ruborem intensum, quem sanè violentis succussationibus inter vomendum enatis imputandum meritò credidi. Vidi postea jecur sanum sed permagnum, ejusque quantitati excedenti, quòd pulmo dexter costis adhæreret tribuendum ratus sum. Partem illam à costis prædictis aliâ ratione quàm per lacerationem dimovere non valui, nigraque mihi visa est, compacta & densa, bronchia verò spuma prorsus oppleta; dum pars opposita, scilicet sinistra, rubicundiorem, spongiosiorem, levem & sanam sese præbebat.

Hisce positis, validis innixus rationibus vobis assero D. idque in afflictionis aliquale solatium, impossibile futurum ut Cariss. Filius cum tanto hepate ac tam abundanti sanguine, gymnasticis exercitiis incubuisset, sine pulmonis à dextris laceratione, unde ulcus incurabile & mortis quantumvis lentæ non minùs tamen inevitabiliter exitialis causa enatum esset, &c.

Plethoricos sæpe vidi variolatos, anginosos, pleuriticos, &c. Quibus etsi variolæ erumpant actu, ni protinus vena secetur, vel pereunt, vel numerosissimis variolis vexantur. Alios verò, vel hæmorrhagias, vel hæmorrhoidas passos vix cohibendas bidui, triduive spatiô. Singularem adolescentem dolui athleticum, opimum, turgidulum sanguine, qui post lautas epulas (animi gratiâ) corpulentum ac graviorem amicum sustulit ambabus ulnis; sed ipsô momento medius crepuit. Abdomen repertum est sanguine oppletum, & cum vena porta inanior deprehenderetur cavâ, creditum est ramum ejus crepuisse, & suffocasse dilectum cor.

Historiam habes de Matronâ plethoricâ, cui plexus choroideus sanguinem eructavit apoplecticè in cerebri ventriculum superiorem utrumque.

Ebrios itidem plethoricos vidi, qui levi capitis allisu sanguinem fuderunt utraque nare & geminis auribus: ex illis autem unicum vidi evasisse. Alii abrepti sunt & amicis & mihi, nullius autem cadavere potitus sum quô rimarer cerebri arterias.

Monspelii Ann. 1650. 1651. 1652. 1653. 1654. plures condiscipulos amisi, (recens advenas, & solis

solis ac vini Occitanici virium ignaros) qui largiùs indulserant vino generosiori, ac deinceps ad solem ambulaverant. Erepti sunt triduo, quatriduove febre delira, sed cadavera nusquam inspicere licuit, atque adeò corporeis oculis non inspexi tumidas arterias cerebri, sed præprimis duræ matris, quas hic cum inflammatâ meninge tumidissimas imaginor.

Plethoricos notavi ab ægyrtis præposterè ac vehementer purgatos in dysenteriam incurrisse, præsidiis ullis vix cohibendam.

Gravidas verò numerosas attendi passas abortum unius plethoræ causâ; illudque maximè observavi in iis mulieribus recèns nuptis quæ fortunatè vivunt quæque maritis suis sunt cariores. Ex quo etenim prægnantes fiunt, succosis eas replent cibis, sicque ut & per somnum longiorem, ac alia vitæ lautioris commoda, accumulatur sanguinis quantitas quæ suffocando fœtui apta fit.

Sed hic certè sacra salutis anchora Venæsectio, Illâ enim celebratâ fœtus pertulisse profiteor, priùs abortientes. *Ex Manuscriptô Gallicô nobis à Præclarissimô Carolô Drelincurtiô Patrô communicatô.*

Observatio VII.

Epilepsia à Sero acri.

Plurium Epilepticorum infantum aperta calva Cl. Car. Drelinc. aliud nihil reperit quàm ventriculos cerebri anteriores sero flavente & acri turgidulos, & è plenitudine tanta conjicit quippiam illius seri mordacis irruere in ventriculum 3. & in 4. ac nervorum fibrillas inibi lacessere, convulsifice, atque lethaliter. Inter autem Epilepsiæ sympathicæ exempla Parisinum militem mihi recitavit, pari fato ac apud Gal. extat, sonticam auram sensisse frigidam à summo dextri pedis pollice in crus efferri, ac consecutione quadam in cervicem & cerebrum: corruente viro totis artubus horride succussato. *E Thesib. Discipulor. Clariss. Caroli Drelincurtii.*

Observatio VIII.

Epilepsia atque dispnoeæ altera & inaudita causa.

Vir ebriosus jam olim cibis pepercit, sed vino & Nicotianæ indulsit impendio: quinetiam Sp. V. millies sese dementavit, ac tandem sub æt. an. 50. frequens convulsus est, sensibus orbus, spumans & anhelans. Ubi mentis compos est, queritur de capite gravi & sensuum hebetudine; sed præprimis asserit sese serpentes atque viverras gerere pectore clausas, quæ sibi pulmones gravent atque divellant. Tandem cùm plateas Novembri perreptaret cecidit derepente convulsus, cum spuma & stertore, ac intra paucas horas extinctus est.

Revulsa calva duræ meningis ductus posteriores concretâ pituitâ flavâ turgebant. Illis patefactis mucaginem illam ex ipsis, haud secus ac è sambuco medullam, sed totaliter cohærentem atque tenacem C. D. eduxit. Lumbricos esse susurrabant adstantes, sed pura puta fuit gelatina è sero intra sinus concreto, ubi, ceu in proplasmate, teretem formam consecutum est. Durâ matre leniter & industriè reductâ nullum spatium derectum est intra meningas, uti vulgo. Universus enim cerebri ambitus gelatina obducebatur fulva ad ejus intimos usque gyros. Mirô igitur spectaculô tota isthæc concretio uti sinus meningum, ita & anfractus cerebri complebat. Imò tota eminebat super cerebri corticem griseum digiti auricularis altitudine ad basin usque cerebri; atque sic suis è sedibus piam matrem expulerat. Hæc enim non nisi intermedia gelatina cerebrum contegebat.

Hâc concretione pituitosâ, viscidâ, tenaci, fulvâque sedulò detrasâ, novacula in cerebri substantiam griseam atque candicantem est adacta, & firmior illa atque compactior solitô deprehensa est, sicut in hydrocephalô idipsum annotavit Cl. Promotor. Ventriculi quaterni lympha scatebant subfulva, salis more feriente lingnam. Plexus choroideus & ejus glandulæ, ac etiam pinealis, impensè tumebant, ac firmitudinem præ se ferebant haud profectò vulgarem. Istis peractis totus arsit Præceptor meus pectoris aperiundi desiderio serpentum visendorum gratia. Sed ecce dum cordis recessus indagat, dira moles pituitæ fulvæ, tenacis & compactæ ventriculum oppler utrumque. Imò sese exinde per universos venæ & arteriæ pulmonariæ diremptus diffundit, tot scilicet pedes polypus ille cordis in pulmones infert, quot profectò pulmonis sunt sanguinei ductus. Corpus autem illud solerter è suis thecis seu vaginis eductum est, ac supra chartam bibulam extentum aciculis confixum siccaretur.

Non alii certè serpentes, nec aliæ viverræ fuerunt, de quibus vir ille toties questus erat, quàm polypi illius pedes per pulmonis sanguinea vasa longè lateque protensi, atque suâ crassitudine sanguinis à corde in pulmones impulsi liberum iter intercipientes.

Coronidis vice notare est cerebri candorem Nicot. Mephiti nusquam opacatum fuisse, sed profectò pulmonis utriusque haud fuit sors eadem. Is etenim utrerque intus & extra nigricabat; & tartareas insuper glandulas bronchiales ad basin cordis habebat, verè petricosas & opacas ac illa Nicot. fuligine tetra plenè perfusas atque denigratas. E diverso autem tartarum omne

omne quod intra bronchia Cl. Promotor meus reperit, id omninò candidum fuit; & grandines illas cessit ipsi, dequibus scriptores nostri scienter omninò scribunt, & quas aliquoties tussi explosas,& muco convolutas contuitus est Præc. meus, & siccatas asservat.

Sic profectò sagaciss. vir idem calculos è renibus humanis atque caninis nivei candoris æmulos nobis cessit. Valeant ergo Medici dum profitentur; calculum renalem nullum candidum esse. Valeat & Philosophus (Probl.42. sect.10.) reputans nullum animal præter hominem calculo vexari.

Ita curiosiss. atque peritiss. Promotor meus C. D. dum mitificam hoc anno; cadaveris humani retexeret telam, reperit præter artet. lienalem hinc inde protuberantem atque tophaceam, arteriam quoque coronariam cordis lapidosam. Imò quidpiam offendit petreæ naturæ cordis ipsius thalamo sinistro adnatum,eo loci ubi ossa deteguntur in elephanto, cervo, dama, tauro &c. *Ex iisdem Thesibus.*

Observatio IX.

Historia Infantuli Epileptici; ex intestinorum tenuium erosione & gangrænosi.

D. 5. April. vocati fuimus ad Infantulum trium septimanarum, qui mitis vexabatur ventris torminibus ab ipso ortu: quibus ab initio mulierculæ ol. amygd. dulc. cum sacchar. occurrerunt: posteaquam verò malum magis ingravescere animadverterunt; nostram imploràrunt opem: Omnibus probè exploratis reperimus torminibus incipientibus, spasmodici quid secundum fibras œsophagiæas accidere, à quo deglutitio impediatur; & misellus fingultientis instar clamitet: dejiciebat viridia odoris acris; appetitus prostratus fuit, sitis intensa. De iracundiâ Matris cum aliquâ ex parte nobis constiterit, magis de diætâ tempore graviditatis percontati fuimus, quæ satis inordinata fuit; dum carne suillâ & brassica capitata salitâ (nostrates vocant *Gaurtraut*) admodum palato blandira fuit: Præscripsimus antepileptica nervina, absorbentia & præcipitantia, atque externè Bals. de Peru & ol. nucist. ventricul. prospeximus, matri quin etiam tragema suasimus ex spec. diatrag. frig. gumm. arab. ocul. canct. ppt. rasur. ebor. corall. rubr. ppt. cum sach. ros. tab. Verum enim verò biduo post convulsiones evidentius comparuerunt, dum emisso prius flatu sonoro, in faucibus difficultas major increduir, & manus pedesque variè contremuerunt, injectum clysma ex lact. vaccin. cui additur ol. rut. cum sale tartari & ordinat. mixtur. antepil. ast nequicquam his effectum; minus aliis à garrulis mulieribus hinc illinc allatis, quin imò convulsiones tanto impetu misellum prehenderunt, ut mirari subierit maximè, qui tot armatis tamdiu resistere misellus potuerit, si quidem post decimum demum diem, corpusculo verè enecto, fatis cessit.

Secuimus cadavereulum præsentibus Vir. Præstantiss. D. Ritz. Affine nostro Pharmacopolâ, & D. Passavant Chirurgo: Abdomine aperto intestina admodum erant distenta, crassaque cum tenuibus materiam viridem, grumosam, qualem invivis cum torminibus acerrimis sæpius excrevit, monstrârunt: Intestina tenuia heic illic qualemcunque tuborem conceperant, præprimis autem sub finemilei ad aliquot ℥ manifestam gangrænosin deprehendimus: Cæcum parvulum inane & vacuum, à labe immune fuit, hepar subpallidum: Vesicula fellis bile subviscida & viridi plena, pancreas duriusculum, eâ etiam parte, quâ duodeno nectitur: Mesenterium & renes, qui bubulis similes erant, laudabiliter habuerunt, nec pulmonibus quidquam vitii inerat, quin tenerrimæ vesiculæ egregiè in his conspicuæ: Cranii suturæ, anterior & posterior, insigniter ab invicem dehiscebant: sanguinem quoque extravasatum cranium hic, illic monstravit: cerebri meninges huic aliquo modo erant adnatæ, quibus disruptis modicum serum promanavit, quale concretum in cortice quoque hinc inde notavimus, cum sanguine grumoso & extra vasa stagnante, haud dubiè ab hujus motu, ita graviter infestantibus motibus spasmodicis impedito. *Clariss. Ioh. Iac. Harderus in Observationibus Medicis quibus titulus Apiarium.*

Observatio X.

Convulsiones interpolatæ in infantulo testiculis in scroto destituto.

D. 15. April. 1682. cultrum injecimus infantulo 7. mensium, matre hypochondriaca pronato, quæ tempore gestationis præcipuè, animi pathematis vehementioribus sæpius se vexari passa est: misellus hic cum primis mensibus bene haberet, parentibus haud parvam sollicitudinem creavit, quod signo masculo in scroto caruit, inde deterius habere incipiens, respiratione anhelâ, voce clangosâ, & abdominis intumescentiâ subitâ, quam flatus sonori erumpentes quandoque præcesserunt, matri gravioris doloris causa extitit, usque quaque tamen diu non isthæc durabant, licet in die sæpius interdum, interdum rarius redierint: Causa

mali

mali humori acri, irritanti per vices fuit attributa, stagnanti circa ventriculum præcipuè & intestina, atque ad hanc medicamenta præcipuè fuère directa: Ægrotulo ad se redeunte, alimentum porrectum gratum fuit, ad ultimos ferè dies usque, quibus symptomatibus istis mirè reiterari incipientibus corpusculum magis indies delassatum fuit tandemque penitus succubuit. Abdomine quod faciem externam tumidam & lividam ostendit aperto, ichor modicus fœtidus prorupit: Hepar grandiusculum satis erat, in superficie nigricans, reliquâque parte cavâ admodum corruptum. Vesicula fellis cum ductu hepatico, bile ex atro viridescente plena fuit: Intestina tenuia variis in locis ab humorum acrimoniâ inflammationem passa fuerunt, citra gangrænosin tamen: In cæco nihil deliituit vel humoris acris, vel p. n. Mesenterium glandulas rutilas hic illic ostendit, lieni itidem corrupto, adjacebat glandula ovalis minuta: pancreas laudabiliter habebat: Renes quasi ex pluribus lobulis conflati, quorum alterum etiamnum in sp. vin. custodimus: Testiculi inguina non egrediebantur, quin his adnati hærebant, unde etiam in scroto illos animadvertere nusquam licuit: Pulmonum lobus, sinister, inferior à sanguine stagnante corruptelam evidentem contraxerat: Corculum satis magnum pro ætate, auricula dextra sanguine grumoso turguit, & in ventriculo dextro polypus majusculus hæsit.

INfantulorum affectus multiplices eruditè enucleatunt, cùm Celebert. Sylvius, tum Excellentiss. Ettmüllerus, Valetud. infantil. Inter hos crebrior sanè nullus est quàm Sonticus, qui propterea παιδικὸν πάθος κατ᾽ ἐξοχὴν ab Antiquis salutari meruit, cui occasionem non ultimam improbior materculatum diæta, dum vel animi pathemati graviori, iræ præprimis, vel acidorum plurium esui etiam cùm gravidæ sunt, sæpius indulgent, unde sanguini succoque nutritio hinc permisto, vel lacti noxia qualitas abunde conciliatur, quâ aculeatis salsacidis particulis fibrillæ nerveæ ventriculi & intestinorum teneriorum, mucoque obmuniente nondum satis vestitorum, indeque etiam ἡ ῥίζωσις nervosi generis ætatulæ tam delicatæ vellicantur, inque spasmodicas constrictiones sensim aguntur, præcedentibus tantisper torminibus, flatibusque sonorosis, deglutitioneque ex constrictis œsophagi fibris impedita, quibus & nervi intercostalis, ob ramorum cum surculis vagi superius citatâ in abdomine complicatione, affectio spasmodica unà accedit: Quicquid sit, perspicuum sanè evadit studiosè affectus infantum rimantibus, succum acidum, nunc viscidum pluisque dictatum partium impactum, nunc tenuiorem & aqueo serosum rodentem, vasculorumque oscula, vel denudantem, vel etiam fibrillas in motus spasmodicos concitando, sanguinis liberum refluxum cohibentem, sicque gangrænosin inducentem causam proximam esse & radicem quasi, ex quâ tot infantiles morbi, convulsivi præcipuè morus propullulent: Atque hujus acidi viscidi fomitem lac præcipuè constituimus, indeque pultes ex hoc cum farinâ confici solitas, viscosum gluten vel primo aspectu sistentes. Lac verò sub sui corruptelâ mille larvas induit, uti præclarè loquitur perpetuâ laude digniss. Ettmüllerus, mille hinc nocendi artes, in specie quando in infantis stomacho corrumpitur, indeque in intestinis ab adventantibus bile & sero pancreatico variè alteratur, & à restitantibus collectisvé excrementorum particulis variè coinquinatur: Acrimoniæ certè hujus, præter effectus in historiis nominatos, indicium evidens viridis color est, acidum acre potissimùm agnoscens, cujus generationem in praxi suâ explicat præfatus Sylvius: Viscidum autem ex acido salsoque ferè prodit, agglutinatumque interstitiis hæret, & spicula sua quandoque pertinacius infigit, ut excuti mox non possint, ceu istud in infantulis pluribus ab aliquo tempore notavimus, qui primum transatione circa præcordia visibili prehendebantur, mox ejulatu tormina significantes fæcibusque alvi, nunc lacti coagulato similibus, nunc viridescentibus & graveolentibus, unà cum flatuum copiâ: deinde verò malo incrudescente, fomite profundiùs impacto, motibus convulsivis affligi ceperunt per intervalla, iisque paulatim ingravescentibus, à quibus tamen exhibito sulph. antimon. Ettmülleri liberati fuerunt, utpote quo viscidum ejusmodi eradicatum, vomituque hinc copiosè & ad stuporem adstantium ejectum fuit, ut meritò ejus usum prudenti Medico tutum & citum commendare possimus. De irâ quæ diximus, experientia comprobat & ratio confirmat, cumque in hâc spiritus animalis primariò concitetur, ecquantum inde alterationis lacti materno accidere possit, eodem per nervulorum infinitas propagines impetuoso affluenti, & cum illo ab infante mox hausto divinare difficile non est, inprimis si perpenderimus, arctissimam, quam inter cerebrum spiritusque matris & fœtus in utero. Omni Sapiens Rerum Conditor communicationem & quasi connubium esse jussit, hoc ipso in lucem excluso non statim cessare, tenerrimasque infantulorùm fibrillas ab istâ spirituum inopinatâ ἐλάσει graviter lædi, licet objectorum impressionibus illos jam assuefecisse parumper matres videantur: Eleganter certè Ingeniosissimus Malbranchius: Quum primum tenebris emergens infans, lumine potitur, aëris circumjacentis frigus ipsius artus extemplò invadit, mollibus mulieris ipsum suscipientis amplexibus, delicatula ipsius membra læduntur. Cuncta objecta externa ipsi imbelli ac inerti, utpote insitata terrorem incutiunt. Lacrymæ & vagitus quos edit ipsius dolorum formidinumque argumenta sunt. De cætero quæ de meconio in intestino cœco asservari solito, torminum post partum non rarò atrocium matre plurimi è Veteribus asseruerunt, universalia non esse, intestinum vacuum in utroque infantulo probat, cum tamen motibus convulsivis ab eodem labem funestam inducente, uterque correptus perierit. Dubii quoque sumus et quem usum in embryonibus præstet, cum frustra non adsit: si omninò amplius in his deprehenditur, verisimile nobis videtur, mucaginis excrementitiæ, quam cum liquore amnii hausit, portionem aliquam asservare dum meliorem consistentiam acquirat: Edito verò fœtu usus hic prorsus fatiscit. De Renum etiam lobulosâ substantiâ, quæ Scholio hist. 75. superius attingere cepimus utrinque confirmantur, miratique fuimus sæpius cervorum hinnulorum & damarum

marum eandem configurationem, cum vaccarum, vitulorumque renibus non obtinere: Coronidis loco, quæ priorum occasione Excell. *Sponius* An. 1682. nobis significavit heic addemus: De Renibus, *inquit* Infantium è pluribus quasi lobulis compositis quod subjungis, planè quadrat cum spectaculo, quod olim mihi tum Juveni, magnæque; Philiatrorum coronæ demonstrabatur Paris. à JO. RIOLANO τῷ πάνυ in publica fœtus Anatomâ, ubi ex ipsius loquentis ore sequentia à me scripto mandata sunt: *Renes ex multis veluti glandulis conglobati, nuci pineæ similes sunt, suis nucleis constanti* Item *Appendix cœci in fœtu exilis est, nequaquam verò ut omnes passim crepant Anatomici, ampla ad fœcum alvinarum receptionem.* Idem ibidem.

Observatio XI.

Varia in Epileptici cadavere adnotata.

Dominus de L. - - - - Lugdunensis annos 42. natus, vitam causariam jam ab annis duodecim agens, ultimoque tribus ab hinc annis insultibus Epilepticis frequentissimè correptus, simul hydrope pectoris, quo remediorum ope liberatus erat, tandem mense Iulio hujus anni 1682. ab horâ sextâ matut. ad meridianam usque, quinque aut sex vicibus vehementius solito concussus est, ἄφωνος per illas sex horas & apoplecticus, ultimo insultui non resistens fato cessit. Aperto cadavere præsentibus medicis, chirurgoque subsignatis, hæc observara fuerunt.

1. Abdomen, hepar, lien, intestina insolitæ magnitudinis, ut edacibus, qualis erat esse solet.
2. Stomachi constitutio satis naturalis.
3. Pulmones tumefacti, coloris obscuri ac ferè lividi: quod afflicti ab hydrope pulmonis residuum erat.
4. Cerebri lateralis pars dextra inflammata.
5. In ventriculis cerebri sanguinis coagulati copia: ruptura scilicet vasorum sanguineorum ab motibus convulsivis procurata, quæ apoplexiam & mortem intulit.
6. Pars major ramorum Iugularium internarum indurata & obstructa humore glutinoso exsiccato, hinc inde, (fortè in valvulis) corporibus quasi glandulosis venas magis attollentibus.

Hinc ex ultima hac observatione, quæ oppido rara est, concludere licet, circulationem sanguinis hac in parte impeditam, regurgitasse in cerebrum sanguinem & lympham, quæ insultus illos Epilepticos pariebant: qui quidem insultus primo anno, ubi vasa leniter obstructa erant, leves fuerunt, ut sensibus non privaretur æger, sensimque fortius obstructis, graviores etiam fuerunt. Quæ quidem Epilepsiæ causa & si non unica, frequentissima tamen videtur esse, cum Pueris & Pituitosis, ut ait Hippocrates & confirmat experientia, sæpius quam aliis accidat. At ii glutinosis humoribus abundant, has obstructiones accersentibus.

Cæterum Divino Hippocrati non incognita causa hæc fuit, cum ait lib. de flatibus *Epilepsiam fieri, cum obstructiones multæ multis modis circa venas contingunt, & sanguinis motus prohibetur: atque hic quidem sistitur, ubi tardius permeat, alibi autem citius*: ex qua *sanguinis per corpus inæqualitate, variæ etiam inæqualitates contingunt.* Clariss. Iacobus Sponius in Actis Eruditorum. Lipsiæ publicatorum Annô 1682.

Observatio XII.

Anatome Picæ glandariæ Epilepsiâ enectæ.

Hæc Pane per aliquot dies enutrita, vesperi Epilepsiâ correpta, capite in sellam impacto, manè expiravit. Secta nil p. n. ostendit; *in sinistri ventriculi auricula & sinu gelatina lucida* Pisi Majoris magnitudine, virium detegebat; tincta hæc erat versus vas partem superiorem rubore; non quidem à lateribus Cordis facilè secedebat, neque tamen in Polypi soliditatem obriguerat. *In Cerebri medulla aliquot stigmata sanguinea* erant conspicua. *D. Philippus Iacob. Hartmannus Ephemerid. Germanicar. Ann.* VII. *Decur.* II.

Observatio XIII.

Anatome Fringillæ Epilepticæ.

Sæpius *Epilepsiâ laborarât*, paucis verò antequam moreretur diebus alter *oculus*, mirum in modum intumescere; quo detumescente, vitium ad alterum oculum transire cæpit: Agitata interno malo, evolans ergastulo suo allisa extincta est avicula. *In superiori caudæ parte durus scirrhosus tumor*, rupto involucro in duas glandulas diremptus excidebat, *Cranium* intus sanguineo rubore erat tinctum, Cerebro per omnia incolumi. *Oculum alterum ad calculi duritiem induratus tophus occupabat*; *Testes*, quippe mas erat, magni, cerasum æquabant mediocre, sed putridi ad levem contactum tabe diffluebant. *Idem, Ibidem.*

OBSERVATIO XIV.

In Epilepsiâ verè singulari affecto plura contra naturam in imô & mediô ventre reperta.

Puer vix nonum emensus annum, Patre Advocatô hîc loci ordinario, & Musicæ, quippe cum studiis in animi gratiam elegantissimè alternantis, probe Peritô, natus & ipse musicâ vocali æquè ac instrumentali, pro ratione ætatis, mirè doctus, gibbosus, aliquot jam annos calculo divexatus, pubisque proin regionem sæpius; præ dolore ibi concepto, manu comprimere solitus, naturâ stimulante quot annis mucum viscidum, sibi, quòd respirationem impediret, maximè infestum per vomitum & sedes copiosissimè deposuit, adeò ut dejectionum frequentiæ, ne vires omninò pessum simul irent, quandoque succurrendum esset. Natura itidem consuetudinis circa finem anni 1684. non immemor evacuationem largam molita est: quâ peractâ, Puero facies non nihil pallescit, absque tamen ullâ ullius partis aut functionis cujusvis evidenti læsione Anno 1685. d. 17. Ianuarii Puer trahæ extremitatibus (*auf die hintertheile der Schlitten Kunsen*) insistens, Pessimi verò nebulonis rustici, equo velocitatem subitò imperantis insidiis, sicque rapido trahæ motu, in terram lapidibus stratam præceps fit, & ob Pallium trahæ involutum ad aliquor passus raptatur; sic ut spiritum trahere nesciret; brevi tamen restitutus respirationi, domumque reversus, quæ sibi evenere mala, reticuit. Die 19. ejusdem mensis, prælibatô paulò largius vinô impro vidè, de scamno lapsus, ad quatuor ferè horas ejulatum, (utrum ob contractum ex casu dolorem, an ob mentem ab enormi haustu turbatam? certior à domesticis vix fieri licuit) noluit temperare, tandem placatior redditus, de nullo conquestus est dolore. Die 20. Ian. horâ 4. matutinâ vomitus ultra 40. vices, non sine insigni virium jactura, urgebant, alvô, secus ac in præcedaneis evacuationibus, solitâ symbolum suum recusante & obstructâ potius persistente. Hora 11. meridianâ Noster, nuptias prætereuntes spectandi gratia, fenestræ admovetur; sed en! subitò omnia ipsi rigent membra, & ratio quasi recessa stupet: quô spectaculo Mater attonita me vocat. Domum itaque ingressus ego Dn. D. Ubelmannum eundem in finem citatum, puerû verò lecto affixum inveniebam, rationis quidem rursus cōpotem, sed Patulis oculis adstantium neminem discernere valentem. Brevi nobis proximè præcedentium relatione factâ, guttulas aliquot Essent. Castor. ægroto propinabamus, ejusque naribus admovebamus spirit. sal. armoniaci, ad quorum usum oculorum lumine rectius is uti cœpit, & quæsitus num doloris quidquam perciperet, abdominis sitisque accusabat molestiam. Quare quòd vomendi simul licet, inanes conatus restabant, abdomen distendebatur & alvus suum nondum facere officium volebat, clystere hanc sollicitandam atque emolliendam meditabamur, mixturam insuper ex aqua Ceras. N. Epil. L. Syr. Ment. Cran. hum. Coral. r. Antim. diophor. Cinnab. Nat. & pulv. anod. præscribentes. Sed horâ vix elapsâ, medicamentis ex officina nondum allatis recruduit paroxysmus, Præludia in pollice sinistræ manus faciens; quô convulsione tactô, mox manus, brachium oculi brevi totum convellebatur corpus; ligaturas interim partium extremarum instituebamus, dorsique spina oleo Succini cum essentia Castorei mixto illinebatur. Paroxismo intra horæ quadrans sopitô domestici sciscitando quasi lapsus supra memoratos prodebant; at lustratô exteriùs corpore, nullum læsionis signum, ne lividâ quidem macula in conspectum venit; Sorbebat igitur æger aliquot cochlearia præscriptæ mixturæ, clysterem verò, ut admitteret, nullis nec parentum præcibus, nec persuasionibus vinci patiebatur: quapropter Clysterem, additis nonnullis herbis emollientibus & anodynis nec non lacte vaccino, in vesicam ampliorem transfusum calidè abdomini imponendum, inque carnis brodio oleum Amigdal. dulc. propinandum, curavimus; ob sitim verò ægrum affligentem Emuls. ex Sem. 4. frigid. maj. Ebor. fossil. C. C. phil. præp. & Syr. Viol. parandam præcepimus, irrito autem conatu, respuebat enim illam, vinum expetens, & licet emulsionem hanc cerevisiæ nuptam exhiberi suasores essemus, haud tamen adstantium quidam deerant, qui ægroto potius nonnunquam morem, invitis nobis, gerebant. Circa octavam vespertinam Paroxysmus iisdem sed intensioribus convulsionibus ingruebat, ad horæ dimidium tyrannidem exercens, quâ sedatâ, æger querelas movebat de dolore capitis totiusque corporis. Mixturam ideò supradictam, interpositis aliis specificis antepilepticis, continuandam, vesicatorium Nuchæ imponendum, abdomen vesicâ antè memorata fovendum, & suppositorium applicandum, commendavimus. His administratis, patiens aliquot horas somno transegit; circa tertiam verò matutinam diei 21. Ian. ad quartam usque diris agitatus est convulsionibus, quas brevissimâ interjectâ morulâ, Musica excipiebat, adeò, ut integras cantilenas artificiosâ modulatione ab ægroto expressas adstantes invitis sanè auribus percipe rent usque eò dum debilitatâ fractâque Partium Musicæ inservientium vi, clamores clangosi & anhelando quasi ex imo missi tragædiæ huic colophonem addebant. Ratio interea stupebat, nec patiens parentum acclamationibus aut quæstionibus ullas præbebat aures: observato

vatô falrim, ubi adstantes cantilenam Ecclesiasticam huic affectui congruam magis altioti voce præcinebant, is à sua cantilena paulatim deflectens, præcentam articulatâ voce suavique tonô æmulabatur, hancque quamvis obmutesceret adstantium Chorus, voce ac verbis distinctis solus ad finem perducebat. Post mirè defatigatus summa virium tenebatur prostratione, nec verba faciebat, sed quæsitus, sinistrâ manu (totum n. latus dextrum citra paroxysmum omni destituebatur motu) indicando, ac capitis nutu, respondebat. Tragicos hosce actus, servato eodem semper ordine, aliquoties miserrimus Noster repetiit; donec d. 2. Ian. circa nonam vespertinam luctuoso huic mundi theatro valedicens, è vita discessit. Die 22. ejusdem horis matutinis, cadaver externè hinc inde livescens cultro apertum sequentia observatu digna exhibuit.

1. Hepatis inferior extremitas inflammationis labe tacta erat; concava verò ejus pars è regione bilis obscutè flavescebar, huicque vicina intestina flavo quasi colore perfusa cernebantur.

2. Vesicula fellis dissecta liquorem atrò virentem & crassum fundebat.

3. Intestina cuncta flatibus turgebant, & inflammationis signa manifesta dabant, passim atro-rubente colore suffusa. Ventriculus itidem flatu & muco viscido distendebatur.

4. Renum dexter, cultri aciem passus, calculum suggerebat, ut & sinister fabæ magnitudine, concomitantibus haud paucis minoribus lapillis. Ureteres quasi aëre sufflati tumebant.

5. Remoto sterno, ut Thoracis antra perspiciendi esset facultas, diaphragma versus sinistram, non procul à vertebra, cui connectitur, contusionis quasi notam, & inflammationem versus gulam ibi descendentem protensam exhibebat; similis macula dictæ modò vertebræ, eâ parte quà sinistram spectar, impressa deprehendebatur Lobique Pulmonalis sinistri extremitas respiciens diaphragmatis labem non obscura inflammationis indicia, ob contractam ibi sanguinis suffusionem, prodebat.

6. Pulmo vesiculis sparsim pellucidis nucem avellanam æquantibus obsitus erat. Aspera arteria vix admittebat aërem siphone adactum, sed dissecta non minùs quàm reliqua vasa bronchialia, muco viscido in spumam quasi acto scatebat.

Caput verò secari Parentum tenuit religio.

PRius quàm prægressæ historiæ judicium subnexurus ero, pauca circa variam Epilepsiæ indolem monuisse juvabit.

Morborum itaque hunc Herculem non sub una semper eademque larva in genus humanum debacchari, sed polypo longe mutabiliorem in invasionibus suis apparere, accuratæ Medicorum Observationes loquuntur. Nonnullos enim subitò prostratos ratione prorsus, sensu item ac motu omni privat, & sideratos quasi reddit: quales Practicorum non minus monumenta quàm quotidiana sistit experientia. Alios variis motibus agitat, dirè illorum corpora percutit, sensibus internis atque externis, aut in perturbationem simul actis, aut integrè perstantibus: cujus farinæ casum recitat Bootius in observ. Omiss. cap. 6. de puero 12. annorum, qui quoties Epilepsiæ Paroxysmo vexatus est, semper rectà percurrebat, per ignem & aquam tamdiu, donec obstaculum offendebat, ut longius percurrere non posset. Sic Helvvigius in Actis Nat. Curios. Puellam 13. annorum, sub Epileptica invasione, quam à vapore è Lumbis per dorsi spinam sursum nucham usque reptante, prænuntiare valebat, hymnos Ecclesiasticos suavissimâ melodiâ cantantem, mox galli cantum æmulantem & mensium demum fluxu liberatam, refert, Christ. Rösserus in iisdem Actis, fœminam in insultu epileptico maximè ridentem memorat. Talem ego risum, modò cantum, fletum modò & precum recitationem in fœmina adhuc superstite, quoties uterinam incurrit Epilepsiam, [sæpissimè autem incurrit levi animi motu provocata] observavi. Adolescentem itidem etiam nunc vivum memini, in paroxysmo è concessis sibi libris Latina græcaque, ne hæsitante quidem linguâ, legere, vari-que doctè proferre solitum, cujus aures ab acclamationibus vellicari minimè poterant, nec ipse, sibi redditus, actorum gnarus erat. Secus verò constitutam Epilepticam profert D. Ferh. de Scorzon. P. 96. cui horrendas inter jectitationes & miras corporis contorsiones, quas arthonomi, gesticulatoris potius lusus dixisses, ratio perstitit & actorum memoria. Alios pessimus hic excruciator sensus ac rationis usu omni privat, & sævis simul torquet convulsionibus: sicut Polymorphi hujus atrocia ex Actorum Nat. Cur. plurimis locis, VVillisio de Morb. convuls. SchencKii, Bartholini aliorum observationibus patet; & strages maxima, *in Boneti Sepulchreto l. 1. Sect. 13. de convulsione & mot. convuls.* legentibus prostat.

Quid mirum igitur, si vulgus stupendis ejusmodi gesticulationibus dæmoniacos subesse lusus putet? VVillisius l. c. Theologi non infimæ notæ meminit, qui plures in novo Testamento pro dæmoniacis reputatos, Epilepticos fuisse, morbi hujus à Christo Salvatore Curationem, spiritus mali ejectionem seu exorcismum dici, suspicatur; Conferatur etiam *Unzerus l. 1. de Epil. c. 1. &c.* Sic *Bartholinus de morbis Bibl. p. 66.* aliquos quos vulgus à dæmone obsessos credidit, methodicâ Epilepticos vel Melancholicos curandi ratione restitutos notat: it. Dravviz. de Scorb. p. m. 76. & seqq. Ubi Affectum Scorbutico Spasmodicum ab illo, quem dæmon obstetricante veneficarum opera producere assolet probè distinguit, adjectis utriusque signis pathognomonicis.

Cumque supra descriptus pueri affectus suspicionem dæmoniaci afflatus effugere vix poterit, morbi historiam cum inspectione fanatomica collatam æquiori mentis lance ponderandam duxi.

omnis verò ſenſus motuſque naturalis ex placido atque ordinato ſpiritus animalis in nervos (qui nihil aliud ſunt, quàm congeries fibrarum è cerebri medulla, juxta ſe ſituatarum, duplici tunica à meningibus cerebri continuata, inveſtitæ & pro vehendo ſpiritu in univerſum corpus divaricata) influxu oritur: Convulſiones equidem epilepticæ ſeu motus præternaturales ex impetuoſa inordinataque ſpirituum in nervos exploſione concitantur. Hinc fomite irritationis in memoratis cerebri ejuſque ventriculis exiſtente, Epilepſia fit per Eſſentiam, dum ſpiritus animales, cerebri incolæ, ſubita rarefactione tumultuoſè moti, derepentè in nervos appenſos exploduntur, motuſque clonici authores fiunt. Sed ex conſenſu procedit epilepſia, ſi nervi è longinquo irritati, & ab acidi cujuſdam ſpiculis vellicati tremulum motum ibidem incohatum juxta ſeriem fibrarum ad cerebrum uſque continuant, ſpiritum inordinato motu illuc ſecum rapiunt, ubi ſpiritus animales impetuoſè agitati, facto quaſi agmine violenter per vicinos ſive plures, ſive omnes nonnunquam, nervos prorumpunt & convulſiones Epilepticas excitant. Quô fit, ut invaſuri inſultus in manuum pedumve digitis, aut aliis membris, primus vellicatus ſe ſe prodant, & Epilepticorum nonnulli ex aura, quam ab extremis partibus per ſpinam dorſi ad caput pertranſire ſentiunt, Paroxyſmi imminentis præſagium faciant; unde & mulierculis conſueta loquendi formula (Es hat das böſe VVeſen noch im leib, wenn es nur nicht in Kopff kommt.) mitius nec quidem ſine ratione, prognoſticon in Epileptia per conſenſum, quamdiu illa Palladis palatium non infeſtat, exprimens, præſertim dum infantes ex acido, lumbricisve inteſtina rodentibus, Epilepticos patiuntur inſultus. Mentem jam ſubit tænirgus qui Norimbergæ à Pondere aliquor librarum in nudum Pedem prolapſo, ut unguis à Pollice dextri pedis vix aliquot fibris nerveis hæreret, ſauciatus erat, & accerſitô Chirurgi famulô, qui unguem forcipe avulſit, dictum factum, Epileptus concidit, paucisque poſt diebus vivus eſſe deſiit. Longam Epilepſiâ per conſenſum enectorum ſeriem recitat *Bonetus in ſepulchreto. l. ſupra citat.* Haud abſimili ratione noſtro patienti diaphragma (cujus ſtructuram in ambitu muſculoſam, verſus centrum verò membranoſam ſeu nervoſam, arteriis, venis, nerviſque phrenicis dictis interrextam, nemo, niſi anatomiæ prorſus neſcius, ignorat) inflammatum, turbas iſtas epilepticas excitavit. Sive enim dicta læſio ex violenta in reiteraro, caſu, tentione vel contorſione, ſive alliſione ortum traxerit, idem eſto. Ecquis plures ex prægrandi ſarcina vel onere elevato aut ſubita corporis diſtorſione intra corpus lædi neſcit, citra notam cuti impreſſam? prolixam hic ſuperſedeo relationem caſus, quô venatoris ſervus (in cujus memoriam conditum monumentum etiam nunc noſtrum exhibet Cæmiterium) ann. 1659. prope Hilberhuſam à cervo miſerè agitatus inque terram tandem alliſus, abſque externa abdominis læſione, quinas inteſtinorum perforationes perpeſſus eſt. Legi certè integra meretur hiſtoria, *in Boneti Sepulchreto l. 3. Sect. 14. de ventris dolor.* Redeo ad propoſitum: Dum in hac Diaphragmatis Læſione, indeque contracta inflammatione, quam largior vini hauſtus, ſanguinis ſulphur evehendo, promovere multum potuit, acidum ibi fermentum nervos ſtomachales, gulam (cui inflammatio proxima erat) concomitantes (quorum ramuli aliqui in diaphragmatis inferiorem faciem quoque diſſeminantur) irritavit, quo irritationis ſenſu ad ventriculum continuato hujus everſionem vomituſque crebriores inducti ſunt; non ſecus ac in nephritide ob nervos, quos renes cum ventriculo communicant, vomitus excitari ſolenne eſt: (Nec ea tamen propter in Ægrotantis Noſtri renes, quippe calculis gravidos, fabam cudere fas erit; cum vomitus iſtos enormes nullus præceſſerit nephriticus dolor, ut, renes potiùs à diris convulſionibus rebelles demum fieri potuiſſe, ſuſpicio ſit:) Haſce frequentiſſimas ventriculi ſubverſiones, ob ſpirituum impetuoſiorem motum, non potuit non è veſtigio quaſi ſumma virium proſtratio ſequi. Ægro autem ad feneſtram locato, ſpiritus etiam nunc in motus ἀταξίᾳ conſtituti facillimè ad aëris frigidi afflatum retropulſi & ſenſus & motus privationem induxerunt, imprimis oculorum caliginem, cùm nemini non conſtet, quantum oculi ejuſque ſpiritus in vomitionis niſu patiantur. Interim ſanguinis fervor, quem aduſtæ partes variæ in abdomine demonſtrarunt, in tanta ſtomachi commotione ipſum diaphragma ob gulæ connexionem violentius agitatum, conceptæ ibi inflammationi incrementum dedit, ut acidum in ecchymomate iſto concitatius redditum nervos, è plexu nervorum cervicis & paris ſecundi vertebralis ramis, ut & nervis brachialibus per mediaſtinum deſcendentibus, in diaphragma diſperſos, irritaverit; quò vellicationis motu ad nervorum brachii ſiniſtri, (unde in ſiniſtræ manus pollice convulſionum primordia cernebantur,) mox ad nervorum principium, cerebrum ſcilicet, continuatô, ſpiritus ibidem animales in impetum adacti in cohærentes nervos propulſi, Epilepſiam per conſenſum introduxerunt. Quales motus convulſivos à diaphragmate ulceraro notat *Bonetus ſepulchr. l. 1. Sect. 13. obſ. 24.* Neque dubium eſt ullum, quin ſpiritus animales è cerebro exploſi, præ reliquis, per laceſſitos anteà nervos, in affectam partem, diaphragma ſcilicet dennò irruerint, &, reiteratis hiſce convulſionibus, nervos diaphragmatis cum nervulis maxillarum & labiorum permixtos, in motum ſimul rapuerint. Quô factum eſt, ut loco riſus Sardonii, quem Anatomici Practici ex Diaphragmatis inflammatione ob dictum modò cum maxillis conſenſum, obſervarunt, in ægro Noſtro, quippe cantandi arte hæreditariè quaſi edocto, ſicque maxillis ac labiis huic adſuetis, Muſica potius vox audita ſit; quæ, defatigatis tandem partibus Muſicæ inſervientibus in clamores clangoſos diducto rictu, emiſſos deſiit; adeò ut animum ad parentum acclamationes aut quæſtiones minimè attenderet, adſtantium verò hymnis promptas daret aures, voces illorum ac melodias imitando, idque ideò, quòd chori cantantis vox altior eſſet ac penetrantior longè illâ Parentum, Patientiſque Noſtri muſica inſtrumenta in exercitio ac actu muſico jam conſtituta imitandis ſaltem hymnis præcentis facilè ſufficerent, ratio verò ob turbulentum ſpirituum animalium motum in aſſequendis Parentum quæſtionibus, aptiſque ad has formandis reſponſionibus maximè vacillaret aut deficeret prorſus. Sicco, ne inſtituti limites fuſioribus verbis tranſ-

transgrediar, lubens prætereo pede, quantum vertebræ pulmonisque; inflammatio ad affectum hunc vel excitandum vel promovendum valuerit, cùm J. Nic. VVeningerus obs. 38. cent. 3. Epilepticos motus per consensum à Pulmone dextra adusto nigerrimo Thoracique adhærente observatos memoret. *Anonymus in Ephemerid. Germanicar. Annô x. Decuriâ 11.*

Observatio XV.

De Epileptici Anatome; ubi sanguis extravasatus, vasa turgida &c.

Annorum ultra 20. staturæ justæ, carnosus, bene coloratus: Puer aliquoties catalepsi fuit correptus, stetit aut sedit instar immobilis trunci, quandoque progrediebatur aliquot Passibus & quod jubebatur præstitit, at in medio opere substitit, illudque cum damno non perfecit. e. g. aliquando jussus fuit, ut ex vase vinario in cella vinum adportaret; descendit per scalam epistomium eduxit, cantharo vinum excepit, illo repleto oblitus obturare foramen epistomiô, sivisset omne vinum Profundi. Paroxismus brevi duravit: eo præteritô omnium ignarus erat; Catalepsis in Epilepsiam degeneravit, qua subitò sæpe jam ab aliquot annis obruebatur, unde rogavit domesticos & familiares, ut si cadentem viderent, statim Pollices ex manibus educerent. Pistoriam didicit illamque fideliter exercuit: ob fidem & diligentiam pistoribus charus erat. Anno 1694. d. 28. Oct. Post Prandium ante 11. templum aditurus, juxta fornacem stans brachia expandit & ac si aquis submersus esset opemque postularet sursum tetendit, caput torquebatur ac oculi pervertebantur; sensim cecidit supra saccos frumento plenos: pedes aliquandiu succutiebantur; mox instar trunci jacuit: dum Pistor, cui tum operam navabat, pollices è manibus eduxit, observavit illos prorsus flaccidos esse nihilque resistere, nec quidquam rigebant artus. Accersitus fuit Dn. D. John. Burgouver, Dn. D. John. Burgovveri, p. m. practici apud nos celeberrimi & felicissimi nepos, is promptissimè accurrens, humi Prostratum omni sensu & motu privatum reperit; vellicatus nec vel minimum signum sensus alicujus præbuit, in os infusa statim elapsa sunt, nullum pulsum reperit: facies & collum valde intumuerunt & facies lividissima erat. Tam tumidum collum fuit, ut collare vi avellendum esset. Resupinato corpore, quod antea pronum jacebat, facies & collum detumuerunt, livor remisit & quæ sanguine suffusa videbantur evanuerunt. Os spumâ oppletum. Extrema circa adventum Dn. Medici calebant; mox manus, nasus & mentum frigescebant: pectus intensè calebat. Vix per quadrantem horæ post insultum supervixit. Præcariò Dn. D. Burgaverus apertionem cadaveris obtinuit: ad illam assumpsit Dn. D. Alexandrum Pfisterum & filium meum Med. Doct. Demptâ vesperi post 9. ollâ cranii; Vasa meningum & anfractuum sanguine turgidissima erant, ut & plexus choroidei; circa basim, versus occiput, sanguinis extravasati circiter libram occurrit; maximam partem ibi & in vasis fluidus erat: capite & thorace retrorsum lapso, multum sanguinis ex fistula facta emanavit. Thoracis apertionem Consanguinei admittere noluerunt. Intra cranium prorsus nihil occurrit cui catalepsis aut epilepsia seu occasio, seu causa adscribenda fuisset: vel quæ sedes causæ reputari potuisset.

1. Epilepticus iste syncope cardiacâ potius, quam ab Apoplexia, seu cerebro graviter affecto sublatus fuit, nam licet circiter libram sanguinis extravasati intra cranium repertum fuerit, tamen sæpe, plus sanguinis ab aliis & à me intra cranium profusi, inventum fuit post casum, percussionem, aut citra causam externam in apoplecticis aliquot horis supervenientibus, respirantibus & pulsum tactui ostendentibus, cum in hoc cor vix ultra quadrantem horæ motum suum servârit circiterq; amiserit. Motus cordis intercepti & circulationis impeditæ, corde potissimum affecto, præter subitam mortem signa erant tumor faciei & colli cum harum partium livore, qui ad hanc molem non pervenissent, nisi reditus sanguinis, veluti in strangulatis prohibitus fuisset; ob eandem causam vasa sanguifera intra cranium turgidissima fuerunt, & forte postliminio jam epileptico morti vicino, aut jam mortuo, vas ruptum & sanguinis extravasatio facta fuit: quod certius constitisset, si per superstitionem consanguineorum pectus aperire licuisset, forte venæ jugulares & auricula dextra à sanguine distentissima occurrissent. Certè post mortem thorax attactu calidus valde mansit, extremis jam frigefactis. Motus cordis abolitus fuit à motu epileptico, fortius cor apprehendente & diutius in systole tali perseverante, ut non raro in aliis partibus contractio diu E. G. in manu firma ad horas permaneat, quod fieri potuit nervis cardiacis gravius afflictis. Mors accelerabatur, quia collare ante adventum Medici non auferebatur, nec ex barbitonsoris consilio excitabatur, & in situ, quo jacebat sinebatur: cum tamen mulierculæ nostræ instante suffocatione ab utero vulgò dictâ, imminente, thoracis ligulis solutis, laxent & excitantibus multivariis protinus succurrant.

2. Epileptici hujus Anatome nobis suppeditavit exemplum, dirissimum hunc affectum oriri quandoque minerâ seu fomite causæ extra cerebrum locato, circa partem nervosam totum, systema

systema nervosum, horrende etiam rapientis, si in illo proritetur, aut aliter in nervum erumpat, Epilepsiam motusquè convulsivos horrendos quandoque excitari, causâ suâ extra limites cerebri permanente. Confirmationis & illustrationis causa, duas historias subnecto.

Puella trium annorum, crebrò per plures menses passa est epilepsiam, cum prope continuis torminibus & ejulatibus diu noctùque domesticis molestissimis: excreto sponte lumbrico lato tribus ulnis longiore, convaluit diuque sana vixit, non pridem ex febre maligna diem suum obiit. Alia 7. circitet annor. ultra triennium primum cataleptica, postea Epileptica, creberrimis paroxysmis sævissimè afflicta, tandem cum omnium oblivione, ut nec matrem amplius agnoverit, planè fatua evasit multa absurda commisit instar bruti, suas fæces devoravit: vix caveri poruit, ne se ex altò præcipitaret. Sponte, nemine hoc cogitante, lumbrico lato excreto motus convulsivi cessârunt, post diem tertium quæsivit ex matre vidua, ubi tam diu morata fuerit, nec ipsam viderit, opinabatur ante paucos dies adhuc secum fuisse: sensim ad mentem rediit & nunc ab aliquot annis sana & vegeta vivit: ignara omnium quæ ipsamer tribus annis misère passa erat. Nec est quod existimem, lumbricos latos apud omnes hanc tragædiam instituere: plures utriusque sexus variæque ætatis his affectos novi, meoque consilio usi sunt, nihil horum etiam per anuos, sufferentes. Canes, felem, procos ac imprimis majores lucios ad fontem Danubii, ubi aquæ paludosæ pluribus in vicinia locis dissecui: in his plures lumbricos latos inveni, plerumque hirudinum instar ileo & jejuno pertinacirer adhærentes: probosci des sive capirula profundè immerierant tunicæ nervosæ intestiuorum, non multo majora capitellis acuum majorum: habebant collum uncias tres vel duos longum, gracile, vix crassius filo duplicato: à colii principio ad finem æqualiter lati & crassi erant, videbantur alimentum suum non ex sordibus, sed ex animalium succo nutritio hausisse. Prout igitur genus uervosum magis aut minus irritabile est; aut prout parti magis vel minus nervis doratæ se insigunt, magis vel minus nervis dotatæ se insigunr, magis vel minus totum systema percellerur. *D. Ioh. Iac. Wepferus Ephemer. German. Decursâ iij Ann. ii.*

Observatio XVI.

In puerulo Epilepticis motibus extincto varia in visceribus trium ventrium adnotantur.

PUelius septimestris postquàm febricula per mensem integtum laborasset cum urinis glutinosiotibus & tubore saturato infectis, derepentè in motus Epilepricos, ac affectionem lethargicam, incidit, quibus quinque dierum spatio exstinguebatur. Hujus cadaverculum cùm cultro nostro subjiceretur sexto April. Ann. 1686. vidimus, primò totum Abdomen quàm maximè tensum, illoqne reserato reperimus Omentum rotum versus venrriculum replicatum; ventriculum ipsum contractum, ac prorsus vacuum; Pancteas ventriculo subjectum, dutiusculum ac pallidius; Intestina tenuia flatibus distenta, crassa verò & flatibus & excremento fluidiori sed lutoso, coloris grisei, repleta, utraque tamen in propria substantia intemerata; Jecut per totam propè sui gibbam partem diaphragmati agglutinatum, magnitudinis monstrosæ, coloris subgrisei, maculis sublividis interstincti, in tota substantia, duri-us, ac cultri aciei non parum rerinens; Vesiculam bilariam succo viridiori ac cœnoso, undè vix per compressionem etiam incisis longiùs membranis effluebat, turgidam; Lienem satis bene constitutum præterquàm quod ipsius exterior membrana tota cotpusculis tophosis, seminis milii magnitudine, repersa foret; Renes naturalem magnitudinem non parum excedentes, eorumdemque pelvim urinâ syrupi consistentiâ, ac colore prope sanguineô, plenum; coloris præterea illi erant pallidioris; Ureteres qui vix specillum admitterent; quod scilicet humore mucilaginoso infercirentur, hic humor præcipuè à dextris dum urinæ è pelvi delabenti, obicem in via poneret, in causa fuerat ut in hoc uretete paulo infra ipsum renem, dilatatio confecta fuisset, pollicem facilè admittens, urina prædictâ tota teferta; Vesicam urinariam aliàs sanam, sed in sui cavo urinam, quàm in aliis suis secetniculis ac canaliculis cœnosiotem, continentem. Inde in Thoracem cùm ascenderemus teperimus Cor, suâ capsulâ conclusum, ac aquæ pericardii, ut in sanis moris est, innatans substantiæ compactioris, cujus ventriculus dextet patum sanguinis grumosi, sinister verò corpus quoddam polyposum album ac solidius, ramos duos in totidem venæ pulmonariæ, vulgo arteriæ venosæ dictæ, tubulos emittens, complectebatur; Pulmones per duos lobos dextros, superiorem scilicet minotem, inferiorem grandiorem, pleuræ non parum firmiter adnatos, magnitudinis ab hoc latere ordinariæ, coloris prorsus albidi, quibus variè excisis ne guttula quidem sanguinis vel spumosi, vel aliùs consistentiæ, effluebat: à sinistris verò majores fuere lobi, crassiores, lividi, ac sanguine ita turgentes, ut ille materiæ spumosæ admistus, copiosiùs intet tesecandum effueret. Tandem cavitatem suptemam attingentes teperimus Cerebrum substantiâ quidem suâ incotruptum, sed ea seri citrini quantitate, & in basi, & in ventriculis suis suffusum, quæ ad uncias ad minimum octo assurgeret.

Hisce omnibus sic lustratis non difficile fuit statuere, imi ventris viscera debiliora dum sero inertiori, succisque glutinosioribus tota infercirentur, eorumque varii canales excretorii obstruerentur, distributioni alimenti, ac sanguinis purificarioni non parum obstitisse;

liquo-

liquoresque ab eodem secretos in propriis vasis moram longiorem traxisse, & illius massæ post multam acquisitam in mora acrimoniam redditos, corrosivum quid ipsi impressisse, quo membrana pulmones vestiens exesa, hocque viscus pleuræ agglutinatum fuerat. Ipsum prærerea sanguinem serô quasi obrutum, bonam ejusdem quantitatem in cerebrum tandem deposuisse, quæ suis aculeis epilepticos primum insultus, ac demum inundatô & submersô quasi totô viscere, animalium spirituum verâ officinâ per eorum suffocationem, lethargicam affectionem, ac tandem ipsam mortem induxerit.

ANATOMIÆ PRACTICÆ.

LIBRI PRIMI

SECTIO XIII.

De Convulsione & motibus Convulsivis.

OBSERVATIO I.

Convulsio à sero cerebrum inundante & spinalem medullam, exinde extenuatam.

VIR Illustr. parentibus proavísque, aut cerebri aut nervorum dispositioni alias morbidæ obnoxiis oriundus, circa ætatis suæ ἀκμαίῳ seminis istius νοσερῦ fructus luere cœpit: primo enim artuum debilitate; *stupore* & spasmis levioribus tentari solebat; cujusmodi affectibus cùm diu laborasset, demum curationis gratia Bathoniam adiens, *thermis calidioribus nimis crebro usus*, vice remedii tantam exasperationem sensit morbi, ut ab isto tempore prædicta symptomata non amplius per vices sed fere constanter urgerent: nimirum singulos artus, imò quamvis partem corporis, motus convulsivi & tensiones dolorificæ incessanter exercebant, ita ut musculi simul omnes subsultibus repetitis perpetuò convellerentur, idque non sine insigni cruciatu: *cujus unica sedandi ratio in hoc sita erat, ut corpus modo totum, modò aliqua ejus membra motu locali Perpetim exercerentur*, quamdiu enim evigilabat, in lecto vel sedili agitari; aut in curru vehi, aut membra comprimi vel fricari necesse habuit, in quem finem illi parabantur cathedræ & lecti cum basi arcuata, uti sunt puerorum incunabula, in quibus cum decumberet vel erectus sederet, huc illuc, motu versatili continuò agitaretur: quod ni fieret immani dolore & musculorum tensionibus atrocioribus infestabatur. *Hujusmodi diurnam affectionis spasmodicæ molestiam tempore nocturno*, & statim à somno symptomata longè graviora excepere: nam recens expergefacto, illico totum corpus *horrescere*, *musculi tensionibus dolorificis* plurimum exerceri, singuli artus, velut instante mortis agone, sudore squallido perfundi solebant, qui in tantum corrosivus erat, ut instar aquæ fortis lintea, ni statim abluerentur, cito exederet & corrumperet: Æger durante hoc conflictu, sudores inter & horrores per plures horas torquebatur, donec penitus defatigato somnus obrepens levamen aliquod afferret: quod si paroxysmo ingruente protinus è lecto excitaretur, melius habuit, adeòque solitam affectus ferociam præcavebat; idcirco quamprimum à somno expergisceretur, licet hoc intra horæ semissem contingeret, illico ut torturam evaderet, domesticis ascitis, statim lecto eximebatur: Quantum ad appetitum, satis valens absque nausea comedebat, neq; à comestis stomachus turbabatur: sæpe tamen de cardialgia querebatur, ac *interdum sputatio molesta* cum fœrore oris, velut ab assumpto Mercurio per plures dies eum exercuit: calidiora quævis, tum pharmaca tum alimenta constitutioni ejus minime congruebant: Vinum aut cerevisiam generosiorem ne pitissare audebat: Primis ægrotationis suæ annis ad conspectum ignis horrescebat, postea imbecillior factus, licet urgente bruma prope focum sedere renuebat: Urina semper fuit citrini coloris, quæ si in vase fictili supra prunas evaporaretur, fæculentiæ salinæ supra dimidium liquoris in fundo residebant: *Alvus* continuo *adstricta*, nisi à pharmacis aut enemate irritata, sarcinam nunquam deposuit: Quinimo præter motus convulsivos *Paralysis* supra totius corporis membra quævis occupabat. Nec enim manus attollere, aut pedes gressui accingere potuit, *lingua vacillans* verba nonnisi imper-

imperfecta protulit; interdum verò cum ex occasione gaudio repentino gestiret animus, spiritibus & robore mire exsuscitatis, è cathedra subito surgere, & sine alterius ope recta incedere & salire valebat: quod tamen intervallum vix horæ minutum durabat, quin membra denuo vacillarent & solito languore & tremore afficerentur. Cum supra XII. annos ad hunc modum ægrotabat, remedia quamplurima, ac ferè nullius non generis tentavit, verum nulla medendi methodo sanari potuit, Tandem ingravescente senio simul ac morbo, spasmorum paroxysmi atrociores, non uti prius somno peracto, sed quamprimum lecto incalesceret, ipsum invaserunt, ut necesse habuerit lecto suo omnino abstinere, atque vestimenta raro, nisi ut lintea mutarentur, exuere, hinc transpiratione impedita, recrementa serosa, aliàque evaporari solita in pulmones desigebantur, quæ primo *respirationem crebram*, postea affectionem asthmaticam, ac denique Tabem lethalem intulere.

Cum Illustr. hujus viri à phthisi demum extincti cadaver aperuissem, pauca admodum ejusmodi gravissimorum pathematum vestigia detegere licebat, Hinc ut constet paralysin & spasmum non tam à crassa & copiosa materia, alicubi in mineris congesta, quàm à mala spirituum animalium, qui subtilissimi ac invisibiles sunt, affectione pendere: Abdomine aperto, Omentum (prout in plerisque à tabe, alisque morbis chronicis interemptis assolet) putridum erat & fere consumptum. Interim ventriculus, intestina, pancreas & mesenterium satis rectè habuerunt: scilicet membranæ erant firmæ, bene coloratæ, & abscessu quovis aut tumore scirrhoso liberæ: Intestinis majoribus excrescentiæ quædam carneæ, instar auricularum muris adnascebantur; hujusmodi cum plurimæ fuerint ex utroque intestinorum, Coli & Recti, latere, ad certa quasi stadia, instar ramorum arboris, gemellæ prodibant, Simile quiddam in tabido olim reperi. Hujus ratio videtur esse quod in phthisicis nutritio (licet circa partes solidiores & exteriores deficiat) aliquando tamen interius prope succi nutritii fontes plus debito perficitur, proinde ut epiphyses non naturales & superfluæ excrescant. Lien, qui semper pessimè audierat, & à plerisque Medicis velut Scorbuti & cæterorum omnium affectuum causa principalis damnatus fuerat, prorsus insons, & quavis culpa immunis apparebat, nam prout in maxime sanis observamus, fuit subatri coloris, mollis, & superficiei æqualis, obstructione aut scirrho quovis liber, fibris & vasis satis distinctis & firmis præditus: è compage ejus dissecta sanguis nigricans effluxit. Hepar (quod equidem mirari subest) mediocriter se habuit: necà tam gravi & diuturna ægrotatione solito durius aut scirrhosum, aut tuberculis obsitum evaserat: erat tantum grandius & coloris nonnihil obfusci. Renes, licet calculo ac ulcere quovis immunes, tamen culpa non vacabant, nam in medio dextri renis cavitas ingens à pelvi distincta, eaque multo amplior, aqua limpida impleta conspiciebatur, Talem in hydropicis sæpe numero comperi: Atque hæc quidem fortasse exsero in renem istum deposito, quod haud facile per meatus & poros ejus percolaretur, orta est: quippe serum inibi subsistens, ab initio specum sibi exiguum procuderat, qui sensim postea dilatabatur; cùmque ob hanc rationem seri secretio, & per ureterem, exitus aliquatenus præpeditetur, latex ejus in sanguinem restagnans, capiti noxam graviorem intulit, quod quidem eo magis suspicari fas erat, quia ren etiam sinister valde extenuatus & absumptus, plures hydatidas & cavitates aqua limpida repletas continebat. Pulmones sterno, & costis: & diaphragmati undequaque adnati, sine ulla fere distinctione loborum, una tantum compages carnis spongiosæ, putridæ, & materiâ ichorosâ per totum infarctæ videbantur. Proculdubio æger hoc malum non ita pridem contraxerat, scil. cum nullo corporis exercitio defungi nec intra lectum, ut liberius perspiraret, commorari potuerit, sanguinis fæculentiæ & recrementa, quæ per cutim evaporare solita sunt, in pulmones deposita, in causa erant quod hi & inter se & cum aliis partibus concrescerent, eorùmque tonum & conformationem prorsus vitiantes, ita ut phthisis demum exorta cæterorum affectuum, quibus diu ac miserè affligebatur, effectus & productum, ac minimè causa fuerit. In utroque Cordis ventriculo sanguis in substantiam solidam, albidam & carnis coctæ æmulam concreverat: quæ juxta cordis & vasorum cavitates & processus effigiata, serpentis cum cauda multiplici & divisa; figuram nonnihil referebat: Quo quidem in multis, post longam invaletudinem defunctis, nihil usitatus occurrit. Cujus ratio est, quod sanguis à longa ægrotatione effœtus, atque hinc circa præcordia pigrè circulatus, in corde & vasis appensis stagnare incipit, proindèque in concreta ejusmodi carnea sensim congelatur. Dum cranio aperto præcipuam morbi causam inter contenta ejus perquirimus, primò occurrebat cerebri molem justo minorem & gyris paucioribus instructam fuisse, unde spiritus animales non satis copiosè productos suspicati fuimus: Porro universa τῆ ἐγκεφάλε compages justo humidior, latice aquoso madida & prorsus immersa videbatur, ut integumenta ejus, seu meninges integrè divellerentur, atque anfractus & ventriculi omnes aqua limpida inundarentur: Probabile est hoc cerebri diluvium nuper accidisse, nempe qua ob διαπνοὴν impeditam, & lotii secretionem parcius habitam, serositates in massa sanguinea aggestæ capiti tradere-

tur: ideòque cerebri substantia, & imprimis corpora striata uliginoso prorsu , & [illegible] ma lita erant, ut discissa eorum substantia, vix compacta maneret, quin liquidorum inspissatorum more, aliquatenus diffueret intra sinus cerebro ejusque appendici superstratos ac insertos, atque vasa ex iis prodeuntia, sanguis in glomeres durusculos, ac velut carneos, non secus ac intra cordis ventriculos, & vasa iis appensa, concreverat, quod etiam nuperrime cum sanguis pigre circularetur, ob eandem rationem qua sanguis intra præcordia coagulabatur, accidisse putamus. *Spinalis medullæ* truncus aquæ limpidæ immersus, valde extenuabatur, ut vix dimidium osseæ cavitatis impleverit; quod equidem à seri salsi, cui velut incoquebatur, colluvie effectum censemus. *Thomas VVillis Pathologiæ Cerebri cap. ix.*

SI prædictorum affectuum rationes inquiratur, obvium erit universa hæc mala à prava cerebri & nervosi generis constitutione, ac immediatius, succi istas partes irrigantis dyscrasia ac vitio deducere; Nam cum liquor iste, in quo spiritus animales scaturiunt, quoad temperiem summè acri, & instar aquæ stygiæ corrosivus esset, & quoad mixtionem particulis tum narcoticis tum explosivis refierciebatur, haud mirum est propterea spiritus plurimum onustos, proindeque à debita expansione cohibitos, ubique in minutas explosiones, seu velut crepitus urgeri, quin & corpora continentia, à debita tensitate & robore exoluta, etiam in corrugationes dolorificas continuo irritari: Affectiones istæ spasmodicæ mox à somno acrius infestabant, quoniam calor lecti heterogeneas succi nervosi particulas exsuscitat, easque rarefaciens velut in explosiones adigit; tum etiam quia pars nervosa in somno succum suum ac cum eo simul allatæ materiæ morbificæ penum uberiorem imbibunt: quibus ad plenitudinem saturatæ, primo evigilationis instanti, protinus quod molestum est excutere nituntur: Propter hanc rationem observare est Scorbuticorum dolores, & asthmaticorum paroxysmos à lecti calore, atque à somno plurimum ingravescere: ideo statim lecto eximi, ut his ita huic ægro levamen conferre solebat.

Quod autem molestia à continuis musculorum subsultibus, & tensionibus dolorificis excitata, corporis aut membrorum motu locali aliquatenus sedaretur, ratio est quia spiritus animales, dummodo in actiones diversas ab extra coguntur, inordinationes quasvis ad intra suscitatas remittunt: Et enim ut in dolore & pruritu, qui leviores sunt spasmi, partem affectam comprimere, fricare aut scalpere juvat: ita musculorum ac tendinum motus convulsivi: à totius corporis aut membrorum agitatione inordinata aliquatenus placantur.

Quod spectat ad *copiosam sputationem* cum fœtore anhelitus, quæ incertis intervallis redire solita est, suspicari est eam forte à mercurio clanculum aliquando exhibito processisse; Qanquam & multos viderim affectibus tum convulsivis tum scorbuticis laborantes, quibus hujusmodi perpetua sputi ex ore defluxio, citra omnem mercurii suspicionem, molesta fuit: Nonnullos etiam quibus salivatio superveniens (materia explosiva ad hunc modum critice evacuata) morbum solvit: Porro verisimile est hunc affectum à meris succi nervosi recrementis productum fuisse, ductusque salivales, cum plures & satis patentes fuerint, superfluitates à nervis æque ac arteriis in glandulis copiose depositas excipere & foras convehere.

Quod lucida intervalla quibus æger inducias quasdam, licet breves, mitigata quasi morbi ferocia, obtinere solebat ut quem modo ægritudo cathedræ alligabat, derepente exilire & circumcirca deambulare potuerit, insperato tamen atque evanido hoc robore, mox iterum in pristinum languorem desinente, Dico ejusmodi motus, naturæ laborantis, & sub gravi onere prostratæ, fortiores quosdam nixus & ultimos conatus esse, quibus scil. ad momentum temporis se recolligit & quasi morbi jugum excutere tentat: verum quia huic certamini diu sustinendo impar sit, denuo statim relabitur & pristinæ succumbit sarcinæ: Profecto mirum est quantum sumpta naturæ vires ira acrimor, aliæque animi passiones quædam nervosum genus intendant, atque impetus plane stupendos edere cogant: sunt verò exiguæ tantum durationis hæc conatuum prodigia.

Designata ad hunc modum morbi prædicti causa conjuncta, & symptomatum præcipue urgentium rationibus ostensis, adhuc inquirendum restat circa causam προηγουμένην, nempe ob quas προφάσεις succus nervosus ita degener factus, 1°. paralysin, ac dein musculorum omnium subsultus, sive spasmos intestinos intulerit: Porro explicare oportet quare morbi hujus fructus paulatim accrescentes, thermarum usu tam citò ad maturitatem pervenerint, Item quare ægritudo ista nullis remediis cedens incurabilis extiterit.

Quoad prius, dicendum esse videtur quod æger parentibus, qui mortis cephalicis graviter obnoxii fuerunt, oriundus, malam cerebri & nervosi generis constitutionem originaliter contraxerat, adeo & intra sextum ætatis suæ lustrum paralysi spuria laborare inceperit: dein cum procatarxi huic hæreditariæ causæ evidentes, sanguini & humoribus majorem in dies labem affigentes accederent (erant enim varii casus atque infortunia quæ viro eximio mœstitiam & melancholiam continuo intulere) propterea quidem liquor nervosus, sale fixo & scorbutico supra modum imbutus, instar aquæ fortis, aut stagmatis vitrioli, summè acris & irritativus evasit, proindéque spiritus & corpora eos continentia, non secus ac prædicti liquores lumbricis suffusi, in corrugationes & contracturas spasmodicas continuo irritaverit.

Quod autem hic morbus primo sensim accrescens, thermarum calidiorum usu in statum longe deteriorem citò vehebatur, ratio facile patet: Experientia enim constat balnea calida & sulphurea in corpore humano, salinas, aliasque morbidas, quæ, intra viscera aut humores scatent particulas, plurimum exaltare, & citò ad ἀκρότητας perducere, eas scil. exagitando efferatiores reddere, è primis viis in sanguinem, & exinde in cerebrum & nervosum genus urgeret, quinimo prius secretas & otiosas conjungere, ac in ζύμωσιν quandam incitare: quare qui aut arthritidi, aut calculo hæreditario obnoxii, istorum affectuum paroxysmos nondum perpessi fuerunt, à thermarum usu sæpissime alterutrius morbi fructus in se statim maturari sentiunt: Cum itaque in

hoc

hoc ægro & sanguis & liquor cerebrum tum nervosumque genus irrigans, particulis tum narcoticis tum spasmodicis imbuerentur; quin & à crasi dulci & balsamica, iste versus salsum, atque hic in acetosum, stagnantis vitriolici æmulum degeneraret, tantum abfuit aquarum calidatum mineralium usus ab auxilio ferendo contra hæc mala, ut propterea statim omnia plurimum exacerbarentur, atque morbus ab humoribus quoad temperiem & mixturam ita depravatis procedens, nullis usquam remediis curari potuerit, nihilo facilius scilicet quam acetum in vinum reducatur. *Thom. Willis, ibidem.*

Observatio II.

A colluvie serosa convulsivos motus nonnunquam cieri, nisi aliud accedat, ostenditur eorum exemplo, in quorum cadaveribus cerebrum sero immersum repertum est, etsi spasmodicis affectibus obnoxii non fuerint.

TAntæ ægritudini excitandæ colluvies serosæ, aliique minus efferi humores, licet in ipsi cerebri ventriculis, aut circa nervorum origines depositi, nequaquam sufficiunt. Quippe in defunctorum capitibus non raro cerebri meditullia, ipsaque nervorum principia, aquæ limpidæ prorsus immersa vidi, quibus tamen dum vixerunt, nec Epilepsia, nec motus convulsivi adfuerunt. *Thomas VVillis Pathologiæ cerebri, cap.* I.

TAntæ ægritudini excitandæ.) *Cum inter universas humani corporis ægritudines nulla occurrat cujus causa magis in abdito sit quam Convulsio, adeo ut Averroes non dubitarit pronuntiare, verba Medicorum in hoc accidente universaliter esse propinquiora verbis musicorum, quam demonstrativa: Ipse Galenus ingenue fateatur difficile esse tradere causas ob quam convellantur partes corporis, acutissimus autem Willis proxime eas attigisse videatur, integrum caput ex ejus Pathologia Cerebri huc transferre operæ pretium visum est, ut pote ex quo singularum convulsionum specierum ætiologiam eruere licet.*

Ut spasmi natura & causæ rectius innotescant, verbo annoretur spiritus animales esse proximum motus regularis instrumentum, ipsorumque vim motricem in eo tantum consistere, quod densius agglomerari in parte motiva, ibidemque in spatium amplius expansi eandem intumefaciant, quæ proinde quoad longitudinem contracta, illico ad se partem sibi appensam attrahit: In Nervorum descriptione nostra innuimus hujusmodi motum esse duplicem, Spontaneum, & merè Naturalem: hujus initinctum à cerebello, ac ipsius à cerebro: utrumque autem per nervorum ductus, cum ad musculos, tum ad fibras, membranis, parenchymaris, aliisque partibus motivis intertextas: denique in hisce omnibus tam expedire varias peragi actiones ea solum ratione, quod inter spiritus animales, qui animæ sensitivæ hypostasin constituunt, intra prædictas partes, continuata serie dispositas, ubique eadem est communicatio officii, intima conjunctio & celerrimum commercium.

At verò inter motum à musculo, eumque ab aliis partibus editum, discrimen hoc occurrit, quod in his actio sæpissimè intra corporis motivi terminos circumscribitur, ita ut ejusdem tantum membranæ, aut visceris pars una aliam moveat, & deinceps hæc à vicina moveatur: In genere autem musculoso, plerumque pars movens in uno membro, & movenda in alio proximè consita est (quanquam & inter partes musculosas quædam, uti cor & diaphragma propriè seipsas fere tantum movent) Hinc membranæ & viscera, motum quasi intestinum & vermiculatem habere dicuntur: qualis ubicumque incipitur, spiritus ibidem densè agglomerati & expansi, primo partem ipsam, deinde ultra pergentes, aliam & mox ulteriorem intumefaciunt, Proindéque partem illam, quæ à tergo est, trahunt, adeòque intumefactionem & propterea motum à loco in locum transferunt, simili fere ritu ac lumbrici aliaque reptilia progressus suos faciunt: Huic autem membranarum ac viscerum functioni motivæ, si frequens aut indiscontinua fuerit, spiritus copiosi requiruntur, qui tamen sine tumultu satis tranquillè pensa sua exequuntur.

Si quidem observare est spiritus animales in viscera membranacea haud multo parcius quàm in musculos influere, prout arguere licet ab istarum partium sensu exquisitiori, & in iisdem multiplici nervorum insertione & diversimoda per plexus & fibras divaricatione, licet interea musculi uberiori sanguinis influxu irrigantur.

Quoad motum verò in genere musculosum peractum, spirituum agglomeratio & rarefactio per totam partis motivæ compagem subito ac simul explicatâ, tanto cum impetu ac robore peraguntur, ut attractio musculi in nixu motivo vim trochleæ aut vectis excedat, cumque vis ista tantum à spirituum parti motivæ insitorum expansione sive rarefactione dependeat, nihil minus concipere possumus quàm spiritus ita expansos pulveris pyrii, ritu, veluti ignitos explodi.

Enim veto supponere licet spirituum fibras musculo intertextas incolentium particulis spirituo salinis, alias diversi generis particulas, à sanguine arterioso inter easdem fibras ubique interfluo nitro sulphureas accedere, illisque intimè accrescere, dein quoties particulæ utriusque generis, velut nitrum & sulphur combinata, propter motus instinctum per nervos advectum, tanquam à fomite igniario, commoventur, protinus ab invicem elisæ & velut explosæ, musculum subito inflant, proindéque tractionem validissimam efficiunt: Enimverò in hunc finem ita constitui videtur, ut musculi multò uberius quàm viscera membranacea sanguine arterioso perfundantur, nimirum ut spirituum copiæ elasticæ, per motus valde crebros, ac interdum continuos absumptæ, ac perpetim decidux, subinde statim nova à latice sanguineo substituatur, interim ut ipsi spiritus in minori copia per nervos exiles suppeditati, usque in eadem statione, tanquam veterani milites diutius persistant & sæpe copulam multiplicem impendant. Certè ob hanc rationem & cordis & cæterorum musculorum virtus mo-

motiva robustior, & supra organum quodvis mechanicum, elastica evadit, nempe in quantū spiritus animales, ubique in musculoso genere agêtes, sibimet copulam explosivam adsciscant.

Apud antiquos increbuit opinio affectionem hanc tantū à Repletione & Inanitione produci. Et recentioribus plerique solūmodo irritationem nervosatū partium causam statuerunt, conjecturam inde opinor petentes, quod αὐτοψία pateat ab ipsa vellicatione: solòque nervorum tactu nervorum spasmos induci: verum enimvero, ut concedamus partium nervosarum irritationes non rarò causæ evidentis rationem subire, insuper aliquando hac causa solitaria spasmos leviores & cito transeuntes produci: nihilominus ut graviores hujus morbi paroxysmi, iique crebra vice repetentes debitè explicentur, alias atque altiores causas, scil. tum conjunctam tum procatarcticam, investigare oportebit.

Quandoquidem igitur spasmi nequaquam accidunt nisi in corpore vivo, ubi partes nervosæ turgescunt spiritu animali, in promptu est conjicere ipsos spiritus animales, sicut in motu regulari, ita in convulsivo esse proximum actionis instrumentum: nimirum, illi quandiu copula explosiva idonea & moderata imbuuntur, acad ipsam elidendam tantum appetitus jussu, aut naturæ instinctu proritantur, motus solummodo regulares pariunt: Sin verò iidem spiritus sibimet copulam heterogeneam ac nimis elasticam adsciverint; vel si justò impetuosius & vehementius in actus suos rapiantur, utique tanquam equi effrenes stimulis agitati, inordinate exiliunt, & copulam suam, licet genuinam ac naturalem violenter explodunt, proindéque partes continentes, velut currus appensos, motu perverso efferòque secum una corripiunt.

Cum itaque motus convulsivi ob duas potissimum causas excitentur, hinc totidem illorum species constituuntur: nam 1°. interdum accidit convulsionem sine procatarxi, aut copula heterogenea prius adscitis, tanquam à causa evidenti solitaria induci, ut passione animi, solutione continui in nervoso genere, si cerebrum & nervi debilioris sint constitutionis: quippe spiritus animales, objecto improportionato ipsos fugante, partes continentes exagitant, quin & copulam suam, licet idoneam, vehementer elidendo, easdem inflant, proinde alias hisce annexas convellunt: Spasmi hoc ritu excitati, quoniam in iis spirituum copula naturalis vehementius eliditur, quodammodo sunt explosivi, qui tamen citò definunt, & sæpissime sine viscerum aut membrorum jactationibus, cum tremore tantum & horore aliquo in spirituum deliquia transeunt: Verum 2°. Convulsiones quarum paroxysmi sunt graviores, usque diutius persistunt aut crebrius repetunt, omnino à causa procatarctica, sive dispositione prævia pendere, & ab alia, præter irritationem, causa conjuncta exoriri videntur: Ideoque in hoc casu *Particulas heterogeneas & valde explosivas spiritibus in hac aut illa corporis regione agentibus accrescere supponimus: deinde, ex iniquâ hac combinatione, & irrequieta hujusmodi materia & spirituum collisione, crebras vehementésque explosiones editas paroxysmos σπασμώδεις inducere.*

Enimvero præter copulam elasticam, quæ spiritibus à sanguine spirituoso accedit ubivis, & à cujus explosione ordinata *Impetus motivus*, juxta appetitus nutum aut instinctum naturæ in partibus quibusvis nervosis perficit[illegible] etiam aliusmodi interdum corpuscula naturæ [illegible]eræ, & pulveris nitrati magis æmula, spiritibus advenunt, iique intimè adhærent: cujus materiæ à spirituum amplexibus cum frequentia & subita divortia contingant, à mutua particularum elisione corpora continentia variè inflantur; adéoque in motus convulsivos aguntur: Revera quoties Affectio Spasmodica habitualis evadit, ut paroxysmi convulsivi non tarò sua sponte, & sine causa evidenti, passim verò levi quavis occasione oriantur, talis morbi procatarxis in hujusmodi mala spirituum animalium diathesi consistit: neque enim tantæ ægritudini excitandæ colluvies serosa, aliique minus efferi humores, licet in ipsis cerebri ventriculis, aut circa nervorum origines depositi, sufficiunt.

Quippe in defunctorum capitibus non tarò cerebri meditullia, ipsáque nervorum principia aquæ limpidæ prorsus immersa vidi, quibus tamen dum vixerunt, nec Epilepsia nec motus convulsivi adfuerunt: Quin potius ad hos motus producendos requiruntur corpuscula maximè activa, qualia sunt salina & sulphurea, quæ cum spiritibus combinata, & dein subito erumpentia, particularum mineralium combinationes violentasque explosiones imitentur: Quandoquidem enim in motu regulari & ordinario musculi impetum motivum & vim elasticam concipere nequimus, nisi spirituum animalium explosio quædam supponatur: certè multò magis pro insultibus Epilepticis, aliisque convulsionibus admirandis excitandis, eorundem spirituum cum aliis particulis valde efferis complicationes, eorúmque ab invicem elisiones vehementes tequiri, asserere licebit.

Circa verò ejusmodi copulam spasmodicam, quia differt à naturali, quam in motu regulari adesse, & ubivis à sanguine suppeditari alibì ostendimus, inquirere oportet Undenam illa proveniat, & quo ritu, quibusve in locis spiritibus accrescat.

Quoad prius, observare licet explosiones spasmodicas non solùm in musculis, quibus solis qui motum regularem efficiunt, limitantur, sed etiam in membranis, scil. ventriculo, intestinis, mesenterio, aliisque partibus ferè exanguibus passim contingere: Porro explosiones ipsas in affectione convulsiva, licet contra appetitus nutum & naturæ motem excitantur, longè vehementiores esse & diutius persistere quàm in motu regulari: Ex quibus constare videtur copulam explosivam spasmodicam aliunde quam motus regularis effectricem advenire: Et quidem probabile est illam, non utique hanc à sanguine arterioso, inter fibras musculosas ubique interfluo profluere, verùm à cerebro cum liquore nervoso irrigante descendente, & dein juxta horum origines, medios processus, plexus, extremitates, quasi in morbi convulsivi mineram congeri: profectò nihil evidentiùs liquet, quàm affectus spasmodicos, ob noxam imprimis cerebro affixam, & exinde in varias systematis nervosi partes transmissam, sæpissime oriri: hinc enim accidit quod passio vehemens, spiritûs τῷ ἐγκεφάλῳ hospites afficiens, itacrebro parhemata dicta hysterica ac hypochondriaca ordiatur: Porro, quòd in malis febrium crisibus, cùm sanguinis recrementa adusta in caput transferuntur, convulsiones passim

passim succedant: Porro & hæc ratio est cur vertiginis capitis inflatio, mentis torpor & alia, spasmorum in visceribus, & non rarò in toto corpore subsequentium proemium esse solent: Quapropter minimè dubitandum est quin particulæ heterogeneæ & explosivæ è sanguine, una cum succo nervoso cerebro instillentur, quæ postea in nervosum genus detrusæ inibi spiritibus accrescunt, iisque diathesin convulsivam inferunt: Revera affectus σπασμώδεις qui aut universales sunt, aut saltem plures simul corporis particulas occupant, hoc tantum ferè rita oriuntur: Interim tamen haud negamus quin spasmi particulares, qui se intra quosdam locos, capite nullatenus affecto, continent, aliis interdum modis inducantur: Nam si quidem nervi ab utroque fine, sc. radice & extremis ramis humorem suum imbibunt, (ut in νευρολογίᾳ ostensum) profectò hinc quoque inferre licebit, etiam particulas spasmodicas non tantum à nervorum principiis, sed aliquatenus per illorum extremitates intus admitti: Id quod forte satis apertè constat, quod ex liene malè affecto spasmi circa illius regionem exorti hypochondria non rarò infestant. Novi quibus à tumore, vel ulcere in mesenterio, utero, aliisque visceribus existente, convulsiones cum in parte affecta, tum circum circa eam intrebescere solebant: quod non aliunde pendet quam à particulis heterogeneis in loco affecto uberius congestis, quæque simul in fibras nerveas per totam viciniam cursitas irrepentes, iis motuum convulsivum, velut pulveris pyrii igniendi fomitem suppeditant: At verò plurimi ob tales αἰτίας oriundi, haud sese solent longè latèque diffundere, neque semper ad caput ascendere.

Ægritudo igitur convulsiva plerumque originem a capite sumit: variis autem modis materies morbifica in caput admittitur, plures item quibus in hanc aut illam systematis nervosi regionem deducitur & juxta varias causæ morbificæ translationes, diversæ motuum convulsivorum species constituuntur.

Igitur quod particulæ heterogeneæ & spasmodicæ intra ἐγκέφαλον admittuntur, & sanguinis mittentis, & cerebri suscipientis vitio imputandum est.

1. Cum sanguis materiam morbificam capiti suffundit, vel tota ejus massa depravatur, ut in febribus malignis, in affectione scorbutica, cacochymica, ac imprimis originaliter morbida: vel sanguis in ons maligna corpuscula aliunde accipit, quæ post cerebrū affigit sic in magnis viscerum impuritatibus, ulcere, abscessu, &c. affectis, particulæ noxiæ in sanguinem ebulliunt, ejusque commeatu postea in cerebro deponuntur.

Attamen 2. sanguis ut vitiosus & seminio morbido impragnatus haud facile inquinamentum suum cerebro allinit, nisi etiam cerebri ejusque appendicis constitutio aliquatenus in vitio fuerit: quandiu hæ partes bene conformantur & vigore pollent, se suaque tuentur, foribus occlusis, nil præter liquorem spirituosum usibus dicatum, purum putumque admittunt; Sin vero aut cerebri meatus & pori nimis laxantur: aut Spiritus ostiarii ab excubiis suis cessant vel avocantur, una cum succo nervoso, materia heterogenea & morbifica irrepit, ac in regimine animali malignitatem suam explicat: Quod spectat ad ipsius cerebri malam Disposi-tionem, ea aliquando hæreditaria existit, quia aut ipsius intemperies justò est humidior, aut siccior, vel alterius qualitatis excessu aut defectu peccat: Interdum pori sunt laxiores; vel ejus consistentia nimis dura aut mollis est; quin & partium *cerebri* & *appendicis* ejus *conformatio* indebito modo habere potest: At aliquando cerebri & Nervorum indoles originaliter sana, ex accidente vitiatur ob morbos chronicos, &c.

Quod spectat ad spirituum animalium ἀταξίας, propter quas particulæ spasmodicæ cerebrum absque repulsu subeunt, observare est eos quibusdam à nativitate teneriores, & citò dissipabiles existere, ita quidem ut nihil sensui aut imaginationi fortius oblatum tolerare possint quin statim in confusiones adigantur; qua de causa fœminæ præ viris, atque his aliæ præ aliis affectibus hystericis dictis obnoxiæ fiunt: Porro interdum passio violenta spiritibus, ut & mediocriter firmis, ejusmodi prosternationem ac inordinatione imprimit, ut postea nihil tortiter sufferre, nec cuivis injuriæ resistere valeat: ita passim accidit subito timore, aut ingenti tristitia regimini animali impressiones morbidas affigi, quæ postea vix unquam delentur, hinc mulieres sæpe affectiones dictas uterinas, & viri hypochondriacas primò contrahunt, iisque postea fere semper assuescunt.

Ex his constat quomodo materies spasmodica intra cerebrum admittatur, jam videndum quid de illa fiat postea, si quidem affectus convulsivos aut non semper, aut non eodem modo prorsus modo inducit.

1°. Interdum accidit particulas explosivas in cerebrum admitti, quæ tamen inde sine magna noxa, & priusquam genus nervosum subeant, rursus, exterminantur; quippe venæ & lymphæ ductus sæpe quod superfluum resorbent vel foras convehunt, vel in emunctoria deponunt: dum talis materia parumper cerebro agitatur, particulæ ejus spiritibus nonnullis affixæ, in hisque demum elisæ, vertiginem & scotomiam cient: at verò quia nervorum ductus haud subeunt, affectiones spasmodicæ minimè succedunt.

2. Quando materies morbifica intra ἐγκέφαλον admissa non inde statim relegatur, sæpenumero noxam suam, priusquam nervoso generi inferatur, haud prodit, nam intra cerebrum spiritus animales admodum vegeti & spatium liberius nacti, copulæ cujusvis heterogeneæ complexus evadunt, quos equidem intra angustos nervorum canales evitare nequeunt: Porrò ipsa materies morbifica, si quidem à cerebro per vasa excretoria amandari non potest, exinde mox in systema nervosum, utpote partem imbecilliorem dimittitur: sin verò invitis facultatum superiorum præsidiis, talis materia diutius intra cerebrum commoretur, ejusque spiritus incolas, valde inficiat, Epilepsiam inducit: attamen multò crebrius labes à cerebro, absque magna noxa ejus, in nervosum genus traducitur, quod non uno semper modo fieri contingit.

Enimvero particulæ heterogeneæ liquori nervoso immixtæ, ac versus nervorum principia delapsæ, eadem non simul omnia, neque hæc aut illa, prout sors tulerit, indifferenter subeunt, verum in aliorum ductus præ aliis, idque non sine aliqua ratione diriguntur: namque observamus symptomata convulsiva sedem plerumque

rumque aliam in pueris ac in adultis; aliàmque in tenerioribus ac in robustis sibi eligere.

In pueris, qui affectibus cordis & membrorum exteriorum exercitiis nondum assueverunt (quibus sc. utrisque causa morbifica longinquius à cerebro profertur) materies spasmodica in nervos proximos, eos scil. tertii, quinti, & sexti paris sæpius incurrit, quare illis faciei ac oris partes maximè convelluntur, rarumque est & insuetum iis viscera & præcordia, prout in adultis, attolli motuve inordinato affici: Econtra in provectæ ætatis hominibus, aditu ad nervos paris vagi & intercostalis, uti ad istos spinalis medullæ magis patente, partes quas nervi illi magis respiciunt, frequentius convelli solent: hoc tamen cum discrimine, quod in tenerioribus, & iis qui sunt valde ἐυπαθεῖς quibus ob passiones animi præcordia & viscera sæpius turbantur, materies spasmodica nervorum interiorum ductus apertiores promptius subit, ideoque propterea spasmis in abdomine & thorace extratis magis obnoxii redduntur: hinc enim est quod mulieres passionibus dictis hystericis, ac viri quidam hypochondriacis molestantur.

Cum materies spasmodica quorumvis nervorum capita adpellit, vel ibidem subsistens vertiginem tantum, partiumque ad quas nervi isti pertingunt, leviores spasmos & subsultus creat; vel in nervorum ductus altius prolapsa paroxysmos atrociores parit: Eadem verò in processus nerves delata, per caudicis, sive trunci unius aut plurium propagines modò omnes, modò aliquas tantum, cæteris patentiores disponitur: atque spiritibus, tum intra fibras appendices consitis, paulatim accrescit: nimirum par ratio est, & similis fit apparatus in dispositione ad paroxysmos convulsivos, ac si pulveris pyrii successivè explodendi grana per longas series disponerentur.

Spiritus ad hunc modum copula heterogenea imbuti, tum intra nervorum truncos, tum intra fibras membranis & musculis intertextas, potissimum verò intra plexus nerveos hospitantur: Cumque illi, aut gravati ob nimiam plenitudinem, aut data aliqua occasione exagitati, copulam suam excutere conantur, particulæ elisæ & ab invicem prosilientes, partes continentes valde inflant, adeòque impetum motivum contra appetitus & naturæ jussum & leges exerunt.

Porrò spiritus ad motus Convulsivos obeundos semel incitati a systematis nervosi extremitate una aut altera, ut plurimum verò in fine explosiones ordiuntur: Illi autem qui primo explosi sunt proximos quosque prædispositos, velut traduce igniario corripiunt, adèoque longa & continuata spasmorum serie, à meta una ad alteram affectionè inceptam propagant: nam convulsio ab imo abdomine, aut à pede aut manu exorta, sensim ad superiora, & plerunque ad ipsum ἐγκέφαλον prorepit: idémque affectus cum à cerebro (prout in Epilepsia) orditur, illinc pariter deorsum ad viscera remota, etiam ad membra & artus exteriores derivatur.

Materies morbifica in capita nervorum influens, pro varia sui copia & dispensatione, diversimoda convulsionum genera producit: nam primò observare est, abundante & exuberante materia, interdum systematis nervosi, aut quarundam ejus partium totos ductus occupari, ita ut spiritus animales tum insiti, tum insiti, copula heterogenea, ejusque supplemento perpetuò saturati, in spasmos continuos urgeantur: Novi quibus musculi omnes ac tendines in toto corpore contracturis & subsultibus sine intermissione afficiebantur: Novi alios quibus brachia & crura, cæteraque artus in varias flexiones & distorsiones perpetuò cogebantur: Quin & alios vidi qui saltare, huc illuc discurrere, pedibus manibusque humum contundere necesse habuerunt, quod ni facerent, in immanes viscerum & præcordiorum convulsiones incidebant: 2. Particulæ heterogeneæ & explosivæ, si minori copia cum spiritibus combinatæ sint, ipsis sine tumultu aut perturbatione adhærent, donec post aliquod tempus utræque particulæ iterum dissilientes, ac ab invicem elisæ paroxysmos convulsivos cient: cujusmodi paroxysmi sunt, vel periodici, & statis horis exactè repetunt, quod accidit ob materiam morbificam æquali dimenso generi nervoso quotidie suffusam, proindéque circa idem temporis spatium, ad plenitudinem explosivam etiam quotidie aggestam: vel vagi & incerti, in quibus sc. particulæ heterogeneæ minori adhuc copia suffusæ, nonnisi longo tempore ad plenitudinem explosivam assurgunt: quarum interim cùm plenior aggestio, tum explosio ob plures occasiones, sive causas evidentes, modò crebriùs, modò rariùs solent accidere, hinc fit ut affectio spasmodica nonnunquam causæ evidenti in totum adscribatur, cùm revera nisi procatarxis convulsiva præcesserat, talis causa nullam excitasset.

Causarum autem evidentium, quædam 1°. procatarcticam intus latentem & in efficiendo potiorem adaugent, eamque citius ad plenitudinem explosivam perducunt, uti sunt mala victus ratio, & errata in sex rebus non naturalibus, quæ sanguinem & succum nervosum inquinando, particulas heterogeneas majori copia spiritibus ad saturationem suggerunt; proindéque affectiones spasmodicas eo citius accersunt: vel 2°. quædam spiritus derepentè exagitant & irritant, ut statim explodantur, & copulam suam, qualiscunque fuerit, elidant: atque hujus generis plurima sunt, quæ spiritibus modò intra ἐγκέφαλον, modo intra systema nervosum consitis, accidentia, motus convulsivos instinctu diversimodo aut Directos aut Reflexos cient.

Prioris generis potissimum sunt violentæ animi perturbationes, quibus spiritus cerebri incolæ, agitati atque confusi alios intra nervosum genus scatentes & sæpe prædispositos ad explosiones irregulares incitant.

2. Quoad alterum causæ Evidentis genus, quo sc. spasmi actu Reflexo incitantur, hoc quidem, nec infrequentet locum habet, quoties gravis molestia, cum fibrarum & spirituum irritatione nervoso generi alicubi exhibetur: quippe eadem molestia mox cum primis spirituum fontibus, nempe cerebro aut cerebello communicata, exindemotus inordinati ac violenti præter animi arbitrium incepti, h. e. convulsivi retorquentur: ita nàmque lumbrici, pharmaca, aut acres humores, intestinorum tunicas immaniter vellicantia istarum partium, & non rarò membrorum externorum spasmos inferunt.

Hactenus de morbis convulsivis habitualibus factis, & cum gravioribus paroxysmos repetere solitis. Restat altera species, ubi paroxysmi

xysmi à causa evidenti solitaria, seu ferè tantum ab Irritatione, spiritibus nondum copula explosiva præoccupatis, dependent: super his in communi statuitur insultus spasmodicos, à mera irritatione productos, aut leviores esse & cito pertranseuntes; aut gravissimos, & non rarò lethales: prout quando venenis assumptis aut ὑπερκαθάρσει superveniunt: Porro adnotetur, cum materies morbifica sive iritativa, ipsis nervorum caudicibus aut plexibus insederit, eam non rarò etiam explosivam evadere, utcumque spasmos etiam à mera irritatione productos, explosiones quasdam esse, sed ad rem propositam.

Partium nervosarum Irritatio, quæ motus convulsivos efficere solet, variis in locis, variisque ex rebus, quæ spiritibus & fibris incongruæ atque inimicæ sunt, contingit: Quoad res spirituum naturæ adversantes, observare est præter venena, & qualitatum tangibilium excessus, qui ab extra infliguntur, multa quæ in nobis gignuntur sc. varia sanguinis & succi nervosi recrementa, febrilia; humores præternaturales, salinos aut sulphureos, quinimò lumbricos, calculos, cum plurimis aliis nervoso generi infesta esse, & irritationes spasmodicas passim ciere.

Quoad loca affecta, sive materiæ irritativæ sedem, licet hæc in qualibet systematis nervosi parte noxam inferat, ut plurimum verò maximé infesta esse solet cum juxta systematis nervosi principia, vel extremitates, vel circa medios nervorum processus, ac præcipuè in eorum plexibus defigitur: Porrò talis materia, quæ, spiritus irritans causæ evidentis loco esse solet non rarò, prout modo innuimus, etiam procatarcticæ rationem subit, nimirum particulæ heterogeneæ ab illa emissæ fibras nerveas subeunt, & cum spiritibus combinatæ, eos ad explodendum aptiores & procliviores reddunt.

Observatio III.

In capitibus eorum qui Spasmis vehementibus, post malas febrium crises & cephalicos morbos graves affecti fuere, postica medulla oblongata sero acri immersa reperta est, atque pellicula obvolvens aliquando disrupta.

1°. IGitur interdum accidit humores malignos & nervoso generi infestos, è sanguine in cerebri regionem suffusos, & exinde demum in posticam capitis regionem delatos, nervorum origini incumbere, ubi si disrupta pellicula quæ medullam oblongatam investit, in nervorum truncos nudos incidunt, eorùmque fibras altius subeunt, propterea quidem motus convulsivi non modò in partibus capiti vicinis, verùm aliquando in valde remotis, & non rarò in toto systemate nervoso oriuntur: Hoc passim observare est in malis febrium crisibus, materia morbifica in caput translata: item in affectibus cephalicis in statum pessimum ac lethalem evectis: Revera cùm plurium hoc ritu defunctorum capita aperuerim, reperi in omnibus posticam medullæ oblongatæ regionem sero acri & salsugineo immersam.

2. QUemadmodum systematis nervosi extremitas interior, sive origo, ita non rarò exterior, sive finis, à vellicatione illi facta, motus convulsivos suscipit, eosdémque quaqua versus transfert: hoc in membris exterioribus passim fieri restatur tendinum ac nervorum puncturæ: Nec minus à vellicatione in visceribus facta spasmi circumquaque excitari solent, siquando pharmaca aut humores acres, nec non lumbrici in ventriculo aut intestinis scatentes partes membranaceas vellicant, adeòque sensionem molestam primis sensoriis imprimunt, exinde statim ob spirituum excandescentias, motus convulsivi modò in partes affectas, modò indifferenter in alias quascunque retorquentur: nam à graviori visceris cujusdam noxa, sæpe spasmi non tantum partes affectas & vicinas occupant, verum in faciei ac oris musculos, necnon in membra exteriora transferuntur; Calculus ureteri impactus, haud tantum in isto ductu, verum in tota vicinia contractiones immanes accersit: Porrò symptomata quædam hysterica, aliàque hypochondriaca nonnunquam hac ratione inducuntur, quatenus nimirum vellicatione in visceris cujusdam membranis facta, illico spasmus retorquetur.

3. Materies irritativa, quæ spasmorum causa evidens esse solet, interdum medios nervorum processus occupat, & propterea partes, modò supra, modo infra illius sedem, ad motus convulsivos incitantur: Hoc de nervorum plexibus satis constare videtur, cum enim succi nervosi recrementa acria in iisdem congeruntur, non rarò spasmi per totam viciniam procreantur, hac ratione affectio colica atque hysterica, nulla viscerum istorum culpa, tantum ab humore in nervorum plexibus deposito non rarò progigni atque excitari videntur: Pariter ob plexus ganglioformes humore acri & irritativo obsessos, præfocatio in gutture, necnon variæ præcordiorum contractiones inferuntur: Porro affectiones spasmodicæ ab humore acri intra totos nervorum caudices & corporum nervosorum meatus scatente, non rarò dependent: Vidimus quosdam convulsionibus admirandis ac perpetuis affectos, ut necesse habuerint membra huc illuc jactare & distorquere, saltare, discurrere, humum manibus aut pedibus contundere, aliásque gesticulationes stupendas exerere, haud secus ac si sagarum præstigiis læderentur: cujusmodi Passionum causa genuina in eo consistere videtur, quod succus nervosum genus irrigans, instar aquæ stygiæ acerrimus, ac à debita crasi degener factus, spiritus insitos influosque continuò irritaret ac velut oestro quodam afflaret. *Thomas Willis Pathologiæ cerebri cap. 1. & seq. vide Gassendum Phys. sect. 3. lib. 11. cap. 1.*

Morborum convulsivorum, propter originem Nervosam præcipuè affectam ortorum, causæ & generatio explicantur.

Licet affectiones Convulsivæ quæ adultioribus accidunt, aliis nominibus insigniter, etiam alius cujuspiam prosapiæ vulgò reputentur, atque ad passiones hystericas, hypochondriacas aut

aut colicas, vel ad scorbutum referri soleant: attamen si res paulò attentius consideretur, facile patebit symptomata quædam spasmodica, tum viris tum fœminis, crebrò evenire, quæ convulsionis nomen sibi propriè ac jure vendicant: Hoc autem pro multiplici causæ morbi, ficæ sede, vario modo distingui possunt, præsertim in tres has species, sc. in spasmos quosdam ob *Nervorum Originem* præcipuè affectam excitatos, inque alios qui propter *Nervorum Extremitates* materia morbifica obsessas cientur: ac demum in alios, quorum materies morbifica à capite descendens, *Nervorum* quorundam, vel simul omnium *Ductus*, aut totos aut quoad maximam partem occupat.

Quoad Convulsiones à *Nervorum origine* affecta ortas, imprimis notandum materiam morbificam Nervorum initia obsidentem, quandoque in priora nervorum paria, quæ scilicet oculorum & faciei musculis prospiciunt, potissimum influere: proindéque modo nasi, genarum aut labiorum contractiones & tremores, modò oculorum aut oris distorsiones sequuntur: 2. Aliquando *par vagum & intercostale* particulas heterogeneas maximè imbibunt, & tunc *abdominis & hypochondriorum inflationes contractionésve, quin & cordis Palpitatio, tremor, respiratio difficilis ac interrupta, pulsus intermittens*, aliaque medii aut infimi ventris symptomata plurimùm infestant: 3°. Nonnunquam causa morbifica posterius consita, *Spinalem medullam* præcipuè afficit, & propterea *membra exteriora & artus subsultibus & contracturis inordinatis* obnoxia redduntur: Porrò in pluribus hujusmodi casibus, quia spiritus animales circa Nervorum origines explosi, versus ἐγκέφαλον inordinatè resiliunt, idcirco quibusvis ferè spasmis hoc ritu excitatis *vertigo*, item sæpe *Scotomia, aurium tinnitus*, & nonnunquam ἀναισθησία adjunguntur aut succedunt.

Cæterum, prout ex variis affectionis Convulsivæ typis conjicere licebit, videtur quod materies spasmodica, hos aut illos Nervos, aut simul eorum plures appellens, vel circa ipsorum principia, ferè tantùm hospitetur, ita ut spiritibus ibidem crebrò explosis, *Vertigo frequens* & valde molesta oriatur: insuper circa *præcordia tremores*, ac breve *deliquium & lipothymiæ* metus: non rarò in visceribus aut musculis *subsultus & contracturæ leves* sentiantur: vel 2°. Particulæ explosivæ; ad nervorum origines delatæ, eorum processus altius subeunt, & non rarò in plexus nerveos, ad præcordia aut viscera imi ventris, aut etiam membra exteriora pertinentes, delapsæ, illic affectionum spasmodicarum alios quasi nidos consciscunt, ut quoties spiritus circa originem nervosam in explosiones adiguntur, statim in abdomine, thorace, aut artubus, *paroxysmi* velut *hysterici, asthmatici*, aut aliàs *convulsivi* oriantur: Interim materies spasmodica nervorum ductus influens, cum usque ad processus & plexus eorum remotos transfertur, quando tamen præcipuam minetam adhuc circa originem nervosam habet, ad eo ut post graves *viscerum* aut *membrorum* spasmos, magna *cerebri perturbatio* cum *vertigine, aurium tinnitu*, & non raro ἀναισθησία subsequatur: Interdum verò materia morbifica, quoad maximam partem ad longinquos Nervorum fines translata, deinceps circa eorundem principia immanius agitur: Etenim plures observavi, qui dum principio *vertigine*, crebro *leipothymias* metu, *cephalalgia* & occipitis gravitate infestarentur, circa præcordia aut viscera leviores tantum inflationes aut tremores perpessi; postea tamen circa has partes spasmos immaniores perpessos, de prioribus capitis affectibus minimè conquestos fuisse.

Quod si de *Materia Spasmodica* amplius inquiratur, undenam illa suggeritur, & *quibus viis* versus nervorum origines defertur, & cujusmodi ibidem *situs* & quasi *focos* obtinet? dicendum videtur, quod licet hujus ductus manifestos & vestigia deregere nequimus; quantum tamen ex observationibus quibusdam & rerum analogia colligere datur, supponere licebit, *binos hosce distinctos transitus modos*, quibus particulæ spasmodicæ primùm è sanguine in cerebrum & cerebellum suffusæ, exinde versus nervorum principia convehuntur, sc. primo Interdum materies ista à cerebro ac cerebello imbibita, ac utriusque poros sensim pertransiens, in medullæ oblongatæ caudicem delabitur, cujus item tractu quodam superato, unà cum succo nervoso, versus nervorũ origines, prolabitur ac propè illorũ capita, vel intra ipsum caudicem medullarem, vel intra prominentias annulares aggeritur; in quibus locis, aut diutius subsistens, crebras vertigines, ac in partibus remotis spasmos leviores, ut dictum, ciet; vel exinde in nervorum ductus altius delapsa convulsionum valde atrocium paroxysmos exitat, Talem causæ morbificæ progressum suspicamur: in quibus vertigo, scotomia, capitis gravedo ac mentis torpor insultus convulsivos præcedunt: cujusmodi quidem affectus prævios, materies νοσερὰ adhuc in cerebro, & appendice medullari scatens producit, quæ deinceps in nervos allapsa convulsiones infert.

Secundò, restat alter modus quo liquidè patet materialem effectus spasmodici causam in principio nervorum transferri, nempe cùm eadem à colluvie serosa intra cavitates, sive ventriculos τῶ ἐγκεφάλω deposita, in vicinas nervorum radices insinuatur. Enimverò in morbis chronicis, cum ad insignem sanguinis & humorum dyscrasiam cerebri quoque mala dispositio accedit, sæpe ingens seri acris, & nervoso generi infesti copia, è plexuum choroideum vasis exudans, in cerebri, ejusque appendicis, ventriculos delabitur; serosus autem hic latex, postea in quartum ventriculum, cerebello substratum, incumbens laxata ibidem pellicula, qua medulla oblongata obtegitur, unius aut plurium nervorum origines obsidet, eósque vel particulis heterogeneis & explosivis imbuendo, diathesin spasmodicam inducit: *Atque hæc ferè causa est, quod post febres diuturnas, aut malè indicatas; etiam post morbos cephalicos graviores, ægrotantes demum convulsi intereunt, prout ex crebra cadaverum, eo ritu defunctorum, anatome deprehendi: Quin etiam ex observatione anatomica constat, cerebrum colluvie quadam serosa inundari, absque dispositionis spasmodicæ affectu: Porro & nonnullis ab Epilepsia, aliisque morbis convulsivis defunctis, nullum intra cerebri ventriculos seri diluvium adfuisse*: Ex quo datur intelligere, affectiones spasmodicas, haud tantum ab aquosa τῶ ἐγκεφάλω illuvie profluere: cæterum nec omnino à tali causa oriri, nisi latex serosus cerebri ventriculos, ac imprimis istum cerebello substratum inundans particulis heterogeneis & explosivis imbuatur.

Observatio IV.

Convulsivi motus excitati à sero intra omnes ventriculos fluctuante.

MEmini olim petitum esse meum consilium pro adolescente phthisi laborante, & tunc temporis planè desperato: præter tussim & dyspnoeam, ille per plures dies, imò hebdomadas, graviter conquestus erat non potuisse se in lecto supinum decumbere, aut dum in cathedra sederet, caput vel minimùm reclinare: quippe ab hoc illòve corporis situ, illico cordis tremores & spirituum deliquia, quasi jamjam moribundus esset, pati solebat, quapropter necesse habuit caput semper pronum, sive antrorsum inclinatum tenere: post obitum cadavere dissecto, pulmones, per totum fere scirrhosi & in quibusdam locis ulcerosi apparebant, dein cranio aperto, ingens seri salsi & flavi copia, intra omnes cerebri ventriculos fluctuabat: qui certe latex, dum capite reclinato in quartum ventriculum, supra medullæ oblongatæ caudicem prolabeletur, *in nervorum paris vagi & intercostalis* capita irruens, circa præcordia convulsiones prædictas ciebat: quamdiu autem capite antrorsum inclinato, ista seri colluvies in anteriores cerebri ventriculos refluebat, nervorum origines ab ista materia spasmodica immunes perstitere.

SCio plurimos pathemata hæc convulsiva præcordia graviter fatigantia, vaporibus à liene elevatis adscribere, attamen ratio longe potior videtur eadem à materia spasmodica, intra cerebrum aggesta, & in nervorum principia irruente deducere; quia scilicet excrementi cujusdam, à partibus aliis in caput metastasis præcessit.

Cæterum quia istius materiæ portio quædam, à capite descendens, nervorum ductus sæpe altius subit, adeoque circa medios, ultimosque eorum processus & plexus, *seminii explosivi*, quasi *pulveris pyrii* fomitem struit, ex re fore videtur hujusmodi casuum exempla quædam subjicere.

Puella quædam procera, & venusta, parentibus sanis orta, ipsaque constitutionis (prout videbatur) originaliter sanæ, postquam hero longa invaletudine detento, diu & fere continuo ministrasset, atque hinc sæpius totas noctes evigilare; aliisque temporibus crebro expergisci cogeretur, ut nunquam somnus, nisi brevis & interruptus, capesseretur, tandem de capitis hebetudine cum crebra vertigine queri cœpit: Intra breve exinde temporis tractum, affectu in dies ingravescente, tremores sensit in toto corpore, cum levi membrorum succussu, quibusdam vicibus, licet vagis & incertis ingruentes: postea dein paroxysmos planè convulsivos, eosque horrendos & crebro infestantes perpessa erat: Paulò ante morbi insultum scotomia brevi afficiebatur: mox pectoris angustiam & oppressionem magnam, qua præcordia simul omnia strictim contrahebantur, persensit; tum illico stridorem ingentem, cum forti ejulatu edens, in terram concidere solebat: interim animo constabat: ac magna cordis oppressione laborans, donec ista pectoris constrictio relaxaretur, se nullo modo relevare potuit: postea cum paroxysmus pertransierat, insigni *cordis palpitatione*, sensuum torpore & functionis animalis debilitate magna adhuc aliquandiu afficiebatur: Postquam hæc ægrotans per XIV. circiter menses ejusmodi paroxysmis, crebra vice repetentibus, obnoxia degisset, demum epileptica evasit, ut quoties mali insultus rediret, in terram prostrata *ἀναισθησίᾳ*, cum spuma oris, aliisque pathognomonicis caduci symptomatis corriperetur: Neque hic affectus iste gradum sistebat, quin, vix elapso anni spatio, in maniam degenerabat, ut denique ægrotans amisso rationis usu, modo cum furore insaniret, modo cum stupore plane desiperet.

Ab initio materies morbifica juxta nervorum principia consistens, viscerum & membrorum leviores tantum spasmos & succussiones cum vertigine intulit: postea ejus portio in *nervos pneumonicos*, eorumque plexus delapsa, gravissimas, *præcordiorum*, *diaphragmatis & ventriculi* convulsiones produxit: quin & ejusdem materiæ portio altera cerebrum ejusque meditullia invadens, *ἀναισθησίας*, ac dein caduci paroxysmos inferebat, atque demum spirituum textura in totum vitiata, eorumque latice in liquorem acerrimum, ac veluti stygium, degeneri, *affectiones spasmodicæ in maniam* transibant: Quod spectat ad particulares tum morbi tum symptomatum rationes, videtur quod ea virgo ex vita sedentaria, vigilis nocturnis & somno frequenter interrupto, vitiosam sanguinis & humorum diathesin, simulque pravam & debilem cerebri & nervosi generis constitutionem contraxerit, atque quod forte ex hero miasmata spasmodica hauserat: Et primò quidem particulæ heterogeneæ, una cum succo nervoso in cerebrum & cerebellum suffusæ, ibidemque spiritibus accrescentes, præliminari scotomia quasi velitabantur: Dein materies spasmodica nervorum paris vagi & intercostalis, atque spinalis medullæ principia obsidentes, una cum vertigine viscerum & musculorum subsultus & succussiones leviores intulit: postea cum eadem *Nervorum ductus* altius subiens, *in plexus cervicales*, *cardiacos*, & forsan intercostales, aliosque deferretur, atque spiritus, respirationis & pulsus munia exequentes, copula explosiva imbueret, illi crebra vice ob plenitudinem, vel propter irritationem, una cum superioribus nervosæ originis incolis, in explosiones adacti, partium respectivarum spasmos horrendos excitabant: Enimvero urgente paroxysmo, à *nervis pneumonicis* constrictis, derepente thoracis systole inordinata ciebatur: deinde statim diaphragmate subitò & vehementer retracto, ejulatus iste obstreperus succedebat: Porrò cum ob istam thoracis systolen, diutiùs continuatam, sanguis ne moveri posset impeditus, omnino in præcordiis stagnaret, idcirco durante paroxysmo, cordis oppressio magna cum *ἀφωνίᾳ & ἀκινησίᾳ* laborantem urgebat: Interim verò cùm adhuc cerebri regio à spirituum explosionibus libera ac immunis perstaret, ægrotans animo constabat: postea verò cum materies spasmodica, in dies adaucta, etiam in cerebri debilitati & præfracti meditullia explicaretur, prioribus circa præcordia pathematis, *ἀναισθησία*, dein Epilepsia, ac ultimo mania, ob rationes dictas supervenerunt.

APPEN-

APPENDIX.

Affectio Convulsiva, quasi Hysterica, in viro, propter originem Nervosam affectam.

Non tantùm in sexu fœmineo, ut pote debiliori & magis patibili, spasmi ab origine nervosa principaliter affecta oriuntur, verum ejusmodi affectiones aliquando in viris à simili procatarxi excitatas videre licuit; Ante annos aliquot festinanter accersitus ad extraneum quendam, ipsum primo intuitu revera Dæmoniacum suspicabar, eique exorcismis, potius quam pharmacis opus fuisse rebar: Erat is quadragenarius, qui jam per tres annos, statis quibusdam temporibus motibus convulsivis tentari solitus est, hujusce ægritudinis, dum hic fortuito Paucos dies hospitaretur, occasione ingentis mœstitiæ, insultum solito majorem perpessus erat: morbi accessionem per duos aut tres dies præsentiscere solebat, nempe ex magna intra sincipur commotione, continua ferè vertigine, & crebra oculorum obfuscatione: ingruente autem paroxysmo, primo oculi variè contorquebantur invertebanturve: dein moles quædam instar vivi animalis, ab imo ventre sursum versus cor & thoracem, & exinde in caput obrepere videbatur: Ejusmodi motum egomet manu ventrem ejus comprimens, planè persensi: & quamdiu palmis, totis viribus obrentis, istius globi ascensum inhiberem, se mediocriter habuit: quamprimum verò intumescentia isthæc sensim superius obrepens ad caput pertigerit, illico membra totius corporis immaniter convellebantur, ut tanquam spiritu malo obsessus, se ad parietes & postes illideret; à quatuor robustis viris vix summa vi detineri & coerceri potuit quin exiliret, & brachia, & pedes, & caput motibus diversimodis huc illuc jactaret: quando ab exilitione cessaret, membra fuerunt robustissimè extenta, & musculi rigidi & velut tetano affecti: Talis paroxysmus circiter horæ quadrantem durabat; dein ad se rediens sobriè loquutus est, in cubiculo obambulavit, qualia passus erat, conscivit & veniam ab adstantibus petiit, brevi postea oculos obvertere & ocyssimè volutare cœpit; dein statim affectus spasmodes repetens, similem uti prius, excitabat tragœdiam: atque isto ritu, intra tres horas, quinque aut sex paroxysmos ejusmodi convulsivos sustinuit; In medio quodam paroxysmo vena in brachio pertusa, factoque orificio satis largo, sanguis lentè effluebat & statim congelari visus est, ita quidem ut in pelvim exceptus, haud liquidorum more, in superficiem planam & æquabilem diffueret, at instar sevi liquefacti, & in vas frigidum instillati, gutta super guttam accumulata, in molem accresceret.

Si affectio hæc stupenda mulieri contigisset, obvium esset eam hystericam dicere, ejusque causam in uteri vitium conjicere: eò magis quia tanquam molis cujusdam ab imo ventre ascensus paroxysmum inchoavit: attamen cum vulgaris ista solutio, quæ sæpissimè merum ignorantiæ subterfugium est, in hoc casu admitti nequit, rationi maximè congruum videtur, omnia istæc symptomata in malas cerebri & nervosi generis affectiones referre: Enimverò morbi causam in ipso capite latere ex symptomatis paroxysmum præcedentibus, quæ spirituum intra ἐγκέφαλον scatentium agitationem insignem denotabant, planè colligitur: Ista cerebri inflatio, graves scotomiæ, quæque insultu jamjam ingruente constanter evenerunt, oculorum contorsiones, manifestò arguunt particulas heterogeneas & explosivas spiritibus intra ἐγκέφαλον juxta nervorum principia degentibus accrevisse: adeo ut hic casus etiam ad Epilepsiæ naturam prope accederet, excepto tamen quod intra cerebri medullium spiritus, nec copulam heterogeneam admitterent, nec alibi explosi illic tumultuariè perrumperent: durante enim paroxysmo ægrotans usque animo constabat: ac verò materies morbifica, in capite uberius congesta, cum illinc in nervorum tum interiorum tum exteriorum ductus altius prolaberetur, in visceribus tum imi tum medii ventris, etiam in membris exterioribus, seminis explosivi mineras valde diffusas posuerit: adeo ut cum spiritus animales juxta nervorum origines explodi inciperent, illico statim alii plexus mesenterici, & deinceps alii alios plexus nerveos, à meta extima usque ad caput interjectos, incolentes, ordine explosi, spasmos à parte in partem usque continuabant, donec ad ἐγκέφαλον perveniretur: exinde verò explosione statim ad spiritus spinalis medullæ & nervorum appendicum hospites, transiata, musculorum & membrorum totius corporis convulsiones validissimæ insequutæ sunt: Quod autem iste velut molis ascensus, qni sæpenumero in imo ventre, circa convulsionum initia percipitur, à spiritibus intra plexus mesentericos, in explosiones adactis, procedat; ubi *de passionibus hystericis* dicemus, declarabitur.

Paroxysmo Convulsivo juxta Nervorum origines incipiente, cur spiritus extimè degentes explosiones interdum primò ineant.

Si inquiritur ob quam rationem paroxysmo convulsivo ἀπὸ τῦ ἐγκεφάλου juxta nervorum origi-

n::s incipiente, illico spiritus extimè degentes, (quorquot in illud symptoma prædispositi sunt) explosiones ineunt, adeoque affectionem spasmodicam illic plenius exorsam, sursum transferant (nam ita plerumque haber, sive morbi accessio in imo ventre, sive circa medium abdomen, hypochondria aut præcordia incipit: quippe spasmus ab istis locis sensim versus caput prorepere solet) Dico propter hujus solutionem hæc duo imprimis consideranda offerri, scil. primò adverrimus quod, cùm spirituum integra series quædam perturbarur, qui in extremo ambitu resident, influxu originali primo destituuntur: quare isti ante alios tumultuati, & irregulariter habere incipiunt: hinc quando nervus cubiti aut femoris, ab incubatu, constringitur, ut solita spirituum influentia impediatur stupor cum punctionis sensu in manus, aut pedis digitis primò sentitur, unde sensim superius versus loca affecta perreptar: Secundò subest altera, eaque potior istius affectus ratio, nempe quod spiritus in explosiones parati, cum intra ductus nervosos, unum aut plures, quasi toridem distinctos tubulos, continentur, spatium satis amplum requitur in quo plurimum, & quidem successivè rarefieri & expandi queant; quod si quidem intra nervorum truncos, à principio versus finem haud facile conceditur, idcirco dum spiritus circa originem nervosam primò elisi, versus ἐγκέφαλον resiliunt, proindeque vertiginem cient, spirituum explosio apertior, circa nervorum processus inferiores, aut extremitates, ubi nervi caudex, aut in plexus ampliores dilatatur, aur in plures fibras late sparsas terminatur, plerumque incipit: dein spiritibus istis explosis, iterum aliis ordine succedentibus, quo pariter explodi possint, locus conceditur: Hinc observare ett, dum spiritus exteriores exploduntur, si ligatura aut compressione strictius facta, aliorum in idem spatium successio, aut versus exteriora progressus intercipitur, spasmus ne sursum ascendat inhiberi solet: quare cum stupor (prout historiæ medicæ testantur) ab extremo manus aut pedis digito exorsus, cum formicationis sensu, aut instar auræ frigidæ ad superiora repit, ac cerebrum demum petens, convulsiones horrendas infert, si mox ab initio insultus brachium aut crus fortiter ligetur, spasmus locum istum ligatum superare non valens, à capite conscendendo impeditur: quinimo usitatum est fœminis hystericis, quamprimum ventris intumefactio, sive molis in abdomine ascensus primo sentitur, medium corporis truncum, fasciis circumpositis valde constringere, adeoque sæpius præcavetur ne præcordia, & capitis regio eodem paroxysmo convulsivo afficiantur.

Quod autem sanguis in affectibus convulsivis cito congelatur, id fit ob immodicas musculorum & viscerum contractiones, unde sanguis interfluus, spiritu & sero exhalantibus aliquantulum in mixtione solvitur, & ideo aliquatenus coagulatur, sic lac in butyrum agitatione concrescit.

Motuum convulsivorum generatio, quorum causa circa Nervorum extremitates, aut intra Plexus nerveos subsistit.

Affectiones spasmodicas interdum absque capitis vitio, à spirituum circa nervorum extremitates scatentium irritatione explosioneq; oriri, vel hinc constat, quia cum pharmaca ventriculi aut intestinorum tunicas acrius vellicant, aut lumbrici eas corrodunt, non tantum in istis partibus succedunt spasmi, sed insuper motus convulsivi nonnunquam in membra & artus exteriores retorquentur; Enimverò, cùm partem aliquam gravioris molestiæ sensus excruciat, & ab illa primo sensorio communicatur, exinde statim spiritibus ibidem irritatis, motus involuntarius & irregularis reflecti solet, idque non tantum per eosdem nervos, quibus doloris sensus efferebatur, sed interdum etiam per alios, aut affines aut prorsus extraneos spasmus reciprocatur: Ita lapis ureteri infixus, fibrasque ejus nerveas plurimum irritans, motus convulsivos non tantum in vase affecto, sed in cunctis fere abdominis visceribus excitar: adeo ut urina suppressa tormina, huc illuc diffusa, & vomitiones horrendæ ut plurimum succedant: quapropter minimè ambigendum est, etiam morbos & symptomata quædam spasmodica propter noxam externam, nervorum apicibus, intra membranas, musculos aut viscera terminatis illatam sæpenumero induci: quinimò in passionibus hystericis, hypochondriacis & quibusdam aliis; si quando motus convulsivi; capite illæso, uteri, lienis aut alius visceris culpa excitantur; næ illi hac solum ratione, nempe reliquarum partium incommodis hac via per nervos, nullatenus autem per vapores ad cerebrum translatis, oriuntur, ac quoquoversum in varias corporis regiones propagantur.

Hic autem adnotetur, quod licet causa evidens solitaria, si quidem ea fortis ac vehemens fuerit, convulsiones interdum per se & absque dispositione prævia inducat; quarenus nimirum spiritus animales supra modum irritati, explosiones debitò majores & plusquam ordinarias ineunt; prout in hypercatharsi, ac paroxysmis colicis & nephriticis passim evenire solet: attamen in plerisque aliis affectibus spasmodicis, quorum accessiones sunt crebræ & habituales, præter irritationem circa nervorum extremitates factam, quæ ut plurimum causæ evidentis loco est, etiam procatarxis quædam adest, cujus efficaciæ morbi insultus præcipuè debetur, nempe cum motus convulsivi lienis, uteri, aut alius privatæ partis vitio excitari, ac crebra vice repetere solent, suspicari licet quod spiritus animales fibrarum in parte affecta, & in vicinia ejus dispositarum incolæ, copulam heterogeneam & explosivam prius contraxerint, qua ad plenitudinem satuti, levi occasione in explosiones spasmodicas cientur: dein istæ circa nervorum extremitates primò inceptæ, eorundem nervorum ductu sursum perreptant, & non raro ad ipsam originem nervosam, ac interdum ulterius ad cerebri meditullium traducuntur: à quo denuo in nervosum genus reflexæ, etiam membrorum ac artuum spasmos secundario inferunt: postquam verò cerebrum, & superior systematis nervosi portio, spasmis infra citatis sæpius compati & eo affici assueverunt, etiam spiritus istarum partium incolæ, ipsi tandem adulterati, copulam heterogeneam & explosivam admittere, adeoque in causæ procatarcticæ partem adsciscit ur: hinc demum procatarxis spasmodica utriq; caudicis cujusdam nervosi termino communis evadit, atque spiritus animales in nervi unius, aut plurium, tum capite tum cauda, malè dispositi, ab alterutro explosiones concipiunt easque alteri statim tradunt.

Passiones

Passiones quasdam spasmodicas contingere à materie morbifica, intra plexus nerveos subsistente ostenditur.

Ex plexuum Nerveorum descriptione, & usu verisimillimum motuum convulsivorum paroxysmos graviores, intra hasce partes sæpenumero incipientes, exinde quaquaversus in viciniam, & non raro in longinquum propagari: saltem multò probabilius videtur particulas heterogeneas & explosivas, postquam τῷ ἐγκεφάλῳ, ejusque appendicis medullaris tractus supervenerint, inque nervorum canales, eorumque ductus, una cum succo ipsos irrigante, altius prolapsas, intra plexus Nerveos, velut compita, sive diverticula, copias explicare, ibidemque aliquandiu stativa habere, donec tandem uberius aggestæ, quasi collectis viribus, affectiones spasmodes immaniores producant: hoc inquam longè probabilius apparet, quàm (quod vulgò fit) ex utero liene, ventriculo, aliove viscere vapores elevatos supponere, in quos omnis culpa ex facili rejiciatur: Nam intra hosce plexus pro minetis morbificis spatia satis idonea conceduntur, ut materies illic sensim deponi possit & manere, donec ad plenitudinem congerarur: deinde vero quia spirituum copias ingentes, supra quam in aliis quibuscunque cellulis, illic hospitari credimus, copula heterogenea illic accrescens, in explosiones graviores quas fomitem struit; adeo ut spiritus intra hæc corpora explosi, ea non modo inflent & dilatent, verum de situ elevent & attollant (velut cum ædificium à pulvere pyrio subvertitur) quare partes suprajacentes subito in tumorem efferuntur, atque appenitæ huc illuc violenter contrahuntur: ad hunc motum atrociores circa præcordia & viscera convulsionum paroxysmos sæpenumero excitari, præter argumenta ex ratione petita, non ita pridem αὐτοψία comprobatum habui.

Cùm enim fœminæ Illustr. paulò ante obitum affectibus, quos vocant, hystericis gravissimè laborantis, cadaver aperirem, uterum quidem prorsus insontem reperi: verum juxta mesenterii plexus nerveos (uti videbatur) in molem attolli & elevari solitos, visceris istius membranas ab invicem divulsas & solutas, ut circumquaque tumidæ & laxæ, quasi in bullulas, sive vesiculas inflatæ apparerent.

Profectò plura sunt rationum solidarum momenta quibus adducimur ut credamus pathemata, dicta hysterica, sæpissimè à materia spasmodica, intra plexus mesentericos aggesta, & per vices explosa oriri: credimus item dolores colicos à materia acriori & irritativa, iisdem plexibus contenta non raro procedere: Paroxysmorum convulsivorum, qui à liene aut ventriculo incipere videntur, nidum constituimus intra plexus nerveos ad lienem aut ventriculum pertinentes: Ejusmodi materies intra plexus cardiacos gravissimos cordis tremores & passiones; Intra plexus pneumonicos aut cervicales, terribiles asthmathis insultus excitare videtur: Porrò ab eadem causa intra plexus ganglioformes aggesta, & per vices explosa, istum in gutture præfocationis sensum in paroxysmis convulsivis tam crebro excitarum procedere, nec immerito, arbitramur.

Motuum Convulsivorum generatio, à liquore corpora nervosa irrigante, totosque eorum processus in spasmos irritante.

Affectiones convulsivas aliquando per totum Nervosum genus vagari, atque partes modò has modò illas, modò plurimas simul infestare, adeo notum est ut nil magis; quippe advertere licet in his, musculorum tendines ubique subsilire, spasmis contrahi: in aliis membra quævis exteriora, variis flexionibus, torsionibusque huc illuc multifariam flecti aut extendi: Vidimus nonnullos spirituum effrœni & indomita vi coactos, modo veluti œstro percitros, currere aut salire, modo pedibus aut pugnis terram vel objecta quævis validissimè contundere: quod ni fecissent, illico in leipothymias & horrenda spirituum deliquia incidissent: Nimii esset tædii singulos casus spasmorum universalium, & per totum nervosum genus oberrantium enumerare, istiusmodi autem symptomata, licet varia & multiplicia fuerint, ad tria tamen capita præcipua quodammodo reduci possunt, Nimirum quatenus à tribus causarum generibus potissimum dependent: Quandoquidem enim in vagis istis spasmis supponere debemus totum liquorem nervosum vitiari, atque spiritus animales in eodem ubique scatentes adulterari, proindeque ferè perpetim explodi, advertere licet ejusmodi labem, & succo nervoso, & spiritibus ubique influis, uno aut altero ex tribus hisce modis, ut plurimum, imprimi, sc. 1°. vel à venenis aut veneficiis: 2. vel à febre maligna, aut male judicata; in quibus sc. materies morbifica in cerebrum aut nervosum genus, longo temporis tractu, ob affectionem scorbuticam, aut aliàs vitiosam, à debita crasi in liquorem acrem, aut alio modo præternaturalem & spasmodicum degenerat: *Patholog. cerebri cap. 7.*

Spasmorum universalium qui propter succi Nervosi diathesin vitiosam excitari solent, ratio & generatio traditur.

Ostendendum quo situ, & quibus de causis spasmi universales absque veneno, aut miasmate febrili propter succi Nervosi dyscrasiam scorbuticam, aut alias vitiosam inducuntur: Enimvero liquor tum nervos, tum partes nerveas irrigans, interdum à crasi naturali ac idonea desciscens, particulis heterogeneis & explosivis in tantum refercitur, ut spiritus animales copulam incongruam, sibimet ubivis accrescentem, admittentes, in continuos veluti crepitus, sive explosiones convulsivas irritentur; Cujusmodi spirituum affectiones, aut sunt divisæ sive discretæ, inter quas nulla communicatio aut dependentia intercedit, scil. quando multæ partes corporis, simul totidem spasmis, sibi propriis afficiuntur, qui se invicem successivè non excipiunt, sed in eodem musculo aut membro, ubi incipiunt, terminantur; quo ritu novi quosdam ægrotantes, quibus musculi & tendines simul omnes, in toto corpore, totidem distinctis convulsionibus, perpetuò subsilirent: Vel 2°. Affectiones convulsivæ, quæ in toto nervoso genere simul excitantur, sunt continuæ sive connexæ, quæ perpetua quadam vicissitudine inter se continuatæ, invicem succedunt: in quantum membrorum ferè omnium, motus inordinati sese mutuò excipientes, ab una parte exorsæ, mox in alias transeunt.

Quod spectat ad speciem priorem, facile occurrit ejusmodi affectus non simplices sed complicatos esse, nimirum ex spasmo & paralysi: nam licet musculi & tédines motibus cõvulsivis ser-

perpetuò urgentur, tamen ægrotantes enerves facti, membra quævis, aut totum corpus strenue movere nequeunt; quinimò his pathematis dolores per singulos artus æque diffusi adjunguntur: Hinc inferre liceat spiritus animales copula multiplici, scilicet particulis tum explosivis tum narcoticis, tum etiam aliquatenus irritativis imbui: adeo ut quamvis semper onusti, explosiones ineant, tamen nec plures simul, ob particulas alias alius generis interjectas, nec quidem ulli expeditè ac vegetè explodunt: quare impetus motivus haud longè pergit, sed brevis usque & interruptus existit: Res ferè simili modo habet ac cum pulvis nitratus humore limoso subactus ignitur? quippe non tota simul massa cum fragore eliditur, nec unus acervus illico alium accendit, sed pauca tantum grana, eaque successive, scilicet alia aliquandiu post alia, cum exiguis crepitibus exploduntur: pariter & liquor nervosus particulis spasmodicis, qui spiritibus usque accrescunt, per totum refercitur: in quantum verò quædam narcoticæ, aliæque dolorificæ, illis admiscentur, priorum vis elastica, licet perennis & valde diffusa, tamen multum refringitur; ac ubique intercíditur.

Quoad posteriorem speciem, scilicet spasmos continuos, in hujusmodi casibus spiritus animales, non tantùm insiti in privatis quasi focis & mineris, copulam explosivam sibimet adsciscunt, & eam quatenus, vel saturati, vel irritati per vices quasdam elidunt: sed cum tota liquoris nervosi massa particulis elasticis abunde scateat, hæ quidem spiritibus tum influis, tum insitis ubique accrescunt; quos propterea in spasmos fere continuos cient: in quantum verò spiritus non semel omnes, utcunque prædispositi, explodi queant, (quia scilicet tantis illorum agitationibus intra ductus nerveos spatium satis amplum non conceditur) idcirco impetus explosivus, in his aut illis partibus exorsus, inde mox in alias, & deinde in alias transfertur; adeoque instar pyroboli, aut ignis missilis è pulvere tormentario conflati, sese huc illuc ocyssimè proripientis, ex artubus his in illos, & dein itatim ex omnibus, in præcordia, aut viscera, ac vice versa vagè transcutrit.

De Convulsionibus musculorum vitio oriundis, ubi de subsultu spasmodico, de Tetano, aut spasmo Cramp *dicto.*

Motuum à musculis obeundorum instinctus, ita per nervos traditi, aut à cerebro, appetitu jubente, aut conscio, vel à cerebello missi, juxta naturæ leges, nobis plerumque insciis peraguntur: Verum insuper musculi nonnunquam præter, vel contra *appetitus* aut *naturæ* placita, in motus anomalos, scilicet violentos & convulsivos aguntur, idque variis modis & propter diversas causas accidere ostendimus: Verum præter istas diversimodas Convulsionum species, quæ propter vitium ipsis nervis alicubi inhærens excitantur, *Myologia* hæc nostra quosdam alius generis spasmos, à *Musculis* præcipue affectis oriundos detegit.

Enimvero advertere licet spiritus animales, intra ipsos musculos dispositos, propter labem aut à cerebro; aut à sanguine, & forsan non raro simul ab utrisque derivatam, particulis quibusdam heterogeneis inici, propter quas in loculis suis subsidere & requiescere nequeunt, quin irrequieti semper & agitabundi, è fibris tendinosis in carneas sua sponte prosiliunt, proindeque spasmos crebros & non raro immanes producunt: Hoc autem duplici modo fieri observamus, scil. 1°. in quantum spiritus copula elastica onusti, intra tendines haud diu manent, quin subinde in fibras carneas prosilientes, musculi spasmos frequentes, sed & breves, seu quasi subsultus inducant: Vel 2. Quod spiritus animales, etiamsi intra tendines satis placide interdum quiescant, ex ipsis tamen in carnes inordinate correpti, ibidemque immanius explosi, haud statim reprimi, in ordinem cogi, aut in tendines reduci possunt, quin nobis, utut invitis, diu expansi persistunt, proindeque musculi contractionem diuturnam & valde dolorificam pariunt: Cujusmodi spasmus satis vulgò notus, *Cramp* appellari solet.

Prior affectio, *Subsultus Spasmodicus* dicta, tum in febribus malignis, tum in scorbuto familiaris existit, Quoad istas, passim advertimus, quando crisis aut nulla aut mala obtigerit, demum à sanguine & succo nervoso plurimum vitiatis, particulas heterogeneas non tantum in visceribus (quorum crases & functiones pervertunt) sed ubique fere in musculis deponi, ibidemque spiritibus accrescentes, eos vel ut oestro quodam afficere, proinde ut simul pacate consistere, aut intra tendines consistere nequeant, quin divisi & ab invicem dilitati, manipulatim subinde in carnes prosiliant, ibidemque spasmos minores, sed & creberrimos cieant: Pariter ob spiritus musculorum incolas, copula elastica ipsis ibidem accrescente onustos, nonnulli *Scorbuto* inveterato laborantes, membra eodem situ haud diu continere valent, quin necesse habent manus aut pedes modo extendere, modo huc illuc agitare, varie transferre, ac interdum illorum oestra cursu, saltu, aliisve duris labo ibus subigere.

Olim de motibus convulsivis agentes, *Spasmi permanentis*, sive *Tetani* aitiologiam fere in totum omisimus, utpote quæ à musculorum doctrina postea tradenda penderet: Tunc feretantum innuimus ejusmodi contractionem exoriri in uno musculo, quoniam alter antagonista ejus resolvitur: quod equidem in facie & quibusdam membris sæpenumero accidit, in quibus dum partes unius lateris *Paralysi* afficiuntur, oppositæ alterius, veluti fræno solutæ, nimis contrahuntur. Attamen hujusmodi spasmus, ut plurimum sine dolore est: porro hic non statim aut facile, sicuti nec etiam paralysis, quæ illius causa est, pertransit vel curatur.

Quod itaque ad spasmi, *Cramp* dicti, rationem formalem pertinet, unusquisque hoc affectu laborans, in seipso musculum unum aut plures, involuntarie ac validissime contrahi, eosque aliquandiu ita summe distentos & quasi rigidos manere percentit, ac interea in quantum *Fibræ carneæ* immanius contractæ, tendinem utrumque, eum sc. qui parti immotæ, forsan haud minus quam alterum qui parti movendæ affigitur, velut convellunt, dolorem molestissimum inferri: Quandoquidem autem hic spasmus, propter spiritus animales sese in fibras carneas impetuose proripientes excitatus, minime cessat donec iidem spiritus in tendines regressi, carnes relaxari sinant, idcirco proximæ ejus causæ erunt, spirituum animalium

lium intra horas carneas tum major impetuositas, qua illuc injussi prosiliunt, tum diuturnior mora, in quantum tardius ac difficilius in tendines recedunt: Pro *secundariis* causis, tum mala *spirituum animalium* dispositio, tum prava *tendinum* conformatio, sc. modo hæc modo ista, & non raro simul utraque haberi debent. Quoad prius, hic affectus, prout cæteri spasmodici, exoriri videtur in quantum spiritus animales particulis heterogeneis, sive copula elastica onusti, demum irritati, ad ipsam elidendam incitantur: quæ tamen si quidem crassa & viscosa, proindeque tenacior fuerit, non cito nec facile discutitur, quin spiritus eadem usque irretiti, atque fibras intra carneas conclusi, diutius in expansione detineutur: Quod quidem non absimili ritu forsan contingat, ac cum aqua & aër conjuncta bullam constituunt, quæ si ab aqua in qua aliquantulum sapouis dissolutum sit, excitetur, tenacior illa, multo amplior & permanentior evadit quam quæ ex meris aquis producitur: Proinde observamus eos qui humoribus crassis & tartareis abundant, hujusmodi spasmis obnoxios fieri, ipsosque insuper à cibis aut potu crassioribus, post crapulam, ac imprimis si lautiori cœnæ mox superdormiunt, at ociores istius morbi insultus pati: Verum & aliquando ipsi Tendines in culpa esse reperiuntur, quatenus *constricti* nimis, aut *obstructi*, spiritus è libris carneis redituros non facile admittunt. *Tendinum obstructio* in causa est quod *Arthritici* & *Scorbutici*, quorum nempe tendines humores salsi & tartarei facile incurrunt, & obstruunt, hujusmodi spasmis dolorificis immanius tentari soleant: *Constructionem* autem *Tendinum* quandoque hunc morbum parere ex eo patet, quod fœminæ quædam gravidæ (uti sæpius advertimus) ultimis gestationis mensibus, propter abdominis musculos nimis extensos, crebris spasmis, tantummodo in ventre excitatis, molestari soleant. *Willis Tractatu de motu musculari, ubi exemplo illustrat suam hanc aitiologiam*, Sennertus Spasmum hunc *flatulentum* vocat, quem à flatu vel humore aliquo tenui ac seroso, in musculo aliquo collecto, ejusque fibras vellicante fieri censet: De *spasmo abdominis* agit *Hechstetterus* observat. Decade 5. cas. 1. *Heurnius* de morbis capit. cap. 5. Vide eundem *Willis* Pharmac. Rat. sect. 6. cap. 3.

Observatio VI.

§. *Motus convulsivi in pueris, causa est aliquando serum intra cavitatem cerebello subjectam congestum, & membranam, qua medulla oblongata investitur, distendens ac nervorum originem inundans: Aliquando occulta est, nullo sui relicto vestigio, &c.*

Quo certius atque ad sensum pateret cujusmodi in motibus convulsivis sit materies morbifica, plurium, quos hic morbus oppressit, defunctorum corpora aperui: causam intra coctionis viscera & primis viis semper frustra quæsivi: Multorum capitibus latex serosus, intra cavitatem cerebello subjectam conjectus, & membranam qua medulla oblongata investitur distendens, nervorum origines inundabat: *In quibusdam nulla hujus morbi vestigia* apparebant: adeo quod spiritibus accrescens, eos ad explosiones irritat, interdum imperceptibili prorsus constat mole, & originem tam occultam habet, ut vel perspicacissimum visus scrutinium omnino lateat. Olim in hac urbe cujusdam mulieris nati plures ex hoc morbo interierunt: tandem fœtus quarti, intra mensem, uti priores interempti, caput dissecuimus, nulla hic serosa colluvies ventriculos inundabat, sed cerebri tantum, ejusque appendicis substantia erat justo humidior & laxior: Quod potissimum observatu dignum erat, in cavitate quæ cerebello subjicitur, supra medullæ oblongatæ caudicem, sanguinis grumosi & velut concreti copiam insignem reperiebamus, *At vero incertum est* utrum materies isthæc ibidem ab initio deposita, spasmos primario intulerat; an potius sanguis iste à partium circumcirca consitarum contractione expressus & extravasatus, convulsionum effectus & productum, ac minimè istarum causa fuerit: Nam & in apoplecticis ejusmodi phænomenon passim occurrit, quod tamen morbi effectum potiùs quàm causam esse ostendemus. *Thom. Willis Patholog. cerebri cap. 4.*

Infantes & pueros affectibus spasmodicis tentari, passim & tam frequenter accidit, ut hæc præcipua & fere unica convulsionum species statuatur, nam ejusmodi symptomata in adultis aliis insigniuntur nominibus, atque ad Epilepsiam passionem hystericam &c. referuntur; in pueris vero κατ' ἐξοχὴν motus convulsivi appellantur; Circa duo autem potissimum tempora maxime obnoxii reperiuntur, scilicet intra primum à partu mensem: Et circa dentium eruptiones: Primo igitur sæpe accidit recens natos, aut saltem nondum bimestres, crebra vice spasmis in diversis partibus excitatis affici; eundemque affectum etiam præcordia nonnunquam afficere hinc liquet, quod dum spasmiatus & membra exteriora occupant, etiam à sanguine in corde & pulmonibus una contractis stagnante, facies modo pallore m modo livorem contrahit: Cùm itaque in pueris spasmi tres corporis regiones infestare soleant, nempe capitis & faciei partes, membra & artus exteriores, atque præcordia & viscera, observamus modo has, modo illas, modo binas aut simul omnes regiones à causa morbifica occupari, nempè prout eadem aut circa nervorum origines aut extremitates defigitur, & cum prius horum accidit, pout medullæ oblongatæ pars superior: media aut infima spinalis, scilicet unica aut plures simul à causa morbifica impetuntur: Quod spectat ad causas hujus affectus procatarcticas & evidentes, quæ prioris generis sunt, in his duobus præcipue consistunt, primo quod infantibus πάντα τὰ ἐγκέφαλα valde sunt imbecilla & viscosa humiditate scateant,

teant, nempe cerebrum minus firmum, atque nervorum tonus valde laxus; ne leviores quidem cujusvis materiæ impetus sustinere possint, quin spiritus eorum incolæ, etiam à proprio, quo istæ partes irritantur, liquore, paululum modo immoderatior influxerit, aut saltem copiosior quàm pro tantilli roboris modulo, facile in motus irregulares sive spasmos incitantur: Attamen secundo; quoniam observatione constat puerulos, nec solos nec omnes qui tenuioris sunt cōstitutionis, in hunc morbum proclives reperiri, idcirco pro potiore procatarxeos morbidæ ratione haberi debet, quod infantibus quibusdam, propter mala ab utero contracta, & sanguis & succus nervosus originaliter vitiosi existunt: quippe recens natis massa sanguinea per plures retro menses ventilatione carens, impurior evadit: quare plerisque infantibus brevi à partu efflorescentiæ latæ & rubicundæ, morbillorum instar per totam cutem erumpunt: cujusmodi ἐξανθήματα si impeditur aut reprimitur, sæpenumero aphthæ periculosæ circa oris partes succedunt: hinc merito suspicamur tales sanguinis impuritates quandoque in cerebrum & nervosum genus, utpote debiliora suffundi, & propterea spasmodicas affectiones oriri: nempe dum sanguis ab utero vitiosus existens, depurare se satagit, fæculentias suas, efflorescentia in cutim facta, exterminari solitas, in caput transfert: quare latex modo tenuis & serosus, modo crassior ac viscidus, ac uterque salium & sulphurum præternaturalium particeps, intra hos aut illos cerebri, cerebelli, atque medullæ oblongatæ recessus & cavitates deponitur; cujusmodi recrementa cum nervi hujus aut illius, ac interdum una plurium origines aut caudices obsident, spiritibus eorum incolis particulas heterogeneas, atque in explosiones spasmodicas apras affigunt: quamprimum enim nervi tales particulas altius imbiberunt; spiritus eorum copula onusti, aut sponte sua aut à causis evidentibus incitati, eam elidere & excutere satagunt; proindeque explosiones spasmodicas ineunt: Profecto quod particulæ heterogeneæ, quæ sanguini ab utero innatæ, in plerisque pueris per ἐξάνθημα in toto corpore cutaneam amandari solent, in aliis capiti suffusæ, affectionis spasmodicæ causa materialis existunt, præter rationes citatas, etiam à maxime juvantibus inferre licet, quippe in puerulis hæreditario huic morbo obnoxiis insultus convulsivi optime præcaventur, si mox à partu fontanella in nucha excitetur, & sanguis hirudinum suctu è jugularibus venis detrahatur: illa namque succi nervosi corruptelæ subducuntur, atq; hoc cruoris efflorescentiæ impuræ à capite avocatur: Hisce administrationū modis cùm prius duo aut tres ejusde parentis nati, brevi post partum convulsi interiissent, fœtus omnes alii ab eodem malo liberabantur. Circa Dentitionis quoque tempora pueri spasmis obnoxii evadunt, quippe nervorum quinti paris una aut altera insignis propago, ad cujusque dentis radicem pertingit, quæ cum à sanguinis aliorumve humorum particulis acrioribus illic congestis vellicatur, corrugatione sua acerrimum molestiæ sensum sive dolorem infert: istiusmodi autem hujus nervi vellicatio in pueris dentientibus ideo contingit, quia dentibus jam in majorem molem crescentibus, & ahuc intra gingivas vix dum cavatas inclusis, membranæ & fibræ quaquaversus distenduntur: hinc sanguis in circuitu præpeditus tumorem infert, adeoque nervos comprimit, quin & acriores seri particulas iis suffundit, quibus illi insigniter vellicati corrugationibus & spasmis dolorificis torquentur. *Idem ibidem.*

In quibusdam nulla hujus morbi vestigia] Experientia confirmat cerebro sæpius integro, nec quicquam p.n. affecto, quod persistentes ejus operationes restantur, nihilominus gravissimas convulsiones jam hanc, jam illam partem torquere posse, sicuti, non tantùm in morbo convulsivo, Hassiæ olim Epidemico sæpius, sed & in Illustri quadam puella, ob imperfectam variolarum expulsionem, diversarum partium miserabiles convulsiones patiente vidi &c. *Gregorius Horstius observat. lib. 2. obs. 45.*

At vero incertum est &c.] Cuidam convulsionibus gravissimis tentato, in medio quodam paroxysmo vena in brachio pertusa est, factoque orificio satis largo, sanguis lente affluebat & statim congelari visus est, quod quidem ita fieri in affectibus convulsivis & apoplecticis passim assolet: Attamen quod nonnilli hinc contendunt convulsiones omnino à sanguinis crassitie, motu impedito & stagnatione prodire, minime concedendum est, quippe sanguis ab iis qui spasmis obnoxii sunt paulò ante paroxysmum detrahitur, sero dilutus atque satis fluidus existit: quapropter opinari liceat congelationem illam ab ipso paroxysmo induci, quia scilicet in motibus convulsivis, ab immodicis musculorum & viscerum contractionibus, sanguis interfluus, spiritu & sero ejus exhalantibus, aliquantulum in mixtione solvitur, & propterea aliquatenus coagulatur, non aliter quàm cùm lac propter nimiam agitationem & partium ab invicem separationem, in butyrum concrescit: quare hujusmodi sanguinis coagulatio videtur convulsionum potius esse effectus quam causa: *Willis ibidem.*

Observatio VI.

§. *Convulsionis febribus diuturnis, aliisque morbis chronicis, ante obitum accidentis, causa est serum nervos in exortu afficiens.*

IN morbis chronicis, cùm ad insignem sanguinis & humorum dyscrasiam cerebri quoque prava dispositio accedit, sæpe ingens seri acris & nervoso generi infesti copia è plexus choroidei vasis exudans, in cerebri ejusque appendicis ventriculos dilabitur: serosus autem hic latex postea in quartum ventriculum, cerebello substratum irrumpens, luxata ibidem pellicula, qua medulla oblongata obtegitur, unius aut plurium nervorum origines obsidet; eosque vel irritando, vel particulis heterogeneis & explosivis imbuendo diathesin spasmodicam inducit: Atque hæc fere causa est, quod post febres diuturnas, aut male judicatas, etiam postmorbos cephalicos graviores, ægri demum convulsi intereunt,

prout

prout ex crebrâ cadaverum eo ritu defunctorum anatome deprehendi: *Th. Willis Patholog. cerebri cap. 5.*

OBSERVATIO VII.

§. *Convulsivi motus totius corporis, hysterici crediti, à serosa illuvie cerebri omnes recessus occupante.*

DOmina Illustris per multos annos affectibus spasmodicis obnoxia, potissimum verò quoties utero conceperat pathematis convulsivis, quasi hystericis supra modum tentari solebat; quippe statim à mensibus cohibitis particulæ heterogeneæ ad cerebrum & nervosum genus translatæ, atrocissimi affectus paroxysmos intulere: postquam novissimè conceperat, primis mensibus, juxta pristinum morem, affectibus convulsivis subinde molestabatur: Circa nonam graviditationis hebdomadam, à frigore suscepto in febrem periculosam incidit, in qua dolores valde acuti per plures dies, in lumbis & juxta hypogastrium gravissimè urgentes; abortum minari videbantur: attamen dolores isti, prout ab eventu constitit; potius colici censendi, ab humore acri per nervorum ductus à cerebro in istas partes decumbente procedebant, nam circa febris declinationem materiâ istac alibi translatâ, diarrhoea, pedum dolores & dispositio velut ulcerosa successerant. Quamprimum hæc Domina à febre & doloribus istis convaluit, affectus convulsivi redibant, nam quolibet mane è somno evigilans, circa oris & faciei partes, necnon in brachiis & cruribus, spasmos & contracturas immanes pati solebat: quæ symptomata proculdubio à serosa colluvie in capite circa nervorum origines aggesta, ab iisque una cum succo irriguo, in somnis altiùs imbibita oriebantur: & cum postea eadem materies nervorum interiorum ductu iterum in mesenterii plexus ac lumbos ferebatur, istarum partium dolores atrocissimi, ac insuper paroxysmi quasi hysterici eam graviter infestabant: Enimvero isti faciei & membrorum motus convulsivi brevi tempore cessabant, usque tamen imbecilla ac enervis cum vultu pallido, gressu infirmo ac tremulo atque alimenti tantum incongrui & liquorum calidorum appetens perstabat; sub finem tertii mensis, quo tempore constanter abortire solebat, menstrua eruperunt, quibus per duos aut tres dies, una cum membranarum laceratarum frustulis descendentibus, abortum expectabat: attamen fluxu isto cessante, dolores, velut parturientis, in abdomine & lumbis exorti sunt, eamque hebdomadæ spatio, die & nocte miserrime torquebant, tandem balneo herbarum emollientium usa, & exinde lecto ad sudandum commissa, uteri sarcinam deposuit: conceptus ita cum ingenti cruciatu decedens, galli Indici ovum & magnitudine & figura æquabat: hujus tunica exterior fuit lacera & disrupta, interior integra manens, aquæ limpidæ circiter ℔ß. & nihil præterea continebat: nulla quidem fœtus aut formati aut uspiam futuri rudimenta apparebant: postea per 4. aut 5. dies lochia cum aliquibus membranarum frustis effluebant: interim dolores cum solita atrocia urgebant, cumque elapso hebdomadæ spatio haud sponte desinerent, demum iis sedandis remedia experiuntur: Propter hunc finem imprimis linimenta: fotus, balnea & clysteres crebro adhibentur, etiam medicamina uteri sordes expurgantia, in quas totius mali causa rejicitur, intus sumuntur: Priorum usum torminum breves intermissiones sequutæ sunt; subinde vero affectus cum insigni molestia redibat; quinimo intra tres hebdomadas morbus plurimum ingravescens multa alia horrenda symptomata ascivit: nam præter dolores in abdomine & lumbis, qui in dies atrociores fiebant, insuper in dorso, cervice, scapulis, necnon in brachiis & cruribus magno cruciatu mox afficiebatur, idque acerbius quoties lecto incalescebat: Cæterum crebrâ vertigine, vomitu & nausea, atque sæpius in die paroxysmis convulsivis gravissimis affligebatur, scilicet primò moles in hypogastrio ascendere visa, illico totum ventrem cum impetu attollebat, mox respiratione cohybita ἀναιθησία cum vultu cadaveroso successit: postquam ita velut demortua per tria aut quatuor horæ minuta jacuerat, subinde exilire solebat, ut astantibus vix comprimi aut contineri posset: dein contractiones immanes & distorsiones in cunctis oris & faciei partibus, nec non in omnibus corporis membris sequutæ sunt: symptomata hæc revera hysterica judicabantur, quoniam Domina Illustr. nuper ita abortierat. Attamen hæc singula perpendens, in ea demum sententia fui utriusque paroxysmi, tum ἀλγημάτων, tum spasmodici causam omnino à mala cerebri & nervosi generis affectione, etiam absque uteri culpa, pendere; nempe quod humor acris intra ἐγκέφαλον congestus, exinde per nervorum ductus in partes longe dissitas descenderet, qui membranis & fibris insidens, cumque humore à massa sanguinea influo fermentescens, eas plurimum irritaret, adeoque dolores atroces cieret; postea dein cum particulæ heterogeneæ & explosivæ, cum humore isto intra ἐγκέφαλον admissæ, atque ductus nerveos subeuntes, spiritibus accrescerent, propterea diathesis spasmodica subinde in graves paroxysmos erumpens inducebatur:

tur: Juxta hujusmodi aitiologiam intentiones curativas instituens D. ægrotanti, quo tempore gravius laborabat sanguinem è vena saphena mitti, intra biduum lene catharticum exhiberi, idque semel aut bis in hebdomada iterandum præcepi: Aliis diebus, vesperi & mane spir. c. c. aliisque horis, bis aut ter in die pulveris è margaritis & oculis cancri cum dosi seq. julapii propinabam ♃ aq. limacum, lumbric. magistral. an. ℥iij. saxifrag. cerasor. nigr. an. ℥iv. hystericæ ℥ij. syr. è corall. ℥ß. tinct. castorei ʒß. m^c. Balneo herbarum dulcium frequenter usa fuit cùm necessitas urgeret, opiata semper cum bono successu assumpsit, vesicatoria internæ parti utriusque femoris, etiam vervici applicabantur: porro fotus, linimenta, clysteres, cucurbitæ, sternutatoria &c. juxta symptomatum exigentias administrabantur: Ab hac medendi methodo per 14. circiter dies adhibita D. Illustr. plurimum alleviata, paroxysmis convulsivis omnino caruit: Quinimo viscerum & membrorum tormina, aliaque symptomata valde mitigata citæ convalescentiæ spem optimam fovebant: Posthæc verò, partim ob malam vivendi rationem, cui ægrotans vel paululum refecta semper indulsit, præcipue tamen ob subitam terroris, vel tristitiæ passionem, quam funestum accidens excitarat, recidivam passa, mox morbus in multo deteriorem statum evectus, nam & spasmi & dolores atrocius infestabant, quin & ventriculus vomitu fere continuo lacessitus, nec alimenta nec medicamenta retinebat: lac asininum per aliquot dies cum fructu quodam sumebat: quod tamen siquidem in ventriculo bilescens, ei molestiam pareret, brevi omittebatur, tandem invitis omnibus remediis Nobilissima patiens magis in dies magisque elanguescebat, atque sensim morti appropinquabat; Biduo ante obitum ventris & lumborum tormina plurimum remittebant, ipsaque solito alacrior facta convalescentiæ spem quandam concepit, interea tamen conquesta erat de capitis dolore & gravitate insigni: cumque circa initium noctis altè dormiverat, expergefacta in paroxysmum convulsivum valde horrendum incidit, qui statim in apoplexiam cito lethalem transiit, namque insensilis & ἄφωνος facta, intra 12. horas è vita migravit.

Cum circa ægritudinis causam varia judicia ferebantur, plerisque nimirum mala omnia in affectiones uterinas, aliis in abscessum aut apostema, quod alicubi circa abdominis viscera latitans suspicati sunt, referentibus, placuit ut cadaver aperiendum sedulo inspiceretur, adeoque genuinæ morbi & mortis causæ investigarentur: Itaque primo circa habitum corporis observatu dignum erat; quod membra & partes inferiores, juxta ac ultra dolorum causas consitæ, plurimum contabuerant, ut cruta pro- fus emaciata, instar sceleti apparuerint: interim facies, cervix & brachia satis plena & torosa manebant, unde constat liquorem nervosum operi nutritio non minus quàm facultatum animalium exercitio conferre: quare cum liquor iste, in lumbis & abdomine à transitu multum impeditus, & spasmis continuis absumptus haud debito influxu ad partes inferiores descenderet, istæ propterea statim tum enerves, tum emarcidæ evaserunt: Hujusmodi atrophia ab hoc differt ab altera hectica quæ sanguinis vitio contingit, quoniam in hac facies Hippocratica præcipuum morbi signum est; in illa vultus aspectusque parum aut nihil mali produnt.

Cadaver, ut ut valde emaciatum, & viscera omnia inanita fuerint, tamen illud citissime computruerat: nam intra 40. horas cutis per totum discolor, in hac parte livida, in ista viridis, inque alia subnigra apparebat, & corpus tam cito putrescens odorem summe tetrum exspirabat, cujus ratio proculdubio erat, quod mo musculos perpetuis spasmis exercitos, mixtionis principia in tantum laxarentur, ut illa in dissolutionem prompta, post obitum mox ab invicem decederent: pari certe ritu uti observamus de carne ferarum, quæ aut cursu diuturno fatigatæ, aut fustibus contusæ occiduntur, hæc enim multo citius putrescit, quam illarum quæ statu tranquillo & sedato mactantur.

Abdomine aperto, intestina & ventriculus satis sana, integra enim & bene colorata apparebant; erant tamen inanita & quasi inflata, utpote quæ in perpetuas fere evacuationes: scilicet supra aut infra habitas, sollicitata fuerint: In tota cavitate hac nullus abscessus aut apostematis vestigia cernebantur: Dum morbi causam perquirentes viscera huc illuc devolvimus, in mesenterio aliquid notatu dignum occurrebat, nempe circa medium ejus, ubi dorso affigitur, atque majores nervorum plexus continet, substantia laxior, & quasi pluribus vesiculis inflata manus latitudinem exæquans videbatur; eo scil. ritu ac quando in armo vitulino interstitia musculorum à laniis insufflantur, ut pars ea plenior & quasi pinguior facta extumescat: hoc mesenterii loco, quia tumidior & tactu mollior fuit humorem aliquem doloris causam hospitari putaveram: aperiens verò deprehendi tantum membranas fuisse ab invicem solutas, & interstitiis suis nihil præter flatum inclusisse: qualis membranarum separatio, & ab invicem divulsio, proculdubio inducta fuerat à crebris spasmis, sive spirituum explosionibus, quæ intra plexus & fibras nerveas illic densissime consitas fere continuo ciebantur: atque spasmi isti ob particulas heterogeneas & explosivas, illuc nervorum ductu à capite derivatas contingebant: Enimvero quod spectat ad ista ventris tormina, & in affectibus

con-

vulsivis velut molis ascensum & abdominis inflationem, non dubirandum est quin causæ morbificæ sedes in illa mesenterii parte deliruit: Attamen quoniam uteri principaliter affecti tanta suspicio ferebatur, quantum hoc viscus meruerat, proxime inquirebam: itaque pelvim intra ossa pubis consitam diligenter scrutatus, uterum in debito situ, & quoad omnia sanum & sartum rectum reperi: corpus ejus ad justam molem, licet tantum septimanæ quinque post abortum præterierant, contrahebatur, scil. pyrum minus & magnitudine & figura referebat: Glandulæ ex utroque fundi latere, quæ Testes dicuntur, perexiguæ & flaccidæ, sine quovis humore superfluo aut virulento in iis contento, apparebant: Uteri corpus ubilibet dissectum, crassitie sua pollicem latum æquabat, ejusque interior cavitas haud major fuerat quam ut fabam contineret: intra hunc specum, sicut in aliorum viscerum cavernis assolet, mucosum quiddam in perexigua quantitate includebatur, revera circa uterum, aut appendicem ejus, nihil extabat, cui tanquam causæ morbificæ symptomata modo dicta imputari potuerint: Quare hinc, quod prius opinatus sum, ἀποδεικτικῶς concludere liceat, *Passiones dictas uterinas*, sæpissime ab alia causa quam uteri vitio excitari.

Intestinis amotis, etiam *Renes* satis sanos reperimus: alter tamen eorum insuetatæ erat figuræ, scil. in plures lobos instar renis vituli findebatur: *Lien*, *Pancreas* & *Omentum* sine culpa, *ventriculus* valde inflatus erat, ejusque tunica interior absque plicis aut ragis plana evaserat, quod certe acciderat ob crebros vomitus, viscere hoc spasmis continuis fere affecto: Porrò ob hanc rationem, scil. stomachi tono præfracto, alimenta nec bene appetere nec concoquere solebat: *Hepar* à sana constitutione plurimum desciverat, fuit namque tumidum & subdurum, pallidi coloris atque instar ligni putridi exangue prorsus & exsuccum: hoc proculdubio effecerat liquorum cardiacorum & impense calidorum crebior usus: *Pulmones* erant lividi coloris & per totum obstructi, utpote ichore spumoso & fœtido infarcti: certe hoc viscus & Hepar à longo tempore vitiosa extiterant, propterea ut sanguis diutius à crasi recta degener & valde depravatus, ægritudinis prima seminia, ejusque deinceps fomitem constantem suggesserit.

At vero præcipuam & quasi originalem morbi causam in capite, idque haud frustra quæsivimus; itaque calvaria exempta, vasa meningas & cerebrum perreptantia, sanguine plena & distenta apparebant, cùm in reliquo corpore inter dissecandum vix quicquam sanguinis effluxerat: meninge crassiori amota, per alteram tenuem & pellucidam, *aqua* limpida *cerebri* plicas & anfractus implens, ejusque *totam compagem quasi inundans* cernebatur: Revera omnes cerebri cavitates & recessus colluvies serosa impleverat; plexus choreides aqua diu immersus, & velut elixus discolor & semicorruptus evaserat: Iuxta nervorum splanchnicorum origines aqua se plurimum insinuans, piam matrem à medullæ oblongatæ caudice, per duos digitos latos separaverat: proculdubio horum nervorum ductu materies morbifica à capite in mesenterii plexus descendens, & dolorum & spasmorum causa extiterat: Porro eadem materies etiam aliorum nervorum capita afficiens, eorumque ductus pervadens, postea in aliis partibus, scil. quibusvis fere totius corporis, atrocissimas hasce affectiones produxit. *Thom. VVillis Pathol. cerebri cap.* 10.

OBSERVATIO VIII.

§. *Convulsio à sero inter cranium & meninges diffuso, circa principium spinalis medullæ, quartum ventriculum & substantiam cerebri.*

CLaudius juvenis fractus tandem *partim* acerbitate *dolorum abdominis* 40. dies totos acriter urgentium nec ullam quietem concedentium: partim vehementia *motuum convulsivorum, qui iis languescentibus successere, post paralysin* obiit.

Corpore dissecto deprehendimus intestina, quamquam cruciatu per tot dies acerbissimo fuissent afflicta, atque immedicabili ferè segnitie laborassent, tamen integra & inculpata fuisse, nullamque causam tot dolorum fomitem in iis repertam: Sed ubi ad caput ventum, cum primum serra caput posticum divideretur, tum aqua pura liquidaque sponte diffluere cœpit non pauca; avulso autem cranio, meninx occipiti & cerebello interjecta tota madida decolorque apparuit: ad instar papyri aut telæ in aqua diu demersæ: Et vero totum principium spinalis medullæ, nervique hinc inde in vertebras propagati, in aqua plurima innatare, vasaque ipsa per membranas dispersa concreto sanguine livescete, congelato quippe à frigore aquæ circumstantiis, comperta: Aperto demum cerebello, non solùm ventriculus quartus aqua scatens, sed & substantia ipsa eadem prægnans, totaque imbuta conspecta: cerebrum autem reliquum siccum prorsus & candoris nativi, cæteræque constitutionis retinens, repertum. *Carolus Piso L. de morbis à sero sect.* 4. *capit.* 11.

ACerbitate dolorum abdominis (Inter duos Renes, ad basin mesenterii, perquirendus est Plexus ille nervorum Fallopii, contextus ex stomachico & costali, utriuque concurrente-

rente ad formationem illius plexus, a quo derivantur omnes nervi qui distribuuntur partibus alvinæ regionis: Eo plexu inebriato pravis humoribus, convulsiones accidunt in doloribus colicis, illæso cerebro, in viris ut in mulieribus: *Riolanus Encheir. Anatom. lib. 2. cap. 37.*

Post Paralysin obiit). Affinis est Convulsioni Paralysis tam materiæ ratione quàm nervorum affectorum, unde sibi invicem succedunt, subindè, quoque se presso pede comitantur: Viro Clariss. circa vesperam ex linguæ paralysi sublata loquendi potestas; postero die sinistrum latus resolutum, & os adeo firmiter constrictum fuit ut nulla vi aperiri posset, dextrum vero latus convellebatur: Nempe materia maligna, cujus indicia petechiæ apparentes prodiderunt, spinalis principii partem sinistram prorsus obstruens, sensum motumque illius partis abolevit: In dextram verò partem non ita copiose irruens, membranas vellicando, quia nervum totum replere non potuit, ad convulsiones irritavit: Honesta matrona, durante spasmo dextri cruris & pedis in eadem parte Paralysi tentabatur per ætatis decursum, ita tamen ut sensus in pede remanserit, motu sublato. *Thomas Bartholinus Histor. 3. cent. 4.* Sic primo Epidem. Ægr. 13. Mulier, quæ decumbebat in littore, citò lingua privata est voce; Dextra manus languit cum convulsione, Apoplectico modo &c. quarto lingua privata est voce, convulsio eorundem &c. Sed quid est (ait Vallesius in comment.) quod dicit, tertio manum languisse cum convulsione, Apoplectico modo? certe resoluta est, si autem resoluta, non videtur cum convulsione languisse, nam Resolutio longe differt à Convulsione; Verum quod contingit, hoc est quod etiam contigit quarto die linguæ, pars resoluta est, tamen antequam resoluta omnino caderet, motus habuit convulsivos, ut scilicet fieri solet succo ingrediente nervos, & facultate repugnante ut membrum in figura contineat.

Observatio IX.

Convulsio à sero omnes cerebri ventriculos replente & initium nervorum irrigante.

Anno 1624. in fœmina omnes cerebri ventriculi, etiam quartus, humore limpido, sero nempe bilioso referti: *Quo è quarto ventriculo* in spinalis medullæ cavitatem perfluente, quum irrigato nervorum principio stimularetur facultas obscuri motus in nervis, convulsio invasit. *Ioh. Rhodius cent. 1. observ. 49.*

E *Quarto ventriculo in spinalis medullæ cavitatem*) Quem ventriculum medullæ Nobilem vocat Excellent. Bartholinus, quod sit locus generationis & elaborationis animalium spirituum; eo quod 1°. sit purissimus & subtilissimus 2. cavitatem ad id sufficientem obtineat, 3. Eo in loco situs situt undique circa se in omnes nervos spiritum animalem effundere possit: Cæteros ventriculos esse excrementorum conceptacula statuit 1. ex structura, nam foramen abit à cavitatibus ad glandulam pituitariam, 2. Eorum superficies semper aqueo humore oblinitur. 3. Sæpe roti repleti pituita & aquea humiditate reperiuntur.

Observatio X.

Convulsivi motus ab humore inter cranium & capitis cutim collecto.

Mihi perspectæ fuerunt duæ collectiones humoris inter cranii os & capitis cutim, unde in alterο ægro extitere motus convulsivi. *C. V. Schneiderus libr. de Affectib. Soporosis pag. 241.*

Observatio XI.

Convulsio à sanguine vitioso replente vasa meningum, abscessu intra cerebellum, cum exulceratione duræ meningis.

Quidam per biennium conquestus fuerat *de dolore in occipite*, tandem *Phrenitide* ac Convulsivis motibus correptus subitò interiit: Huic crassa cerebri membrana aliquot locis exesa erat variis foraminibus, idque potissimum in bregmate sub sagittali sutura, ubi & cum coronali jungitur: Ex iis foraminulis effluebat, & per membranam dictam effusus erat sanguis fermè concretus, ater ac adustus, admodum fœtens: Tali quoque sanguine distenta erant vasa per exteriorem crassæ meningis superficiem discurrentia, quin & ea quæ numerosa per tenuem disseminata sunt: Huic *intra cerebellum abscessus* humore non naturali scatens, repertus fuit: Erat is humor colore ex citrino ad pallorem vergens, pallida bilis nimirum: *Ipsa cerebelli substantia flaccida* omnino, molliorque multò quàm cerebri substantia. *P. Pavius observ. 8.*

Cerebelli substantia flaccida &c.) Id quoque à Riolano in Anthropogr. lib. 6. cap. 2. annotatum, iis quibus continuus capitis fuit dolor in occipitio, cerebellum mollius ipso cerebro fuisse repertum; In aliis aridum & friabile.

Intra cerebellum abscessus Quibus disruptis & pure excluso sanitas aliquando consequitur: *Horatius Augenius l. 1. Epist. 1.* homini quem expiraturum prædixerat, maximo naturæ impetu facto, per nates auresque affatim libras qua-

tuor,

tuor, plus minus, puris albi vacuatas conspexit, unde viræ restitutus fuit: Excellent. *Th. Bartholinus* cent. 6. hist. 13. narrat de Generoso *Rozecranzio*, eum quocunque veniret, & se verteret, fœtorem naribus occursantem sentiisse, aliis nihil fœtidi animadvertentibus: Tandem per nares sensim octo dierum spatio fluxisse fœtidam flavamque materiem, rupti abscessus certum indicium, cum summo ægri levamine. Sanitatis spes est in iis quibus abscessus ad cerebri emunctoria vergunt, quæ nulla cum partes ejus posticas occupant iis enim disruptis proclivis est saniei influxus in spinam, cui non conceditur exitus.

Observatio XII.

Juvenis motibus convulsivis afflictus, in cujus capite vasa miningum sanguine turgida reperta sunt, Cum tumore earundem phlegmonode; Aqua plurima cerebri anfractus implente.

Juvenis cum per duas septimanas de gravissimo capitis dolore conquestus esset, Tandem febris aucta, vigiliæ, *motus convulsivi*: Calvaria aperta, vasa meningas perreprantia erant sanguine referta, ipsæ tumore phlegmonode per rotum affectæ apparebant; Cerebri anfractus omnes, ejusque ventriculi aqua limpida erant repleti. *Vide sect.* 1. *lib.* 1.

Observatio XIII.

Convulsio cervicis, & convulsivi motus à sanie & muco in sinistro ventriculo cerebri &c.

Juvenis (*de quo Tit. de melancholia*) Caput præter morem in sinistrum latus inclinavit. Mensis spatio elapso, resoluto quasi collo membrisque omnibus tremulis, & velut saltu subsilientibus &c. 12 post diebus à mane ad vesperam *acerbo agone conflictatus*, supervenientibusque haud obscuris convulsionibus, expiravit.

Cerebrum post remorionem duræ meningis, qua venulas apparuit nigricans & lividum, In sinistro ventriculo copiosa erat sanies *cum muco* &c. Cui adscribendum quod spasmis ejusce lateris affligeretur.

A *Matutino tempore ad vesperam acerbo Agone conflictatus &c.*) Quomodo in agone seu luctâ mortis, spiritus vitales ad tempus, si non pleue, resocillari debeant, neglectum fere hactenus est, quia videntes Medici juxta Hippocrat. signa lethalia, deserunt ægros, ne se, artem & medicamenta prostituant, Sed non deserendi ægri, quin omnia adhibenda quibus vita prolongari potest: Novi namque plures semimortuos à Medicis derelictos, per exilia remedia restauratos. Dicam hic ingenue quod sentio: In corde, quod est ultimum moriens, extinguuntur spiritus vitales variis modis 1. Nimio æstu sanguinis, sive ex maligna venenata qualitate, sive ex nimia quantitate, cùm vehementi motu corporis, vel affectibus animi commotus in fervorem sanguis, cor obruit: hos juvat V. S. potiones refrigerantes, atque epithemata pectoris, 2. Alii moriuntur dum ad cor non affluit pro circulatione continuanda, 1. vel novus Chylus, idque vel ex defectu ciborum, aut eorum expulsione per dysenteriam aut vomitus, aut vitio vasorum meseuterii, aut si chylus per ductus debitos non transmittatur ad cor; nam si absque novo chylo prior sanguis solus sæpe circuleiur, absumitur. His prodesset transfusio sanguinis humani vel vitulini in venas, novum illud inventum, nam de liquoribus alimentosis infundendis, parum in agone spero. 2. Si Sanguis qui per venas reveni debet, grumescit & coagulatur, idque varie ex variis morbis, in tabe, marasmo, febribus præfervidis, lympha seu serum utile deficit in sanguine, unde incrassatur & nimis acris fit. Hos in agone (nil de morbi causa dico) sublevat ad tempus balneum calidum, quod coagulationem diluit & humectat. In aliis morbis qui Tartarei dicuntur, ut Scorbuto &c. Viscidus fit sanguis, carens spirituosis tenuibus partibus, unde incrassatur vel putrescit. Tales ægri incipiunt mori ab extremis membris, pedibus, manibus, imo & capite, & paulatim desinente pulsu & circulatione membra frigescunt. Hi sublevantur quoque per balnea calida, & per potiones spirituosas coagulationem impedientes: In talibus mortuis arteriæ sunt flaccidæ, sed venæ turgent: Laudatur à Chymicis spiritus ardens ex Saturno, ut insigne solatium morientium (cum quo celebre aurum potabile fecit Fr. Antonius Anglus, teste Schrodero in Pharmacop.) sed certa experimenta nondum novi: 3. Multis cordis motus obruitur per catarrhos suffocativos, quatenus Pulmones (per quos sanguinis circulatio ex uno cordis ventriculo in alium peragitur) & vasa respirationis per visciditatem frigidam obruuntur, idque fit vel 1. vitio excrementorum, cerebri, 2. vel Salivalis materiæ, vel 3. vitio œsophagi 1°. cerebrum mucosum excrementum, præsertim in morbis frigidis copiosius generat, idque glutinosius seu crassius fit ubi spiritus animales debilitantur; idque si ægri supine decumbant, sive in dorso (quod adstantes vehementer errare permittunt, & causam mortis, vel diuturnæ miserrimæ luctæ præbent) ad laryngem & Pulmones ruit: Facile remedium aliquoties vidi, si ita in latus ponantur ægri, ut pituita per os effluat, præsertim si collo cali-

calidum pulmentum, & capiti atque cervici calida arena imponatur: Quia apoplectici ex tali pituita ventriculos cerebri opplente moriuntur, uti anni 1. miscellan. observat. 74. dicitur, & dudum ad Highmoro proditum est, parum prosunt cucurbitæ ad cranium, & vesicatoria ad cervicem adhibita: Si errhina & apophlegmatismi non sufficiunt, modestè opinor profuturum si famulus per nares exsugat & extrahat viscidam materiam, & subinde elevatum caput ægri levi manu concutiat, ad promovendum materiæ descensum: 2. Salivalis materia à natura destinata est ad humectationem arteriæ & pulmonum, ne per attractum aërem arescant, nec non ad os humectandum, ut fiat deglutio ciborum, prout hosce ductus detexit Clariss. Steno aliique: Quando saliva hæc, quæ tenuis esse debet, vitio chyli (uti in scorbuto & obstructionibus mesenterii,) vel ob morbos pectoris, uti in pleuritide, peripneumonia, asthmate, refrigeratione ab extra, &c. fit viscida, tartarea, ut vocant, & subinde acris, tunc larynx & pulmones obstruuntur, sicuti per catarrhos Sed quia hoc non adeo repente fit, remedium petendum erit ex potionibus diureticis validioribus: In agone, ubi cum sibilo jam exilis erat via respirationis, scio viro profuisse septuagenario, perito alias Chymico, calida pulmenta & arenam, collo & pectori admota, & haustulum spiritus vini tepidi cum oleo amygdalino: 3. Interdum ex ventriculo humores vel vapores per oesophagum ascendunt, vel exhalant per tracheam, ut larynx & lingua incrustetur crasso glutine, quod salivam inficit & impedit respirationem: Hic prosunt liquores nitrosi & abstersiones manu Chirurgi: Nihil hic dico de morte, quando sanguis vitalis effunditur per vulnera externa vel corrosione vasorum interna, &c. *Observ. Anonymi in Miscell. cur. anni 1671. Observat.* 159.

Cum mucco (Qui causæ antecedentis vicem gerit & mediatæ, proxima enim videtur esse flatus ex simili humore exsurgens: Hoc enim inter convulsionem propriè dictam, & Paralysin à multis statuitur discrimen, quod hæc ab humore pituitoso, puro, & impermixto generetur, qui tensionem non efficit in partibus, sed eas potius relaxat, ut in oedemate videre est; Convulsio verò ab eodem humore fiat, non quidem sincero sed plurimis flatibus permixto: à flatibus præsertim tenduntur nervi ac musculi, & versus suam originem contrahuntur; Spiritum flatuosum agnovit *Galenus* 2. de sympt. caus. cap. 2. Adde quod convulsionis gravissimi dolores sint comites, quos à flatibus distendentibus fieri credibile est.

Observatio XIV.

Convulsiones vulnus occipitis sequutæ, ob sanguinem in basin cerebri effusum, unde cerebelli syderatio, &c.

I. B. Ictus à sclopeto in Occipite, foris vix læsus, sed intus tam vehementer offensus ut graves convulsiones, &c. sequeræ sint. Post obitum, calvaria apparuit illæsa foris, ostendit tamen intus varias fissuras: Prope plagæ locum, extima cerebri membrana flaccida, atro cruore foedata; cerebellum plane syderatum; circa basin cerebri sanguis concretus. *Vide lib. 4. tit. de Vulneribus.*

Observatio XV.

Opisthotonus à materia viscida, lutea, ventriculos cerebri replente & initium nervorum premente.

Miles quidam cùm per integram noctem ebrius in solo decubuisset, evigilans tam repente spasmo correptus est, flexo in posteriorem partem corpore; ut omnino rigidus ac incurvus permaneret, ipse nostræ curæ mandatus est: nihil deglutire poterat, & turbidè loquebatur, tanquam ex loco subterraneo, vocem emittens, truculenter nos intuebatur: at etsi omnia adhibita, intra quatuor dies interiit.

Cadavere aperto Vitalia & naturalia integra invenimus: cerebrum autem ad ventriculos usque dissecuimus, quos repletos invenimus materia quadam viscida ac glutinosa, colore luteo, vitello ovorum perquam simili, sed foetida admodum: hæc incumbens principio nervorum, tam sæva symptomata in subjectis partibus excitarat: Venæ intercurrentes utramque cerebri meningem, admodum turgidæ erant bilioso sanguine.

Eodem modo pauco post tempore affectus fuit signifer: Sed hic præter prædicta symptomata spasmo cynico in dextra maxilla torquebatur, ita ut loqui planè durante isto paroxysmo non posset, & intra 24. horas è vivis excessit. *Iacobus Bontius Medicinæ indor. Observ.* 1.

QUi in Hollandia rarus est Spasmus, in Indiis tam familiaris est affectus, ut merito inter endemios numeretur: Tam repentinus ac subitus est aliquando ejus impetus, ut dicto citius homines rigidi non secus ac statuæ permaneant, cùm vel in anteriorem vel posteriorem corporis partem musculi, involuntario motu versus suum principium trahuntur:

cru-

crudele me Hercules malum, quod sanis partibus vitalibus ac naturalibus, cum summo cruciatu miseros mortales intra brevissimum temporis spatium è vivis ad mortem rapit; dum nihil nec esculenti vel potulenti per œsophagum in ventriculum deducere queunt: Porro hoc malo affecti truculente admodum adstantes intuentur, præsertim (quod sæpe fit) interveniente spasmo cynico, cum utravis maxilla aures versus trahitur: Ruber ac viridis color ex oculis & facie oritur, dentibus strident, ac murmur inconditum edunt, tanquam ii qui à cella subterranea loquuntur, ita ut imperitis vere Dæmoniaci appareant: Cura in hoc affectu à copiosa sanguinis missione inchoanda est; frictiones validæ ac ligaturæ adhibendæ; Inunctiones ex oleis macis, caryophill. cum oleo aneth. anthosar. cum oleo terebinth. ac spicæ indicæ: Valent cucurbitulæ amplæ, cum multa flamma, sine scarificatione affigendæ cervici, lumbis, humeris ac mammillis: ita enim serosus iste ac biliosus humor commode à nervis & musculis revellitur; Si remediis istis paroxysmus paulo mitior evaserit, ac æger jam aliquomodo deglutire incipiat, antidota adversus hanc pestem in forma liquida exhibenda sunt, quæ venenosam hanc ut plurimum materiam impugnando, per sudores ac urinas celeriter ejiciant: Talia sunt lapis Bezoar, rasura cornu Rhinocerotis cum Theriaca ac Mithridatio mixta, &c. Tum vomitoria ex infusione guttæ Cambodia, vel croco metallorum, danda sunt: In hoc affectu nihil procrastinandum, quod sit morbus acutissimus, qui, si quis alius, vehementer, cito & cum periculo movetur: si autem malum invaluerit, & æger deglutire non valeat, per acerrimos clysteres alvus eluenda est: Dein æger à capite ad calcem inungatur oleis supradictis: Balnea quoque ac fotus fiunt ex herba Lagundi, frutice in hoc malo specifico: Sal prunellæ per os sumptum peculiare his est remedium, ac materiam biliosam per urinas copiose excernit, & si febris adsit, cor ac arterias refrigerat benigne: Ratione sævissimi symptomatis, doloris, tantisper omissa causa ad laudanum Quercetani, Extractum croci, &c. recurrendum, Et quanquam Narcotica quibusdam videantur suspecta, sciendum tamen quod calidissima climatis temperies ea requirat, & sine his ægrum evadere non posse: Certe si opiata hic nobis deessent in morbis calidis grassantibus, frustra remedia adhiberemus, &c. *Idem ibidem.*

Observatio XVI.

Contractio Dorsi & incurvatio, affectis nervis spinæ ab acrimonia urinæ, effusæ è vesica lacera.

Juvenis duos insignes in vesica habuit calculos, à quibus vesica adeo fuit attrita, ut effusa ex ea urina fluctuaverit libere per universa intestina, quæ acrius ab ea vellicata, malum nervis à spinali medulla oriundis communicarunt, & illi vicissim ipsi cerebro, cujus p.n. contractio incurvavit non semel tam vehementer hujus juvenis dorsi spinam, ut universum corpus videretur instar globi retrorsum conglomerari *Tulpius lib. 3. cap. 2. vide lib. 3. tit. de ventris dolore.*

Observatio XVII.

Contractio digitorum sinistræ manus, à siccitate & gracilitate nervorum originis.

Civis Leodiensis à melancholia in Furorem transiit, hinc in fatuitatem, Dein sinistræ manus digitos ita lunavit, ut nulla arte extendi possent; Purgato capite, applicitis medullæ spinali oleis calefacientibus & humectantibus, digitorum usum recuperavit, sed paulo post omnes digiti ejusdem manus incurvati riguerunt, &c. Illi post obitum cerebrum in summa parte siccissimum repertum: Nervorum origines siccæ solitoque graciliores. *Vide tit. de Catalepsi.*

Observatio XVIII.

Spasmodes dextræ partis corporis rigor, à siccitate meduæ cerebri & membranarum; sero multo in ventriculo medio.

Adolescenti (*de quo tit. de phrenitide.*) comate vigili affecto, catoche, &c sub finem dextrarum partium rigor accidit, revera σπασμώδης: Aperto capite, venæ quasi varicosæ, tabo & sanguine nigro turgentes videntur: In medio ventriculo serum multum: medulla cerebri sicca, membranæ siccissimæ: Pulmonis partes dextræ vomicis plenæ, lateri adhærebant, &c.

OBSERVATIO XIX.

§. 1. *Variæ nervorum distensiones à cerebro suppurato ortæ.*

PUero effractum os frontis & laceri cerebri adempta portio, hinc fungus ingens, pullulavit, manente firmo animi & corporis robore, licet biduo post vivendi finem fecerit, sub sudore frigido ac crebris nervorum distensionibus, conversa in pus maxima laceri cerebri parte. *Vide lib. 4. tit. de Vulneribus.*

§. 2. Quid majori admirationi esse poterit, quam videre, quod una mecum vidisti, in milite isto hasta læso in ipsa cerebri substantia, qui cicatrice obducto vulnere, & extractis quamplurimis ossium fragmentis, septem & ultra septimanas sanus aliis inserviebat ægris.

In octava verò Convulsus cum moriebatur, causam subitaneæ mortis intueor, unam cerebri partem corruptam, putridam, visu admirandam, imo consumptam, & in putredinem conversam vidi? *Samuel Costerus, in Respons. & curat. Nic. Fontani, libro primo, pagina* 13.

§. 3. Juvenis saucius oculo dextro: primo statim die convellitur bracho dextro à femore; xi. moritur, cerebrum dextrum totum fuit purulentum, sinistrum plenum seroso humore. *Vide lib. 4. tit. de Vulner.*

§. 4. Miles hasta læsus in ipsa cerebri substantia, cicatrice obducto vulnere, octavo convulsus moritur: Vna cerebri pars corrupta erat putrida, &c. *Ibidem.*

OBSERVATIO XX.

Capitis involuntarius subsultus à phlegmone posticæ partis cerebri, &c.

IVvenis sub cane in gravem incidit capitis dolorem, Appositis ad frontem manuum una, ad sinciput altera, cerebrum intus concuti ac convelli sentiebatur; caput universum involuntariè subsiliebat, &c. Tota fere basis cerebri, cerebellum & spinalis medullæ initium sphacelo correpta erant, &c. *Vide tit. de dolore capitis.*

OBSERVATIO XXI.

§. 1. *Convulsiones ab abscessibus in cerebro latentibus excitatæ.*

QVidam ex diuturno capitis dolore ac vigiliis levi Convulsione correptus periit. Inventus fuit abscessus cum pure admodum fœtente & corrupto, *Seb. Nasius meth. med. part. 2. quæst.* 16.

§. 2. Melancholicus juvenis (*de quo tit. de Paralysi.*) laborabat Paralysi lateris sinistri, & convulsione dextri violenta. In latere dextro admodum turgebant venæ tenuis meningis, Ea pars nigricabat & apostema continebat in proxima cerebri parte.

OBSERVATIO XXII.

§. 1. *Spasmi à colluvie serosa cerebri varias partes occupante.*

DOmina Ill. diu affectibus spasmodicis obnoxia, in apoplexiam lethalem incidit: Mortuæ meninge crassiore amota, per alteram tenuem & pellucidam aqua limpida cerebri plicas & anfractus omnes adimplebat, &c. *Vide tit. de cap. dolore.*

§. 2. Virgo cephalæa diu afflicta, tandem in convulsiones atroces cum stupore incidebat, &c. Latex flavus cerebri anfractus profundiores & ventriculos inundabat.) *Tit. de cap. dolore.*)

§. 3. Virginem febris τριταιοφυής infestabat; die 14. convulsa interiit, omnes corporis partes convellebantur: Aperto capite cerebrum erat humidius quam è natura foret. *Vide tit. de cap. dolore.*)

§. 4. Jurispr. studiosus ab amico exceptus, domum redux, post capitis dolorem, vomitum, &c. convulsiones subsequuntur, &c. Illius viscera principalia penitus corrupta erant, &c. vermes in intestinis: cerebrum serosa colluvie usque ad principium nervorum erat repletum. *Ibidem.*

§. 5.

§. 5. Puella *Tussi infestata* fuit quæ plane convulsiva evasit: successit febris, hinc motus convulsivi, primò in artubus, mox in facie & subinde in toto corpore: dum paroxysmi convulsivi urgerent, pulsus erat plurimùm inordinatus ac sæpe intermittens, &c. Vasa meningas perreptantia sanguine turgebant, &c. Integumentis ablatis, cerebri substantia prorsus erat madida, ventriculi omnes aqua limpida repleti, &c. *Vide lib. 4. tit. de Febribus.*

§. 6. Gallus quidam dolore capitis correptus est, post mensem coecus evasit, sequutis Convulsionibus quæ illum per vices affligebant. Post mortem invenimus cerebrum aqueo copioso humore irriguum, &c. *Vide tit. de Oculorum aff.*

§. 7. Dom. Octav. Albertus dolore capitis ac tenui destillatione vexabatur, cum exigua *Convulsione* cervicis ad posteriora: Hunc defunctum comperi aquæ cochlearia tria, collegisse inter duram meningem ac cerebelli posticam sedem. *Schenkeus ex Nereto Neretio Medico Florent.*

T*Ussi infestata.*) Highmorus lib. de affectione Hypochondriaca, à pulmonibus sanguine infarctis, aut motu impeditis, affectiones spasmodicas in aliis partibus, aut in toto corpore exitatas deducit: quod incongruum videtur, Quippe advertimus passiones istas solummodo à spirituum animalium, in cerebro aut nervoso genere scatentium irritatione procedere, atque ut plurimum aut a materia morbifica intra partes illas aggesta, aut à vellicatione insigni iisdem inflicta pendere, quorum nullius pulmones infarcti & immobiles facti causa esse possunt: Quæcunque enim pars per consensum partes alias in motus convulsivos rapit, necesse est ut ipsa primo convelliatur: Quod autem instat, *Naturam, ut præcordiis (oppressis subveniat, facultatem animalem ad motus convulsivos invitare*; id quidem à constanti ejus ritu ac consuetudine abhorret, quæ sicubi insultu morbido, aut molestia premitur, instinctu quodam quasi divino edocta, angustiis sese expedire & non majoribus implicare solet: Si forsan regeras spasmos interdum ὑπερσπασμοὺς & immensis hæmorrhagiis supervenire, & non raro moribundis accidere? Dico hoc non ex naturæ irritatione, sed ex nimia tum ipsius, tum facultatis animalis prostratione fieri: Quippe in magnis languoribus spiritus animales plurimum distracti, aut absumpti, solitum in nervoso genere tensitatis, sive irradiationis suæ filum ac continuitatem sustinere nequeunt, quare ab invicem divulsi, ac quasi in manipulos fracti; dum rursus adunitri quærunt, nixus motivos ubique divisos, & quasi per subsultus ineunt: at vero neque membrorum, nec alborum viscerum spasmos, ex molestia præcordiis illata facile oriri, præter dictas rationes, insuper observationes pathologicæ clarissime evincunt: Qui asthmate, peripneumoida, angina, pleuritide horrendis laborant, inter diros paroxysmorum cruciatus, aliarum partium motus convulsivos haud facile incurrunt: In adolescentula polypum cordis, post morbillos accretum, & in arterias pulmonicas illapsum, eas fere in totum obstruxisse memini, ut hinc sanguis intra dextrum cordis sinum aggestus, & ultra progredi non valens, maximum illic gravamen & oppressionem, cum respiratione difficillima & maxime laboriosa intulerit: Attamen observare est in hujusmodi casibus Naturam circa præcordia, gravissime licet affectam, non propterea functionem animalem ad motus convulsivos invitasse. *Willis, Tract. de affect. hypochondriacis & hystericis.*

OBSERVATIO XXIII.

Sive exempla convulsionum, vulnera capitis sequutarum ob saniem, pus, vel abscessus in cerebro genita.

§. 1. RVsticus vulneratus est in capite, 16. die à vulnere accidentibus convulsionibus & distortionibus moritur: Sanies inventa & purulentia in cerebri substantia. *Vide lib. 4. tit. de Vulneribus.*

§. 2. Iuvenis saucius dextro oculo, fracta orbita, fit ἄφωνος, convulsus dextro brachio & femore: Cerebrum dextra parte fuit purulentum: sinistrum plenum serosa pituita. *Vide ibidem.*

§. 3. Quidam punctim vulnerarunt circa os temporis, ita ut dura membrana simul læderetur: Sequitur Convulsio partis læsæ. Inter membranas & substantiam cerebri ingens copia puris reperitur. *Ibidem.*

§. 4. Nobilis ad sinistram partem suturæ coronalis punctim percutitur: die 3. supervenit Epilepsia fortis & convulsiones lethales: Valde profundum vulnus utramque meningem, ipsosque cerebri ventriculos penetrans repertum est. *Ibidem.*

§. 5. Iuvenis vulnus in regione bregmatis accipit: Sequuntur sopor, dextri lateris Convulsivi motus Epileptici: Tota regio bregmatis sinistri contusa deprehendebatur, unde sua sponte octo ossa abscesserunt; de quibus unum acutius in ipsam substantiam cerebri impressum erat per meninges, *Vide lib. 4. tit. de Vulneribus.*

§. Adolescens accepto contemptibili, ut videbatur, in capite vulnere, oborta 6. die in eo inflammatione, sequente convulsione & paralysi in crure dextro & brachio., 11. moritur. E regione partis vulneratæ, inter cranium & duram meningem, pus inventum est, non copiosum sed lividum & fœtens. *Vide tit. de Paralysi.*

§. 7. Miles acinace sauciatus fuit in posteriore capitis parte, cum læsione ossis sincipitis. Die 22. brachium dextrum motibus Convulsivis fuit agitatum, &c. Aperto cranio, interna ossis fissi superficies in tantum fuit corrupta, ut totum occipitis os usque ad suturam lambdoidem tenuius esset quam os petrosum: mox Abscessum deprehendi magnum in sinistro cerebri latere latitantem, proprio folliculo circumscriptum, ex quo pus fœtidum magna quantitate effluxit. Ventriculus cerebri sinister aliquantulum compressus; dexter aqua limpida distentus. In sinistro plexus choroeides pallidus, in dextro rubicundissimus apparuit. *Vide tit. de Paralysi.*

§. 8. Adolescens fuste ligneā è salice, levi quidem illa, sed ex alto dimissa, accepto contemptibili vulnere in capite, absque cranii fractura scissuràve, oborta sexto die inflammatione, sequente Convulsione & paralysi in crure dextro & brachio sinistro 11. die. moritur. Dissecto cranio, e regione partis vulneratæ, inter cranium & duram meningem pus inventum est, &c. *Vide lib. 4. tit. de Vulneribus.*

§. 9. Puero ex alto baculus in sinistram capitis partem perpendiculariter decidit, unde fractum cranium: partim Convulsus est in opposito latere, obiit 15. die, Exhausto ad corpus callosum usque cerebro, *lib. 1. tit. de Paralysi.*

§. 10. Mulieri, non satis perspecta rima, (à projecto in caput poculo vino pleno) secundum frontem vulneratæ, mortis causam attulit: 3. die adfuit febris, delirium, convulsio: 5. mors: Ingens phlegmone intra calvariam inventa; dura meninx tumens, livida, ingenti puris copia suffusa. *Vide lib. 4. tit. de Vulneribus.*

§. 11. Studiosus circa os frontis vulneratur, primis diebus leviter laborabat, sed post ingens æstus sequitur, in primis capitis, & spasmus cynicus in parte opposita; post mortem particula de lamina interiori, per meninges in cerebri substantiam transadacta reperta est. *ibidem.*

§. 12. Nobilis in capite læsus circa suturam lambdoidem, cum rima & depressione solius laminæ internæ, quæ cerebrum continuo compressit, hinc ortus est abscessus sub calvaria, qui prægressa febre, à phreniride Convulsiones induxit. *Ibidem.*

§. 13. Ruricola ex arbore deciduus os temporum & frontis perfregit: vulnus spatio quinque septimanarum consolidatum: Quia vero locis duobus distinctis ac æque latentibus, sectione demum patefactis, mediocres cranii particulæ in ambas cerebri meninges depressæ fuere fortiter, ex compressione dolores, ab his humorum affluxus, ab hoc Apostema subortum, quod postea Convulsionibus ansam præbuit. *Ibidem.*

§. 14. Vinitor à jacto lapide contusum habuit in bregmate sinistro vulnus: post 7. augetur febris, contrahuntur manuum digiti: 14. obiit Inter cranium & meningem copia puris inventa est; hæc prætumida & decolor. *Ibidem.*

OBSERVATIO XXIV.

Convulsivi motus ab affecto Diaphragmate ulcerato, &c.

Virgo doloribus cruciatur, qui regionem sub ala sinistra lateris & costas mendosas occupant, & interdum ad thoracis vertebras, & ad imum ventrem ex porriguntur, sæpe motibus convulsivis tentatur, vixit usque ad 44. diem, Secto cadavere inventum est septum Transversum in interiori parte suppuratum, ulcusculis refertum, &c. *Vide historiam lib. 2. Titulo de Lateris dolore.*

Motibus convulsivis tentatur. (Affecto Diaphragmati; parti eximie membranosæ adscribendis, nervos per rotam substantiam sparsos obtinenti, delatos ex spinali medulla colli, inter quartam & quintam vertebram: quibus à puris acrimonia vellicatis, occasio data est ejusmodi motibus convulsoriis.

OBSERVATIO XXV.

Convulsivi motus post sumptum venenum ventriculum afficiens.

D. N. Inquietudinibus, motibus convulsivis, &c. afficitur: Reperta ventriculi interna tunica, omni ex parte livida & syderata, maculis conspersa. *Vide lib. 3. tit. de Vomitu.*

Observatio XXVI.

Convulsiones à vertebris lumborum duabus ad spinalem medullam usque corrosis.

Pvellæ Excrescentia erat supra vertebras lumborum, convulsionibus, correpta obiit: Spinalem medullam denudatam reperi, ita ut duæ vertebræ lumborum desiderarentur. *Vide lib. 4. tit. de Tumor.*

Observatio XXVII.

Motus convulsivi à verme intestinum duodenum perforante.

NObiliss. puerulus bimulus, Generos. D. Dive, Equitis aurati, filiolus, formosus atque optimo corporis habitu prædirus, cum per duos tresvè dies minus bene haberet, & tussi sicca laboraret, cum inquietudine, nocturno præsertim tempore, & crebris ejulatibus, nutrix eum dentibus laborare putabat, donec tandem in gravissimos & continuos motus convulsivos incideret: quibus pacandis duo mecum Medici in consilium adhibiti; Varia ad eos sedandos exhibita sunt; sed frustra omnia, Nobili puerulo tertio convulsionum die naturæ debitum solvente.

Aperto corpore, diligenti scrutinio nihil invenimus quod lethum accelerare potuisset, donec ad intestina deventum, quibus examinatis, duodenum à terete lumbrico perforatum & exesum invenimus, quem adhuc vivum inde extraximus, *Frid. Losius lib. 2. Obser. 33.*

MIra sunt quæ ab authoribus de Lumbricis proponuntur indicia; mirabilia quæ quotidie in iis, qui ab ipsis infestantur, visuntur symptomata, inandita & terroris plena, quæ ægros misere torquent, eàque adeo obscura, & cum aliis morbis communia, ut doctissimorum, & lynceis oculis prædirorum ἀσοχίαν quandoque eludant: imprimis vero Teretes, omnium frequentissimi, graviora inducunt symptomata, qui cum natura sua semper sint pessimi, & toto genere p. n. attamen minores majoribus, pauci multis, viventes mortuis, sunt moliores, &c. *Idem.*

Observatio XXVIII.

In mulieris cerebro, intra sex horas à spasmis extincta, nihil repertum est.

MVlier subito ἄφωνος jacet, convellitur, sex horis post moritur. In ventriculo nil fere alienum compertum, In ventriculis aliqua erant corpuscula, sed tenuia & exilia. *Vide Tit. de catarrho.*

Subtilissimus Helmontius immediatam causam Convulsionis agnoscit vitam peculiarem musculorum, qua tam forti præter communem corporis præditi sint, ut dudum post cordis mortem adhuc vita in musculis noretur, hincque falsum esse deprehendatur quod cor sit ultimum moriens; mortuo enim jampridem corde vitam illam musculorum extinctionem vitæ apprehendentem utrinque tendere tendines; adeo ut cadaver tum demum generali tetano utrinque tensum ob rigeat, hocque ita esse indicari violenta morte hominis, ubi vita illa peculiaris musculorum simul suffocetur, hujus enim cadaver flaccidum manere: omnem itaque convulsionem, sive a colica vel veneno, vel alio modo prognatam non esse ex motu voluntario, sed ex naturali sensu moruque musculorum, etiam post mortem aliquandiu superstite, prout in insectis appareat; quorum partes diu post eorum dissectionem adhuc moveantur, muscæque avulso capite adhuc avolent! muliere etiam dudum mortua uterum non raro suum profligasse fœtum; ut ideo mirum non sit vel absurdum musculos proprio motu tumultuari, si circa mortem senserint vitam communem eclypsari ut ait Paracelsus, ex quo desumpsit Helmontius: Ille enim musculos præter vitam corporis adhuc singularem possidere vitam: Atque ex eorum sententia deduci potest causa convulsionum in prædicta muliere, quæ nullam aperto cerebro manifestam causam exhibuit.

Observatio XXIX.

Manuum & pedum contractio & convulsio in quodam, nullo vitio in visceribus apparente.

PIctor laudabili constitutione præditus, manuum digitos graviores solito ægriusq; mobiles percipiens, paucis post diebus contrahi illos convellique sensit, atque sensim in dies magis ac magis aucta affectio est, dum incurvi illi, pene inflexibiles manerent; Quin & brachia & carpum pervasit affectio, nec multo post idem vitium pedes sensere: In dissecto cadavere, Iecur, Lienem, Ventriculum & Renes naturalem constitutionem præ se ferre vidimus, nihil in ulla parte notari potuit quod tantorum foret malorum causa. Sed cum imprudens penicillum

ore exsugeret, verisimile est ut è manuum digitis, partium continuatione cerebro, totique generi nervoso, communicatam fuisse cinnabarim, &c. *Vide. lib. 3. Tit. de Ventris doloribus ex Fernelio.*

Observatio XXX.

Convulsio terribilis, vi cujus ossa femoris, humeri, &c. fracta in cadavere reperta sunt.

Juvenis ann. x. jam tertio ætatis anno Epilepticis insultibus vexari cœpit, iique annis labentibus adeo in dies increverunt, ut aliquot ante obitum mensibus brachia cum pedibus illis convulsionibus penitus in gyrum agerentur, ipsáque ossa tam humeri quam tibiæ sinistræ partis confringerentur, quibus ejus loci Chirurgus restituendis, & aptè devinciendis sedulam quidem navavit operam, humerùmque juxta cum tibia, spleniis & ferulis ritè colligavit, sed reversus convulsivus ille impetus, nihil conferentibus qualibuscunque ligaturis, extrorsum denuo ita emovit, circumrotavit & effregit modo vix dum commissa ista ossa, ut nullo amplius ingenio composita servari potuerint: Hinc misellus sufferendo morbo impar, viribus paulatim exhaustis, vehementissima tandem convulsione, & quæ os humeri fractum, ea parte qua cubitum attingit, per cutem transegit, mortuus fit: In tanta tamen miseria de nullo dolore conquestus æger, nec vel minimum vociferatus est, adeo ut sensu quasi omni orbatus; ac mente sibi non satis constare visus sit, præsertim cum toto morbi decursu nihil cibi petierit, oblatum tamen sumpserit.

Defuncti cadaver dissectum fuit, omnia viscera inculpata apparuere, & magna bilis vesica viridi suo colore vicina stomacho intestina infecit. Aperto brachio sinistro, conspectum id os humeri fuit effractum & sinistrorsum ex cute prominens. Os femoris ejusdem regionis extrorsum violenter à suo capite divulsum trochanterem acutum, suòque cuspide cutem perforantem habuit: Appendix inferior femoris sinistri, atque interior, qua genu efformat, vasto se satis tubere manifestavit: Tibia tandem introrsum reflexa & curvata cum fibula sua, in medio violenter fracta visa fuit, atque illius ossis cavitas omnino ita obliterata, ut nec medullæ, alias in ea contineri solitæ, vestigium animadverteretur. *Ioh. Georgius Volcamer in Miscellan. curiosis anni 1671. Observat. 225.*

Observatio XXXI.

Convulsivi motus Calculos in ureteribus & Renibus subsistentes sequuti.

Comes quædam, itémque Monialis, ingenti dolore diem clausere suum: utraque velut uncum, uno trianguli acumine in renes: altero vero intra ureterem desinente exhibebat, atque spasmo crudeli obierunt ambæ. *Helmont lib. de Lithiasi cap. 7.*

Non quidem moriuntur præ urinæ suppressione, ubi alter renum lotio satisfacit, arroci sed solo spasmo oppetunt, qui spasmus iterum circa mortem laxatur, quapropter dissectio, præter lapillum uniformem, exhibuit nihil quod mortem attulerit, *Idem ibidem.* Atque cap. 5. & 6. fotus & humectantia laudat, hæc, *inquit*, ut althæa, malva amygdalinum & cætera juvant, non quatenus ampliificent ureteres, sed in quantum spasmum crispationis demulcent. *Idem cap. 6.* Sub paroxysmo cum toto abdomine turbatur, præsentique in omine atque metu, instantem procellam non minus quam eandem compatitur, toleratque præsentem: præsentire enim videtur arenam nondum visam: at sane est tum in utero suo, dumque præsentitur, & tunc adest contracturæ illius exordium: Volens itaque Archeus hostem eluere, & excusare instantem paroxysmum, accersit undecunq; omnem laticem & ad eluendum renes demittit: Contrahuntur ergo venæ in calculosis renibus, consentiuntque intestina, atque dolorem colicum ideo mentiuntur ob consensum: Qua de causa Nephriticus dolor à colico nondum per scholas satis distinguitur. Nec mirum ad spasmum venarum ipsa intestina quoque convelli, cum contracturæ artuum sequantur propter consensus consanguinitatem tam dolores immanes colicos quam nephriticos. *Hæc Helmontius.* Si in una parte irritatur vis expultrix naturalis, surgit aliquando in alia, nec semper proxima, sed etiam in dissita & prorsus contraria, ut cunctum corpus tandem concutiatur, subiacta plerumque ad tempus vi animali. Quod mali nuncupatur Epilepsia, item motus Convulsivus, quo puerperæ, teste *Valleriola*, sæpe corripi solent. Nuper juvencula puerpera primipara hac mortis via interibat: si nitebatur, illo motu convulsivo nunc ejus totum corpus, nunc dextri vel sinistri lateris partes semper vexabantur. Hystericam Epilepsiam in vulgus plurimi celebrant. Nimia continentia urinæ urgente homines quoque convellunturur: D. *Sperlingius* cum urinam tamdiu reddere non posset, usque ad mortem istis motibus convulsivis varie premebatur: Simul vermes stomachum mordicant, ingruit Epilepsia: Atque ea vix expultrix, ex ejusmodi membro surgens, & illarum animali motu gaudentium partium facultatem expultricem naturalem concitare potest, ut rotum corpus tandem convellatur. Vis illa naturalis ex stomacho, ex matrice, ex renibus concitata est similis bestiæ quæ hominem subito invadit: hic sentit quoque vim quasi inferri: quare is membrum qu[illegible] sibi renitenti invitòque agitari, quod facultate animali antea fuit motum. *Schneiderus lib. de catarrhu spec. p. 234.*

OBSERVATIO XXXII.

Anatome Equi, cui os subito obriguit & clausum est, ob constrictas maxillas à sero musculos earum imbuente, & glandulas vicinas tumefaciente.

IN stabulo Regio dissectus fuit à Chirurgis Regiis equus generosus, cujus affectus fuerat quod subitò os obriguerit clausumque fuerit, ut pabulo vesci nequiverit, unde sensim contabuit. In hujus affectus causam inquisituri, sequentia in sectione strangulati animalis invenerunt, quæ annotavit D. Simon Paulli.

1. Statim jugulato equo, musculi colli & dorsi (qui vivente animali tensi & duri erant) flaccidi evaserunt. 2. In apertione abdominis, inter peritonæum & musculos abdominis, ichor quidam flavescens observatus, ad os pubis usque protensus. 3. inter intestina & peritonæum multi vermiculi candidi, longitudine digiti, crassitie fili mediocris, partim mortui, partim viventes reperti. 4. Omentum pravi coloris, exile & contractum. 5. Lien colore p. n. in limbis contusus, quasi ut friari potuerit, colore quam reliquum lienis corpus rubicundioris. 6. Epar valde magnum, concava parte plumbeo colore, convexa sanius, sine vesicula fellis, sanguine, qui in vasis erat, nigro & adusto. 7. In ventriculo satis parvo, magna copia vermes singulares reptabant, rotundi, crassi, nigri, grisei: aliquot cochlearia plena quoque aquosæ, flavæ & nigrescentis humiditatis. 8. Pylorus ferè cartilaginosus: 9. Cor insolitæ magnitudinis, in sinistro latere durum quidem tactu, sed secari tamen aptum: In ventriculis Polypus 1. [1] quadrantes longus, pollicem crassus, 10. Pulmones exiles, duri, colore p. n. præditi, nempe [2] pallidiores præter morem aliorum animalium, immisso siphone immobiles. 11. Musculis colli digito separatis, utrinque ad latus asperæ arteriæ, præsertim ad latus sinistrum, pellucida, flavescens lympha, inter musculos adhuc membrana sua involutos reperta: 12. Glandulæ pone aures & infra maxillam inferiorem, solito copiosiores, magnæ pariter & exiguæ, quarum minores digitis facillime, majores minime friabiles erant, 13. Caput à vertebra colli prima resectum nihil insoliti monstravit 14. Separatis musculis maxillam inferiorem moventibus penitusque abscissis, & carne ossis palati resecta, maxillam, tamen immobilis mansit in articulatione cum superiori, ut manibus fortissimis separari aut aperiri non potuerit. 15. In cerebro nihil p. n. notatum, licet solito fuerit siccius. In cranio os singulare, inter cerebrum & cerebellum observatum, quale in canibus solet. *Observatio Simonis Pauli Regis Daniæ Archiatri.*

QUæstionem sibi in aula propositam, quæ causa fuerit *Quod Equo nobili subitò & insperatò maxillæ contractæ fuerint, ut ciccum capere nequiverit, & spina dorsi obriguerit*, eruditè solvit D. Simon Paulli, & publico scripto lingua Germanica edidit Hafniæ: Neque ea cura infra dignitatem ejus æstimanda, A Medicina enim, si credimus Vegetio, præfar. artis veterinariæ, non adeo in multis discrepat veterinaria: Imo Ioh. Philippus Ingrassias, Quæst, de Veter. cap. 13. veterinarios Protomedicorum examini subjiciendos voluit: Hic per compendium repetam libelli laudati præcipua momenta, rationes prægnantiores & observationes Medicas notatu dignas. Respondet igitur Anatomicus expertus.

1. Sanguinem omnem totâ substantiâ corruptum, inde polypo cordis natæ occasio, quem ante cum Chirurgo in humano corde, repentina morte extincto, cum venenati oblati suspicione Hafniæ viderat.

2. Notandum inter musculos abdominis ichorem insolitum, uti & inter musculos colli ad latus utrumque arteriæ asperæ collectum fuisse: 3. In quodam eum Hafniæ ex gangræna os humeri resectum esset, successisse post paulo maxillæ inferioris immobilitatem, ut liquida per dentium rimas hauriret & per easdem verba proferret. 4. Eidem 24. horis antequam exspiraret postremum, præter convulsionem colli prædictam, etiam Tetano universum corpus, brachia, pedes & dorsum obriguisse, ut integro intellectu, neque ipse, neque aliorum auxilio se membraque sua movere potuerit, sed ttunci instar ad fatalem usque horam decubuerit. 5. Viduam N. post choleram morbum, simili Tetano comprehensam ex esu limonii quod febricitans alia ægra diu manibus versavarat, 6. Ex suppresso igitur sudore in his exemplis, & in equo regio Tetanum oriri posse, In cujus rei confirmationem duo exempla recenset, Primum de puero 14. annor. cui ex suppresso sudore in paroxysmo febrili tertio, ipsamus levis 14. post diem, successit oris, colli & aliarum partium, moxque tetanus earundem partium, & nonnullarum paralysis, ut integris sensibus internis, non tantum mutus fieret, sed oculis solis nutu animi sui sensum exprimere potuerit: hæc symptomata superveniens febris maligna curavir, qua rursum ex methodo extincta, paronychiæ digitorum excreverunt: Alterum, Nobilis quidam in choreis velata facie, larva intus argento foliato obducta subministrat, qui cum sudorem extra larvam collectum abstergere non posset, musculis oris convulsis, spasmum cynicum passus est. Ex his observationibus & hypothesibus decirculatione & vasis lymphaticis, ad Equi regii morbum devolvitur Author, sanguinemque corruptum vellicasse musculos, & lympham extra vasa sua, magis quàm sanguis malignam suspicatus, Ex intempestivis verò habenis, nimisque arctis, circa collum compressis glandulis, & cursu exercitiisve excalefacto, & maturius ad aquæ potum adducto, forsan sudorem repressum, Tetanum aliàque equorum mala induxisse. In rusticorum Equis affectum illum

lum Capitis vulgo *Fiebel*, Gallis, *les Avives*, provenire partim ex crassioribus habenis caput constringentibus, partim quod in partis humidis frigidisque gramen mordicantes, infrigidentur pedes: magnum antem consensum pectum & cordis esse, circulationis benefico, experimentis duobus demonstrat. 1. Juris quidam Doctor Hafniæ, ex sphæristerio reversus in hospitium, pedes frigidæ immergens, post paulo in leipothymiam & cordis palpitationes incidit, ut fere obmutuerit pulsu deperdito: Evocavit istum ab orci faucibus calido vini spiritu, quo lavit pedes, & vino Gallico albo, cui calidissimo immersit pedes. 2. Similia passam fœminam, mensium tempore inordinate viventem, curavit immisso brachio cubitum tenus, in amphoram vino Gallico calido repletam. *Thom. Bartholinus Observ. xi. & xii. Actorum Medic. ann. 1671. & 1672.*

Observatio XXXIII.

§. Capitis in sinistram partem convulsio, & motus convulsivi, à sanie & muco in sinistro ventriculo.

Juvenis xxx. ann. melancholicus, caput præter motem sinistrum in latus contorquebat: Tandem supervenientibus haud obscuris convulsionibus exspiravit circa septimam. In sinistro ventriculo morbi contumacis mortisque causa extabat, copiosa scil. sanies cum muco ac materia putrescente inibi contenta, cui adscribendum quod spasmis ejusce lateris initio affligeretur. *Vide Tit. de melancholia.*

Caput in sinistrum latus (Exemplum contorsionis colli: affert *Ballonius* Paradigm. §. Nob. *ait*, vir in bello civili perfuga multa tulit incommoda: In tot. tantisque discriminibus cœpit laborare destillatione à capite postico, præsertim in humeros & cervicem, hinc colli ac cervicis contorsio quædam: Et cùm tempore occursum non fuisset remediis, ita malum increvit, ut facies in posteriora detorqueretur, & nonnisi magno conatu in anteriora reflecteretur; At sive bibere, sive edere, sive loqui vellet, funiculo in eam rem comparato retrahebatur caput aliorsum inclinans: Laborandum fuit in specie morbi inquirenda & remediis accommodatis Videbatur nonnullis unius partis esse resolutio, quæ alteri convulsionem attulisset, quod non erat credibile, nam in eodem statu pars perpetuo permansisset: at reducta facies in suum locum, nisi magno conatu & magno cum dolore sisteretur, convulsivo quodam modo statim revellebatur in postica, magna omnium qui aderant admiratione: Convulsio erat revera, & omnes musculi erant affecti & viscoso frigidoque humore imbuti, qui discussus usu rerum calidarum affectum sustulit. *Hæc Ballonius*. De eo affectu, agit *Arnoldus* Bootius libello de affectibus omissis cap. 5. profertque exemplum à se notatum: & nos vidimus Neocomi Helvetiorum obstetricem septuagenariam, cui invitæ in sinistram partem caput semper retorquebatur: Id mali ante annos xx. contraxerat, ideoque incurabile, quod materia altius foret impacta.

Observatio XXXIV.

Colli rigida durities ob ejus musculos corruptos.

Petrus Balen conquestus est de rigida colli duritie, cui successit ejus intumescentia. Musculi colli omnes corrupti reperti sunt, ut & œsophagus luridus, lividus: Plurimum quoque erat materiæ crassæ circa musculos & œsophagum. *Vide lib. 3. tit. de Deglutitione læsa.*

ADDITAMENTA.

Observatio I.

Convulsivi motus à materia pituitosa in cerebro concreta juxta nervos, qui convelli visi sunt.

Convulsio nervorum in Nob. *matthæo Tingoli* primum eorum est qui a 2. 3. & 4. pare promuntur, quoniam & musculi faciei, oris linguæ, & etiam ossis hyodis distenduntur, deinde etiam eorum qui à parte sinistra spinæ veniunt: materia autem quæcunque ex parte cerebri veniat, crassa esse non potest, sed potius vaporosa, & a cerebri parte tantum, & quæ spinam adiuit ejus partes sinistrorsum tantum extimas attigit, propterea ad cruris ejus partis nervos noxa non pervenit: ortum vero hujus materiæ potissimum esse aliqua in cerebri parte res eædem restantur, præcipue quod altera tantum ejus pars in id malum efficiendum convenire videatur hujus materiæ causa in cerebri parte est, & pituitosi generis, non tamen naturalis, hæc enim non fumum sed vaporem ederet, quare & somnus nimius e pituita præcessit: sub dolore capitis antiquo ea materia demum crassior facta est neque amplius in locum doloris capacem, h. e. in membranas efferri potest, sed intra corpus cerebri

sub-

subsistit, & conerecior facta, ex se, propter sui corporationem & virium spatio temporis ingeneratum, non vapores sed fumos per nervos ejusdem partis emittit, fumis vero intenti nervi contrahuntur, & fumos per hanc motionem eorum tenuitatem facile descutiunt: Quæ omnia eo mihi verisimilia magis videntur quod caput hujus Nob. viri infirmius semper fuit, præterquam quod ego hanc eandem mali progressionem ab hemicraniæ solutione ad ejusmodi casus in aliis animadverti, & cum horum quidam aliis morbis sublati fuissent; Aperto cerebro vidimus concretas pituitas in parte quæ nervi convelli solerent. *Guarinonius consultat.* 89.

F*Umis intenti nervi contrahuntur* Convulsionis proximam causam indagaturus *Franc. Sylvius* prax. lib. 2. c. 23. motus voluntarii causam proximam constituendam jubet, Hæc enim, *inquit*, si fit spiritus animalis ex naturæ lege continue à cerebro & cerebello per nervos ad musculorum fibras mediocri quantitate delatus, ad voluntatis vero dictamen & imperium copia majori eodem propulsus, utique Convulsionis causa proxima erit idem Spiritus Animalis copia nimia ad easdem fibras impulsus, & quidem citra, imo contra voluntatis decretum: Docuimus enim alibi continue, ac sine intermissione deferri ad musculorum fibras spiritus animales naturaliter, sicque servare oppositos in æquilibrio musculos, idque convicimus per oris torturam, ex alterutrius maxillæ, labiorumque musculis paralyticis ortam, musculis Scil. oppositis, cæterum sanis, mox partem ægram nimium cõtrahentibus, & quidem convellentibus, idque ob defectum renitentiæ & æquilibrii paralisin cõsequentem: Quoties autem lubet homini hanc aut illam partem flectere, extendere, aliove motu ciere, toties ad musculos ipsam flectentes aut extendentes copia majori mittit spiritus animales, qui musculos illos potentius inflantes & contrahentes quam inflantur & contrahuntur oppositi, partem quoque ipsis musculis contractis junctam simul flectunt vel extendunt, quæ nostro arbitratu est ratio motus voluntarii: In motu autem involuntario, invito & coacto, sive convulsione, propelluntur quoque, sed præter ac contra voluntatis jussum, copiosius in horum, illorumve, aut utrorumque ne musculorum fibras spiritus animales à causa præternaturali acti: propelluntur ergo in motu voluntario Spiritus animales copiosius ad musculorum fibras ab ipsa Anima libere agente, in convulsione autem à causa alia præter naturæ leges in homine reperta, & spiritus Animales eo adigente: se Antequam autem causa p. n. spiritus animales copiosius ad musculorum fibras contra voluntatis dictamen propellens proponatur, imo ut facilius eadem ernatur & confirmetur, docendum in antecessum Convulsionum observari varias differentias, *Nam* observatur Convulsio quandoque *universalis* in Tetano, sive Rigore, in quo omnes universi corporis partes convelluntur, ac idcirco *rectum* ac *distentum* tunc occurrit corpus hominis ac rigidum: Quandoque observatur convulsio quasi *sum universalis*, in *Compostibotono*, & *opisthotono*, in quibus vel Antrorsum, vel Retrorsum convelluntur & flectuntur omnes universi corporis partes, ex musculis nunc anterioribus, nunc posterioribus p. n. contractis, & totum corpus vel antrorsum vel retrorsum inflectentibus: Quandoque observatur Convulsio particularis, non universum corpus, sed quasdam duntaxat ejus partes, caput puta, vel artus, & quidem nunc plures nunc pauciores occupans & vexans: Atque ex hac convulsionum differentia, qua nunc universum corpus, nunc quasdam duntaxat ejusdem partes affici patet, facilius in causam præternaturalem spiritus animales copiosius ad musculorum affectorum fibras propellentem pervenire posse putat: cum enim non tantum particularis, verum universalis quoque excitari queat convulsio, patet 1°. locum primario affectum esse posse ipsum cerebrum ac cerebellum, Initium saltem radicum spinalis medullæ. 2. convulsionis causam esse talemque eo pervenire queat. 3. causam talem esse ut spiritus animales copiosius ad omnes omnino musculos commovere queat: 4. Causam tandem idem effectum vel agitando & cogendo spiritus animales ad musculorum fibras; vel irritando & molestando cerebrum ac cerebellum spinalisvè medullæ radices, ut ab illis, aut ab anima eo adigantur etiam involuntarie iidem spiritus postremum locum habere posse arguit nervi cujusvis punctura, quam mox musculi (cujus nervus est) sequi solet convulsio, ejusdem nervi dissectione mox curabilis: unde deducit 1°. In nervi punctura non impediri transitum spiritibus animalibus ad musculum quin potius majori copia eo allici. 2. In eadem nervi punctura affici præsertim partem nervi membraneam & extimam admodum sensilem non æque medullarem & internam, 3. Ex utroque hoc deducto amplius deducit cerebri ac cerebelli aut spinalis medullæ radicum partem membranosam effici debere, non medullarem ut consequatur convulsio: Sed & probabiliter deducit 4. quemadmodum ex punctura, aut humore acri nervos privatos afficiente observamus produci convulsiones particulares, sic etiam ab humoribus acribus cerebri cerebellique aut spinalis medullæ radicum partes membraneas erodentibus, aut alias incommode molestantibus, produci posse convulsiones universales; uti hoc accidere aliquando observamus in febribus ardentibus aliisque affectibus ab acri humore ortis, & halitus similes *emittentibus*, ipsoque adeo affectu colicum dolorem consequente, ac perperam ad paralysin relata, cum revera ac convulsionem referri queat; An autem præter hanc vellicationem causa aliqua in homine possit reperiri quæ spiritus animales propria vi cogere atque agitare queat, & copiosius in universi corporis musculos ruant, & convulsionem universalem pariant, ambigit; Quapropter in primiffa unica acquiescit causa *Humorum Scil. acrimonia tali, quæ membranosas cerebri cerebellique, & spinalis medullæ, nervorumque adeo omnium partes ita vellicare queat & male afficere, ut eam consequatur impetuosus, copiosus & perseverans spirituum animalium ad musculorum fibras motus, adeoque spasmus sive convulsio.* Vide plura l. c. & in sequ. quæ de causis convulsionis commenti sunt *Willis & Wepfarus*, huc adducta ut affectus adeo abstrusus innotescat.

OBSER-

Observatio II.

Convulsivi motus castrationem sequuti ob processus peritonei reliquias sphacelo affectas.

Duorum puerorum post herniotomiam convulsionibus defunctorum cadavera secui: primus ix circiter annorum 1643. mense Dec. castratus in dextro latere; bene se habuit ad diem sextum usque, tunc ad risum à fratribus & sociis, mox ad iram concitatus fuit ob rem nihili; circa vesperam difficulter deglutire cœpit, postridie non amplius plane deglutire nec os aperire valuit; tertio die nunc à tetano ceu rigidus jacuit, nunc artus & truncus mire à motibus convulsivis succutiebantur, frustra varia adhibita: Post graves exantlatos cruciatus vivere desiit.

Cadaver Basileæ Exc. D. *Platero* præsente aperui, nihil prorsus inflammati, aut aliter p. n. dispositi invenimus quam processus peritonæi reliquias flaccidas, sublividas & quasi sphacelatas, cum portiuncula exigua partium vicinatum, abdominis & petitonæi, corrupela vix ultra uncias duas serpente.

Idem in altero puero observavi ante 20. annos, quem his spasmis herniotomus frigidæ potu & pedum perfrigeratione dedisse ansam opinabatur: Pridem spasmum in gula obortum, post universum corporis habitum ad internecionem usque invadentem adscripsi sphacelo partium istarum nervosarum, originem nervorum in consensum rapientem, verum hactenus quatuor cancros loca hæc undequaque depascentes in viris robustis occupasse observavi, nullo unquam spasmo subsequente, quamvis pus aqueum largissimè ex ulcere stillans, obvia quæque corrodendo acerrimum esse pateret *Ioh. Iacob. VVepferus Tract. de cicuta aqu. p.* 106.

Prout fibrarum motus, seu contractio earumque relaxatio non solum in musculis, sed etiam in ventriculo, intestinis, utero, corde, aliisque partibus manifesta est, & in sensus incurrit, aut certe rationibus firmissimis demonstrari potest, ita quoque certum est alicubi membrana nervosa sola, quam fibræ obtegunt & amplectuntur, aut membrana fibrarum plexus seu fasciculos involvente gravius afflicta aut irritata, fibras alius partis, ab hoc objecto irritante immunis, ad contractiones sollicitari, imo cogi, quod vulgo per consensum fieri dicitur; Iiitæ quæ ad hujusmodi contractiones commoventur, sunt vel partium vicinarum, vel remotarum, vel remotissimarum; Rem exemplis explanare liceat ad *puerorum prædictorum* fatum melius intelligendum; si calculus imprimis asperiusculus & angulosus, relicta parte carnosa renum, seu avulsus à carunculis papillaribus illorum, in pelvim descendat, ac per ureteres ad vesicam ptotrudi incipiat, non solum crudelissimos cruciatus etiam minor excitat, nisi ureteres à plurimis prægressis calculis nondum dilatati fuerint, verum etiam vomitus movet, seu adiguntur fibræ circulares ventriculi ad contractionem, ad ejicienda ejus contenta; imo quandoque fibræ circulares intestinorum & vesiculæ biliariæ ad illam abripiuntur, unde bilis vomitus consequitur, quandoque torminа ventris excitantur & alvus fortiter occluditur; Orificiis scil. ventriculi scil. pyloro & stomacho ab objecto rodente; aliterve vehementius afficiente læsis, cardialgia oboritur, quam non raro leipothymia imo syncope comitatur, scil. cordis fibris diutius in systole constrictis permanentibus, aut quasi atronitis, à motu cessantibus, unde Sanguinis motus vel imminuitur, vel aliquandiu suspenditur, partes calore influo defraudantur, sæpeque plurima mortis imago apparet. Intestinis sævis torminibus excruciatis, sive ob fibrarum pertinaciorem constrictionem, & flatuum aliorumque contentorum detentionem p. n. sive propter illorum subintrationem, in his frequentiorem quam vulgo creditur, sive intestinis in enterocele fortiter compressis, sive ab humore alio ve contento ipsa arrodente sæpissime enormis vomitus sequitur, non solum intestinorum cæterorum sanorum portionibus, sed ipso quoque ventriculo ad motum peristalticum inversum coactis, imo vesicula porusque bilarius ad aliquam constrictionem compelluntur, quamobrem plerumque tandem mere biliosa evomuntur: *Partis remotioris* in consensum raptæ exemplum sit spasmus in principio gulæ, musculorum maxillam inferiorem adducentium & labiorum, consequens aliquando herniotomiam: aliquoties enim vidi post sextum diem à castratione, quandoque tardius hujusmodi ægros primum de quadam deglutiendi difficultate conquestos fuisse, ob quam cibos ex faucibus per gulam in ventriculum potrudere nequierint, subsequente mox spasmo cynico, ac tandem arctissima dentium constrictione, ut nulla vi os diduci potuerit nec liquorem siphone per hiatum à dente evulso comparentem infusum deglutire valuerint, licet mens adhuc constiterit, loquuti fuerint, se famelicos & sitibundos dixerint, idque non una atque altera hora sed diebus aliquot ante obitum, & antequam epilepsia sævissima ipsisque funesta supervenisset: *Remotissimarum partium* consensum nobis ostendunt Epilepsiæ originem ducentes ab extremis pedibus, testiculis, utero, intestinis, ventriculo aliisque magis absconditis, & nihilominus & cerebro & cerebello distantissimis, quæ tamen eò affici necessum est, non solum propter universalem & totius corporis convulsionem; verum etiam ob abolitionem omnimodam sensuum internorum & externorum; hujusmodi motus convulsivos in aliis partibus resultantes, quamvis causa proxima contractionis fibrarum ibi non detineatur, admittit quoque Exc. S. D. *Willis* in Pathol. cerebri c. 1. p. m. 19. ubi fatetur partium nervosarum irritationem motus convulsivos efficere variis in locis à variis rebus etiam fibris incongruis: Res illas vocat venena, qualitatum tangibilium excessus, varia recrementa

menta sanguinis & succi nervosi miasmata febrilia, humores salinos, sulphureos, lumbricos, calculos, &c. Hujus sedem, licet in quavis systematis nervosi parte noxam inferat, utplurimum tamen vel juxta nervosi generis principia, vel extremitates, vel in mediis nervorum processibus, præcipue vero, in plexibus dengi.p.20. Extremitatem exteriorem, seu finem, quam nervorum ultimam expansionem in membranis nervosis & associationem, imo unionem in fibris nerveis vocare soleo, motus convulsivos suscipere, eosdemque quaquaversus transferre concedit, attestatibus convulsionibus sequentibus puncturas nervorū & tendinum, vellicationes in visceribus à pharmacis, humoribus acribus, lumbricis in ventriculo & intestinis, exinde enim motus convulsivos non solum in partibus affectis resultare, verum etiam, indifferenter in alias quascunque partes retorqueri: huc pertinent aliquomodo illa quæ cap. 6. tradit de motibus convulsivis, quorum causa circa nervorum extremitates subsistit modus quo fibræ partium vicinarum coafficiuntur, ac ad communem contractionem stimulantur, forte non adeo obscurus est, & concedi potest illud fieri ob membranam nerveam cum ipsis continuam, aut propter nervos ab eodem ramo oriundos, quod explicant similitudine chordā in extremitate tensæ, ejusdem tensionis sensu ad principium ipsius pervadente, hoc locum habere creditur in consensu renum, intestinorum & ventriculi, item intestinorum & ventriculi, ut & hujus & cordis: attamen in partium remotiorum, aut valde distantium, vel ob hanc unicam rationem explodenda videtur, quod partes intermediæ, aut his viciniores, licet eorundem nervorum participes sint, à contractione immunes sint: imo illæ ipsæ partes, in quibus minera seu fomes convulsionum detinetur, non raro nihil convulsivi patiuntur: Quidam ut hanc compassionem creduli obtrudant, maxime in convulsione universali, seu epilepsia partium distantiorum læsionem subsequente, præviam in nervorum origine dispositionem, & apparatum causæ morbificæ comminiscuntur, quidam inde aliquid vitiosi à parte ægra cerebro transmitti opinantur: verum citra apparatum morbificum circa originem nervorum epilepsiam excitari aliquando hinc manifestum fit, quod sæpe quidam hac corripiantur quoad cerebrum & cerebellum sanissimi, sic adoritur illa quosdam à punctura nervorum, morsu viperarum, infantes corrupto lacte & pultibus in ventriculo & intestinis; eandem excitant quoque lumbricii, venena quædam in ventriculo subsistentia, nec ejus pomoetia egressa: deinde sæpe illa tollitur causa morbifica ex parte primario affecta, nullo vel exiguo ad cerebri roborationem habito respectu vel medicamentis præcipue ad illius curationem directis: Communicatio causæ morbificæ, ejusque ad cerebrum transmissio in multorum ore est, plerisque de viis & ratione, qua illuc transporterur, non usque adeo solliciris, scil. sufficit illis ξύῤῥοια, ξυμπάνοια καὶ ξυμπαθέα πάντα εἶναι, vapores & flatus ab utero, liene, ventriculo, intestinis aliisque partibus imi ventris caput petere, atque hujusmodi tumultus ciere, sæpe a vulgo Practicorum auditur, interea nulla cura ipsos tangit quomodo diaphragma & pectus, undique pleura succinctum perrumpant aut cranium ac duram matrem in vasi ad cerebrum & cerebellum usque transeant, si omnino concedatur orificia stomachi hiare, non bene claudi, & hæc μίασμα ad fauces usque pertingeres non perpendunt à partium istarum membranis ita coerceri, ut alibi potius & per parentia oscula, ipsorum excretioni dicata exitum quærant quam sursum tendant. Ex fomite hujusmodi per nervos humorem vel vaporem caput adire mihi avero plane alienum esse videtur, cum circa extremam suum finem vel in membranas expandantur, vel cum fibris, quæ membra densa & solida sunt, in unum coalescant; in partibus enim istis nervi vel terminantur, vel si illas permeant nihilominus propriis membranis involvuntur, ut nihil horum imbibere possint, & licet aliquid hujusmodi poros memoranarum subiret, neutiquam tamen ulterius progrederetur, obstarent fibrillæ transversæ nervorum fasciculos colligantes, temoram facerent ganglia frequentia tum nervorum spinalis medullæ tum cæterarum partium. A venis & vasis lymphaticis ab his partibus aliquid resorberi, item e ventriculo & intestinis potiones venenorum assumptorum chylo & sanguini permisceri non nego, quin etiam concedo sanguinem hunc inquinatum undiquaque cerebrum, cerebellum, medullam oblongatam & spinalem, nervorumque caudices & fasciculos subintrare, nam intra anfractus cerebri & laminas cerebelli manifeste ingrediuntur illorum substantias arteriæ capillares innumeræ, atque transversim incisis cerebro, cerebello, medulla oblongata & spinali, guttulæ sanguinis emicant, & dextre diremptis medulla spinali, & nervorum fasciculis, invisum incurrunt vasa sanguifera capillaria: quamvis autem è fomite partium distantissimarum à cerebro particulæ quædam, alias generi nervoso inimicissimæ abripiantur, & sanguini permisceantur, non tamen, licet quoque ad originem nervorum continue vel etiam per exiguum temporis spatium deferantur, epilepsiam hanc efficere videntur, nam ptimum non continuam epilepsiam excitant, sed sæpe longæ induciæ conceduntur illis ab epilepsia, qui hanc per consensum patiuntur: deinde tolluntur sæpe omnimode fomite sublato, quamvis particulæ adhuc sanguini commixtæ sint; denique pessimæ notæ particulæ, illæque acerrimæ sæpe sanguini confunduntur, à quibus nunquam vel rarissime epilepsia excitatur. In lue venerea affectis sanguis abundat particulis non solum carnes depascentibus, sed ossa quoque alicubi instar stygiæ aquæ arrodentibus, neminem tamen epilepticum hac sola affectum evasisse vidi. Plures quoque cancro affectos cognovi ab epilepsia immunes. Quamvis uno dubio teterrimi humoris particulæ à venis resorbeantur & sanguini permisceantur. Prætereo ulcera diuturna, lepram phithisin aliosve generis hujusce morbos, in quibus certo certius in massā sanguineam redundāt humores nulli acrimonia cedentes, nec minus nervoso generi infesti, quibus tamen nunquam epilepsiā supervenisse observavi.

Ad rem hanc obscurissimam explicandam aliquomodo necessario statuendus videtur *Præses* aliquis *toti Systemati nervoso præfixus*, qui quandoque hos tumultus imperet, quamlibet enim motum animalem præcedit perceptio & cognitio aliqua, hanc sequitur appetitus rei gratæ aut aversio reinoxia, à quibus imperatur motus, qui quod imperatū fuit exsequitur, de quibus videatur *Glisson de percept. & appet. natur. Et de gula, vent. intest.* in quibus solide tractat hoc argumentum.

Hunc Præsidem *Helmontius*, tum in his motibus convulsivis, tum alibi, in servitutum expediendis nodis difficilibus, vocat *Archæum*: Præses iste non est voluntas, quia invitis partibus motui dicatis tumultus isti cientur: Appetitus sensitivus commodius appellaretur, cum potissimum ille motus animales fibris peragendos privatim & publice post perceptionem, partibus naturaliter se habentibus imperet, nihilominus tamen in motibus præternaturalibus imperandis & hic appetitus, si non dubius certe admirandus ægris operamdantibus quotidie apparet. Duorum puerorum &c. (*vide textum*,) observavi parotides cancrosas omnia ad collum usque depascentes, Epulidem cancrosam totam maxillam consumentem &c. nullus tamen vel comitem habuit epilepsiam, vel ante supremum diem illam expertus est: hi omnes varii generis dolores, urentes, prurientes, pungentes, lanian antes sustinuerunt, nec unquam τὸ ἐγκέφαλον, vicinum ita in consensum fuit ruptum ut inde artus aliæve partes convellerentur. Infantibus dentientibus, tormina patientibus &c. epilepsiam accidere nemini ignotum est; adultiores odontalgiam, podagram, colicam hemicraniam, cephalæus &c. summopere excruciantes experiuntur, quorum nec centesimus inde epil. patitur, licet plerumque colica ab intestinorum convulsione præcipue pendere, & podagricis spasmus flatulentus sæpe graves molestias pariat & dolores exasperet. *Præses iste systematis nervosi* non minus ab aliorum sensuum quoque objectis percellitur, ac non raro convulsiones universales imperat: Quis non à fragore valido, subito & inopinato edito percellitur, ita ut artus succutiantur & cor ad tremorem quendam commoveatur? quod non fieret nisi objectum hoc terrificum ad phantasiam delatum præsidi ceu res terrifica sisteretur, sunt tamen quoque qui nec ab horrendissimis spectris, nec a bombardarum tonitru perturbantur, maxime qui sensus exercitatos & his assuetos habent. Existentiam autem hujus *Præsidis* nervosi sit argumenta confirmant, ut nemo sana mente præditus eam rejicere queat, imo credo esse substantiam & quendam ζωτικὸν spiritum in sacris literis, in animalibus quoque animam viventem vocatum ab interpretibus, à Philosophis animam sentientem, cujus petiisse qua sit anima vegetans, quam nullomodo accidens, nec corpuscula varie disposita, seu elementorum Aristotelicorum, seu chymicorum, seu Cartesianorum esse, admirandæ actiones quæ in generatione, partium formatione, nutritione, & omnino in omnibus vulgo dictis animalibus; tum brutorum tum præcipue hominum quotidie observantur, abunde evincunt, & quamvis non penitus assequar quomodo spiritus, omnis corporeæ misceIæ expertes in corpora agant, nolo tamen propterea in Sadducæorum castra transire, qui quidem Angelos & Spiritus esse negarunt; potius in his summum creatoris potentiam, sapientiam & bonitatem quoque admiror, qui in rerum primordio cuilibet speciis animalium sapientiæ suæ & potentiæ characterem impressit, ac in mandatis dedit quid secundum quamlibet speciem, dum vivunt, agere debeant. Non tamen nego hunc Archæum indigere singulorum sensuum instrumentis & spiritibus animalibus, seu corpusculis subtilissimis, tum ut ad actiones pelliciatur, tum ut illas iste perficere valeat &c. An Præses iste motus consilio & quodam juvandi studio imperet? in sanis dubitare non licet, at si p. n. hoc fiat, maxime in motu universali, seu in Epilepticis insultibus, valde ambiguum est, nam cum in illis quoque cordis, diaphragmatis, pulmonum &c. fibræ convellantur, cumque ab harum partium constrictione mors interiretur, quandoque inferatur, cum quoque omnia sursum deorsumque ferantur, & maxima consilii inopia ubique appareat, nullum vel minimum opis præstitæ indicium emicat. Verum utcunque omnia molimina Præsidis potius interitum quam auxilium polliceantur, certum tamen primos nixus susceptos fuisse ad excutiendum & abigendum quod instrumento cuidam sensorio infestum fuerat, & si fine suo frustretur, irritaminis potius vehementiæ quam ipsius conatibus abscribendum esse, unde periculum à nimio opitulandi desiderio imminens compescimus in Epilepsia, si aliorsum ipsum avocamus, frictionibus & vellicationibus dolorificis, spiritibus & balsamis acrioribus aliisve similibus, & postea demulcentia sensus, imo quandoque obstupefacientia & opiata exhibemus; atque hac ratione, ut nunc loquuntur, Archæum furiosum mansue facimus. *Idem ibidem.*

Observatio III.

In Puellâ miris convulsionibus, cum aliis etiam symptomatibus, exagitata, varia in omnibus ventribus reperiuntur.

Puella decem annos nata, parentibus sanis similibus orta, ab infantia ranarum, lacertarum, murium, carbonum, cœciliarum, imo & serpentum, omnisque insectorum generis comestione mirè delectabatur, ut quæcunque etiam occurrerent avidè deglutiret. Annum ætatis circiter quintum agens de doloribus ventris & capitis balbutiendo conquerebatur, cùm per totum vitæ curriculum pronunciare nec verbum valeret. Emaciabatur sensim misera, dolores perseverabant, tantâ interdum atrociâ affligentes, ut bestialiter debaccharetur, humique ventre serperet. Varia à variis agyrtis, carnificibus &c. adhibuere parentes remedia, ægrè verò his doloribus eluctata (puella) quolibet paroxysmos convulsivos, horis incertis, & sub specie multiformi redeuntes habuit, maximè tamen manè & sub vesperam ventriculo jejuno existente invadentes: redibant hi trium annorum spatio singulis diebus, ultimis tandem annis typum & naturam mutantes, capitis hic ibi allisione & succussione, per hypocaustum veloci cursitatione, atrocique stipari ejulatû redeuntes; per plures sæpe horas hujusmodi motus, stridoris dentium &c. reciprocationes obire solebat, per totas interdum ædes cursitans, caput parietibus allidens, eique simul insistens. Agyrtarum medicamentis parùm valentibus tædio affecti, barbitonsoris cujusdam opem implorarunt parentes, qui partim per superiora, partim per inferiora emeticis aliis catharticis adhibitis lumbricos diversæ magnitudinis diverso tempore ad quadraginta expulit; succedebant à fortiore dato emetico duo serpentes aqua-

aquaticis similes, longitudinem dimidiæ ulnæ habentes digitum parvum craffi; Vivaces valde erant, nec bene contineri poterant, asservabat eos barbitonsor in vasculo luteo leviore operculo tecto, unde ea nocte exsilientes proculdubio, manè nec vestigia amplius apparebant, nullibique nec videri nec deprehendi poterant, sed cum vasculum extra fenestram fuerit positum, facillimè in subjecta prata recipere se poterant: unde tamen infandus in vulgo rumor obortus, puellam dæmone obsessam vivos duos evomuisse dæmones, qui statim nullibi deinceps visi seu reperti, evanuerint. Mitigatæ posthinc convulsiones sensim remisere nec ad finem usque rediere; sed ventriculus spasmo affectus assumpta nunquam retinebat, verùm quævis ingesta vomitu reddebat: barbitonsor ab hoc malo liberaturus, miseræ tres venas secabat, ab hinc indies viribus & corpore deficiens, inclemente hoc fato abrepta animam luit. Quantum licebat, ex morte ejus in prædicti morbi diagnosin, omni parentes pejoris suspicione liberaturus, inquirere satagebam: proinde à Reverendissimo Abbate cadaveris dissecandi veniâ impetratâ, symptomatum in hoc affectû præcipuè urgentium rationes & vestigia clariùs patebant. Cutis per totum erat discolor, in hac parte livida, in illa flava, in ista subnigra apparebat: musculis abdominis in membranas penè emaciatis, detractis, idque cum aperiretur, tetrum spirabat odorem; omentum consumptum ferè erat, glandulæ Mesenterii induratæ erant. Ventriculus & intestina bene colorata, facie externâ satis bene habebant. Sed ventriculus valdè inflatus, apertus materiam liquidam cineritiam, plumas compactas, fila, continebat, ejusque tunica interior absque plicis aut rugis plana evaserat: Intestina tenuia maximam partem erant inanita, flatibus solùm distenta, utpote quæ in perpetuas ferè evacuationes sollicitata fuerint, quæ etiam pluribus in locis mutuo involvebantur parte unius superficie convexa in alterius concavam intrusa; intestina crassa fecibus substantiæ tenuis impensè ex rubro flavescentibus penitus oppleta conspiciebantur, & quod mirum! nec ulla, vel in ventriculo vel toto intestinorum tractû, semina, quæque vel augurari liceret, etiam sedulo investiganti prodiere. Hepar à sana constitutione plurimùm desciverat, fuit namque tumidum & subdurum, per totam substantiam merè ochraceum, exsangue prorsus & exsuccum, in unicum continuum lobum concretum; vesicula fellea ei adnata bilem prorsus viridem continebat. Sanguis in vasis inferioris regionis contentus colore cum hepate conveniebat; Lien, qui histrionibus pessime semper audierat, fuerat prorsus insons, & quavis culpa immunis apparebat, prout in maximè sanis observamus, fuit subatri coloris, mollis & superficiei æqualis, è compage ejus dissecta sanguis copiosus rubicundus effluxit: Renes culpa non omni carebant, quos duriores multò membranarum contextui penè involutos reperimus; alter eorum insuetatæ erat figuræ, in plures scilicet lobos findebatur. Pulmones colorem monstrabant lividum & ichore spumoso tenui penitus infarcti videbantur. Ex utriusque cordis ventriculo polypos eximimus, sanguis in substantiam nempe solidam flavescentem concreverat, quæ juxta cordis & vasorum in pulmones ascendentium cavitates effigiata omnes meatus pertransiit. Nec minus clara morbi hujus vestigia in capite deteximus, nam calvariæ ossa cum difficultate detecta (dura enim mater suturis firmissimè inhæsit) statim vasa meninges perreprantia sanguine plurimum turgescere conspiciebantur, quasi major cruoris massa in capite aggereretur, venis namque imi ac medii ventris sectis aut ruptis parum sanguinis effluxit. Pars cerebri corticalis & ejus anfractus undique gelatinæ simili humore referti fuere. Integumentis cerebri substantia prorsus madida & humore seroso supra modum irrigata videbatur, qualis tamen nulla colluvies ventriculos inundabat; acriter hic humor linguam mordebat, ingrati saporis existens. Plexus choroideus grandior, subdurus & nigricans existens plurimùm à naturali deflectebat: Conspeximus glandulæ pinealis insignia crura medullaria; Pituitaria verò glandula liquata quasi & dissoluta à viscosiore lympha, quæ omnes ferè partes irrigabat, vix discerni poterat, digitis contrita instar grandiorum arenularum ossicula plura, ipsi adjuncta obveniebant; Paria nervorum ad sensus facientium grandia duodecim monstrabamus: quas raras etiam demonstrationes adstantibus dedi, eas huc addere supervacaneum censeo, sæpius rariora etiam examinanda mihi occurrunt, quæ in aliud tempus differam. *D. Sylv. Sam. Antonii in Miscell. Curios.*

Observatio IV.

Convulsiones miræ per annos durantes, à tumore scirrhoso super lumbos posito.

Puella quædam nostras honestissimis parentibus oriunda, per duos annos integros miris agitabatur convulsionibus, quibus non solùm totum corpus contractum fuit, sed etiam sensuum primariorum organa inter dum ita læsa, ut per octodecim menses oculis suis orba degeret, nulla tamen opacitate, aut in tunicis, aut in humoribus apparente: Præterea per aliquot menses, eosque non continuos, at per intervalla longiora, vel breviora, interruptos, surda prorsus viveret; imò identidem loquelam amitteret; perstantibus interim doloribus atrocibus iisque perpetuis ac indefinentibus, quorum conditionem & naturam vix subinde explicare poterat, cùm tamen mens omnino sana ac immota per totum morbi decursum permaneret. Omnis generis sunt adhibita remedia pro tam crudeli debellando hoste, sed omnia incassum;

unde etiam superstitiosi quidam, quibus, quicquid propriæ non subjacet conceptioni, naturæ limites transgredi videtur, suspicabantur diabolicum quid hic subesse. Verùm ineunte mense Novembri anni præsentis 1692. ægræ nostræ corpus sensim se expandere, viresque deperditas ita resumere cœpit, ut per urbem lento passu ambulare, quamvis non perfectè erectâ spinâ, imò sacrum cœtum frequentare bis aut ter potuerit, sicque Parentes spe integræ convalescentiæ non parum lactaverit, cùm præcipuè viderent, & dolores, & oculorum, & aurium atque organorum voci dicatorum affectus, tum temporis etiam valedixisse. Interim brevis admodum fuit triumphus quem de victoria contra morbum, imò (ut etiam ipsi vulgi erroribus & delitiis, non satis liberi, aliquatenus credebant, (contra diabolum parta) celebrabant, siquidem medio circiter Decembri prædicti anni dolores recruduerunt, comitesque habuerunt spasmos tam atroces ut sexta post sui recursum die misellulam hanc enecarent anno suæ ætatis duodecimo. Sic nobis occasio data morbi tam abstrusi causas intimiùs rimari, quare cadaver cultro nostro subjectum die vicesimâ primâ Decembris, quô sectionem à capite orsi in eo sanè nihil cui affectum referremus, apparuit; nam neque in cranio, neque in dura aut pia matre, illiusque finibus, neque in substantia cerebri glandulosa, corticali dicta, fibrosaque, seu potius tubulosa, callosa vocitata, neque in ventriculis, ac plexu choroide, neque juxta nervorum quæ creduntur origines, ac præcipuè juxta eorundem è cerebro egressum, aliquid extranei se manifestavit, præterquàm seri parum inter cerebrum & duram meningem effusum, quodque ejusdem portiuncula in filamenta congelata ac polyposum quid efformans, in sinu falconaro cernetur. Observavimus autem in hac juvenili ætate quòd cerebrum foret solito compactius & firmius glandula pinealis pellucidior, omnesque protuberantiæ, quibus nomina dantur, tum natium, tum testium, tum protuberantiæ annularis, tum illæ quæ secundùm V. Willisium faciunt corpora striata, thalamosque nervorum opticorum, &c. distinctiores ac magis quàm in aliis cerebris elevatæ, viderentur. Propterea tam liber erat spirituum in hoc viscere commeatus, ut ratio ac memoria expeditior & promptior in nostrâ puellâ fuerit, quàm in aliis ejusdem ætatis familiare sit.

Thorace postea reserato, reperiebam pulmones justo crassiores, &, si ita loqui liceat, de corpore vere vesiculari, carnosiores, per sui partem superiorem duorum digitorum transversorum longitudine pleuræ quàm firmissimè adnatos. Cor parvulum, sed aliàs bene constitutum in tota substantia, ventriculis, valvulis, earundemque columnis; nec minus bene se habebant auriculæ, nisi quòd dextra tumidior, in se complecteretur ad integram plenitudinem serum congelatum, quô conficiebatur unum ex iis corporibus quæ polyposa dicunt, magnitudine nucis juglandis mediocris.

Recluso tandem Abdomine in eo veram morbi originem reperiebamus: de qua mox. Hepar erat grandius, & per totam sui partem gibbam ad extremas propè oras tum diaphragmati, tum peritonæo ita adhærens, ut ab illis sine laceratione divelli nequiverit; substantia tamen ipsius integra ac interneratа, Glandulæ mesentericæ non tantùm multò grandiores, numerum etiam ordinarium non parum excedebant, & materia sebacea ad absolutam turgescentiam replebantur, ac pluribus in locis rete quodam è vasculis varicosis confecto circumcingebantur, quibus vasis sanguis grumosus, ac quasi tostus continebatur. Quod verò nostram præcipuè meruit attentionem, fuit corpus aliquod glandulosum, & pluribus sui partibus propè cartilaginosum, lumborum omnibus vertebris ita firmiter connexum, ut ab ipsis nulla vi, sine totali laceratione divelli potuerit. Erat autem è pluribus corpusculis ovalibus, rotundis ac angularibus, racematim dispositis, solidiori ac asperiori tunica conclusis, contextum, duos pollices crassum, quinque latum, sicque ad dextras ac sinistras, prædictas omnes vertebras firmiter cingens. Eò autem attentionem nostram meruit, quod in illo videremus veram causam omnium symptomatum quæ puellam hanc miserè excruciaverant. Corpus enim illud, primò proprio pondere, ac etiam duriotibus tuberculis iisque angulosis quibus ex parte conficiebatur, lædebat plexus aliquos mesentericos, graviùsque comprimebat nervulos illos qui è vertebris lumbaribus emanantes, obviam eunt ramificationibus quibusdam prædictorum plexuum, quibuscum coëuntes, cum iis postea distribuuntur in varia abdominis viscera: sicque procreabat ex parte irritationem illam spasmodicam tum totius corporis trunci, tum illam in specie quæ & oculos, & aures, & organa vocis, affligebat. Secundò acrior humor qui è tam malignô fôco necessariò& continuò exudabat non parum vellicationem hanc convulsivam augebat. Sic autem mens non minùs immota perstabat, ut neque minus manet immota in pluribus ex iis convulsionibus quæ à punctione in aliqua corporis parte extra cerebrum posita eveniunt. Eo autem tempore quo corpus se expandere & postea lentè ambulare ægra cœpit, spinam perfectè erigere non valuit, quia vincula per tumorem descriptum vertebris lumbaribus injecta non permittebant ipsarum liberam extensionem, etiam si per excussionem factam pro tempore materiæ spasmodicæ, propter rationes nobis incognitas, cæteræ partes tum liberæ forent.

Hic

Hic quamvis extra ordinem,

Historia & Anatome Rustici, Hydrophobiâ, secundo mense post acceptum à Cane rabido vulnus, correpti & extincti.

Agricola trigesimum sextum ætatis annum supergressus, in pago monchenstein Agri Basiliensis D. 14. Ianuar. 1687, summo mane ad vicinum stabulum, insignem proprii canis latratum, mox ejulatum audiens vehementem confestim è lecto surgit, forasq; egreditur, visurus quid sibi insolitus iste clamor vellet, cumque jam stabulo appropinquaret, en rabidum canem alienum, per prata nivibus obtecta, obviam sibi cum furore currentem, cujus intuitu perterritus, famulum statim in auxilium evocat, inermis ipse, nec nisi indusio vestitus. Nondum advenerat subsidium, cum jam à cane illo magno & robusto, quemque adeo lupum rapacem primo conspectu credidit esse, impetuoso adgressu invade retur: ancipiti hinc Marte aliquandiu dimicatum usque dum ambo humi prosternerentur, ipseq; Rusticus antequam famuli opem expetiretur, in brachio manuque sinistra haud levia exciperet vulnera: Liberatus vero tandem à cane securi percusso, in lectum revertitur, vulnera Lacertatum, quod fortè habuit, oleo inungit, linteisque calente vino immersis ligat, & Aurorâ pos imminente medicum ex urbe nostra accersit, virum in Praxi versatissimum. Hic verò statim cum perito Chirurgo ad Ægrum properat, inspectisque vulneribus, remedia interna Alexipharmaca, Theriacalia, venenum absorbentia & expellentia; Externa autem, præter vulnerum scatificationem & cucurbitularum, deleteriam rabidi animalis salivam extrahentium applicationem, præcipitantia, absorbentia præscribit, nihilque adeò intermittit eorum quæ contra morsum canis furibundi commendari, & cum fructu usurpari consueverunt. Succedere hinc omnia bene videbantur, nulla symptomata suspecta hominem prehendebant, nec quicquam deleterii, sive in sanguine aut spiritibus sive in vulneribus animadvertebatur: non sitis urgebat, nec appetitus minuebatur; Brachii quoque ac manus affectæ inflammatio, Fomentis è decoctoPlautarum traumatico-aromaticarum sensim discutiebatur, ipsa quin & vulnera, laudabile pus manantia, tandem septimâ Post morsum hebdomadâ, ad cicatricem feliciter perducta fuerunt. Sic ergo Rusticus sibi visus integrè restitutus, muniis suis per plures dies, sine ullo incommodo defungitur, suoq; indulgens genio, diu prohibitum vini usum repetit, & velut resarturus quidquid neglectum autumabat, athleticis haustibus generosioris potùs aliquoties sese inebriavit. Illucescente hinc d. XIV. Mart. ejusdem anni in urbem nostram venit, meoque consilio (dum interea prior ille medicus febri malignâ obierat) usurus narravit, se præteritâ nocte quoad lecto incumbebat, maximum dolorem lancinantem, pungentem atque gravantem, in loco acceptorum nuper vulnerum persensisse, extra lectum verò dolorem mitiorem esse Lustro hinc brachium & manum, vulnera observo benè consolidata, neque dolor in eorum locis magis quàm alibi in brachio sæviabat; sed in extremâ inde manu incipiens, æqualiter versus Axillam usque pergebat, sine ullo tumore, aut colore cutis mutato: Exploro dein reliquum corporis habitum, quem etiam carnosum beneque habentem offendi: constabat adpetitus, nulla sitis molesta aderat, de lassitudine tantùm aliquali conquerebatur. Quibus singulis ad animum probè revocatis, protinus in suspicionem incidi præsentis adhuc è cane rabido veneni; atque hinc statim jussi plures cucurbitulas, cum scarificatione fortiore Brachio affecto & Dorso adplicare, quin & juncturas brachii unguento, ex ossium medulla, axungia canis, oleo scorpionum, lumbricorum terrestrium, ac spiritu Theriacali concinnato frequenter inungi curavi: Pro interno autem usu præscribo pulverem ex antim. diaphoret. Ebore ppt. Myrrhâ, ocul 69. cum Theriaca pro aliquot dosibus, Mane ac Vesperi in aqua scorzon. card. bened. Scord. ac syr. acerositatis, citri, ad sudorem proliciendum, sumendis: jungo his mixturam cardiaco Alexipharmacam cum confectione Alkermes, per cochlearia hauriendam. Quibus per diem atque noctem, nescio quâ diligentiâ usurpatis, cùm postridie dolor nihilominus major urgeret, ipseque Agricola cum fortè audiret, eundem non nisi à morsu canis rabiosi malè curato suam originem trahere, seque pro in mortem haud evasurum, nisi carnificis, in medendis ejusmodi morsibus magis periti, auxilio uteretur, ad ipsum sine mora cum uxore in urbem properat, ei historiam mali ab origine pandit, tandemque ab ipso impetrat unguentum fortè & aliquid internè propinavit, quod tamen Agricola fateri noluit. Sub vesperam, benè interea potus domum revertitur, sibi unguentum inungi patitur, haustoque simul ovo sorbili, in lectum se componit; sed vix elabitur semihora dum miser ille jam incipit frequentissima cum ejulatu suspiria ducere, spiritum altiùs magno cum labore, imo & tremulo plerumque cum palato, erectaque cervice petere, ac insimul aquam liquidaque omnia horrere. Anxietas hinc pectoris subsequebatur prægrandis, ut, quo se verteret, nesciret. Die insequente XVI. ad Ægrum sollicitatus, eundem deprehendo Hydrophobum, ac eo prorsus modo, ut jam narratum, patientem, sed ratione utcunque sanâ utentem:

offero aquam fontanam, offero juscula, offero mixturam cardiacam; ast momentaneo saltem, horum singulorum intuitu, statim angebatur, quàm maximè exiliebat è lecto, brachia pedesque concutiebat, ac de loco in locum sine quiete movebar, spiritum non nisi cum spasmodicis colli pectorisque motibus ducebar, subinde clamores & ejulatus miscens, ita interruptos, ut latratum canum non tàm quoad sonum vel vocem, quàm quoad repetitas toties faucium & pectoris concussiones nonnihil referrent: loqui cupiens dimidiata saltem verba, ob anhelitus brevitatem effari poterat. Iuxta hæc autem nullus unquam in Ægro deprehensus: est furor, quo adstantes morsu impeteret aut vulnerare gestiret; quin rationis sufficienter compos, in tanta angustia præcordiorum mortis horam unicè petiir. Sitim interea passus est inextinguibilem, bibere vel non valens, vel non audens: si fenestræ, si fores aperiebantur, symptomata statim vehementiora reddebantur, non secus liberum aërem atque liquida horrens. Laboriosa autem ista respiratio, licet subinde mitior evaderet, difficilior tamen usque redibat, sudorem post se trahens frigidum largissimum, qui Ægrum ad mortem usque comitatus est. Quantumcunque autem in hoc statu liquida omnia fugiebat Æger; aut eadem cum insigni perpetuoque singulorum membrorum tremore, velut unoquoque momento suffocandus, difficillimè hauriebat; à solidis tamen non ita sibi metuebat, quin sive panem sive Electuarium alexipharmacum confortans à me præscriptum, sive alia crassioris consistentiæ, facilius admittebat, & cum spe levaminis cupidè quidem, sed tamen non sine aliquo labore deglutiebat. Conatus vomendi interim sæpè Ægro simul molesti extiterunt, sed irriti: per alvum verò aliquoties in hoc statu dejecit, urinasque emisit paucas easque lixiviosas: Pulsus fuit succutiens & debilis; musculorum tendines hinc inde, vibrativo motu, tantùm non continuè subsaltârunt, Abdomen nunquam intumuit; brachium quoque neque in magnitudine, neque in colore mutatum fuit, vel saltem, duodecim ante mortem horis mihi nihil tale præter naturam apparuit. Sub finem autem conquerebatur, dolorem, non brachium saltem occupare, sed ab eodem versus pectus quoque & cordis regionem tendere, majoremque de momento in momentum respirandi difficultatem parere. Cum itaque neque interna remedia commodè assumere posset, neque externa quidquam valerent, tandem miserrimè, quamvis absque præcedaneis convulsionibus, expirante decimâ sextâ die Martii, circa mediam noctem, suffocatus est, symptomata Hydrophobiæ horrenda, ultra triginta horas perpessus.

Quindecim à morte horis ad cadaveris interanea lustranda, unà cum aliquibus Mystis Apollineis quos inter eminuit Experient. Dn. D. Iohannes Hoferus, Poliater Mülhusinus, excurri & sequentia notatu dignissima observavi. Cicatrices vulnerum acceptorum neutiquam rubicundæ vel lividæ, sed cutis naturali colore præditæ adparuerunt. Verùm in humero & scapula ejusdem lateris, ut & in reliquo dorso insignia statim gangrænæ & sphaceli indicia conspiciebantur; livebant enim hæ partes maximè, livorque se anterius extendebat usque ad pectus sinistrum. Aperto Abdomine intestina se se statim obtulerunt, minimè quidem inflata, sed hinc inde rubicundis quidem maculis, ceu totidem inflammatiuncularum signis, conspersa. Incisus dein ventriculus, paucam exhibuit crudi, turbidi, subflavi, minusque fœtidi humoris quantitatem, in quo moleculæ quædam flavæ, vitello ovorum indurato persimiles, ac pro reliquiis ovi ante obitum comesti habitæ, continebantur, In ipsis autem stomachi tunicis itidem rubicundæ maculæ, præprimis circa utrumque orificium, deprehensæ sunt, prædictis intestinorum latiores. Reliqua abdominis viscera sana prorsus animadverti; dum verò Thoracis cameram detegebam, eandem undiquaque sanguine suffusam ex rubore livescentem, non sine insigni stupore conspexi.

Pulmo circumquaque Pleuræ adherescens, concreti sanguinis molem referebat, usque adeo extravasatus & coagulatus sanguis plerasque ejus vesiculas adimplevit, alicubi magis, alicubi minùs, ut hinc inæqualis tumor pulmonum cerneretur.

Interstitia membranosa cartilagineorum Asperæ Arteriæ circulorum intensissimè rubebant. Diaphragma etiam, quâ costis fuit vicinus, siderationis incipientis vestigia, suo simul præternaturali rubore & livore monstrabat. Tandem sive cordis ventriculos, sive vasa circa illud majora aperiebam, sive Pulmones mille locis incidebam, nullibi nisi concretum sanguinem omni propemodum sero fluido destitutum reperire licuit.

QUanquam ergo plura sint, quæ ex historiâ prolixius exhibitâ inferri & disci queant, hactenus vel ignota planè, vel minùs accuratè animadversa; brevitati tamen studentes, paucula saltem porismata inde educta offerimus & quidem.

1. Inde liquere arbitramur, Hydrophobiam à rabie canina magnopere discernendam esse, cum in illâ ratio constet, in hac autem Ægri eum furore delirent, Hydrophobus qui est, commodè adhuc ratiocinatur, & non nisi invitus plures membrorum motus patitur; membra ipsius citra animæ voluntatem, velut in Epilepsia aut rigore febrili, moventur, tremunt, & ad conspectum liquidorum, vel ad auræ liberioris admissionem, succutiuntur. Hydrophobus noster Agricola interrogatus, cur non quieti sua tradere membra, suosque artus

actus stideret, respondit statim, se non posse, quantumcunque velit & tentet, continere artus, sibi invito contingere omnes illos motus. Ita Schenkius in obs. suis adduxit exemplum Hydrophobi, qui adstantes precatus est, ne propius accederent, se enim nescire sibi imperare, quòminus dentibus eos non impetat. Qui verò Rabie laborat, protinus is rationis est expers, quique adeo non delirat, saltem et furibundas actiones committit, sed et inconditos sermones, aut ejulatus vel clamores horrendos edit, adstantes etiam sine discrimine adoritur, morsibusque cum furore impetit.

II. Patet ex historia, Hydrophobiam non semper cum Rabie existere et conjungi: quod si enim venenum minus potenter et copiosè in laticem spirituum fuit admissum, Hydrophobia sola producetur: si autem æquè spirituum ac massæ sanguineæ rivos subiit, & in utroque latice turbas excitavit, tum & Hydrophobia & Rabies simul jungentur. Atque hinc inferimus,

III. Hydrophobiam absque rabie sæpius, nunquam verò Rabiem caninam absque Hydrophobia existere posse Rationem addimus hanc, quod in Rabie spiritus animales à specifico veneno turbati sint, & specifica ista veneni qualitas ita latere nequeat amplius, quin simul in nervos pneumonicos impingendo, eosque contrahendo & crispando, stagnationem, extravasationem atque coagulationem humorum deleteriam excitet. Adde quòd, venenum tale spiritibus vix communicetur, nisi simul & ipsi sanguini insit, aut inferatur.

IV. Discimus inde, Hydrophobiam non statim vulnus à cane rabido illatum subsequi; etenim secundo demum mense post Agricolam illum invasit; in aliis vêrò nunc citius, nunc tardius exortam fuisse, Observationes testantur. Ita *Hieron. Fracastor. libr. 2. de morb. contag.* se puerum vidisse memorat, octo demum menses ab accepto morsu Hydrophobum redditum, & statim mortuum. *Dodonæus observ. med. cap. 12.* exemplum habet adolescentis, trigesima à morsu die Hydrophobi redditi & extincti. *Baldus*, insignis ille jureconsultus à catulo suo, quem amabat, in labio leniter morsus, quarto post mense phanaticus obiit, referente *Parao lib. 20. cap. 14. Gesnerus Epistol. l. 3. p. m. 82. ad Cosmum Holzachium* scripsit, Lithotomum quendam Tigurinum, sex vel septem hebdomadas post vulnus impetratum, Hydrophobiâ correptum, miserè intra biduum interiisse. Ut taceam plura aliorum exempla, quibus post annum unum, pluresve demum ab inflicto vulnere, Hydrophobia atque mors obrigit.

V. Si verò quæras hic, cur Hydrophobia non semper morsum rabidi canis subsequatur? Ratio in promptu est, quoniam *primò* venenum, quod in salivâ rabiosi animalis consistere credimus, non semper in vulnus immittitur, aut saltem non ita profundè ut non citò iterum vel inde extrahi, vel præcipitari, & suâ corrosivâ qualitate privari queat. *Secundò* vulnus subinde duntaxat leve est, non capiens aut retinens facilè salivam deleteriam, à quâ morbus ille produci debet. Et *tertiò* frequenter immissum vulneri virus, remediis efficacibus tam internis quàm externis destruitur, ita ut corrosivam suam naturam prorsus exuat, & vel sudoris ope expellatur, vel aliter extrahatur. Convenit hic imprimis, statim vulnus aquâ muriaticâ quâcunque vel lixivio etiam, probè, sed & calidiusculè eluere, hancque lotionem aliquoties repetere, ast simul reliqua more & methodo consuetâ adhibere hinc qui maris sunt adcolæ, homines à cane rabido demorsos statim salsæ marium aquæ immergunt, ad venenum in vulneribus præcipitandum, eluendum ac destruendum, sicque Hydrophobiam præcavendam.

VI. Si verò quæras ulterius, cur aliquando accedat Hydrophobia & cur eadem nunc citius, nunc tardius sequatur. Responsi loco damus, venenatæ salivæ portionem subinde in vulnerum cavitatibus integram, atque à remediorum adhibitorum virtute tutam remanere. Hæc igitur veneni portio, occasione quâcunq; arreptâ, effervescens, ac fibrillas sive vasculorum humoralium, sive tubulorum nerveorum discindens, partim sanguini aut lymphæ, partim spiritibus se se immiscet. Sicque turbas excitando Hydrophobiam producit. Venenum istud quandoque sub velamine viscidi cujusdam seri diutiùs in partis demorsæ fibrillis latitare potest; subinde autem minùs obvolutum, & magis activum existens, citius in apricum prodit, effervescit, pungit, scindit ac rodit, donec viam sibi fecit, in quemcunque laticem irruendi, suamque vim noxiam exercendi. Excitatur etiam sæpius à causis externis & procatarcticis, sicque instar canis dormientis expergesit, ac in motum agitur: quod fit partim à nimio corporis exercitio, partim ab irâ, vehementiore, partim abæstu corporis in Laconicis, aliisque Balneis; partim à Crapula sive Inebriatione, partim etiam aliis à causis. Quod verò præcisè in affectâ parte tamdiu delitescere queat portio quædam veneni illati, Rustici nostri exemplum docet, in quo ante Hydrophobiæ eruptionem sive accessum, per diem unum & alterum conquestus est de dolore vulnerati brachii; qui dolor. postmodum extensus ad Thoracem, sicque Hydrophobiam excitans, procul omni dubio indicium certissimum fuit veneni in brachio hactenus latentis, sed nunc in motum ac furorem adacti.

VII. Anatome Cadaveris Rustici sufficienter docet, in Hydrophobia contingere inflammationem veram, id est, stagnationem, extravasationem, & extravasati sanguinis coagulationem in pulmone atque partibus vicinis. Hæc certè lerna malorum, hæc vero origo symptomatum omnium in Hydrophobia contingentium. Quod si enim singulorum ætiologiam percurrere velimus, illico patebit, respirandi difficultatem, præcordiorum anxietatem, deglutitionisque laborem non nisi ab inflammatione musculorum laringis, pharyngis atque pulmonum provenire, Inflammatio autem ista talium partium universalis, originem suam unicè debet turbationi sanguinis à specifico veneno inductæ, ita quidem, ut turbatus sic quoad intestinum motum, situmque partium sanguis per vascula pulmonis minima circulari amplius haud queat, quin & à spiculis veneni fibrillæ talium vasculorum capillarium facilè crispari, constringi sicque sanguinis transitus præcludi potest. Ubi vero jam inflammantur Pulmones, vitiam & Pleuræ, ob interventum viscidæ stagnantis ac in Pituitam abeuntis lymphæ adnascuntur. Vesiculæ Pulmonum ab extravasato sanguine implentur, aut ab ejusdem stagnatione vasa distendente angustantur, ita ut aëri hinc sufficiens pro respiratione introitus clauditur.

datur. Sitis adest, eaque inextinguibilis, ob faucium à sali æ defectu, continuam aciditatem: deficit saliva propter sanguinis morum à veneno turbatum, hinc secretionem salivæ abiatam. Horror adest liquorum, ob imaginationem imminentis ab eorum potu suffocationis; & revera potulenta Hydrophobi deglutire aut non valent, aut non nisi maximo cum labore & dolore possunt: sed & ad solum Potulentorum adspectum spiritus animales ad impetuosum quemdam ac meticulosum motum concitantur, in quo membra omnia, cum terrore & anxietate succutiuntur. Difficillimè autem deglutiunt liquida, quoniam tumor faucium inflammatarum validissimè liquidis resistit; solida faciliùs admittuntur, quoniam in his aliqua est contranitentia, à qua fauces & gula nonnihil magis dilatari, fibræque ad degluriendum validiùs incitari possunt. Vigiliæ, inquietudines, palpitationes, tremores cordis perpetim adsunt, propter spiritus animales plus minùs turbatos, vel saltem in continuo motu versus partes affectas versantes. Conatus vomendi inanes, inflammatiunculis fibrarum stomachicarum originem debent. Urinæ lixiviales etiam à sulphureis particulis salinis nimium incoctis proveniunt, quod quidem in turbatione æstuque sanguinis ac inflammationibus internarum partium, tàm glandulosarum quàm aliarum ut plurimum contingit. Mots tandem à circulo sanguinis penitus ablato, æconomiaque corporis destructâ inducitur.

VIII. Stagnationem illam sanguinis in aliis quoque Hydrophobis, si non omnibus similiter contingere, aliud me quoque exemplum docuit; Etenim ante quadriennium Filius Lanii cujusdam Basiliensis mihi curandus obtigit, qui à rabido cane in brachio dextro, ac etiam in dorso sub scapulis vulneratus, hincque à Carnifice malè tractatus, quintâ post vulnus utrumque acceptum, quorum alterum jam cicatrice obductum erat, hebdomadâ, in Hydrophobiam incidit, quæ cum iisdem prorsus symptomatibus puerum invasit, quibus Agricolam in historia nostra exercuisse tradidimus; mens quoque & sana ratio eidem constabat, sed respiratio, paulatim adauctâ Pectoris inflammatione, magis magisque offensa & præpedita fuit, ita ut tertio ab hinc die inter miserrimas anxietates suffocaretur; sollicitavi hinc apertionem cadaveris, sed renuerunt Parentes; hinc externè saltem illud inspexi, atque tertiâ post mortem horâ in dorso versus scapulas ad Pectus usque jam livescere deprehendi, unde certum indicium sumpsi, similem prorsus sanguinis stagnationem & extravasationem in Pectore atque Pulmone Pueri contigisse. *D. Theodorus Zvvingerus Ephemerid. Germanicar. Decuriâ 3. Ann. 2.*

ANATOMIÆ PRACTICÆ.

LIBRI PRIMI

SECTIO XIV.

De Stupore, Torpore, Tremore, Horrore, Rigore, Anxietate, seu Inquietudine.

OBSERVATIO I.

Stupor à cerebelli substantia molliore, sanguine pituitoso diffluente.

JUvenis diu in carcere detentus, languidus decubuerat, perpetuo Stupore afflictus, Cerebelli substantia præterquam quod solito esset mollior, sanguine etiam pituitoso affluebat. *Vide suprà Tit. de Epilepsia.*

DE *Stupore, Torpore)* Inter Stuporem & Torporem distinguit Illustr. Fortis, illum diminuto sensui, huic motui assignans; quanquam in causis conveniant. *Vide consult. 62. & 66. cent. 11.*

Cerebelli substantia solito mollior) Quæ duriuscula est & firmior, etsi eadem cum cerebri substantia.

Cerebelli) Ex quatuor truncis, binis cerebri, binisque cerebelli inter se coeuntibus & in unum corpus compactis, omnes omninò nervi tum intrà tum extra cranium oriuntur. In iis autem omnis fere stuporis veri, ait *Platerus* Praxeos lib. 1. cap. 5. causa latet: quæ in omni nervo esse potest, cùm omnis nervus sensu tactus prædirus sit, eundémque parti, cui inseritur, cum influxu spiritus animalis, propriæque substantiæ communicatione communicet. Quo ita affecto ut illa communicatio intercepta, vel omnino vel ex parte impedita sit, si hoc fiat in nervo, qui in musculum insertus simul cum sensu tactus illi motum confert, & resolutionem & stuporem simul accidere necesse est,

Quod

Quod quando in generali pluribusque partibus communicato nervo affecto fit, generaliorem quoque læsionem multis musculis, nec dum solum illis, sed & cuti & membranis, cum à musculorum nervis ad has quoque partes propagines delatæ, illis sensum tactus conferant, communem sequi oportet: Si vero in privato aliquo nervo ad unam tantum partem delato accidat, eam tunc saltem lædi necesse est; Sed & ex ejusdem nervi, sive generalis sive particularis existat, enarrato affectu, accidere potest ut motus vel langueat vel cesset, remanente nihilominus sensu tactus vel integro, vel obtuso saltem, cum ad motum edendum major vis spirituum quam ad sensum requiratur. Fieri tamen quoque potest, ut & nervo affecto Stupor tantum, remanente motu in parte, fiat, si nimirum nervus sensorius solum, hoc est, qui non in musculos sed cutem aut membranam, aut alia viscera immobilia tantum desinit, afficiatur. Quales insignes cutaneos nervos, in nervorum magnorum divisionibus duntaxar cutem membranasque implicare, atque ad partes naturales deductos, nervos vi. & vii. conjugationis, multis illis quæ non moventur partibus, sensum Tactus saltem communicare ostendimus; Aliósque nervos sensorios à nervis motoriis musculis insertis, ad illas quoque quæ non moventur partes ferri. Quibus sensoriis nervis, vel etiam motoriis, sed extra musculum ductis, læsis, partem nunc duntaxar eam quibus inseruntur, vel omnino vel ex parte, prout læsio magna est, stupere contingit. Quorum tamen omnium causa eadem quæ resolutionis, diversa tantum sede differens, esse potest.

Languidus, perpetuo stupore effectus) Ob spirituum animalium sensui & motui destinatorum defectum, quæ mali continens causa est: Hi autem deficiunt, quia non transmittuntur, vel quia transmissi non admittuntur, vel licet insinuant, cum ipsa parte male disposita non uniuntur. Non transmittuntur, ubi vitium est in cerebro, ut in casu præsenti & sequentibus.

Observatio II.

§. Stupor à sero flavo per anfractus cerebri oberrante & in ventriculis.

Virgo cephalæa diu torquebatur, & capite deterius habente in convulsiones cum stupore incidebat, &c. Latex flavus cerebri anfractus profundiores & ventriculos inundabat. *Vide Tit. de cap. dolor.*

Animalium spirituum per nervos motus læditur 1. quando Nulli, vel solito pauciores, 2. quando plures ac expediebat, 3. quando inæqualiter inordinateque, ac præter contrave voluntatem ad partes quasdam vel omnes moventur per nervos spiritus: Ubi nulli feruntur ad sensuum externorum motusve organa, cessant omnes functiones, ut in Apoplexia & Paralysi motus: ubi solito pauciores deferuntur, imperfectæ ac imbecillæ observantur fieri eædem functiones, in *stupore motu Tremulo* & infirmo, nec diu durante. *Nulli*, solito re *Pauciores* feruntur per nervos spiritus animales nunc sua, nunc nervorum culpa; Spirituum culpa quoties illi plus minusve deficiunt, aut Torpidi sunt, & ad motum inepti ob vim narcoticam ipsis admistam, vel in corpore paulatim productam, vel forinsecus introductam: Nervorum culpa, quando illi sunt dissecti, compressi, obstructi, si modo obstrui queant; *Plures* quam externi sensus, vel animalis motus ad sui perfectionem exigebant moventur per nervos animales spiritus 1. ob animi pathemate vehementia, 2. ob Irritationem continuam & gravem in convulsionibus &c. *Sylvius de le Boë Prax. lib. 1. cap. 42.*

Observatio III.

Stupor à sera cerebrum inundante & spinalem medullam.

Vir Ill. proavis cerebri aut nervorum dispositioni morbidæ obnoxiis oriundus circa ætatis suæ ἀκμὴν artuum debilitate, Stupore & spasmis tentari solebat. Huic universa τοῦ ἐγκεφάλου compagnes justo humidior, latice aquoso madida & prorsus immersa videbatur, &c. Spinalis medullæ truncus aquæ limpidæ immersus, &c. *Vide Tit. de convulsione.*

Stupore & spasmis) Sicut paralysis & spasmodici motus aliquando concurrunt, cum vel materia utrumque affectum committens heterogenea est, particulis narcoticis & irritativis simul constans: vel idem humor simul vellicat lacessitque nervos, atque aditum spiritibus, obstructione aut compressione nervorum, intercludit, Ita & de stupore idem censendum est: Stupor autem hic universalis fuit, quia universa cerebri moles, spinalisque medullæ truncus totus aquæ madebant diluvio: Circa stuporem particularem, notandum quod monet *Sennertus* Pract. lib. 1. p. 3. sect. 1. cap 1. neminem recte stuporis, & paralysis alicujus partis causas omnes recte investigare posse, qui anatomiæ gnarus non est, & cognitum non habet unde quælibet pars nervos suos habeat: cum sæpe accidat ut non in ipsa parte affecta, sed loco remoriore, in nervi principio, vel ejus ductu, causa mali hæreat.

Artuum debilitate, stupore) Illustr. *Fortis* in Consult. Med. distinguit inter Stuporem & Torporem, Illum diminuto sensui, hunc motui assignans: *Vide Centur. 1. consult. 62. & 66.*

OBSERVATIO IV.

Stupor digitorum gangranam præcedens, à denegato spirituum influxu, ob cor extenuatum.

VXor N. morbo intricato detenta, paulatim *stupore & frigore* circa extremitates digitorum sinistræ manus correpta est: Illi cor sanguine plane exhaustum repertum est. Arteria venosa mire extensa, sero impleta, &c. *Vide lib. 2. Tit. de Phthisi.*

STupore & frigore &c.) A negata simul ἀμφοῖν spiritus & caloris vitalis: sed stupori formicationis cujusdam sensus sæpe adjungitur, tunc nimirum quando spiritus animalis aliquandiu detentus in stupido vel resoluto membro, viam vi sibi facit, obstaculumque perrumpit: Tunc enim ad membri extrema, ut digitos, ad quos spiritus primo impetu defertur, punctionis sensus excitatur, spiritu ubique membrum veluti titillante & pungente, atque tamdiu donec eo sufficienti copia delato, pars pristinum tactus sensum recuperet: quod nonnunquam valide percusso nervo sensorio accidit, uti eo qui circumflexus in cubiti gibbo ad annularem & minimum digitum excurrit: quo violenter casu impulso, duo hi digiti formicationis sensum aliquandiu, donec nervus compressus ab ictu rursum dilatetur, spiritusque sufficienter transmittatur, patiuntur. *Platerus.*

OBSERVATIO V.

Sensus Tactus stupor in Matrona Lepra infecta, ob scirrhosam musculorum habitus constitutionem.

ILL. Matrona Lepra infecta interiit. In illa sensus Tactus obtusus, vellicationem & punctionem vix percipiens: Præter varia viscerum vitia, Musculi habitus corporis, præsertim artuum inferiorum, scirrhosi reperti sunt. *Vide lib. 4. Tit. de Habitus corporis affectibus.*

VEllicationem & punctionem vix percipiens) Facultas sensitiva nonnunquam per se, & motu adhuc salvo læditur: Hoc de organis quorum nervi sunt tantum sensiles, uti nimirum de visu auditu, gustu & olfactu satis obvium est, & ratio facile patet: At vero quod in extremo corporis habitu, aut membris interdum Tactus pereat, potentia Locomotiva illæsa, uti passim cernitur in Leprosis, Elephanticis, & maniacis quibusdam, nude incedere, & humi discumbere solitis, qui in cute & carnibus musculosis adeo obstupescunt, ut scalpelli incisiones, aut aculeos alicubi adactos minime persentiant, hoc inquam explicatu perquam difficile videtur. Verumtamen super his dicendum erit, eosdem forsan Nervos motuum instinctus & sensibilium impressiones prorsum & retrorsum conducere, sed non easdem fibras, quæ sunt *locomotivæ*, prorsus aut potissimum sensiles esse: Potentiam illam *fibras musculosas* & tendinosas exequi alibi ostendimus; verum species sensibilis, à *fibris membranaceis* fere tantum excipitur: quare cutis externa primarium tactus organum est, post hanc membranæ musculos integentes, ac denique viscera constituentes ab objecto tangibili quodammodo afficiuntur. Quapropter tactus læsio aut amissio, propter noxam membranis exterioribus illatam exoritur, nempe cum harum fibræ à materia vitriolica obstruuntur, aut à frigoris excessu valide constipantur: proinde spiritus animales, qui impressiones suas excipere debent, ab organis suis excluduntur. Et quidem has membranarum exteriorum incolas tantum affici inde constat, quia membra *sensu* non sicut *motu* privata exarescunt, sed plena & torosa perstant: quod indicio est spiritus animales, *nervos & fibras carneas* usque subeuntes, nutritionis muneri virtutem suam (quali modo pridem ostendimus) contribuere: at cum *motu* abolito, spiritus partibus istis fere in totum exulant, carnes, quia materies nutritia, per arterias licet advecta non assimilatur contabescunt. *Willis Tract. de Anim. Brut. part. 2. c. 9.* De Fibrarum natura, officio, differentiis, vide cap. 19. Cerebri Anatomes, Ubi & de Nutritionis diversitate.

OBSERVATIO VI.

Stupor totius corporis, cum pedum tremore & palpitatione continua, in viro cujus Lien quadratus erat, cartilaginosa substantia incrustatus.

VIdi in Abbate Nobilissimo familiæ d'Antragues, mirabilem splenis formam, hic quum tremulos ac continue palpitantes habuisset pedes per duos menses, tandem superveniente Srupore totius corporis, interiit.

Aperto cadavere, observavi Lienem exacte quadratum, trium palmorum latitudine, crassitie quatuor digitos æquantem, & undiquaque *cartilaginosa substantia* incrustatum. *Riolanus Anthropogr. lib. 2. cap. 23.*

STupor à Galeno 2. de sympt. caus. modo levis Paralysis vocatur, modo Dispositio quædam inter valetudinem & absolutam Paralysin, quam causæ omnes, quæ in Paralisi re- censitæ

censitæ sunt partes possunt, licet hic majores sint & graviores. Continens est spirituum animalium, sensui & motui in parte aliqua destinatorum, defectus: Continuissima ex antecedentibus est materia catarrhalis, non in affectis partibus genita, sed à cerebro suppeditata, hinc in nervosam substantiam influens, liberum spirituum animalium influxum impediens, obstructione vel compressione: nunc materiæ catarrhali si serositates quoque, acidæ atque melancholicæ, quales gignit Lien male constitutus, nervosæ & densæ substantiæ penetrationi non parum conferunt: Adde quod si Paralysim inducere potest humor melancholicus, cujus Lien parens perhibetur, potiori jure Stuporem inducet.

Stupore totius corporis) Qui rarissimus est, plerumque enim una pars vel plures stupore afficiuntur: visus tamen *Brassavolo* aph. 9. lib. 7. hæmorrhagiæ narium succedens, tandem lethalis irritis omnibus remediis: Et *Fernelio* lib. 5. cap. 3. cutem solam obsidens, illæso motu, post crapulam: Matthiolo item, in rustico, qui cum hasta prægrandem serpentem confodisset, duobus annis postea universi fere corporis stupore laborabat.

Observatio VII.

Tremor à Sero subvirescentis coloris substantiam cerebri alluente, cujus portio in Spinalem medullam influxerat.

Scripsit ad me *Guido Patinus* Medicus Parisiensis celeberrimus, Campanum quendam Nobilem, præter febrem & alia symptomata Tremore insolito fuisse correptum, qui efficacia remediorum liberatus sit, Tandem quum vino multo eoque meraciore usus esset, cum ἀγρυπνία & fugaci delirio extinctum esse.

In cujus cranio dissecto substantiæ cerebri Serum multum, instar seri lactis subvirescens innatabat, cujus portio in spinalem dorsi medullam decidua, Tremorem illum initio morbi concitaverat. *Th. Bartholinus Spicilg. 1. de vasis Lymph. cap. 3. & Observ. Anat. 39. cent. 2.*

Tremorem initio morbi) Sic Pythioni, hist. 1. sect. 1. lib. 3. Epid. primo die Tremor à manibus, febris acuta, &c. Ejusmodi Tremorem plenitudinis progeniem esse credit *Galenus*, quod primo die inciderit in ægrum, qui non debeat à purgando & vacuando deterrere, ut cum à spirituum & humorum dissipatione dependet. Interdum eum parit mala humoris, etsi quantitate pauci, qualitas, ut hoc loco; Interdum partium solidarum siccitas & marasmus; sicuti cum phreniticum aut causum excipit.

Tandem quum vino multo, &c.) Cur vini helluones tremant, & cur Mercurius Tremorem efficiat, pulcherrime disserit eruditissimus *Ign. Thiermair* cons. 10. lib. 2. Non improbabile, *ait*, credo Cerebrum, tanquam medullosam & glandulosam substantiam, naturaliter perfundi humiditate aliqua, roris instar, seu (si ita mavis loqui) succo nervoso per meatus cerebri in Spinalis medullæ rivos, sensim ac sensim derivanda: Hæc rorida ac naturalis nervorum humiditas, si recte & prout par est, instrumenta facultatis motricis nervosa, musculosa, unguinis instar, undiquaque irrigarit, illa ad motum efficiet promptissima. Quod si vero eadem cerebri humiditas, vel quantitate p. n. abundaverit, vel etiam qualitate peccaverit, nervosum inde genus male affici, utrique dubitandum non erit: Proinde cum Mercurius particulari aliqua qualitate resolvat, liquet, caputque humiditatibus impleat, mirum profecto nemini videbitur, si in omnibus iis qui mercuriarum minerale frequentius tractant, nervosus ille naturalis succus in nervos deciduus, serosa præternaturali humiditate multa perfundatur, vel etiam morboso aliquo miasmate depravetur: Unde non tantum orto mollitiem nervosarum partium imbecillitas oritur & Tremor artuum, sed ob arsenicales vapores (qui in mercurio nunquam non fere latitant) membranarum etiam infesta vellicatio, ac tremula quasi titillatio, perpetuo observatur. Ita Tremorem ex Sero sub virescente, in substantia cerebri innatante, cujus portio in spinam dorsi decidua fuit, ortum esse in Nobili Campano, febris vehementia dein extincto, & ex dissecto corpore vidit *Guido Patinus*. Ita novi Ego Patrem & Filium, ambos Medicos, magno humidoque capite & vasto corpore præditos, in ætate declinante, continuo manuum ac pedum Tremore insigniter vexatos fuisse, Non alia ut arbitror, de causa, quam quod nervorum propagines, majori quam par erat humiditate perfusæ, ac perpetua quasi stillatione irrigatæ: in quo casu nervo unum genus ex naturali suo robore sese attollit quidem, satagitque niti firmitudine sua, sibi debita, deprimitur tamen iterum iterumque, pluscula hac humiditate continuo emollitum: ipsis quoque Spiritibus, ad motum destinatis, humiditate extranea non parum obtusis: Ita demum & vini helluonibus, (*adde & his qui horis matutinis & jejuno ventriculo merum hauriunt*) contigere mihi plane persuadeo: Nam cum eorum cerebrum vapido vini spiritu creberrime impleatur, fieri non potest quin copiosæ defluxiones ad nervorum genus concitentur ac destillent, fluxiones inquam, quæ partim perenni humiditate nervos emolliunt, partim vinosa sua aciditate illos ad Tremorem usque vellicent: Unde fit similes helluones à Tremore non citius (saltem ad tempus) liberari, quam recenti potu vini generosioris, refocillatis scil. spiritibus animasticis, qui prius extranea humiditate in musculosis partibus perfusi, quasi torpebant, nunc vero novo robore confirmati, inimicum vini acidum, nervis imbibitum, facilius superant, & ad tempus saltem discutiunt. *Hactenus Exc. Thiermair.* Quibus adde quod tradit Hipp. l. de vet. med. *Vinum meracum hominem debilem reddit, frigidam intemperiem in nervis introducit, &c.* Notavero quod Idem Stimargi ancillam copioso sanguine misso à Tremore liberavit.

Observatio VIII.

Anatome Viri, cui Tremuli erant pedes, in quo deprehensus Lien quadratus, cartilaginosa substantia incrustatus.

Vide supra Observat. VI.

A Liene ita conformato, crasso & substantia cartilaginea incrustato deducere Tremorem & stuporem absonum forti videbitur, à doctrina tamen *Hypocr.* non omnino absonum: qui aph. 56. sect. 6. morborum melancholicorum decubitus corporis sydeationem denuntiare ait, i. e. interprete *Martiano*, Paralysin communiter dictam; quæ nervorum affectio est, ut & Tremor & Stupor, illius prodromi: Supposito igitur Lienem melancholici humoris fontem esse & originem, atque ab eo humore Paralysin induci, juxta doctrinam Hypocr. absurdi nihil videbuntur allaturus qui à Liene sic constituto & Tremoris & stuporis pedum causas deduxerit: Melancholicum autem humorem Apoplexiam & Paralysin inducere testatur *Hippocr.* pluribus in locis, & 1°. quidem lib. 2. de morbis vers. 66. ubi Apoplexiæ speciem describit, quam ab atræ bilis affluxu, sanguine refrigerato, fieri testatur: Et lib. acut. 4. versu 41. Ex atræ bilis & acrium humorum influxu apoplecticos & paraplecticos fieri testatur: Aphor. 40. item sect. 6. Si lingua derepente impotens, fiat, aut aliqua corporis pars apoplectica, melancholicum tale existit: Melancholicum autem sanguinem tenuem esse & serosum, qui intimos nervorum recessus subire queat, omnibus notum est: Nervos paucos Lieni, magis quam per tunicam quam substantiam sparsos, assignant Anatomici, Oculatissimus tamen *Willisius* Anat. cerebri cap. 27. multos in eo & ad eum tendentes deprehendit.

Observatio IX.

§. *Tremor à Sanie & muco in sinistro ventriculo cerebri, &c.*

JUvenis Melancholia essentiali & hypondriaca laborans, varia capitis accidentia passus est, mensis spatio elapso membra omnia Tremula illi facta sunt & velut saltu subsilientia, &c.

Cranio dissecto prodiit cerebrum qua venulas nigricans & lividum, cui in superficie inerrabat materia pauca saniosa: In sinistro ventriculo copiosa erat sanies cum muco ac materia putrescenti. *Vide Tit. de convulsione.*

Coactus *Tremor* deberur animalibus spiritibus inordinate ac continuo cum aliquo impetu ad trementium membrorum musculos per nervos propulsis, sive fuerit is universalis, sive particularis; sive corpus fuerit adhuc robustum sive debile: Inordinati autem illius ac continui cum impetu animalium spirituum motus causa quærenda frequentius in ipsis spiritibus inordinate agitatis, ac præsertim in Tremore universali, aliquando etiam in Nervis continua sed minus gravi irritatione (alius motus convulsivus contingeret) vexatis, quod existimo habere imprimis locum in Tremore particulari, Inordinate agitantur spiritus animales, à Flatibus & halitibus continuo ad caput cum sanguine ascendentibus, atque una cum spirituosa sanguinis substantia in cerebri, cerebellique, mox nervorum quoque Tubulos pergentibus, animalesque spiritus inordinate ac impetuose agitantibus: A nervorum irritatione leviore produci aliquando Tremorem vel inde patet, quod aliquando ipsum sequatur, aliquando in ipsum desinat motus convulsivus. *Sylvius de le Boë prax. lib. 1. cap. 42. §. 25.*

Observatio X.

Tremor à verme in cerebro latente.

ANno 1571. in Marca Anconitana grassabatur morbus epidemicus, quo Nobilis quidam affectus, asserebat aliquid in cerebro esse vivens, cranium ipsi & cerebrum quasi terebello perforari videbatur, mox maximæ concussiones & Tremores &c. Apertis defuncti dextro & sinistro cerebri ventriculis, repertus est lumbricus totus rubeus, indice digito longior &c. *Vide Tit. de capit. dolore.*

Observatio XI.

Morbus Tremulus Equæ, à Glandulis maxillaribus, & totius corporis, humore flavescente & acri imbutis.

QUatuor abhinc annis in Equa, morbo Tremulo quem Angli *The Steggers* vocant, laborante, abcisso capite à Clar. D Henrico Sampsonio, Cantabrig. Aulæ Pembrochianæ Socio, Notavimus ductus Salivales superiores, qui viam suam per marginem maxillæ inferioris affectabant, uti fit in bobus &c. neque directe ad proprias glandulas, masseterem musculum

lum supergrediendo, rendebant; ut fit in hominibus, canibus &c. Glandulas has flavo colore valde tinctas, sicut & totius corporis omnes cæteras, humore quodam acri imbutas fuisse. Unde conjicio *Maciem* equæ, morbumque à genere nervoso, quod glandulas occupat, ortum habuisse. *Ioh. de Muralto, Exercit. med.* 2. §. 10.

Observatio XII.

Horror perpetuus ab impuro sanguine venarum, totoque purulento.

Domina à Chalmontio per totum morbi decursum perpetuos habuit horrores (quod forte nunquam visum est) & sanguis omnis in massa contentus putruerat & extabuerat. *Aperto corpore*, quicunque è venis effluebat sanguis merum pus erat. *Ballonius l.* 1. *conf.* 110.

Merum pus erat) Quod ob dominatum calorris contra naturam omnia corrumpentis contigerat, necnon corporis interioris intestinam cacochymiam, toti sanguinis massæ ita communicatam, ut inde totius corporis corruptio insequuta fuerit. *Idem Ibidem.*

Perpetuos habuit horrores) Multis modis videmus in febribus, etiam dum æstus adest, horrores leves incidere, ac si novi paroxysmi nova foret occasio: Item & manus videmus alias moderato calore perfusas, alias veluti incendio conflagrare: quæ duo aliquando simul incidunt, aliquando seorsim visuntur: Visuntur simul in ingenti cacochymia, cum non modo in mesenterio, quod est totius corporis sentina, verum etiam in genere venoso corruptio est humorum & sanguinis, & qui detrahitur sanguis purulentus est: Hinc & vulgares dicunt se malum sanguinis cursum sentire, Quod non abs re dictum, etenim secta illis bis aut ter vena, eductoque sanioso sanguine & subviridi, sensum punctionis quem habebant, & horrores illos parvos amplius non habent; Domina à Chalmontio hoc satis docuit: Item vicarius S. Gervasii, in quo sensus deambulationis formicarum, quem in brachiis & metaphreno percipiebat, & quædam inæqualitatis sensio, non aliunde erat quam à sanguinis corruptela per venas fusi: declaravit curatio, nam ista cessarunt misso ter aut quater sanguine satis cumulatè. Horum demonstratio peti potest ex lib. 6. Epid. ubi *Galenus* scribit omnes cacochymos, cum repente incalescunt, inhorrescere: Testatur & quotidiana experientia, nam si quis pravis scatens excrementis in Sole versetur, statim inde redibit inhorrescens: sic calor febrilis dum agitat humores putres, idem præstat quod & Solis calor: inducit enim rigores & horrores, nam humores corrupti incalefacti seipsis fiunt acriores, moventur & ita lancinant atque feriunt membranas; item & ichor excitatur à calore agitante, qui sensum horroris, morsus, & inæqualitatem invehit: Atque eorum qui in febribus ex facili horrescunt, multa reperio genera à variis causis nata, ut non sit temere pronuntiandum de hac aut illa causa si quis inæqualiter horreat: Nam quidam cum vident istos horrores & inæqualitates sæpe incidentes, de suppurato verentur, ac sæpe eo recurrunt, at falso: Inter cætera videmus istos rigores & horrores initio paroxysmorum contingere, de iis non loquimur: aliquando per totam febrem adsunt, quod de semitertiana intelligit Galen. in qua horrores per omne tempus, & particulare & generale febris percipiuntur, sive intensio faciat reduplicationem, sive ascensus fiat inæqualis, ideo φρικώδης dicitur καὶ ἐξοχὴν: hoc efficit materiæ diversitas in qua febris accenditur: Etenim ex duobus humoribus contrariis simul mixtis fit, bilioso & pituitoso; atque dum biliosus incandnit, calefit pituitosus, & sic accensus inæqualis fit; idemque contingit quod & initio paroxysmorum, quo præsertim tempore urgent horrores: quia enim inæqualiter & calefit & movetur humor unus, ideo inæqualitas contingit & horror: cum totus humor æqualiter affectus est, desinunt horrores, & tum incrementum & vigor adest: Quod si in uno humore, interpolatam febrem committente fit, multò magis in duobus confusis fieri potest, ut in febribus Tritæophyæa & hemittitæa &c. *Idem ibidem.*

Observatio XIII.

Horror à diffusione seri è cerebro in spinalem medullam & partes membraneas.

Viro Illustr. (de quo supra observ. 1.) musculorum tensionibus dolorificis obnoxio, recens expergefacto, illico totum corpus horrescere incipiebat: Illi universa cerebelli compages, & spinalis medullæ truncus latice aquoso madescebant. *Vide Titul. de Convulsione.*

Observatio XIV.

Horror à colluvie materiei purulentæ inter duas mesenterii tunicas latentis.

Quidam intemperantissimus in affectionem hypochondriacæ similem incidit; cui supervenit horror. Inventa est colluvies materiei purulentæ inter duas mesenterii tunicas, &c. *Vide Tit. de Melancholia.*

Observatio XV.

Rigor citra recalescentiam, à putredine inducta dimidiæ parti cerebri.

Quidam ab equo vehementer percussus in capite. 2°. die sequitur *rigor febrilis*: xix. accessit Rigor frequens inordinatus, *absq; calore concomitante*, cum mandibulæ τετανῳ, delirio &c. Inventa putredo dimidiæ partis cerebri: In ventriculo tertio plurimum puris & aquæ. *Vide lib.* 4. *tit. de Vulneribus.*

Rigor Febrilis) Ejus hæc est generatio juxta *Willisium* lib. de Febribus. Cum succi nutritii particulæ à cruditatis statu versæ maturitatem pergunt, ipsam vero non attingunt, insignem acorem contrahunt, quo partes nervosas valde pungunt & vellicant, atque frigoris sensum incutiunt (non secus ac cerevisia, quæ utribus inclusa à dulci in acidum & nitrosum saporem transit, ut præ acore & frigiditate vix degluriri possit) cum itaque massam sanguinis hujusmodi crudi succi particulæ, nitroso acore præditæ, ad turgescentiam impleunt, & cum densius agglomeratæ in fluore esse incipiunt, spiritus vitales acore suo primum obtundunt, & calorem nonnihil obruunt, quare sanguis frigidior existit, & tardius circulatur; quin & ob caloris defectum sensus frigoris in toto corpore percipitur, & pulsus admodum tarus existit; Porro, cum hujusmodi succo acetoso partes nervosæ & solidæ pro ultimo suo alimento irrigantur, hujus fluore, qui simul contingit cum sanguinis turgescentia, partes istæ sensiles vellicantur, & in tremores ac spasmos irritantur: Atque hæc proculdubio est vera & genuina causa frigoris & Rigoris quæ in paroxysmo febris intermittentis excitantur: nimirum succi in materiam nitrosam degeneris fluor & turgescentia, quo spiritus & calor suffusi obtunduntur, & corpora nervosa irritata in tremores cientur: Postea vero cum particulis hisce nitrosis, aliqua ex parte in superficiem corporis protrusis, eorum gravamine & oppressione sanguis nonnihil liberatur, spiritus vitales se recolligunt & emicate incipiunt: deinde autem calor intensissimus succedit, quoniam & cruoris massa, propter effervescentiam cum materia febrili laxata, ejusque mixtione soluta, particulæ sulphureæ uberius in corde accenduntur: & quia (poris cutis ab eadem materia versus circumferentiam corporis protrusa) effluvia vaporosa intus cohibentur, quæ sanguinem magis exagitant & effervefaciunt, calor iste in sanguine usque persistit donec materia ista fermentativa penitus combusta, ac una cum recrementis aduitis à deflagratione residuis plene subacta & subtiliata, feroque involuta, sudore aut transpiratione insensibili evaporet.

Rigor absque calore comitante) Tunc temporis non est subsequutus calor, quia cerebri pars in necrosin abiit, post abscessum illius: Quomodo à catarrho è cerebro cieatur Rigor, Et cur hunc non semper tecalescentia sequatur, explicat *Ballonius* cons. 114. lib. 1. Cum cerebrum *ait*, peculiari morbo laborans non capiat eum fructum ex alimento, quem capere debet, illud corrumpit, unde pars aliqua jam sequestrata est quæ continuos dolores, aut parum intermittentes committat, pars alia à cerebro valente pellitur foras: Si nitrosum quid salsumque habet *πῦμα* per putredinem, sensum caloris & acrimoniæ infert, & sic putant sibi partes deuri: Si qua pars mixta frigidior & crassior, dum confunditur massæ sanguineæ, dum nervosum genus ferit & imbuit, sensum quoque frigoris infert; sic patet & surgit ea inæqualitas frigoris & caloris quæ sæpe percipitur: Imo si initio paroxysmorum minimus appulsus externi aëris frigidi, aut sparsio humoris etiam calidi & biliosi sensum horroris & rigoris infert, quanto magis id præstabit humor à capite labens, qui tametsi & salsedinem & nitrositatem habens, caliditatem intrinsecam habet, tamen quia omne excrementum retinet aliquid de ea parte cujus est excrementum, cum cerebrum sit natura frigidum, non mirum si in isto humore sit aliquid *ἐναντίον*: Hinc non mirum si catarrhosi sæpe horreant aut rigeant, & in febribus & extra febres, ut non necesse sit ad illas horripilationes febrem sequi, quod tempotibus Hippocr. eveniebat: nam horrorem rigoremque proxime febris sequebatur: Prætet autem alias rationes hæc forte probabilis est, Quod si primus horroris & rigoris impetus, & in internis partibus & ab internis fit; præsertim si materia præparata est, maxima ex parte febris suscitatur: Sin autem potius de foris est, & ab externa causa & manifesta occasione, non est ita necesse accenso calore & humoribus febrem consequi.

OBSERVATIO XVI.

Rigor ανεχθέρμαντος à corruptione uteri ortus.

Domina N. febre Tertianæ typum referente laboravit, cum dolore ad hypogastrium: Rigor tertii paroxysmi fuit tantus ut ab eo non recaluerit: Uterus erat corruptus & quasi gangræna affectus, plenus rabo & sanie. *Vide tit. de Febribus lib.* 4.

Qui Rigor erat à supputato, cujus indicium fuit sanies & tabus quibus scatebat uterus. Vide Scholia ad obs. seq. Rigorem sine febre contingentem c. 6. lib. 2. de diff. febrium ab acida aut vitrea pituita deducit Galen. cum sensibiles corporis partes perreptant, tunc, ait, infertur Rigor sine febre, quod apud antiquos nunquam evenisse testatur, quia moderato victu cultuque utebantur.

OBSERVATIO XVII.

Rigor Pleuritidi in suppuratum abeunti succedens.

Quanquam Hippocr. dicat pleuritin non ante 14. diem ad suppurationem tendere, observavi tamen 7°. vel etiam 4°. id evenire: Sic in adolescente cui Rigor febrisque 4. 5. 6. & 7°. repetebant, intra secundum septenarium morbi mortuo, universus thorax pure prægnans repertus est: *Vide lib. 2. tit. de Exspuitione purulenta.*

Thorax, pure prægnans] Omnis Rigor aut est ἀπὸ τῆς ἀλγεῖν aut ἀπὸ τῆς ... : ἀπὸ τῆς ἀλγεῖν, affecto præsertim panniculo carnoso: ... à suppurato: Dom. N. ad mensem Majum tormina, abundat & humore bilioso & crudo: utriusque humoris mores inæquales, motus inæqualis: dolor ad imum ventrem inclinans, ad partem potius dextram: Turgebant adeo humores ut fere oppressus fuerit, toto aqualiculo in tumorem elato: febris successit partim periodica partim non: Tandem excrevit puris materiam, facto in mesenterii parte, aut intestino

intestino aliquo abscessu: Post longum tempus: & longas adeo purgationes convaluit: Horrebat aliquando & rigebat, qui rigor erat à suppurato. *Ballonius Epidem. lib. 2. ad finem. De Rigore Empyematis thoracis comite vide Galenum prognost. lib. 2. comm. 58.*

OBSERVATIO XVIII.

Rigor vehemens citra febrem, à bile circum jecoris cava coercita.

VIr quidam (*de quo tit. de Paralysi*) quotidianæ bilis vomitioni obnoxius, hac repente suppressa cœpit corpus citra febrem vehementi rigore, tanquam invadente ex quisita tertiana, ex intervallis quotidie supra vicies concuti. Deprehensa est post obitum, bilis sincera, eaque prasina, circum jecoris cava, libræ pondo membranis coërcita.

RIgor *Dureto comm. in coac.* 1. est concussio totius compaginis, maxime autem partium posticarum quæ adjacent Lumbis, metaphreno, cervici ad caput: dum scil. proritantur appulsu cacochymiæ, illuc è vasis expressæ & viam ad exitum affectantis: Ψῦχος autem autlatè sumitur, pro omni frigore quod conjunctum sit cum concussione corporis, & hoc fit tam ab externis quam ab internis causis; aut presse, pro eo tantum quod ab internis & sponte, non prægressa causa externa: Atque ab Horrore distinguitur vulgo causæ tantum magnitudine, Hofmannus verò Inst. medic. lib. 3. cap. 15. Rigorem omnem convulsionem quandam esse censet, quæ non fiat nisi translatis ad cerebrum, præcipue qua nervorum principium est, vaporibus acribus copiosis, quibus in nervos receptis, & ad musculos detrusis, fiat id quod videmus: Hoc persuadet, *ait vir Excell.* ipsa rei natura, cùm enim Rigor tam valida sit musculorum totius corporis concussio, in musculos autem alia via non fit quàm quæ per nervum, quis vitio mihi vertat si huc divertam; Apud Hippocr. autem & Galenum Horror & Rigor quadruplex reperitur, Plethoricus, Periodicus, Criticus & Symptomaticus: Primus fit in homine sano, qui sese multis crassis, & frigidis cibis oppleverit: estq; cæteris Rigoris speciebus mitior, quia frigidæ materiæ motus magnus esse non potest, ut notat Galen. cap. 5. de Rigore, Et hunc attigit Hippocrat. ad histor. 5. sect. 3. lib. 1. Cæteræ tres Rigoris species in homine febre laborante considerantur: Criticus colligitur ex aphor. 8. lib. 4. *Qui ab ardente febre corripitur, superveniente rigore liberatur*: Periodicus ex aph. 63. lib. 4. *Quibus unoquoque die rigores fiunt, unoquoque die febres solvuntur*: Symptomaticus colligitur ex aph. 46. lib. 4. *Quibus Rigor contingit febre non deficiente, si æger jam est debilis, lethale*: Et ex Progn. 58. lib. 2. quo ait, *signum suppurationis esse eo ipso die quo Rigor incipit.* Dum enim ex ruptione & erosione vasorum pulmonis fit portionis sanguinis in pus mutatio, tunc puris acrimonia partes sanæ lancinantur, unde Rigoris sensus, calore ad interiora, ut suppetias ferat, se revocante: sed notatu dignum est omnem Rigorem fieri à materia calida, vel per se, ut in Rigore decretorio, & periodico febris tertianæ: vel per putredinem, ut in rigore symptomatico à materia purulenta: Distinguuntur autem inter se, quod periodicus & criticus incipit à lumbis per aph. 69. 4. symptomaticus autem à parte inflammata: A Lumbis autem originem ducunt periodicus & criticus, quia in Lumborum regione fit confluxus succi pancreatici, bilis & pituitæ in tenui intestino, à quibus humoribus elevantur halitus acres, qui gradibus acrimoniæ differentes alias horrorem producant, alias rigorem, quoties nempe succi pancreatici aciditatem majorem, undecunque ortam, supprimere nescit acrimonia bilis remissior, quin quodammodo, saltem per friguscùlum partiumve membranearum rosionem, hancque subsequentem panniculi carnosi concussionem levem, illa sese manifestet. *Vide Sylvium de le Boë prax. lib. 1. cap. 30. §. 79. & cap. 31. §. 3.*

OBSERVATIO XIX.

Anxietas excitata à ventriculo inflammato post sumptum venenum.

D. N. Inquietudine ingenti vexabatur, cum vomitu &c. Reperta ventriculi tunica interna omni ex parte livida & syderata, maculis conspersa. *Vide lib. 3. tit. de vomitu.*

DUplex est Inquietudo, vel critica, quæ in perturbatione fit, criticum humorum motum antecedente: solentque tum ægri se erigere, jactare & variè movere; Altera, quæ citra crisin est, & symptomatica nominatur, accidit in genere cum quicunque dolor & quæcunque molestia hominem angit, Estque duplex, una cum os ventriculi à pravis humoribus vellicatur, de qua *Galenus* 7. aph. 56. scribit ἀλυκὸν, seu anxietatem & inquietudinem istam, iis maximè evenire, quibus in ore ventriculi propria quædam humoris molesti qualitas continetur, neq; multi, neq; innatantis in ventriculi capacitate, sed altius in ipsis tunicis imbibiti; Nonnunquam causa istius inquietudinis est cibus intempestivè exhibitus: Altera est, quæ oritur à materia maligna & acri febrem excitante, quæque circa viscera molestat, vel ab inflammatione alicujus visceris provenit, unde & febres ἀσώδης nominantur. *Sennertus Pract. lib. 1. p. 2. cap. 23.*

OBSERVATIO XX.

Anxietas à pure e pleura in ventriculum illabente.

EMpyematicus paracentesin recusavit: huic pus ab apostemate in pleura diaphragma corrosit, hinc totum ductum ventriculi & intestinorum tunicas exteriores: Hic febricula, siti, Inquietudine &c. tenebatur. *Vide tit. de Febribus.*

Otum ductum ventriculi) malo hinc ad ejus orificium propagato; pars enim primario hic affecta ait *Sylvius de la Boë*, est præsertim superius ventriculi orificium, non excluso reliquo illius corpore, nec tenuibus intestinis ventriculo proximis, ipsoque diaphragmate in nauseæ vomituque semper concurrente: Angi autem solent partes quæ premuntur, ab interna causa sponte, non item à vi externa, quoties subito premuntur partes sensibiles, toties halitus flatusque imprimis peccare notum, tum per ipsorum discussionem, tum ipsorum excitationem; Quoties enim discussis flatibus cessant Anxietates, toties ab ipsis ortas fuisse patet. Et quoties ab ipsis excitatis oriuntur Anxietates, toties ipsarum causam flatus existere posse patet.

Observatio XXI.

Anxietas orta à lumbrico ori ventriculi affixo.

Filius N. Cardialgia prehenditur, nausea &c. Jectigatio erat insignis: In ventriculi fundo deprehensi duo lumbrici: In ejus orificio macula purpurea, unguis minimi digiti magnitudine, in cujus medio vestigium apparebat sedis cui affixus fuerat illorum alter. *Vide lib. 3. tit. de ventriculi dolore.*

Nausea) Jactatio Græce ἀλυσμὸς dicitur; apud Galenum part. 47. l. 1. Prorrhet. duplex est unus ναυτιώδης, alter ἀλυσμός: Ita enim scribit: Bifariam ægri sunt ἀσώδεις, uno modo cum virtus à corpore gravatur, nullamque figuram retinent ægri; alio modo cum os ventriculi à pravis mordetur humoribus: Priores perniciose afficiuntur, posteriores sunt nauseabundi: Et plenius in Prognost. parte 19. lib. 1. περὶ ῥιπτασμοῦ καὶ ἄλυος: ἀλύουσι ægri; i.e. jactant sese & priorem corporis figuram non retinent, sed subinde immutant, aut ob ventriculi κάκωσιν, affectionem significati, aut ob virium imbecillitatem, ut corpus ipsum ægro & naturæ sit oneri.: Quod est intelligendum nisi æger mollior & delicatior fit, ut qui minima re offendatur & doloris insolens jactetur: ideoque in fine dixit, vide an æger sit numerandus inter homines leves, qui facile remittunt ac concedunt, & vinci se patiuntur, etiam re levi: Ad duas illas causas, aut signa τῶν ἀλυσμῶν, nempe oris ventriculi ab acri humore demorsi (aut alia re irritante, ut lumbrico) & ἀφορίας malignam qualitatem accenseobis: Imo virium infirmitas istius ἀλυσμοῦ non videtur causa, cum sæpe post magnas evacuationes multos videas valde imbecillos, qui quiescunt, nec subinde mutentur: Itaque aliqua latens causa, ut venenata qualitas, esse videtur, quæ homines jactari & conflictari (quod Græcis δυσφορεῖν dicitur) faciat, & proinde infirmitatem afferat, unde major occasio inquietudinis; Sed assignare jactationis causam infirmitatem virium (pace Hippocrat. dicam) non est æquum: In pestilentibus febribus, & in grumo sanguinis ῥιπτασμὸν videmus, à maligna qualitate vires labefaciente & spiritus dissipante: *Ballonius consil. lib. 2. pag. 147.*

Observatio XXII.

§. *Anxietas à sanguine copiose intra thoracem effuso & collecto.*

Illustr. Comes de Reitnavv (vide histor. tit. de Apoplexia lib. 1.) mane electo surrectus Anxietatem quandam percepit, quam vomitus sequutus est: Inter secandum cadaver Chirurgus diaphragma læsit, unde ex thorace magna sanguinis quantitas defluebat &c. *I. Iacob. VVepferus Exerc. de Apoplexia p. 351.*

Causam anxietatis, cum virium prostratione statim ab invasione junctæ, non in ventriculi cavitate delituisse existimo, quamvis vomuerit, cibos adhorruerit & potulenta rejecerit; nam nec vomitu nec purgantibus Anxietas tollebatur, insuper non sitit: Nec adscribenda videtur fermento stomachi, bili & succo pancreatico in duodenum confluentibus & inter se conflictantibus, nam continua fuit, & neque purgantibus neque victu tenui emendabatur, nec credibile videtur huic triumvirātui moram ad quartum usque diem concessam fuisse à duodeno exquisito sensu prædito, & continuo suo vermiculari motu adversa vel sursum vel deorsum propellente: Nec principium nervorum lacessitum in prima invasione arbitror, quamvis post obitum sanguis serosus in spatio meningibus interjecto repertus fuerit, noctesque inquietas traduxerit; nam de nulla cephalalgia nullaque vertigine conquestus est: Sed sanguinem substerno copiose effusum & collectum, præcipue culpandum puto; nam, fauciato intempestive in cadaveris apertione diaphragmate, circiter dimidia libra cruoris effluxit, & remoto sterno, libra cum dimidia sanguinis reperta fuit, ut præ copia, fecedente quoque mediastino, nec cor nec pulmones videri potuerint, mediastino, nec cor nec pulmones videri potuerint, mediastino hæc viscera operiente, unde nec in pericardio, nec cavitate reliqua pectoris sanguis stagnavit, & pulmones à vitio immunes inventi fuerunt: Sanguis enim etiam in his sedibus copiose cumulari potest quia etiam illas vasa sanguifera transeunt, & mediastinum facile à sterno secedit, ut quidam spatium quoddam

quoddam vacuum inter iternum & mediastinum naturale, quamvis falso crediderint: deinde jam die secundo facies & extrema pallebant & frigebant, & die tertio facies varie immutabatur, quod in simplici anxietate ab humore acri orificia stomachi & duodenum affligente citra sævissimam cardialgiam, quæ nulla fuit, nunquam evenit: Denique anxietas die primo post pilulas nescio quas purgantes, & ab infuso Rhei die tertio exacerbabatur, quæ porius abstergendo, & eliminando contenta ventriculi, opem ferre debuissent: Forsan Medicus præsens alia indicia animadvertisset, scilicet dolorem tensivum & gravativum cum difficultate respirationis *Idem Ibidem*.

APPENDIX.

Anxietas orta à pure intra thoracem concluso, desinens illi exitu parato.

RUsticum senem novi qui multis annis sub sterno Empyema sustinuit, quod juxta cartilaginem ensiformem in sinistro latere sibi exitum paraverat: quoties fistula occludebatur, aut a pure concreto obstruebatur, à pure stagnante valde angebatur circa præcordia, difficulter respirabat ac dolorem aggravantem & tensivum patiebatur; quamprimum vero fistula turundis ex radice gentianæ dilatata pus copiose profuderat, statim melius habuit & aliquot annis satis commode vixit. *VVepferus ibidem.*

OBSERVATIO XXIII.

Anxietas orta à concrescente in vasis sanguine.

PVella cum per diem vertiginem, Anxietatem &c. esset passa, die sequenti extinguitur: In atteria magna & vena cava totus sanguis coaluerat: &c. *Vide lib. 2. tit. de Syncope.*

IN Scholiis ad observ. 21. adnotatum à grumo sanguinis anxietatem oboriri: Si grumus eam inducere valet, potiori jure sanguinis omnimoda in vasis concretio, vel potius causa maligna eam pariens: qui effectus est venenorum quorundam sanguinem congelantium, ejusque mixtionem destruendo, corrumpentium, scil. massæ sanguineæ, ait erudite, *Willis* cap. 12. de Febribus, primo congelationem, deinde putredinem inducunt: Cum enim spiritus cruoris à veneni contagio profligati dissipantur; liquoris mixtio æquabilis solvitur: quare particulæ crassiores se mutuo implicant, [& instar lactis ab infuso coagula, aut spontanea acescentia] invicem coagulantur: hinc cruor in vasis grumescit, ut minus prompte in iis circuletur.

OBSERVATIO XXIV.

Anxietas excitata à Pericardii inflammatione.

QVidam acuta febre prehensus est cum siti, Anxietate, respiratione frequenti &c. Sectio palam fecit fuisse Pericardii inflammationem. *Vide lib. 2. tit. de Pectoris dolore.*

OBSERVATIO XXV.

Anxietas à mediastini inflammatione nata.

NObilis cum febre acuta inquietudine magna detinebatur: Inventus est in membranis intersepientibus tumor inflammatorius. *Vide lib. 2. tit. de Pectoris dolore.*

DIstinctionem causarum anxietatem parientium vide in scholiis ad obs. 19. ex Sennerto: Ex Hippocr. plurimorum morborum comes est, *Doloris capitis inflammatorii*, 2. de morbis; *Supervomitus venarum in cerebro*, ibidem, *Cerebri ex inflammatione tumentis*. 3. de morbis. *Cynanches* ibidem *Pulmonis inflammationis*, lib. de diebus judicat. *Pulmonis suppurationis* Coaca 18. *Erysipelatis Pulmonis* 3. de morbis & lib. de int. affect. *Morbi Ructuosi*. 2. de morbis. *Crassi morbi ex pituita putrida*, lib. de int. affect. *Ruptorum in imo ventre* 2. Epid. sect. 1. *Erysipelatis uteri*. lib. de nat. mult. *Inflationis uteri*, ibid. & 2. de morbis; *Ascensus uteri ad stomachum*. 1. de morbis. *Ad cor*. 2. de morbis. *Suppressionis mensium semiannua*. de m. m. *Mensium copiosiorum & crassiorum*, ibidem. *Biliosorū*. Ibidem. *Pituitosorū & membranosorum*: Ibidem. *Lochiorum imminutorum*, ibidem: *Atra bilis in utero* 2. de m. m. *Fluoris muliebris sub pallidi & glutinosi*; ibid. *Acrium & aeruginosorum humorum in corpore turgentium*. lib. de Prisca med. *Cura, gravis morbi* 2. de morbis *Bilis sincera ab alvo excreta*. l. de victu acut. Cibi intempestive *agris exhibiti*. ibidem. *Vomitus sinceri* Prorrh. 62. Tandem censenda ortum ducere à re quælibet partes sensiles afficiente & naturam ad excretionem sollicitante.

OBSERVATIO XXVI.

Anxietas orta à polypis in cordis sinubus & Pulmonibus sanguine infarctis.

FIliolus N. 10. mensium, cum tussi febricula, dyspnœa, magna Inquietudine & totius corporis jactatione afficiebatur. Pulmones sanguine stagnante infarcti repeti, In sinubus cordis polypi ingentes: *Vide Tit. de Dyspnœa. lib. 2.*

ANATOMIÆ PRACTICÆ.

LIBRI PRIMI SECTIO XV.

DE PARALYSI.

OBSERVATIO I.

Paralysis gravis ortum ducit à dissolutione Corporum striatorum cerebri.

CORPORA striata τὰ πρῶτα αἰσθητήρια munera exequi, præter illorum fabricam & usus analogiam, exinde colligendum, ex observationibus quibusdam circa ea, quo ritu in morbis Paralyticis afficiuntur adhuc certius constare videtur: Cum enim aliquoties cadavera quorundam à longa Paralysi & gravissima nervorum resolutione defunctorum aperuerim, deprehendi semper hæc corpora præ aliis in cerebro minus firma, instar amurcæ discolorata, & striis multum obliteratis: Porrò in catulis recens natis, qui visu carent, aliasque motus aut sensus facultates ægre perficiunt, hæ striæ vix integre formatæ, tantummodo rudes appareant. *VVillis cerebri Anatom. cap. 13.*

VBi corpus callosum desinere putatur, medulla oblongata incipit, cum nimirum cerebri substantia medullaris, juxta utriusque hemisphærii umbones crassissima existit, utrobique meditullio isti corpus subalbidi coloris, at nonnihil obfuscum, ac instar eboris striatum apparet. Bina hæc corpora sunt crurum medullæ oblongatæ extremitates, sive apices, inter quos & cerebrum proxima & maxime immediata commercia habentur: utrumque horum videtur quasi cylindrus in orbem convolutus, qui tamen utriusque cruris summitatem haud sphæricam, sed ovalem, & ad posteriora nonnihil deflexam constituit; Superficiei illius portio amplior cerebri substantiæ medullari conjungitur, pars tamen aliquanta à cerebri cohæsione libera, seorsim eminet, & protuberantiam istam in utroque laterali ventriculo eminentem facit: Hæc corpora si per longum in medio dissecentur, striis medullaribus, & velut radiosis insignita apparent, cujusmodi striæ duplicem aspectum, sive tendentiam habent; nempe aliæ à corporis hujus summitate descendunt, quasi tractus sint à cerebro in medullam oblongatam: atque aliæ à parte inferiori ascendunt, & prædictis obviam fiunt, quasi spirituum orbitæ sint à medulla oblongata in cerebrum; Et observatu dignum est quod in toto ἐγκεφάλῳ nulla præterea pars simili ritu striata reperiatur.

Horum usus si inquiritur, hoc statim occurrit, quod hæc corpora inter cerebrum & appendicem ejus collocata, utriusque magna & communia diversoria existunt; quæ nempe spirituum animalium impulsus ac impetus quoscunque ab alterutro emissos suscipiant, ac statim alteri communicent; sive ut planius dicam, hæc pars Commune Sensorium est, nempe Aristotelis, verbis, τὸ πρῶτον αἰσθητήριον, quod sensibilem omnium ictus à nervis cujusque organi delatos accipit, adeoq; omnis sensionis perceptionem efficit: cujusmodi sensibilium ictus, cum hinc in cerebrum ulterius trajiciuntur, Sensioni statim imaginatio succedit: Atque insuper hæc corpora, uti sensuum omnium imperus, ita motuum omnium localium spontaneorum primos instinctus suscipiunt: quoties nimirum Appetitus aliquid agendum decernit, statim reciproca spirituum animalium tendentia, h. e. à cerebro in has partes motuum à quavis parte aut membro movendorum conceptus hic loci in actus disponuntur: Hic enim velut in foro celeberrimo, spiritus animales rei volitæ executionem molientes, in nervos appropriatos diriguntur: Rem ita habere constat, quoniam à cerebro in nervosum genus, & è contra ex hoc in illud omnis influentia, & mutua spirituum animalium commercia hæc corpora pertransire necesse habent: Quapropter omnes nervi, etiam qui ad sensuum organa inferiora spectant, pone hæc corpora striata oriuntur: Quippe nervi optici & olfactorii, longo ductu & ambagibus cerebri superficiem perreptant, ut infra hanc partem medullæ oblongatæ inserantur: Enimvero sensibilium species per istos nervos susceptæ immediatius cerebri meditullio inferri potuerant, nisi quod prius huic sensorio sisti debuerint: Porro has partes prædicto officio fungi conjicere licebit ex striata & quasi radiosa

ſa illorum contextura, Cum enim illæ ſtriæ, quibus hæc corpora inſigniuntur, duplicis ſiur generis, nempe aliæ deſcendentes, quæ à cerebro verſus medullam oblongatam ſpectant: aliæque aſcendentes, quæ ab hoc verſus illud diſtincte feruntur, concludere licebit quod in his ſurſum latis, ſenſibilium impreſſiones percipiuntur; atque in illis deorſum tendentibus, motuum inſtinctus peraguntur. *idem ibidem.*

Deprehendi ſemper hæc. corpora minus firma) Paralyſis eſt partium nervoſarum à debita tenſitate reſolutio, ſive relaxatio, cujus ratione motus & ſenſus, nempe aut alter tantum, aut ſimul uterque, in toto corpore, vel in quibuſdam partibus debito more exerceri nequit. *Partes* nervoſæ reſolvuntur, quia ſpiritus animales eas non ſatis irradiant, inflant & vigore actuant: Cujus defectus cauſa eſt aut *vaſorum obſtructio*, qua illorum tranſitus ſive trajectio impeditur, aut *ſpirituum animalium* impotentia, quatenus ii vel narcoſi affecti, vel copiis minores, ſe non vegete ſatis explicant: Quoad prius, ſpirituum ob meatus obſtructos à partibus reſolutis interceptio, ſupra eas ſemper exiſtens, variis in locis, & propter diverſas cauſas fieri ſolet, præcipue tamen vel in *primo. Senſorio*, ſcil. in *corporibus ſtriatis*, aut alicubi circa Caudices medullares; aut denique in Nervis ipſis, & ſic, aut in eorum Initiis, aut mediis proceſſibus, aut in extremis finibus, ſcil. fibris nerveis contingit: Quando noxa *corporibus ſtriatis*, aut medullæ oblongatæ, aut Spinali infertur, vel obſtruit totum funem medullarem, unde Paralyſis infra locum affectum univerſalis oritur: vel unam medietatem, unde hemiphlegia, vel in latere uno, aut ſimul utroque quorundam nervorum capitella afficit, unde in hoc aut illo membro ſeorſim ab aliis reſolutiones inducuntur.

Plures ſunt modi quibus ſpirituum animalium viæ ſive meatus, in prædictis corporibus obſtruuntur: 1°. nempe aut ductus eorum implentur. à materia extranea iiſdem impacta: Aut 2°. comprimuntur à ſanguine extravaſato, Colluvie ſeroſa, aut Tumore quodam iis incumbentibus: Aut denique 3°. continuitas ſolvitur, uti à vulnere, plaga, concuſſione; etiam à frigoris aut caloris exceſſu; propter noxam autem Senſorio communi illatam, ſcil. corporibus ſtriatis, αὐτοψίᾳ comprobatum novi Paralyſin oriri, atque ex obſervatione capitis ſequentis demonſtratur: Porro quoties Paralyſis univerſalis, aut hemiphlegia, (uti crebro aſſolet) lethargo, raro vel apoplexiæ ſuccedit, uuicuique obvium eſt. concipere talem morbi mutationem ob materiæ morbificæ metaſtaſin accidere, quatenus nempe hæc è *Corporis calloſi* poris & meatibus (quos prius occuparat) tandem evadens, & paulo inferius decidens, *Corporis ſtriati* unius, vel forſan utriuſque, tractus medullares incurrit: Cumque adeo ſpiritus animales à ſolito effluxu, ſive irradiatione in nervoſum genus præpediuntur; facultas motiva tantum, aut (ſi obſtructio immanior fuerit) hæc una cum ſenſitiva inhibetur: Corporis ſtriati non tantum obſtructio, ſed etiam compreſſio, uti ex obſervatione capitis 2. declarabitur, nonnunquam paralyſin inducit, nempe cum intra cerebri cavitatem inferiorem ſanguis extravaſatus & grumeſcens (forſan & ſeroſa colluvies ibidem aggeſta) corpori ſtriato graviter incumbit, ipſumque comprimit, propterea ut tractus medullares conſtricti, ſpiritibus affluxum denegent. *Idem Tract. de Anima Brut. art. 2. c. 9.*

τὸ πρῶτον αἰσθητήριον) *Hofmannus* Inſtitut. lib. 2. cap. ult. nullum alium præter cerebrum, ſenſum communem agnoſcit, Galenum ſequutus lib. 1. de ſymptom. cauſis cap. 8.

Observatio II.

Paralyſis à ſero inter cranium & meninges diffuſo, ſpinæ initium rigante & cerebellum, quartum ventriculum replente.

IUvenis fractus acerbitate dolorum abdominis; motibus convulſivis, poſt Paralyticus obiit: Cum ſerra caput divideretur, ſtatim aqua pura ſponte effluxit non pauca, meninx occipiti & cerebello interjecta papyri inſtar madida & decolor: Totum principium ſpinalis medullæ & nervi in aqua plurima innatabant: Ventriculus quartus aqua ſcatebat, ac ſubſtantia cerebelli eadem erat prægnans. *Vide Tit. de Convulſionibus.*

F*ractus acerbitate dolorum)* De Paralyſi hoc imprimis diſtinguendum, eam ſcil. vel Accidentalem vel Habitualem eſſe: Prior à cauſa evidenti, ſolitaria, cujuſmodi ſunt plaga, vulnus, concuſſio, frigoris aut caloris exceſſus, & ſine prævia diatheſi quibuſvis accidit; & præter hanc cauſam & conjunctam, quæ plerumque eſt compreſſio, aut unitatis ſolutio, alias non habet: *Paralyſis habitualis* à cauſa procatarctica dependet, quæ ſemper eſt materies extranea & quaſi vitriolica, alicubi prius genita & aggeſta, quæ deinde in ſenſus ac motus organa ſuffuſa, quatenus tractus medullares aut nerveos obturat, vel ſpiritus interdum mero contractu profligat, vel ſimul utrumque efficit, in partibus reſpectivis, ob influxum ſpirituum iis denegatum, Reſolutiones parit: Hujuſmodi procatarxis à duplici cauſa antecedenti dependet: una ſcilicet Remota, quæ eſt ſanguis vitioſus materiem morbificam, aut in ſe genitam aut à viſceribus, aut aliunde ſurreptam τῷ ἐγκεφάλῳ ingerens, atque ab altera propinquiori, quæ eſt cerebrum indiſpoſitum, nempe debile aut nimis laxum, vel alias male confirmatum, proindeque particulas heterogeneas & νοσερὰς facile admittens: Materies morbifica cerebro illata Paralyſin, quandoque primario, ſæpius tamen ſecundario, & nonniſi poſt alios affectus prius excitatos inducit: Prioris ratio (nempe ut Paralyſis habitualis primarius & per ſe morbus ſit) hæc duo requirit, videlicet ut particulæ heterogeneæ ad Paralyſin potiſſimum ciendam ſint diſpoſitæ: dein ut ſenſim, & in copiis nonniſi minutis admittantur: Nam ſi pleno agmine intraverint, Carum aut apoplexiam imprimis, & ſi indolis non plane vitriolicæ fuerint, quando cerebro trajecto ſenſus & motus organa ſubeunt, in iis affectio-

affectiones sæpe convulsivas, aut uoloriricas, imo interdum colicam, Arthriticam aut Scorbuticam prius, & tandem è postliminio Paralysin accersunt 2. Paralysis secundaria affectibus plerisque chronicis, post functiones naturales & vitales ab iis plurimum læsas, non raro succedit: Febris lenta ac diuturna, viribus tandem attritis, sæpe totius corporis, aut quorundam nervorum enervationes aut resolutiones infert: Tristitia longa & immodica, Tabes, Atrophia scorbutica, diuturna lecto affixio, Senectus valetudinaria, quin & alia multa pathemata, post labem insignem cerebro & nervoso generi prius allatam, Paralysin demum accersunt. At vero hic morbus frequentius quibusdam aliis affectibus, aut cerebri, uti imprimis Caro & Apoplexiæ: aut Nervosi generis, quales præcipui sunt Scorbutus, Convulsio, Colica, & Arthritis supervenit: Quod ad Paralyseos habitualis causas evidentes spectat, nempe ob quas *προφάσεις*, sive occasiones, in hunc morbum dispositi, etiam, citius contrahunt, aut jamjam eo correpti, adhuc gravius plecti solent, dico hue facere quæcunque sanguinem plus vitiant: Item quæ cerebrum & appendicem ejus nerveam opprimunt, aut materiæ morbificæ in ea suffusiones concitant, quæ insuper spiritibus narcosin infligunt, aut eorum copias minuunt: In hoc censu primo occurrunt inordinationes in sex non naturalibus &c.

Acerbitate dolorum Abdominis) Affectioni Colicæ crebro & gravius obnoxii; demum Paralytici evadunt: casus adeo frequens *apud Anglos* ut morbi hujus successio inter istius prognostica habeatur: nam qui torminum in ventre, aut aut paroxysmos atrociores per intervalla redeuntes pati solent, aut doloribus circa abdominis viscera paulò atrocioribus fere continue molestantur; tandem in habitu corporis ac memoris dolores vagos, deinpostea stupores, & denique non raro *ἀκινησίας* sive resolutiones subeunt: Hujusmodi effectus causa, tum à morbi sede, tum a materia morbifica immutatis procedit: Hæc nimirum quæ per exigua, sed acris & irritativa, nervos tantum splanchnicos incurrebat, proindeque ob viscerum fibras vellicatas in iis spasmos & dolores ciebat, postea copiosior, simulque hebetior & narcotica evadens, per spinalem medullam depluit, atque nervos his aut illis membris, aut musculis destinatos subiens, in partibus respectivis resolutiones parit. *Willis cap. de Paralysi.*

Morbis convulsivis post Paralysi) Quia materies morbifica intra cerebri & appendicis ejus tractus, tum medullares tum nerveos continue admissa, & crebro explosa, tandem eos ita debilitat & dilatat, ut aliusmodi particulis, sive narcoticis, sive vitriolicis, aditus patescat. Sed præterea adnotatum affectioni Arthriticæ non raro Paralysin supervenire, ejusque ratio patet; Namsi quidem in ægritudine ista materiem morbificam binam esse, atque particulas salsas & quasi lixiviales per arterias deponi, iisq; acetosas alias per nervos accedere supponimus, nihil mirum est si demum aliusmodi particulæ per vias adeo tritas se comites addant, & tandem perangustos spirituum meatus aut implendo aut comprimendo obstruunt. *Idem. Ibidem.*

OBSERVATIO III.

§. *Motus impotentia à sero in fistulam sacram illapso, totum cerebrum & cerebellum occupante.*

JAcobus Spoerlein septuagenarius, staturæ proceræ, pallidus, gracilis, robustus; Victor, in laboribus assiduus, industria celeritateque in opera & dexteritate nulli secundus, nec facile cuiquam jam senex cedens: Mercaturam aliquandiu exercuit, spiritum vini aliaq; in castris divendidit, & hujus causa pericula crebro subiit, variasque tempestatum injurias in itineribus freque ntissimis passus est: Ante plures annos ad carceres perpetuos condemnatus fuit; in quibus tenebris & squallore terrificis ultra 12. annos vixit tandem libertati restitutus in Nosodochium receptus fuit: Huic perveniens totus Cachecticus erat, facies & labia pallebant, pedes œdemate tumebant, omnes artus languebant: Tibia dextra ulcere dyseputoto afficiebatur, quod ichorem flavum acerrimum copiosumque continuo cum summo dolore stillavit, ut plures noctes insomnes duxerit, quandoque etiam sanguinem sincerum profuderat: quamprimum emplastri fine morsu siccantis usum intermiserat, serpebat ac profundius reddebatur: Fonticulus in tibiæ parte externa interceptionis causa excitatus, ad ulceris consolidationem non exiguam opem tulit, sed non fidam, nam sæpe recruduit: Postquam liberiore aëre cibis salubrioribus & medicamentis congruis fruebatur, sensim Cachexia & pedum œdema evanuerunt, ac strenue pristinos labores adit: Paulò post adventum ipsius in Nosodochium, scil. mense Augusto 1650. Ischuria omnimoda cum alvi occlusione per integrum octiduum ægrotavit, utrumque symptoma, inprimis alvi constipationem occultans: Postquam clysterem emollientem injiciendum curaverem, pluribus scybalis, summopere induratis excretis, protinus urina effluxit copiose, atque in posterum nihil amplius hujus generis passus est: Vrina clara erat, nihil sabulosi, vel arenosi, vel mucosi subsidit, nec memini ipsum unquam calculum excrevisse, quamvis de dolore sæpe circa regionem renum & lumborum conquestus fuerit, qui non raro alterutram coxarum pertingebant: Quandiu in Nosodochio vixit, cibis salubrioribus frui poterat, cum talis effœtis suppeditetur, & à nocuis Vir prudens & longævitatis studiosus abstinuit; Sæpe omnem cibum, inprimis carnes fastidivit; sæpe etiam nec vinum sapuit; non raro amatore quodam omnia imbuta vide-

videbantur, quæ assumpserat; crebro mane jejuno stomacho aquea, quandoque meram bilem non sine violentia evomuit: Alvo suppressa protinus colica torquebatur, quam bis intra novem circiter annos *Paresis brachiorum sequuta est*: eandem quoque antequam huc pervenerat aliquoties post colicam expertus est, ob quam minimi & auriculares digiti in manibus incurvi permanserunt, ut quamvis flectere, tamen extendere nequierit; A *Paresi* ab Excel. D. D. Hardero, tum à me, non magno medicamentorum apparatu vindicatus fuit: Diarrhœam biliosam iteratis vicibus non incommode sustinuit: Fere perpetuo de dolore quodam compressivo & tensivo præcordium conquerebatur: Assidue quoque *caput doluit*, comite nonnunquam vertigine: Hæmorrhagiæ narium frequenter obnoxius fuit, quæ non raro profusissima erat; Anno vitæ ultimo, mane imprimis, tussire cœpit & purulenta expuit: Paucis septimanis ante obitum conquestus est de catarrho *mane* impetuoso ad pectus ruente & suffocationem intentante: Ultimis mensibus sævissimum dolorem perpessus est in utroque inter femineo, ut attactum minime perferre potuerit: Incipiebat ab osse pubis ac desinebat in medio femoris, ductum musculi tricipitis sequens: in loco dolente nullus tumor, præter paucos quosdam & exiguos ac concolores cutis nodos, nullus rubor videbatur. Paulò ante obitum loquebatur, *& corpus præ languore & impotentia immobile*, verti petierat, quamvis nondum omnis motus animalis perierat.

Die 10. Maji 1657. cadaver cum Excell. D. D. Hardero aperui. Dissectis integumentis imi ventris, ventriculus & intestina sanis similia apparuerunt: Pancreas & mesenterii glandulæ duriusculæ sed non tumidiores erant: Ductus Pancreatis vacuus: Hepat fuit legitimæ magnitudinis, debito mollius, pallidum, & tantum non cruoris expers, si venæ majores excipiantur: Bilis in ductibus choledochis vitellina redundavit, pressoque parenchymate copiose profluxit: Vesicula foris albicans simili bile flava implebatur, simulque continuit calculum magnitudine nucis moschatæ: Lien fuit lividus, major debito, mollis & divisus, naturali similis: Renes erant pallidi: unius carunculæ papillaris extremo apici exiguum lapilli frustulum immersum fuerat; cætera nec vestigium arenularum ullibi apparuit: Vesica nihil p. n. continuit: Pectore recluso, pulmonum lobos superiores utrinque, maxime sinistrum, aecretos invenimus: ambo subduri & compacti erant, nondum tamen ad illam duritiem pervenerant quam alias in phthisicis observavi: In cordis ventriculis corpora pituitosa parva, nec longe per quatuor fontes propagata, at firmiter suis radicibus thalamorum anfractibus immersa & connata invenimus: In Pericardio plurimum seri flavi continebatur: In cavo pectoris serum subcruentum copiose redundavit: Remota cranii olla, ac discissa dura meninge, plurimum seri subpallidi effluxit, quod in spatio inter utramque meningem continebatur; sed non in tanta copia quanta apud Iacobum Reutingerum videram (*Obs.* 47. *f.* 2.) nam interstitium angustius erat: Tota anfractuum superficies quasi gelatina operta fuit, qua cultello sauciata aqua exstillavit: Hujus seri quoque plurimum in omnibus ventriculis repertum à nobis fuit: Plexus choroideus palluit, ac exsanguis propemodum erat: In illo manifeste glandulas, sed luridas cænosasque vidimus ac duriusculas tetigimus: Cerebri consistentia mollis quidem & flaccida fuit; minus tamen quam apud prædictum Reutingerum, nec collapsam aut coarctatam & compressam observaveram: *Multum* quoque *seri* reclinato pectore *ex ostio magno occipitis* promanavit.

Dum in vivis erat Vietor, plurima symptomata experiebatur quæ principium nervorum graviter afflictum sæpe fuisse significabant, inter quæ præcipua sunt *Paresis* colicam bis sequens, ob quam duo auriculares digiti ad extremum vitæ immobiles & incurvi perstiterunt: *Cephalæa* continuo affligens, quam nonnunquam vertigo comitabatur; unde per plures annos imprimis apoplexiæ subitum insultum summopere timuit: impotentia corpus versandi circa ultimos vitæ articulos: In cadavere vero nonpauca occurrerunt quæ ad causam Apopl. proximam illustrandam plurimum faciunt; nam apertum evadet ad apoplexiæ productionem serum in spatio inter meninges, in ventriculis, inter anfractus sub tenui meninge, atque in fistula sacra, non parva quantitate stagnans, forisque incumbens neutiquam sufficere, nisi ad illam copiam perveniat quæ cerebrum comprimat, atque ita coarctet ut spiritibus animalibus omnis exitus præcludatur. Antequam autem carceri manciparetur fuit, nunquam, vel certe non periculose ægrotavit, semper robur & industriam suam nobis deprædicans, ob quæ omnia tædia facile superaverit: Postquam carceri inclusus, & eo pluribus annis detentus fuit, tutmatim ipsum morbi invaserunt, quorum causam præcipue mœroti & exercitiorum consuetorum intermissioni adscribebat, nam laute alebatur, nec unquam vinum subtrahebatur: Plerique affectus quos dum nobiscum vivebat, à sero seu lympha redundante pendebant: Primum enim postquam libertate donatus fuit Cachexia, vel principio potius hydropis afficiebatur, cum ulcere tibiæ dextræ dysepuloto: Sero superfluo, ob ulcus perpetuo manans, maximam partem exhausto; illo insuper paucis medicamentis propinatis amplius evacuato, cachexia imminuebatur, hydropis periculum evasit, & cum labores, ad quos semper anhelavit, solito more suscipere & perficere ad lubitum valuit, reliquias penitus sustulit.

Tibia ulcere dysepuloto afficiebatur.) Ulcus dysepulotum diu perstitit, & quamvis subinde occluderetur, brevi tamen aliquoties recrudesce-

diffcebat, non ob pinguedinem sub cute consumptam, quam recidivantium ulcerum causam quidam reputant, cum non raro cuti cum pinguedine sectione, ambustione, aut gangræna penitus sublatis, ulcus firmissima cicatrice nihilominus obducatur, verum ob continuum seri abundantioris affluxum ex vasis, sive sanguiferis, sive lymphaticis erosis: nam postquam sero per fonticulum in tibia alibi exitus paratus fuit, ad extremum vitæ consolidatum mansit. Forte tamen quia non sufficienter per fonticulum ejus copia exhauriebatur, alibi postea serum stagnavit: nam non raro observatum fuit ulcerum hujusmodi, si imprimis annua fuerint, intempestive occlusorum damna in caput & pectus redundasse. Serum, hujus ulceris causa & fomes, acerrimum fuit, nam sævos dolores diu noctuque excitavit, & nisi edulcorabatur sine morsu siccantibus, carnem in fundo & cutim viciniam instar corrosivi depascebat.

De dolore circa regionem Lumborum &c.) Orto à sero in fistula dorsali stagnante, nam seri multum ex ostio magno ossis occipitis promanavit.

Assidue caput doluit comite nonnunquam vertigine) Cephalæa illa ortum duxit à sero meningibus largius affuso, *Vide Tract. 1. de capitis dolore.*

Crebro aquea evomuit &c.) Vomitus matutinus aqueus soboles fuit seri redundantis in massa sanguinea: *Vide de hoc vomitu lib. 3. Tract. de vomitu.*

Prout in plerisque phthisicis &c.) Phthisis quæ vietorem tandem prostravit, sero acri & mordaci etiam suam originem aliquomodo debere videtur. *Vide lib. 2. Tract. de Phthisi.*

Conquestus est de catarrho &c.) Catarrhus suffocativus quandoque mortem intentans, quoque sero aut lymphæ tribuendus, sive foris nervos diaphragmatis & pulmonum paralysi quadam affecerint; sive impetuose, quod Æger sibi persuadebat, catarrhus in pulmones irruerit; utriusque enim invasionis rationes apparuerunt: Influxum se sentire æger dicebat; Genus nervosum undique sero perfusum sectio manifestum fecit.

Sævissimum dolorem in utroque interfemineo) Latex spinæ inclusus alioqum deflectebat, atque ultimo anno dolores in interfemineo cum nodis concoloribus peperit: Acrius autem serum apud senem istum evasit, non ob errores in victu; nam neque valde salitis, neque aromaticis impense delectabatur, sed ob particularum salinarum excretionem cum sero impeditam, non tam renum, qui ambo sani erant, quam aliarum glandularum excretoriarum culpa; quæ induratæ nullas vel exiguas suppetias in sanguine depurando renibus contulerunt.

Bilis in ductibus choledochis &c.) Pori choledochi rami per universum hepar dispersi Bile vitellina referti erant; quæ presso foris Epate ex ductu bilario emanavit: Eadem vesicula bilaria impleta erat nam illam ex pori bilarii ramulis bilem accipere quidam solerti indagine invenerunt: Ipsemet casu non ita pridem ramulum pororum istorum, prope collum vesicæ bilariæ oblique insertum, ureterum vesicæ urinariæ more implantatum reperii, qua ratione ingressus facilitatur, regressus vero penitus impeditur: Dum enim hepar bubulum perscrutabar, in omnibus ramis pori bilarii vermium, quos hirudines vocant, quamvis vulgo notis prorsus dissimiles sint, congeri occurrit, nullis prorsus in venæ portæ & ejus ramis apparentibus: Vesica bilaria secundum longitudinem incisa, plures quoque bili innatantes vidi: Evacuata bile prope collum vesiculæ, ubi epati accretum est, caput vermiculi prominuit, quem dum blande extraxi, integrum foramen satis patulum perstitit, ac stylo indito in cavitatem manifestam perveni: Caute remoto hepatis parenchymate, deprehendi cavitatem hanc esse ramum pori bilarii, oriundum à vicino poro majore, traducto stylo usque ad majorem ramum, rursusque versus collum adacto, manifeste vidi insertionem prorsus ureterum in vesicam similem esse, quæ forsan causa est quamobrem hactenus de bilis in vesicula generatione & collectione scriptores sententiis diversi & ambigui fuerint: Bilis apud Vietorem copiosior & flavior producta fuit, ex sanguine per ramos portæ mesentericos, gastricos & splenicos allato, & ob febrem lentam magis adusto.

Vesicula foris albicans] Albicans apparuit quamvis bilis vitellinæ plena esset, quia ejus tunica crassior debito erat, ut bilis color transparere nequiérit; quod aliàs fit si legitima consistentia prædita sit: crassitiei ansam dedit calculus nucis moschatæ magnitudine, non secus ac a calculo vesica urinaria, ob continuum attritum sæpe quadruplo crassior evadit; Idem calculus causa erat doloris à longo tempore circa præcordia gravantis, & tensivi, cum in ventriculo circa pylorum, & in duodeno nullum vitium animadversum fuerit: Icterum non effecit, quia ex poro bilario ad ductum in duodenum hiantem, nullum obstaculum invenimus, nec forte calculus globosus majusculus, & levis penitus, haud continue collum vesiculæ obturavit.

Hepar pallidum &c.) Pallidius erat ob sanguinis paupertatem in vasis sanguiferis, nam febris multum depascebat, & ob inappetentiam consumptus non restaurabatur; imò ultimis mensibus solis jusculis vitam toletabat.

In Cordis ventriculis corpora pituitosa) Ea corpora non erant mucus, demum post obitum concretus, qualis in superficie sanguinis V. S. emissi apud cachecticos & febricantes, postquam refrigerit, alias videtur, qui sæpe crassus & fere membranæ instar tenacissimus est: non enim sanguinis superficiem corpora hæc operiebant. Generata fuerunt ob cordis debilitatem &c. *Vide l. 3. Tit. de Cachexia.*

In Pericardio plurimum seri &c.) Secus ac apud hecticos hic colligi posse, vulgo putatur: materiam aquæ præbuit abunde serosa colluvies massæ sanguineæ. Cumulabatur proculdubio ob glandulas induratas, aquosum non amplius resorbentes: vix enim pancreatis, mesenterii, plexusque choroidei glandulis duriusculis, pericardii glandulæ ab hoc vitio immunes esse potuerunt: quod eo lubentius credo, quia calor hecticus aquam non consumpsit, neque etiam valuit, quamvis enim in auram tenuem dissolvisset, non tamen corruisset, quia densitas pericardii obstitisset: Non memini unquam Vietorem de cordis palpitatione conquestum fuisse, quam tamen corpora pituitosa, & aqua in pericardio redundans excitare solent, quod forte ideo factum fuit, quia longo tempore decubit, & ob quietem placidius sanguis cor transit; Sicuti quotidie observamus cachecticis

chectiicis cor, si tranquilli maneant, raro palpitare; à motu vero, maxime in acclivium ascensu, fortiter suspirare.

Ischuria omni-noda) A solis scybalis duris intestinum rectum implentibus, & collum vesicæ in postica parte prementibus.

Corpus verti poterat &c.) Cordis motus sensim magis magisque elanguit, randem plane substitit, spiritibus animalibus ad motum hunc necessariis deficientibus, propter spirituum vitalium & sanguinis penutiam, & principio nervorum, scil. cerebro ac cerebello, ab ingenti seri intra cranium illuvie non impune diu afflicto.

Paresis brachiorum sequuta est (Paresis colicæ superveniens genus nervosum valde affligi indigitabat: Equidem bile Vieror abundabat, verum quoque humoribus serosis acribus scarebat, qui plexus nervosos mesenterii allueutes, profundiusque se insinuantes, vellicando spasmo intestina affecerunt: ex alvo pertinaciter occluso, retentis flatibus & bile, atrocissima tormina excitarunt; quoniam quoque ob dolores die noctuque excrucianres, vigiliasque continuas, simul aditus aquoso latici ad medullosam substantiam, in cervice imprimis, paratus fuit.

Quamvis nondum omnis motus animalis perierat] Impotentia, ob quam corpus de latere in latus versare nequiit, non imputanda videtur soli spirituum vitalium defectui, quamvis febris lenta, phthisis comes, plurimum hotum consumpserit; nam quia in toto habitu æqualiter ad extremum vitæ fere calebat, adhuc influebant; Forsan insuper spiritus animales musculis non debita quantitate; & ad hunc morum requisita, suppedirabantur, ob principium nervorum undiquaque à seto inundatum, quæ irradiationem imminuit, non tamen sustulit, nam adhuc motus aliquis cum sensu in artubus superetat & loquebatur.

Paresis brachiorum sequuta est &c.) Varii affectus quos subsequuta Paralysis in hoc effœto sene, vero similem reddunt Excell. VVillisii sententia, Eam non minus à spirituum inopia aut vitio, quam Nervosum ortum duxisse; Cacochymia enim multiplex, tam æraris decursu, quam externarum causarum efficacia congesta, ineptam spirituum animalium generationi materiam, eamque paucam suomiuistratam fuisse ostendit: De Paralysi à simili causa producta hæc tradit Vir Excellent. cap. de Paralysi. Quod superius in Apoplexia, ita modo in Paralysi, *ait*, statuere visum est, particulas *narcoticas* haud tantum oppilativas, sed interdum narcoticas spirituum velut extinctorias esse, cujusmodi afficiendi ratio, si potentior fuerit, nonnunquam sine magna viatum obstructione symptomata paralytica accersit: Halitus Autimon.i, Mercurii & Antipigmenri, quibusvis inter Chymicorum & metallorum fornaces diu versatis, membrorum debilitates, tremores & sæpe resolutiones inducunt: Pariter opinari subest in quibusdam scorbuticis & valde cacochymicis particulas heterogeneas, ac, uti videtur, indolis vitriolicæ [cerebro & appendice medullari superatis] ductus nerveos una cum succo eorum irriguo subire, in iisque spirituum manipulos quosdam dejicere, aut à motu supprimere; Hinc stupores aut resolutiones in membris aut musculis, modo his, modo illis subito oriuntur, & brevi postea in modo evanescentes, subinde repullulant in aliis: Tandem vero cum ejusmodi particulæ copia ingenti in nervos suffusæ, & acervatim aggestæ, hic illic varie desiguntur, spirituum insuper vias præcludunt, adeoque Paralysim fixam & permanentem inducunt: Est & Paralysis species à *Spirituum inopia* & paucitate dependens, in qua etsi motus nulli parti aut membro prorsus deficit, à quibusque tamen nonnisi debiliter tantum, aut depravate peragitur: Nimirum affecti, *alioqui* licet immunes, membra tamen fortiter movere, aut pondus aliquod sufferre nequeunt: insuper in nixu quovis motivo artuum tremore laborant, qui tantum debilitatis, & roboris præfracti in potentia motiva effectus est: Cùm enim deficiunt vires pro membro quopiam firmiter & uno molimine attollendo, natura vacillans conatu sæpius repetito agit, proindeque pars in motu existens velut concuti & trepidare cogitur: Cui accedit quod cum fibræ nerveæ flaccescentes nixum tonicum, seu tensitatem in regimine animali sustinere nequeunt, istæ ultimam suam potentiam exerere annitentes, motus quasi spasmodicos ineunt eosque perpetuo iterant; Quare in nonnullis Paralyticis artuum omnium tremores & concussiones semper persistunt: Qui ad hunc modum & spirituum animalium paucitare, sive inopia, proindeque ab illorum in systema nervosum dispensatione parciori & diminuta Paralytici evadunt, tali affectioni propter varias causas & occasiones obnoxii fiunt.

Primo Senectus extrema, seu valetudinatia; item sanguinis aut humoris genitalis impendia immodica, diarhesin ejusmodi paralyticam plerisque hominibus inducunt; quatenus nimirum è sanguine effœto & pene vappido, spirituum animalium penus nonnisi perexiguus in cerebrum exstillatur.

Secundo, ob eandem fere rationem Scorbuticis valde & cacochymicis facultas motiva plurimum vacillat: namque tales exercitio cuivis impares fortiori, infirme ac imbecille gradiuntur; à deambulatione longiori aut citatiori paulò plurimum delassantur; Porro à nixu quovis graviori sæpe stuporem in artubus cum movendi imporentia pariuntur, Quandoquidem enim his massa sanguinea valde aquosa & impuritatibus referta existit, cumque cerebrum debilius & quoad poros laxum fæculentias quasvis in se facile admittit, propterea spiritus animales pauciores tantum procreati, illique haud sinceri & subtiles, verum hebetes & crassioris materiæ adhæsione impediti (quamvis non semper adsit viarum obstructio aut diathesis narcotica (sese in nixus motivos explicari nequeunt.

Tertio, nontantum Scorbutici, sed & plerique alii à morbo chronico ægre ac tarde convalescentes, artuum languore & membris à debito vigore aut robore plurimum resolutis, afficiuntur, ut cum stomacho valeant, eorumque pulsus & urina laudabiliter habeant, ipsi tamen quasi enerves & elumbes, motus locales vix ac ne vix inire audeant, ac initos haud diu perficiant: Quinnimo nonnulli absque ægrotatione notabili, longo tempore prope diem quasi moribundi lecto affiguntur: dum imperturbati recumbunt, cum amicis colloquuntur & alacres degunt, excitari autem vel incedere nec volunt nec audent, imo mutum

quemvis

quemvis quasi horrendum quiddam quasi aversantur: Proculdubio in his, etsi spiritus animales totum genus nervosum quodammodo actuant & irradiant, attamen eorum copiæ ita tenues & minus confertæ existunt, ut cum plures spiritus alicubi ad motum in ipsum agglomerari debeant, magnum sit periculum ne illico in vicinia continuitas eorum abrumpatur, proinde in partibus nervosis tensitas solvatur, quapropter cum spiritus cerebri incolæ aliorum, in memoris dispositorum, debilitatis conscii sunt, ipsi motum localem, siquidem difficile nimis pensum, sociis suis imponere recusant: quamobrem affecti vix ulla persuasione ducuntur experiri utrum incedere possint necne; Verum tamen qui spirituum inopia laborantes, eos quoad possunt in motus locales urgebunt, mane primum excitati firmiter gradi, brachia huc illuc jactare, aut pondus attollere valent, ante meridiem vero spirituum qui in musculos influxerant penu fere absumpto, vix manum aut pedem movere possunt: Curo jam fœminam, quæ per plures annos hujusmodi spuria paralysi, non tantum in membris, sed & in lingua fuit obnoxia: hæc per tempus quoddam expedite loquitur, post sermones tamen longos illico obmutescens, amplius ne gry quidem proloqui potest; porro nec nisi post horam unam aut alteram vocis usuram ullam recuperat: In hujusmodi *spuria Paralysi*, a spirituum animalium defectu & debilitate potius quam obstructione oriunda, suspicari licet non modo ipsos spiritus, quoad ipsorum primas copias & particulas originales, in vitio esse, sed insuper aliquando motus localis imbecillitatem & impotentiam, aliquatenus etiam à copula explosiva, ubique in fibras motrices è sanguine suffusa, vitio pendere: Enimvero é sanguine valde cacochymico, proinde vappido & effœto, sicut spiritus animales nonnisi pauciores cerebro instillantur, ita probabile est ipsis è cerebro in nervos derivatis, & demum intra fibras musculosas dispositis, particulas alias nitrosulphureas (quas ad motum muscularem requiri alibi ostendimus) è sanguine ita vitioso nonnisi hebetes, & à potentia elastica degeneres accedere, propterea quidem ut a spiritibus intra musculos ita perperam concretis, non secus ac à pulvere pyrio fæculentiis crassioribus referto, explosionum actus & tarius & debilius exerantur *Willis cap. de Paralysi.*

Multum seri ex ostio magno occipitis promanavit) Post corpora striata, proxima causæ morbificæ sedes sunt medulla oblongata & spinalis. Etiam in his quandoque, licet rarius, obstructio, sæpius tamen compressio, aut unitatis solutio Paralysin excitant: Quoad prius, haud probabile est materiæ morbificæ copiam, simul & confertim in hanc illamve partem à cerebro dimitti: talis namque ingens & subitus affluxus, vix ultra corpus striatum pertingit: Attamen suspicari fas est particulas narcoticas, aut alias infestas, continenter in cerebrum suffusas, & exinde in appendicem ejus profusas, & exinde in appendicem ejus protrusas, intra caudicis medullaris spatium angustius primo hærere, & dein sensim coacervatas obstructionem Paralyticam inferre: Particulæ illæ dum sparsim in cerebro, corpore calloso, aut striato feruntur; crebras vertigines & scotomias, ac in partibus motivis breves interdum spasmos cient; verum illæ sensim intra medullæ oblongatæ, aut spinalis caudicem in unum aggestæ, quatenus ductum ejus totum aut partem occupant, & proinde spirituum poros simul omnes, vel eorum series quasdam obstruunt, aut hemiplegiam, aut membrorum quorundam, scilicet, modo superiorum, modo inferiorum Resolutiones pariunt: In utraque autem medulla, ac præsertim spinali spirituum interceptio, sive inhibitio paralysin creans, sæpius propter compressionem, aut continui solutionem evenit: Sanguis extravasatus, aut sanies abscessu disrupto emanans, forsan & serosa colluvies intra cavitatem spinæ deposita, Quin & Tumor scirrhosus alicubi in ea excitatus, funem medullarem comprimendo, spirituum vias occludit: *Idem.*

Observatio IV.

Hemiplegia à mollitie & flacciditate cerebelli, sero plurimo in sacra fistula, quam medulla non adimplebat &c.

VRsula Aberling, virgo 23. annorum plethorica, staturæ mediocris, carnosa, robusta, famula, æstate 1667. semel magnam graminum farraginem ac pondere gravem capite gestatam ex agro domum deportavit: Sub hoc onere sensit manifeste aliquid intra cranium ruptum fuisse: Paulò post cibaria, cum suppellectili capiti imposita, ad messores in loca montana vicina detulit: cum ab hoc onere summopere gravabatur ut sibi sub illo occumbendum putaverit, nemoque præsto esset qui ipsam hoc onere levasset magna contentione etiam per acclivia ad locum destinatum properavit, unde denuo fragorem intra cranium editum animadvertit, Ab illo tempore minus urinam detinere valuit: nihilominus officia servilia solito more præstitit, strenua alias nec ob patrem duriorem labores fugiens, nec unquam de ullo alio symptomate conquerens: Menses semper rite fluxerunt: die 22. Decembr. 1667. nihil mali præsentiens ad templum ita cucurrit ut inde incaluerit: in templo perfrigeratur, mox animadvertit se pedi sinistro non posse firmiter insistere, unde in genua decubuit, vix inclinato corpore, nisi à vicina sustentata fuisset: Totum sinistrum latus motu & sensu privabatur; labia torquebantur, ac *maxilla inferior dextrorsum abripiebatur:* primum loquebatur ut intelligi potuerit, paulo post vero ægerrime: Astantes leipothymiam morbum ratæ, quamvis vividum faciei colorem non amiserit, ipsam frigida large conspergunt: Hemiplectica domum deportata per dies 14. deliravit: Conquerebatur de *syncipitis dolore* sævissimo, quasi summa

vi

vi sursum capilli ibidem raperentur continuè: *Oculus* quoque *dexter intensissime doluit*, ac videbatur ipsi ac si ex orbita evelleretur: In sinistro latere toto hemiplectico, neque in capite neque alibi, præter motus ablationem, nec vel minimam molestiam experiebatur: Primis diebus creberrime & copiose mingere cogebatur, nunquam tamen lectum perminxit: Cephalalgia diu continue afflixit atque hanc unice causabatur: Medicamenta nulla præter aquas quasdam cephalicas paupercula exhibita fuerant: Die 18. Febr. ad ipsam vocabar, scilicet post octavam septimanam ab insultu hemiplectico: Tunc temporis carnosa & bene colorata fuit: Os non amplius distorquebatur, loquebatur sana & expedite, non multum de capitis dolore conquerebatur: brachium sinistrum movere sua sponte nequiit, at uno alterovè digito incurvo fortius à me compresso brachium aliquantulum attraxerat. Pedi sinistro aliquandiu insistere, verum antrorsum ipsum promovere nequii. Tum brachium tum pes sinister sæpe motu quodam convulsivo succutiebantur: Appetit & cætera satis bene habuit: menses quoque stato tempore ceu sanæ huc usque legitime manarunt. Suasi tunc temporis decoctum rorismarini aliarumque herbarum cephalicarum; purgantia per vices sumenda & linimentum nervinum, imperata simul congrua victus ratione. His aliquandiu sed non satis sollicitè continuatis, sensim viribus pedi sinistro redeuntibus, scipione suffulta in publicum prodiit tota æstate, templum quoque frequentavit, Subinde tamen cephalalgia recruduit, quæ à vini potu exacerbabatur, tota itaque æstate aquam aut serum lactis caprini bibit: Frigida præ calefactis unice appetebat, unde tota æstate acetariis, fructibus crudis & lacticiniis profuse vescebatur. Sæpe toto die nonnisi mane jusculum comedit: Mense Aug. 1668. mane è lecto surrectura, sensit motum animalem denuo languefieri, simulque querebatur de *dolore in planta pedis dextri* alias sani, ob quem nunquam diu posthæc undo, & non prius linteaminibus probe involuto pedi insistere audebat, doloris rationem ipsamet effari nequibat: Rediit quoque tum ante, tum post novum hunc insultum *Cephalalgia*, præcipue *dextram capitis partem* occupans, & nunc occiput, nunc Sinciput, nunc tempus, nunc frontem misere excruciavit: quandoque præ dolore exclamavit abscessum intus sub syncipite latere, imo jam exitum parare; unde quoque non raro ut ille ope Chirurgica maturaretur expetiit. Tunc quoque de *vertigine* querebatur, ob quam pronam se casuram verebatur: hujusque sedem dextram potius partem dicebat, cum cerebrum præcipue turbari ididem sentiret. Incedebat nihilominus subinde, ac brachium sinistrum paralyticum tam ponderosum ajebat sæpius fieri ut casum timeret, pondere corpus antrorsum trahente: Hyeme adventante, tum ob frigidorum abusum, tum ob vitam sedentariam, tum denique ob medicamentorum neglectum, sensim pedes œdematosi facti fuerunt ac intumuit abdomen. Mense Ianv. 1669. primum menses substiterunt. Subinde catharri ad pectus ruebant, respirationem difficilem reddebant & tussim excitabant, qua aliquoties sanguinem concretum fabæ magnitudine excrevit, alias cessante catharro libere respiravit commodéque decubuit, humilius certe quam cæteri hydropici Hydrops in dies incrementa sumpsit, abdomine prætumido & œdemate etiam lumbos occupante: Doluit summopere pes dexter: die 23. Mart. 1669. ipsam moribundam conveni, præter pedes, abdomen, lumbos, *brachium* quoque *sinistrum admodum intumuerat*: Facies erat Hippocratica, extrema frigida, lingua arida, pulsus summe debilis, In pedibus maculæ rubræ apparebant; in dextra tibia gangræna in procinctu erat: delirabat per aliquot dies, ante obitum ad mentem rediit: Semper & ad ultimum usque halitum accurate vidit & acute audivit: Die 24. Martii 1669. mortua est.

XXV. Martii cadaveris apertionem prece & pretio obtinui. Ante apertionem in cadavere observavi maculas in tibiis latiores & lividas evasisse: alicubi vesicas amplas sero turgidas emersisse, quibusdam in locis ex poris serum exsudasse, abdomen subsidisse, ex ore humorem viscidum subflavum copiose emanasse: Cuti capillata decussatim incisa, tum ex vasis capillaribus sauciis, tum ex cranio ipso denudato exstillavit sanguis ichorosus, fluidus, omnibus fibris destitutus, nec in grumos concrescens: Ossa ablata, integra dura meninge copiosius serum occurrit: Corpore falciformi à crista galli resecto ac retrorsum flexo, superficies cerebri ubique ceu gelatina flava transparente tegebatur, illaque alias anfractuosa, plena & lævis conspiciebatur. Sauciata tenui meninge exstillavit copiose serum flavum, tenue, admodum fluxile: Cerebri portione ad ventriculum dextrum usque ablata, protinus ex illo exiliit aqua turbida, dilatato amplius hoc ventriculo occurrit abscessus ovi gallinacei magnitudine, peculiari tunica, crassitie pennæ columbinæ vestitus, cujus oppositum latus versus tempus dextrum exporrigebatur, Inciso hoc folliculo, aqua turbida subfusca effluxit, qua evacuata cerebri superficies in fundo & ad latera inæqualis, & quasi exesa & exulcerata apparuit: nam deterso in fundo muco subsidente, manifeste cerebri portiunculæ prominulæ & laceræ videbantur, In folliculo hoc nullibi foramen nec premendo ante incisionem, nec postea reperire potui. In sinistro ventriculo, ut & tertio quoque aquam, sed pauciorem & limpidam inveni, unde conjeci dextrum duos folliculos recondidisse, quorum primus incaute incisus fuerat: Plexus choroideus utrinque glandulis plurimis, minutissimis, albentibus & pellucidis refertus erat: In toto reliquo cerebro nullum vitium animadverti: in basi quidem sinistra pars mollior

primum videbatur, verum posteaquam ipsam cum dextra contuli, discrimen admodum exiguum deprehendi. Cerebellum mollius & flaccidius cerebro fuit. Cerebro & cerebello è Calvaria exemptis, recisa medulla spinali, ex orificio calvariæ amplo plurimum seri subcruenti effluxit, simulque observavi ostii istius spatium multo amplius fuisse quam ut à medulla impleretur: Vidi medullam hinc inde manantibus quibusdam fibris alligatam quidem, sed nihilominus humoribus descensum concedere: Ex medullæ incisæ superficie guttulæ sanguineæ exsudabant, quæ alias firma & nitida erat, sinistra tamen pars dextra minor videbatur. Quicquid sanguinis intra cranium stagnaverat, fluidum mansit nec in grumos concrevit: Imo ventre aperto aqua citrina effluxit, sed præter expectationem quantitate minor: Ventriculus & intestina, tum tenuia tum crassa, flatibus turgidissima erant: crassa ab excrementis vacua: Hepatis superficies livida, inæqualis, ceu corpus ex plurimis glandulis conglomeratis apparuit, mole vastum: Lien non erat naturali major, mollis, lividus, glandulas mesenterii & Pancreatis admodum duras comperii: videbatur Pancreas esse corpus ex multis glandulis conglomeratum; ejus Ductus vacuus erat. Uterus ejusque testiculi minores quam alias in hac ætate inveneram: Nullibi sanguis concrevit: Pectus, quia alio avocabar, nec multum de Pectoris morbis conquerebatur, non aperui.

Sensit aliquid intra cranium ruptum fuisse) Onerum graviorum gestatio in capite Abcessibus, seu Tumoribus cum folliculo in ventriculo dextro ansam præbuisse videtur, nam prima vice aliquid rumpi, altera fragorem sensit manifeste, quæ indicio sunt ob maximum nixum tenuem meningem intra ventriculum dextrum, à medulla quam obtexerat, jam tum avulsam fuisse: Aurium enim instrumenta quidpiam passa fuisse neutiquam credibile est, quia ad extremum vitæ acute audivit, neque in reliquo toto cerebro quidpiam visum fuit, cui fragor & sensus ruptionis adscribi potuisset, præterquam in hoc ventriculo: & omnino medullam cerebri tunc temporis afflictam fuisse testatur urinæ detentio aliquomodo læsa, ob quam urinam non diu in vesica detinere valuit, debilitato sphinctere, quamvis nondum lectum perminxerit.

Totum sinistrum latus motu & sensu privabatur) Hemiplegia septimum circiter mensem post perceptam ruptionem & fragorem sub onere gravissimo, evenit, quem Tumoribus dextri ventriculi primario tribuere nequeo, quamvis alter qui integer permansit, ovum gallinaceum superarit; alter, quem imprudenter sauciavi, non multo minor fuerit, ut ex aquæ turbidæ affluentis copia divinare potui, quamvis etiam in fundo & ad latera corpora striata: & portio corporis callosi, exulcerata, inæqualia & quasi lacera apparuerint; nam à xxii. Decemb. 1667. ad xxiii. Martii 1669. nullum insultum hemiplecticum primo similem experta est, licet proculdubio in tanto temporis intervallo tumorum moles augmenta sumpsisset, & superficies medullosa à liquore acri in ventriculo hoc amplius erosa fuerit: Imo Tumoribus, ut pote folliculo inclusis, integris permanentibus, potissimum naturæ beneficio & usu aquarum cephalicarum primum pedi sinistro insistere, pressis digitis movere brachium, labia rite conformare, & verba ad intelligentiam comparata effari potuit. Adhibitis postea medicamentis efficacioribus, scipione suffulta obambulare, in publicum prodire & templum frequentare, aliasque actiones animales postliminio reparatas edere valuit: Perstitit quidem brachii sinistri impotentia ad motum, integro sensu, àprimo insultu ad vitæ extremum, non tam ob tumores, quam ob labem aliquam particularem nervorum axillarium, qui graciliores & teneriores sunt nervis ex osse sacro ad femora & pedes descendentibus; nam auctis tumoribus, impotentia brachii post sumpta medicamenta minor erat quam in primis post insultum diebus. Nec Hemiplegiam istam sero intra cranium & duram meningem, aut illi qui intra meninges, & in sinistro & tertio ventriculo stagnaverat, aut illi quod subflavum copiose sub pia matre collectum transparuerat, nam in utroque latere pari copia, forte ob hydropem, redundavit, neque quicquam apoplectici passa est, nec apoplexia mortua est: quemadmodum quoque Victor, *de quo supra*, à magna seri intra cranium colluvie ab insultibus apoplecticis, post paresin superatam, aliquot annis ad fatalem diem immunis fuit: Non equidem nego tumores istos ventriculi dextri ad Hemiplegiam sinistri lateris symbolum suum contulisse, nam ipsemet cum plurimis aliis observavi uno latere affecto, oppositum paralysi correptum fuisse: verum sociam, & forsan primariam causam Hemiplegiæ, serum extitisse arbitror: accidit enim postquam cursu contentiore sanguis incaluit, & in templo subito per habitum corporis perfrigui, serumque in massa sanguinea despumatum aut segregatum, cum impetu ad interiora etiam capitis ruit, atque se porulis cerebri in dextro latere insinuavit, una porulos jam ante à tumoribus compressos facilius obstruxit, spiritumque meatus occlusit, atque hemiplegiam effecit: forte etiam sanguinis attenuati portiunculas secum ad profundiora traxit, deliravit enim xiv. diebus post insultum: sero namque extra medullarem cerebri substantiam & medullam spinalem fluctuanti, aut tumoribus solis Hemiplegiam adscribi non posse jam dictum est: Setum vero post antiperistasin & insultum istum segregatum fuisse, crebra & copiosa mictio primis diebus sufficienter probat, & profundius cerebrum subiisse evincit curatio, quæ peragebatur serum discutientibus, absorbentibus & evacuantibus: Medulla cerebri in sinistra basis parte mollior, quam dextræ plane non dissimilis, neque locum affectum neque causam proximam demonstrat: Neque multum ad hujus rei demonstrationem confert medulla spinalis sinistra minor dextra, si enim præternaturale quidpiam fuisset, æque pes ac brachium ad motum impopotens permansisset.

Conquerebatur de Syncipitis dolore, &c.) Cujus causa partim tumores intra dextrum ventriculum, partim lympha seu serum meninges distendens.

Brachium & pes motu convulsivo succutiebantur) Succussio brachii & pedis sinistri mense Febr. à me

me adhuc animadversa, erat vere motus convulsivus, nam inopinato & præter voluntatem artus isti agitabantur. Quamvis in Hemiplegiæ principio artus sinistri lateris elanguerint, atque aliquandiu paralytici perstiterint, non tamen ita omnis sensus & motus nervis huic lateri dicatis perierat, quin ad molestiam quandam excutiendam adhuc insurgere valuerint, prout omnino oculis paruit, & à me in aliis etiam fortissima Apoplexia decubuis non raro observatum fuit. Quoniam autem uno momento simul artus isti succutiebantur, necesse est molestiam hanc in medullæ spinalis parte quadam extitisse, ubi nervi brachii & pedis adhuc uniti erant, nam intra cerebrum conclusam fuisse neutiquam credibile est, cum sensibus integris fieret: molestiam hanc non arbitror irritationem quandam dici posse, nam succussio brevi tempore durabat, & postquam cerebrum, cerebellum ac spinalis medulla sero largissime etiam acriore perfundebantur, non amplius eveniebat, potius cum Exc. D. VVillis explosionem hic admitterem, nam omnino spatiola sunt inter medullarem nervorum substantiam & membranam illam ambientem, quæ manifeste in funiculis, in quibus plures nervuli colligantur, dextra manu inveniuntur: atque hæc succussio tunc solum Ægram affixit, cum adhuc humoribus nitro sulphureis abundavit: postquam vero illos victu refrigerante quasi suffocavit, penitus cessavit.

Querebatur de dolore in planta pedis dextri) Dolor plantæ pedis dextri, alias sani, ob quem nudo, & non prius linteis probe obvoluto insistere non ausa est, quemq; verbis exprimere nequiit, non videtur à sero inter cutim & musculos, aut intra musculorum interstitia fluctuante, quod in œdemate frequenter sine dolore fieri solet, sed ab humore intra membranas valde nerveas, seu nervos in membranas expansos, in planta pedis coercito originem duxisse, atque propterea affinitatem aliquam cum arthritico habuisse: An vero huc ex fistula sacra derivatus, anne vero ex arteriarum capillamentis effusus fuerit, incertum, est nullum enim in partibus intermediis, ab osse sacro ad pedis plantam dolorem passa est.

Brachium sinistrum admodum intumuerat) Brachium sinistrum intumuit, sive ob lympham ad venam axillarem refluam in motu impeditam & stagnantem, sive ob serum fistulæ sacræ inclusum, huc vergens: Aliàs hemiplecticos novi, quibus brachium paralyticum permanens prorsus contabuerat, quod ob succum nervorum denegatum fieri credebatur.

Mortua est, &c.) Non mortua est apoplexia, nam ad extremum usque pes dexter summopere doluit, accurate audivit & acute vidit, sed sensim cordis motus substitit, quoniam sanguis ob pedis dextri gangrænam corrumpebatur, spiritibus orbabatur nec instaurabatur, unde paulo ante obitum delirabat, facies Hippocratica, extrema frigida & pulsus summe debilis aderant: Post obitum sanguis ubique ichorosus nec grumescens ex vasis sanguiferis fauciis emanavit: Quomodo vero partis alicujus Gangræna aut Sphacelus, item cancer & ulcus cum ossis carie totam massam sanguineam corrumpere, eandem labem alii parti imprimere, aut ipsam mortem imprimere possint, peculiarem dissertationem postulat. *I. Iacobus VVepferus Exercit. de Apoplexia, histor xiv.*

Maxilla inferior dextrorsum abripiebatur) Cur ut plurimum materie morbifica in corpus Striatum proiapsa, oculi, nec non oris & faciei musculi adhuc motus suos retinent, proinde ut non nulli circa initium spinalis medullæ, infra nervos omnes à medulla oblongata oriundos, obstructionis locum statuant? Dico rem istam ita habere, quia nervi prædictis musculis (quorum scil. motus per instinctus naturales cientur) destinati, & à quinto & sexto pari profecti, non secus ac nervi præcordiis & visceribus inservientes, spirituum animalium influentias potissimum à cerebello derivant, cujus regimen, affecto licet corpore striato, sæpe illæsum perstat: *VVillis cap. de Paralysi.*

Observatio V.

§. Paralysis ab excremento cerebri aqueo in spinam decumbente excitatur eo quod Dorsalis medulla inde Intumescat, non ab obstructione Nervorum.

A Pituita, seu excremento cerebri aqueo, seroso, frigido, humido, cerebrum irrigante, vel Nervorum omnium principium premente, uti Apoplexiam, quæ totius corporis est Resolutio, generari, sic si hoc in nervis accidat Paralysim fieri censemus: Talis enim humor à cerebro in Apoplexia, quam prius procrearat, excussus, vel sine ea defluens, non per Dorsalis medullæ aut nervorum substantiam, sed vel per cavitatem Dorsi vertebratum, dorsalem medullam continentem descendens, ilicoque vel circa principium aut progressum illius subsistens; vel ulterius per ductus, quos nervorum paria à dorsali medulla progressa, citra omnem connexum undique in corpore permeant, delabens, aut etiam à capite nervorum conjugationum similes ductus sequens, alicubique circa nervos hærens, quocunque loco, sive hoc circa dorsalem medullam, sive nervorum paria aut conjugationes accidat, ea comprimendo, vel irrigando, uti si hoc in cerebro fiat, Apoplexiam, sic si hoc in jam dictis locis accidat, Paralysin plurimum pauciorumve partium, prout generalis particularisve nervus afficitur, procreat, cum si copiosus humor eo affluat, angustis, illis in locis pondere suo *nervos comprimendo spiritui animali viam intercipere possit*: eoque diutius si crassior & muscosus longiore mora detentus evadat: Præcipue vero quod humiditate sua nervorum substantiam continuo irrigans & adimplens refrigetansque, eo in loco propriã ipsorũ temperiem destruat, & quo minus spiritu animali impleri eoque perfrui possint, impediat: unde &

propter inutilem hanc interpositam nervi affecti portionem, reliquo qui ad partes deducitur nervi ductu ad functionem edendam simul inepto facto, resolutionem perfectam, si magna sit læsio, partium quibus hi communicantur sequi necesse est, eamque eo diuturniorem & pertinaciorem quo major Nervi offensa existit: *Quam veram Paralyseos pituitosæ causam esse, intumescente ex aqueo humore dorsali medulla, Sectione deprehendimus*: Ut non opus sit obstructionem quandam in *nervis*, hic, *qui solidi sunt*, aut *ex filamentis constiti*, nec cavitatem ullam, quæ humorem illum crassum, uti quidam scribunt, admittere possit, excogitare: vel si nervorum hanc humectationem quidem concedant, id tamen hac ratione, quod nervi longiores laxioresque facti, ad motum edendum inepti fiant, cum Nervi partem minime attrahant, fieri asserere. *Platerus Pract. lib. 1. cap. 2. part. 2.*

N*Ervi qui solidi sunt*) Nervorum ductus non, uti Arteriæ & venæ, perforati sunt, nam illorum compages non modo stylo cuivis impervia est, sed & microscopii applicatio cavitatem nullam his adesse confirmat. Quod ad tubulos olfactarios attinet, isti ita conditi videntur, non pro spirituum animalium commeatu, verum ut serositates quædam hac via elabantur. Ipse autem spiritus in lateribus, ac minime in cavitate utriusque tubuli feruntur, cæteri autem Nervi substantia compacta & plane firma constant, ut humor subtilis, qui spirituum vehiculum est, illorum compages, non secus ac spiritus viri extensas fidium chordas tantummodo sensim perreptando, trajiciat: Hinc arguere licet, quod si quidem spiritus animales pro expansione sua nullam intra Nervos cavitatem manifestam requirunt, neque tali iisdem opus esse intra cerebri compagem: quin ventriculos, ita vulgo dictos, in aliud quam hoc munus deputare oporteat. *Willis Anatomes cerebri cap. XIX.*

Ex filamentis constiti) Nervi ipsi (prout microscopii ope detegere licebit) per totum, poris & meatibus, quasi totidem alveoli densissime excavatis, & invicem contiguis instruuntur; ita & συγγενῶν eorum substantia, instar cannæ Indicæ, ubique porosa ac pervia est. *Idem ibidem.*

Nervos comprimendo spiritui animal. viam intercipere:) Præter spiritus animales intra Nervos conceptos, Liquorem quendam *idem* l. c. statuit; Intra næc spatiola, *ait*, Spiritus animales, sive corpuscula valde subtilia, & ex natura sua semper in motum promptá, blande scaturiunt, quibus tum pro *vehiculo*, tum etiam pro *retinaculo*, *latex aquosus*, & ipse partium subtilium valde, adjungitur, Humor iste fluiditate sua spiritus per totum systema nervosum diffundit; item visc ositate sua eosdem, ne protinus dissipentur, velut in systasi quadam ac se ie continuata requirit: Videtur enim quod sine tali humore spiritus intra nervosum genus consistere nequeunt, quin tenues evanescant in auras.

APPENDIX.

Nervi, quantumvis sero immersi Paralysin non incurrunt nisi ab eo premantur, aut corrodantur, &c.

IN dicti Spoerlin (*Vide Observ. 1.*) aperto capite, colluvies seri ingens inter meninges & in ipsis cerebri ventriculis reperta, vix non quemlibet persuasisset quin graviores noxas actionibus animalibus, imo ipsam apoplexiam attulisset, nisi diligenti observatione contrarium animadversum fuisset, nam ad ultimas usque horas omnibus sensibus valuit, sane loquutus est, manuum & pedum digitos ipsosque artus aliquantulum movit: atque manifeste docuit nervos medias intra undas natantes nunquam ita emolliri, aut structuram ipsorum eousque destrui, quin spiritus integre conservent, liberumque transitum concedant, nisi premantur, aut à circumfluo humore corrodantur & sphacelo enecentur. Idem ante hac in hydropicis annotaveram: plures patiebantur ventris tormina, imprimis post propinata purgantia, mediocriter appetebant, sitiebant, ac quandoque sævissimos dolores tolerabant, imprimis si funesto plerisque erysipelate rubebant, quamvis in abdomine nervi & plexus nervosi non solum sero copioso inundari fuerint, sed etiam illos ipsos, aqua tenui membrana coercita, veluti gelatina incrustarit, ut sectione inveni: In pedibus vero, à planta ad coxam ipsosque lumbos, œdemarosis, viderim cutim, pinguedinem, membranas, imo ipsos musculos instar spongiæ aqua turgidissimæ maduisse, quæ largissime vulnere facto exstillavit: Imo ne lethargum quidem peperit, licet ob pulmonum ulcus febricitarit dictus Spoerlin, & cerebrum aquæ immersum fuerit, quod forte propterea factum, quia cerebri venticulos & corticem infra anfractus vestiens, tenuis meninx ab omni aquæ irruptione medullarem substantiam immunem præstitit: Nullos insultus Epilepticos, aut alios motus convulsivos serum cranio inclusum peperit, quod vellicando alias efficere valet, quia proculdubio multa lympha dilutum, minusque acre, salinis aculeis in percolatione non transeuntibus, fuit quam illud quod ulceris, dysepuloti & depascentis (quo laboravit) causa fuerat: Forsan etiam meninges longa assuetudine, veluti callo obducto, aquam facilius toleraiunt. *I. Iac. Wepferus Dissert. de Apoplexia p. 370. & sequ.*

Observatio VI.

Paralysis colicos dolores sequuta, à Sero cerebrum & spinalem medullam inundante ortum ducens.

IN Germania, & præcipuè in Franconia ac in Norinbergico tractu frequentissimum hoc malum est. Quo verò modo & quibus de causis hæc contingat, ex subsequenti historia intelliges: Secui *juvenem mulierem*, quæ primo ex epatis & vesicæ bilis obstructione in Tertianam notham, deinde in *colicam passionem incidit, paulo post Paralytica reddita* integrum annum vixit: quæ tamen usu thermarum aliqua ex parte sublevata, ad extremum delirio ac Epilepsia correpta occubuit: Paralysis à principio occupavit brachiorum superiores partes, sensim ad extremitates manuum, ultimo ad crura descendit: *ægra atrophia contabescebat*, de ventriculi ardore, Siti, appetitus edendi prostratione, alvi difficultate, & dolore Ilii sinistri tensivo gravique (sentire enim sese inquiebat in illo loco pondus aliquod grave, tanquam plumbi massam) conquerebatur.

Hanc mulierem aperui, & reperi jecur pro corporis ratione nimis magnum obstructionéque minimè vacans: Vesicam bilis bile crassa ac nigra turgidam: Ventriculum humore plenum viridi, atque extensum: Ulterius descendens, inveni Colon male atque p. n. conformatum, Si quidem ubi sacculus, sive monoculus situs est, & ubi colon ventriculo annexum est, colon fuit valde laxum, flatibusque expansum, reliquis in locis, ad crassum intestinum usque angustum, fæcibus crassis durisque in globulos concretis infarctum: Eodem modo conformatum vidi Colon in multis fœminis: Reliqua viscera, tam naturalia quàm spiritualia, erant illæsa ac integra. Ex cerebri substantia inter dissecandum effluxit aqua tenuis & colore subrirundo, quod venarum arteriarumque incisioni adscribendum est: nam aqua, qua omnes ventriculi scatebant, fuit tum tenuissima, tum limpidissima ac pura, nihil vero pituitæ in ventriculis cerebri vidi: Totum spatium, quod in sacra fistula inter tenuem ac duram membranam est, & ubi nervorum funiculi nervos constricturi à spinali medulla recedunt, simili aqua plenum extitit. *V. Coiter lib. observat. Anatom. & Chirurg.*

EX hac historia & symptomatibus quæ præcucurrerunt, conjicio malorum scaturiginem ab epatis & cystis obstructione prodiisse, indéque febrem consequutam: Postquam vero bilis non expurgabatur per convenientes vias, scil. intestina, nec eorum expultricem stimulavit, hinc debilia stupidáque reddita, multa superflua, quæ in flatum soluta colicum dolorem excitarunt pertinacissimum, collegere. Hi flatus cùm liberum exitum, ob coli in quibusdam locis angustiam habere nequierint, in laxa parte, ut pote paulo supra inguen sinistrum collecti, huic parti vicinisque locis, quibus colon beneficio ligamentorum firmissimè alligatur, magni ponderis & tensionis sensum excitavit, in aliis locis non æque, nam non ita laxa erant. In his affectibus bilem tenuiorem regurgitare in ventriculum, tum quotidiana experientia docet, tum Galen. ad Aphorism. 50. 6. In hujus fœminæ ventriculo humor contentus undequaque erat viridis & satis tenuis; unde non mirum si ventriculi actiones disturbatæ fuerint, ac ægra omnem cibum nauseârit, sitimque ardorémque ingentem cum morsione perceperit: Ad *Paralysin* capitisque alios affectus quod attinet, notissimum est nullas partes consensionis vim majorem atque cerebrum & ventriculi orificium invicem obtinere: quare in hoc casu cerebrum per ventriculi consortium affectum esse minime dubitandum existimo: multò minus plurimos vapores ad caput elatos, atque in tenuem illam humiditatem, quæ forsan acrimonia non caruit, conversos, atque totum cerebrum irrigasse: à cerebro undecunque hanc humiditatem per sacram fistulam ad nervorum originem defluxisse: ad extremum facta humoris aquosi ebullitione, au&aque acredine, sequutum delirium ac Epilepsiam opinor. Hæc ita sese habere omnes quos similibus affectibus correptos, & tandem simili modo interemptos vidi (vidi autem plurimos) manifestè attestantur, præcucurrerunt hæc majori ex parte, 1°. febris tertiana notha; faciei color subflavus, Ictericis non admodum dissimilis, vel color pallidus, nonnunquam pallor, interim faciei tumor, appetitus edendi dejectio: totius corporis emaciatio & languor: plerique incurrunt in colicas passiones difficillimas, colica cessante subsequitur paralysis 1°. brachiorum, 2°. manuum, ultimò crurum: paralysin comitatur nonnunquam delirium, interim lethargus, interim apoplexia, interim epilepsia & mors ipsa: Fœminæ non rectè purgantur, habéntque menstrum purgationes pravas atque inordinatas. Juvenes multi ab hac paralysi liberantur usu convenientium remediorum, abstinentia vini venerisque & iræ: Senio confecti vix evadunt. *Idem Ibidem.*

In Colicam passionem incidit, paulo post Paralytica) Plurimi in ea sunt sententia eam ipsam materiam quæ doloris Colici causa est, ab intestinis ad membra exteriora non transmitti, sed aliam materiam aliunde ad membra exteriora fluere; ita *G. Hofmannus* in consiliis *Scholzii* conf. 173. asserit: *Tùm demum hanc Paralysin fieri, ubi jam maxima pars materiæ pituitosæ in intestina effusa per alvum excreta, ac per paroxysmos absumpta est, ut jam quodammodo mitescere & rarius invadere Colica videatur, tum enim reliquos humores pituitosos, & præsertim eos qui sunt in capite, ob dolores, inediam, vigilias, calidorum & incidentium medicamentorum usu attenuatos, relicta priore consueta via ad propiorem declinare, ac ita secundum nervos ad musculos, & sic ad manus &* pedes

pedes contendere, unde artus laxentur: Atque hinc non in omni colica resolvi artus, sed tantum in ea quæ magna ex parte pendet ex delapsu pituitosi humoris ex capite per venas, in intestina. *Paulus Ægineta* lib. 3. cap. 4 meminit Epilepsiæ & Pareseos quæ fiat critica quadam ex profundo transpositione, eo modo quo abscessus fieri solent, vel morborum permutationes, per vias, quas sibi parat natura, cum corpus undique transfluxile sit: *Ad. Spigelius* Anat. l. 6. c. 4. statuit ex colo per mesaraicas humorem morbificum in tenuissima earum ora se insinuantem, in aortæ truncum regressum ad lumbares pervenire; has turgescentes vicinos comprimere nervos, unde crurum oriatur paralysis; Eandem ob causam succedere nonnunquam Colicæ Epilepsiam censet, si humores vitiosi in lumbares arterias influxi ad spinalis medullæ latera usque ad cerebrum ascendant. *Rolfinkius* Dissert. Anat. l. 6. c. 59. mutationem hanc doloris colici in πάρεσιν per μετάθεσιν ejusque speciem quæ à bonis ad prava vocatur fieri censet non quod materia colicos dolores inducens ab intestinis convertatur ad spinalem medullam, locum nobiliorem, relicto priori foco, sed quòd nova affluens materia non amplius petat intestinum aut ejus viciniam, sed eam præternaviget & spinalem medullam petat. *Senentus Pract.* lib. 3. sect. 2. c. 4. ait novam viam per quam materia ad spinalem medullam deferri, & Paresin efficere possit, à recentioribus Anatomicis demonstratam esse, nimirum, Ramum quendam ab Aorta, non longe à mesenterico ex porrectum, serpentem in spinam ejusque vertebras: Demum ostendit ad motum cerebrum non sufficere, sed nervos & musculos etiam requiri, quorum integritatem violatam motus depravatio consequatur illæso cerebro. Revera experientia testatur in hac Paresi fere principium nervorum non lædi, & caput ab omni dolore alioque affectu esse vacuum, quod certe accidere non posset si eadem materia quæ colon afficit caput etiamnum obsideret: Adde his ejusmodi Paresin vera citius curabilem esse, quod caput & nervorum origo extra culpam sint: in altera musculosæ ac nervosæ solummodo partes afficiantur. *Laurentius* Anat. l. 4. c. 20. qu. 8. Metastasin à nervis in venas & intestina, & à venis in nervos facile fieri posse asserit; nixus Hippoc. authoritate, *Convulsio*, ait, in Coacis præs. *febris finem affert*, &c. & 2. aph. 26. *Convulsioni febrem advenire*, &c. Inde infert, cum materia febrilis in vasis sedem habeat, Convulsio nervorum affectus sit necesse est, si febrem convulsio sedat, materiam è venis in genus nervosum transferri, Et è contra, cum febris convulsionem sedat: *Tulpius* lib. 3. Observ. cap. 22. Colicum dolorem Convulsionis speciem censet, *Raro contrahuntur*, inquit, *homini abdominis nervi attamen frequentius quam animadvertant Medici nonnulli, confisi nescio qua imprudentia quemcumque ventris dolorem, vel fieri à bile acri, vel ob spiritum intendentem intestinum Colon: Verum inæqualis ventris distensio & adstrictio, rigidorum musculorum contractio, arguunt satis perspicue nervos magis quam intestina pati: Alias non contraheretur venter tam inæqualiter, neque latera apparerent tam obliqua; vel musculi recti adeo recta introrsum incurvati, uti* luce clarius videre est in hac, *de qua loquimur, Convulsione:* Ita etiam opinatur Excell. *Wepferus* in Ephemer. Germanicis anni 1671. *Carolus* quoque *Piso* sect. 4. cap. 2. de morbis à Sero, Colicum dolorem sequi divulsionem seu convulsionem quandam intestinorum, secundum eorum longitudinem statuit; Novissime *Exc. Fr. Ign. Thiermair* cons. lib. 2. c. 4. Colicum dolorem aliquando Nervorum affectum probabiliter esse censet, *Quod si igitur*, inquit, *nervorum affectus sit aliquando colicus dolor, atque porro nervi tum abdominis tum intestinorum crassorum aliqui, tum pedum & manuum, surculi sint ex eadem stirpe (spina medulla) pronati, quin obstat quin materia peccans, qualis est partim humor tenuis, ichorosus, vaporosus, ac forsan particulari pravitate nervis inimicus, ab intestini coli, & abdominis dolentibus membranis nervisque, in nervosas tum pedum tum manuum partes, eo quo dictum est modo, continuo propellatur, atque crisi, sed imperfecta, ad extremos corporis artus ab interioribus evacuetur.* Dixi, qualis est partium humor tenuis, ichorosus, &c. *Etsi enim nullo modo negem adesse in colicis plerumque humorem pituitosum crudum, intestinorum tunicis inhærentem, tamen nemo facile dixerit abesse humorem tenuem, biliosum, ichorosum, acrem simul mixtum: iste enim est qui humoris cruditatem in colo delitescentem, fermentando, flatus doloresque exinde suscitat, iste oris siccitatem & sitim creat: iste tempore paroxysmi colici & ebullitionis, urinam multo sulphure tingit. Iste demum quia tenuis est & vaporosus, facillime ad artus per sacram dorsi fistulam propulsus penetrat: Hinc Paresis de qua loquimur, non est semper & necessario nervorum obstructio vel mollificatio, ut in Paralysi vera plerumque contingit, sed subinde aliqua alia particularis artuum ene vatio, pendens ab humore vel vapore, nervorum robo specialiter infesto.*

Ægra atrophia contabescebat (Atrophiæ in Paralyticis causam ad interceptam sanguinis circulationem refert *Rolfinkius* Epitomes cogn. & curandi, &c. lib. 1. p. 1, cap. 10. & Dissertat. Anat. l. 4. c. 19. Nervi & spinalis medulla κατὰ σωματικὴν ἐσιαν καὶ κλομένην: Venæ & Arteriæ κατὰ συμβεβηκός afficiuntur, circulatione officium haud faciente: hinc pulsus tardus, rarus, debilis, frequens, membri frigiditas & tabes: Id ex Harvejanis principiis optimè declarare licet: motum sanguinis per arterias è corde facilitat calor & attractio carnium: motum ex venis capillaribus, & regressionem in ramos majores motus membrorum & compressio musculorum qui circumstant vasa circulatoria: cum hæc, motus nempe & compressio, desint, deest enim contractio & extensio in membris paralyticis, non est mirum si circulatio sanguinis non ritè peragatur: hinc sanguis, novis non refectus & illustratus spiritibus, torpidus relictus, friget, pulsusque tardus apparet cum tabe: *Glisson Anat. Epatis* c. 45. à Nervorum obstructione fieri censet, & inopia succi eorum nutritii, In Paralysi, *ait*, partes resolutæ ob fibrarum laxitatem, facilémque sanguinis affluxum initio subtumidæ apparent; Constat tamen id à genuino partium nutritarum incremento minime fieri: quippe eædem postea, etsi sanguis usque copiose allabatur, paulatim marcescunt, ut jam præter ossa & pellem vix quicquam supersit: Argumento haud obscuro vasa, per quæ nutriuntur, obstructa esse Nervos scilicet: quippe venæ arteriæ morbi hujus immunes sunt, nervique soli officio suo male funguntur.

Post Paralytica reddita.) Quomodo ex uno affectu alius fieri potest, præcipue post colicam, cum nulla ibi sit affinitas? *Erastus* lib. 4. disp.

contra

contra *Parac.* inquit. Cum materia quæ ex colica Paralyſim facit ſit duplex, aut calida & tenuis, aut frigida & craſſa, de priori non eſt inſignis dubitatio quomodo hoc fieri poſſit, Et revera Paulus novit hujus Paralyſis cauſam nullam aliam quàm humorem biliosum, Et ego quoque, qui ſemel vidi ex colica paralyſin factam eſſe ex humore bilioſo certe ſcio, in Epiſcopo quodam paralytico in utroque brachio. Sab. cura fuit *Capivaccij* & mea, & factus ſanus ex oleorum refrigerantium & fructuum uſu: Sed quando fit ex humore pituitoſo, certè res eſt difficilior; Quod autem fiat, docet *Eraſtus* l. c. ubi inquit frequentem eſſe in tractu Franconiæ hanc permutationem: Modi quibus materia ex inteſtinis deferatur in nervos multi ſunt, 1. Ut ex inteſtinis feratur in meſaraicas, inde in jecur, hinc in venas totius, per has in ambitum, inde in muſculos & nervos, quem tamen modum improbat *Eraſtus*, inquit enim difficile eſſe materiam pituitoſam & craſſam, quæ poteſt excerni per ampliſſimos ductus in ventriculum & inteſtinum, ferri in ejuſmodi longas vias: Sed etſi difficile, non tamen alienum, Omnium enim una conſluxio: Quod mirabilius, in peripneumonia poſſe fieri abſceſſum in articulos crurum: Omnis enim, dicis, locus eſt amplior. Si pateat alvus, potius excerneretur, ſed alvus ſupprimitur, unde natura alio defert. 2. Ut materia recipiatur in tunicas inteſtinorum, ex his in peritonæum; ex hoc in vertebras, ſive poſt aſcendat in nucham, ſive ibi paralyſin efficiat. 3. Ut hujuſmodi materia, cum non poteſt tranſmitti, convertatur in vapores aqueos, repleat cerebrum, vertatur in aquam & fiat paralyſis, quod teſtatur quidam ex ipſa αὐτοψία (*Coiter allato exemplo*) 4. Quando Colica fit ex humore deſcendente a cerebro in inteſtina, tunc enim poteſt permutari à loco ad locum: quod mittebat natura ad inteſtina, mittit jam ad nervos: 5. Quando humor continetur in venis, dum tranſmittitur ad inteſtina, facit colicam, dum ad nervos, paralyſim. Hi duo ultimi modi mihi non probantur, nam hoc non eſt fieri ex colica paralyſin: loquimur de illa quæ fit præſentibus doloribus colicis ceſſantibus. *H. Saxonia Panthei lib.* i. *cap.* x.

Præcipuè in Franconia.) Ut & Moravia, Auſtria aliiſque quibuſdam locis, ubi vina fortia, ſulphurea & tartarea in uſu ſunt, quod in ſolo terra calcaria, vel lapide calcario, vel ſimili materia minerali abundante creſcant: De hac Pareſi poſt colicam ſic diſſerit, *I. Iac. Wepferus* in miſcell. curioſis anni 1671. Obſervat. 39. Ægri *ait*, colica bilioſa affecti, ſubſequente nonnunquam Pareſi, mihi plurimum negotii ab aliquot annis faceſſerunt: Noſtrates enim plerumque vinum rubrum bene maturum ſpirituoſumque bibunt; Si qui forte in agro Schaffuſiano colica excruciantur, nullus tamen quod ſciam Pareticus fit, nec id à centum annis factum fuiſſe unquam ex annalibus Medicis colligere potui: Rari etiam apud nos Scaphuſanos ſunt podagrici & calculoſi, nec convulſivi motus frequentes ſunt potiſſimum id vino rubello ſalubri hactenus adſcripſi: E contrà ubi vina alba bibuntur, quæ ut conſerventur imbuenda ſunt ſulphure, in aperto vaſe, ut rubella deferveſcunt, ſed in doliis, oſculo vix palmæ amplitudine patulo, unde ſulphur vini narcoticum exhalare nequit, ac cum vino permixtum permanet, colica hæc frequentiſſima eſt, ſcilicet in Alſatia ad Lacum Acromium, in Ducatu VVirtenbergico, &c. Frequentiores quoque obſervantur Podagrici & Nephritici, plures quoque utriuſque ſexus, maximè ſequioris, convulſionibus exagitatos vidi: Non ita pridem aliqui Monachi Dominicani potu vini Alſatici colica affecti, ſupervenientibus convulſionibus enecti fuerunt, quibus ob negotia adeſſe nequiveram, Vinum nimium ſulphure imbutum ajebant: Ego id ſulphuratâ tenia, quam dulcem vocant, & ſemin. aniſi, coriand. cinnamomi, Biſmuthio aliiſque conſpergitur, præſtitum ſuſpicabar: Biſmuthum *Th. Iordanus* in peſtis phænomenis, jam olim damnavit, hujuſque morbi pararium in Moravia exiſtimavit; Quid enim plumbum in pollinem redactum atque intra corpus admixtum valeat, ex *Fernelio & Palmario* conſtat: Inſuper Monaſterium nobis vicinum eſt, ubi Patres vinum auſterum bibunt, vix ullus inter eos eſt qui hanc peſtem effugiat: Superſtitioſe maleficio cuidam occultato morbum, ſignis ſuis notiſſimum adſcribunt: Colicam hanc ab aliquot annis jam credidi oriri nullo modo ab obſtructione quadam, ſed conſtrictione & convulſione quadam fibrarum inteſtinorum, ob quam ſtrictiſſime alicubi occluduntur, ac flatibus aſcenſum ac deſcenſum denegant, unde ſævities dolorum: Hujus conſtrictionis cauſam exiſtimo humorem tenuem, acrem, nervorum ductum ſequentem, ac in plexu aliquo nervoſo meſenterii ſtagnantem, unde his lumbi impenſe dolent, & abdomen inſtar carinæ quaſi excavatur umbilicuſque introrſum trahitur: Humor ob doloris ſævitiem & vigilias continuas accumulatus, Pareſin gignere videtur: quamvis obſervarim brachiorum Pareſin aliquando colicam præceſſiſſe, ſcilicet humore circa cervicem hæſitante & nervos, antequam plexus nervoſos meſenterii aſſequatur, emolliente: In curatione notavi Purgantia dolores exaſperare pareſin, imò mortem accelerare: Plus beneficii contulerunt juſcula refrigerantibus alterata & acidulæ: clyſteres refrigerantes & emollientes, item inunctiones & epithema, e. g. è ſucco lactucæ, ſenecionis, &c. Hæc morbum breviorem effecerunt & plerique Pareſin effugerunt: Venæ ſectio, quam *Chiffletius* commendat, aliquibus Pareſin accerſivit: Clariſſ. *Spigelius* de Hemitritæo, meſenterii inflammationem in cadaveribus reperiit, quam à præpoſtera ſæpe curandi methodo excitari nullus dubito: Cadaver cujuſdam colica enecti ſecui, totum abdomen pure impletum erat, toto meſenterio abſceſſu quaſi exiſtente: Culpam mali adſcripſi fomentis emollientibus & calefacientibus, purgantibuſque fortioribus: Clariora omnia evaderent ſi per ſuperſtitionem cadavera ſecare crebrius liceret: Unice me angit qua ratione conſtrictio hæc ſpecifico aliquo antepileptico mature ſolvi poſſit; Hactenus morbum refrigerantibus, humectantibus, & annodynis expugnavi.

OBSERVATIO VII.

Paralysis ab aqua limpida in cerebri ventriculis & sacra fistula contenta.

SI ocularis inspectio hac in parte scriptorum authoritati est præponenda, nostra sententia magis ad *Rondeletii* quàm ad *Fernelii* opinionem inclinabit: Pluries enim invenimus in cerebri ventriculis, sacraque fistula, aquam limpidam tenuem & puram, quam flavam vel bili suo colore similem, vel etiam alium humorem: Majori itaque ex parte, si non semper, Paral. excitat tenuis limpidáque hæc aqua, in cerebri ventriculis atque in spina dorsi collecta, quæ sensim à superiore parte nervos irrigat, quoad pervenerit ad eorum extremitatem. *Coiter libello Observ. Anat. & Chirurg.*

PAralysin à pituitâ crassa nervo tenaciter inhærente fieri, omnium Medicorum est sententia, Ego vero à tenui, sed multa, quæ à cerebro defluit, & ob tenuitatem totam nervi substantiam irrigat mollioremque efficit, in quo idem nervis quod in apoplexia cerebro accidit. Quare non est audiendus *Fernelius* qui flavam bilem paralysin excitare posse scribit, &c. *Rondeletius cap. 13. Practicæ. Vide ibi rationes quibus opinionem Fernelii impugnat.*

OBSERVATIO VIII.

Paralysis à sero totum cerebrum madefaciente, & paucitate spirituum ob hujus molem exiguam.

VIr Ill. proavis cerebri & nervorum dispositioni morbidæ obnoxiis oriundus spasmis levioribus tentari solebat; præterea Paralysis spuria totius corporis membra quævis occupabat, nec enim manus attollere, aut pedes gressui accingere potuit, &c. Primo occurrebat cerebri moles justo minor & gyris paucioribus instructa, unde spiritus animales non satis copiose productos suspicati fuimus: Porro universa τῶ ἐγκεφάλυ compages justo humidior, latice aquoso madida & prorsus immersa videbatur, &c. *Vide tit. de Convulsione.*

OBSERVATIO IX.

Paralysis, aliáque animalis facultatis symptomata, ob anteriorem cerebri cavitatem sanguine & sero plenam, corpus unum striatum comprimentibus.

JUvenis temperamenti sanguinei, ingenuus & plerumque satis sanus, post lautiorem cœnam & vini potum immoderatiorem in cathedra; sedens, stupiditate in manu dextra ita afficiebatur, ut chirotheca, quam forte manu tenebat, involuntarie exciderit; deinde se erigens & ambulare nisus, in femore & crure ejusdem lateris resolutionem sentit: sine apoplexia tamen, incidens, nam animo semper constabat, interrogatis satis apte, tarde licet ac impeditè respondens, & quæ jussa erant faciens. Medico peritissimo statim accersito, phlebotomia, vomitio, purgario, ordine celebrata fuere: cucurbitulæ, scarificatio, linimenta, frictiones, aliæque administrationes idoneæ sedulò adhibebantur: nihilominus *Paralysis* accrevit, ut præter motum membris dextri lateris fere ademptum, etiam istius oculi visum amitteret; usque tamen, etiamsi torpidus & somnolentus, mentis compos amicos dignoscebat, & infirmitatis suæ conscius, & pro sanitate recuperanda sollicitus, remedia quæque oblata sumebat: verum his non obstantibus, functiones animales magísque in dies, eorumque consensu demum vitalis fatiscebat; ita ut circa diem 7. aut 8. modo in convulsiones, aliásque spirituum animalium distractiones subinde incidens, tandem viribus exolutis, morti succumberet.

Capite aperto, anterior cerebri cavitas sanguine partim ichoroso, partim concreto & grumoso, cum seri copia implebatur.

HInc ut facile esset concipere ab illuvie ista corpus unum striarum comprimente, ejusque poros & meatus constringente, spirituum affluxus in appendicem istius lateris nervosam impediri, & propterea in membris respectivis resolutionem excitatam. Atque ob thalamum opticum, ubi corpori striato inseritur, etiam compressum, istius lateris oculum visu privatum fuisse: Porro quatenus corpus callosum: istud antrum concamerans, à materia aggesta nonnihil premeretur, inde functionum Animæ principum hebetudo & torpor, sine ulla tamen earum subversione aut inordinatione excitabantur: cujusmodi illarum affectiones propter noxam substantiæ cerebrali, ejusque spiritibus incolis affixam, ac minime à ventriculorum impletione procedere satis liquere videtur. *Willis l. c.*

In mentis hebetudinem, &c.) Observavi in pluribus, quod cum cerebro primum indisposito, mentis hebetudine & oblivione, & deinde stupidítate & μωρώσει afficerentur, postea in paralysin incidebant; scil. materia morbifica sensim delapsa, & demum alicubi intra caudicem medullarem (ubi tractus medullares plusquam in corpore striato arctantur) ad plenitudinem oppila-

oppilativam aggesta: propterea enim, prout loca obstructa magis aut minus ampla fuerunt, aut Paralysis universalis, aut hemiplegia, aut membrorum resolutiones quædam partiales accidebant. *Idem.*

Observatio X.

Paraplegia in Phrenitico, ob serum multum in ventriculo medio deprehensum, cum siccitate medullæ cerebri & membranarum.

ADolescenti Phrenitico, sub finem dextrarum partium rigor revera τοῦ ἐγκεφάλου & deinde Paraplegia, &c. Observatum in ventriculo medio serum multum: medulla cerebri sicci- or, membranæ siccissimæ, &c. *Vide tit. de Phrenitide ex Ballonio.*

Σπασμὸς *& deinde Paraplegia.*) Spasmum paralysi interdum accidere adnotavi, nempe, cum è musculis antagonistis unus resolvitur, alter convellitur: Porro usitatum est partematis convulsivis dudum obnoxios, tandem in membris debilitates, ac demum resolutiones sive ἀκινησίας pati: Novi plures epilepticos, & alios spasmodicos, ob functionem motivam in hac aut illa parte modo inhibitam, modo abolitam, primo claudos, & dein clinicos evasisse; cujus ratio videtur esse, quod materies morbifica intra cerebri & appendicis ejus tractus tum medullares, tum nerveos continue admissa, & crebro explosa, tandem eos ita debilitet ac dilatet, proinde ut aliusmodi insuper particulis, sive narcoticis sive vitriolicis (propter quas spasmo paralysis supervenit) aditus pateseat: Porro sæpius observavi ob diversimoda hæc materiæ morbificæ miscellanea (velut cum nix & pluvia simul contiugunt) una motibus convulsivis & paralysi laborantem, infestari: Hujus notabile exemplum in Tract. de Motois Convulsivis cap. 9. p. 115. artulimus: *Willis cap. de Paralysi.*

Serum multum, medulla cerebri siccior. (In omni paralysi per obstructionem facta, materies morbifica non crassa & frigida pituita est (prout Galenus & plures Medici asserunt (talis enim cerebrum ductusque nerveos pervadit, sed ex particulis valde subtilibus & activis, regimini licet animali infestis, constare videtur: Enimvero Paralysis hominibus, non secus ac syriasis, sive uredo, arboribus accidit; quippe venti nonnulli, halitibus plusquam frigidis, scil. spiritu nitroso aut vitriolico prædiri, cum virentes teneroſque arborum frutices sufflant, eos repente emarcescere faciunt; in quantum scil. stamina tenella, nervorum instar, foliis & fructici passim intertexta, maligni aëris afflatu ita penitus constringuntur, ut succum è trunco aut radice suppeditatum non amplius suscipiant, ritu, ob cujus defectum exarescunt. Non absimili particulæ extraneæ & quasi vitriolicæ, intra sensus & motus organa admissæ, quatenus una poros constipant, & spiritus animales dejiciunt, vel à motu supprimunt, partibus respectivis quasi uredinem inducunt, Hanc autem non à mera pituita, aut colluvie serosa excitari plane arguitur, quoniam qui cerebro frigido & humido prædiri, nares & oculos mucci, aut humoris aquosi stillicidio fere semper madentes habent, imo qui hydrocephalo laborant, in quibus cerebrorum, & summitas utriusque medullæ lymphe velut innatant, non propterea in Paralysin, nisi per medullæ compressionem disponuntur. *Thom. Willis cap. de Paralysi.*

Observatio XI.

Paralysis ab aqua limpida cerebri anfractus alluente

MUlier post diuturnum & gravem capitis dolorem, tandem in lethargum cum partiali membrorum resolutione incidit: Cranio mortuæ aperto, cerebri anfractus tum exteriores, tum cavitas interna fuit aqua limpida repleta. *Vide tit. de dolore capitis.*

Observatio XII.

Paralysis à sero inter utramque meningem incluso, inter piam ac cerebrum & cerebellum, madore substantiæ cerebri, repletione ventriculorum & effluxu illius in spinam.

I Reutinger, crudelissima cephalalgia tactus, post cæcus evasit: 14. diebus ante obitum lectum permingebat; paucis diebus post paralysis pedis dextri successit, quam sequuta paulo post & sinistri, hinc lethalis apoplexia: Aperto capite cerebrum & cerebellum molle & flaccidum deprehensum, cum sero plurimo in locis memoratis. *Vide tit. de Apoplexia.*

P*Aralysis pedis dextri, quam sequuta post & sinistri, &c.* Forfice diviso, juxta os sacrum, Trunco aortæ descendentis, intueberis innumeras arteriolas quas spinali medullæ & musculis lumbalibus suppeditat: Inde disces materiam serosam influere posse ad hos locos, ad excitandam Paralysin partium inferiorum, *Riolanus Anthropogr. lib. 2. cap. 25.*

OBSERVATIO XIII.

Paralysis spuria à cerebro humidiore, sero immerso, necnon spinali medulla, quæ valde extenuata.

VIri Illustris, præter motus Convulsivos, Paralysis spuria totius corporis membra quævis occupabat, Nec enim manus attollere aut pedes gressui accingere potuit: Illi cerebri moles justo minor & gyris paucioribus instructa fuit, unde spiritus animales non satis copiose producebantur: Universa τῶ ἐγκεφάλω compages justo humidior, latice aquoso madida & prorsus immersa videbatur. Spinalis medullæ truncus aquæ limpidæ immersus, valde extenuabatur, ut vix dimidium osseæ cavitatis impleverit, quod à seri salsi, cui velut incoquebatur, colluvie effectum. *Vide tit. de Convulsionibus.*

OBSERVATIO XIV.

Paralysis à seri insigni copia, inter cranium & duram meningem collecti, circa falcem & illius reduplicationem, ac in omnibus cranii cavitatibus.

MAteria (*de qua tit. de Soporosis affectibus*) apoplexia prehensa, efficacia medicamentorum liberatur, superstite tamen Paralysi brachii sinistri, recurrente septimo die apoplexia lethali: Aperto capite, inter duram matrem & cranium: item in hujus cavitatibus tam anterioribus quam posterioribus, tum & in falce ac duræ matris reduplicatione, inventæ aquæ flavescentis libræ medicinalis circiter quinque.

OBSERVATIO XV.

Paralysis inducta ab aqua ventriculos omnes cerebri replente, hinc ad corpus unum striatum diffluente.

PArvulus cerebri humidi, qui lethargicus obiit (*vide tit. de Soporosis affect.*) plane stupidus factus est, atque intra diem unam vel alteram toto dextro latere paralyticus factus est. Calvariæ olla exempta, anterior τῶ ἐγκεφάλω regio, aqua limpida obtecta intumescebat; cerebro assulatim absciso, & foramine in cavitatem anteriorem, à lympha distentam facto aqua limpida exiliit, cujus ingens copia ventriculos omnes ad summum impleverat, atque corpus unum striatum, aut poros ejus subeundo, aut comprimendo, Paralysin intulit.

OBSERVATIO XVI.

Paralysis à cerebri ventriculis sanguine concreto repletis, ex rupto plexu choroide.

ANno 1644. apertum cadaver mulieris ex apoplexia, illisque succedente paralysi tandem defunctæ &c. omnes cerebri ventriculi concreto sanguine turgebant, ut ne guttulam amplius exciperent: Sanguis iste ex rupto plexus choroeidis vase expressis concretusque liberum spirituum animalium commeatum impediendo, apoplexiam excitavit, quam deinde paralysis sinistri lateris pertinax insequuta est. *Bartholinus cent. 2. hist. 60.*

OBSERVATIO XVII.

Paralysis à bile ad Spinæ nervos detrusa.

VIr quidam ætate florente, epulans liberaliter, quotidianæ vomitioni biliosæ jam dudum fuerat obnoxius: hac repente suppressa ventriculi vehemens dolor prehendit cum nausea & tussi inani: Huic mox cœpit corpus citra febrem vehementi rigore, tanquam invadente exquisita tertiana, ex intervallis quotidie supra vicies concuti: Exactis diebus circiter XV. putrescente jam bile, tertiana febre corripitur; qua multis post diebus soluta, Resolutio insequitur omnium partium quæ sunt sub capite, nec multo post interitus.

Corpore dissecto, tam multorum affectuum causam deprehendimus bilem finceram, eamque prasinam, circum jecoris cava, libræ pondo membranis coërcitam, Et cujus jam portio in spinæ nervos obrepserat. *Fernelius de Febribus lib. 4. cap. 10.*

DE Bile an Paralysin inducere queat? est aliqua controversia, Nam *Galen.* 1. Prorrh. 13. causam segnitiei & Paralysis refert in solos crassos, viscidos & pituitosos humores, Bilem minime posse hos affectus inferre censet, quam sententiam *Rondeletius* accepit, ideo in *Fernelium* invehitur dicentem 5. path. 3. dari Paralysin ex materia biliosa sub finem febrium biliosarum ad nervos transmissa: Cæterum non hæc tantum est *Fernelii* sententia, sed etiam *Ægeneta* l. 3. c. 43.

Ego

Ego quoque vidi Episcopum Ill. qui cum ex colica in Paralysin brachiorum incidisset, frustra diu curatus medicamentis calidis, tandem cum Religionis ergo diutius uteretur oleribus frigidis, aquæ potu, &c. sponte à Paralysi est curatus. *Objicies*, Biliosam materiam Convulsionem potius quam Paralysin facere in nervis impactam? Respondeo distingui Paralysin & convulsionem, non ratione materiæ sed loci affecti; Etenim eadem materies sive biliosa, sive pituitosa, sive melancholica, Paralysin & convulsionem inducit: Nam in Paralysi substantia medullaris præcipue afficitur, In convulsione autem membranosa & fibrosa: *H. Saxonia Prælect. Pract. part.1. cap.13.*

Observatio XVIII.

Paralysis lateris sinistri ex apostemate nata cerebri, turgentibus venis tenuis meningis.

Melancholicus juvenis laborabat Paralysi lateris sinistri & *convulsione* lateris dextri violenta, cum *febre* insigni: Paroxysmi erant admodum frequentes, ita ut multoties quatere tur: mente constabat extra paroxysmum *Epilepsiæ*.

Eo mortuo aperuimus cadaver: in latere dextro admodum turgebant venæ tenuis meningis, *multo sanguine nigro* & concreto: Ea pars nigricabat, & apostema continebat in proxima cerebri parte. *Schenchius ex commun. Ioh. Bauhini.*

Multo sanguine nigro.) Si datur apoplexia sanguinea, ex Galeno l. de curandi rat. per s. m. capite 5. Ergò Paralysis quæ sequitur hanc Apoplexiam erit ex sanguine: Valleriola lib. 2. Observ. 8. scribit in quodam Paralytico, qui ictus fuerat in capite, post mortem inventam esse saniem Paralysis causam: Et *Galenus* 4. de l. 4. ex Peripneumonia inquit fieri Paralysin. *H. Saxonia Prælect. Pract. p. 1. c. 13.* Ideo sanguis audacter est evacuandus: Venetiis novi mulierem, cui cum secta fuisset vena ad ℥vj. sanguinis, non sanabatur, sed missus ad libras est sanata: de qua tanta sanguinis copia alii Medici timebant: Et alios duos novi quibus sanguine misso in multa quantitate, & pro pluribus vicibus sanitati sunt restituti: Itaque in Paralysi sanguinea audacter est sanguis mittendus, neque semel tantum sed pluries; non ex uno loco, sed pluribus: *Idem Ibidem* §. 10. A sanguine autem, in nervorum cavitates illapso retentòque diutius, Paralysin fieri negat Clar. *Platerus*, cum ille mox putrescat & inflammationem pariat, unde alia potius quam resolutionis accidentia sequantur: In vasis verò, si ex plethora, vel situ membri non naturali (ut si brachium diu in altum elevatum teneatur) sanguine delaro in unum locum copiosius, quia tunc nervum vicinum (cum venarum ductum semper nervi sequi soleant) præmendo, id efficere credendum est, ostenditque curatio per sanguinis missionem.

Melancholicus Iuvenis, &c. Quamvis magna ex parte obstructio fiat ex crassis ac pituitosis humoribus, potest etiam fieri ex melancholicis: Nam si Paralysis sequitur Apoplexiam, & hæc fit ex humore melancholico, Ex hoc quoque fiet Paralysis: Fiet autem præcipue ob humorem serosum quo diluitur melancholicus, aut quia serum hujus vehiculum est.

Observatio XIX.

Paralysis sequuta cerebri suppurationem & Effracturam ossis Frontis.

Puero octo annorum ob effractum frontis os, procul à sutura coronali, adeo depressa fuit subjecta cerebri medulla, ut adempta libertate, destitueretur quasi omni motu, qui tamen paulò post iterum rediit, adaperta per exemptum fragmentum via, per quam exitum ubi invenit lacerum cerebrum, extulit seipsum longè lateque supra os fractum extimámque calvariæ superficiem, incremento tam uberi, ut necesse fuerit tantùm huic parti nobilissimæ demere quantùm recipiendo fuisset vacua ovi gallinacei testa. Ex qua præcisi cerebri dilaceratione protinus expullulare ingens fungus, primùm quidem mollis ac albus, at mox durior callo, ac cinerea crusta obductus: quo luxuriante tumore in dies, magis magísque increscente, ac in majorem molem elevato, resolvebantur tandem die xi. nervi lateris oppositi: manente adhuc firmo ac illibato tam animi quàm corporis robore, licet biduo post vivendi finem fecerit, sub sudore frigido ac crebris nervorum distensionibus, conversa jam tum in pus maxima laceri parte: cujus corruptio eò majorem admirationem excitavit in Medicis quò minorem viderant virium jacturam biduo ante mortem; quæ morbo proculdubio diutius reluctabantur, tum ob uberem humidi radicalis copiam, tum ob solida increscentis corporis fundamenta. *Tulpius lib. 4. Observ. 1.*

Observatio XX.

Paralysis à pure inter cranium & duram meningem.

§. 1. Adolescens annorum xiii. fuste lignea à salice, levi quidem illa, sed ex alto demissa, accepto contemptibili, ut videbatur, vulnere in capite, absque cranii fissura fracturâve,

rave, oborta 6. die inflammatione in vulnere, sequente *Convulsione & Paralysi* in crure dextro & brachio sinistro, cum febre & delirio xi. die tandem moritur.

Detecta & abscissa primùm capitis cute, pericranioque amoto, vulneris sedem penitius perspeximus: vidimus qua parte telum impactum fuerat, os livens, contuso utique à ligno pericranio atque etiam ipso cranio: Dissecto rursus cranio, è regione partis vulneratæ, inter cranium & duram meningem, pus inventum est, quod mox dissecto osse effluere cœpit, non copiosum tamen, sed lividum & fœtens: membrana ipsa leviter intenta inventa fuit, non tamen colore demutata, &c. *Franc. Valleriola Obs. 1. lib. 3.*

§. 2. Vinitor accepto vulnere in bregmate paralyticus factus, &c. post mortem reperta sanies inter cranium & duram meningem sat copiosa, &c. *Idem lib. 3. Obs. 8. Vide historiam integram lib. 4. tit. de Vuln.*

Convulsione & Paralysi, &c.] Quare illi qui vulnerantur e. g. in parte dextra aut sinistra, incurrunt Paralysin partis oppositæ? Quidam imaginantur causam esse defectum spirituum, quia spiritus animales non confluunt ad illam partem, ob magnitudinem inflammationis quæ fit in parte affecta, & sic locus oppositus destituitur spiritu: Hæc sententia, si sermo fit de paralysi quæ statim post ictum accidit, vera est: nam si simpliciter hoc esset verum omnes phrenitici essent paralytici; Nolo negare fieri etiam ex inflammatione, ubi hæc desinit ad gangrænam; videte exemplum apud *Dodonæum* Observatione secunda. Vera causa est confluxus seu impetus spirituum & humorum, qui secedit in partem oppositam propter vehementiam ictus: hinc plerumque fit ut pars contusa non dirumpatur, sed fiat ruptura cranii in parte opposita: nam omnes Medici, præter *Celsum*, invenerunt propria experientia oppositam disruptam. *H. Saxonia Panthei lib. 1. cap. 10. Aretæus lib. 1.* de signis chron. cap. 7. causam refert εἰς χιασμὸν νεύρων, permutationes nervorum decussatim factas: consentit *Dion. Cassius* Iatrosophista probl. 41. Adnuit *Cæsalpinus* in quæstion. *Hofmann.* in instit. lib. 2. cap. 82. videantur *Marsianus* comm. in v. 377. sect. 1. lib. 1. Epidem. &c. *Van Der Linden* in Medicina Physiologica. Multa de hac materia superius adducta. Reperta sanies, *&c.* A sanie in vertebras decumbente, præcedente abscessu, se ortam vidisse Paralysin in *Bernardo Trevisano*, socero suo, tradit *Saxonia Prælect. Pract. part. 1. c. 13.*

Observatio XXI.

Paralysis ab abscessu Cerebri, & aqua limpida in sinistro ejus ventriculo.

Miles 27. annor. temperamenti calidi & sicci die 9. Aug. 1638. acinace sauciatus fuit in posteriore capitis parte, cum læsione ossis occipitis: Hoc vulnus ab initio tractatum quasi simplex, usque in diem 31. Januar. 1639. quo æger fuit receptus in nosodochium, ubi Balneator vulnus, partim cicatrice & partim excrescentia carnis obductum, specillo obtuso & tenui exploraturus, illud ad tertiam longitudinis partem, recto tramite, non tantum in fissuram cranii & ambas cerebri membranas, verum etiam in ipsissimam cerebri substantiam (ex qua multùm puris effluxit) immisit: Die 1. & 2. Februar. patiens de oculorum gravitate conquestus; die 3. vocatus, inspecto vulnere & consideratis circumstantiis, ob profundam imprimis specilli intromissionem, anguem in herba latitare suspicatus sum: unde cutim & pericranium scalpello statim incidi, &c. Die 4. inspecto vulnere rimam cranii longam & satis latam inveni, &c. Die 6. æger conquestus est de vertigine & dextri oculi dolore; iterùmque die 8. &c. Die 15. fungi majores visi, &c. die 19. magna puris copia per fungorem interstitium effluxit, &c. Die 20. dextrum latus omnino fuit *Paralyticum*, &c. Die 21. patiens loquelam amisit, cerebrum Caro fuit correptum, & brachium dextrum motibus convulsivis agitatum, &c. Die 23. obiit.

Aperto per seram cranio, interna ossis fissi superficies in tantùm fuit corrupta, ut totum occipitis os usque ad suturam lambdoidam tenuius esset quam os petrosum: Mox specillo obtuso intra fugos posito, abscessum deprehendi magnum, qui in sinistro cerebri latere latitavit, proprio folliculo circumseptum: Remotis proximis cerebri integumentis, cerebrum ipsum cum abcessu tunicato monstravi, & processum duræ matris falcatum elevavi, ut spatium quod est inter dextram & sinistram cerebri partem, cum suis vasis & spiris inspici posset; Cerebro transversim inciso, & magna ejus portione, citra læsionem ventriculi sinistri ablata, abscessus in conspectum venit, ex quo pus fœtidum magna quantitate effluxit: deterso per gossypium abscessu, in circumferentia apparuit crassa aliqua membrana quæ materiam purulentam continuit: In vicinis autem partibus nullum adfuit vel inflammationis vel corruptionis signum: his consideratis, ventriculum cerebri sinistrum aliquantulum compressum, dextrum verò minimè depressum, sed aqua limpida distentum ostendi: In sinistro plexus choroides pallidus, in dextro rubicundissimus apparuit: Ex dictis causam Paralyseos dextri lateris, vertiginis, doloris dextri oculi & hesternæ convulsionis dextri brachii habemus: Ideòque ubi læsum & fissum cranium, & fungosa caro subcrescit, ibi certissimum signum est, si non

ſi non ſubſtantiam, ſaltem cerebri membranas vel contuſas vel laceratas eſſe. *Scultetus Obſervat. Chirurgic.* 19.

OBSERVATIO XXII.

Pueri Paralytici, poſt cerebri vulnus, repertum eſt cerebrum ex parte exhauſtum.

PUero ſexenni ex alto baculus in ſiniſtram capitis partem perpendicalariter decidebat, unde fractum ad menſuram craſſitudinis baculi cranium: E parvo tamen primum oſſis ſincipitis foramine, cerebrum paulatim prodiit inſtar fungi, donec tandem ſponte decideret: Statim ab illato vulnere convulſus eſt in oppoſito latere, mox in eodem, quo læſus, *Reſolutus*, deinde iterum convulſus, donec vitam 15. à vulneris accepti die cum morte commutaret, exhauſto uſque ad corpus calloſum cerebro. *Ioh. Beverovicius Epiſt. ad Th. Bartholinum, in hujus Epiſt. cent. 1. Ep. 93.*

OBSERVATIO XXIII.

In Paralytico adultæ ætatis laxæ & hiulcæ cranii ſituræ repertæ.

QUidam laxas & hiulcas ſuturas, ut pueri, & nonnulli etiam homines habent, quod in Govino 45. annos nato Pictavii obſervavi, qui univerſali nervorum reſolutione periêrat, calvariaque tenuiſſima erat. *Vertunianus comm. ad lib. Hipp. de vulner. capitis.*

OBSERVATIO XXIV.

Paralyſis ab ichore ex carie cranii exudante.

IN cranio juvenis qui Paralyſi extinctus, undique tempora verſus à lue venerea caries, utraque membrana ei tenaciſſime adhærente. *Vide lib. 4. tit. de Lue venerea.*

OBSERVATIO XXV.

Paralyſis dextri lateris à cerebri apoſtemate.

PUer lethargicus, dum profundiſſimo ſomno detineretur, videbatur hemiplegia laborare, nam tota pars dextra neque movebatur neque ſentiebat: Mortui cerebrum & cerebellum in parte dextra, vergens ad poſteriorem partem, omnino ſanioſum, putridum, &c. *Vide Tit. de Soporoſis affectibus.*

OBSERVATIO XXVI.

Paralyſis crurum ab affecta ſpinali medulla è regione renis ſiniſtri affecti.

ILl. N. corripitur febre lenta aſſidua, poſt ſenſum & motum utriuſque cruris amittit: Ren ſiniſter repertus niger, & *ab eodem latere ſpinalis medulla affecta. Vide tit. de Febribus lib. 4.*

A*B eodem latere Spinalis medulla.*) Maligna in Renibus inflammatio producta, Spinali medullæ communicata, potuit ſpirituum ac virtutis animalis influxionem arcere, quæ per propagines nervorum ſexti paris: veſicæ impertitur verum etiam ex medulla ſpinæ, qua partes inferiores lumborum trajicit, excurrit, ut vegetioris ſenſus compos effecta, ea quæ ex naturæ legibus ſibi moleſta ſunt perſentiens, excutiat atque depellat, iter etiam præcludit ſpiritibus, ne fluant per nervos qui ad coxas & crura, ex infimis lumborum vertebris, atque oſſis ſacri quatuor foraminibus emerſerunt, omnes ferè in unum funiculum conjecti, parte poſteriore qua coxa ampliſſimum gerit, in crura protrudunt, Imò & humoris repulſi malignitate ſentiendum eſt copiam ſpirituum diſſipari, qui ad ſpinalem medullam & partes inferna delegantur. *Lælius à Fonte conſult. 59.*

OBSERVATIO XXVII.

Sive Exempla varia Paralyſeos vulnus cerebri ſequuta ob variam cerebri læſionem.

§. 1. IUvenis læditur in regione bregmatis ſiniſtri, poſtridie dextri lateris convulſivi motus, ſiniſtri Paralyſis obſervatur, &c. Tota regio bregmatis ſiniſtri contuſa deprehendebatur, ut ſua ſponte viij. oſſa ſepararentur, de quibus unum acutius, in ipſam ſubſtantiam cerebri per utramque meningem depreſſum inveniebatur. *Lib. 4. tit. de Vulneribus.*

§. 2. Patavii 1644. Procurator nationis Germanicæ, ex levi capitis contusione, neglectis per imprudentiam remediorum præsidiis, primo pedum brachiorúmque Paralysi, mox maturo inde fato oppressus.

In elevati cerebri compage nullum alicujus momenti vitium præter abscessum in opposito latere comparuit. *Th. Bartholinus cent. 2. hist. 34.*

§. 3. Puer ex vulnere in osse frontis sinistra parte, xl. die in resolutionem alterius lateris incidit; tertiáque post moritur: Alienatum & cancro affectum cerebrum inventum est; sanguis enim ex tenui omento erumpens cerebro vitium fecerat & inflammationem excitarat, à qua abscessu facto & aperto pus in spinalis medullæ nervos dextros decubuerat, *Vide lib. 4. tit. de Vulneribus.*

§. 4. Nobilis circa tempus dextrum læsus est, Species Paraseos in parte eadem sequitur: Aperto cranio sanies exigua apparuit: In cerebri penetralibus Abscessus erat. *Vide lib. 4. tit. de Vulneribus.*

§. 5. Henrico II. Galliarum Regi, ex venæ tenuis meningis in occipitio ruptæ sanguis erumpens abscessum fecit, quo rupto pus in spinalis medullæ nervos dextros decubuit & resolutionem dextram creavit. *Vide lib. 4. tit. de Vulneribus.*

§. 6. Studiosus vulneratur in occipite: die 9. febris oboritur, quam Paralysis partis dextræ (vergebat vulnus ad latus sinistrum) excipit: Sinistra pars cerebri multo laxior apparebat, duráque mater circa tertium sinum prorsus livida, *Ibidem.*

§. 7. Miles vulnus in capite acceperat: sanguis impetuose ex arteria effluebat, ut vix sisti posset; Empiricus purum aluminis ossi inspersit, hinc subito partis affectæ, quæ erat dextra, Paralysis; Sanguis plurimus intra meningem duram & calvariam collectus extra venas erat. *Ibidem.*

§. 8. Quidam venabulo supra tempus sinistrum inflicto prostratus, brachio dextro resolutus fuit: Multum cruoris intra cranium effusum erat. *Ibidem.*

§. 9. Vulneratur quidam punctim circa os temporis, post aliquot septimanas extinguitur convulsione partis dextræ & Paralysi oppositæ, symptomatis consuetis: Inter membranas & substantiam cerebri ingens copia putis deprehenditur. *Ibidem.*

§. 10. Cuidam vulnus illatum in superiore capitis sinistra parte, cum instrumento retuso, &c. Ingravescente malo universum dextrum latus resolutum est, &c. Reperta est dura meninx sinistra parte livens, cum substrata cerebri parte sphacelo correpta, &c. *Vide lib. 4. tit. de Vulneribus.*

§. 11. Arelatæ gravissima visa est Paralysis ex levi vulnere illæso cranio, sed sanie per meatus suturæ sagittalis ingressa sensim ad tenuem meningem, quæ cerebri substantiam obvolvit, nervos, venas & arterias sustentat, unde primum ejusdem partis Resolutio, ex qua mors sequuta est: Secto cranio pus inventum, *Scoliographus ad cap. 10. lib. 1. Hollerii de morbis int.*

OBSERVATIO XXVIII.

Paralytici, lue venerea inquinati, membrana cerebri cranio carioso tenacissime adhærebant.

IN cranio Juvenis qui Paralysi extinctus, undique tempora versus, à lue venerea caries, utraque membrana ei tenacissime adhærente. *Rhodius observ. 34. cent. 1.*

DEbilitato nempe calore naturali credibile est nervos ita fuisse relaxatos, ut gravissimus inde subortus fuerit affectus. *Idem.* Nec enim in ichorem à carie exudantem causa rejicienda; quod hinc potius spasmi & epilepsia oriri debuissent, vellicatis ab ejus acrimonia nervis.

OBSERVATIO XXIX.

Paralysis corporis inferioris ob contusam Spinalem medullam à globo sclopeti.

PUella nobilis è pago vicino anno 1611. Basileam revertens, & à tergo cuidam in equo assidens, exploso sclopeto à quodam, statim resoluta, inferiore corporis parte à media lumborum sede, penitus facta est, adeo ut nec pedes nec illorum digitos ullo pacto movere posset, *nec sensum ullum perciperet*, sicque domum devecta est: Chirurgus vulnus in dorsi media fere sede deprehendit, cui curam adhibuit, quod à casu ab equo factum putabant: Verum cum in superioribus partibus nullum alium sentiret defectum, atque inferiores omnino resolutæ & stupidæ manerent, hisce curandis & Chirurgus & mulierculæ consilia varia dantes, inter cætera stuphas pedibus adhibuerunt, à quibus vapor adeo fervens

suscitaba-

suscitabatur, ut cùm ob stuporem ardorem non sentiret, pedes ab imo ad coxam usque, ac si ab aqua fervidissima combusta esset cutis, adusti nigricantésque apparerent admodùmque tumerent: Vocatus ad eam cùm de principio & causa hujus casus rogarem, narravit mihi secùm bombum bombardæ, quàm comes itineris equitans disploserat, audiisset, eodem momento ac si tergum suum tactum esset, dolorem sensisse, subitòque animo defecisse, nec an ceciderit, an à comitibus retenta fuerit & ab equo relevata, se scire, donec recepto animo se vulneratam & resolutam senserit: Cùm vulnus inspicerem, erat illud in latere dextro dorsi, juxta 8. vel 9. illius vertebram, & ad spinam vertebrarum illius obliquè intrinsecus declinabat: Erat autem vulnus exactè in cute rotundum, in sinum profundum desinens, & cùm in ambitu contusionis nullum signum appareret, ex ictu glandis accidisse suspicans, jussi vestes afferri, quæ similiter rotundo foramine, uti & indusium perforata, meam sententiam globulo sclopeti hoc vulnus factum & spinalem medullam læsam fuisse confirmabant, uti & Chirurgi alii, postea vocati, idem indicabant, & præsertim cum stylo immisso vertebræ portionem abruptam deprehenderent: Quia vero jam exactis à læsione decem diebus, quibus de superiorum partium affectu aliquo non admodum conquerebatur, tunc vero pejus habere inciperet, vomitúque gravari, & de ardore superioris partis spinæ, capitis dolore ac spasmo circa cervicem conqueri, hisce emendandis remedia, uti & vulneri fuere præscripta, prognostico, interim præmisso incurabilem hunc fore affectum, uti mox apparuit, nam xx. post eum quo hoc accidit, die expiravit.

Et cum adhuc dubium apud authorem facti, uti alios aliquos esset, à sclopeto vel casu ab equo hoc evenisset, licet constaret eam non ab equo cecidisse, sed post sclopetum explosum, animóque mox deficientem, ne ab equo caderet, ab eo cui à tergo assidebat, retentam fuisse, ut globus adhuc in corpore detineretur, si ab ictu illius factum fuit, cum nullus alius pareret ipsius exitus, necesse erat: Itaque cùm in vulnere per sectionem post mortem dilatato nihil inveniretur, illúdque vertebram subiret, exempta spinæ dorsi aliqua portione, eàque juxta vulneris ingressum dissecta, globus plumbeus spinalem medullam disrupisse, atque in corpore vertebræ substitisse tandem deprehendimus: globus is appendicem habebat, cui chartam, quę pulverem tormentarium recipit, adligare solent, eratque globus ex parte illa, qua os tetigerat nonnihil dilatatus, uti sæpe hoc, si globus os in corpore tangat, nec illud penetret, accidere observavi. *F. Platerus.*

NEc sensum ullum perciperet.) Gravis est Paralyseos species in qua facultas etiam sensitiva afficitur cum motiva: Talis utriusque simul noxa fere tantum accidit, in quantum spirituum ductus & meatus firmius occlusi, ipsorum, sive prorsum sive retrorsum tendunt, irradiationem omnem intercipiunt: Quod interdum, licet rarius à materia morbifica è cerebro in medullam oblongatam delapsa; sæpius vero propter graviorem Spinæ læsionem, uti plaga, casu ab alto, aut vulnere eidem inflictis contingit: Nam ob tales occasiones fune medullari compresso, aut distento nimis, aut intorto, (*aut etiam disrupto, ut in præsenti casu*) spirituum tractus omnes delentur. Quod si inquiritur cur non sensus æque ac motus in Paralysi semper inhibetur, si quidem uterque perficitur ab iisdem nervis & fibris, ac, uti videtur, intra eosdem tractus medullares, ita nimirum ut altera facultas sit tantum alterius inversio.? Dicendum, quod sicut lux per vitrum radiat ubi ventus excluditur, ita & sensu adhuc salvo motus sæpe aboletur: Præterea sensus est tantum passio atque impressio sensibilis, quæ continuitate processus nervosi ab organo ad sensorium commune sine quovis spirituum nixu aut molimine propagatur: quod fieri possit etsi commune sensorium aliquatenus obstruitur, ejusque incolæ spiritus obtorpescunt, attamen motus est actio difficilis & laboriosa, ad quam requiritur ut spiritus se vegete expandant, & non tantum organis motivis, sed præcipue circa partes, ubi motus principium, ejusque primus impetus est, exinde toto per partes nerveas commeatu, nixus quasi explosivos edant: Quare cum spiritus pauci & ligati pro sensu sufficiant, ad motum plures, & quoad expansiones satis liberi & expediti requiruntur. *Willis.*

Observatio XXX.

Imbecillitas totius corporis & δυσκινησία pendens à liene & hepate semiputridis.

IAgers diu conquestus est de Imbecillitate totius corporis, &c. Hepatis color erat omnino mutatus, substantia laxa & putrida, lien similis hepati. *Vide lib. 3. tit. de Hypochondriorum dolore.*

PRæter Paralysin, in qua ob spirituum vias obstructas; ipsósque narcosi quadam affectos, in toto aut partibus respectivis, facultas loco motiva aboletur, aut plurimum impeditur, datur alia hujus morbi species, à spirituum inopia & paucitate dependens, in qua etsi motus nulli parti aut membro prorsus deficit, à quibusque tamen nonnisi debiliter tantum aut depravate peragitur: Nimirum affecti ἀκινησία licet immunes, membra tamen fortiter movere, aut pondus aliquod sufferre nequeunt: Insuper in nixu quovis motivo artuum tremore laborant, qui tantum debilitatis & roboris præfracti in potentia motiva effectus est: Cum enim deficiunt vires pro membro quopiā firmiter & uno molimine attollendo, conatu

sæpius repetito natura vacillans agit, poindéque pars in motu existens velut concuti & trepidare cogitur: Cui accedit quod cum fibræ nerveæ flaccescentes, nixum tonicum, seu tensitatem in regimine animali sustinere nequeunt, illæ ultimam suam potentiam exercere annitentes, motus quasi spasmodicos ineunt, eòque perpetuo iterant: Qui ad hunc modum à *spirituum animalium paucitate*, sive *inopia*, proindéque ab illorum in systema nervosum dispensatione pauciori & diminuta Paralytici evadunt, tali affectioni propter varias causas & occasiones obnoxii fiunt: primò *Senectus extrema*, seu valetudinaria; item sanguinis aut humoris genitalis impendia immodica, diathesin ejusmodi paralyticam plerisque hominibus inducunt: quatenus nimirum è sanguine effœto & pene vapido, spirituum animalium penus nonnisi perexiguus in cerebrum exstillatur: Secundo, ob eandem fere rationem *Scorbuticis* valde & *Cacochymicis* facultas locomotiva plurimum vacillat: nàmque tales exercitio cuivis fortiori impares, infirme ac imbecille gradiuntur, à deambulatione longiori, aut paulo citatiori plurimum delassantur, porro à nixu quovis graviori sæpe stuporem in artubus, cum movendi impotentia pariuntur: quandoquidem enim his massa sanguinea valde aquosa, & impuritatibus referta existit, cùmque cerebrum debilius, & quoad poros laxum fæculentias quasvis in se facile admittit, propterea spiritus animales pauciores tantum procreari, illique haud sinceri & subtiles, verum hebetes, & crassioris materiæ adhæsione impediri (quamvis non semper adsit viarum obstructio, aut diathesis narcotica) sese in nixus motivos explicare nequeunt; Tertiò, non tantum *Scorbutici* sed & plerique alii à morbo chronico ægre ac tarde convalescentes artuum languore, & membris à debito vigore ac robore plurimum resolutis, afficiuntur; ut cum stomacho valeant, eorumque pulsus & urina laudabiliter habeant, ipsi tamen quasi enerves & elumbes, motus locales vix ac ne vix inire audeant, ac initos haud diu perficiant: Quinimo nonnulli, absque ægrotatione notabili, longo tempore quasi propediem moribundi lecto affiguntur; dum imperturbati tecumbunt, cum amicis colloquuntur & alacres degunt: Excitati autem vel incedere nec volunt nec audent, imo motum quemvis, quasi horrendum quiddam aversantur: Proculdubio in his, etsi spiritus animales totum genus nervosum quodammodo actuant & irradiant, attamen eorum copiæ ita tenues & minus confertæ existunt, ut cum plures spiritibus alicubi ad motum in ipsum agglomerari debeant, magnum est periculum ne statim in vicinia continuitas eorum abrumpatur, proinde in partibus nervosis tensitas solvatur: Quare cum spiritus cerebri incolæ, aliorum in membris dispositorum debilitatis conscii sint, ipsi motum localem, si quidem difficile nimis pensum, sociis suis imponere recusant: quamobrem affecti vix ulla persuasione ducuntur experiri utrum incedere possint, necne: Verumtamen qui spirituum inopia laborantes, eos quoad possunt in motus locales urgebunt, mane primum excitari firmiter gradiri, brachia huc illuc, jactare aut pondus attollere valent; ante meridiem vero, spirituum qui musculos inflexerant penu fere absumpto, vix manum aut pedem movere possunt: In hujusmodi spuria Paralysi à spirituum animalium defectu, & debilitate potius quam obstructione orirunda, suspicari, licet nonmodo ipsos spiritus quoad primas eorum copias, & particulas originales, in vitio esse, sed insuper aliquando motus localis imbecillitatem & impotentiam, aliquatenus etiam à copulæ explosivæ, ubique in fibras motrices è sanguine suffusæ, vitio pendere; Enimvero è sanguine valde cacochymico, proindèque vappido & effœto (*qualem gignunt viscera αἱματοποιητικὰ inservientia male constituta*) sicut spiritus animales nonnisi pauciores cerebro instillantur, ita probabile est ipsis è cerebro in nervos derivatis, ac demum intra fibras musculosas dispositis, particulas alias nitrosulphureas (quas ad motum muscularem necessario requiri alibi ostendimus) è sanguine ita vitioso non nisi hebetes, & à potentia elastica degeneres accedere: propterea quidem ut à spiritibus intra musculos ita perperam concretis, non secus ac à pulvere pytio fæculentiis crassioribus referto, explosionum actus & tarius & debilius excitentur. *Willis cap. de Paralysi.*

ADDITAMENTA.

Observatio I.

Paralyticus in quo Cerebri meninges adnatæ. Ichor serosus & cruentus, circa cerebellum & basin cerebri copiosè stagnans. Pulmones costis utrinque pertinaciter adnati &c.

Johannes Meyer, Adolescens 20. annorum, à multo tempore cachecticus, & à pluribus retro annis paralysi lateris sinistri laborans, operæ quotidianæ in orphanotrophio nihilominus pro virili vacavit: septimanis aliquot ante obitum conquestus est de tussi molesta & qualicunque respirandi difficultate, noctu imprimis infestantibus, stupo item seroso nunc tenui, nunc subviscido: appetitus & vires qualitercunque constabant, sitis verò per vices crebriùs vexabat. Ut malo imminenti, si non confirmato, repagulum poneremus, simulque salium acrimoniæ in tota massa prospiceremus, d. 10. Jan. 1682. pilulas suasimus ex diaphor. Jovial. fl. benz. resin. styrac. & myrrh. cum syr. fl. bellid. paratas, quarum x. singul. manè in jusculo florib. bellid. min. alterato sumsit, juxta quoque demulcentia & pectoralia alia in usum fuere vocata, lac imprimis, quod phthisicorum sacra anchora audit; ast elusit medicamentorum salubritatem, morbi enormitas & profunda radicatio, ægrumque septem circiter septimanarum spatio peremit.

Cada-

Cadaveris interanea vel ideò studiosùs lustravimus, quòd & brumæ sævitia & loci commodiras, ad præcipuorum etiam musculorum situm detegendum, nos invitasse videbantur, inde præsentibus Vir. Clariss. & Præstantiss. D. D. Eman. Konig, jam Acad. Curios. D. M. Speckero, D. M. Rudino Medic. Licent. D. Kohlio Curiens. Rhæto, aliisque φιλιάτροις, operi per biduum nos accinximus: Remotis integumentis communibus & musculis abdominis cum peritoneo subtenso, ventris hujus viscera naturaliter satis habebant, nisi quòd supernatans epiploon, labem qualemcunque contraxerat: Hepar, lien pancreas, mesenterium, vasis gaudebant satis conspicuis, & portæ ramificationes, superiora & inferiora versus uti & cavæ descendentis evidentes erant: in illis nullum κακοθεσίας gravioris indicium apparuit, minus adhuc in ventriculo, intestinis vel renibus: inprimis lepidum fuit vesicularum seminalium examen, cui eò avidiùs vacavimus, quo omnem dubitandi ansam circa illarum insertionem, vehementiùs contendimus eripi: Erant illæ prostatis proximæ, & cum vasis ejaculatoriis arctè satis connectebantur, inde etiam aëre per hæc injecto, illæ vicissim implebantur & vesica urodocha: separari quoque poterant, licet communi insertione in urethram donari, primùm simularint: Vasis quoque elegantibus ad latera colli vesicæ pendentia hæc corpora instructa fuerunt, atq; intestinula avium optime retulerunt, ceu adstantes viderunt: Vasa ejaculatoria, ferè circa sui terminationem, vasis sanguiferis identidem perreptari notavimus, intusque multijugâ fibrarum serie gaudere. Venter medius separatis musculis pectori incumbentibus & cartilaginibus costarum discissis, sternoque elevato pulmones ostendit purulentos, qui diaphragmati inferiùs, superius sterno, & ad latera costis vehementer erant adnati, ut absque vi separari non potuerint: In pericardio ichor stagnabat modicus, subflavus: supremus venter meninges ostendit densas cranio validè adnatas, quibus abruptis ichor copiosus profluxit; superius ἐγκεφάλῳ hemisphærium, flaccidum erat & ex sero pellucidum: Vasa quibus ornabatur perquam eleganter sanguine seroso pallescente turguerunt: versus ventriculos & glandulam pinealem cùm pergeremus, serum copiosum identidem occurrit, inprimis prope basin cerebri & cerebellum, quo loci etiam polypum oblongiusculum extraximus, Glandula pinealis præ flacciditate tota corruerat.

Si quidem miser hic ab aliquot retrò annis, si non à primâ pueritiâ paralysi lateris sinistri laboravit, à sero non saltem flacciditatem cerebro, fibrisque medullosis inducente, sed præcipue sui in ventriculis copia & exundatione deinceps, medullam oblongatam hujusque funes, ex ista parte magis magisque comprimente, verisimile non est tussim, quæ ultimo infestavit, machinam ipsius unicè dextruxisse, enimvero accurate omnia perpendentibus, patebit cerebro in prima fere ætate labem inductam fuisse, sanguinemque parrium balsamicarum aut volatilium legitimâ copiâ utcunque defraudatum, sero acri multum scatuisse, ceu id præter ichoris copiam vasa cerebri sanguine tenui seroso turgida commonstrant, camque hinc liquori lymphico ἀπόθεσιν non suggessisse, quam ni rodere debeat salsitate aut aciditate sua, vel utroque juncto spissescere, naturaliter desiderat: pullularunt certè hinc multa symptomata, noxa pulmonibus & cerebro præ aliis illata, (quam istud, si à primo statim ortu laboravit, impedita spiritus animalis legitima secretione ac generatione, non parum augere potuit) læsa enim inde ipsorum structura, osculisque vasorum, cum vesiculis pneumonicis ab acri paulatim erosis, respiratio difficilis à materiæ extravasantis aggestione & suppuratione, aëris libera eaq; necessaria expansione infracta, cum febri lenta, qua corpus emarcuit, consectim successit, brumæ sævitia, ultimam, si ita loqui fas sit, manum imponente, fibrillas glandularum stringente, seu que lymphici motum, imò necessariam ἀνάφυσιν magis præpediente, quod dein sive tenuius acre acidum exudans, sive viscidum magis glandularum poros opplens, saltem utroque modo fibrillas laryngis bronchiorumque irritans, tussi ac dispnϾæ graviori ansam dedit; in meningibus verò, maximè ubi lamellæ cranii coire incipiunt ac pleura, contiguaque pulmonum membrana, copiosa sui transudatione ac exudatione, & ut verbo expediamus, visciditate ac lentescentia, eam densitatem peperit, & adnascentiam, ut difficulter separari potuerint, mirumque est, hepar, lienem decantata sanguificationis à Vert. organa, pancreas item & mesenterium, huic seri κακοθεσίᾳ non potuisse mederi, vel proventum ejus impedire, aut saltem ab eodem labem non contraxisse: Fatemur equidem, si diæta fuerit minùs laudabilis, ceu fuisse, nobis facile persuademus, vitium primæ concoctionis in secunda emendari commodum non potuisse, præcipuè verò confirmari inde arbitramur, Recentiorum assertum, sanguinem ipsi sanguificare, imò pulmones, pabuli ætherei legitima secretione, hujusve cum sanguine miscela &c. (de quibus infrà) actioni isti haud parum adjumenti præstare. An polypus circa cerebellum delitescens oblongus, compressioni fibrarum cerebelli fomentum præbuerit itidem, multùm heic non litigabimus: impedimento sunt majores, & vasis præcipuè sanguiferis inclusi, sanguinis motui regulari maximopere incommodant: cœterum natalia sua debet hic ipse, parriculis sanguinis ramosis ac viscidis lentescentibus, reliquo cruore seroso tenui per vascula venosa utcunque remeante, ceu dissertat. de structur. visc. par. 8. innuimus. De vesicularum quoque seminarium structura quædam heic addere operæpretium erit, vel ideo potissimum, quod in adultis nondum licuerat illas exactiùs sub examen revocare, quum Prodr. Physiolog. conscriberemus: diximus autem cit. libr. vesiculas hasce liquorem sui generis conficere, nobisque dubium esse maximopere, an ab ejaculatoriis quidquam recipiant, nec asserti pœnitet experientia, jam in adultioris quoque ætatis hominibus instructâ, ceu præsens

ſens hiſtoria docet, aliorumve quos ab aliquo tempore ſecuïmus, præprimis autem Juvenis 30. annorum, cujus veſiculas ſeminarias ab aliis cum quibus connectitur corporibus ſeparatas & præparatas etiamnum in ſp. viu. ſervamus: Qui nobis hoc in negotio contrarius eſt Clar. Regnerus de Graëf ac qui hodie ipſum ſequuntur, l. de Virorum organ. ſeq. fatur, ad quæ ſingularim reſpondere, conſultum fore dncimus, ne cauſa noſtra cadere videamur, vel quid incautiùs contra Viri hujus manes, quos reverenter habemus, ſtatuiſſe: Uſus, inquit, veſicularum ſeminariarum eſt ſemen recipere, & pro futuro coitu ſervare, tali-enim modo ſitæ ſunt, ut cùm via in urethram nou pateat, neceſſariò ſemen à Teſtibus affluens, earum cavitatem ſubire teneatur. E quibus verbis evidens ſatis eſt, ceu etiam paulò ſuperius memiuit, peculiaria foramina per quæ ejaculatoria ſeſe exonerent in urethram, ipſum negare, viamque aliam quàm in dictas veſiculas ipſum non admittere: Miror profectò, ait, Viros egregios in re tam perſpicua adhuc falli poſſe, ſi verbis meis non credant, veniant quæſo ad ædes noſtras, & illis omni tempore luce meridiana clariùs, demonſtrabimus, vaſa deferentia, cum veſiculis ſeminariis maximum habere commercium, idque nou in brutorum modo ſed in virorum diverſorum organis: & paulò inferius: Hæc omnia ut clare atq; diſtinctè conſpiciantur, aperire debetis anteriorem veſicæ partem cum ipſa urethra, & immittere tubulum in vaſa ſemen deferentia utrinque unum, & videbitis ſtatim, ac in dextri-lateris vas ſemen deferens liquorem propellitis, ejuſdem lateris veſiculam diſtendi: Veritatem horum noſmet ipſi confirmare neceſſe habemus, in eo autem diſſentimus adhuc, vaſa ejaculatoria iu veſiculas terminari: ſanè cum in nomine peculiari ductu iſtæ non gaudeant, ſed in urethram ſuis orificiis prorſus termineutur, ceu proſtatæ facinnt in quibuſdam animantibus ponè ipſorummet vaſorum deferentium inſertionem, fit facilè, ut aër flatu pulſus illa ſubintret, ac viciſſim impleat, pariter ut veſicam urinariam expanſione ſui identidem impleviſſe diximus: Eam vero communionem partium harum invicem, qua illæ ſe in has immediate exonerent nunquam deprehendimus: obſtant quoque rationes ſatis urgentes, glandulosa viz. veſicularum ſtructura, quam in cervis, [quorum inteſtanea ſuperius ruſpavimus] ceu in plures lobulos diviſa eſſet & ante triennium circiter in apro majore, beneficientia Generoſiſſimi Dni à Gemmingen, præter meritum affecti, præſentibus D. D. Schorkopff. & D. D. Lehenherr, eleganter tortuoſam, cum ductibns excretoriis peculiaribus, aliis una demonſtravimus, ut de vaſorum ſanguiferorum nerveorumque multiplici ſerie, & diverſitate liquoris, quem exhibere ſolent, nihil dicamus; Equidem landatus D. de Graef dubia hæc ſingula adimere ſtudet, ſimulque rationes, pro ſententia ſtabilienda aliquot affert, quæ quid ponderis habeant, tantiſper diſpiciemus: Prima ipſarum eſt petita è tali veſicularum diſpoſitione, ut ſemen per vaſa defluentia affluens, & viam in urethram per carunculam clauſam inveniens, neceſſario debeat redire in earum cavitatem, ibique aſſervari, donec oppottuno tempore & loco excernatur: At qui caruncula iſta ſeminis in motu exiſtentis, effluxum impedire poſſit, nondum videmus, nec etiam qui D. de Graëf ſibi omnino ſimilis ſit, ſiquidem hinc concludimus, ipſum inficiari non potuiſſe, vaſa ejaculatoria in urethram terminari, cum carunculæ clauſæ in hac meminerit, quæ ſemen in veſiculas regurgitare facit: aut num iſtam veſiculis adſtare, æque his ſeminis effluxum impedire opinatur? Nos certè negotium iſtud ita concipimus, Vaſa deferentia circa finem ſui eam nacta eſſe ſtructuram, quâ ſeminis elaborati portionem idoneam recipere ac ſervare poſſint; ampliantur enim manifeſte, & eleganti fibrarum intus ſerie, [quarum interſtitia an glandulæ viciſſim occupent, Medullam glandulosam Clar. VVarthoni conſtituentes, aliis dijudicandum linquimus] vaſorumq; nitida cohorte extus inſtruuntur ceu in pluribus animadvertimus, cum multa ſeminis copia, ut hinc morari ſemen valeant, idemq; ſtimulante ſic hortante, fibrarum robuſtarum ope expellere, ceu idem faciunt fibrillæ veſiculares liquoris copia, vicinarumque partium pruritu illas vellicante, ut inde carunculas, ſi ubivis adſint eundem uſum præſtare partibus hiſce autumemus, quem proſtatarum canibus, viz. ne ſemen vel liquor veſicularum præter voluntarem effluat: ada ſubſtantiam membranearum veſiculiarum, nullis glandulis viſibilibus, ductibus aut aliis inſtrumentis ſeminis generationi idoneis inſtructa n pro fundamento habet: Verùm ſepoſitis jam quæ cum Prodr. Phyſiol. ex Celeberr. Weſperi noſtraque autopſia, tum heic rurſum de veſiculis cervinis maxime, & aprillis candide diximus, id modo ex laudatiſſimi hujus viri, cui vitam longævam animitùs cupiiſſemus, Aſſeclis ſcire deſideramus, ecqui vaſorum lymphicorum ramificationes, per membranam ipſarum excurrere ſtatuere potuerit: cum lymphnam iſta revehant ab ipſis ſecretam: qui autem iſto officio functæ ſunt veſiculæ glandulis viſibilibus deſtitutæ, ut prorſus nobiſcum ſentire debeant, glandularum ita viſibilem, ut vulgo contendunt, cohortem pro ſecernendo qualicunque liquore non requiri, maleque argumentari eos, nec partium membranearum ſtructuram æque bene concipere, qui ubi illas non confeſtim datur conſpicere, negant partem ſtructuræ, configurationiſque pororum ope ſecretionis vacare poſſe, ipſis glandulis aliter ferè munere ſuo non fungentibus: Ad liquorum diverſitatem in vaſis ejaculatoriis & veſiculis contentorum, quam ceu præcipuam urgemus, inquit nihil hinc concludi poſſe, cum facile fiat, ut in illa mora color vel conſiſtentia ſeminis parum immutentur; At non levis eſt iſta immutatio, ſi conſiſtentiam, cæteraque accidentia conſideramus, vid. ſis cit. Prodr. Phyſiol. cap. de ſem. mar. foretque mora iſta ex hoc ratiocinio ſemini uociva magis quàm utilis, utpote ad cujus elaborationem & confectionem tam induſtriâ vaſorum partiumve ſtructurâ natura ideo prius ſe compoſuit, ut nihil omniuo deeſſet ejus, quod ad fœcundiratem ipſi conciliandam deeſſet: Dubium etiam eſt quam maximè, an ſola mora liquorem craſſiuſculum albidum, in ſuis cavernulis naturaliter contentum in ſeroſum, tenuem &c. pervertere poſſit? quæ utique ſingula anſam nobis non immeritò dederuut, inprimis verò ductus veſicularum peculiares in auimantibus brutis, ſecus quàm laudat. Vir contendit, ut ab ejus ſententia receſſerimus

ferimus, olim, ac etiamnum recedamus heic; tati. *Ioh. Iacob. Harderus in observationib. Anatomico-Practicis.*
Veritatem αὐτοψίᾳ ulterius pro viribus perscru-

Observatio II.

Paralysis à Bile degenere undique aggestâ.

VIr sexaginta annorum, temperaturæ calidæ ac siccæ, in quâ biliosus succus primas tenebat; vini potandi deliciis non parum indulgens, imò in pudendam debacchationem nunquam non pronus, solidæ alimoniæ fastidiosè parcebat, sicque in tabem in dies magis ac magis inclinabat; cùm subitò corporis universus habitus citrino colore defœdatus, teruit familiares ac identidem vires jam fractæ, prorsus titubatunt, somnus desideratus est frustra, ad vomitum irrita invaluit propensio, ac colicus, dolor non atrox quidem, sed continuus, prehendit. Hisce omnibus adjectus est manuum & brachiorum tremor, ac tandem totalis impotentia, quæ ad pedes & tibias etiam devoluta est. Pauca adhibita fuere remedia in casu desperatissimo. Mortui verò cadaver apertum est, in cujus imi ventris visceribus nulla alia labes, quàm quòd pancreas universali ac obsirmato induruerat scirrho. Bilis autem non tantùm degener, sed etiam prorsus devia visa est: nam ipse etiam qui in pericardio reperitur humor, naturaliter subflavus, saturatiori bilis tinctura infectus fuit. Ventriculi corpus suis plicis intus quidem naturale, intestino colo vix erat majus, seu magis quoad circumferentiam expansum, ac à cardia ad pylorum sibi ubique ferè idem. In plicis hærebat implicata bilis, lenta, spissa, vitellina, eaque omnino solitaria, citra cibi, potus, aut chyli reliquias ullas; ejusdem succi ferax erat cystis fellea: bilis etenim atra, spissa, viscida, eam replebat. Ex quibus omnibus facile colligere est, juxta sententiam Clariss. De le Boë Sylvii, bilem, fermentatione per liquores vinosos inductâ, ita evectam fuisse, ut in totum corpus & viscera effusa in ipsum tandem cerebrum irreperit, an à nervis imbibita torporem in spiritus induxerit; qua ratione videmus, particulas opii, non multùm à bilis degeneris particulis dispares, spiritus animales veluti colligare, unde sopor enascitur; imò aliquando cùm earum dosis largior fuerit, (spiritibus, colligatione sua, ac ad motum pro tempore impotentia, tandem irritatis, & è compedibus suis magna vi exilientibus) maximæ in motibus perturbationes, imò convulsiones lethales, sæpiùs oriuntur.

ANATOMIÆ PRACTICÆ

LIBRI PRIMI

SECTIO XVI.

De Hydrocephalo, sive Hydrope capitis.

Observatio I.

Hydrocephalus ab aqua inter cranium & pericranium collecta productus.

BOGISLAA Nicolai, &c. Sexto mense gravida abortum rejecit, cætera non inelegantem, sed à temporibus & fronte nucham versus tumore ingenti deformem, qui mitræ Turcicæ similitudinem gerebat: Mox tamen sponte aperta prope sinistram aurem cute, evacuatâque inde aqua loturæ carnium simili, concidit & flaccida cute quasi disparuit, nisi quòd immisso flatu eandem figuram turbinatam & ovalem nancisceretur.

Resecta ista in particulas membrana crassiore, calvaria ostendebatur naturali forma, sicut in puerulis solet: E jugularibus autem venis, intra processum ossis jugalis temporum, ambiens & suturas mendosas, ad os frontis usque sese ostendebat, proximéque cum pericranio copulatus cernebatur, qui crassitie stilum ferreum intortum referebat: Iconem non addo, illi hydrocephalo similem, quam dedit M. A. *Severinus*. de Abscess. cap. 9. ut ovum ovo similius non sit. *Th. Bartholinus Tract. de Cometa, p. 97. ex communicatione Frideric. Hammerici Medici Helsingorensis.*

De hoc abortu dubitat *Hammerieus* an pro monstroso vel morboso sit habendus: de illo certum esse vulgus, de hoc se judicare Hydrocephali esse miram nec vulgarem speciem, quum abortum 5. vel 6. mensium tantæ magnitudinis ejici perrarum sit: Posse verò per vasa lymphatica venas jugulares comitantia aquam deponi in istam cisternam: quanquam actio sympatethica excludi non debeat, hæsisse enim huic mulieri in fixa memoria infortunium, quod pridem ejus culpa infanti Chirurgi acciderat, qui in lebetem fervenris aquæ demersus post paulo exspiraverat. Ego judicium Medici magis laudo quam vulgi superstitionem: Re enim accuratius examinata, Hydrope capitis iste abortus laboravit, nec adeo raro nec periculoso si extra uterum definito tempore processisset, ideòque non tam monstroso quam vulgo creditum: Inter omnes enim hydrocephali species, ista & frequentissima est & maxime indemnis, quæ pericranium inter seu cranium & cutem pilosam oritur, alibi nobis visa & observata, reliquis intra cranium periculo magno non carentibus, nec curationem admittentibus: Nobiles enim hic cerebri partes premuntur, vel prorsus supprimuntur: Ibi externæ afficiuntur, quæ per incisionem curantur, ea cautione quam Aquapendens affert in oper. Chirurg. ut per cannulam immissam sensim aqua evacuetur, vel discutientibus imminuatur, sicut naturali evaporatione per poros & pilos quotidie caput depleri videmus: De internis consensum habemus veterum Medicorum, esse perniciosissimos & insanabiles, in quibus, ut Arabes loquuntur, non sit ingenium curationis: De utroque tamen tam externo quàm interno veteres vel falsos credo vel mutilos: Falsos quidem, quod aquam inter cranium & pericranium colligi dixerint, adeòque hanc hydrocephali speciem distinxerint ab illa quæ inter pericranium & cutem latet: quem errorem, vel subtilem verius quam veram distinctionem ab Ægineta, Aëtio, aliisque traditam sequuntur longo agmine omnes Medici: Ego vero pro una specie habendas judico, fieri quippe non potest ut pericranium ita distendi possit quin rumpatur, adeòque ex duplici unam speciem faciat; Vix novacula separare in dissectionibus possumus, magnóque labore abraditur terebrationibus, ingentémque doloris sensum hydrocephalicis excitaret, quem raro advertimus: Ex duritie quidem & dolore exiguo pericranium distentum suspicantur Chirurgi, sed vel compressi pericranii id est signum ab incumbente sero acri, vel interioris hydrocephali in externum degenerantis, & cum ossibus cranii membranam quoque hanc disrumpentis.

Talis Hydrocephalus esse potuit quem *Panarolus* vidit Pentecoste 5. Observat. quadragesima septima, in puella, cui suturæ alicubi erant sejunctæ, alicubi verò unitæ, sed in ipsa cranium erat perforatum, etenim multis in locis aderant cavitates rotundæ, aliæ majores, aliæ minores, per quas humor egressus, distendens cutem, magnitudinem capitis augebat: Hinc una incisione utrumque tumorem externum curavit Albucasis, & utriusque signa conjunxit Ærius tetr.2. s.2. c. 2. quæ distinxerat Ægineta, contra *Hipp.* & *Celsum* qui lib. 4. c.1. cutis tantum meminit, quæ humore infletur, ne artem per se difficilem subtilioribus magis quam necessariis distinctionibus oneraret. Manca quoque est veterum distinctio, quia aquarum collectionem neglexerunt, quam inter ventriculos cerebri posteriorū diligentia observavit; Galenus Isagoges cap.18. inter iv. hydrocephali species ventriculos excludit, forsan quia raro ventriculi aqua replentur quin ad exteriora extrudatur, vel reliquæ sub cranio & extra cranium partes afficiantur, quin una cerebri substantia ejusque ventriculi comprimantur.

Hac compressione ad eas angustias compellitur cerebrum, ut in hydrocephalo quodam pilam palmariam non excedere viderit Paraus lib. 7. cap. 1. Ventriculi ipsi non tantum aquæ copia ad libram & ultra replentur, quod observavit Chiffletius observ. 6. Sed adeo extendunt cerebrum secum ut gyri obliterentur, quod observavit *Hildanus. Vide Observ. xvi.* Vel in vertice membranæ instar tenue apparuerit, quod vidit *Vesalius (vide Obs. xi.)* vel amissa figura globosa sequatur forma convexi fornicis, apud *Tulpium*, *(vide Observat.ix.)* Imo quandoque cerebrum universum diffluat, juxta *Zacutum*, Aut ex cerebro irruens aqua suturas dissolvat, ex *Fontano, Pract. lib.1. cap.3. Vide Observ.x.* Helsingorensis vero Hydrocephalus, inter cranium, quod illæsum, & cutem aquæ sarcinam congesserat, prorsus periculi expers, nisi fata vitam denegassent & corpusculi perfectionem.

Per quas vero vias confluxus aquarum in caput tumidum fiat, difficile non est divinare, nec veterum commenta in eam rem advocabo: Lymphatica quidem vasa huc pertingere nec dum observatum: Igitur ex arteriis deponitur aqua in externum locum: In interiori vero hydrocephalo diversa ratio: glandulas plexus choroidei in his affectibus sæpius intumuisse advertit Exc. *Willisius*, unde hunc vicarium lymphaticorum judicat, quod recipiat ex sanguine circulato serum abundans, remittatque si copiosius sit quàm ut venæ statim reducant, in ventriculos cerebri: Hydrocephali hinc origo petenda, quando nempe major seri copia ex arteriis infunditur glandulis chorodeis, quam per venas forsan vel exiles, vel nonnihil obstructas revehi queat, in cerebro restitat, vel in ejusdem ventriculis hæret tanquam in cisterna, & aucto in dies affluxu universum caput inundat extenditque: Hæc causa est quod fere tantùm in ægris glandulæ istius plexus observentur; experientia *Franc. Sylvii* disput. 4. §.12. quia scil. à sero augentur, Et inde quoque ortus repentendus hydatidum parvularum illi plexui adnatarum, glandulis ipsis manifeste turgidulis & duris, quales in cadavere Waltheria annotat Doctiss. *Wepferus* de Apoplexia, histor.3. quæ si supervixisset, vel hydrope cerebri, vel apoplexia periisset.

Ætas hydrocephali nostri tenella nos terrere non debet, quicquid obstetrices veteranæ garriant: Nulla fere ætas eximenda, quanquam puerorum ossa mollia, & cerebra humidiora huic malo magis sint opportuna: In decenni puero vidit Zacutus, In puella 6. annorum Fallopius: Puerorū 5. annorum vidi cent.1. histor.28. Quibus annumerandus puer bimulus apud Ingrassiam de Tum. cui per Hydrocephalum superiores omnes & legitimæ suturæ, præter unam lambdoideam, quæ parùm hiabat, ita erant diductæ, ut aqua incumbens cerebro per diaphanam cutem transpareret.

Simile

Simile Hydrocephalici abortus, ab aqua inter cutem & pericranium consistente, vide apud *Epiphanium Ferdinandum*, historia xxi.

Observatio II.

Hydrocephalus ab aqua collecta in anfractibus cerebri.

IN Cadaverulo sex annorum vidimus hydrocephalum, scil. aquam in capite, quæ collecta erat inter cerebrum & piam matrem, in anfractibus illis, eratque limpidissima aqua, satis copiosa respectu loci patientis. *Fallopius in Observationibus à Franc. Michina editis.*

Observatio III.

Ab Hydrocephalo interno processus mammillares sæpe corrumpuntur.

PRocessus mammillares ob plures causas corrumpi queunt: Si Hydrocephalicorum capita recludimus, plerumque in iis, si cerebrum ista aqua perfusum est, hi processus vitiose se habent. *Schneiderus lib. de osse cribriformi p.506. & lib. 2. de catarr. c.2.*

Observatio IV.

In Hydrocephalo plexus choroides collabitur, laxata à nimio madore glandula Pineali.

NOn levis momenti res est quod glandula Pinealis plexum choroidem, alioqui laxe pendentem, atque in se concidere, aut saltem extra propriam sedem dilabi aptum sustentet, & in debita expansione contineat. Quare sæpius adverti in Hydrope cerebri, quod hæc glandula, radicibus à nimio madore laxatis, & non raro abruptis, loco suo dimota, plexum choroidem ab expansione propria colabi, ac inferius subsidere, nec non vasa ejus inordinate complicari sinat. *Willis Anat. cerebri cap. xiv. Vide Scholia ad Obs.I.*

OBservare est quod plexus Choroeides glandulis quamplurimis minoribus stipatur, & usivis intertexitur, quæ serum à sanguine in vasis minutioribus secretum imbibant; idcirco propter idem hoc officium, ubi vasa omnia concurrunt, Pinealis glandula, majori mole prædita collocatur, ut serositates illic uberius depositas excipere & continere valeat. Observare demum est in omnibus cujuscumque speciei aut formæ animalibus, quod huic glandulæ, juxta foramina aut ductus ad infundibulum parentes, semper positæ, plexus choroides continuo adjungitur: quinimo hic plexus (de glandula pineali processum ejus medium sustentante, tanquam de fibula aut clavo suspendi visus exinde) in binas alas huc, illuc, super medullæ oblongatæ crura exporrectus, dividitur: Quare plexus hujus gratia glandulam istam præcipue conditam esse, suspicamur, ejusque munus non aliud omnino esse quam aliarum glandularum, quæ juxta vasorum sanguiferorum concursus disponuntur; nempe ut humores serosos, à sanguine arterioso depositos, excipiat & in se retineat, donec aut venæ depletiores factæ eosdem resorbeant, aut lymphæductus (si qui adfuerint) eos extra convehant. *Idem, ibidem.*

Observatio V.

In Hydrocephalo glandulæ cerebri intumescunt & in conspectum veniunt.

GLandulæ plexus choroeidis, & per alios plexus vasorum intersertæ, in cerebro Hydropico aut humidiori, quæ alias perexiguæ, ut fere visum fugiant, à madore intumefactæ facile percipiuntur. *Th. Willis cerebri Anatomes cap.7.*

OBstructis vasis Lymphaticis Jugularibus humorem aquosum, aut inter cutem & pericranium, aut inter ipsum cranium collectum effundi, à quo ὑδροκέφαλος, morbus infantibus maxime familiaris excitetur, inde totum caput intumescat, censet, *Iac. Henri. Pauli in Anat. Bilsiana* cap.8.

Observatio VI.

Hydrocephalus ab aqua cerebri ventriculos replente.

AUgustæ Vindelicorum puellæ bienni caput in mensibus plus minus septem ita increverat, ut nullum viri unquam viderim quod non mole illi cederet: fuitque is affectus quem veteres Hydrocephalum vocarunt, ab aqua quæ in capite asservatur, sensimque colligitur: Quanquam ea non inter calvariam & exterius ipsam succingentem membranam, aut cutem, ubi alias aquam teponi Medicorum libri docent) huic puellæ fuerit collecta, verum in ipsius cerebri cavitate, adeòque in dextro sinistròque illius ventriculis, quorum cavitas amplitu-

amplitudoque ita increverat, ut novem fere aquæ libras, aut tres Augustanas vini mensuras continuerint: Adhæc, ut cerebrum in capitis vertice, membranæ quasi modo erat tenue & quodammodo continuum cum tenui sua membrana corpus, ita quoque calvaria fuit prorsus membranea, tantàque duntaxat sede ossea, quanta calvariæ puellæ erat amplitudo, priusquam caput extra modum increscerer: ea fere ratione qua in nuper natis pueris frontis os & verticis ossa constare cernimus, ubi illa alioquin mutuò sunt contermina, & in admodum pueris insigni intervallo amplitudinéque visuntur membranea: Cerebellum interim, cerebrique universa basis secundum naturam habebant, uti & nervorum productiones: dein nullis prorsus sedibus quam in cerebri ventriculis, adeo atque dixi adauctis, aquam reperi, & *puella ad mortem usque sensibus omnibus integris est usa*: Et quoties caput, quum illam paucis ante mortem diebus conspexi, ad adstantibus movebatur, & nonnihil, quantumvis etiam leviter, erigebatur, gravis illico tussis puellæ molesta fuit, cum difficili respiratione & totius faciei miro rubore, sanguinisque suffusione & lacrymarum proventu: Reliquo corpore mediocriter habuit, etsi laxis infirmísque, sed non resolutis tamen fuerit articulis, neque præsenti etiam insigni macie, aut etiam seroso in membris tumore, aut morbo comitiali, aut tremoris alicujus notis: Iecur, cum paulo post mortem spectaretur, subpallidum, & nonnihil naturali alias jecore contractius duriusque occurrit: Liene interim maximo & molli conspicuo, perinde ac si jecoris vices aliquandiu obivisset: Adeo ut cum præsentibus Medicis nihil æque admiratus fuerim ac tantam aquæ vim in cerebri ventriculis, absque majoribus symptomatibus tamdiu collectam fuisse. *Vesalius Fabr. corp. hum. lib. 1. cap. V.*

IN *dextro sinistroque ventriculis*) Quandoquidem experientia testatur serum & humores excrementitios sæpenumero intra hos specus reperiri, circa illorum aditum exitumque diligentius inquirendum: Eo magis quia de specuum horum usu à nonnullis valde ambigitur, nec desunt in nupero hoc sæculo qui opinionem antiquam de spiritibus hic loci genitis, exercitisque, licet dudum explosam, redintegrare satagunt, spiritus hic minime progigni, nedum exerceri, ob rationes supra allatas, extra dubium censeo, nec minus certum fecit experientia Serosam colluviem hic sæpius colligi. Itaque hoc tantum testatur videamus *unde*, illa, ac *quomodo huc confluat*, Et dein quibus excretionum viis eadem foras amandetur: Quoad prius, summè probabile est laticem serosum, qui spirituum recens productorum vehiculum est, ac una cum illis in cerebri poros introducitur, postea exolutum, ac in vaporem attenuatum, in hanc cavernam exudare, ibidemque denuo in humorem aqueum concrescere: Secus enim quid fit de humore isto, aut in quod aliud receptaculum derivari poterit? Præter hanc ordinariam, & puto assiduam, colluviei serosæ intra cerebri ventriculos congestionem, pro certo haberi debet quod à glandulis plexui choroïdeo insertis, nimium repletis, ejusmodi serosus humor in ventriculos ita dictos extstilletur.

Sæpius vide in hydrope cerebri glandulas istas intumuisse, & veluti hordei grana, à nimio madore crepantia, flaccidas evasisse, adeo ut serositates allatas minime retinuerint, verum eas in cavitatem subjectam continuo deposuerint. Profectò in hydrope cerebri hi ventriculi semper aqua repleti conspiciuntur, cujusmodi affectus causa est sanguis aquosior factus, qui majorem seri colluviem inter circulandum deponit, quam venæ statim reducere, aut glandulæ satis excipere & retinere valent.

Enimvero, quò serum usquequaque è vasis redundans in cerebri ventriculos melius dilabatur, ita comparatum est ut majores vasorum plexus, cum glandulis interstertis, prope singulos τοῦ ἐγκεφάλου ventriculos dispositi fuerint: quippe non modo plexus choroeides juxta trium ventriculorum in cerebro concursum, at plexus alter, & non minus insignis (quem supra descripsimus (cum glandulis majoribus, pone cerebellum, juxta quartum ventriculum collocatur. In omnibus eo ut videtur fine ita cautum est, ut è sanguine qui aut cerebro, aut cerebello destinatur, pars aquosior, si quidem spiritibus procreandis minus idonea fuerit, hos vasorum plexus incurrat: attamen si major seri copia illic depouitur quam in iisdem contineri, aut extra amandari, queat, quicquid ejus superfluum est, in cavitatem subjectam delabitur. Hinc constat unde, & quo ritu serosa colluvies intra cerebri ventriculos congeritur, *Thomas Willis Cerebri Anat. cap. XII.*

Cerebrum in capitis vertice membranæ quasi modo tenue, &c.) Cum in infantibus ac teneriore ætate, cranii suturæ non tam arctè combinentur, ac in adultâ, haud difficulter intelligetur quare minus comprimatur cerebrum ab aqua: In provecta enim ætate, ac senibus, suturæ non tantum arctissime junguntur, verum etiam non raro cranium plane coalescit, ut vestigia tantum futurarum supersint. Hinc pueris aqua priusquam cerebrum premat, ventriculos distendit, hac augescente, etiam suturas, non ægrè cedentes divellit; tandem etiam membranas expandit, imo & ipsum cerebrum, membranarum in modum ductile; unde caput ad eam molem, quæ in hydrocephalis conspicitur, excrescit: hinc aqua capaci spatio conclusa, minus premit & distendit: In senibus autem quorum cranium durum ac compactum, si aqua quotidie incrementa sumat, defectu spatii, obvia quæque comprimit, atque eousque donec arctatis omnibus spirituum animalium viis, apoplexia illos abripiat.

Quantumvis leviter erigebatur, &c.) Tussis succedens, dyspnoea, faciei rubor, sanguinis suffusio, lacrymarum proventus, corrigerunt quod erecto capite aquæ pondere premeretur cerebrum; unde effluxu spirituum animalium prohibito, respiratio læsa fuit; & influxu vitalium impedito, facies rubore suffundebatur: nullum enim vitium in pulmonibus à *Vesalio* deprehensum.

Ad mortem usque sensibus integris) Hinc colligit *Moebius*, & aliis argumentis confirmat Physiolog. med. cap. 6. §. 31. cerebrum spiritus animales non conficere: quemadmodum enim, ait,

ait, læso hepare vel Liene in hydrope nullus laudabilis sanguis generatur, Ita & in hydrocephalo spirituum animalium elaboratio, adeòque motus & sensus debebat periclitari, contrarium tamen testatur experientia: Sic refert *Vesalius*, &c. Sed certe, si spiritus animalis in cerebro peculiaris ad motum & sensum elaboraretur, in hoc affectu cessare iste actiones debebant, vel ad minimum turbari.

Observatio VII.

Hydrocephalus ab aqua cerebri spatium occupante, idque ad angustias redigente.

Dissecabatur Lugduni Batavorum anno 1666. Infans unius anni, à puero hydrocephalus: ex hujus capite D. Van Horne extrahebat uncias 36. aquæ limpidæ subsalsæ: quibus extractis adeo apparebant cuncta vacua, ut quis existimare potuisset cerebrum hic plane deficere: sed oculi acie eo penitus directa, apparebat cerebrum nequaquam deesse, sed amissa saltem figura globosa, induisse formam convexi fornicis, & ab exuperante aqua sequacem ejus medullam adeo fuisse distentam, ut instar alicujus crassioris membranæ, adhæresceret undique arcuatæ ossium circumferentiæ, ita tamen ut tam exterior cinereus cortex, quam interior albicans medulla optime discerneretur. Præterea 1°. sub cute nulla conspiciebatur pinguedo. 2. In thorace notabilis aquæ quantitas, illi quæ in capite continebatur similis. 3. renes adhuc inæquales. 4. glandulæ pituitariæ & pinealis nullum vestigium, in pavimento tamen cerebri notabantur aliqua filamenta nervorum, materia quadam mucilaginosa obtecta; quæ credita sunt esse filamenta seu propagines nervorum sexti paris. *Ex observationibus Alardi Hermanni Cummii, Archiatri Brunsvicensis in Miscell. curios. anni* 1670.

Observatio VIII.

Sectio infantis octimestris Hydrocephalo affecti; cujus ventriculi cerebri laterales aqua repleti &c. à Clar. Hornio administrata.

Capitis peritrieter erat 1½. ulnæ: Tumor digito prementi cedebat non remanente vestigio; Cranii ossa, quamvis hiabant, ab invicem, eo quo pueris solent loco, solito tamen ampliora erant, magis tenuia, ita ut cultro commode secari possent; non multum absimilia cornubus ex quibus lucerne fiunt. Dura meninx cranio arctissime annexa, Aqua, nec inter cutem & pericranium, nec inter pericranium & cranium, nec inter hoc & duram meningem, nec, quantum observati poterat, inter meninges, sed intra ventriculos cerebri laterales continebatur, Ejus quantitas octo pintas Leidenses, sive 160. uncias medicinales, h. e. tredecim libras excedebat: Aqua erat limpidissima, nullo notabili sapore prædita, nisi quod aliquantulum ore detenta, salsugine quadam linguam feriret. Cerebrum amplum, & pueri cerebro densius duriusque. Ejus anfractus omnes penitus obliterati, contra cerebri laminæ egregiè distinguebantur, cerebellum totum cerebro minus affectum, Vasa quædam per superficiem cerebri serpentia sanguine turgida; Sinus faldis superior plane sanguine vacuus. Cerebri sinus laterales, quibus aqua continebatur, pro quantitate, æque distenti, adeo ut totum cerebrum nonnisi saccus videretur. Glandula pituitaria flaccida & satis magna. Glandula pinealis nulla inventa, nescio an errore dissecta ablatàve: In plexu chorioeide glandulæ nullæ observatæ: Radix spinalis medullæ quasi in filamenta fissa, quod memini in cerebris ovium aliquando observasse. Omnes fere corporis glandulæ solito majores, mesenterium totum plurimis glandulis rubentibus, lentésque parvas æquantibus consitum. *Matthias Paisenius in miscell. cur. annor.* 4. *&* 5. *Observ.* 197.

Observatio IX.

Hydrocephalus ab humore mediam tantum capitis partem obsidente.

Humor capitis hydropem inducturus inflat & extendit interdum tam late nobile hoc mentis palatium, ut in ætate tenella nonnunquam excedat magnitudinem virilem Delitescente aqua non minus extra quam intra calvariam, & utrobique modo supra, modo infra membranas, obvolventes vel cerebrum vel calvariam ipsi circumpositam: atque ut plerumque totum caput protuberat, sic aliquando duntaxat media ipsius pars, hærente liquore vel in dextro vel sinistro cerebri ventriculo: In quorum alterutro memini me bis vidisse ultra duas aquæ libras, inclusas tam strictè uni isti parti, ut altera foret plane illæsa ac integra: *Tulpius cap. xxv. lib.* 1. *Observationum.*

Inciderat quidem hisce capitibus ulcera Chirurgus, & dissecuerat non uno loco cutem, sed utrumque æque improspere, exstillante humore magis guttatim quam tam effuse ut levaret

ret cerebrum, & exhauriret fontem, vitalem calorem alias certo extincturum, *Idem. Ibidem.*

Observatio X.

Hydrocephalo affecti dissecto capite (cujus sutura iv. fere digitis distabant (ingens copia seri effluxit.

SOlutio continui contingit aliquando in cerebro à causis internis, &c. Vera autem tanta est aliquando ut capitis juncturæ solvantur magno spatio: quod vidimus anno 1593. in filio Dom. Merindoli Aquensis, E cujus capite dissecto effluxit ingens copia serosi humoris, qui in ventriculis & tota cerebri substantia inclusus manebat: Distabant autem suturæ 4. fere digitis à se invicem. *Iacobus Fontanus pract. lib. 1. cap. 3.*

HIc inquiro cur illa aqua, quæ in cerebro hydrocephalicorum coercetur, non per os Ethmoides, in quo Natura foramina fecit cribello similia, interdum defluat? Aqua, ut est proverbium, hæret. *Schneiderus l. de osse cribriformi.* Vide tit. de Catarrho.

Observatio XI.

Cerebri absentia in Hydrocephalo laborante puero.

PUerum ex hydrocephalia mortuum accepi, medio circiter & quinque mensibus vixerat: Suturæ capitis magno hiabant spatio, intus autem non cerebrum, sed cerebri loco aquam reperi mucosam: quod ideo commemoro, quod non meminerim simile quid à tot diligentissimis Anatomicis observatum. Quam affert Tulpius historiam, quamvis stupenda admodum, sit non est tamen eadem cum hac ubi nihil cerebri repertum fuit. *Th. Kerckringius Observ. Anatom. 46.*

HAnc observationem manifestissimum continere errorem censet de *Diemerbroeck* Anatom. lib. 3. insontem quidem sed per negligentem inspectionem introductum: Nam 1°. potuit cerebrum, non quidem penitus defuisse, quod putavit, sed per redundans serum adeo fuisse emol. litum ut mucus esse visum fuerit, atque hinc etiam paucos spiritus, animales generatos, & principum facultatum actiones vix debiliter peractas, propter organi ineptitudinem; (sicut embryoni contingit, in cujus principio etiam mucosum est cerebrum instar albuminis ovi, sed tamen non deest) Sicque puerum tandem mortuum fuisse. 2°. potuit etiam Kerch. propter nimis festinatam inspectionem non satis accuratè observasse an non aliquod solidioris cerebri superfuerit quo ante dictæ actiones peragi potuerint. *Vesalius (vide observat. 6.)* in hydrocephalici cujus cerebri ventriculi novem seri libras continebant, quâ quantitate cerebrum superiore parte fere ad membranæ crassitiem; propter extensionem tenue evaserat, sed interim cerebellum, & universa cerebri basis, nec non nervorum productiones secundum naturam se habebant: Sic etiam in dicto K. hydrocephalo cerebrum superius fuit admodum extensum, tenue & molles atque hinc ille basin & cerebellum non inspiciendo, nimis præcipitanter judicavit illud omnino defuisse.

Observatio XII.

Hydrocephalo laborantis pueri Cerebrum, pilæ palmariæ molem non excedens.

VIdi quatuor infantes hoc capitis affectu laborantes, è quo numero unum mortuum dissecui: Et sanctè testor cerebrum me reperisse pilam palmariam vix mole æquans: Neque sanatum vidi cui aquosus humor partibus internis conclusus est magna copia: Si verò partes exteriores obsidet, sanationem non respuit: Si ergo humor inter cutem musculosam & pericranium, aut inter hoc & cranium, si pauca insit quantitate, resolventibus tentanda ejus discussio. Si non succedat, ad incisionem transitus fiat, vitato musculo temporali, expresso inde humore loturæ cranium simili: ater aliquando sanguis concluditur: Si contusionis soboles sit sanguinis grumi humori permisti aderunt: Humore vacuato, linteis discerptis inflictum vulnus oppleatur, factâque idonea ligatura, eâque arctâ ad cicatricem deducatur, *Pareus Operum lib. 8. cap. 1.*

Observatio XIII.

Hydrocephalus ab aqua intra duplicatam duram meningem contenta, absente cerebro.

DEcennis puer percussus est cum ense in parte posteriore capitis; hic passus est vulnus satis magnum, cum incisione ossis, velaminum, & deperditione substantiæ cerebri; nam hæc exivit quantitate nucis juglandis: curatus convaluit citra noxam. Hic post tres annos

nos, confluentibus fuccis ad partem debilem, hydrocephalo correptus emoritur.

Apertum caput fine cerebro eft inventum: dura meninx in confpectum apparuit duplicata, habebat tamen infe aquam limpidiffimam, bonique odoris, quæ ab adftantibus guftata, infipida videbatur: at in præfentia puttilaginis tantæ jucundum odorem perfentiri monftrofum eft, cum ingens corruptio graveolentiam ex fe prodat manifeftam. *Zacutus prax. adm. lib.* 1.

C*Aput fine cerebro*) Refert quoque Fontanus in Epitome Vefalii Anatome, fe vidiffe puerum in quo cerebrum deletum fuerit, qui aliquo modo rationis manferit particeps: cerebri vicem fupplente membrana craffiori, à natura provida ipfi conceffa.

Observatio XIV.

Hydrocephalus ab aqua totum caput replente, ut cerebrum ab ea compreffum deeffe videretur.

PUer quinquennis diffectus congefferat in capite tantum liquoris, ut vitiata naturali figura, tantopere inter fe defciffèrent diffoluta offa, ut dilatata ipforum compages haud parum difcreparet à virili magnitudine fed finem miferiæ impofuit mors qua defunctus oftendit in capite fuo detineri quinque aquæ libras: quibus effufis, fuere adeo omnia vacua ac inania, ut plerique præfentium judicaverint hic confpici caput fine cerebro: At oculi acie penitius directa, vidimus cerebrum non defuiffe, fed amiffa figura globofa, induiffe formam convexi fornicis, & ab exuperante aqua, fequacem ipfius medullam adeo fuiffe diftentam, ut inftar alicujus craffioris membranæ adhærefceret undique arcuatæ diffolutorum offium circumferentiæ: *Mirabantur* qui fectioni interfuerant Medici, qui ex tam deformi cerebro, & medulla adeo extenta ac irrigua, prodierint integra mentis munia. *Nicol. Tulpius obf. lib.* 1. *cap.* XXIV.

M*Irabantur, &c.*) Nec abs te, cum in aliis vel folius figuræ vitium inducat five morbum attonitum, five lethargum, vel fatuitatem vel infanabilem aliquam amentiam: Aliis fuggeffit confufa hæc intricati cerebri congeries, inexpugnabile argumentum adverfus diftincta illa loca quæ nonnulli affignant cuilibet animæ facultati. Alii viciffim credebant hic confirmari dogma Arift. afferentis Cerebrum non mentis ergo, fed refrigerandi cordis caufa conftructum. Et prout quifque vel amore vel ftudio fuit in hanc illámve partem, pro eo etiam extulit rejecitve vel hujus vel illius fententiam. Sed exercitatiores confugiebant ad ingenuum illud, *Quantum eft quod nefcimus.* Velut anamque in aliis, fic certe credibile eft potiffimum nos cæcutire in genuino cerebri regimine: cujus opera multo fortaffis funt diviniora quam quifpiam hactenus fuo comprehendit captu. *Idem ibidem.*

Observatio XV.

§. 1. *In iis qui Hydrope cerebri laborant, tenuis meninx à cerebri fubftantia & anfractibus facile avellitur.*

QUò mirabilis tenuis membranæ cerebri in omnes cerebri anfractus diffufio, adeòque vaforum per intimos quofque receffus diftributio melius confpiciantur, hominis aut etiam bruti animalis Hydrope defuncti caput aperiatur: quibus enim cerebrum multa humiditate fcatet, retinacula quibus hæc meninx cerebri fubftantiæ affigitur, laxantur, adeo ut *membrana* cum vaforum plexibus *facile abftrahi* ac fere integra avelli poterit: qua quidem avulfa, cerebri plicæ nudæ apparebunt: etiam vaforum ubique in penetiorem cerebri fubftantiam infertiones percipientur: Cerebro autem fano & ficco pia mater ita arctè cohæret, ut vix in ulla parte diftrahi aut cultello feparari queat. *Willis cerebri Anatom. cap. vii.*

M*Eninx facile abftrahi*) Imo, notante Exc. Lowero Tract. de cordis motu, ferum inter anfractus cerebri accumulatum piam matrem eoufque deftendit donec tandem vel acrimonia fua eam erodit, vel copia fua corrūpit, unde in bafin cerebri defluens, medullam oblongatam, atque nervos ex ea ortos, ftagnatione fua corrumpit, aut acredine fua continuo laceffit, unde hydrops cerebri, convulfiones, &c.

§. 2. In adolefcente femifatuo (*fect.* 10. *Obferv.* 5.) fubftantia cerebri omnino erat flaccida: Pia mater, (quod in Hydrocephalis fieri amat) ita laxe cerebro erat circumjecta, ut nullo negotio poffet ab eo feparari. *Idem.*

Observatio XVI.

Hydrocephalus ab aqua anteriores duos ventriculos opplente, fubftantiámque cerebri adeo premente, ut anfractus confpicui non effent.

COloniæ multoties invifi puerum *robuftiffimis parentibus natum*, cui caput in incredibilem molem increverat, ita ut ipfius rotunditas ulnam & quartam partem ulnæ Colonienfis, ejufdémq; altitudo, ab una aure ad alteram, ulnam cum quarta parte excederet, *Non* autem *fic natus* erat, fed cum feptimum menfem ætatis vix attigiffet, cœperat ei caput monftrofe

excrescere: *nullus præcesserat morbus*, reliquum tamen corpus vitiose nutriebatur: verum caput intra menses xxx. paulatim in illam magnitudinem accrevit, ac tandem puer in *soporem lethargicum* incidit; *nec ita multo post obiit*.

Cranio dissecto, invenimus in duobus anterioribus cerebri ventriculis *aquam crystallo clariorem*, ad libras Colonienses xviii. illa autem non solum ventriculos, sed & *substantiam cerebri distendebat*, ita ut totum cerebrum (cerebellum excipio) in sacculum extenderetur: hinc fiebat ut circumvolutiones & *gyri cerebri non conspicerentur*, sed turgerent omnia. *Dura & pia matres integræ erant*, atque ita dilatatque totum cerebrum: pene se mox *cranium* similiter dilatatum erat, sed passim *membranosum potius quam osseum*: *Tertius ventriculus* anterioribus *confusus non apparebat*: *in Quarto*, *viscidam quandam materiam*, parva tamen quantitate invenimus, reliqua in cerebri basi secundum naturam erant, nec reperiebantur meatus per quos serosus ille humor ad caput delatus fuerat, quantumvis accurate dispiceremus omnia: Partes vitales & naturales perquam sanæ erant, unde earum functiones parum lædebantur, ita ut vix febre unquam laboraverit, quinimo edebat, bibebat, excernebat, & dormiebat ut sanus, ipsa tantum *deerat nutricatio*: *totum enim corpus* (excepto capite) *perexiguum* & extenuatum remansit: actionibus autem animalibus, quæ ex cerebro prodeunt, puta ingenio, loquela, visu, &c. destitutus fuit: *brachia autem & tibias*, labia, palpebras, oculos voluntarie vix movebat, at involuntarie sæpius h. e. *contrahebantur* & convellebantur continuo, absque tamen dolore. *Fabritius Hildanus Centur. 1. Observ. x.*

SCHOLIA ex Marco Aurelio Severino lib. de Abscessibus p. 185.

R*Obustissimis parentibus natum*) Quod è robustissimis parentibus ortus puer hic languido capite, referendum eò est quod duro homines corpore, & hac ipsa firmitatis fiducia, arbitratio & prompto qualicunque victu, & potu quantocumque usi, vim superfluitatum insolentem congerunt: Sic observatum est mihi plerumque ex sanis & præfarctis parentibus morbosos ac tenues obortos fuisse filios.

Non sic natus erat(Sed quod non profectus utero hydrocephalus; verum jam septimestri puero iniit malum, eam causam puta, quod sub materni claustri foco fomentis vegetior pueri calor, noxam præterfugere potis erat: inde elapsus, eam vim amittere, & causis se submittere morbiferis jam paratis lente se assuevit.

Septimum mensem attigisset) Quod judicationibus aptum est tempus & prope fatale.

Nullus præcesserat morbus) Nullo id prægresso morbo factum admitto; quinimo si variolæ & morbilli, exanthemata denique alia præcessissent, præcurrisset, utique malum, & hoc miser non incurrisset puer.

In soporem lethargicum incidit Non incongrue, sopientibus nimirum aquis, quæ stagnantes triecesimo jam mense, sulphuream anathymiasin & narcosin inducere debuerunt.

Non multo post obiit (Quod & veternus minatus videri potuit, lethaliter jam pressis omnibus cerebri receptaculis.

Aquam crystallo clariorem) Parti videlicet consonam; sale cerebri resoluto, ut Chymiatri volunt & ex his max. Joh. Petrus Faber in Chirurgia spagyrica, ubi de œdematis.

Substantiam cerebri distendebat) Cerebri corpus distendebatur aquosa colluvie; propterea quod spongiforme & glanduliforme videtur τοῦ ἐγκεφάλου substantia, non ita parencephalon, quod siccius, durius, densius, solidius; i. e. minus cavum, atque adeo crebris aut laxis suturarum hiatibus, aut ossium raritate aut tenuitate parulum, idcirco pseucocephalum, ut parencephalum æque dicetur, me authore, quare & authore Hippocr. partem anticam plus continere cerebri dictum, quare ipsa vere contineat cerebrum, non ita vere postica.

Gyri cerebri non conspicerentur) Quippe qui nimiopere ob distendentem copia humorem explicati: quo referri potest spirarum istarum causam haud solo usu esse venarum & arteriarum commode applicandarum, ut omnes anatomici voluere; verum causas adhuc restare materiam, effectorem & formam: materiam inquam dissimilem sibi ipsi; quando septi lucidi, callosi corporis & intercolumnis densior, pressior & compactior, rarior verò, laxior & solutior spiralis cerebri circumductus in quas binas materias & formas adaptavit se bifariam effector, ita plicatilis is fabrefactus discussus est, facile explicante hydero cerebrum.

Dura & Pia matres integræ erant) Propterea quod incumbens aqua intermixta, & salsa nonnulla parte, ut salsa sunt omnia excrementa hominis, & fœtus præsertim novelli, utpote quæ sal concoctorum omnium armoniacum eluerunt ac fœcum abstraxerunt.

Cranium membranosum potius quam osseum) Quippe quod humore multo circumfuso nequiverat addensari aut siccari: in pueris siquidem omnibus calvariæ cartilagineæ magis quam osseæ videntur.

Tertius ventriculus confusus non apparebat (scil. eadem distentus vi & insolentia.

In Quarto viscidam quandam materiam] In quarto sinu concrementum viscidius & parcius, eadem qua dixi partis posticæ natura exsucca.

Deerat nutricatio] Quod integris jam visceribus reliquum corpus non alebatur, non mirandum fortasse, propterea, quod similares noxæ non apparent, bene se habentibus aliòquin organicis.

Totum corpus perexiguum, &c.] corpus inferum gracile ac prætenue videbatur, nulla existente labe viscerum interiorum, absumpto scil. & rapto à superioribus alimento, vel quemadmodum abunde distento splene cætera membra contabescant: Ea scilicet est œconomiæ corporis communitas, ut uno læso viscere præcipuo, belle valere nequeat cæterum corpus.

Brachia, &c. contrahebantur] Brachia, femora, crura, etsi relicta mobilia, convelli sueta, difficile

aile fit id, quod cerebellum & postica pars cerebri bene se habeant, verumtamen & sine labefacta secundum suam structuram, nihilominus quia necesse fiebat ut comprimerentur hæc, inde convulsionis capiebant.

Vix febre unquam laboravit) Febris & dolor nullus, hebetudine & longinquo reductu cerebri. *Hactenus Severinus.*

Aquam crystallo clariorem) Qualem sola continent vasa lympharica, quæ quamvis in cerebro, nondum comperta, adesse tamen evincit talis liquor. Adde hydrocephalum familiarem esse fœtui ægre in lucem exeunti, ubi vis ab obstetrice illata, quæ tenellis vasis vim facit. A duriori attrectatione capitis in partu, cætera vasa sanguinem continentia, sæpe disrupta fuisse fidem faciunt & ecchymoses residuæ & sanguis concretus per os & nares aliquandiu excretus; quod filiæ meæ Elizabethæ per bimestre contigit, quæ frequentes thrombos nigri sanguinis excrevit, quod durioribus vasis accidit, in tenuioribus, qualia lymphatica, potest fieri?

ADDITAMENTA.

OBSERVATIO I.

Hydrocephalus in quo plures aquæ limpidæ libræ.

Mihi anno 1597. interiorem Hydrocephalum in puero trienni videre contigit, qui ingenti mole aquarum suturas capitis longo inter se dissidio distraxit, ideoque ab obitu plures quam libræ quatuor aquarum purissimarum aperto cranio ab egregio Doctore Turqueto dimanarunt. *Hucherus de Diæta puerorum, Tract. de sterilitate utriusque sexus addito pag. 866.*

OBSERVATIO II.

Hydrocephalus in fœtu abortivo ubi multum serum cruentum.

ANno 1676. Calendarum Januarii decimo septimo dissecui Leovardiæ septem mensium abortum. Mater gravida ac paupercula desiderabat comedere carnem vaccinam salsitam, quam præ egestate ad lubitum habere non potuit; tandem à vicinis vel ab aliis civibus eandem nacta est. Cùm porro fere satiebatur, quidam cornice fores pulsat, quas ut aperiat, à mensa surgit & per gradus descendens, cecidit, frustum istius carnis adhuc bucca tenens. Postea abortivit. Abortum paulo post præsente Augustino Reinaldo aliisque Chirurgis aperuimus. Caput permagnum, intra spatium crassæ & tenuis meningis duæ circiter libræ lymphæ cruentæ continebantur, glandula pinealis solito major & lympha turgida. Cerebrum aquosum & molle. In ore habebat vesicam lividam & carni salitæ, coctæque similem: primo intuitu carnosum quid esse putabam, sed incisione facta, lymphæ unciæ fere triginta ad laqueare vi quasi adactæ saliebant: hæc vesica totum os implebat ac linguam adeo premebat, ab interiore gingiva oriri videbatur, cùm alias ortum multo posterius habuit. Cystis aquosa videbatur mihi esse partem œsophagi posteriorem, & tum liquet cur ventriculus adeo parvus erat, hujus visiculæ constituendæ gratia, ventriculus sursum trahi debuit.

Porrò quoad hydrocephalon ex lapsu matris ortum dicimus matrem unà cum fœtu eadem quasi vita frui, eodem modo ac surculus arbori insertus: omne enim quicquid patitur mater gravida, idem patitur embryon; matris terror fuit & embryonis; vascula lympharica matris, satis rigida ac tenacia erant ne à terrore rumpantur, sed in fœtu nondum excluso mollia admodum, ac facilè fragilia, unde vascula lymphatica, cerebro contenta ruperunt; liquorque effusus, cranium necdum coalitum, immensum dilatarunt, hinc hydrocephalos seu capitis hydrops. Sed unde vesicula ori contenta? Experientia satis docuit, quid non possit matris imaginatio. Fibræ nempe œsophagi adeo à liquore ex ruptis lymphaticorum vasculis dilatatæ fuerunt, ut vesicula extra os quasi propendere coacta fuit: interim vascula quædam sanguinea, cruorem reducere impotentia, rubedinem & livorem vesiculæ induxerunt, eo modo ac si carnem salitam, voraciter à matre ingestam repræsentaret. *Steph. Blancard. Anatom. pract.*

OBSERVATIO III.

Hydrocephalus cum vesica carnosa circa suturam sagittalem.

ANno Christi nati 1666. die 7. Martii, Noribergæ, uxor J. W. textoris serici, juvencula, & anno præterito nupta, filiolam peperit facie quidem formosam, sed capite monstrosam, in cujus apice, circa suturam sagittalem excrescentia vesicæ, instar aqua repletæ, multo major

puellæ capite prominuit, rotunda, rubicunda, tactu mollis & pellucida, maculas aliquot habens nigricantes, putredinis accedentis indices; circa radicem cutis apparuit naturalis & pilosa: Tertio post die noctu vesica hæc multo quam ab initio minor, sponte per vesiculas hinc inde exortas & apertas multum humoris serosi & rubicundi instar loturæ carnis exsudavit: Ideo 10. Martii Fridericus Kühne, Chirurgus celebris, accersitus statim hanc vesicam monstrosam in parte anteriore versus radicem aperuit, cumque multum humoris serosi instar loturæ carnis effluxisset, totam vesicam jam semiputridam, ad cutem usque naturalem abscidit, absque ullo puellæ ejulatu, Digito cavitatis superficiem explorans, ad magnitudinem ovi gallinacei, cranium nullum, sed loco illius cuticulam expansam reperit. Adhibitis postea emplastris suppurantibus aliisque remediis convenientibus, effecit ut cutis ad radicem vesicæ abscissæ posita sensim abscesserit. Infans inde lac quidem maternum sugens, & pultes pro more comedens, valde tamen debilis, die decima denique vitæ suæ mortem obiit. Posthinc accuratiori facta inspectione in loco concavo excrescentiæ abscissæ, subtus cranium nullum, sed meninges apparuere, nec intus in latere dextro cerebrum, sed loco hujus carnosa & glandulosa moles, in sinistro vero latere cerebri substantia naturalis inventa fuit. Ex communicatione. *D. Pauli Freberi.*

Scholion HellVVigianum.) Practici communiter statuunt Hydrocephalum esse tumorem, seu collectionem humoris serosi, vel in toto capite, vel in parte aliqua capitis, scilicet nunc inter cutem & pericranium, nunc inter pericranium & cranium, nunc inter cranium & cerebri membranas, nunc inter membranas & cerebrum, itemque, Vesalio attestante lib. 1. de corp. human. fabric. cap. 5. & Fabricio Hildano cent. 1. obs. 10. in ipsa interdum cavitate cerebri. Causam autem hujus morbi constituunt duplicem, internam, nempe cerebri calorem debilem, cum cerebrum nimis refrigeratum ac humectatum, alimentum recte elaborare, vel humores ab inferioribus partibus transmissos discutere nequit: vel cum vasa capitis rarescunt, & aquosam illam substantiam, quæ sanguini mista, in locum aliquem effundunt; Externam causam atque evidentem, plagam seu contusionem, quæ præsertim ab Obstetricibus fœtui in partu, vel alibi rudius contrectato & appresso capite infertur. Inde morbus hic in infantibus, quàm in adultis, ob calvariæ teneritatem, frequentior, periculosior, ac ut plurimum lethalis. De diagnosi, prognosi, & curatione hujus affectus latè satis scripserunt Daniel Sennertus lib. 1. Prax. part. 1. c. 28. & Ambrosius Paræus lib. 7. Oper. chirurg. c. 1. Hydrocephalum nostrum in utero ex interna causa ortum suum habuisse, historiæ series demonstrat, ac paucos dies vixisse. Alioquin cognovi Ratisponæ uxorem cujusdam vigilum Præfecti, temperamenti frigidi & humidi, corporis obesi, fere quadragenariam, quæ sæpius singulis pene annis, accrescente Luna, calvariæ suturis se dilatantibus & adaucto capitis tumore, hydrocephalæam singularem patitur, sed malo huic mature hydragogis, præsertim gargarismate quodam certo occurrit. Duorum hydrocephalorum etiam meminit Thom. Bartholinus observat. anatomic. cent. 1. observ. 28. Curationem & anatomiam hydrocephali ab Alhardo Hermanno Gummio conscriptam lege in Miscellaneis Anni primi Academ. Naturæ Curiosor. obs. 46. & 47. Nicolaus Tulpius habet etiam lib. 1. observat. medicat. c. 25. historiam hydrocephali, ac ejus curationis infelicis. Jo. Petrus Lotichius lib. 2. consil. & observ. medic. capit. 1. obs. 7. refert, sibi Anno 1633. Mindæ puellum ejusmodi semestrem consilii causa oblatum fuisse, sed noluisse quicquam tentare, ac sub prognostico illum dimisisse.

Additamentum Schrockii.) Omnis morbus monstrosi quid in se continet, cum præter Naturæ ordinem & intentionem generetur. An vero Hydrocephalus proprie sic dicta inter Monstra referri queat, merito dubitatur. Communiter non monstrorum, sed morborum in catalogo ponitur; & Illustr. Thom. Bartholinus in tract. de Cometis, abortum Helsingorensem hydrocephalum, quem pro monstro vulgus habuerat, morbis, non monstris, adnumerandum fuisse, decernit. Hydrocephalus utique, dum non nisi hydrops capitis existit, semper morbus est. Quandoque tamen revera monstrorum numerum augere probabile est. Id quod patebit, si monstri definitio ei adplicetur, quod, juxta Licetum aliosque, est Vivens subcœleste, membrorum constitutione enormi, videntibus horrorem cum admiratione incutiens, raro admodum nascens, ex secundario naturæ instituto genitum, propter aliquod impedimentum in principiis suæ conformationis. Fœtus enim, cujus caput ab ingenti seri copia in immensam molem extensum est, deformi illo & improportionato capite videntibus, non tantum vulgo, sed & Medicis horrorem cum admiratione facile incutere potest, inprimis cum rarus admodum sit, paucisque Medentibus videre tales contingat, ac fœtum magnopere deformet. Cæterum ex secundario Naturæ instituto semper generatur, varias ob causas interdum etiam propter aliquod impedimentum in principiis suæ conformationis. Hydrocephalum itaque & morbosum, & interdum quoque monstrosum dari, dici posset. Ille non tantum embryonem, sed & adultos invadere valet, collecto nimitum p. n. in capite aquoso humore; præterea intra cranium quandoque consistit, laterque, qualem

qualem Petr. Borellus cent. 1. histor. 8. describit: unde nec deformis nec horridus videntibus adparere potest; interdum in fœtu sine errore formatricis in utero, abundantis, & vel illi sponte stagnantis, vel ob externam aliquam violentiam, uti percussionem, casum &c. cumprimis in partu contrectatam durius & compressam ab incauta vel imperita obstetricis manu tenellulam calvariam, collecti seri soboles esse potest. Hic autem, scilicet monstrosus Hydrocephalus quod detur, ipse Bartholinus laudatus non plane contradicit, dum à morboso illo Helsingorensi actionem sympatheticam excludi haud posse, cum Cl. Friderico Hammerico adfirmat; hæsisse enim, refert, mulieri hoc fœtu gravidæ in fixa memoria infortunium, quod pridem ejus culpa infanti Chirurgi acciderat, qui in lebetem ferventis aquæ demersus paulo post expiraverat. Sic etiam Guil. Fabric. Hild. cent. 5. obs. 3. puellam ætatis undecim aut duodecim circiter annorum, ob intem pestivam curiositatem, continuo circa infantulum hydrocephalicum fuisse versatam, caputque ejus tractasse commemorat, tam alte memoriæ ejus idea hydrocephali impressa, ut aliquot post annos viro cum nupsisset, toto gestationis tempore monstrosum illud caput continuo fere ante oculos ipsi obversaretur, fœtumque pariter hydrocepalicum enixa fuerit. Imaginationem itaque hujus mali præcipuam fuisse causam apud me, sic Hildanus subjungit, nullum est dubium. Idem confirmare posset historia à Levino Lemnio lib. 1. de occult. natur. miracul. cap. 4. descripta, si internam etiam capitis, stupenda magnitudine, à phantasia matris, ex conspecta hydrocephali pictura attonitæ, deformati constitutionem traderet; ubi quidem serum copiosum non defuisse, suspicari licet. Et cur phantasia carnosas, aliasque præternaturales excrescentias embryonis capiti sæpius adnectens, humoris serosi cursui uberiori ad partem illam pariter ansam præbere nequeat? Quidquid sit, præsens casus, ob miram, quæ post mortem comparuit, capitis constitutionem, monstra inter referri utique poterit. *Albardi Hermanni Cummii.*

OBSERVATIO IV.

Hydrocephalus vitio spinæ bifidæ.

Anno 1683. d. 22. Febr. natus est infans masculus Parentibus quibusdam magni nominis non sine magno gaudio, Sed ubi statim post partum tenelli infantis corpus paulo exactius examinatum, duos tumores, unum in occipite, alterum in spina dorsi offenderunt. Ille in medio occipitis juglandem magnitudine æquavit, tactu mollis, colore fusco, multis pilis obsitus, similibus murium pilis. Mater hujus tumoris causa fuit, uti postea dicetur. Alter tumor in spina dorsi, magnitudinem ovi anserini habuit, initium sumens ab ultima thoracis vertebra, tendens usque ad os coccygis, colore sanguineo, tactu mollis, instar fungosæ carnis. Ad latera vero tumoris spinæ dorsi divisæ margines utrinque satis luculenter digitis tangi & distingui potuere. Medicos & Chirurgos consulucre, quid circa istum tumorem agendum? Chirurgorum intempestiva suppuratio rejecta, Medicorumque opinio admissa, nempe & naturam tumoris & conditionem corporis infantis requirere lenia exsiccantia ex variis herbis & floribus, quæ etiam adhibita; & sæpe quotidie tumori calido imposita.

Secundo à partu die apparuit totalis utriusque pedis paralysis à coxendice usque ad plantam, non sine suspicione illum morbum ortum vitio spinalis medullæ. Varii spiritus & aquæ spirituosæ membro affecto adhibitæ, sed incassum, uti etiam exsiccantia pro curando tumore.

Interea caput sensim sensimque in molem præternaturalem extensum, ossa calvariæ nec dum ferruminata ad pollicis latitudinem & amplius ab invicem distare observata, pericranium pellucidum, & reliquum corpus macie consumi deprehensum. Lacte interea rite tenellus nutritus, excrementa debite reddidit, somno refectus & cæteræ medii & infimi ventris functiones integræ repertæ, nisi quod tussiret quandoque & difficulter respiraret, quæ tussis eo aucta, ut sub init. Maji usque ad finem vitæ cum stertore & sonitu clangosum duxerit spiritum.

Interea moles capitis adeo aucta, ut truncum corporis præponderaret, cum summa miseri infantis molestia.

Die 28. Maji placidissime hic infans absque motibus convulsivis animam efflavit.

Die 29. ejusdem permissu Parentum, corpus exanime disquisitioni anatomicæ subjectum. Aperto abdomine, nullum fere omentum, nisi tantillum, quod fundo ventriculi adhæsit, intestina vero laudabiliter constituta reperta Ventriculus, hepar, lien, renes, optime; in pectore pulmones & cor absque omni culpa.

Exemptis his, spina dorsi ab altera parte tumorem supra descriptum, obtulit.

Quo dissecto duo cochlearia aquæ insipidæ & limpidissimæ, crystalli instar effluxere, nihil cruoris, nihil substantiæ fungosæ vel peregrinæ, nihil, quod magis, spinalis medullæ, repertum, filamenta quædam alba & tenuissima si excipias, rudeta potius membranæ investientis spinalem medullam, quam nervorum.

Vertebræ vero ipsæ, ab ultima thoracis usque ad os coccygis supputando, in utramque

partem dilatatæ, admodum deformes, quarum structura depravata spinæ bifidæ, quam Tulpius obs.38. l. 3. exhibet, tam similis est, quam ovum ovo. Per foramen ultimæ thoracis vertebræ hians in apertum tumorem & explicatas lumborum vertebras, stylo Chirurgus penetravit, usque ad tertiam colli vertebram.

Medullæ spinalis in utrumque crus nulla divisio, quare tota in liquorem limpidum resoluta, cruribus nihil virium afferre potuit.

Porro caput in tantam molem eretum insolita promisit.

Pericranio facili negotio in crucem dissecto, ossa cranii infantum more nullibi conglutinata, in naturali statu omnia apparebant, nisi quod longius quam solent, & latum pollicem ab invicem sejungerentur.

In medio quoque occipitis osse, rotundum foramen, crassum digitum admittens, in conspectum veniebat, omnino præternaturale, pericranio eo in loco, ut principio dictum, in levem tumorem elevato, ac pilis consito.

Meninx dura piaque, ut & cortex cerebri, quoad externam faciem, erant sanissima. Cum vero in cerebri corticem ad ventriculos ejusdem explorandos culter fixus, viderunt corticem non excedere calami scriptorii crassitudinem, quo separato, loco ventriculorum offenderunt amplam quasi vesicam, repletam limpidissima & insipida aqua, quantitate uncias quinquaginta excedente, neglecta ea quam spongiæ & linteamina inbiberunt.

Hac effusa collapsi cerebri ventriculi manifesto docuerunt, illam in utrumque ventriculum per corticem, mediantibus tubulis, à recentioribus Anatomicis passim descriptis, destillasse, undique sua copia cerebri substantiam, cranium, pericranium extendisse, atque capiti illam deformitatem conciliasse.

Reliquas cerebri partes, glandulam, pinealem, nates, vulvam &c. examinare non permisit præceps aquarum affluxus, & hunc insecuta partium illarum confusio. Ex cerebello tamen adhuc integro, & naturaliter constituto pars in spinam dorsi pro medulla deferebatur, quæ solummodo unam & alteram thoracis vertebram assecuta in brachia dimittebatur pro motu illis conciliando. In reliquis thoracis vertebris medulla sensim deficiebat, & in prima lumborum erat plane nulla: Altera pars cerebelli in aquarum cerebri per occipitis ossis foramen inusitatum supra descriptum, propulsa, ibi tumorem illum pilis consitum formabat, qui signatura muriformis ante obitum credebatur.

Mater infantis quæsita, an tempore gestationis terrorem ex re aliqua adversa passa sit, unde signaturam illam muriformem fœtus acquisivisset? Respondit, se quidem à muribus ordinario non moveri, sed accidisse ante 4. Menses, ut Maritus parvulum sacculum herbarum odoriferatum plenum, lusus ergo ipsi ex improviso in occiput jacuerit, quo perterrita sibi imaginatam esse, murem ab alto in occiput cecidisse, & parturitius locum affectum digitis parum fricuisse.

Cui vero tumorem spinæ adscribere deberet, nescivit, Nisi quod cecidisset aliquoties graviter, & semel cervi cujusdam vertebras ad usum œconomicum in longum diffindere paulo attentius intuita sit. *D. Ioh. Lechelij.*

OBSERVATIO V.

Hydrocephali ad modum ingentis anatome.

IN Hydrocephalo, qui puerilis & jam pridem natorum, forte etiam nascentium, est morbus, serosa colluvies nunc cerebrum atque membranas, nunc membranas & Cranium, Periostiumque & cutim inter, sæpius tamen in Cerebri cavitaribus, ut quæ natura excipiendo sero sunt destinatæ deprehenditur. Unam ego Hydrocephali anatomiam, quod rara sit minusque pro sui pretio descripta, curiosius exponam. Anno vertentis seculi sexagesimo sexto à B. D. van Hornc, Anatomico celeberrimo, Infantem dissecari vidi fere septimestrem, cujus caput jam inde à nativitate ex Hydrocephalo tumescens tandem cæteri corporis staturam enormi magnitudine infamare & vitam copia inundantis seri obruere cœpit. Utrum Septenarius Criticus tantopere nonnullis & ipsi M. A. Severino, in Hydrocephalo Hildani & ipso septimestri, formidatus, an secretior impetus tempus hoc definiverit, superstitiosi ocii cultoribus interpretandum relinquo. Certe Infanti nostro statim à partu secundum omnes dimensiones caput in majus augeri cœpit, invalescente tumore ad mortem usque, adeo ut peripheria capitis æquaret ulnam fere & dimidiam. Reliqui corpusculi & ipsius vultus proportio longe pro isto capitis ossei tumore minima; jutasses universo trunco vultuique detractam humiditatem in unum caput concessisse, adeo macra omnia atque strigosa. Tensa quam maxime capitis cutis, nec Periostium, ullis aquis rigabantur, ubi tum ossium compages alia apparuit, quam esse solet. Hiatus ille rhomboides, Fontanel-

lam

lam vocant, longe patentior quam oporter, continuato etiam per suturas, sagittalem & coronalem, plus quam digitali divortio, satis ostendebat subjectam Cerebri molem in dies auctiorem coalitum impedivisse, atque hinc in illo suturarum divulsarum spatio cutis ipsa cum dura meninge arctissime concreverat, adeo ut laboriose secerni potuerit. Tenuiora adhæc videbantur Bregmatis ossa & cornea fere, in oris etiam quæque suis cartilaginosa ad notabile intervallum; ubi radiantium fibrarum osseatum usum pulchre animadvertere licuit. Nulla interim aqua, neque cranium inter & crassam membranam, neque hanc & tenuem, superficies duntaxat cerebri solito humidior; hic vero ingens cerebri tumor complanata undique superficie, mæandrorum, qui alias distinguere corticem solent, vestigia aboleverat, adeo & venæ, quæ copiose irrigare cerebrum debebant, paucæ apparuere, & in ampliata propulsaque Cerebri convexitate exiles. Itaque, cum intus ali monstrum videretur, acum admovit Anatomicus, qua in Paracentesi uti solemus, cerebrumque, cujus passim crassitudo vix digitum æquabat, pertudit. Fluere statim limpidissimi seri rivus cœpit, quem, quod deliquium metuendum non erat, ad Uncias Clxiii. non numerato, quod in anfractus cerebrique basin se diffuderat, excepit. Subsidebat interim Cerebrum pro ratione & modo fluentis aquæ, jamque formam & magnitudinem subsidendo amiserat, cum interiora ejus cultro rimari curiosa manus cœpit; reperit autem ipsam illam Cerebri substantiam tenuem admodum, intus etiam rarissimis sanguinis permeantis vestigiis perfusam. In Ventriculorum fundo lenta reliqua erat & pituitosa Lympha, quæ se glutinis instar parietibus cerebri medullaris & ventriculorum limbis applicuerat. Quid quod radix Cerebri à perpetuo illo diluvio & seri incubitu in fibras diffluxisse videbatur, quibus alias constare naturaliter solet. Loco suo quæsita Glandula Pinealis non apparuit, sive avulsa seu deliquio soluta. In plexu Chorioide nullæ etiam glandulæ conspectæ. Cerebellum autem plane integrum & nulla sui parte labefactatum, nulla etiam aqua in Ventriculo ejus, adeo &, quod mirandum, gyri anfractusque illæsi & lætiore sanguinis colore perfusi. Et hæc quidem erat Hydrocephali historia, cujus causam si altius repeto, non ambigendum, quin sæva Ostetricis manus intempestiva compressione ossium Bregmaris plurimum eo contulerit, & coarctato insimul venarum spatio lentæ Circulationi & hinc ortæ secretioni Aquosæ occasionem dederit, quæ deinde laxatis fibrarum medullarium intervallis se in Ventriculos, ordinarias humidi lymphatici officinas, stillando effuderit. Vulgato experimento jam olim cognovi, ligatis venis jugularibus internis, in vitulo semimortuo cerebrum copiose à restagnante sero inundarum fuisse; adeo & à remissa circulatione lentiusque eunte sanguine idem fieri probabile est. *Ioh. Nicol Pechlinus in Observat. Physico medic.*

Observatio VI.

Hydrocephalici & hydropici anatome.

Sigmund Biermann adolescens 27. circiter annor. in tenella ætate, ut sciscitantibus nobis confessus est, morbus convulsivis valde obnoxius, à catarrhis toto reliquæ vitæ decursu nunquam immunis extitit. In Nosotrophium, propter summam imbecillitatem, sex circiter ante obitum septimanis advectus, præcipuè tum de diarrhœa querelas movit & appetitu prostrato eum firi, quæ tantum non ad finem vitæ usque duravit: manus erant tremulæ, pulsus nunquam naturalis, sed tremulus & crebet, tractu temporis, seri effusionibus magis magisque urgentibus, & infimo ventre plenius intumescente, æger Creatori spiritum reddidit.

Præsentibus Medicis aliquot, inter quos tum erat Clariss. D. D. Stokerus Scaphusianus, sub vesperam operi sectionis nos accinximus Ann. 1677. mens. April. Curæ præcipue fuit cerebrum, unde cranio ablato illud studiosius lustravimus. Dura mater densissima fuit, & Pia ipsi parum absimilis, si non densior, sanguine preterea corrupto ac putrido penitus spurcata. Cerebrum, quasi mera gelatina obductum esset, per hanc ipsam transparuit, ejus substantia tota flaccida fuit, & aqueis humoribus irrigua, qui pia meninge ablata copiosè in fugam dabantur. Ventriculi anteriores, una cum tertio & quarto, ichore aquoso erant referti; in plexu choroideo glandulam utrinque reperimus duriusculam, nisi magnitudine. Aperto abdomine, aliquot mensuræ seri putridi, summè fœtentis eruperunt. Epiploon putruit, pancreas albicans & durum, hepar parte cava inflammatum & corruptum fuit. Ex vesicula fellis, cujus facies exterior gelatinosa videbatur, discissa effluxit humor, qualis ex ovo putrido prodire consuevit. In Mesenterio lympham in vasculis stagnantem animadvertimus, in quam vero, uti nec in thoracem media urgente nocte, studiosius inquirere non licuit. *Ioh. Iacob. Harderus in Observation. Anatomico Practicis.*

Observatio VII.

Hydrocephalicorum plures dissectiones.

Jacobi Calvas Mercatoris Nemausensis filius, tertium ætatis annum agens, vegetus & elegans, sine causa manifesta soporatus & torpens, ἄπυρετ@ post multa valida & consertim sine fructu adhibita remedia, pulsu & respiratione paulatim deficientibus, è vivis excessit.

Aperte capite cerebrum sero è vasis scaturiente inundabatur.

Filius Caufidici Nemausensis primi nominis, in eadem ætate constitutus, acris ingenii, haud multum absimili, verum iniquiore fato functus est; etenim ophtalmia & Lippitudine frequenter laborans, per dies quidecim substinuit convulsivos motus, quos excepere veternus & mors.

Apertum caput, fontanellam oppido hiantem, suturamque sagittalem os coronale intersecindentem, & ad nasi usque radices protensam, exhibuit. Dura meninx admodum densa fuit, ejusque vasa, quæ sub osse parietali sinistro sita sunt, fuere turgida sanguine, & inflamatione occupata. Paucissimus adfuit sanguis in vasis cerebri, quod ut & fistula spinalis, vasto seri gurgite restagnabat. Dum viveret, misellus, meatulum infra sinistram aurem situm, lympha perpetuo madentem, verum post mortem prorsus obliteratum, gessit. Malè huic se habuere pancreas & mesenterium, magnaque fuit ipsi vesicula fellea, quam limpidus, sed fusci coloris succus adimplebat. Ann. 1679.

Sutoris Nemausensis filiolus ab ipso ortu laboravit Hydrocephalo, ex quo caput in molem immensam, & solita quadruplo majorem, creverat; cranii suturis quatuor fermè transversorum digitorum spacio dehiscentibus: Hebes & sensibus propemodum orbatus, oculisque mite inversis, ad omnia, præterquam ad exsiccandas nutricis mammas, male se habens, per sesquiannum victitavit. Tandem motibus convulsivis fractus fatalem diem clausit. Ann. 1680. *Ex communicatione. Clar. Dom. Rivalier Medici Nemausensis Celeberrimi.*

Observatio VIII.

Hydrocephalon in substantia medullari cerebri.

Excellentissimus Doctor noster Bernardinus Tombinus, Hydrocephalicum Puerum post duos vitæ annos extinctum, in præsentia nonnullorum Medicinæ Doctorum dissecabat, cumque nullum læsionis signum appareret, neque extra, neque intra cranium, quin imò neque in ipsa cuticali cerebri porrione, obstupuerunt omnes; donec tandem cerebri cortice aperto, tota medullaris substantia (ut idem Tombinus prædixerat) corrupta, & in aquam conversa apparuit.

Insolitum hoc naturæ portentum, cum forsan à nemine unquam fuerit observatum, nostris Actis inserere non incongruum duximus, ad hoc, ut ij, qui hæc nostra legerint, causas diligenter inquirant, quarum cognitio novum forrasse lumen aliquod Anatomiæ, vel Medicinæ conferre poterit. *E Volumine v. Actorum Eruditorum Lipsiæ editorum.*

Observatio IX.

Puellæ cum Hydrocephalo Singulari in lucem editæ Anatome.

Mulier quædam plebeia trans Oderam habitans, consistentis ferè ætatis & bene habita multæque jam, & ante biennium geminæ prolis mater, denuò imprægnata, partu admodum difficili, infantem fæmellam vivam d. 7. August. hujus 1686. anni enititur: adspectu verò monstrosi fermè capitis perterrita misella, quid agendum hæret: lac itaque maternum cum ob vitiosam oris constitutionem sugere non posset, per vices de die beneficio cochlearis cerevisiam faucibus guttatim instillavit mater, quo alimento per septem hebdomadas substentata fuit infans, donec 25. Septembr. deficiente nutritione, subdiliculum exspiraret. Hanc naturæ παρέκβασιν ut acuratiùs lustraremus, eodem die instituta fuit capitis apertio, prosectore Nobilissimo, Amplissimo atque Excellentissimo Viro, Dn. Irenæo Vehrio, Med. Doct. & Profess. Publ. Celeberrimo, Seriniss. & Potentiss. Electoris Brandenburgici Archiatro graviss. Facult. Med. p. t. Decano Spectabili, Fautore, Affine ac Compatre meo honoratissimo: sequentia verò tunc à nobis notata & observata fuerunt. Erat scilicet puellæ cætera corporis probè formatæ facies, quâ mentum, quâ genas minimè deformis, ast reliqua supremi ventris membra pleraque inconcinna & à naturali constitutione abeuntia: nempe os propter labium superius aliquantò breviùs & gingivis arctiùs adnatum

rum, quodammodò distortum, & ad suctionem ineptum Nasus justò & planior, ut dorsum globulusq; parùm à generis exurgerent, & latior, ut nares magis hiantes viderentur: ex quarum dextra tuberculum quoddam album & rotundum, pisi majoris magnitudine emergebat, quod polypulum primo intuitu referebat, sed postea ἔκφυσις quædam cutanea tantùm fuisse visum est. Oculi majore ab invicem intervallo sejuncti, iidemque intrà orbitas suas altiùs recondiri conspiciebantur: Sinister quidem profundiùs situs, palpebrisque, nisi spectatorum manibus istæ diducerentur, semper opertus; uterque tamen quà globum adeòque & nigrum & album pupillam & iridem, non malè conformatus deprehendebatur. Frons nulla, nec vertex, nec Tempora satis elata erant. Eorum verò loco Tumor ingens se se conspectui offerebat, quem Mammi formem dicere, propter insignem cum mamma turgida convenientiam, liceat. Erat enim mollis, cute lævi ac nitida vestitus, vasorumque sanguiferorum ductibus quibusdam sub cute decurrentibus distinctus, & versus anteriora ad nares usque propendens, ut eum tuberculo antedicto è narium dextra emergente, mammam pendulam papillâ instructam egregiè mentiretur. In occipite breviori cervici subnixo & capillis quibusdam nigrirantibus conspersо, major soliditas advertebatur, & substratorum ibidem integumentis ossium solidorum fidem factus faciebat. Confirmabat idem visus, cum tumorem illum: qui à nativitate aliquantum auctus, & paulò ante obitum quodammodò pellucidus ad parebat, instrumentis tentaremus, Detractâ enim providè cute, membranam translucentem, per quam vasa quædam sanguifera oberrabant inflatæ instar vesicæ fuisse tumentem invenimus: Ea in summo Cubi processum quasi quendam ovi minoris magnitudine habebat simplex atque firmior, in partibus verò inferioribus duplex: atque ex meninge duriore & pericranio originem traxisse visa est: quâ apertâ, copiosa aqua limpida parùm flavescens ad ℔ I. effluxit. Eam postquam patellâ excepissemus, membranamque cruciatâ, quam vocant, sectione divisissemus, Cerebrum se se obtulit, quod mediis quasi in undis hactenus fluctuabat; meninge quidem tenui vestitum, sed quæ solito densior atque in ventriculis admodum laxis potissimùm talis observabatur. Inclinabat verò ejus moles versus posticum, nec minus cerebellum sub eâ post medullæ spinalis principium totum delitescebat, unde nervi tàm optici quàm cæteri ab origine sua ad insertionis usque locum productiores quàm aliàs cernebantur. Inter ossa cranii ea quæ Bregmatis, seu Verticis dicuntur, situm suum ita mutaverant, ut versus occiput reclinata & erecta quasi starent, superius hiatu quodam, qui aliàs in infantibus ad βρέγματος sive Fontanellæ constitutionem concurrit, divulsa. Os verò occipitis seu Basillare iisdem substans altiùs in Cervicem descendebat; unde vertebræ Colli antrorsum cedere coactæ fauces angustiores reddiderant, adeò ut uvula in iisdem ægræ & nonnisi dissectis ad aures usque buccis conspicеretur. Quam inter alias causam f[u]isse difficilis deglutitionis (nam non nisi guttatim instillata fuit ex cochleari cerevisia & quidem non sine suffocationis periculo) existimare licebit. Frontis, quod aliqui inverecundum, alii coronale vocant, os planè deerat; indeque ab Ephipio sive sellâ equinâ planum & paulisper convexum os, quod in medio aliqua ossis cribriformis & cristati vestigia ostendebat, basin cranii in parte antica constituebat. Formatum hoc modo cranium libenter servassemus, nisi obstetisset parentum pertinacia. Talem autem illam ossium compagem ob Hydrocephalum (quacunque de causa) ante ipsorum solidationem in utero, crassam inter, tenuemque meningem obortum, contigisse, atque adeò accumulatis sensim sub dura matre & pericranio aquis, & distentis earum impetu tum his tum cutaneis integumentis, monstrosum caput infantis evasisse, minimè ambigendum. *D. Gothofredi Samuelis Polisii. Miscell. Curias.*

Observatio X.

De Hydrocephalo interno cum violentissima capitis tergum versus retractione convulsiva.

CHristophoro Friderico Kauflero tenuioris fortunæ viro Ann. 1686. Mense Septembr. natus fuit filius Laurentii nomine insignitus, qui pro ætatis suæ teneritudine; licet nondum bimulus, loqui stare ac ambulare poterat, sine ulla molestia, subitò tamen ipsis Calendis Januarii Ann. 1689. capite arietare, lingua balbutire, pedibusque titubare cæpit, adeo, ut indies malo hoc ingravescente paralysi tactus, crura unà cum pedibus rigerent, urina involuntariò & continuò proflueret, voxque periret, ut non nisi rarissimè perpaucula quædam verba indistinctè tamen & quasi cum cachinno proferret, capite interim in stupendam molem excrescente, & reclinato paululum saltem corpore, arcuatim incurvato collo, tergum versus summa cum violentia retro cadente, scapulisque incumbente, ibique tam diu non sine miselli hujus ejulatu hærente, donec vel matris, vel adstantium manu erectum, pristinũ suum & ordi-

ordinarium occuparet situm, non secus ac in illa convulsionum specie, quam Opisthotonos vocant, fieri, Authores tradunt. Asportatus fuit à matre in Cœnobium Divæ Catharinæ Sacrum Conventibus nostris ab Illustr. Senatu benignissimè dicatum, illic tunc temporis singulis Collegii nostri membris, alia fortè ex causa præsentibus, symptomata hæc intuentibus, atque Dogmaticæ Medicinæ trutinam examinantibus, ubi ob summam Pueruli hujus parentum pauperiem, Magnificus Academiæ Leopoldinæ præses & Collegii Norimberg. Senior Primarius & perpetuus, Dn. D. Volckamerus noster senior; pro ea quâ in miseros & egenos solet, singulari liberalitate, medicaminum solutionem suo ære sponte promisit, si qui nostro ex ordine curam gratis susciperent: obtuli ergo me ultro, unà cum Helianthо ii. Dn. D. Volckamero juniore tanti parentis dignissimo filio, Collega amicissimo, & subsequenti statim die curationis nostra bono cum Deo fecimus initium; præscripsimus verò medicamenta varia cephalica antispasmodica, epileptica, non neglectis laxantibus & clysteribus, caput novacula rasum, & una cum spina dorsi mixtutis & spiritibus antiparalyticis inunctum, sacculis ex nervinis fomentatum, balneum apparatum, & quia ob varias rariores contingentes causas, quas hîc lubens silentio prætereo, Parentibus de veneficio fuisset orta suspicio, suffumigium quoque in his casibus maximè alias commendatum, unà cum emplastro fœtido Minsychti applicatum fuit, omnia tamen, nisi haud raro uno vel altero symptomate ad tempus saltim mitigato, in cassum, & sine effectu, ut emaciatissimus tandem æger noster postquam per aliquod dies, sanguineis ceu parentibus & vicinis visum, nobisque relatum fuit, profudisset lacrymas A. 1690. d. 17. Julii placidè animulam suam ex ægerrimo corporis domicilio exspiravit. Invitavit nos Mater ad brevem cadaveris & capitis quidem, ceu maximè hîc affectæ partis. Sectionem, nescio quæ prodigiosa ex crinibus, acubus &c. ibi latitare ex pueruli sui dum viveret, vana prædictione, somnians: annuimus petitioni ejus quam lubentissimè, & testes nobiscum adduximus Dn. D. Petrum Burgerum, & Regiomontanum, ex Italia reducem, hîc Norimbergæ tunc temporis commorantem, Amicum honoratissimum, & Dn. Georgium Jacobum Langium, affinem meum suavissimum, rerumque naturalium scrutatorem maximè curiosum; horrendum erat cadaver hoc aspectu, & nihil nisi Sceleton cute tectum, longitudine sua una cum capite ulnam nostratem, cum tertia ejus adhuc parte, capitis vero monstrosa moles quo ad solam circumferentiam suam filo mensurata, ulnam eandem integram exactè æquans. Detecto pericranio, apparentes primùm suturæ minus firmiter cohærentes, multum dehiscebant, & digito compressæ, facilè cedebant, separato cranio pro ætatis ratione, satis crasso, sub meningibus Calvariæ firmissimè adhærentibus, omnia fluctuabant, quibus discissis ac separatis, cerebrum prætumidum, cum vasis suis sanguineis, varios ejus labyrinthos perreptantibus in conspectum venit, quò separato ac diducto, insignem lymphæ copiam in ventriculis ejus stagnantem, & mensuram integram complentem vidimus; notavimus quoque circa processus mammillares, binas hydatides, lympham serosam cum sanguinis pauxillo mixtam, levi facta compressione, fundentes, lacrymarum illatum, quas falsò cruentas, dixere parentes, veram forte & genuinam causam. Cæterum ipsa cerebri substantia densa & caseosa maximè verò intra ventriculos, membranosa fuit. Cerebellum flavescebat, variisque corpusculis glandulosis, glutinosa lympha repletis, scatebat, gravemq; spirabat odorem. *D. Ioh. Pauli VVurffbainii, Miscell. cur. decur. 2. Ann. 9.*

Observatio XI.

De Hydrocephalo aperto.

Meretrix quædam infantem Wettini enitebatur hydrocephalò laborantem, qui post mensem in tantam molem erescebat, ut mater impar esset infantem ex cunis attollere. Hinc, cum sic in sua miseria periisset infans, ex curiositate & petitis quorundam amicorum aperiebam caput, ex quo plus, ultra XII. mensuras vel ℔xxiv. ichoris profluebat, (velut hoc Chirurgi & omnes alii attestantur, qui huic apertioni interfuerunt) Cerebrum exiguum erat, instar oculi bovini ad ℥iß. accedens, & simul totum putrefactum & corruptum. *Dn. D. Ambrosii Stegmanni Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 1.*

Observatio XII.

De Hydrocephalo laborantium anatomiis.

1. Hentici Slatteri filia, nata Beringæ prope Scaphusiam die 24. Februar. Ann. 1688. capite benè conformato matri & obstetrici visa fuit. In dorso, ad latus vertebrarum dextrum, macula livida apparuit, uncias quinque longa, & tres lata, quæ indies aliquantum augebatur, nunquam tamen ad altitudinem & crassitiem parvi digiti assurgebat; tam splendida evasit ut mater faciem & speciem vestium intueri in ea, ceu in speculo potuerit. Pes dexter à viræ pri-

primordio semper immotus fuit. Circa decimum ætatis diem, cum aqua per tenuissimam maculæ membranam transpareret, à Chirurgo vulnusculum inflictum fuit; prosiliit aqua limpidissima, ac si puellus, ut mater loquebatur, mingeret: vulnusculum brevi coaluit, quod mater sexies adhuc diebus insequentibus refricuit: qualibet vice aqua ex vulnere ad ℥iii. effluxit: hac emissâ, sinus amplus, & in hoc caro cruda per cutim conspiciebatur: recedente tenerrima cute ulcus mansit; quod à Chirurgo paucorum dierum intervallo consolidatum fuit. Quamprimum ulcus cute obductum fuit, nihilque seri amplius extillavit, sinciput dextrum primum, Postea & sinistrum in fastigium attolli cœpit; ac intra quartam ætatis septimanam hydrocephalus vastæ molis emersit. Interea semper edit, suxitque infans, alvi fæces & urinam ritè excrevit, habitus autem, qui ante plenus, emaciari cœpit.

Die 1. maji caput vastæ molis apparuit, altum tres palmas & fermè totidem latum. Sinciput mirè in utroque latere fastigiatum, in duos quasi colles divisum, intermediâ convalle; tempora summopere prominebant: frons depressa, planè non prominula, & occiput depressum erat. Ossa sincipitis ad duas palmas à se invicem, & temporum palmam, à sincipitis ossibus distabant. Attactu molle totum caput fuit & manifestè fluctuatio percipiebatur, excepto, ubi ossa cuti affixa erant vasa sanguifera in temporibus & sincipite rutilabant sanguine distenta. Caput tepebat, alicubi frigidum erat. Brachia pedemque sinistrum movit, immoto dextro, qui sinistro (et-si nulla apparuerit luxatio) longior erat. Vertebra prima dorsi, magis debito protuberabat; ubi macula olim, ibidem cutis depressior, & rubicunda cicatrix remansit. Famelica & siticulosa mirè linguam vibravit, & labia lambit: Postquam mater lac in infantis osculum emulsit, avidè illud abligurivit, posteaque suxit; secus si fecit, non suxit. Pulticulam avidè comedit, & sitiit. Aiebat mater nycthimeri spatio præter lac maternum (quo non abundabat) ad ℥ix. aquæ bibisse. Vagiit, brachiaque movit, oculos item, quorum tamen non nisi album conspiciebatur, nisi deorsum ductis palpebris inferioribus. Excrementa alvi & urinam ritè excrevit, Diaphragma ordinatè movebatur, hypogastrium inæqualiter intumescebat, mox iterum subsidebat; intumescentibus intestinis, tormina pati videbatur; nam præsentibus illis intumescentiis subinde vagiit. Habitus multum extenuatus erat, non tamen tantopere, ut in hecticis & tabidis observatur. Illam audire ex nullo indicio constitit, at tactum integrum esse manifestò patuit. Mirè lacte materno delectari ex linguæ vibratione & labiorum lambitione colligere licuit, quæ alacrius fiebant ex hujus suctione, quàm aquâ ori instillatâ. Cutis capitis non prorsus depilis erat. Capilli erant subfusci. Inter sugendum & bibendum interdum aliquid convulsivi patiebatur in faucibus, propter quod deglutitio impediebatur. Hæc omnia abundè contemplatus literis consignavit *Venerandus VVepferus noster*, Parentesq; ut infantis obitum indicarent, præmiis instigavit.

Die 15. Maji misella diem suum obiit. Absente venerando VVepfero, in me secandi munus recidit. Percepto nuntio, eodem die ad dissecandum cadaver properavi, meque è vestigio secutus est Excellentiss. Dn. D. Screta. Mirati sumus ambo stupendam capitis molem atque figuram insolitam; quam cùm superius jam sit descripta, hîc repetere supervacaneum duco: Anatome autem sequentia nobis exhibuit: incisâ decussatim cute capillatâ, quatuor ejus lobos detraxi, inter separandum multum seri exsudavit; ex incisis autem & dissectis venis, sanguis aquosus effluxit. Separatâ cute, pericranium cum dura matre coaluisse observavimus; utrum cerebri hæmisphærium mire fastigiatum erat, corpusque falciforme intermediam formabat convallem. In summitate cerebrorum erat pellucidum, ceu vesica aquâ plena eidem incumberet. Ossa cranii longissimè à se invicem, mirâ membranarum extensibilitate abscesserant. Sinus longitudinis utrique hemisphærio arte immersus, non nisi à parte postica, qua sanguis pellucebat, fuit conspicuus: hunc incidi, stylumque immisi qui in profundum ibat inter utrumque hemisphærium ad trium digitorum transversorum longitudinem: Corpus falciforme secundum longitudinem & latitudinem extensum & extenuatum fuit. Ab hinc vulnusculum in summitate cerebri lanceolâ cautè inflixi: apertâ durá matre, prorupit substantia cerebri aquâ turgida, ac si incisâ tunicâ corneâ, uvea protueret; nec crassior fuit substantia papyro madidæ, quem examussim referebat; nec tamen prorupit aqua, donec vulnusculum alterum inflixi: tunc nempe prosiliit aqua limpidissima. Instrumentis idoneis destituebamur, quibus aqua ponderari potuisset, octo autem librarum pondere, tum Excellentissimo Dn. D. Scretæ, tum mihi quoque visa fuit, ejus in cochleari ferreo nonnihil prunis imposuimus; sensim evaporavit, & bulliendo spumam concitavit; non in gelatinam concrevit, uti aqua in ventre hydropicorum reperta solet, sed post evaporationem, sal acre reliquit; effluente aquâ utrumque cerebri emisphærium una subsidit tandemque hac penitus emissâ usque adeo capitis moles concidit, ut modo conspici caput sine cerebro dixisses. Dilatato vulnusculo, intus specus nitidus & ingens caverna apparuit, cujus interiora vasis sanguiferis ornabantur. Remoto corpore falciformi, quod profundè cerebrum sulcabat, corpus callosum

caudi-

candidissimum, sed mire extensum & extenuatum in conspectum venit: Speculum lucidum, & in hoc cavitatem, quam duplicatura constituit, intuiti sumus. Nullam autem ruptionem ultra modum distentarum parrium reperimus. Corpora striata depressa erant, & interiori cerebri superficiei adæquata. Luci exposita exhibuerunt innumeras papillulas, acicularum capitellorum magnitudine prominentes; attactu nec asperæ, nec inæquales, nec nisi radianti luci obversæ conspiciebantur. Processus, qui crura medullæ oblongatæ conjungit transversus, brevis aliàs ad unciam unam cum dimidia vi aquarum diductus erat. Thalami nervorum opticorum cum protuberantiis orbicularibus ritè se sic habuerunt. Glandula pinealis parva & mucaginea inter contrectandum diffluxit. Plexui choroideo utrique tuberculum Phaseoli magnitudine erat innexum, testiculos fœmininos examussim referens, circumcirca hydatides, seu ovula in ovariis mulierum conspiciebantur. Processus mamillares dicti, exigui, cœci & impervii fuerunt: reliqua nervorum paria omni vitio caruere, nisi quod aquis erant submersa. Infundibulum rescissum inflare frustra conatus fui, quippe flatum non transmisit. Glandulam pituitariam diligenter examinavi: nihil tamen præternaturale in hac offendi, nisi quod humor unctuosus, pellucidus tamen stylo, visci instar adhæsit.

Cerebellum flaccidum fuit: ventriculus quartus peramplus, emissa aqua subsidit. Spinalis medulla in meditullio perforata fuit & aqua referta. Stylus immissus mergebatur sponte sua ad palmæ longitudinem versus maculam, quæ juxta spinam dorsi visa fuit. Hanc incidi; cavitas adhuc, & spinalis medulla nuda apparuit; vertebræ ibidem ad pollicis distantiam hiabant. Tubulo exploravi atque flatu, si quis forte meatus exinde versus cerebrum & vice versa daretur: frustra autem fui, nullum quippe flatum transmisit. Circa primam dorsi vertebram (de qua supra) tuberculum apparuit: incisa cute, officulum inæquale & informe subfuit. Longiorem pervestigationem importuni mulierculatum fletus prohibuerunt; loculo proin nos, alii terræ mandarunt cadaver. II. Michaëlis Flor, civis Heidelbergensis filius, natus d. 24. Octob. Ann. 1688. omnibus bene conformatus visus fuit: in dorso supra os sacrum macula, seu substantia tendinosa & coriacea apparuit: suxit infans & belle valere visus fuit: brachia movit, pedes autem fere immoti manserunt: postquam ad eam pervenit ætatem, qua alii infantes, quorum plures peperit mater, pedibus consistere valebant, penduli manserunt erecto infante, & urina sponte effluxit; anus insuper ad trium unciarum longitudinem excidit, ut repetita repositione opus fuerit. Alvus plerumque fuit lubrica. Macula dorsi in dies augebatur & in majorem molem, quin tumorem tandem insignem excrevit, ut præ hoc nec cubare nec quiescere liceret infanti, nisi in alterutrum latus devoluto. Tandem de abscissione tumoris monstrosi cogitare cœperunt parentes, vocaruntque Chirurgum circumforaneum, qui decima quarta ætatis septimana extirpationem ausus fuit. Tumorem circumcidit temeratius, & filo, acu traducta comprehensum protraxit, mox abscidit & extirpavit funditus. Inter abscissionem plus libra aquæ limpidissimæ effluxisse, saporis salsi, relatum fuit. In medio tumoris radix seu pedunculus apparuit cavus, qui inflatus, in varias ramificationes, tandemque expansiones membranaceas abiir, ceu cellulas & concamerationes, in quibus dicta stagnavit aqua. Post amputationem, caput infantis considere statim & molem minui observatum fuit; indicio haud obscuro, aquam ex ventriculis & cerebri cavitatibus promanasse. Sequenti ab operatione die expiravit infans: eodem cadaver vidi & vulnus perlustravi cum aliis curiosis. Pedunculus non nisi congeries fuit, seu fasciculus nervorum è spina dorsi exorbitantium, in medio pervius, ut stylum facilè admiserit. Circumcirca alii nervi non eodem fasciculo comprehensi ad tumorem tendebant: vasa quoque sanguifera é spina dorsi emergentia eodem appellebant: subtus membrana spinalem medullam aliàs involvens apparuit inanis; adeo ut, vel omnis medulla spinalis hâc exorbitans, in dictum tumorem terminari visa fuerit. Anus propendit ad unciæ unius cum dimidia longitudinem. Caput collapsum fuit eousque, ut fonticulus pollicem meum facilè ceperit, & ossa temporum sibi invicem impenderint. Cæterum nihil vitii foris apparuit; interiora perlustrare vetuit superstitiosa matris pietas.

Qui ventriculos cerebri tantùm lævitatis gratia conditos esse existimant, nimis leves mihi Naturæ contemplatores; neque ad rem satis attendisse illi videntur, qui non ex primaria naturæ intentione, sed secundariò tantùm & accidentaliter ex cerebri complicatione hos resultare existimant. Sed & insuper mirari subit eorum sententiam, qui cerebri ventriculos spirituum domicilia statuere non dubitant. Certè si attentius pensicularent, quæ crebrius dissecanti cerebra obringunt phænomena, modò aquatum illuvies & stagnationes in hisce cavitatibus, etiam in sanis (uti in capite vituli hodie dum mactari, quod præ manibus est, videre licet) modo earumdem vacuitates, glandulæ pinealis (quæ in lepore mira est, & visu lepida, in homine etiam sano modò mucaginea, modò sabulosa, modò etiam lapidea, in canibus verò intricatissima) dignitatem non tantopere extollerent, dum in hac ceu solio sedenti animæ circumstans spirituum satellitium famulari, glandulæ motui obedire, mandata audire & fideliter exequi ingeniosè fingunt. Mihi verò pro nobilissima functione stabilis

bilis ac certa in Microcosmo fabrica, non variâ aquarum illuvie turbata, condita & assignata videtur. Tandem verò qui cerebri ventriculos meram cloacam nominant, minus decentet de sacra Palladis arce sentire postea patebit. Aliter autem sentiet, qui miram concamerationum cerebri structuram, mirabilem in hisce plexuum choroideorum expansionem, ipsam denique convallem, qua inclinant & sponte sua ruunt in iis contenta, attentius consideraverit; nec potest non horum usum hariolari, & ad experimenta conversus ipsis quasi oculis usurpare. Alibi laticis lymphici, per totum corpus ubertim manantis historiam pro modulo tradidi, & experimentis fretus in ipsa quoque dirione animali hunc contemplatus sum. Spiritus nempe, seu particulæ sanguinis subtilissimæ sub lymphæ involucro, ceu Schemate fluido ad penitissima cerebri penetralia deducti, crassius involucrum exuunt & diversum ab eo inter instituunt. Probabile est (quod deinceps clarius patebit) lympham suo functam munere, ceu Phlegma spirituum Partim per venas remeare, partim verò ad intima penetralia postquam pervenit, venarumque superavit regionem, ubi remeare non datur, ulterius progredi, & in ipsos cerebri ventriculos tanquam in Cisternam confluere: ad quid enim tantus ventriculorum cerebri apparatus & admirabilis structura, nisi humorem quem etiam in sanorum cerebris sat uberem videre est, susciperent, susceptumque aliò derivarent? nec verò excrementitius censeri debet, quippe per mirabiles vasorum & serpentinos flexus ad ipsam palladis arcem perductus, Purissimus censeri meritò & defœcatissimus audire potest: nobili insuper hoc functus munere plura adhuc corpori elargiri potest commoda, cujus generis recrementa natura nunquam immediate eliminare solet. Quapropter rem minus attente pensitâsse videntur, qui per processus mamillates hunc in narium cavernas excerni putant, siquidem pro narium humectatione, qui secundarius ipsi tribui posset usus, sat glandularum suppetit, adeoque superfluus & inutilis in his foret. Validum est doctissimi Lowveri argumentum de catarrhis, cum autem non in omnium manibus versetur elegantissimum scriptum (cujus exemplum mihi in Anglia agenti, Author humanissimus dono dedit) textum ipsum apponere operæ prætium erit: *Humorem* inquit *intra processus mamillares* (de brutis sermo est) *contentum ipsos non permeare aut pertransire, meliùs innotescet: si ipsorum substantiam, conformationem & usum paulò accuratius perpendamus: duplici enim substantia, non secus de reliquæ cerebri partes, medullari, scilicet & corticali constant, in medullari autem ipsi spiritus animales hospitantur, unde in nervos ab ea exortos, & in nares implantatos excurrunt si autem aqua in cavitatibus processuum contenta per medullarem ipsorum substantiam in nares transeat & extillet, necesse est ut per nervos fluat, & ipsorum corpora pervadat. At quid inde de olfactu fiet, si ipsa ejus organa continuò humore excrementitio scateant.* In humano cerebro processus isti sunt exigui, imò cæci & impervii, nec à ventriculis cerebri, sicut in quadrupedum plerisque, sed à substantia medullari sub corporibus striatis, ubi nulla datur cavitas, utrinque oriuntur, nec usque examussim, interdum nervorum fasciculum referunt, nervorumque prorsus nec alio officio, fungi credam tantisper, dum alii me perspicaciores cavos hos mihi ostenderint in homine.

Viam, quâ excernantur humores contenti monstrabit sedulo naturæ contemplatori vel unica concamerationum structura, quæ in eò inclinare videtur, ut humor ex omnibus recessibus cerebri confluus versus infundibulum sponte fluat, & subjectæ glandulæ instilletur pituitariæ. Huic operi veli ficantur plexus choroidei; alibi demonstratum fuit, quàm facilè lymphicus humor à frigore lentorem contrahat, suamque fluiditatem amittat. Ne id in his cerebri cavitatibus eveniret, mirabili vasorum plexu cautum est, ut igne hoc jugi perpetim calerent ceu hypocausta, & humor in his contentus liquescens commodè in infundibulum devolutus ulterius proveheretur, de quo VVillis ingeniosè differit. Accedit motus cerebri succussorius arteriarum pulsatione & vibratione concitatus. Quemadmodum autem cribra artificiosè agitantur & in molendinis percutiuntur, ut materia contenta cribretur & ejiciatur: ita & in cerebro humoris redundantis excretio ceu mechanicè perficitur. Ipsum denique infundibulum inter binas carotides continuò pulsantes & verberantes repetitur constitum, quæ motu atque calore suo lympham in infundibulum deffluentem liquant ejusque excretionem promovent. Ex hisce usum retis mirabilis in brutis perdiscere licet. Etenim quæ pendula gestant capita, & ad demetendas herbas in terram deflexa, pleraque teti mirabili donantur & in suo genere gaudent bruta animantia. Facilè quippe latex in cerebro stagnaret, lentorem conciperet, & ad excretionem minus aptus fieret: pulsatili autem hac & calorificâ plexus arteriosi machinâ tum fluiditati ejus, tum motui atque excretioni consultum videtur.

Homini, cui erectus ad sydera vultus, generoso equo, & ut nuper vidi lepori, animali crebro sedendi erecto capite, eodem machinamento fortè opus non erat humor enim in cerebro resulrans elato capite facilè, quia sponte depluit: sufficit proin carotidum, tum verberando, tum calefaciendo lymphæ motum juvantium vicinia.

Diu mihi hic cum aliis hæsit aqua. Vidi equidem ceu meridiana luce clarius humores in ventriculis cerebri collectos in infundibulum confluere, & ad subjectam glandulam pituitariam decumbere, viam autem, quâ exeant, aut excernantur nullam reperire potui. Doctissimus Lowverus duplicem describit in homine ductum & icone illustrat, *duo* inquit, *vasa ex utroque sella turcica latere consita sunt, qui hiantibus quasi osculis aquam omnem à glandula pituitaria destillatam excipiunt, & in venas jugulares utrinque extra calvariam deponunt, quorum ductus facilè patebunt, si aqua aut lac è siphone in venam jugularem utramvis propè calvariam injiciatur, mox enim conspicietur propè glandula pituitariam erumpere atque scaturire*. Idem experimentum Clariss. Thomas VVillis ante perfecit, qui

cum diligentissimo Lovvero merito curiosissimus hujus glandulæ scrutator audire potest. Sed pace tantorum virorum dicam, quæ ego circa hanc observavi. Vasa seu ductus, quos illi detexerunt, certè non nisi venarum sunt propagines. Foramina quippe in capite vitulino assi cuneiformi insculpta ducunt ad subjectum, ossi ipsi immersum vas sanguiferum, quod in binos rivulos divisum, reflectitur utrinque ad venas jugulares. In capitis humani Anatome injeci olim ope siphonis ceram rubicundam in alterutram venarum jugularium, penetravit hæc usque ad glandulam Pituitariam, quam undique alluit, & coronavit pulchrè, ipsam verò glandulam non subire; sed tantum alluere claro hoc experimento didici. In scrutinio glandulæ pituitariæ è calvaria vituli exemptæ cautissimè membranam qua investitur separavi, nullum autem vasculum excretorium, quod ipsam subingrediatur, bibatque infusum laticem deprehendere, nec vel minimum hujus vestigium observare potui, adeo, ut ex Anatomia, tum aliorum, tum propria, parum mihi de excretionis modo in hac glandula constet. Nec tamen probabilis mihi videtur Clariss. DiemerbroKii sententia, dum glandulam pituitariam penum suum supernè versus cerebrum effundere statuit quippe per processus mamillares nihil humoris saltem in homine excerni ex supradictis abundè constare arbitror, quò autem concederet tandem humor in cerebrum effusus, fateor me non concipere. Quin structura hujus glandulæ contrarium innuere videtur, quippe insigne hæc cavitate prædita est, saltem in homine, qua humorem supernè infusum excipit. Verisimile est laticem ex omnibus cerebri partibus confluum in infundibulum devolvi, glandulæq; pituitariæ infusum ejusdem porulos trajicere ac perreptare, osculis vasorum reducentium ad hoc configuratis hiantibus infundi, juvantibus hoc opus pluribus machinamentis per quam ingeniosis, & ita (more totius corporis lymphæ) in massam sanguinis derivari; hujus enim conservationi seu humoris utilissimi naturam mirè studere alibi demonstratum fuit. Ne antem ἀσύμβολ☉ sim in abstruso hoc, sed scitu perquam necessario naturæ artificio, fert sententia, vasa lympham in hac glandula absorbentia non esse sanguifera, qualia depingit ingenioss. Lovverus, sed revera lymphatica existere, quæ etsi ob loci asperitudinem Anatomicorum diligentia nondum fuerint detecta adeoque invisa, eadem tamen existere nullus dubito. Quemadmodum nimirum reliquæ glandulæ conglobatæ in capite lympham sive circa nervorum expansiones in membranis (uti dudum observavit Venerandus senex noster Wepferus) scaturientem, & ad glandulas conglobatas per vasa lymphatica transfusam; sive ab ipsis immediatè arteriis iisdem suffusam filtrant, percolant, & per alia in parte sima exorientia vasa lymphatica ad commune lymphæ receptaculum remittunt ita quoque cum glandula pituitaria comparatum videtur. Experiundo enim didici, in capitibus præsertim boum, lympham in partibus nutriendis resulti tantem, glandulis tum maxillari, tum Parotidi, tum aliis conglobatis per peculiaria vasa lymphatica advehi, earumque parti convexæ fusis ramificationibus infundi, (cujus elegantissimum argento vivo experimentum cepi) quæ postquam glandulæ substantiam pervasit, ab aliis parte sima oriundis vasis lymphaticis excipitur, & ad commune lymphæ receptaculum refertur. Cum itaque glandula pituitaria, ex conglobatorum genere videatur, lymphaque superne instilletur, quid obstat quo minus vasa lymphatica supponamus, quæ per colatam lympham, absorbeant & more aliorum, ad commune receptaculum revehant nec enim fas erat lympham a cerebro refluam immediatè in sanguinis massam redire, quin more totius corporis lympha suo charactere in glandula conglobata insigniretur, de quibus forsan aliàs pluribus dicendi erit occasio. Plura sunt in nostro hydrocephalo, quæ hanc theoriam confirmant phœnomena; inter quæ illud imprimis enucleandum est, cur in recens natos præcipuè cadat hydrocephalus? Equidem nullum est dubium, quin humores in cerebri ventriculis collecti apud plures frustrentur exitu, & alios quoque ætatis homines pessundent, unde merito Carolus piso caput castellum seu labrum seri appellavit. In adultis autem non hydrocephalum, sed apoplexiam uti sequens observatio testatum faciet, aut alium affectum soporosum inducit: nimirum ab exundante perperam sero in adultis corpora medullaria ob soliditatem & resistentiam cranii cedere nescii comprimuntur, spiritunmque animalium effluxus per nervos intercipitur: in tenera autem ætate cedit exterior cortex, integumenta membranosa humiditate scatentia dilatantur, & mirum in modum diducuntur. Recens autem natos præcipuè manet hoc fatum (uti videre est apud Fabrit. Hildan. Forestum & alios) quia prono plerumque capite, & inclinato, nonnunquam planè demisso, præsertim circa tempus partus in utero reperiuntur, quo situ restagnar humor in cerebro, lentorem forsan concipit, hinc percolationi per glandulam pituitariam minus idoneus, infarctus ejus porulis, congeritur in ventriculis & accumulatur, donec caput in immensum excrescat, tandemque obruatur aquis. Præterea dum eluctatus infans per uteri claustra, caput ejus mirè comprimitur, ut interdum vel terrorem incutiat in experris primiparis: ex ista coarctatione fibrillæ cerebri non possunt non violari, nec mirum si humorem nimium admittant in cerebri ventriculos exsudantem, minusque proportionatum, quàm ut filtri sui porulos trajiciat atque pervadat. Nullum est dubium, quin in memorato casu affectus primordia jam in utero facta fuerint, antequam lucem aspexit misella; nimirum postquam aqua in ventriculis cerebri collecta exitum per glandulam pituitariam, sive propter lentorem, sive aliud vitium non obtinuit, regurgitavit versus cerebri ventriculos, quos adimplevit: inde versus quartum redundans ventriculum, spinalem medullam perforavit, cuniculumque per mediam hanc egit; eo autem loci, quo vertebræ hiant adhuc in tenella hac ætate exitum molita est, cutim autem densam dum perrumpere non potis

non potis erat, fatem maculâ lividâ notavit, quæ statim post partum animadversa fuit. Illud verò attentionem meretur, nimirum quod intra decem dies eousque cumulata fuit aqua in ventriculis cerebri, ut non modò per spinalem medullam cuniculum egerit, cutimque firmam in tumorem elevaverit, sed & insuper eousque extenuarit, ut aqua intus conspici potuerit, quæ vulnerata cute tantâ vi prosilit, ac si puellus, ut mater loquebatur, mingeret: ex in sequentibus diebus, postquam vulnusculum refricuit mater, qualibet vice ℥iij. aquæ limpidæ effluxerunt. Consolidato ulcere intra mensem caput in tantam molem excrevit, quanta in historia morbi describitur. Duplicem autem hujus colluviei in dissectione capitis videbat mihi videre scaturiginem. Sunt equidem, qui omne seri depluvium glandulis plexuum choroideorum tumefactis tribuerent. At verò ventriculi cerebri, quos ad recipiendas hujus superfluitates conditos esse tantum non omnibus probatur, non solùm propter hasce glandulas facti videntur, quippe latius patent; adeoque etiam aliunde, quam ex hisce glandulis humores in illos confluere videntur. Dissecuit olim caput vituli verruginosi: inveni in ipsa cerebri substantia tres hydatides, ovi columbini magnitudine, humore limpido plenas: indicio, etiam in ipsa cerebri substantia fluere humores & epidermide obduci posse. Id effecti autem meritò tribuimus papillulis, quæ in corporibus striatis, lævibus alias ac perpolitis capitellorum acicularum magnitudine promiuebant numerosissimæ, ut serum copiosius eructarint in cerebri ventriculos: sanè similes in aliis quoque cerebris morbosis observavi, præsertim in colluvie serosa; de quibus imposterum mecum viderint alii, siquidem nascatur occasio; interim admonitos velim, non nisi ad radios solis conspici hasce papillulas. Nec tamen omni culpâ eximimus glandulas plexuum choroideorum; quippe tumidiores repertæ fuerunt; easque vitiosas ut plurimum observavit in hydrope cerebri Clariss. Thomas Willis. Utrum primariò & per se an huic immersæ lacunæ fuerint vitiatæ, dubito. Certum tamen est, in hydropicorum ventre glandulas plerumque corrumpi, tandemque quasi elixari. In plexibus choroideis glandulis id muneris delegatur, ut, cum vix detur immediatus ex arteriis in venas transitus, sanguis arteriosus (qui calore perfusdit hasce cavernas) venis per dictas glandulas committatur. Si quis autem has glandulas propterea tantum conditas, & plexibus choroideis intertextos existimet, ut serum seu lympham secernunt, huic regero, non opus fuisse tanta venarum & arteriolarum luxurie ac frequentia. Nec ad depurandum sanguinem destinatæ videntur, quippe is ex arteriis plexuum (choroideorum, non ad substantiam cerebri corticalem, ut spiritus inde elaborentur progreditur, sed proximis redditur venis, ad torcular reducentibus.

Quantacunque autem copiâ cumulata fuisset aqua in cerebri ventriculis, hydrocephalum non produxisset, nisi viâ, qua aliàs excerni solet aut infarcta, aut aliàs obstructa fuisset. Sed unctuosus circa glandulam pituitariam humor, qui stylo visci instar adhæsit, index fuit farcientis intus, & colatorium seu glandulam pituitariam obstruentis mucilaginis. Intercepta ita & interclusa excretionis viâ; stagnante & regurgitante versus cerebrum aquâ, caput infantis non potuit non brevi temporis spatio in vastam excrescere molem.

Exemplum hydrocephali, in quo glandula pituitaria planè defuit, videre est in Colleg. Curios. Ann. 2. Decad. 1. Observat. 47. Aliud apud Doctiss. Lowerum in tractatu de cattarrhis, ubi glandula pituitaria, qua infundibulum inserebatur, gelatinâ quadam viscidâ ad magnitudinem minoris fabæ penitus oppleta fuit. Usque adeò verum est, humiditates cerebri per glandulam pituitariam transcolari & in massam sanguinis derivari. Ex hisce quoque infertur, impropriè cerebri excrementa dici; quæ natura nunquam in suum sinum recipere solet. Cur verò non immediatè per apertos tubulos, sed mediante glandula hac, lympha in cerebro resultans venis instilletur, ratio videtur, quia quemadmodum lympha ubi ubi in corpore, saltem, quod compertum habeo in capite resultans, antequam in massam sanguinis reffunditur, glandulas conglobatas alluit, ut in iis aliquid delibet (nec enim frustra has conditas fuisse existimare fas est) ita etiam cum lympha in cerebro redundante comparatum videtur: nec enim prius in massam sanguinis reducitur, quàm in glandula pituitaria charactere suo insignita fuerit, de quibus alibi forsan pluribus. *Dn. D. Iohannis Conradi Brunneri, Miscell. cur. Dec. III. App. 1.*

ANATOMIÆ PRACTICÆ

LIBRI PRIMI

SECTIO XVII.

DE CATARRHO.

Observatio I.

Catarrhis ordinarias aßignatas vias, per oßa Ethmoidea & Sphenoidea, impervias esse ostendit Anatome, quæ alia itinera, per quæ in subditas influunt partes, detexit.

§. 1. In dubium hodierna die apud plurimos revocatur, an illud excrementum, βλέννα Græcis dictum; quod per nares aut os à plerisque excernitur quotidie; in cerebro colligatur, & per loca, quæ vulgo à Practicis indigitantur, expurgetur: Cum per os Ethmoides ne guttula quidem aquæ exstillare possit. Utcunque enim hos os in sceletis, quod multos seduxit, foraminibus abundet, in vivo tamen corpore & cadavere, nondum membranis & carne spoliato, tota ossis hujus regio, dura matre integra nullibique pervia obducitur, nullumque vel minimum foramen in illa hoc in loco invenitur, nisi quod, in avellendo, cultro imprudens feceris: Si enim avulsam hujus loci crassam meningem soli exposueris, ne minimus porus oculis se exhibet: Quæ in eo osse adhuc membrana obducto videntur adesse, nulla sunt; nam integra meninx se sinubus insinuat, ut creberrima processus mammillaris germina aliquantum naribus propriora sint, non tamen illam transeant, &c. *Conr. Victor. Schneiderus lib. de Osse cribrif.*

§. 2. Os Sphenoides notabili sinu sub sella est excavatum, in duas distinctus concamerationes: vacuam semper deprehendimus utramque, in narium autem neutram perviam amplitudinem. Foramina quædam nonnunquam apparent, per quæ plurimi volunt pituitam percolati in sinus subjecitos, post ad palatum deduci; Sed ea non sunt pervia, cavernæ sunt non foramina. *Rolfinkius Dissert. Anatom. lib. 2. cap. 20.*

Exemplo Schneideriano animati novas audebimus investigare & decernere Catarrhis vias. Postquam novam sententiam veritati maximè consentaneam, solidis niti fundamentis advertimus, nihil ferè pituitæ naturaliter, & quod præternaturalem catarrho denominationem tribuere valeat, per cribrosi aut cuneiformis ossis foramina, aut glandulæ canales corrivari in nares & palatum statimus.

Transitum excrementorum ex ventriculis per anteriorum ventriculorum extremitates, aut os cribrosum, nec dum homo bene, nec dum male habet, agnoscimus: Nullos etiam meatus posteriores à glandula pituitaria ad palatum à Galeno assignatos, quicunque tandem illi sint, recipimus. *Neque etiam canales quatuor à glandula ad orbitam oculi aut palatum: aut foramina vasis transmittendis dicata tali muneri vacare ullo asserere possumus modo, licet authore Côo lib. de glandulis, simile glandulæ cerebrum sit, paucissima tamen habet excrementa, ut pote quod purissimo nutritur sanguine, paucissimo etiam indiget nutrimento: Eluceſcit id ex arteriarum carotidum & cervicalium, cerebrum quod admittit, duplici jugo, exili admodum & sanguine referto limpidissimo: Impuritates sanguinis restitant in Reti crassæ meningis mirabili, quæ depurato ibidem adhuc inhærent sanguini, fæces suas deponunt in plexum choroideum & ventriculos cerebri: Exinde humiditates fæcales sensim per infundibulum tendunt ad pituitariam glandulam: Quemadmodum viæ sanguinis immissariæ, carotides & cervicales, exiles sunt, ita & excrementorum emissariæ angustæ: Non est credibile tot, sanitatis tempore in sanguineis & pituitosis expui aut emungi quæ solent, esse cerebri excrementa propria, aut in cerebro generari, aut in eo fomitem habere, opprimerent mole sua nervorum principium: neque cerebri excrementa publica sunt, aut ex toto illuc deferuntur corpore, ut statuebat Argenterius: in præternaturali statu etiam quæ fluunt excrementa ex naribus & ore, imbre pleno, non sunt excrementa cerebri propria, neque ex cerebro, ut totius corporis excrementa eò delata & relapsa veniunt. Non generantur aut coacervantur hæc excrementa in cerebro, ex ejus vitio primigenio aut postgenito; vel utroque: neque etiam in cerebri pomoeriis detineri modo possunt ullo: multo minus probabile judicamus excrementa quæ emunguntur, aut expuuntur, cum malè habet homo, esse publica,

aut à toto deferri corpore in cerebrum. Particulares cerebri vacuationes per erthina, sternutatoria, masticatoria, tot hactenus decantata laudibus, vires suas in spongiosas oris, palati, faucium, nasi carnes dum spargunt, easdem mundant, eàque venarum & arteriarum extremitatibus pituitosas, mucosas, viscidas & salivales extrahunt humiditates, adeòque per accidens cerebrum emundando inserviunt, dum sanguinem dephlegmant à fæcibus & scoriis, antequam ad cerebrum devehatur, liberant. Existimarunt antiqui bonum indicium valetudinis esse sternutamentum, cerebrumque inde purgari. Nos quamvis nihil è cerebro effatu dignum vacuari, aut cerebrum inde sublevari censeamus per se, prodesse tamen judicamus per accidens, vacuatis ex arteriis carotidibus, ad nares & os tendentibus humoribus. Quæ arcano ex euphorbio & convallium liliorum floribus concinnato, pulvere, in substantia, vel infuso naribus immissis, ore ligneo bacillo dentibus applicito, aperto servato, educuntur tenacia, viscida lenta, mucosa excrementa, non educuntur ex cerebro per cribrum aut cuneum, sed ex spongiosis carnibus oris & narium, fomitem suppeditantibus arteriarum & venarum extremitatibus: Galenus Art. med. cap. 11. bene temperati cerebri signa esse ait, & decentem capitis figuram, & quando excrementa quæ per palatum, vel aures, vel nares, vel oculos expurgantur, hæc quoque moderatè se habent: Ad nostrum institutum accommodari possunt ea quàmoptime: Si ex arteriis excrementa hæc ordinatè deponantur in emunctoria narium, oris & faucium, benè habet salus cerebri: Sin minus, excrementa eadem cum arterioso sanguine sursum ascendunt ad cerebrum, ejus temperies ad justitiam mutatur: Glandula pituitaria recipit quidem ex ventriculo tertio per infundibulum superflua, sed ea pauca sunt: absumuntur illa in glandula sensim & sensim: *Depascunt glandulæ in intestinis*, ait Cous lib. de Glandulis, *dum exprimuntur, madorem, absumentes reliqui corporis abundantiam*: Idem etiam facit hæc glandula in cerebro; Aberrat à janua Galenus cum 9. de usu part. cap. 3. percolare putat cerebri excrementa: imbibit glandula excrementa, humectat, & refrigerat vicinas retis mirabilis partes, sensimque superfluitates absumit.

Interrogati, Quas ergo per vias excrementa mucosa in nares & palatum deveniunt? quomodo colliguntur tanta in copia, si ex cerebro, antiquitus cognitas non derivantur per vias, os cribrosum vel cuneiforme? Respondemus dari alias vias, publicas vel privatas, privatæ nullæ sunt hisce excrementis evertendis dicatæ: munus id exequuntur publicæ: Inepti sunt nervi, spiritum enim animalem vehunt: Inidoneæ videntur venæ: hæ enim ad cor revehunt sanguinem ex arteriis: Punctum ferunt arteriæ carotides omne: Arteriæ sanguinem ex chylo natum, adolescentem ex vix juvenem, ex cordis sinistro haurientes ventriculo, & deorsum vehentes, in lienem deponunt τὰ ἄφετα melancholica: in jecur biliosa, in renes aquea & serosa, sursum verò pituitosa: Debuit omnino alimentarius, singulas in partes devehendus, sanguis spoliari suis scoriis, imprimis verò cerebro cessurus in alimentum: Purus hic esse debebat ὡς δυνατόν: Ideo in vestibulo mundari debebat, seorsim positis inquinamentis & retrimentis, ablegantur ergo illa per carotidis internæ ramum exteriorem, ad spongiosas narium, palati, faucium, oris partes omnes, glandulas μάλιστα, ipsam etiam linguam. Hoc recrementum secundum essentiam considerarum, est Salivale in tonsillis & ore: Mucosum, βλεννὰ dictum, in naribus & faucibus, pituita utrumque indigitatur ὑδατώδης: Pituita hæc, dum ad naturæ se componit leges, in arteriis ferè est aquosa & sero persimilis: lentorem adipiscitur à spongiosis carnibus: deinde autem calore partium, portione ejus tenui dissipata, crassescit: Male se habet recrementum hoc, si præternaturam mutetur evacuatio hæc per arterias, recedere autem potest à naturali statu si biliosæ, melancholicæ, pituitosæ se permisceant atomi: Cum Venetiis media hyeme iter faceremus Patavium noctu, manè post levem somnum salsos advertimus catarrhos ore rejectos: Salsum autem hoc arteriosum fit rettimentum nonnunquam ob duas à Galeno 2. de diff. febr. cap. 6. assignatas causas, puttedinem & serosæ humiditatis admistionem: Chymici ad salium, quæ à reliquis principiis, in officio non continentur suo, actu in arterioso sanguine prædominantium ἀκρότητας confugiunt: malè se etiam habet recrementum hoc, Essentiæ hujus materiæ modum si consideremus, tum quantitatis, tum qualitatis primæ & secundæ, tum exeundi modi, temporis, & locitatione: Si itaque copia, si qualitate prima vel secunda, ουσίας, salsugine vel virulentia peccet, sanitatis limites egreditur: contrahit vitium hoc catarrhus ex toto corpore, per venas ad cor delatis, nec per emissaria ordinaria ritè evacuatis cruditatibus: Nullum dubium etiam est quin ex cerebro à nutritione residuo cum sanguine, multæ humiditates excrementitiæ per sinus crassæ meningis ad venas jugulares revehantur, & ad partes has circà nares & os, ceu emunctoria ordinaria deponantur: Non omne excrementum solas affertur per arterias ut nutrimentum; venæ non omne quod vehunt, vehunt & infetunt in cor, sed quiddam etiam evehunt ex corporis emissariis: ita hæmorrhagiæ contumaces, per nares, pulmones, annum, uterum, non solum fiunt per arterias, sed & vicinos venarum apices.

Interrogati, Anne nullus omnino transitus humiditatibus quibusdam aqueis per cribrosi & cuneiformis ossis foramina concedendus? Respondemus, fieri posse quod turbato naturæ ordine, arteriarum ad nares & os evehentium expultrice vitiata, arteriolarum etiam crassæ & tenuis meningis, & sinuum circulatione titubante, non omne quod à nutritione superfluum expellatur, sed in ventriculis copia abundet liberaliori: Id si contingat, necessitate urgente, qua data porta cùm ruant omnia, superflua hæc ad cribrum & glandulam cuneiformis ossis exundare & per foraminula vasorum emanare queunt: Objicientibus in faucibus & naribus deesse locum in quo mucus omnis, qui excernitur, moram nectere valeat, muci natura præsupponit moram extra arterias, sed quæ commoditas in faucibus? respondemus diverticula in narium spongiosis manifesta sunt anfractibus: imbibuntur à cerne fungosa faucium superfluitates, retinentur & condensantur, adhærescunt parte postica; sæpe circa uvam hærent: in narium tamen anfractibus imprimis mucosa recensetur militia, cum emunctio non

non respondet voro, quia firmius adhæret mucus, aut à nasi tubulis exitus ejus impeditur, spiritu per nares copiosius attracto, eundem retrahimus in fauces & exspuimus: Rogari sententiam de modo quo arteriæ imprimis, ex parte etiam venæ, deponant has excrementitias humiditates in spongiosas narium & faucium carnes? Respondemus vasa hæc, in narium & faucium carnibus, aranearum telæ istas divaricari & roris in modum transsudare, eo modo, Philosopho authore 2. de gener. animal. cap. 7. transudat alimentum per rariorem vasorum textum: transsudat autem illud non aliter quam aqua per fictiles ollas, crudas adhuc, & nondum incrustatas: ut Nitrum & Ammoniacum sal aqua solutum per ollas coquinarias transsudat, floribusque candidis externam coronat superficiem, ita etiam ὑγρασία περιττωματικὴ hæc transit per ἀδήλους membranæ narium & palati πόρους, sensim & sensim collecta in scalis seu gradibus narium muci naturam induit, inque illis moram nectens, condensatur, ad scalarum figuram varias induit formas, quas cum nares desæcamus, ac collecto, & contractis thoracis musculis impulso spiritu, condensatum auferimus, expellimus mucum, quod emungere vocant, apparent; videntur lacinias & laceras vestium attritarum præ se ferre particulas, eæque quæ cavum respiciunt narium, siccæ ut plurimum sunt, quæ membranæ narium adhærent, humidæ: continuo scaturit fons hatum humiditatum proventu, animali bene habente. Sed quandoquidem hoc arteriarum officium à natura civitate est donatum, qui fit quod multi reperiantur qui parum vel nihil emungunt? Respondemus paucos reperiri ea temperamenti moderatione beatos, ut fint ἀμυξώδεις, siccitas hæc narium & palati, non tam signum est cerebri temperati, sed potius optimæ ad justitiam totius corporis temperaturæ: Qui vero impuro corpore scatent, hujusque vacuationis, per nares aut palatum, destituuntur beneficio, illi certè id impunè haud ferunt, sed multis subjecti sunt ærumnis aliis: Franciscus Galliarum Rex ἀμυξώδης, antrium ulceribus vixit obnoxius: Alii emunctæ naris, arthriticis, podagricis & capitis doloribus infestantur: nonnulli tussiculosi fiunt, conversa ex toto per venas in dextrum ventriculum, & ex eo in arteriosam venam, cum nutritio Pulmonis, & sinistro cordis sinui destinato sanguine, excrementitia materia: hæc cum roris modo per sensui ferè impervios meatus in asperæ arteriæ transsudat bronchia, interna irritata membrana, jussisque se thoracis contrahere musculis, fit efflatio illa vehementissima quæ appellatur Tussis: Novimus matronas quibus gratioso hoc arteriarum ad nares pituitam evehentium, destitutis beneficio, continua à partibus hymeneo sacris dependet stiria, albumque molestum est profluvium. *Guernerus Rolfinccius Dissert. Anatom. libro 5. cap. 56. & 57.*

Cerebrum non est fons Catarrhorum, expers est culpæ in omnibus destillationibus. 1°. Paucissima in cerebro generantur excrementa à nutritione cerebri residua: 2. nulla in eodem idonea deprehenduntur excrementorum receptacula: Ventriculi extra medullam, ex accubitu partium medullæ per accidens nati, quamvis ob capacitatem & humorem accusari possent, tamen si quis accuratiori inspiciat oculo, videbit horum foramina, ad expellendam in tanta copia pituitosam hanc crassam materiam, non sufficere; Processus papillares, glandula pinealis & pituitariæ, vulgò excrementorum cerebri judicantur receptacula, verum & hæ catarrhorum inundationibus recipiendis vel transmittendis sunt impares; 3. Viæ à veteribus excogitatæ, à neotericis pro genuinis non habentur. 4. Nec cerebri omenta & membranæ evehentium ductuum vicem sustinere possunt: Et quis cerebrum, divinæ mentis sedem, omniumque humanarum actionum, totiusque corporis nobilissimam partem talibus proscinderet injuriis; ut hisce impuritatibus sive generandis sive recipiendis destinatum diceret? Totum potius corpus & cor motus catarrhi principium *A quo* dicendum; sanguis enim pluribus humoribus permistus, per arterias carotidas summa petens; ad spongiosas narium carnes impuritates defert, ut ibidem emunguntur: causa proxima sunt humores excrementitii, salsi, melancholici, biliosi, serosi, &c. facultatem expultricem ad expellendum stimulantes, qui communiter uno Pituitæ verbo insigniuntur: Generantur hi humores, non per essentiam ob facultatem læsam, à nativa membranæ hujus debilitate, quæ impedit, quò minus alimentum ritè coquatur, & sic multa excrementa producantur, Sed per consensum à toto corpore cachocymico fomes membranæ glandulosæ pituitariæ κατὰ ῥευματισμὸν communicatur: Viæ per quas mareria hæc ad membranam desertur, sunt illæ per quas sanitatis tempore eadem fluit: Inter illas, quæ aliunde veniunt, prima est excrementitius meatus osseus, post cartilagineus redditus; è concha auris tendens in palatum, per quem nonnunquam clauso ore retentiis spiritus irruit in concham & sibilum excitat: sed parum hic conferre poterit: Altera via est meatus inter utramque palpebræ membranam, ad orbitæ angulum excurrens, non tamen ibidem desinens, sed ulterius extensus, & in nares per amplum foramen lacrymalis glandulæ, cujus punctis est continuus, tendens, eo humidirates serosas deponit: Quamvis autem angusta sit hæc via, & vix verisimile videatur tantam copiam, quæ emungitur, inde suppeditari, possibilitatem tamen persuadet continuatio translationis: In ipsa narium tunica exorta vasa, catarrhi hujus materiam deferentia, duo sunt: breviora alia, exilia, & nonnisi per expressum humorem conspicua, alia longiora: confertim & magnis portionibus non fit affluxus, sed sensim: implet nares naturali in sensu, non vi, sed sæpe & continuo tractu cadendo: Rivi fomitem perennem suppeditantes sunt *Arteriæ & Lymphatica vasa*: Viæ & vasa, quæ in glandulosa membrana affluentem humorem (non, ut nonnulli loqui amant, Pituitam, inde etiam Pituitariam ipsam vocant membranam, sed in mucum conversum, cum munere humectationis naturali perfuncta; vel in majori præternaturali copia collecta est) excipiunt & excernunt, sunt binæ in utravis parte una. *Idem consiliorum lib. 5. consil. 1.*

Quidam non recipiunt membranam narium esse partem emissariam, aut in quam arteriæ suam deponere possint saburram, aptum locum, cum ea sit odoratus organum: Fatemur ὑμένας membranas tegentes communiter dictas, tegere & huic soli vacare officio: verum τὰς χιτῶνας membranas constituentes, quæ appellantur

tunicæ,

tunicæ, aliis, etiam vacare officiis: Sic intestinorum tunicæ recipiunt excrementa totius corporis in fluxibus alvi: cutis membranea tota, præterquam quod regat, similis est nassæ piscatoriæ, quæ totius corporis excrementa recipit; Ita etiam narium à crassa meninge propagata membrana, pluribus destinata officiis, singulis vacat naturæ jussu odoratorium est sensorium, & excrementorum est diversorium: Prius officium ut exsequatur, nervis instructa est odoratoriis; ut posterius, carneo intertexta est tomento: ut verò ex ea in inania natium spatia pituita exstillare queat, facta est porosa & spongiosa. *Idem Dissert. Anatom. lib. 2. cap. 20.*

Hanc sententiam impugnat *Diemerbroeck* Anat. l. 3. c. 6. eo quod facile pituitosi humores angustiis tenuissimi tetis & plexus obstruant, & graves inde morbi oriantur apoplexia carū lethargū cataphora &c. quibus homines obnoxii forent si illa propositio vera; esset Atterius carotides catarrhorum fontem suppeditare, partim scil. pituitosorum humorum in rete mirabile deponendo, ex quo illa excrementa ulterius ascendant in plexum choroidem & ventriculos, inde ad glandulam pituitariam defluentes, in qua sensim absumantur, partim eosdem pituitosos humores per internæ propaginis ramum exteriorem exspuere in spongiosas narium, palati, faucium Cotis partes omnes glandulasque vicinas, eosque inde ut protsus inutiles expurgati, vel si peccent in quantitate, qualitate, excernendi modo &c. tunc inde catarthos generari: 2°. Eo quod non animadvertat arterias sanguinem æqualiter ad omnes corporis partes, sine ullo delectu devehere; nec speciatim ejus partes biliosas ad hepar, melancholicas ad lienem, pituitosas ad caput defetre; cum atteriis nullum insit selectioni, judicium, nulla separandi potestas &c.

§. 7. *Cerebrum frigore non corrugari, adeo ut phlegma, eo compresso; in pulvim defluat, Ostendit anatome infantis frigore extincti, cujus cerebrum frigore induratum repertum est, cum pauculo humore in ventriculis; Infundibulo & glandula pituitaria vacuis existentibus.*

Superioribus annis, cum exercitus circa urbem Magdeburgensem consistens, tandem castra moveret, hyems illa fuit, credo, sævior ea cujus meminit *C. Tacitus* lib. 2. *Annotatusque*, inquiens, *miles, qui fascem lignorum gestabat, ita prærigiusse manus, ut oneri adhærentes truncis brachiis deciderent*: Illo magno itinere uxor militis gregarii, infantem puerum collo bajulavit: de illa corbe autem eminuit ejus caput, tantis aëris injuriis maxime objectum: Infans non tam somno soporatus, quam frigore exanimatus, publica lataque via reperiebatur: Judicis jussu corpusculum considerabatur: violationis notæ nullæ extabant: Mox superveniebat nuntius, illius caput ista frigoris inclementia obriguisse.

Ac *Cerebrum* gelu induratum, infecto cranio, maxime inveniebatur: paululumque humoti, in gelu concreri ventriculis cerebri anterioribus continebatur, qui manuum calore contrectando jam liquescebat: hoc in paucas guttas aquæ tandem abibat: nihil autem humoris sive tabescentis jam, sive frigore durati in infundibulo, ac in illa glandula pituitaria repetiebatur. *Schneiderus lib. 4. de Catarrhis cap. 5.*

Vulgus statuit, homine iter asperrimo hyemis faciente, cerebrum ita frigore corrugari, ut tabescens intus phlegma in Pelvim confluat, unde catarrhi in os & fauces delabantur: Cerebrum gelascit eo modo quo frigus concipit caro musculorum brachii aut femoris: hæc se non in rugas contrahit, ut eum humorem quem continet naturaliter, exprimat, ac deorsum vel in manus, vel in extremos pedes manare patiatur: Sed primum sanguis ab arteriis importatur, quo omnia corporis membra tigantur si is non tam vehementer refrigeratur, iterum in venas reducitur: ille vero frigoris vi urgente, tandem gelu adstringitur: Sic quoque tempestate perfrigida non bene opertum cerebrum affligitur, ac sanguis ille refrigeratur, venis recipitur: Tandem illud sæviore hyeme ac gelu indurescit: Si vero sanguis ille gelidus venis tantum reducitur, Natura ab eo afficitur, ut humores moveat, & tandem faciat catarrhos: minime vero cerebrum se corrugans, instar spongiæ udæ, in *ventriculos*, in *pelvim* & in glandulam pituitariam effundit humores, de quibus subito catarrhi narium & faucium nascantur. *Idem.*

Observatio II.

Catarrhi Pectus obsidentes, à cerebro originem non ducentes.

Fluxio quæ multa est & mala, *fluit aut ad pectus, aut ad venas*: quæ ad venas, facit morbos laterales, & pulmonias, & præfocationes quæ cito interimunt; dicebat Gal. cum Hipp. 3. aphor. Et hoc dicit, accidit maxime senibus: unde plures senes quasi repente intereunt, Et in hoc plerique Medici aberraverе, eas fluxiones existimantes esse ex earum genere quæ possunt per tussim expurgati, & labotabant cum becchicis medicamentis, frustra vexantes naturam & non parum nocentes.

Ex simili morbo quum periisset Nob. *Cæsar Brippius* Mediolani, dissecuimus illum, Inventa est sanies multa in vinculo quo jecur annectitur costis: Et non erat pus bonum sed liquidum, & supervixerat plus 40. diebus cum hoc morbo. Et similiter dissecuimus *P. Casatum*, puerum

puerum 14. annorum: & quoniam erat dives valde, suspicabantur de veneno, & inveni in pulmone saniem tenuem è latere dextro, quæ ejus partem exederat: & pronuntiavi quod non perierat ex veneno, sed ex fluxione sicut primus: Dicam etiam quod accidit *Comiti Aluysio Gonsaghe*, ad quem cum vocatus essem quarta die, prædixi non superviCturum ultra septimam: Itaque mortuus est sexta die vesperi, Et nos dissecuimus illum, invenimusque non esse abscessum, *sed omnia vasa pulmonis* ex triplici genere, magis tamen asperæ arteriæ rami erant pleni sane simili lacti, adeo ut nullus adesset prorsus sanguis. Quid plura? Fluxio illa non erat ut duæ priores, sed Pulmonia mendosa.

Hac etiam æstate dissecui puellam 13. annorum, quæ cum esset prædives & unica, suspicantes de veneno ob magnitudinem patrimonii, cùm non potuissem adesse ægrotanti, advocatis à me in re tanti momenti octo aliis Medicis, cognovi illam ex defluxione repentina obiisse, non ex veneno, atque ita omnes Medici ad unum consenserunt: Erat enim puellæ morbus jamdiu in capite, & suppressa purgatione per ulcera, nec adventantibus mensibus, correpta *febri*, cum alioqui non videretur graviter ægrotare, imò contenti fuissent duobus familiaribus Medicis; repente tanquam siderata interiit: quo casu perculsi suspicabantur de veneno: Omnes autem hujusmodi fluxiones necessario adducunt febrem æstuosam, non tamen ardentem, nec valde periculosam, quoniam, ut dixi, materia putret prope cor, & implet vacuum pectoris, & est humida & cruditatibus permista; *demittit autem cerebrum in pectus*, propterea quod guttur non est contectum, & est è regione. *Hippocr.* lib. de loc. in hom. *Cardanus de providentia ex anni constitut. p. m.* 1052.

SEd omnia vasa Pulmonis &c.) Ex his exemplis è Cardano & Ballonio adductis deprehendere est, quam malè plerique medici quancumque materiam in pulmones illapsam, vel ex iis exclusam, à capite manasse censeant, cum ab ejus vasis insignibus prodeat: Sensu enim liquet cor universi caloris & spiritus fontem esse: hoc pulmonem, molle & rarum viscus, sinu suo excipere, infinitis vasis refertum: Ibi hæmatosin perfici constat, atque ulterius sanguinem excoqui & elaborari; unde necesse est haud modicum excrementi redundare: Cum enim duo maxima vasa, cava & aorta, ex finibus cordis oriunda, subter pulmonem ad jugulum ascendant, dum plurimo sanguine & spiritu turgent, necesse est intra thoracis cavitatem ab iis plurimos ichores exsudare, ideoque per sudorem aut urinas excerni: Ita ex duobus aliis insignibus vasis; vena scilicet arteriosa & arteria venosa, verisimile est in anteriorem & posteriorem pulmonis regionem, si multa diffluat materia, in totam ejus substantiam quicquid superfluit & exundat excolari, & postea pulmonis excussione in bronchia & asperam arteriam rejici ac per anacatharsin excludi: Quæ autem materia excrementitia, dum è vasis in pulmones delata, vel sua mole aut cruditate, aut lentore & crassitie exclusionem non assequitur, hæc angustiora vasa ita replet & obstruit, ut Peripneumoniam aut alia Pulmonum vitia accersat, in laxiorem horum substantiam transfusa. Vide *Schneiderum* lib. 5. de catarrhis cap. 4.

Fluit aut ad pectus aut ad venas) Ejusmodi defluxiones à vasis Lymphaticis colli deducit *Iac. Henr. Pauli Anatomes Anatomiæ Bilsianæ cap.* 8. Quis *inquit*, spondebit Catarrhorum materiam quam per laryngis vasa & tunicam sudare Celeb. *Schneiderus*, multorum authorum unanimi consensu probabit, magnam partem per hos ductus non descendere? quæ postmodum in jugulari & axillari vena sanguini permista, & ad cordis dextrum ventriculum per ascendentem cavam deducta, indeque ad pulmones translata, quum pro alimento apponi nequear, & copiosior quam quod satis est affluxerit, multorum morborum in thorace fomentum fiat; unde vehementissima sæpe concitatur Tussis, ac plerunque Tabem, Phthisin & Peripneumoniam præcedit ejusmodi destillatio, quæ si tenuis atque acris fuerit, ulcerat & exedit Pulmonis parenchyma, quod juxta *Malphigium*, Est aggregatum quid ex levissimis & tenuissimis membranis, quæ extensæ & sinuatæ pene infinitas vesiculas orbiculares & sinuosas efformant, veluti in apum favis alveolos ab extensa cera in parietes conspicimus: Sin viscida sit & crassior, diuque retineatur in bronchiis, screatum, raucitatem, asthma & orthopneam inducit, nec raro in calculos & grandinem concrescit: Si in latera thoracis & costas succingentem membranam, exterius vel interius defluat, utramque pleuritidem generare, aut si magno cum impetu ruat, catarrhum suffocativum immittere creditur, ut nonnunquam plane obmutescamus, & propter vicinos recurrentes nervos, quorum actio in locis hisce pro re nata impeditur, voce privemur: Potest hinc rario reddi, quare de improviso suppresso sudore, aut collo à frigore non defenso, statim catarrhus subsequatur: Cur pariter in favis & achoribus puerorum, è quibus perpetuo promanat ichor, glandulæ colli insigniter intumescant, & doleant. Et præprimis cur strumæ quæ hic contingunt, modo crescant modo diminuantur, modo à parte ad partem transferantur, tandemque evanescant; Tubercula ad aures, scribit *Hippocr.* Coacar. Prænot. 204. sect. 2. emolliunt, sive æquant, tussiculæ cum ptyalismo procedentes: Cujus memorabile exemplum in quodam adolescente annotavit C. Piso l. de morbis ab illuvie serosa p. 54. Tumor namq; non tantum partes in ambitu auriculæ obsidebat, sed per cervicem jugulumque in homoplatas & pectus medium usque descendens, in prodigiosam excreverat molem, qui tamen brevi subsedit atque delituit: Causam vero interrogati, haud facilius nos expediemus, quam si horum accidentium & generatio & solutio ad Lymphatica jugularia referatur: Sed adscribi etiam his vasis potest, quod iis obructis humor aquosus, aut inter cutem & pericranium, aut inter ipsum cranium collectus effundatur, à quo hydrocephalus, infantibus maxime familiaris morbus excitetur, & totum caput intumescat.

Observatio III.

Seri à cerebro in pulmones defluvium per tracheæ ductus, Phthiseos causam non esse, ex observationibus Anatomicis constat.

Complures Catarrhum, sive seri à cerebro per tracheæ ductus in pulmones defluvium, præcipuam phthiseo causam statuunt: Quam opinionem ab antiquis erroneè traditam, miror quempiam è modernis aut medicis aut Philosophis admisisse: Siquidem ex observatione Anatomica manifesto constat nihil à cerebro per glandulam pituitariam, (quæ unicus exinde transitus videtur) in palatum aut pectus decidere, sed serum ibi depositum per ductus appropriatos ad venas jugulares deferri & sanguini amandari: Porro αὐτοψία etiam constat quicquid reliquum seri in glandulis aurium, oris, nasi aut faciei deponitur, ex iis omnibus per ductus item peculiares foras convehi, proinde ut nullus omnino humor, aut à cerebro aut è palato in Pulmones depluat.

Veteres Hippocr. sequuti, fere tantum duas hujus morbi causas assignatunt, scil. *catarrhum & venæ ruptionem*, quibus nonnulli satis rectè Empyema addunt, alique interim ab hoc censu catarrhum excludunt, nam quod vulgo asseritur pituitam à capite in pulmones deciduam, sæpissime phthiseos causam existere, necnon ab illa, si quando intra pulmones diutius commorata putrescit, crebro inferri, prorsus erroneum esse ostensuri sumus: Interim ut constet quæ sit materies phthisin generans, quoties ea sive empyemate aut hæmoptoe præviis gignitur, considerare oportet quot modis, & quibus viis aliquid incongruum aut heterogeneum pulmones subeat, qua indagine facta, facile apparebit quidvis pulmoni inimicum irrepere ac intus admitti præcipue, aut per tracheam, aut per arterias pneumonicas, etiam aliquatenus forsan per nervos, nihil autem per venas aut lymphæductus, quorum munus est sanguinem vel lympham solummodo referre sive exportare, atque nihil prorsus ingerere. Quoad *Tracheam*, satis constat eam in hunc finem constitui, ut per ductus sive tubos ejus aër constante reciprocatione ingeri & modo regeri possit: Insuper an quæpiam alia materies præcordiis infesta, aut radiica, per eandem viam admittatur, modo inquirendum est: Et quidem hoc aditu pulmones sæpe labem exitiale concipere inde liquet, quia regionum quarundam aër humidus fumosus, aut vaporibus malignis scatens, diathesin phthisicam sæpenumero inducit: cujusmodi tamen affectio per particulas tantum aëreas & minutas, sive atomos (quibus nempe aut sanguinis crasis, aut pulmonum conformatio, vel utraque simul læditur) communicari solet: Verum an prætera materies serosa, vel humor aliquis pulmonum corruptivus per hunc commeatum eos subeat, merito ambigitur: etsi complures catarrhum, sive seri à cerebro per tracheæ ductus in pulmones depluvium, præcipuam phthiseos causam statuant &c. (*vide textum*) At vero licet materies tussim excitans non à capite per tracheam in pulmones depluat, quandoque tamen ex tracheæ lateribus in ipsorum cavitates decidens, affectum catarrhi nomine vulgo insignitum producit: Enimvero sicut Aspera arteria, pariter ac arteriæ sanguiferæ, uti tunicam nerveam & musculosam pro sensu & motu occasionaliter habendis, sic etiam *Vasculosam & Glandulosam*, pro calore vitali & nutricatu sustinendis obtinent: Posteriores hæ tunicæ interstitia cartilaginea constituunt, quinimo ipsas cartilagines quodammodo obducunt: Porro in tunicam Glandulosam serositates à sanguine, totam tracheam irrigante, superfluæ deponuntur, quæ statim magna ex parte in tracheæ cavitates exudantes, ipsis lubricandis & humectandis præcipue inserviant: Si quando autem massa sanguinea nimis funditur, ac in serositates præcipitatur (uti à frigore suscepto, acidis epotis, & ob multas alias occasiones crebro assolet, propterea statim materiæ aquosæ ingens copia e tracheæ glandulis & arteriolarum osculis in cavitates ejus exudat, quæ cito tussim valde molestam, & non raro sputum multum (quod & postea fit tabificum) infert, At vero hæc sputi, ac tussis quodammodo catarrhalis causa, perraro solitaria existit: quia dum sanguis tracheam irrigans fluorem passus, serositates suas glandulis (unde mox in cavitates ejus exudent) ingerit, insimul & reliqua massa sanguinea pariter fusa, serum intra arterias pneumonicas secretum, partim in sinus tracheales, partimque in lymphæ ductus insinuat, cujus diluvio pulmones quasi inundati, & valde irritati, in Tussim & exspuitionem fere continuam cientur: Cujusmodi Tussis & Expuitio, dummodo moderate habent; & tantum serositates sanguinis superfluas excernunt, sæpe in commodum potius quam nocumentum cedunt: quoniam massa sanguinea, ipsisque pulmonibus hoc ritu expurgatis, symptomata ista ut plurimum sponte cessant, & valetudo integrior exinde sequitur: Sin vero affectibus istis diu protractis, serosus humor utrobique in ductus tracheales depositus, & in dies uberius aggestus, tandem versus putredinem alterari incipiet; propterea tum libera aëris reciprocatio præpeditur, tum sanguinis & motus & crasis pervertuntur: hinc tussis immanior & respiratio fit difficilior: quinimo tota massa sanguinea, quatenus a tabo [quod venæ à pulmonibus excipiunt] polluitur, ab indole sua benigna paulatim desciscens & depravatus, non modo serum superfluum, sed & succum nutritium [quem assimilare nequit] ex arteriis pneumonicis in tracheales ductus continue profundit, adeoque materiæ tabificæ moles in dies augetur, donec pulmonibus magis usque & magis oppletis & obstructis, atque sanguine plus inquinato, & ad quæque munia sua præstanda inhabili facto, tussis & sputum ingravescunt, & cito mali moris evadunt: insuper respiratio impedita, totius corporis languor & marcor, functionem omnium debilitas, & demum febris hectica, & festina ad mortem de-

clinatio

climatio succedunt: Quando tussi ac spuro diu continuatis & sensim auctis, humor copiosius e massa sanguinea in pulmones deponitur, iste imprimis vesiculas tracheales subit ac tandem implet, & nonnihil distendit, è quibus cum quolibet mane, per expectorationem tunc uberius habitam, fere totus ejicitur, exinde pro brevi tempore thorax gravamine immunis, & respiratio magis libera videtur: paulo tamen postea sanguis sero aut succo nutritio refarcitus, novam materiem pulmonibus suffundit, proindeque rursus è cibo aut somno vesiculæ replentur, atque humores affluxu indies adaucto magis distenduntur ampliantur que, tandemque lateribus duarum forsan aut plurium disruptis, multæ hic illic vesiculæ in unum quasi lacum efformantur, intra quem materies tabifica copiosius aggesta, ibi [siquidem tota haud statim ejicitur] putrescit, proindeq; & pulmonis cui insidet substantiam corrumpit, & sanguini pertranseunti inquinamentum putridum insinuat: Fovea ita in pulmonibus facta indies augetur, & sæpenumero plures simul ac diversis locis cuduntur, atque ob magnam humoris in iis aggesti & putrescentis copiam pectoris gravitas, velut onus ingens sentitur, respiratio magis impeditur, insuper à Tabo uberius in sanguineam massam suffuso crebræ hujus effervescentiæ, succi nutritii deperditio, porro sitis ac æstus, inappetentia, sudores nocturni, & totius corporis intabescentia oriuntur: Cæterum cruor à pulmone inquinatus, hanc actione reciproca, videl. à proprio tabo magis plecti facit: quippe sanguis venosus unoquoque circuitu materiem istam purulentam excipiens, eam mox arterioso tradit: unde cum neque per diaphoresin aut diuresin satis amandari queat, tandem per arterias pneumonicas ad pulmones refertur, ubi rursus à sanguine secreta, ubique in tracheæ tum vesiculas tum ductus minores insinuatur, ita demum ut rota pulmonum compage impleta, & foveæ, sive ulcera deinceps in pluribus locis efformentur, & sinus reliqui omnes ichore spumoso infarciantur: At vero interdum accidit ejusmodi lacum, sive foveam unicam, aut forsan binas in pulmonibus efformari, easque circumcirca parietes callosos obtinere, ita ut materies ibi collecta in massam sanguineam minime transferatur, sed quotidie, tota, copia licet ingenti expectoretur: Taliter affecti, quasi tantummodo fontanellam in pulmone haberent, spurum etsi multum & crassum, imo flavum & quasi purulentum omni mane, & aliquantulum in toto die rejiciunt, tamen alias satis sani degunt, bene respirant, comedunt & dormiunt; εὐσαρκοί, aut saltem in modico corporis habitu perstant, & non raro persenescunt: Hinc nonnulli dicuntur phthisin per 30. aut 40. annos habuisse, & morbum eum usque ad ultimum vitæ terminum (haud proinde abbreviatum) protraxisse: atque interim alii cum minus tussiant aut expuant, intra paucos menses in febrem incidant hecticam, ac brevi in sepulchrum præcipitentur. *Th. Willis Pharm. rat. p. 2. sect. 1. cap. 6.*

Observatio IV.

§ 1. *Anatome Equi Coryza laborantis, ob vitium massæ sanguineæ, salvo cerebro.*

Coryza Equi atripiuntur, tam fœda ea est quam lethifera: quare desperata salute Paterfamilias eos sæpius tolli jubet: Nuper eo morbo æger Equus incisis venis profusoque sanguine necabatur, quo caput cerebrumque inviolatum iterum inspicere liceret: In assiduum examen explorata quoque expedit sæpius revocare, Eandem namque rem ego similiter capite de *Coryza* testatus fui: Nunc cunctum caput, cerebrumque æque salvum rursus reperiebatur: Illæsum quoque erat Os cribriforme: naturaliter se habebant processus mammillares mundi erant & sui coloris: fibras de dura meninge tractas receptabant foramina illa tam minima: Quid multa? nullum vestigium ullius vitii intra cerebrum deprehendi poterat: Os spongiosum quoque non erat adesum: At illæ hoc os obtendentes membranæ erant aliquo modo vitiatæ: nimio illo muco adeo perfundebantur, eoque sinus inibi obvii vehementer scatebant: Attamen plus istiusmodi muci in sinistris naribus adinveniebatur: medii & infimi ventris visceribus haud vitiose affectis: In aliis cadaveribus Equorum venæ valde livescebant, ut plures sanguinem crederent semper in vitio esse: Illa sanguinis vascula, quæ ad interiorem narium tunicam pertinent, in hoc Equi corpore nimium intumescebant, quare plus muci etiam exudarunt. Membrana Pituitaria posterior haud laborabat, pressa solennem reddebat liquorem: Ast narium ille mucus redundans infestante ista Coryza est spissior, albidus quidem, attamen fœdus aspectu ac nescio quo modo movet nauseam & prope vomitionem: Est nequam morbus: hujus contagium in equos tam mire vulgatur: præsepium, pabulum, levis contactus ac aër adversus etiam ex longinquo virus in alios transfert, & ut credunt, in eos maxime qui sunt illius coloris cujus est ipse qui hac maligna ægritudine laborat: Veterinarii varios liquores in nares infundere consueverunt, cerebrum imprimis ægrum esse rati: sunt & imitatores vetustiorum medicorum.

Juniorum ex turba multi, urgente Coryza, humorem credunt, si non ex cerebro, ex cerebri tamen membranis in nares confluere posse: atque superioribus experimentis nihil moti ajunt cerebri membranas madere; quæ ad os & ad nares protenduntur: Itaque humores ex illis cerebri membranis eo sensim ferri, idque in humano æque ac in bellino corpore fieri; Membranarum cerebri fibras manifeste per foramina ossis cribriformis ad nares, & per foramina ossis cribriformis ad nares, & per foramina ossis cribriformis, una cum nervis transeuntibus ad palatum & ad alias partes proximas trahi: Glandulam pituitariam habere

bere multa sanguinis receptacula, unde liquor pituitæ sensim manare possit: Sed operam dabo ut dissentientes ad meam sententiam, respondendo, tandem perducam: Glandulæ pituitariæ, sint venæ haud paucæ: Madeant quoque cerebri membranæ, harumque portiones & fibræ ad palatum & ad parentes nares trahantur: Sed quis vel leviter rei physicæ, medicævé peritus crediderit constantiorem illum, viscidumque liquorem muci per istas excurrentes membranaceas partes, in palatum & in nares ita viam facere, ut nec minimum vestigium tam lenti humoris in cerebro, aut ejus in membranis unquam deprehendi possit? Si nervorum membranæ pituitam cerebri portant, ea feretur etiam in alia membra, in genas, in tempora, in colli, brachiorum, & pedum musculos, quos intrant nervi de cerebro proficiscentes: Nunc circa Glandulam Pituitariam, maxime circa occipitis foramen, crassiores fiunt, magisque distant cerebri membranæ: Si per eas ita deductas foret itus ille tardior pituitæ, omnis catarrhus fieret in spinalem medullam quæ proxime abest: Nulla membra ex se fundunt reliquias alimenti redundantes: quare ex nec in cerebro unquam deprehendi queunt: nã namque aliarum partium, ita & cerebri venæ, quod est alimenti residui in massam sanguineam reducunt: hujus quoque purgamenta jugiter exhalant pori cutis & spiracula: Neç cerebrum aliis humoribus dat viam transitumque, nam hi in eo patefacto tandem deprehendi possent. Si urina ita decurrit ut sui vestigia relinquat in renibus, cur non pariter in cerebro sub oculos venit ac cadit sub tactum pituita, quæ æque prompta ad decurrendum haud est: hæc spissa est, lenta & viscida, ita ut si contingatur manu filatim ducatur: Talis humor in cerebro nunquam conspici potest, sive homo careat catarrhis, sive iis urgeatur: Qui humor in ventriculis cerebri deprehenditur, non est mucus, non est pituita: Quæ cum ita sint, intelligendum est omnino pituitam nec naturali instituto, nec valetudinis vitio cerebrum, principem illam partem corporis, transire. *Schneiderus lib. specialiss. de Catarrhis p. 217.*

§. 2. *Gallinarum cerebrum Coryza laborantium salvum reperitur.*

Villani eo morbi genere cerebrum Gallinarum vitiari arbitrantur: Ast si ejusmodi capita patefiunt, illud omni ex parte salvum est, integrum & naturaliter coloratum; nares interiores tantum ex illa multitudine muci laborant: Externa rostri foramina sordes plerumque opplent pulvereæ, quare ut recipiatur anhelitus, os semper patulum tenetur: quo fit ut linguæ tunica vehementer arescat: sic malum curant, rostri foramina gracili tereti que penna clementius trajiciuntur, butyrumque pipere leviter aspersum datur devorandum, detracta linguæ tunica sicciore. *Idem Ibidem.*

Secus est in homine, occlusa enim hac via in coryza non bene habet caput, vocillat ingenium, quin sæpe turbine illud rotatur quin somnolentus fit æger, dolet & gravatur caput, & manifesta alia sympathiæ eduntur signa: Catarrhosos veros seu quibus nares crebius fluunt minus reddi apoplecticos constat, quippe extra vertitur materias pertiginosos restitutos sæpius fuisse solo effluxu humoris e naribus: Dolorem item capitis solatum consimilem effluxum; quin pus & sanguinem extravasatum e cerebro non raro per has vias, & quidem cum euphoria excretum. *Wedelius Phys. Sect. 3. cap. 24.*

Observatio V.

Coryza laborantium capita dissecta exhibuerunt vasa per membranam oris, Pituitariam, dictam, disseminata, distensiora.

Dissectis Gravedinosorum hominum capitibus, vasa per membranam oris dispersa, distentiora & confusa apparuerunt, gelato illo sanguine magis exuberante, in quo candens pituita latebat, ut ea oculis signari posset: cerebri ventriculi, pelvis, glandula & processus mamillares erant sine sputcitie. *Schneiderus lib. 3. de catarrhis p. 503.*

Hinc colligit massam sanguineam esse fontem pituitæ quæ a cerebro desluere creditur, in quo tamen tanta copia contineri, aut in illud citra perniciem immitti non potest; Cujus sententiam, contractam in compendium, ex Rolfinkio adduximus; De his membranis oris pituitariis ipsi dictis, sequentia excerpsimus, Hoc integumentum *ait*, quam optime potes oculis manibusque contrectare, si inversas caput, maxillam inferiorem amovendo, & mox perfringas avellasque quartum os maxillæ superioris: quo facto Nares incidas utrinque ac diducas: Extrema hæc membrana est fungosa, sublivida, ac extra intusque venosa, ut facile credas esse hic officinam cujusdam humoris digerendi: Qua os Vomer cognominatum ad gulam & laryngem spectat, illa tunica nonnihil defluit: Cum inanitas illa sit divisa intercedente dicto Vomere, pituita vergit vel in nares vel in fauces: ac illa quoque modo huc, modo illuc spiritu impelli potest; Tenuior non ægre decidit, hujus vero spissioris guttæ parvis orbibus globatæ se figunt, ut sæpe vomitus illo nisu, quem excreationem vocas, concitetur: Persiquidus humor plerumque & copiosior est & acrior, nonnunquam moderatior: utque talis sine fraude & offensione tunicarum derivatur, ita idem cursus sponte substitisse consuevit; acriorem vero sequitur inflammatio, hanc ulcus: Hæc denique membrana materiæ coryzæ sufficere posse videtur; ea namque, est sat ampla & lata, cum spiritus iter fit oblongum spatiosumque ac quoque geminum: hoc si pituita desuper præcludit, spiratio est impedita, sonantior, ac vocalis spiritus etiam efficitur vitiosus; Sæpius quoque

coryza

coryza supetveniente hæc tunica quadam inflammatione inter initia afficitur, hinc illæ narium æstuantium verminationes, hinc illæ prurigines, hinc istæ emunctiones, quæ non sunt sine sensu doloris, sine cruore, sine sternutatione: Nam vapor, quo turget sanguis hic affluens, prærentat hanc viam & aperit oscula vasorum, quo fit ut tunica narium tam molliter vellicata, frequens sæpe sternutamentum provocetur: ac ille dolor non circa regionem Processuum mammillarium, sed in interioribus naribus ac in ipso animæ canali esse consuevit: Hujus membranæ vasa quoque sunt turgidula, de quibus quasi jam exit sanguis, tam crassus est tam pendulus: unde mucus occulte eliquatur, coit interdum & cadit: *Dissectis Gravedinosorum &c.* Quidni ergo quem usum Glandulæ cetebri pituitariæ dictæ, detrahimus eam huic membranæ ex parte attribuerim? quidni eandem appellaverim Pituitariam, & quidem à situ, Anteriorem? Hoc loco alius rivulus Pituitæ juxta fluit, quæ priori non adeo dissimilis, excreando exspuitur: ejus portio cibo immiscetur ac deglutitur: naturalis est modica, si præternaturaliter fertur, morbus est; Illa membrana quæ additamentum ossis occipitis in ultimo palato involvit, illa inquam pituitam condit, continet & emittit: oritur illa ab extremo illo aëris meatu quem *Os Vomer* dictum dividit, & prope usque ad foramen magnum ossis occipitis fertur; Facile se dat in conspectum, colore enim est exalbida, vicinæ membranæ sunt sanguineæ, h. e. subfuscæ: præterea est plenior & quasi præpinguis, hæc semper uda est & muco quodam glutinoso sudat: In hac membrana tam multa vasa discurrentia non notantur, in vicinia autem sunt venosæ raritates: quare nunc cuivis exploratum erit vasa sanguinis hic desinentia illius muci materiam subministrare, quæ tandem hac membrana concipitur, digeritur ac in modum sudoris subinde emittitur. Eam vocamus *Pituitariam posteriorem.* Notandum autem hanc nec reliquo animalium generi esse negatam. &c.

Celeb. *Schneidero* in eo adstipulari nequit Clariss. *Steno*: dum membranæ munus illud totum adscribit, nulla glandularum facta mentione, cum tamen sub ipsa membrana vasorum, quæ copiosa ibi reperiuntur, extremis affusæ sint glandosæ portiones, in parte narium anteriore minores, quo vero posteriora versus magis recesseris, majores, unde exigua quædam excretoria oriunda secretum ex arterioso sanguine humorem emittunt.

Idem *Steno* Ductus novos Oculorum & Narium comperit; De ocularibus & lacrymarum origine vide *Tit. de Oculis affect.* De Nasalibus, per quos materia Coryzæ deferri videtur, agit in observat. anatomicis: Nares, *ait*, succingens tunica cùm non modo in demortuis, tum hominibus tum brutis, humida reperiatur, sed & in vivis perpetuo quodam madore percipiatur irrigata, nec tamen perpetuus è naribus aquosi humoris profluat rivus, necesse est vias dari tum in nares humorem illum deponentes, tum eo in loco depositum alia inde via abducentes &c. Dubius autem hærebam usque dum præter Aquæductum jam ante cognitum, & præter glandulosas carnes tunicæ *Schneidero* Pituitariæ dictæ, etiam punctorum lacrymalium in nares usque continuationem, aliumque Naribus peculiarem Ductum, omnia nares humectantia vasa, & simul angustum quasi fretum, per quod contentus in naribus humor in palatum transmittatur, observarem: De primo Nares irriganre canali, humorem quo aurium cavernæ madnerunt, eo deferente, cum à variis sit descriptus, non agam, ad cæteros pergens; Secundum, per quem ab oculis in Nares derivatur humor cum jam sit descriptus, prætermittam, quem in nares usque pertingere, non in brutis modo, sed & in homine jam secundo observavi: Tertio loco quæ in ipsa narium tunica oriuntur vasa examinanda, quæ duum generum sunt, Breviora alia, & nisi vix per expressum humorem, cujus guttæ sensim prodeuntes vasorum ostia produnt, conspicua: Alia longiora, quæ veri canales nomen merentur: Breviora illum effundunt humorem quem in membrana pituitaria anteriore observavit Schneiderus: Longiora verò in homine quidem nondum vidi, in ovibus tamen caninbusque non raro, sunt autem bina, in utravis narium cavitate unum, ubi & originem agnoscit & finem: In iis enim, quæ sub narium tunica in ovibus dispersæ latent, glandulis radices plurimæ supra molarium regionem observantur, eleganti ordine dispositæ, è quibus unum in truncum coeuntibus ductus exsurgit, qui ubi sub nervoso canali dorsum versus ascenderit, in anteriora inde reflexus, dorsum intet & continuum punctis lacrymalibus vasculum progreditur, donec circa extrema fere narium, quo loco supra reliquam planitiem cartilago exsurgit, in sinum intra cartilaginosam alarum protuberantiam conspicuum se exonerat. Non difficulter in aspectum producitur &c. Ex dictis patet quam studiosè id egerit animalium Conditor, ne quæ sordes regiam sedem, caput puta, inquinarent: Humectandi erant cum aurium cavitate oculi, irrigandæ nares, os, faucesque unctuoso humore oblinendæ, nihilominus nec oculi, nec nares, nec fauces, si naturæ convenienter vixeris, quicquam excernent: Quid enim lacrymæ nisi commoti animi signa? quid mucus narium, quid oris sputum, nisi vitæ à sanitatis legibus deficientis symbola καὶ τὰ ἄλλα τῆς φύσεως Ubi munus suum implevit ille humor, ex auribus per aquæ ductum, ex oculis per collicias in nares derivatur, unde partim per ingentes hiatus in fauces, partim per angustum fretum in oris cavitatem dimittitur, & hinc per œsophagum in ventriculum descendens & in vasa sanguinea per chyli limphæque ductus viam affectans, peculiarem suo modo circuitum absolvit. *Vide plura apud eundem.*

Observatio VI.

Muci Sputi carentia, Vrinæ paucitas ob serum in cerebro suppressum.

Anno 1630. aperiri curavi Fontenacii, prope Vicennam sylvam, puellam 14. mensium, cujus corpus & caput optima & justa conformatione prædita erant, Post decubitum aliquot dierum, gemitus, faciei pallorem, & capitis in humores inclinationem morientem.

Serra diviso osse capitis, cultro dura mater cranio adhærens divellenda fuit, unde illico ad minimum aquæ limpidissimæ, liquidæ, quasi ex fonte, libræ duæ prosiluerunt. Aliquot ante obitum diebus hilaris erat, saltaqs & discurrens sed neque mucum, neque salivam excernebat, cum pauca mictione. *David Laigneau lib. de Sanguinis missione p. m. 263.*

N*Eque mucum neque Salivam*) Pituita & serosus humor in capite si congerantur, aut detineantur, cephalicos morbos inducunt; aut à natura in subditas partes amandantur, ubi varios morbos procreant pro natura excipientium membrorum; Observatum mulieres emunctæ naris fluori uterino infestari: *Franciscus* Galliaru m Rex, *διαζώδης*, aurium ulceribus vixit obnoxius.

Observatio VII.

Colluvies serosa sive Lympha, catarrhi materia, colligitur in Glandulis plexui choroideo adsitis, unde in ventriculos exstillatur.

PRæter ordinariam colluviei serosæ intra cerebri ventriculos congestionem, ortam ex latice seroso, qui spirituum recens productorum vehiculum est, ac una cum illis in cerebri poros introducitur; in vaporem attenuatum, denuoque in humorem aqueum concrescentem pro certo haberi debet, quod à glandulis plexui choroideo insertis, nimium repletis, ejusmodi serosus humor in ventriculos exstillatur; Sæpius vidi in Hydrope cerebri Glandulas istas intumuisse, & veluti hordei grana à nimio madore crepantia, flaccidas evasisse, adeo ut serositates allatas minime retinuerint, verum eas in cavitatem subjectam continuò deposuerint. *Thom. VVillis cerebri Anat. cap. 12.*

QUoties ab externo frigore affectæ sunt male Glandulæ conglobatæ circa Choroidem Plexum, in cerebri ventriculis lateralibus & alibi observabiles, toties consequi solet Gravedo, qua urgente producta Lympha existit Salsoacida, talisque gustatur in Coryza; Unde probabiliter licebit concludere, quocunque demum modo tunc læduntur notatæ Glandulæ, Lympham deflectere à suo statu & qualitate naturali, generarique Salsoacidam: cum ab ipsa non tantum per nares effluente corrodatur interna ipsorum superficies, ut & faciei cutis, verum quaquaversum intra corpus delata, vel distillante, dolores producantur nunc leviores prout nimirum ejusdem virium existit gravius ve: Hi dolores sicut adscribuntur vulgò catarrhis, non satis explicatis, ita verius deducuntur à vitiata, sicut dictum, Lympha ex vasis suis effusa & in partes vicinas, quin aliquando remotas quoque, viam reperiente, aut acrimonia sua sibi faciente. Ab eadem Lympha vitiata & acriore in asperam pulmonum arteriam per fauces delabente, ortum habet ut plurimum Phthisis. &c. *Franc. de le Boë Sylvius Prax. med. lib. 1. cap. 49.*

Glandulas illas intumuisse) coryzam Idem math. mad. l. 1. cap. 23. censet fieri a lympha in vasis Glandularum plexus choroidis ab externo frigore coagulata, & nonnunquam muco in glandulæ pituitariæ vasis similiter concreto. In casu postremo aut sentiri imprimis molestiam circa narium radicem; in illo verò in medio capite, ubi sita sunt illæ plexus glandulæ.

Observatio VIII.

In catarrhosi cerebro libra & amplius tenuioris seri inter duram & tenuem meningem reperta est.

EMinentiss. *Cardinalis Camillus Meltius*, non simplices catarrhi, quamvis leviores, molestias aliquoties perpessus, aliquam capitis debilitatem advertit; quibus *febris sociam se superaddens*, 14. ab invasione die septuagenarius moritur.

Cranio ejus aperto plusquam libra seri tenuioris inter duram & tenuem meninges diffusa videbatur, quo turgida pia mater solitam crassitiem quater superabat. Eodem sero, sed rubicundiore, ventriculi cerebri erant repleti. *Henr. à Moinichen in Epist. Th. Bartholini, Ep. 97. cent. 2.*

F*Ebris sociam se superaddens*) A sanguine effervescente, nec satis per ætatem eventilato: Hinc in plerisque tenuioris cruoris parte excalefacta, ac reliquo liquore solummodo in confusionem acto, synochus simplex, sive plurium dierum inducitur: In nonnullis vitiosa sanguinis diathesis si accedit, aut malus adsit corporis habitus febris in putridam periculosam abit & non raro lethalem.

Observatio IX.

A continuo Catarrhi influxu foramina in basi calvariæ exesa & ampliata reperta sunt.

FOramina in basi calvariæ soporales arterias transmittentia, necnon alia ad palatum oculorumque cavitates pertinentia, in multis adeo exesa & ampliata reperi, ut non jam vasorum, quæ deducebant, amplitudini responderent, sed duplo quoque vel triplo majora existerent, quod à continuo humorum à cerebro defluxu, uti gutta cavat lapidem, profectum licebat colligere. *Felix Platerus. Vide Scholia ad observ. 1. §. 5.*

OBSERVATIO X.

Coryza à tumore globoso in cerebro & aqua plurima in ventriculis.

NOb. per biennium mente alienari cœpit; stillabat interim è naribus pituita aquea copiosa frequenterque: Supra callosum cerebri corpus tumor globosus repertus quo exempto fovea relicta, aqueo humore mox repleta, quo & ventriculi admodum dilatati &c. *Vide tit. de mentis stupore.*

APPENDIX. I.

Coryza singularis, seu vesicula sero plena, extra nares quandoque propendens, serum stillatim fundens.

COntinua Coryza affligit nares Integ. D. *Pauli Moibi* Archiatri Regii, ætatis ingravescentis, ut per nares impedita via difficilis fit illi & somnus & spiratio: Obstructionis narium peculiaris causa & ratio est, Quotiescunque molestior est affectus per narium cavitatem prolabitur vesicula oblonga, rotunda, candida, sero plena, quod exsudat: Et vero vesica membranosa sæpe in medio narium subsistit, sæpe extra nares propendet, levi digitorum impulsu sursum ad caput retruditur naresque deserit; sed circa os ethmoïdes & olfactum & spirationem impedit: Evacuatur subinde exstillante sero, & liberior redit olfactus, Ex pulvere sternutatorio sæpe amicorum hortatu hujus Coryzæ quæsivit levamen, sed quia majores in naribus obstructiones nimia tractione catarrhi oriuntur, ab illo destitit, unumque dormienti remedium est, in opposito latere obstructæ naris *decubitus*. Facillimum foret vesicam pendulam forfice amputare, si de membranulæ natura & origine constaret.

Ad varias conjecturas mentem torsi: An processus mammillares? Per epilepsiam ad nares protrusos author est *Erastus*, & recipiendis excrementis cerebri destinantur à *VVarthono* in Adenogr. Sed quando ossis ethmoidei foraminula permeabunt; nisi p. n. cribrum hoc dilaretur amplius? At quid de olfactu dicendum? ut in quavis Coryza ita & hic propendentibus vesiculis cessat odoratus, qui illis evacuatis redit: Taceo processus facile rumpi posse nimis sero distentos: Polypi principium quo minus credamus, facit substantiæ diversitas & mobilitas: An duræ matris productio vel laxatio? Id sine insigni doloris sensu haud fieret, quo tamen caret vir optimus: An vasorum lymphaticorum progenies? Nec color abludit, nec contentus liquor, nisi alia subsit causa: Forsan idem cum Polypo generationis modus, Observante enim *Riolano* 4. Anthropogr. c. 6. In cellulis osseis spongiosis carunculæ exiles continentur, quas vidit prolongatas & ad imas nares prolapsas, sponte vero adstringentibus medicamentis superne revelli: Vesiculas membranosas sine dubio, loco caruncularum in hoc corpore natura effotmavit, quæ sero ex catarrhoso cerebro defluente intumescant: *Th. Bartholinus hist. 37. cent. 6.*

APPENDIX II.

Phlegmatorrhagia.

§. 1. QUemadmodum aliis nares sanguine stillant, ita semel vidi illas pituita tenui quidam stillare integrum triduum, per intervalla tamen: Vacuato autem cerebro cessavit: *Qua de causa hyeme nares stillent* notum est, *per compressionem scil. cerebri*, qua causa itidem per æstatem, scil. per fusionem humorum. Hoc loco autem quomodo separatio illa humoris pituitosi à reliqua massa sanguinea contigerit, merito dubitatur, in cerebro enim tanta copia latere non potest absque gravitate:

§. 2. Id plane sibi evenisse asserebat conjux. N. quodnempe cum virgo adhuc, integrum triduum absque ullo prorsus somno choreis consumpsisset per quatriduum integrum dormierit, Evigilanti vero cœperint nares pituita sincera per dies aliquot stillare; cessavit autem iste fluxus usu pilularum cephalicarum. *Salmuth. observ. 37. cent. 1.*

Per compressionem cerebri] Vide Scholia ad §. 4. observat. 1.

OBSERVATIO XI.

Catarrhus suffocativus in muliere, cujus cerebrum illæsum fuit, Soli Pulmones vitiati.

MUlier dies 40. fœtum gerens, dum forte sororem est nacta, eamque complectitur, paulò post *tenebricosum quid ob oculos observatur*, nec amplius potest consistere; hinc aphonos jacet, ac *primum stertit* ac si suffocante catarrho premeretur, *convellitur*, nulla ratione restitui potuit, omnia tentata sunt, convulsiones perseverant, sex horis post moritur

Aperto

Aperto cadavere, Pulmones inveniuntur corrupti, ac sanie fœtenti & olida repleti, sed hoc non fuit causa tanti morbi, quanquam juvare potuit. In cerebro nihil fere alienum compertum est: In ventriculis aliqua erant corpuscula, Sed adeo tenuia & exilia ut parvi essent momenti: Accepimus eam huic morbo alias obnoxiam fuisse: Erant hæc Epileptica, Et non interiisset nisi convulsiones assiduæ fuissent, nihil enim est quod tam vires frangat: Vitium illud pulmonum ad subitam istam moriendi occasionem aliquid forte attulit. *G. Ballonius Epid. & Ephem. l. 2. p. 69.*

Mihi potius persuadeo fuisse catarrhum suffocativum per quandam διάχυσιν, quod iis qui multum se exercere evenit, & in iis malis mul.um ægros agitare malum est. *Iac Thevart in Notis ad eum locum pag. 74.*

Ac primum sterit &c.) Apoplexia, Syncope & Catarrhus suffocativus sunt inter se passiones finitimæ, sed tamen differunt aliquid: Qui catarrho suffocativo oppressus est, ægre spirat: anima certe cum spiritu fertur: Qui autem graviore apoplexia aut syncope corripitur, vix vita manifesta est, nec ea spirandi difficultate vexatur: Pulsus quoque est diversus: Dein humor influens variat hunc catarrhum suffocat. Nonnunquam intima lingua tantum confluente per arterias sanguine, intumescit, ut vox sit valde impedita, vulgus falsò vocat Catarrhum suffocativum; Nonnunquam musculi laryngis gulæve solvuntur, ut homo maxime præsentaneo vitæ periculo non vacet: Diagnostica, ut vocant, signa catarrhi suffocantis sunt Gravedo dolorque pectoris, difficultas respirandi, vox fere amputata, periculum suffocationis, anxietas, interdum tussis, pulsus tardior ac rarior, Nonnunquam illæ oris nariumque membranæ, anterior & posterior, pituitariæ, plus humoris reddunt, quo os scatet sternutamento concitato. *Schneiderus de Catarrh. l. 5. c. 4.*

Observatio XII.

Romani fluxionibus maxime obnoxii, ac in plerisque post obitum pulmonum varia læsio deprehenditur.

Aer Romanus incostans insalubris est & mutationi valde obnoxius, quare pulmonibus summopere nocet, uti partibus spongiosis, aptis ad recipiendum fluxiones morbosas, quod & observatum à Galeno suo tempore, ut testatur lib. 5. meth. medendi: Sane novimus in urbe Roma, loco profecto fluxionibus valde obnoxio, Et sic multi qui aliis morbis occupati pereunt, tamen semper plus minusve in illis pulmones læsi reperiuntur: Nos inter centum cadaverá vix quinque invenimus in quibus pulmones non essent aut variegati, aut nigricantes, aut dealbati, aut exsiccati, aut purulenti, aut aquosi, aut costis inhærentes, aut in totum ex una parte carentes aut his similia, quod nullo modo oriri potest nisi ab aëre Romano, sed non omni, nam qui summitates inhabitant meliori sanitate fruuntur: *Domin. Panarolus Pentecoste 3. observat. 15.*

Cœlum Romanum destillationum esse feracissimum testatur quoque Zecchius, consultationibus 20. 23. 25. 41. 45. & 89. Hippocrates lib. de Flatibus tit. 6. morbos ab aëre solum oriri existimat; qui locus consulendus.

Observatio XIII.

§. 1. *Catarrhus vitio cerebri humidioris genitus.*

De Abbenbrouk (*lib. 2. Tit. de Phthisi*) Catarrhis erat obnoxius; Aperto mortui cerebro albissimum illud inveni, humidum tamen, ut prædixeram.

Quomodo vitio cerebri humidioris generetur Catarrhus ostendit *Franc Sylvius* Prax lib. 1. cap. 13. §. 19. Secernitur, *ait*, p: n. pituita, tum viscida, tum aquea, cerebro ejusve glandulis, semper forsan præcedente quidem undecunque universi corporis, & capitis præsertim calore, ac soluto simul deductoque copiosius ad cerebrum humore pituitoso qualicunque in corpore vel sanguine, ait mox subsequente frigore aeris, ac penetrante simul per poros magis apertos aura subtili, & coagulante humorem prædictum in variis cerebri partibus; unde sive contingat in vasis lymphaticis obstructio, ac post distensionem nimiam eorundem ruptio; hinc & contenti effusio; sive aliter secedat à sanguine humor pituitosus, catarrhi saltem nomine venire solet nunc in nares, nunc in fauces; ac inde vel in asperam arteriam, vel in oesophagum; per quem in ventriculum ac intestina delarus serosæ diarrhoes materiam videtur subministrare.

§. 2. Uxor Nobil. N. per hyemes Coryza & tussi vexabatur; manifesta erant capiplenii & catarrhi indicia, &c. Illius cerebrum universum aqua perfusum repertum. *Vide lib. 2. Tit. de Dyspnœa.*

§. 3. Ictericus (*de quo lib. 3. tit. de Ictero*) Gravedine & tussi afficiebatur. In ventriculis cerebri liquor satis copiosus, limpidus, salsus.

Communis fert opinio Cerebrum Catarrhis plerunque privarim laborare, & interdum etiam propter inferiora, unde vapores efferantur. Cerebrum nunquam per se ita afficitur, nam credunt, sive illud sit calidius natura, vel vitio valetudinis, sive frigidius, corrumpere sua alimenta & plura gignere excrementa, quæ se conferant in ventriculos cerebri, & hinc in infundibulum, aut rectam viam affectent ad processus mammillares, & ad foramina ossis cribriformis. Cerebrum de sanguine per arterias allato haurit tantum quantum satis est, ejus residuum per venas reduci patitur, qua ratione ad unum omnia corporis membra aluntur. Si vero de vasis cerebri sanguis aut humor tenuior exit, non illi leves morbi, quos catarrhos vocant, sed graviores & lethiferi suboriuntur, ut lethargus, apoplexia, paralysis, hydrocephalus. Nec humores, ut vocant, extravasati de cerebro vel ad nares vel ad fauces pervenire queunt: *Quare illi sæpe in defunctorum cerebris fluitantes inveniuntur.* Ergo ibi constant potius quam desinant. Si cranium illata plaga fractum est, Cerebrum etiam læsum, ut ulcus ibi remaneat, nulli humores deorsum ad infundibulum decurrunt. Si verò de tali ulcere halitus quidam gravis in massam sanguineam revehatur, authores ab eo, ut à noxio humore, fluxionem concitari posse arbitrantur. *Schneiderus lib. 3. de Catarrhis cap. 5.*

Vexabatur coryza, cerebrum aqua perfusum) Quemadmodum in Gravedine humor acido salsus secernitur in cerebro, qui nunc ad nares, nunc ad fauces delabitur; ita nonnunquam simili; humore turgere universum sanguinem, illumque in cerebro mag s quam alibi stagnare, caput gravare, atque non in frequenter in extremis corporis partibus & corporis habitu se manifestare arbitror, dum ejus pars aliqua cum urinis quoque excernitur, & spumam in sui excretione producit, marinæ in quibusdam non dissimilem, diutius permanentem, quam catarrhosæ materiæ in capite existentis signum plerumque observavi, *Sylvius de le Boë Append. Tract. 5. §. 390.*

Observatio XIV.

Catarrhus suffocans à cerebro molliore & flaccido, Copia seri inter utramque meningem. Anfractuum superficie gelatina quadam abducta, &c.

I. Spoerlin (*de quo Tit. de Paralysi*) Paucis septimanis ante obitum conquestus est de catarrho mane impetuose ad pectus ruente & suffocationem intentante: Discissa mortui dura meninge plurimum seri effluxit, quod inter utramque meningem continebatur. Tota anfractuum superficies quasi gelatina operta fuit, qua cultello sauciata, aqua exstillavit. Hujus seri quoque plurimum in omnibus ventriculis repertum. Cerebri consistentia mollis & flaccida.

Catarrho ad pectus ruente) Catarrhi suffocativi, uti & tussis cum sputo copioso, minime oriuntur eo quod humor aquosus (prout vulgo perhibetur) è capite in guttur & pulmones depluit, sed quia latex serosus, modo è vasis Pneumonicis immediatè in pulmones suffunditur, modo arteriis in laryngem dehiscentibus exsudans in pectus decumbit. Si pororum constrictio accedat, & hinc transpiratio impedita, propter effluvia retenta sanguis effervescens, si simul seroso latice nimis scatet, plurimum ejus ex arteriis in laryngem terminatis, quasi evomitur. *VVillis de Febribus cap. xi.* In dicto *Spoerlin* plurimum seri inter utramque meningem reperiebatur, quia vasa in toto eo scatebant.

Observatio XV.

§. 1. *Catarrhus Suffocativus à cerebri laxitate & mollitie pendens.*

Gener. N. hypochondriacus, nephriticus & asciticus à catarrho suffocativo interiit, &c. Cerebrum serosis humoribus, à justa consistentia deflectens, diffluebat: *Vide l. 3. Tit. de Lumborum doloribus.*

§. 2. Observarunt medici multos catarrhis obnoxios esse, quod medullam ipsius cerebri delicatam & mollem habeant: Propterea ea confirmanda est, vitanda cruditas, vitandus rerum valde liquidarum frequens usus. *Ballonius Epid. & Ephem. lib 2. pag. 218.*

Observatio XVI.

In Corde aut cerebro, aut in utrisque; eorum qui à Catarrho suffocativo extincti sunt, Polypi aut concretiones repertæ sunt.

§. 1. D. D. Kirstenius plures observavit cordis Polypos, in quibus Catarrhos suffocativos ideo oriri imprimis credidit, quia omnes illi in quibus Polypos hos observavit catarrho hocce extincti sint: Credidit scil. hujusmodi excrescentias inhibere aut plane sistere fluxum purpuræ alimentaris. *G. Segerus ad Th. Bartholinum Epist. 85. cent. 2.*

§. 2. Quot-

§. 2. Quotquot *Apoplexia* aut *Catarrho Suffocativo mortuos* aperui, in omnibus corpora illa callosa, viscida ac glutinosa, aut in corde aut in cerebro, aut in ambobus aliquando reperi, de quibus scribit Excell. VVepferus Exercit. de Apoplexia. *Ex Iohan. Georgii Greiselii Observat.*

P*olypos cordis*) Exemplum singulare affert Clar. *Tulpius* Observat. libr. 1. cap. 16. de Momma Baxio, quem à morbo attonito extinctum ait, ob stertorem cum catarrho suffocativo affinitate junctum: Dubitari vero potest de ejusmodi Polypis, causa sint an productum ejusmodi affectuum; quandoquidem ab irruente affatim per venas jugulares destillatione, sistitur motus sanguinis, qui ob stationem illis in locis concrescere potest, ac formam polypi, &c. induere: momentaneam enim eorum esse generationem existimat *Kerkringius* & alii. Vide de iis alibi.

Apoplexia aut catarrho Suffocativo mortuos &c) Quomodo idem humor Apoplexiam & Catarrhum Suffoc. pariat ostendit *Schneiderus* de Catarrhis lib. 5. cap. 4. Hippocr. *ait*, 12. aphor. 3. Si australis hyems & pluviosa, & clemens fuerit, Ver autem siccum & aquilonium, Senibus fiunt catarrhi perniciem brevi allaturi: quo aphorismo Hippocr. & apoplexiam & catarrhum suffocativum indicasse videtur: Sanguis hyeme austrina & pluviosa, vere autem sicciore fit aquæ aërisque plenior, ac inde multo turbatior, præcipue si corpus cœli injuriis objicitur: hinc catarrhi lethales, qui non per os, fauces & asperam arteriam, sed per venas feruntur, quarum cavitas senili corpori major est, major quoque earum intensio: Sanguinem ingravescente ætate minui ostensum, quare consequens est ut venæ tunc temporis sint magis inanes, utque iis sanguis tanto majore vi, vel tendat ad cerebrum, unde Apoplexia; vel ad pulmones se proruat, unde catarrhus suffocativus oritur: Quomodo sanguis in cerebrum arteriis tractus apoplexiam seu ictum sanguinis faciat D. D. Wepferus & J. Rhodius ostendunt. Catarrhus suffoc. est ille catarrhus, quo sanguis plerumque pituitosus, cum de venæ cavæ trunco ascendente, ut vocant, tum maxime de ejusdem venæ cavæ trunco descendente in cor, & hinc in pulmones confestim celeriterque fluit, necnon & interdum in musculos thoracis: Quemadmodum Apoplexia inguente Sanguis arteriarum in cerebrum: ita oriente Catarrho Suffoc. venarum sanguis in Pulmones, qua superne qua inferne tanto vehementius movetur: Nec Botallus & Baronius, qui Catarrhum negant venis deorsum ferri, in hoc audiendi sunt: Tam nota nunc est sanguinis itio in circulum ac quoque reditio: Illam maxime venarum valvulæ testabuntur. Earum quidem rationem *Tulpius* Observ. l. 1. c. 7. longe secus exponit, Ne juvenis *inquit*, iterum subjiceretur, monitus fuit quolibet vere sanguinem sibi detrahere, sed monitis hisce floccifactis dedit post biennium negligentiæ pœnas, siquidem namque disruptis aggeribus submerguntur prata, sic obruitur quoque facile cerebrum à sanguine, præsertim si vel effringatur vel enervetur membraneum illud ostiolum, quod ad coercendum sanguinis impetum, internis jugulis venis incomprehensibili artificio à provida natura inditum: Habent quidem & aliæ venæ similia repagula, sed ut in illis impeditur sanguinis descensus, ita hic contra ejusdem ascensus: obruerentur alias facillime à concitati sanguinis copia, repleta athletarum corpora. *Hactenus Tulpius*. Si valvulæ venarum jugularium, ut videtur Tulpio, convelluntur; sanguis tanto vehementius deorsum ruens Catarrhum suffoc. potius concitabit quam Apoplexiam: Quis vero dubitare potest quin illæ valvulæ in senum corporibus vitiari possint? Quod vero meruunt *Botallus* & *Baronius*, ne venæ jugulares refluente sanguine, interdum pituitoso crassoque, stringantur, metus inanis est; Nec hunc recursum vel inhibebit sursum fluens de jecore sanguis, vel cerebri pituita, quæ per os cribriforme & cuneiforme se foras edere fingitur: Eo sanguine autem per venas jugulares recurrente, Cor interdum premi posse non est dubium: Cujusmodi vero sanguis in cerebrum per arterias jugulares, ejusmodi per venas jugulares refertur; sanguinis mucus non in cerebri sinus evomitur.

Sistere fluxum purpura alimentatis (Materiam Catarrhum Suffocativum efficientem *Vincentius Baronius* in Pulmones deferri per cavæ truncum descendentem statuit; *Zecchius* consult. 18. quamvis non neget à capite in asperas arterias & pulmones materiam destilare, censet tamen à toto, & à vasis ad pulmones pertingentibus excrementa delegari: constat quoque experientia, quibus inferiorum partium, ut hæmorrhoidum, uteri, &c. consuetæ purgationes sunt suppressæ, asthmata, phthises, tusses, & copiosiorem pituitæ proventum succrescere, quæ à capite arcescere absurdum est: His, & aliis, nonnulli adducuntur ut humores, non solum è venæ cavæ trunco descendente, sed & simili trunco Aortæ in cor, & mox in Pulmones rapi opinentur, vocantque Catarrhum Suffocativum & Cordialem, seu catarrhum de τὴν καρδίην, Cujus quoque Hippocr. lib. ἐπὶ morbo sacro meminisse videtur, Si defluxio, *ait*, ad cor viam affectavit, cordis palpitatio & anhelationes prehendunt, pectus corrumpitur, quidam etiam incurvantur: ubi enim pituita ad pulmonem & cor devenerit, refrigescit sanguis, venæque per vim refrigeratæ ad pulmonem & cor resiliunt, corque palpitat, indeque necessario anhelatio & spiratio, quæ erecta cervice trahitur, incidit. Neque enim spiritum suscipere potest, donec quod influit à pituita superarum & calefactum per venas diffusum fuerit: deinde palpitatio & anhelatio cessat, idque prout ejus copia se habuerit: Si enim magna copia defluxerit, tardius, si pauciori citius: Et si quidem crebriores defluxiones fuerint, frequentior morbi insultus fit, sin minus rarior: atque hoc modo afficiuntur cum pulmonem & cor defluxio petierit. *Galenus* neque à destillatione, neque à peripneumonia, neque à pulmonum tuberculo, neque à suppuratione quenquam repente strangulari posse existimavit, sed à sola angina in qua neque in faucibus neque in cervice quicquam apparet: At vero) inquit *Fernelius* pathol. lib. 5. cap. 10.) quibus jamdiu & multum pulmones infarcti erant, ut in veteri asthmate, multam repente namque destillationem pleròsque jugulasse testamur.

APPENDIX.

De Catarrho externo, extra calvam à summo capitis vertice in externas & subditas partes delabente, contra Fernelium.

FErnelio, viro acutissimo, Destillatio alia Interna est, quæ è cerebri ventriculis, & è partibus quæ sub calvam sunt, in interiores cerebri sedes prolabitur: alia Externa, quæ extra Calvam à summo capitis vertice in externas partes corporis fertur, in oculos, maxillas, coxendicem, in crura, omnes denique articulos, quæ tum omnis arthritidis, tum omnis externi doloris causa existat. Ego quidem non negaverim venarum, per faciem & tempora in caput irrepentium, ubi turgeant affluantque sanguinis copia, reliquias alimenti, & supervacua sub cutem effundere, cum sic fieri verisimile sit, idque tum humor, qui sæpe cutis contactu deprehenditur; tum dolor capitis externus, qui sc. ad cutem, præcipue vero ad cervicem percipitur manifeste attestantur: quemadmodum etiam verisimile est vapores & fuligines per suturas extra calvam emissas, cutis crassitie & densitate foras omnes evaporare non posse, sed eorum partem tenuiorem pilos gignere, crassiorem vero, una cum dictis excrementis sub cute detineri, misceri, simulque coagmentari, quorum deinde copia & pondere gravatur natura, & ad infernas partes per scapulas transmittitur, eos morbos pariens, quos *Fernelius* refert. Sed ea in re fallitur meo judicio, quod omnem arthritidem, chiragram, ischiadem & podagram ab ejusmodi externa destillatione deducit, & ab excrementis duntaxat extra calvam sub vertice capitis genitis fieri censeat, Cum certissimum sit ab internis corporis partibus, scil. intra calvam positis, sæpenumero copiam sanguinis biliosi, pituitosi aut melancholici, per venas & arterias ad eas partes amandari, qui ibi decumbens eorum omnium morborum origo & causa existat: Venio in hanc sententiam, non modo quia ejusmodi morbi fiunt nullo præcedente externo capitis dolore, scapularùmve gravitate, quæ præire deberent ejusmodi humorum fluxiones ad eas externas partes, affirmante *Hippocr. lib. Nat. hum.* Omnem partem transmittentem excipientèmque, in omni humorum decubitu laborare, atque suis se symptomatis prodere; sed etiam quia ex Hippocr. & Galeni decretis, humorum impetus ab uno in alium locum fit & convertitur, ut tum à cerebri Sinibus atque venis, tum ab hepate, liene, cæterisque partibus humores à natura ad externas partes transmitti possint, præcipue vero ad articulos: Unde illud Hipp. 6. Epid. 4. 3. Cui intestinum à dextra parte articulorum morbo laboraverat, erat quietior, postquam vero id curatum fuerat, erat dolentior; ubi Galenus in comm. exponit, Humorum impetum factum ab intestino colo in articulos: Et sæpe vidimus à diarrhœa intempestive cohibita sequutam arthritidem: In febribus quoque diuturnis scimus interdum articulorum dolores consequutos, cum ægrorum alleviatione, materia fovente febrem ad articulos à natura detrusa: Ut verum quidem sit à vertice capitis in cervicem, in scapulas, brachia, atque in articulos infernarum partium materiam tenuem atque serosam decurrere, eàmque plerumque pituitosam à prædominio, quæ dolores, tumores, abscessus aliquandò, multiplicésque morbos pariat, Verum illud etiam exploratissimum est à venis & arteriis membranarum cerebri, ejusque finibus, materiam vel copia vel qualitate peccantem, per venas & arterias, per spinalem medullam, & per interna spatia ad infernas partes demitti, quæ illos efficiat morbos ante citatos: Sic opinio *Fernelii* de Externa destillatione veritatem aliqua ex parte continet, verum quatenus omnem arthritidem, &c. ab ea duntaxat prodire affirmat, mordicusque tenet ejus destillationis materiam perpetuo esse pituitam, seu pituitosum excrementum, cum Galeno, authoritati, rationi & experientiæ ipsi repugnet, à nobis venit prorsus rejicienda. *Paschettus l. 2. de Catarrhis.*

Negamus externum catarrhum eo modo fieri, & humores de vasis emissos, sub cute per interna, ut vocant, & inania spatia libere vagari, & sine ullo obstaculo usque ad Ischia, ad manus & ad pedes migrare, ut Ischiagra, Podagra, Chiragra suboriantur. Arteriæ nonnunquam in extimas & internas partium tunicas humores effundunt, aut jamjam effundere videntur, ut levis horror illa membra percurrat: Hos vero humores excipiunt venæ & revehunt. Perite *Paschettus* ait coryza nonnunquam faciei vasa intumescere, ut cutis rubeat & sanguine quasi suffusa videatur, Mecum autem non facit dum ait etiam de cerebri finibus materiam harum fluxionum manare. Qua via, quo modo ille humor de cerebri ventriculis usque ad extremos pedum articulos per inania spatia venire potest? Si quis dolore cervicis scapularùmque urgetur, arteriæ ad illos cervicis & scapularum musculos humorem ferunt, ut dolor quidam suboriatur: hácque ratione arteriæ quasi inflatæ turgent, membranas distendunt & offendunt: venæ autem illum humorem recipiunt ac revehunt, si corpus eo loci clementer fricetur aut foveatur ut insudare incipiat; Quam multi, & quam mul-

tatum

tarum partium Tumores fomentis, linimentis & explastris ad id aptis discutiuntur? Tumores qui sub cute capitis nonnunquam existunt, quam difficulter sua sede emoventur, etiamsi illi sint molles, ut illæ collectiones ex humore fluido & tenui constare videantur Ergo ex eo effici non potest humores de vasis sub cute capitis facile exire, & sub ea ad quasvis inferiores partes posse decurrere. *Schneiderus lib. 4. de catarrhis cap. 5.*

§. 3. Si quidem pluribus experimentis certo mihi constet nihil Catarrhi à cerebro in partes inferiores ullas descendere, operæ pretium erit ostendere quâ via atque ductu aquâ omnis è plexu choroeide, & glandulis pone cerebellum in ventriculos cerebri; & per infundibulum in glandulam pituitariam deposita & percolata extra calvariæ limites deferatur; Atque in cranio vitulino olim expertus sum aquam, aut lac ipsum in foramina, in osse calvariæ pro à glandula excipiendo excavata, injectum, statim omne in venas jugulares utrinque exilire & effundi, adeo ut humor omnis à cerebro secretus in hoc animali in sanguinem denuo redundet atque exoneretur: Quod ipsum in cranio humano nuper etiam expertus sum, quanquam enim in osse calvariæ humanæ, glandulæ huic subjecto, foramina occurrant nunquam, at aqua ab hac glandula destillans à vasis ex utroque sellæ Turcicæ latere, ubi arteriæ carotides juxta ascendunt, hiantibus quasi osculis excipitur, & in venas jugulares utrinque paulo infra sinum tortuosum effunditur, quorum ductus facile patebunt, si aqua aut lac e syphone in venam jugularem utramvis, paulo infra tortuosum sinum injiciatur, mox enim conspicietur prope glandulam pituitariam diversis in locis erumpere atque scaturire, certo utique indicio quicquid feri à cerebro secernitur in sanguinem denuo refundi eique commisceri. *Richardus Louver Tract. de cordo pag. 159.*

§. 4. Tracheæ arteriæ tunica interior musculosa, binas alias etiam quasi adnatas habet, scilicet Glandulosam & Vasculosam; nam fistula tracheæ interior textura vasorum omnis generis, ac præcipue sanguiferorum, densissima & quasi retiformi obducitur: Quod spectat ad usus horum proculdubio arteriæ & venæ tracheæ tubum rivo sanguineo, propter nutricarum ejus, perluunt: atque Nervi spirituum copias, & motuum obeundorum instinctus, ad fibras musculares deferunt; Dein quicquid humiditatis superfluæ, ab arteriis depositæ, Venæ reducere nequeunt, Glandulæ excipiunt & retinent, donec massæ sanguineæ per Lymphæ ductus remandari possit. Si quando ob Lympham copiosius depositam, nimis implentur illæ, humor tum è glandulis, tum ab arteriis in Tracheæ cavitatem extillans. *Catarrhum* infert: Porro ex iisdem Glandulis, & vasorum reticulo, ubique fere intra intimos quosque Pulmonum recessus continuatis, *humor Catarrhalis* depluit. *VVillis oper. posth. sect. 1. cap. 1.*

§. 5. In multis cadaveribus quæ ad usum Anatomicum dissecui, ex quibus quædam poterant esse mucosa & pituitosa, nunquam inveni processus mammillares ampliores. At oporteret per eos ductus pituitam ad os Ethmoides derivari; vel ad basin cerebri fluitantem sponte ad eum locum (sinum sphænoidem) confluere, quoniam ventriculi anteriores cerebri raro sunt antrorsum perforati & in nares pervii. Propterea existimo, omnem nasi pituitam, non per os Ethmoides percolari, sed per ductus, sive canales quatuor choanæ in palatum defluere, vel in cavitatibus ossis sphœnoidis collectam, si trajiciatur per foraminula tabulæ ossis sphœnoidis, in ossa narium spongiosa derivari. *Ioh. Riolanus Encheir. Anatom. & Pathol. lib. VI. cap.*

§. 6. Vulgaris opinio est humores in glandula Pituitaria depositos, per foramina ossis subjecti in palatum decidere: at hæc ut plurimum in cranio humano omnino desunt, &c. *Vide plura in Scholiis* Quoad alterum cerebri Emunctorium, quò humores serosi è cerebri ventriculis in Processus mamillares deponi, indéque per foramina ossis cribriformis amandari putantur, profecto circa hanc excretionis viam ambigitur, quoniam in *Defunctis* foramina isthæc nequicquam humoris; ut ut limpidissimi, transmittunt, &c. *VVillis Anatom. cerebri cap. 12.*

§. 7. D. Brunerus in anatome caniculæ, ventriculos cerebri scatentes lympha deprehendit cerebri mole vola manu pressa, ex Infundibulo, circa glandulam pituitariam abscisso lympha stillabat, minime vero ex processibus mammillaribus, etiam resectis; quos manifeste impervios deprehendit; minime que in coryza per os cribriforme in narium cavernas mucum exstillare didicit. *VVepferus Tract. de cicuta aquat. p. 202.*

Ventriculos cerebri Scatentes lympha (cerebrum non inepte fontem lymphæ, & consequenter catarrhorum dici posse statuit *VVedelius* Physio ogiæ sect. 3. cap. 24. ac in iis maxime corpori, liberari vero ipsum eum levamine hac sarcina, & maximum cum glandulis, vasis salivalibus & lymphaticis conferre momentum, ad eoque nares esse genuinum cerebri emunctorium: Probat eo quod in cerebro post mortem copiosa reperiatur lympha, etiam extravasata, & seorsim sine sanguine existens in ventriculis, quod alibi, præterquam in pericardio,

deo, in toto vix fit corpore: Esse vero perpetuum inter lympham, vasa lymphatica & glandulas commercium; Imo vero cerebrum ipsum de glandularum esse numero censet cum Hippocrate, statuit porro I. Dari & concedendos esse ductus ex cerebro ad glandulas & nares, tum insensiles poros pro immittendo & emittendo aëre; tum manifestos, vasa scil. lymphatica: His vero dotatum esse cerebrum, licet adhuc minus pervestigatum fuerit, ex generali tamen illorum ascensu, vel descensu potius, & usu id liquere & colligendum esse: Tum maximam vasorum lymphaticorum abundantiam, tum in anticamera quasi cerebri, circa nares; palatum, labia, buccas; parotides, oculos, tum in ipsa cerebri substantia exstare: An vero terminati hic arbitrabimur eadem, neque admitti intimius? an hoc loco munere suo revehendi superfluam lympham ad cor cessabunt? An ubi quam maxime abundat, & revectione opus est, denegare hos ductus audebimus? An abundare posse lympham negabimus in cerebro quod tum in affectibus soporosis, tum hydrocephalo, quin aliis evidentissime liquet? Hinc Catarrhos ait Lymphæ motum retrogradum sequi impeditum, necessarios sive concentrans aërem frigus; uti calidus dilatat, poris illis mucidis stimulum addat, corrugando quasi glandulas illas, & exprimendo, sive alia obveniant pellentia & moventia.

§. 8. Pituitam ortus sui primi focum capitis Glandulas multifariàs agnoscere; atque tum ex saliva, tum forsan ex muco ad fauces delabente, & simul deglutitis, atque ad ventriculum mox & intestinum tenue propulsis ortum suum habere, atque ipsius parietibus adhærere, ibidemque paulatim accumulari ex multiplici cadaverum sectione plane sum persuasus. *Sylvius de le Boë Append. Tract. 1. §. 8.*

QUandoquidem experientia testatur serum & humores excrementitios sæpe intra cerebri ventriculos reperiri, videndum unde illi, ac quomodo huc confluant; & dein, Quibus excretionum viis iidem foras amandentur.

Quoad prius, summè probabile est laticem serosum, qui spirituum recens productorum vehiculum est, ac una cum illis in poros cerebri introducitur, postea exolutum ac in vaporem attenuatum, in hanc cavernam exsudare, ibidemque denuo in humorem aqueum concrescere, secus enim quid fit de humore isto, aut in quod aliud receptaculum derivari poterit? Præter hanc ordinariam, & puto assiduam, colluviei serosæ intra cerebri ventriculos congestionem, pro certo haberi debet, quod à glandulis plexui choroideo insertis, nimium repletis, ejusmodi serosus humor in ventriculos ita dictos extilletur: Sæpius vidi in hydrope cerebri glandulas istas intumuisse, & veluti hordei grana, à nimio madore crepantia, flaccidas evasisse, adeo ut serositates allatas minimè retinuerint, verùm eas in cavitatem subjectam continuo deposuerint: Profectò in hydrope cerebri, hi ventriculi semper aqua repleti conspiciuntur: Enimverò quo serum usque quaque è vasis redundans in cerebri ventriculos meliùs dilabatur, ita comparatum est, ut majores vasorum plexus, cum glandulis interfertis, prope singulos τῶν ἐγκεφάλου ventriculos, dispositi fuerint: quippe non modò plexus choroides, juxta trium ventriculorum in cerebro concursum; at plexus alter, & non minus insignis, cum glandulis majoribus, ponè cerebellum, juxta quartum ventriculum collocatur: in omnibus eo, ut videtur, fine ita cautum est, ut è sanguine qui aut cerebro aut cerebello destinatur, pars aquosior, siquidem spiritibus procreandis minùs idonea fuerit, hos vasorum plexus incurrat: attamen, si major seri copia illic deponitur quam in iisdem contineri, aut extra amandari queat, quicquid ejus superfluum est, in cavitatem subjectam dilabitur.

Hinc constat unde, & quo ritu serosa colluvies intra cerebri ventriculos colligitur: certe huic exitum denegare, nihil aliud est quàm cujusque cerebrum viperæ gravidum asserere, cui quidem partus, nisi per exesa parentis viscera minimè concedatur: Qui partes juxta ventriculos existentes, earumque fabricas primò tantùm intuitu leviter consideraт, cum antiquis facilè jurarit quod cerebri excrementa, tum inferiùs per infundibulum in palatum: tum anteriùs per processus mammillares in nares deponuntur: attamen si in partium harum structuram paulò accuratius inquiratur, statim è contra nemo est qui non facilè putaverit neutra harum via cujusvis humoris excretionem fieri: neque enim à glandula pituitaria per os cuneiforme: nec à processibus mammillaribus, per foramina ossis cribriformis apertura quævis manifesta percipitur: Verumenimverò ut per bina hæc emunctoria cerebrum aliquatenus purgari existimemus, objectioni isti referre licebit, quod in viventibus humorum translationes, per loca quæ videntur impervia, facilè perficiuntur: dum enim pori & meatus, in quibusvis corporis animalis partibus existentes, à spiritu & calore dilatantur, isti velut per raram pannilanei texturam seri depluvium transmittunt: hoc planè constat ex affectibus arthriticis, in quibus latex serosus corpora nervosa sensim perreptat, & spatiola perquam minima trajiciens, in partes modo has, & deinde alias, humorum decubitus facit, adeoque obvium est quod membranæ processus nervosi, instar spongiæ, humores serosos imbibunt, & dein à levi compressione, eos confertim reddunt; uti liquet in odontalgia, quoties stylo cavo denti immisso, aqua limpida copiosè excernitur: Revera in corpore animali vivente, humorum transitus, non modò per ductus & canales apertos fiunt; verùm latex aquosus & tenuior, solida & tereti nervorum corpora, nec non fibras & membranas, tanquam filtri lacinias, perreptat, adeoque per angustias imperceptibiles, de loco in locum transfertur; Quidni ergo supponamus humores serosos è ventriculis cerebri, in glandulam pituitariam ac processus mammillares decumbentes, per membranas aut nervos, hic aut illic pertranseuntes amandari?

Circa *Infundibulum*, res satis probabilis existit; quippe hujus positio & structura indicare videntur, quod humor aliquis è cerebri ventri-

ventriculis versus glandulam pituitariam deferatur; etenim hæc pars ita constituitur, ut in aperturam ejus, è quovis cerebri interioris, ejusque appendicis, angulo & recessu, humorum decubitus fiat; cumque in variis animalibus ventriculorum figura & situs plurimum variant, tamen in quibusvis illorum omnes ἐγκεφάλου ventriculi,qualescunque fuerint,aperturas versus infundibulum dehiscentes habent. Cæterum quod hæc glandula, cui infundibuli ductus inseritur, humores serosos suscipiat & foras amandet, etiam hinc constare videtur, quoniam illos non tantum à cerebro delapsos, ast etiam à sanguine, in cerebrum ascensuros secretos, intra poros suos admittit, quippe in quadrupedibus plerisque, vasa quædam ab utraque arteria carotide huic glandulæ inseruntur, quæ substantiam ejus intime subeant: cujus indicium est, quod atramentum alterutri arteriæ trunco injectum, rete mirabile (si modò adfuerit) & sæpius interiorem hujus glandulæ compagem, atro colore inficiet: unde licebit arguere quod hujus glandulæ munus sit serositates superfluas excipere, quas non tantum à cerebro dimissas postliminio accipit: ast interdum eas præoccupat, & à sanguine priusquam cerebro infertur, derivare solet: Ideoque hæc glandula, si seri superfluitates ei tantum à cerebro deriventur perexigua: sin insuper à sanguine accedant, grandior existit; prout nempe uno aut duplici officio defungitur.

Quod verò ad trajectionis viam spectat; qua nempe humores in hac glandula depositi, foras amandentur; Vulgaris opinio est eosdem per foramina ossis subjecti in palatum decidere: quare in ejusmodi animalibus, quibus rete mirabile adest, ejusque multæ propagines hanc glandulam subeunt, plura foramina in osse subjecto excavantur: *Porrò si ossis cuneiformis scrobem, sive glandulæ istius sellam, cranio abscissam, eximas, ejusque foraminibus, membrana denudatis, aquam desuper affundas, illa totius ossis compagem citò pertransiens, per alia foramina, in lateribus ossis patentia, subitò exstillabit: Attamen experimentum hoc pro sententia proposita minimè concludit, quippe foramina ista in quibusdam animalibus, ac ut plurimum in cranio humano, omnino desunt; Quibus verò adsunt, uti vitulo, imprimis observare est, quod eadem à vasis quibusdam cavis implentur; quibus si liquor atratus per syringam injiciatur, iste ossis compagem trajiciens, plurima alia vasa ossi subjecta, ac demum venæ jugularis truncum pervadet: quod certo indicio est, humores exinde in palatum minimè deferri: quoad vasa autem quæ ossis foramina obducunt, quæque numerosius eidem subjiciuntur, aut venæ, aut lymphæductus esse videntur.*

Atque ex his præcipuum excretionis modum, quo humores serosi, in glandula pituitaria depositi, foras ablegantur, conjicere licebit, nempe quod isti ab ea, sicut ab aliis plerisque glandulis, in sanguinis massam remandentur: In vitulo res αὐτοψίᾳ patet; nec dubium est de cæteris animalibus quibuscunque rete mirabile adest, quippe sicut rami arteriosi, ita etiam venosi ad hanc glandulam pertingunt, qui humores, non tantum ab arteriis depositos, ast insuper à cerebri ventriculis delapsos, absorbeant: Quinimo item homini, equo, aliisque animalibus quibus rete mirabile deest, opinari licet, aut lymphæ ductus, aut ejusmodi vasa quædam qualia in capite vitulino prostant, & ab glandula humores certissime exportant, subesse: Illorum vestigia non ita facile detegere licebit, quia priusquam hæc claustra perrumpantur, lymphæductuum, si qui adfuerint, tractus evanescerent: nec enim vasa illhæc in omnibus, sicut in vitulo, per injectionem deprehendere possumus: quoniam ossis foramina quibus, tanquam fili ductu, injectio ad vasa, alias delitescentia pertingit, in plerisque desiderantur: Haud dubito quin longior dies, humorum è glandula pituitaria reductiones in cunctis animalibus satis manifestas reddet: interim ex eo quod in aliquibus serositates illinc in massam sanguineam remandentur, suspicari licet, quod eodem aut simili ritu etiam in quibusvis fiat, licet commeatus viæ non satis patescunt: Quoad alterum cerebri emunctorium, quo nempe humores serosi è cerebri ventriculis in processus mammillares deponi, *indeque per foramina ossis cribriformis amandari putantur, profectò circa hanc excretionis viam multò magis ambigitur; quoniam in defunctis foramina istæc, dura meningis insertionibus & fibris nervosis, utrinque à processu mammillari dimissis, obducta & plenè infarcta, nequicquam humoris, uti limpidissimi, transmittant;* Porrò nihil certius est quàm quod humores serosi, è glandulis & vasorum extremitatibus intra nares desinentium, in ipsorum cavernas exprimantur; ita ut, præterquam quòd vix possibile sit humores illuc à cerebro descendere; non opus omnino videtur ejusmodi excretionis viam supponere: Verumtamen super his, ut paulò altius ratiocinemur, si à partium apparatu & ab affectis arguere liceat, non est quin probabile existimem humiditates quasdam etiam à cerebro in nares depluere; Supposito enim quod humor serosus, non modo apertos canales, sed strictiores etiam nervorum poros & meatus trajiciat, atque fibras & membranas, tanquam filtri lacinias perreptans, de loco in locum transferatur (quod equidem facile erit demonstrare) quid obstat quominus ejusmodi latex, per fibras ossis colatorii foraminibus impactas, descendat? Nam licet in defunctis istæ partes impervia esse videntur, tamen durante animalis vita corporum nervosorum meatus ac cœci ductus, à spiritu & calore dilatati, humorem copiosum, quo irrigantur, facillimé transmittunt. Os cribriforme in diversis animalibus, pro multiplici odoratus exigentia & discrimine, varie perforatur: per singula ejus foramina processus à dura matre, & fibræ nervosæ multiplices, transeunt, & interiora narium illinunt: sicuti autem per corporum horum ductus, ab organo versus sensorium protensos, sensibilium impressiones, sive species sensibiles continuata spirituum animalium velut dulatione ascendunt, ita per easdem vias, humiditates eorundem corporum irriguæ, siquidem aliquando solito magis superfluæ sint, in nares distillare possunt: enim verò tales humores, uti à cerebro perpetim amandari, ita quidem olfactus organa copiose perfundere debent: Interea talem excretionis viam, in nares dehiscentem, extare observationes quædam circa ægrotantes, à morbis cephalicis habitæ ulterius suadent: Novi aliquos Scotomiæ obnoxios, quibus sub finem paroxysmi aquæ limpidæ ingens copia exstillarit; cujusmodi vacuatione, velut critica, parixysmus terminari solebat: (*Vide exempla Tit. de vertigine & cephalalgia*) Possem hic plures alias rationes proferre, quæ suadere videntur

dentur cerebri ventriculos, sive cavitatem à limbi ejus complicatura factam, esse meram humoris excrementitii cloacam, quodque humores illic congesti per nares & palatum expurgentur &c. (*Thom Willis cerebri*) *Anatom. cap.* 12. Hic magnum nobis relinquitur dubium, cùm caput excrementa piruitosa à venis & arteriis hinc delata recipiat, Quæritur per quas vias illa excrementa expurget? Cum Veterum vias, utpote os cribriforme, cunieforme, &c. nos pro veris viis non agnoscamus? Respondet *Schneiderus* 3. de Cat. sect. 2. c. 3. *Membranam quandam, quæ additamentum ossis occipitis in ultimo palato invaluit, pituitam seu materiam catarrhosam condere, continere & emittere*: Modum autem & quomodo hæc emissio fiat paulò post exprimit, pag. 500. *Si verum volumus, catarrhus sudatione potius fit quam distillatione: nam humor in sudantibus his membranis confluit, & nunc pendet, mox in excreando projicitur: Interdum quidem tenuior humor & copiosior cadere videtur, Cæterum Natura eam membranam ad lentum humorem imbibendum, & in modum sudoris emittendum perquam callido artificio figuravit: venæ illius muci circumcirca scatent, unde quoque tanta vis ejus potest subinde abundeve affluere.* Schrodter Dissertation. de pleuripneumonia cap. 2. §. 31.

Observatio I.

Catharro suffocativo defunctus exhibuit Hepar magnum, & lapidem in cystifellea.

PRinceps Nassovicus Hadamatensis, ante mensem (*mense Ian.* 1679.) catarrho suffocativo defunctus est, in cujus cadavere præter alia repertu fuere sequentia Hepar erat immensæ molis, octodecim librarum, in folliculo fellis repertus fuit calculus unciæ unius pendens; *Iohannes Dolæus observat.* 139. *miscell. curiosi anni* IX.

Observatio II.

Catarrhus pertinax; Phthisin accersens, à vitio cerebri, cujus tota substantia fracida, in extrema superficie quasi syderata, cum initio corruptionis principii spinalis medullæ, & meningum corruptela.

NObilissima infans, xi. Octobr. circa matutinam in lucem edita, ætatis IX. mensium, temperamenti sanguineo biliosi, diuturnis destillationibus, & mendosa phthisi tandem in legitimam degenerante obnoxia cum quamplurimis pulmonum tuberculis, crudis & suppuratis, à tertio statim mense, quasi hæreditario jure iisdem corripi coepit quibus Nobilissima mater, cujus interitus filiæ interitum tribus mensibus prægressum est, non dissimilibus morbis atque symptomatibus comitantibus; ærumnis catarrhalibus, à quo tempore malum in dies eundo incrementum sumpserat, cum tussi violentissima, respiratione per intervalle spertorosa, vomitu materiæ viscidissimæ, febricula lenta ad vesperam exacerbata, *sudore capitis enormi* sine ulla euphoria, corpore in tres magis contabescente, frustra excavato funticulo in nucha, erumpentibus passim per totam dorsi regionem *furunculis*, quorum nonnulli suppurati, tabo exeunte pravæ notæ, amuccoso; Hinc alterum quoque in brachio sinistro inustum est emissarium, uberius quidem priore manans, verum & ipsum insufficiens, perenni quidem huic destillationi à toto & visceribus, coæva labe, ac per consequens inemendabili, inducias dedit, sed mali radicem evellere non valuit, quia pedetentim pulmonum tono magis flaccescente, & everso substantifico eorum temperamento, tuberculis compluribus ibi obortis, cingestione ac defluxione, cum infarctu inexpugnabili invalescentibus, post prægressos leviusculos motus convulsivos, delapsa portione viscosi lentoris ad caput asperæ arteriæ die XI. Julii suffocata tandem periit; incassum tentatis anacatharsin promoventibus, pulmonum crasin roborantibus, suspensoriis, cephalicis &c.

Quare exenterato cadavere, auspicati à prima regione; viscera naturalia satis inculpata, invenimus, inde ad spiritalia accedentes, in loco sinistro pulmonum *tuberculum crudum* oblongum, magnitudine pollicis deprehendimus semiscirrhosum, ad bronchia proxime adjacens; In dextro autem parvum abscessum, cum compluribus tuberculis grandinosis, passim per parenchyma pulmonum dispersis, cor utrumque bene constitutum, nisi quod pericardium ultra solitum sero repletum, ad instar cujusdam *hydrocardiæ* occurreret: Tandem facta capitis ad apertione, utraque meninx, magis tamen pia, corruptela non vulgari insignita, & tota cerebri substantia fracida, in externa superficie quasi syderata; non inefficaci factæ sudidentiæ argumento; una cum principio spinalis medullæ corruptionis non experte comparuit; Ex quibus rationabilis elici potest conjectura, atque autopsia ipsa confirmari evidens atque inevitabilis tam citæ mortis causa. *I. R. Fortis Tomo* 2. *consult.* 21. *cent.* 2.

DUm primis mensibus natam Infantem Nobil. vidi sanitatem potius quàm vitam ei coaugurari coactus fui eum non vivere sed valere vita sit; caput enim non solum vitiata conformatione sed multo magis intemperie humidissime affectum observavi, & ideo quam maxime excrementosum, ut propterea à copiosis excrementis retentis insignem læsionem passurum,

passurum, vel in imbecilliores partes inferiores catarrhalem materiã depositurum esse existimaverim; quæ cum spiritales, & recipientes fuerint, ideo ab ipso capite, ut à parte mandante, non solum per spatia, sed quod magis est, per vasa excrementitia catarrhales humiditates transmissa fuere, & in lobo sinistro tuberculum crudum, & in dextro spirium abscessum, una cum duris & grandinosis pustulis excitarunt: Et sicur in capite detentæ membranis, & ipsi cerebro fraciditatem induxere; ita per vasa delatæ universam massam sanguineam inquinarunt; per spatia vero assatim atque confertim, & per alios ductus, salivales præsertim, ipsi quoque *Galeno* cognitos, in asperam arteriam & pulmonum bronchia irruentes, tandem suffocationem intulerunt, molestia tussi prægressa, & præcedentibus laboriosis sudoribus non sine catarrhali, & forsan etiam febricula fixa: Has autem affectiones ab utero non solum, sed à semine quoque materno reportasse non dubito; *Semen enim* inquit *Hippocr.* lib. de morbo sacro *) genitale ab omnibus corporis partibus procedit a sanis sanum, à morbidis morbidum, fit que ut ex calvis calvi gignantur, ex cæsiis cæsii.* &c. Idem.

ANATOMIÆ PRACTICÆ
LIBRI PRIMI
SECTIO XVIII.
DE OCULORUM AFFECTIBUS.

OBSERVATIO I.

§. I. *Amaurosis à tumore globoso in cerebro nervos opticos premente.*

GALLUS quidam annos natus 24. dolore capitis correptus est, mox sequuta febris, qua cessante, cephalalgiæ reliquiæ nihilominus remanserunt cum vigiliis & capitis imbecillitate: Tandem in oculo sinistro Visio obscurati cœpit, & post mensem etiam in dextro, sequutaque est paulo post in utroque omnimoda cœcitas, nullo vitio in oculo apparente: Postmodum etiam cœcus ille *conuulsionibus laboravit*, quæ illum per vices tota hyeme affligebant: Quibus initio veris cessantibus supervenit tussis, febris hectica, expuitio purulenta & tabes, qua diu molestatus & consumptus tandem expiravit.

Corpore aperto pulmonum vitium deprehendimus: Verum cum causam Cœcitatis, aperta calvaria in cerebro perquireremus, invenimus cerebrum aqueo copioso humore irriguum; partemque illius anteriorem, Sinistra præsertim in sede, tumidiorem, à qua cum portio adimeretur, inventus est tumor seu globus quidam, glandulæ seu strumæ instar, inclusus in cerebri substantia, ab ea tamen separatus, propriaque membrana dura contentus, per quam venæ aliquæ capillares dispersæ erant, ovi gallinacei magnitudinem superans, inæqualis & formam pineæ nucis exprimens, cujus interior substantia, alba & æqualis, ovi albumen coctione induratum referebat, sed durior illo erat: Hic cono obtusiore nonnihil sursum prominebat, basi vero latiore, ventriculo cerebri, anteriore sede innitebatur, & pondere suo, quod erat drachmarum xlv. *Nervorum opticorum exortui* in cerebro incumbebat, *eoque comprimebat.* Quam causam fuisse cœcitatis, quod cum spiritus animalis transitus ad oculos fuerit impeditus, conclusimus: cum alioquin in nervis opticis nulla obstructio, aut aliud vitium, uti nec in oculo apparuerit. *Fel. Platerus Observ. lib.1.pag.*108.

HInc colligere licet, (*addit Vir Experientissimus*) graves & diuturnos cerebri vitio accidentes, & incurabiles morbos, ab ejusmodi occultis in cerebro latentibus tumoribus aut vitiis frequenter accidere, Et cum raro hæc sectione indagentur, qui causam cerebri intemperiei aut humoribus tribuunt, atque hisce remediis accommodando, operam & oleum perdunt, latere.

Convulsionibus laboravit] Non infrequens cæcitas post convulsiones graves & frequentes, sed à nemine quod sciam, recte descripta causa; Hanc non ab humoris affluxu deduco, ut voluerunt, sed quia in magnis illis per paroxysmos convulsionum, partium omnium, & oculorum simul, contorsionibus, in quibus sæpe quoque convulsi, admodumque exerti & inflexi apparent, attracto sic nimium & tenso nervo optico, illis adnato, illoque simul contorto & læso, spirituſque visorii transitu impedito, oculos visione privari contingit, atq; inde provenire diligenti examine & consideratione invenimus. *Platerus Prax. lib.* 1. *c.* 7.

Nervorum opticorum exortui) Barth. Cabrollius Observ. 17. falli ait & fallere eos qui originem nervorum opticorum ab anteriori cerebri parte dedu-

deducunt: atque à posteriori, prope cerebellum, prodire asserit, quod instituta sectione, inverso prius cerebro, manifestum esse ait, Non ergo Tumor ille globosus cœcitatem induxit nervos in exortu comprimendo, sed in progressu & prope insertionem.

Eosque comprimebat) Etsi obstructio Guttæ Serenæ causa communissima statuatur, cum humor pituitosus à cerebro nervos opticos subiens, spirituum animalium commeatum impedit, non secus ac in paralysi cæteri nervi obstruuntur, Ex historia tamen allata certum esse debet adstrictionem & compressionem illorum nervorum, huic affectui occasionem dare posse, sive sit pituita ambiens, sive sanguis, sive pus, aliáve materia: Sic phrenitidi & cerebri inflammationi, in malignis febribus, uno die cœcitatem successisse, aut alterius oculi visus privationem, fidem facit experientia. Ab hac autem causa oborta Amaurosis, facilius curationem suscipit quam quæ ob obstructione est, quod testatur historia à *Fabritio Hild.* allata Cent. 5. Observ. 19. cum materia comprimens promptius remediis cedat quam quæ nervis impacta est.

Nulla obstructio) Opticos nervos perforatos esse scribit *Galenus* lib. 10. de V. P. ad spiritus animalis delationem. Qui eorum cavitatem defendunt, in simiis manifestam esse dicunt, quinetiam in homine modo nervus ab exortu non statim tranversim secetur sed paulo ante insertionem: *Galenus* autem 7. de Placitis c. 4. & libello de oculis, tres conditiones requirit ad pervidendum optici nervi foramen, ut animal sit magnum, nuper mactatum & lucido aëre conspiciatur: prætereà si nervi non essent perforati, quomodo fieret amaurosis? Nulla tamen cavitas sagacissimo *Vesalio* animadversa, qui deprehendit nervum opticum solidum esse, ex variis fibrillis conflatū intervenientе passim substantia medullari: Si fides *Riolano*, eos transversim dissectos perforatos vidit, & ante coitionem foramen apparere dicit. In ipsa conjunctione solidiores esse, ut per eorum substantiam spiritus traductus subtilior reddatur, & ne affatim ad oculos affluens cito dissipetur. *I. Rud. Salzmanus* Observ. Anat. pag. 71. asserit se in theatro Anatomico, præsentibus aliquot Medicinæ studiosis manifestum meatum, qui stylum satis crassum admittebat, in nervo optico oculi bovini, animadvertisse & deprehendisse Vide. *Varolii* Epistolam ad *Mercurialem*.

§. 2. Non admodum absimilem globum glandulosum, cum etiam in cerebri substantia in Nob. Equite, obstupescentia gravi laborante invenerimus, satis conjicere licet graves & diuturnos cerebri vitio accidentes & incurabiles morbos, ab ejusmodi occultis in cerebro latentibus tumoribus aut vitiis frequenter accidere. Et cum rarissime hæc sectione indagentur, Medicos, qui causam cerebri intemperiei aut humoribus attribuunt, atque hisce remedia accommodando, oleum & operam perdunt, latere. *Platerus ibidem.*

Observatio II.

Amaurosis ob vesicam nervos opticos circa crucifixionem prementem.

Anno 1590. dissecui filiam Præsidiis Hollandiæ, 18. annorum: hæc aliquot ante obitum annis Diabete laborarat, Paucis ante obitum diebus cœcitate hac correpta fuit, qua uterque oculus clarus quidem existebat, nec aut in membranis, aut humoribus vitii aliquid apparebat, ipsa tamen nec lumen quidem candelæ oculis admotæ percipiebat.

Huic aperto cranio reperi insignem vesicam, quæ nervos opticos occuparat circa crucifixionem: Hac novacula pertusa, circiter libra semis aqueæ materiæ limpidissimæ effluxit utpote materia potus, præ tenum imbecillitate attrahi amplius cum non posset, αἰ ἀρρώστος facta, ad caput regurgitarat, cumque locum occuparat. *Petrus Pavvius Observat. 9.*

Appendix.

Gutta Serena illico exorta à sanguinis è vena frontis eductione.

Anno 1676. rusticus capitis dolore ingenti afflictus, adit Chirurgum in vicino commorantem pago, dicto *Ville la grand*, horæ spatio Geneva dissito, qui venæ frontis sectionem suadet: Annuente rustico, tunditur vas; sed statim ab eruptione sanguinis, ille de visus titubatione conqueri cœpit & obtenebratione oculorum. Pergente nihilominus venæ sectâ in sanguis emissione, cœcitas integra succedit, hactenus insanabilis.

Verisimile est capitis dolorem ortum debuisse sanguinis copiæ in toto & cerebro; quæ prius per vasa communia exhauriri debuit: secta autem vena frontis, ad proxima nervis opticis vasa sanguis attractus fuit, quæ turgida eorum compressionem pererunt. Alias felici eventu *Spigelius* in Gutta Serena mediam frontis venam pertundere solebat, sanguinémque tamdiu evacuabat, donec sponte sisteretur. Et nuperis annis insignis *Garcias à Lopes*, Burdegalæ Medicus Hebræus, simili præsidio, præmissis multis vacuationibus, cœco visum restituit, Referuntque. Practici quidam ob frontis vulnera cœcitate aliquos aliquando liberatos. In quibus saue cœcitatis causam verisimile est fuisse compressionem nervorum opticorum à contermninis vasis, venis inquam atque arteriis sanguine tumidis, quas dicta vulnera nonnihil evacuarunt, unde compressione sublata reddita est visio.

OBSERVATIO III.

Cæcitas ab extenuatione nervorum opticorum.

Nos licet fateamur nervorum opticorum conjunctionem adeo arctam & intimam esse, ut medullæ & pori confundantur quasi, Et in viventibus non possint ab invicem separari, Nihilominus tamen negare non possumus naturam quandam distinctionem in illis observare: Apparet hæc si extenuentur, Sic observavimus in fœmina quadam cœca *Nervum utrumque extenuatum*, quilibet ad sui lateris oculum migrabat. Inde recte colligere licet in illa conjunctione arcta, naturam tamen unius ab altero distinctionem non negligere. *Gu. Rolfinkius Dissert. Anat. lib. iv. cap. xxxi.*

Nervum utrumque extenuatum (Ex Veterum Practicorum mente, qui rerum quam verborum magis erant aucupes, obstructio alia est Oppilativa, ab humore vas infarciente; alia Attenuativa, per collapsum vasorum & viarum, quæ accidit nervis opticis.

OBSERVATIO IV.

Visus privatio in quodam, cui abscessus in processibus mamillaribus enati sunt.

Ioh. Hualdus annos natus XXII. de dolore capitis queritur, *humiditate* cerebri *effusa in nervos opticos* occæcatur: Adversus id omni præsidiorum genere oppugnatur, nihil proficitur; Audio randem visum aliquatenus recuperasse: dolores perseverant capitis intolerabiles, omnium remediorum vim malum superavit: Præ mali diuturnitate & vehementia interiit.

Aperto cadavere, abscessus reperti sunt in processibus, (quibus vires & munia certa à natura tribuuntur (mammillaribus. Illos abscessus meliceridès vocare possis, quamquam ad scirrhum proximè accedant: Os frontis erosum erat, & perforatum vi humoris acrimoniáque; foramen erat instar quadrantis qui tres denariolos pendet, &c. Paulo antequam interiisset nec videbat nec odorabatur: *Convulsus* interiit; Uno antequam interiisset anno pedes incurvos retractosque habebat, &c. Tanta fundi calamitas non aliunde orta erat, peritiorum consilio & opinione, quàm à latente luis venereæ veneno, *Gulielm. Ballonius Paradigmate* VII.

Humiditate effusa in nervos opticos) Vel potius à compressione eorum per illos abscessus: Cum enim ii proximi sint processibus mamillaribus, quod primum par à Neotericis constituitur, verisimile est lege viciniæ vim passum esse secundam nervorum conjugationem.

OBSERVATIO V.

Amaurosis à Subsidentia ventriculorum cerebri, & marcore nervorum opticorum.

Patavii anno 1620. Cadaver paupercula cujusdam (quæ per xx. annos Amaurosi pedetentim invadente laboravit, & tandem cancero mamillæ sinistræ occulto, & medicamentis non convenientibus ad thoracis cavitatem detruso, miserrime obiit; delatum fuit in theatrum anatomicum, ubi in causam hujus cæcitatis legitimam inquisivi: Aperto igitur per serram cranio, inveni duos anteriores cerebri ventriculos subsidentiam passos & conglutinatos, per quos spiritus animalis ad oculos deferri non potuit. Unde nervis opticis sensim marcescentibus (apparebant enim hic duplo minores quàm in aliis reperiuntur.) Amaurosis, seu Gutta Serena, illæsis undique oculis inducta fuit: bene enim adhuc nutriebantur, venis, & arteriis ritè constitutis, nisi quod arteria ad alterius oculi radicem ingressa turgebat, adeòque inflammationem quandam, menstruis nempe regurgitantibus insinuabat.

Addebat Excell. *Adrianus Spigelius* in lectione anatomica, quàm super paupercula caput habuit, vitio hnic minime occurri potuisse, licet Pausanias aliquando ex vulnere frontis talem Guttam Serenam sublatam fuisse affirmet, imo rarissime ex obstructione Nervorum opticorum exoriri, sed plerumque ejusmodi dispositionem supponere. Hinc etiam mirum non est quandiu ejusmodi affectus omnem & multis expertam medendi operam eludunt. *Scultetus Armam. Observ.* XXVI. *Horstius Observat. vit. libr. ix. ex Streittero.*

Observatio VI.

Cæcitas à putredine vitrei humoris & vermiculo in eo reperto.

Vitreum oculi humorem non inflammari tantùm, sed etiam putrescere argumento est anno 1622. ab *Adriano Spigelio* repertus in Vitreo humore oculi equini vermiculus qui C. Gesnero Vitulus aquaticus appellatur. *I. Rhodius cent.* 1. *Observ.* lxxxiii.

Observatio VII.

Amaurosis à Sero copioso inter utramque meningem, cerebrum deprimente, quod & plurimum imbiberat.

Iac. Rentinger (de quo Tit. de Soporosis affectibus) tribus septimanis ante mortem cæcus omnino evasit, nullo vitio extrinsecus in utroque oculo apparente, vera scil. Gutta serena excæcatus. Huic serum magna copia collectum erat in spatio quod inter duram & piam matrem est, unde cerebrum cerebellùmque deprimebatur: Imo ipsam eorum substantiam plurimum seri imbibisse cognoscere potui, quia utrumque summopere erat flaccidum & molle, &c. *VVepferus Exerc. de Apoplexia, hist.* 4.

Nullo vitio in utroque Oculo. (Certo indicio nervos affectos fuisse: illud vero quod certissimum existimant quidam, si compresso oculo ægro pupilla non dilatetur, nervi vitio hoc fieri, quod influxus spiritus in oculum cohibeatur, Verum non comperit *Platerus*, cum spiritus animalis non flatus instar oculum distendat eumque adimpleat, quod in retiformi nervo persistat.

Observatio VIII.

Amaurosis à contorsione nervorum opticorum producta.

Illustrissimus Comes Rapos VVillensis sexagenario minor, à pueritia cæcus evasit: Pupillæ utræque clarissimæ, erant, & Gutta Serena laborare judicabatur ab obstructione opticorum vel insigni compressione.

Aperto cadavere à Clar. D.D. Paulo Scheibano Medico Aulico, inveni sunt (ut ille paulo post obitum mihi retulit, die scil 15. Augusti 1673. Raposvvillæ) ambo optici non obstructi vel angustati, sed intorti, ita ut ideo spirituum Visualium commeatus manifeste impediretur, cæcitatis causa. *Ex amica communicatione Clar. D. D. I. Nicolai Binningeri, Medici Aulici Montisbelgard.*

Observatio IX.

Amaurosis inducta ab aqua cerebri corticem madefaciente.

Parvulus, cerebri humidi, ophthalmii obnoxius, soporosus factus est, &c. Postridie stupidus factus est, oculos acrius vellicatus aperiens, eos huc illuc obvolvens, nihil tamen videbat, Calvariæ ossa exempta, anterior τῦ ἐγκεφάλυ regio, aqua limpida, per membranas translucente, obrecta intumescebat. Cerebri assulatim dissecti portiones nimis madidæ: Cujus aquæ ingens copia, ventriculos omnes ad summum implendo, thalamos opticos comprimebat. *Vide tit. de Soporosis Affectibus.*

Observatio X.

Cæcitas inducta à tumore steatomatico inter cerebrum & cerebellum.

Vidit Clar. D. Prof. Drelincurtius Tumorem steatomatis consistentia, pugni magnitudine, cerebrum & cerebellum inter, qui cœcitatem primo, mox & necem intulit. *Vide tit. de Soporosis Affectibus.*

Observatio XI.

Visus amissio in uno oculo, ob cavitatem cerebri anteriorem sanguine cum seri copia plenam.

Iuvenis (*de quo tit. de Paralysi*) Præter motum membris dextri lateris fere ademptum, etiam istius Oculi visum amisit. Capite mortui aperto, anterior cerebri cavitas sanguine cum seri copia implebatur.

OBSERVATIO XII.

Cæcitas ab aqua cerebrum inundante.

COloniæ vidi puerum cui caput in incredibilem molem increverat, Quandiu vixit actionibus animalibus; quæ ex cerebro prodeunt, visu, loquela, &c. destitutus fuit. Inveni in duobus anterioribus cerebri ventriculis aquam ad libras Colonienses xviij. à qua ejus substantia adeo distendebatur ut gyri non conspicerentur. *Vide tit. de Hydrocephalo.*

OBSERVATIO XIII.

Infans hydrocephalicus ante mortem fit cæcus, ob nervos opticos vi aquæ corruptos.

HYdrocephalicorum cerebrum si aqua perfusum, processus mammillares vitiose se habent; Quid, ipsi nervi optici etiam vi influentis aquæ nonnunquam consumuntur, ut ii disrupti esse videantur: Infans paulo ante mortem lumen oculorum amittebat, sed eos (qui mos hydrocephalicis nescio quomodo solennis est) indesinenter mortitabat. *Schneiderus l. de osse cribriformi, p. 506.*

OBSERVATIO XIV.

Visus diminutio in vetula, cui pars cerebri sanguine suffusa, & mollior reperta, est cum insigni grumo sanguinis peculiari cavitate concluso.

BArbara Zuberin (de qua tit. de Apoplexia) septuagenaria, ab aliquot annis de visus imminutione cœpit conqueri, aliquando recrudescente malo, nunquam autem cœca omnino evasit: Capite aperto, apparuit pars dextra cerebri, superior ac posterior, inferior, non tamen ad basin usque; & anterior frontem versus, tota sanguine suffusa: Cerebrum ibidem molle erat, & humor quidam in eo fluctuans manifeste attactu deprehendi poterat; Inventa & cavitas ampla, ad frontem fere antrorsum, grumum sanguinis ovi gallinacei magnitudine continens.

OBSERVATIO XV.

Amblyopia ab excedente in ventriculis anterioribus cerebri humiditate, &c.

ILl. Marcelli Sachetti, (*de quo lib. 2. tit. de Phthisi.*) cerebrum in ventriculis anterioribus excedentem humorem tenuem ac pellucidum continuit, qui Amblyopiæ censendus est opifex, &c.

APPENDIX.

Gutta Serena, visusque abolitio aut diminutio, aliquando oritur ab obstructione aut constrictione filamentorum nerveorum, corpora striata adeuntium.

PRominentiis quæ Nates ac Testes dicuntur, succedunt Thalami nervorum opticorum, qui etiam supra caudicem medullarem epiphyses, quædam muneri privato, sc. functioni tantum visivæ inserviunt: Enimvero visus nobilissima facultas, prout oculi organum maxime concinnum, ita peramplum & maxime augustum, ad sensorium commune, scil. corpora striata, apparatum sive porticum obtinet: quippe nervi optici sub caudicem medullæ oblongatæ coeuntes, & denuo mox disjuncti, latera ejus scandunt, ubi protuberantias appropriatas subeuntes, in filamenta medullaria numerosissima, quæ substantia corticali ubique intertexuntur, abeunt: ita *stricturæ medullares*, sive *nerveæ*, quæ proculdubio species visibiles trajiciunt, sunt omnes parallelæ; quæ recta protensæ, corpora striata ubique per totos ipsorum ambitus appellunt: Hinc probabile est *Guttæ serenæ*, quin & visus alias *depravati*, aut aboliti, non solum in oculo nervòque optico, sed interdum in his partibus latere, in quantum scil. filamentis illis nerveis obstructis aut constrictis, species visibiles usque ad corpora striata irradiare nequeunt: Novi quendam imaginatione & memoria graviter læsis affectum, demum morbis istis evanescentibus in cæcitatem, incidisse; cujus accidentis ratio videtur esse, quod materies morbifica primo cerebri superiorem compagem occupans, illinc inferius per corticem delapsa, thalamos opticos subierat. *VVillis de Anima Pract. part. 1. cap. 4.*

OBSERVATIO XVI.

Cataractæ nigra causam in nervo optico obstructo non semper consistere ostendit Anatome, sed in vitreo humore & crystalini absentia.

QUis nigræ Cataractæ hactenus non credidit causam *Obstructionem nervi Optici*? Attamen in aliquibus cadaveribus nullam in eo noxam, sed totum vitreum humorem in aquam resolutum, & crystallini nulla vestigia deprehendi. *Rolfinccius Dissertat. Anat. l. 1. c. 13.*

OBstructionem nervi optici.) Notari vult, *Willis* Nevrologiæ cap. 21. quod sicut in Olfactu, ita & in visu Sensio haud tam Nervi quam fibrarum, quæ organo intertextæ sunt, ope peragitur; scil. fibrillæ oculorum membranis, ac imprimis tunicæ scleroticæ insertæ, ac ad reticuli modum dispositæ, speciei visibilis impressio nem suscipiunt, atque rei simulacrum, quale extra objectum est repræsentando visionem efficiunt: ipsius autem Nervi munus esse simulacrum istud, sive speciem sensibilem, velut tubi optici ductu transmittere ac communi sensorio inserere.

Vitreum in aquam resolutum.) Quem & perspicere censet *Rhodius*, Vide supra *Observat.* 6.

OBSERVATIO XVII.

Visus debilitas in uno oculo ab extenuatione nervi illius visorii.

CÆsalpinus notat in Anatome publica Pisis celebrata anno 1590. repertum fuisse alterum ex nervis visoriis attenuatum alterum, plenum: Visus autem erat imbecillis in oculo ad quem nervus extenuatus ferebatur: habuerat enim vulnus in capite circa eandem partem: Nervus autem extenuatus *non ad oppositam partem procedebat*, sed ad eandem flectebatur. Unde omnes spectatores argumentum id certum existimarunt, nervos visorios nequaquam se intersecare, sed coire & regredi ad eandem partem. *Riolanus Antropograph. lib. 4. cap. 2.*

NOn ad oppositam partem procedebat, &c.) Vesalius Anat. lib. 4. cap. 4. recenset historiam Juvenis cujus nervi visorii nulla in parte, nullo congressu in vicem connectebantur, nec se contingebant, sed dexter nonnihil ea sede, qua calvariam fuerat egressus, sinistrorsum, & sinister dextrorsum nonnihil reflectebantur, quasi non coalitus occasione nervi congrederentur, verum ut commode per suum foramen è calvaria procederent. Se autem, *ait*, sedulo & sollicite à familiaribus hujus viri percontatum fuisse, an illi omnia gemina perpetuo oculis obversarentur, ac nihil aliud rescíscere potuisse quam illum de visu nunquam conquestum fuisse: Hinc ille putat nervos opticos conjungi potius, ut commode queant per foramina exire; negans unionem hanc quiquam facere ad unionem specierum visibilium.

OBSERVATIO XVIII.

Suffusionis causa plerumque est crystallini humoris incrassatio.

SUffusionis & cataractæ in Oculis, causa non est concretio humoris albuginei; aut membranæ arachnoidis, quæ tenuissima propagine parte antica crystallinum, obvelat, sed ipsius crystallini humoris incrassationem Parisiis in publicum propalavit Franc. Quareus Med. & Chir. eminentissimus: Confirmavit binis vicibus mea in oculis defunctorum apertis autopsia, qua sine duce ab antiquitatis authoritate secedere piaculum foret *Rolfinccius Dissert. Anat. lib. 1. cap. 13.*

OBSERVATIO XIX.

Cæcitatis in brutis causa multiplex & varia sectione deprehensa.

HOc tamen perpetuo ita evenire pronuntiare non ausim: nam in bobus, vaccis, equis, ovibus, canibus, oculorum usu privatis, præternaturalis diathesis tam varia à me observata, ut mirari satis non potuerim: modo nulli humores, sed carne quadam callosa interstitium inter corneam & crystallinum oppletum: modo crystallinus plane cum cornea connexus: modo albugineus induratus apparuit. *Idem ibidem.*

Observatio XX.

Hypochyma non oritur ab humore in Oculos influente, sed potius ab humoris Aquei crassitie.

Hypochyma, seu cataractam, non ab humore in Oculos defluente, cum nulla sit via per quam eo humor ferri possit, sed ab Aqueo humore adeo exsiccato à causis externis, vel morbis, ut tenacitatem acquirat aliquam, pupillæque adhæreat eamque obfuscet, & tandem albuminis ovi exeocti instar diuturnitate albescat & induretur, pupillamque penitus occludat, proficisci, ut multis rationibus probare possum, sic ex ipsa sectione deprehendi. *Felix Platerus prax. lib. I. cap. 7.*

Rationibus probare possum (Quas refellit *Plempius* Ophthalmogr. lib. 5. cap. 9. Litigant, ait, Medici quo loco consistat suffusus humor, & simulacta oculis obversantia, imagines dicta; In Galenico tribunali locum illum definiunt interiori facie corneæ & exteriori crystallini. Nos non dubitamus asserere in crystallino quoque, & post crystallinum in vitreo humore posse consistere materiam suffusam, tam enim transmittunt species crystallinum & vitreum quam aqueum; Itaque si earum transmissio ab crassa atque opaca materia in vitreo stagnante prohibeatur, suffusione, seu morbo in via, oculus dici debet laborare, tam æquo jure quam si in aqueo humore natet materia: Cæterum id fatendum est rarius suffusam materiam in vitreo, rarissime in crystallino hærere, ac fere semper in aqueo observari: Ratio est, quia illi humores propriam habent à suis tunicis circumscriptionem, hic fluidus est & alienis terminis continetur; adeoque facile extranea recrementa suscipere aptus.

Causam suffusionis recte statuunt pragmatici omnes humoris alieni influxum, vel ipsum humorem innatum crassefactum: Solus Platerus, nullo duce aliorsum deflectit à via regia, contendens ab aqueo humore tenacitatem aliquam adipiscente causam suffusionis proficisci: fieri vero ab humoris influxu nec ratione ulla probari, nec demonstratione ostendi posse: Desertionis vero suæ has rationes adducit: 1°. *Si ab, aquæ, vel humoris in oculi globum fieret affluxu; non hæc exigua tantum, & vix lentis instar amplæ naseeretur materia, sed oculi globus totus distentus & velut hydropicus tumeret.* R. quamvis suffusionem cataractæ nomine donarint incultioris sæculi Medici non tamen adeo fuere rudes iidem ut in eo affectu copiosum humorem ubertim, quasi per amplas cataractas, opinatentur in oculos irrumpere: Satis visum ipsis fuit si irrumperet: irrumpit vero, non copiosus humor; sed paucissimus, quia exiguiculi & pene invisibiles sunt ductus, ac proinde oculi globum distendi ac tumere non est necesse; 2°. *Nullum spatium inane in oculo invenitur quod aquam hanc possit admittere, cum totus undique prorius humoribus ab ortu in eo natis adeo repletus & distentus sit, ut ne guttulæ quidem alienæ locus superfit, aut cornea ulla ratione amplius distendi dilatarive queat.* Vetetur hic fortassis penettationem dimensionum, at non est periculum, est enim, aut fit locus externo allabenti humori, addensato nonnihil aqueo, & subterfugientibus aliquibus spiritibus humori forsan aqueo intermixtis; quippe à mero aqueo non distendi corneam, significant mortuorum animalium oculi subsidentes & corrugati; Itaque spiritus hi leviores cedunt locum extraneæ irruenti materiæ graviori: 3°. Petit per quam viam hæc aqua in oculum defluat? *Non enim per venas & arterias, cum hæ oculi interiora minime subeant: Non per nervum opticum; indignum est partem tam nobilem excrementis hisce deferendis aptam statuere; per quam præter æthereum illum spiritum animalem transire nihil potest; confugere vero ad corporis transpirabilitatem, ignorantiæ asylum est petere.* Nos nihilominus omnes illos modos viasque commodas existimamus: quod enim ad venas arteriasque spectat, opinamur oculi interiora omnino eas subire: Nervis vero opticis etsi utatur natura ad devehendum animalem spiritum, abuti tamen iisdem aliquando potest ad deferendas superfluitates; id quod in aliis multis partibus fieri consuevit; sic thoracis pus per sinus cordis transit: Denique quando ad ignorantiæ asylum, corporis nempe perspirabilitatem nos confugere exprobat, calumniatur magno Hippocrati, qui dixit corporis confluxum esse unum, conspirationem unam & consentientia omnia: detrahit Galeno, qui id ipsum confirmavit, experientiæ, quæ attestatur. Sane si quatumcunque defluxionum in arte nobis obvenientium manifestas vias invenire adlaboret Platerus, magnum sibi imposuit opus, magnum laborem frustra: Possem enim multorum exemplorum congerie inutilem ejus satagentiam demonstrare: Ad extremum porro, suffusionem non semper ob humorem aqueum crasse factum gigni, sed etiam ob alieni humoris influxum hoc arguere queat, quod incrassatio aquei non nisi sensim & pedetentim longiori tempore absolvatur; at crassam & consummatam suffusionem uno die congeri interdum vidit *Fernelius*.

Observatio XXI.

Suffusio aliquando nascitur inter corneam & uveam tunicam.

Anno 1624. in theatro Anatomico, *Franc. Plazzoni* ductu, Suffusionem vidimus inter corneam & uveam, humori crystallino oppositam: cujus materia non erat pellicula similis, ut vulgo creditur, sed dura & mediocriter crassa, squamæ corneæ in modum, candelæ tamen admota aliquantulum pellucida. *Ioh. Rhodius centur. I. Obs. lxxxi.*

Obser-

Observatio XXII.

Suffusio aliquando gignitur muco tenaci circa foramen uveæ sensim concrescente, illiusque margini interiori adhærente.

§. 1. MUco tenaci in ambitu foraminis uveæ membranæ seu Pupillæ margini adhærente illique prætenso, sensimque concrescente, in uno fere tantum oculo, licet & alter nonnunquam mox simili ratione affici incipiat, visio frequentissime labem patitur, diciturque quod Pupillæ suffundatur, suffusio, Hypochyma. *Platerus Prax. lib. 1. cap. 7.*

§. 2. Ab ea causa Suffusionem oriri didici tum ex erutis & dissectis captatum oculis, illi affectui obnoxiis, tum ex sequentibus duobus exemplis: Vidi, anno 1663. Burdegalæ Vasconiæ Metropoli, mense Martio, in Suburbio S. Crucis, uxorem Piscatoris, cui nomen erat Simon Sequeus, Suffusione in utroque oculo laborantem: Chirurgus Pardiüs vocatus, Leytouriensis Vasco, quæ oculum sinistrum obsidebat, felicissime (visus enim illi oculo restitutus) decussit, eandem operationem autumno proximo in altero oculos suscepturus: destinatum vero tempus mors occupavit, fuste enim à vicina in capite percussa, unde fractura & depressio cranii, Iunio sequente interiit: Ego vero cupidus cataractæ causam cognoscendi, annuente marito, oculum dextrum orbitæ exemptum dissecui, ac præsente magistro meo D. Balano, ad amussim examini subjeci: A nobis autem deprehensum, uveæ tunicæ *foramen à materia densiore obstructum*, muco è naribus educto perquam simili, totum spatium implente, mediantibus fibrillis capillaribus undique margini foraminis adhærere: Eam acus cuspide, Oculistis usitatæ, non parvo labore removimus: Eodémque tempore observare nobis fuit concessum, obtensam crystallino humori pelliculam, candicantem & lucidam, à mutua dictarum fibrillarum cohæsione effictam fuisse: Humor porro crystallinus, tum Aqueus & Vitreus integri & purissimi erant. Adstiterunt mihi Dom. D. Mingelozeau, Burdegalæ Medicinæ Professor, & Mag. Balanus & Deplessius Filius, Chirurgi. *Observatio Magistri Bailly Chirurgi Genevensis peritissimi.*

§. 3. Anno 1668. Vidi in Nosodochio Sancti Bernardi Avenionensi, quendam nomine Marcum Fornetum, panni bombycini tenuis Textorem, cui, ab Empirico cataractæ depositionem tentanti, pertusa tunica Cornea, dilataráque Wea, eadem ipsa die, elapsis humoribus Aqueo & Crystallino, perfecta inducta fuit cœcitas, Exactóque trimestri enata est Excrescentia carnea, pugno major, sanguinis copiam ex intervallis ἀθρόως effundens, si præsertim illius susciperetur extirpatio: Unica donatum erat id sarcoma basi seu pedunculo, pollici crassitie æquali, asperum & tuberculis inæquale, exquisitissimo sensu præditum, nasum eo latere operiens, atque ad buccas usque protensum, qua de causa os nisi eo remoto obice aperire non valebat: Misellus autem post annuum languorem fatis cessit: Alter vero oculus suffusione etiam affectus, à me orbita exemptus exploratus fuit adstitibus Dom. D. Sudra, Ferrara, Guisone, Honorato Medicis, & Magistris Morelotio, Provanceo, ab Horto, Chirurgis: Cunctis autem in prædicto uveæ foramine observare licuit materiam, sive humorem concretum, marginis circuitui affixum, porrigini, sive furfuri, quod è capite pecten decutit, omnino similem, nulla vi exemptum: Nihil autem visii dicti oculi humores præ se ferebant. *Ex ejusdem communicatione.*

HOc à me persæpe, dum propria manu in quamplurimis utriusque sexus, operationem nominatam perficio observatum, eam nunquam ex voto successisse, nisi crebro acus acie circa dicti foraminis marginem circumducta, ad translationem obstruentis humoris, non deorsum modo, quod vulgo præcipiunt, sed etiamnum sursum & ad latera, scil. oculorum angulos, cum infra semper non liceret, felici tamen successu: Fidem faciet postrema à me peracta depositio, in Petro Dunantio, viro sexagenario, cujus rei testes adduco, viros Clariss. Dom. D. Alexandrum Deodati, Facultatis Decanum, Ioh. Iacobum Rillietum, Pompeium Deodati, & Le Clerc, Medicos Genevenses: D. Dentandum Patrem, De Monthoux & Noel Chirurgos: Prædictus Dunantius, vicennali oculi dextri suffusione laborans, sinistro autem orbus, adeo ut duce perpetuo indigeret, à me operationem exegit, quam quia maturitatem adepta erat non invitus suscepi: Pertusa ergo acu membrana, & ad decentem usque locum inducta, atque pro more sæpius circumducta, materia suffusionem pariens in multiplices particulas diffissa est, quas successive modo versus inferiora depressi, modo ad superiora impuli, reliquas oculorum canthos versus adducens, donec oculus integer & nitidus omnibus appareret, cujus beneficio nunc solus obambulat: Alterius autem oculi suffusio maturitatis notas exhibet: Operatio anno 1673. mense Septembri acta est. *Idem.*

Foramen à materia densiore obstructum.] A me nunquam observatum materiam, affectus causam, ante vel pone pupillam collocaram esse: quandoquidem acus acies, si modo obstructionis causam removere intendimus, perpetuo intra foraminis ambitum ducenda est, postmodum deprimenda: Quamdiu vero obversantur culices & atomi, censeo id contingere

gere ab ea materia adhuc divulsa, necdum fibris, ex quibus, constat invicem cohærentibus: Id quoque observabile est, à quo tempore illi operationi incumbo, (quam pluries & felici semper cum successu exercui) me nunquam fictam illam duritiem & soliditatem materiæ obstruentis animadvertisse, quandoquidem acus intrusa nullam renitentiam invenerit. *Idem.*

Muco tenaci, &c.) Humoris suffusionem patientis varium statum tradit laudatus *Platerus*: Suffusio, ait, ab initio, cum sit adhuc mucus pellucidus, & lucem transmittat, ob crassitiem tamen visioni, ac si nube obtensa offuscaretur, & variis atomis volitantibus res viderentur, impedimentum ac hallucinationem parit, unde tunc Imaginatio, & Nubecula appellatur. Atque hæc in oculo nondum bene conspicua est, nisi quod illius nigrum, quod stellam vocant, non exactè nigram, sicut penitus nigrum esse debet, sed turbidum nonnihil apparet; quo etiam, si in uno tantum oculo hoc videatur, altero adhuc puro existente, ab illa imaginatione & nubeculis, quæ vaporum causa simili fere modo oculo se offerunt, nisi quod utrumque æqualiter afficiant, distinguitur. Tandem vero sensim magis magisque mucus ille incrassatus, perspicuitatemque amittens, faciliusque intuitu cognoscitur, glaucoque fere, vel cinereo, ut Oculistæ vocant, colore se manifestat, ac nigrum oculi nonnihil delens, visui tunc quoque magis officit, quam immaturam suffusionem & aqueam, cum mollior adhuc sit & aquea, acu deprimi adhuc non possit, vocant: Postremo vero dicto muco penitus incrassato dealbatoque, sicuti exiccatione res lucidas dealbari, & perspicuitatem omnem amittere constat, ita & hic accidit, visioneque penitus tunc ablata cæcitas omnimoda sequitur: Nisi forte, uti sæpius vidi, in parte aliqua illius, vel in ambitu, tantillum nigri adhuc punctum vel circulatim appareat, per quod exigui splendoris scintillæ, oculum adhuc luce obscura, ex qua tamen nihil recte dijudicate possit, illustrant: Estque hæc confirmatæ suffusio dicta, quam maturam appellare solent, ovi albumini coctione obduratæ pelliculæ, & colore & tenacitate non absimilis.

Enata est excrescentia carnea.) De simili excrescentia carnea, seu fungosa, sanguinem que fundente, vide Observationem 1. cent. 1. Operum Fabritii Hild.

Observatio XXIII.

Cæcitas à corruptione cerebri & nervorum Opticorum.

Quidam gravi capitis dolore circa sinciput & tempora ob venereum morbum laborabat, &c. neglectis remediis plane lumine orbus evasit: Oculi tamen nil extranei pati videbantur, lx. post die obiit. Huic cranium ad coronalis & sagittalis commissuræ regionem sphacelatum, &c. corruptum & cerebrum & nervi optici. *Vide tit. de cap. dolore.*

Observatio XXIV.

Cæcitas à nervis opticis crassefactis & fragilibus.

Puer novennis in caput ceciderat, hinc capitis dolor, febris continua, cœcitas, &c. Nervi optici maxime labefactati inventi sunt, debitoque crassiorem induerant spissitudinem, & ita fragiles ut ad manuum contactum dissolverentur. *Vide lib. 4. tit. de Vulneribus.*

Observatio XXV.

Oculi ob ἐκπιεσμὸν extirpatio & anatome, cujus humores in sebaceam materiam erant controversi.

Puero rustico oculus dexter sua orbitâ prominebat, & inversa utraque palpebra, veluti per λαγοφθαλμίαν faciem deturpabat; Aderat dolor capitis cum tensione superioris palpebræ, præcipue noctu: alii similem casum dicebant ei qui à *Plateró* l. 3. Observ. p. 766. notatur, alii scirrhum cancrosum, qualem *Trincavellius* de aff. part. c. 6. notavit, supponebant; Ego ἐκπιεσμὸν *Actuarii* l. 2. meth med. vocabam à conferta crassaque fluxione, & distinguebam à πρόπτωσι *Celsi* l. 6. c. 6. quod oculus non penitus orbita sua excluderetur: colluviem ex toto catharticis exhauriendam institui prius tamen correctam, Setaceum trajeci; collyrium hoc ter die applicatum ♃. vitt. ℥ß. tutiæ rosac. extinctæ ℨj. & ß. terræ cimoliæ in pollinem redactæ q. s. cuncta cum aq. ros. & euphras an℥iij. m. 3°. ab usu dio per corneam tunicam ad imam palpebram sebacea materia apparuit, Ex hoc deprehendi oculum esse extirpandum, ne vitium per nervos ad cerebrum transiret: Ægro ergo apte collocato lithotomum filum per oculum læsum jussi traducere, confestim separato oculo ab adnata in angulo utroque; cultello Fabritii cent. 1. obs. arrepto orbitam profunde circinaret, & oculum extemplo cochleari ad id conformato eradicaret: Gratia sit Deo, omne negotium absolvimus octo fere minutis hæmorrhagiam in his, uti convenit largiorem concessi, & tandem insperso pulvere ex stypticis, & collo epithematis injectis, cum diæta decenti lecto concredimus & quieti: biduo post digestivo Fabritii nostri

utimur

utimur, desuper Empl. Basiliconis: facies intumuit tertio post die, sed sacculis ex emollientibus & carmin. eam depressiorem reddidi, ita cum aliis remediis restitutus est.

In oculo à me dissecto, omnes humores in sebaceam materiam conversos ostendi, tunicas sui juris, uti & musculos, & pinguedinem interfusam. *Martinus Bogdanus observat. med.* 1.

Quo pacto extra orbitam oculus non rupto nervo optico potest procidere: Responde nervos admodum extendi secundum longitudinem posse; Dum ergo humiditatis plurimam hic suscipit in inflammationibus oculorum, facile fit ut laxetur: Ipsi autem musculi plurimum intumescentes, cum amplius in orbita contineri nequeant, extra prosiliunt: plerumque enim ab inflammationibus oritur oculorum procidentia. *Spigelius Anat. lib.* 7. *c.* 2.

Observatio XXVI.

Oculus procidens ob tumorem pone eum delitescentem.

Ex suppressis menstruis inciderat filia cujusdam Vitrarii in immodicum narium profluvium, quo intempestive ab iracundia suppresso, convertebatur protinus omnis impediri sanguinis impetus in oculum dextrum, qui inde usque adeo intumuit, ut sede sua propulsus, deformaverit mirum in modum totam faciem: cujus vitium uti auferret, nihil non nobiscum molitus fuit vir jure magni nominis *V. F. Plempius*, sed successu minus prospero. Induerat quippe jam tum naturam carcinomatis, cum cute livida, tubere inæquali & pure tam acri, ut vitiata forent inde narium ossa, & vires præterea adeo fractæ ut nihil profuerint etiam saluberrima consilia, nisi fortasse libuisset oculum excidere; quod tamen crudele auxilium, licet succedat nonnunquam feliciter, equidem haud facile suaserim nisi constent vires.

Atenim sublata è vivis ægra, vidimus evidenter procidentiam hanc originem traxisse ex tumore pone oculum delitescente: quo adaperto, occurrebant passim venæ laceræ membranæ distentæ, ossa carie infecta, & tantum sanguinis cum extra tum intra cerebrum effusi, ut nulli mirum videretur perisse virginem tot hostibus circumventum. *Nic. Tulpius Observat. lib.* 1. *cap. xxviij.*

Quo intempestive suppresso.) Inconsiderate agit quisquis satagit coërcere qualecumque sanguinis profluvium: distinguenda sunt cautè loca, & vitanda obnixè quæ hic signantur brevia: Satius enim naturam liberare quàm onerare; & præstat interdum sanguinem aliquandiu fluere quam indiscriminatim inhibere.

Usque adeo intumuit.) Male vocant nonnulli quamlibet oculi procidentiam sive πρόπτωσιν, sive σταφύλωμα Æginetæ l. 3. cap. 22. & lib. 6. c. 19. Loquitur quippe illic de illa procidentiæ specie quam produxit vel rupta, vel elevata oculi tunica; cujus etiam meminit *Celsus* l. 7. c. 7. *In ipso, inquit, oculo, attollitur nonnunquam summa tunica, sive ruptis intus aliquibus membranis, sive laxatis, & similis figura sit acino,* unde id σταφύλωμα Græci vocant: At longe aliud procidentiæ genus in exemplo allato cui simile *V. Tincavellius & Fabritius Hildanus* memoriæ consecrarunt, Protuberantiam videlicet, non uveæ tunicæ, elevatæ, vel instar acini, vel capitis muscæ, sed tumorem totius oculi, effundentem tam late se ex sede sua, ut deturpet faciem universam: Quem deformem excidentis oculi prolapsum, si quidem lubet reducere ad nomen aliquod antiquitati usitatum, videbis eum *Paulo* ἐκπιεσμὸν vocari l. 3. c. 22. *Exprimuntur, inquit, oculi & exerti permanent: causa est vel strangulatus, vel dolores qui frequenter accidunt ex partu, quos solvunt uteri purgatione:* Sed *Aetio* ac *Celso* vocatur idem vitium πρόπτωσις, tumor videlicet ob magnum inflammationis metum oculos sede sua propellens, *Celsus* lib. 6. cap. 6. Verum addit *Aëtius* procidere usque adeo oculum ut à palpebris contegi haud possit; imo interdum vergere ad malas & ipsa supercilia, lib. 7. cap. 24. *Tulpius l.* 2. Oculi ἐκπιεσμὸν, à causa externa inducti, feliciterque intus propulsi, reductique in orbitam exemplum vidi anno 1657. mense Iulio, Serenissimus Dux Longavillanus, Principatum Neocomensem, Ditionem suam, post quinque lustra ultimo per lustravit, Comitabatur Principem Nobiliss. juvenis, cujus nomen subticeo, qui urbi vale dicturus, post lautas epulas, merique liberaliorem haustum, nec sanæ mentis, equum bis ad ascensum calcaribus, bis ad descensum per præruptum incitavit vicum: Imprudentiæ Domini pertæsus equus impellenti & urgenti restitit, ac desilire cogit: crebris ille instare verberibus pergit donec, eorum impatiens equus calcibus impeteret ac faciem Dom. feriret; unde protinus oculus dexter extra orbitam propulsus, maximo crepaturæ & cæcitatis metu; In diversorium proximum Nobili delato, imminentis maximæ in toto vultu inflammationis signa deprehendo, oculus autem, quanquam exorbitans, ac solis musculis cohibitus, illæsus apparuit: Phlegmonem v. s. prævertere satago, obstabat vero crapula & ventriculus cibo potuque recens ingestis turgidus, quem indita in os penna, oleo madida depleo: Eo saburra exonerato, sanguis è brachio κατ᾽ ἴξιν illico missus, cujus vacuationis tanta fuit efficacia ut illico subsidere vultum & ruborem minui contigerit: Admotum cataplasma ex pomo acido in aq. rosar. & plantag. cocto, additis flor. rosar. rub. chamom. Rom. hordei farina, &c. Exhibita potio sanguinis fervorem temperans; admota occipitio cucurbitula, à qua statim pristinam sedem oculus repetiit: Quinta post die iter instituit Nobilis, Principem prævium assecuturus.

Observatio XXVI.

§. 1. Oculi dextri macor & extenuatio ab ætate ineunte, ob nervum dextrum tenuiorem sinistro, ultra conjunctionem.

PAululum progressi nervi Optici (qui non ex anteriore parte basis cerebri oriuntur, ut communis est opinio, nam alterius occiput versus quærendum eorum initium) in media fere via uniuntur, supra sellam ossis sphœnoidis, non per simplicem contactum vel intersectionem in homine, sed totalem substantiæ confusionem, ut medio viæ longioris tractu ob mollitiem minus patiantur: *Vesalius, Aquapendens, Valverda*, aliquando observarunt toto ductu divisos mansisse: Contactu in quadam conjunctos observavit *Vesalius* quoque, cui dexter oculus ab ineunte ætate emarcuerat, quia nervus dexter tenuior erat sinistro ultra conjunctionem: Sed in plerisque ordinarie confunditur interior substantia, ut accurata inquisitione deprehendi. *Bartholinus Anatom. Reform. libello 3. cap. 2.*

I*N media fere via uniuntur.*) Coalitus nervorum Opticorum ideo à natura institutus, sive ne sensibile utroque haustum oculo geminetur, sive ut spiritus visivus altero oculo, si opus sit, totus conferatur, quæ *Galeni* sunt conjecturæ: sive denique ob robur & fulcimen hic necessarium, ne in cerebri concussionibus disrumpantur, distorqueanturve, néve ob cerebri opticorumque mollitiem & humectationem, quod *Plempio* placet, à destillationibus & excrementis aliis flaccidiores redditi, à tramite suo depellantur. *Idem ibidem. Vide Plempium Ophtalmogr. libro primo, cap. 19.*

§. 2. Mulieri supplicio affectæ dexter oculus ab ineunte ætate emarcuerat, sinistro interim integerrimo; Huic dexter nervus toto progressu longe tenuior sinistro visebatur, non solum extra calvariæ cavitatem, verum in exortu quoque, & in dextra congressus nervorum sede. *Vesalius lib. 4. cap. 4. de Humani corpor. Fabr.*

Observatio XXVII.

Oculi Procidentia ob Tumorem inter cranium & duram matrem delitescentem.

ANno 1597. Puerulo trienni aperui caput: Hic aliquot mensibus ingenti laborarat tumore ex oculo sinistro, adeo quidem ut integer bulbus ocularis cum musculis omnibus foras protuberaret, in tantamque accrevisset molem ut duos pugnos protuberantia æquaret: Huic duabus ante mortem septimanis alius tumor ortus fuerat prope musculum temporalem sinistrum, quem ablata cute vidimus peculiari, (eâque crassa satis) membrana obductum intra cutem craniumque hærere: Cranium exiguum habebat foraminulum per quod materiam ejecerat natura: Ablato cranio vidimus ocularis tumoris materiam intra cranium & duram matrem collectam universam, integro plane & illæso cerebro: Aperto utroque tumore, vidimus eos substantia cerebro plane simili repletos, permixto sanguine concreto, haud aliter ac si molæ substantiam vidisses. *Petrus Parvvius Observ. Anat. xxiij.*

PRominentiæ oculi extra orbitam singularem causam detexit Fabricius Hild. centur. 5. Observat. 1. scilicet in cavitatibus illis, sive sinubus exsculptis in superciliorum regione, inter utramque tabulam; exemplo allato Juvenis stylero ad sinistrum supercilium vulnerati, nec ex arte curati, nam exorta tandem inflammatione, sequutòque dolore vehementissimo, oculus in tantam molem excrevit, ut ad ovi gallinacei magnitudinem extra orbitam propenderet: Arbitratur autem pugione prima perforata tabula, sanguinem in cavitatem hanc delapsum esse, ibidem putrefactum, adnatam primo, deinde per consensum totum oculum infecisse: maximum enim inter has cavitates, & oculos consortium esse, fidem faciunt foramina ex cavitatibus istis ad oculos penetrantia.

Observatio XXVIII.

Strabismus unius oculi, & Resolutio superioris palpebræ, ab humore multo cerebrum, nervumque oculi motorium alluente.

ILlustr. Marcellus Sacchettus (de quo lib. 2. tit. de Phthisi) inter varios affectus p. n. strabismo quoque unius oculi & resolutione superioris palpebræ affectus fuit; Qui admiratur, meminerit Nervos oculorum motores, ab alluente cerebrum humore multo, quem diximus, imbutos, & secundum longitudinem, dum crassitudo cedit, contractos, in alterutram partem contorqueri & convelli facile potuisse, sic ad utriusque partis vitium, & sui situs emotionem efficiendam uni se comparant hi nervi. *M. A. Severinus de Abscessibus p. m. 275.*

Strabismi, Geminatæ visionis & ad latera causam tefert *Hercules Saxonia Prælect. Pract. part.* 1. *cap.* 20. §. 8. in crystallini humoris vitiosam figuram, quam an ex Anatome deprehenderit, an conjecturis assequutus sit, non constat, Depravara, *ait*, visio fit ex mala situatione vel totius oculi, vel pupillæ, vel crystallini: Hæc mala situatio si fuerit vel ad superiora vel ad inferiota, facit apparere res geminas: Si sit ad latera, res non apparent geminatæ: Si quæratis causam, Ego veram proponam quam alibi non inveni: Istis crystallinus habet cubam figuram, an anteriori parte est planus, ob id extremitates terminantur linea & angulis: Si vertatur oculus ad angulum; non mutatur planities: Si vertatur ad superiora vel inferiota, mutatur planities, nam angulus necessario se porrigit in oculo straboso ante planitiem alterius oculi sani: angulus crystallini strabosi est altior & eminentior quàm crystallinus sanus: ubi igitur unus humor suam habet planitiem, alter porrigit angulum, species visibilis primo recipitur in illo oculo cujus crystallinus porrigit angulum qui recipiatur in planitie alterius: ubi autem species bis recipitur, objectum apparet geminatum.

Observatio XXIX.

Oculi dextri dolor ob abscessum in cerebro natum ventriculum sinistrum compressum.

Miles acinace sauciatus fuit in posteriore capitis parte: die 6. conquestus est de dextri oculi dolore, &c. Deprehendi abscessum magnum, qui in sinistro cerebri latere latitavit proprio folliculo circumscriptus, ex quo pus fœtidum magna quantitate effluxit Ventriculus cerebri sinister aliquantulum compressus; dexter minime, sed aqua distentus, &c. *Vide tit. de Paralysi.*

Observatio XXX.

Oculos attollendi impotentia ab ingenti seri copia inter cerebrum & meningas, anteriori parte collecta.

Puer septennis (*de quo tit. de capitis dolore*) de capitis dolore perpetuo afficiebatur, cum oculos attollendi impotentia, quos humum versus semper defixos habebat. Illi in anteriore capitis parte, inter cerebrum & meninges, ingens seri copia cohibita apparuit.

Observatio XXXI.

Lacrymarum proventus ab aquæ copia insigni in anterioribus cerebri ventriculis, cranio membraneo.

Puellæ bienni caput mirum in modum intumuerat, ab aquæ copia in dextro sinistroque cerebri ventriculis contenta ad novem fere libras: Cerebrum in capitis vertice membranæ quasi modo erat tenue, Calvaria fuit prorsus membranea, &c. Paucis ante mortem diebus, si caput illi vel leviter movebatur, sequutus est mirus totius faciei rubor cum Lacrymarum proventu, &c. *Vide tit. de Hydrocephalo.*

Observatio XXXII.

Lacrymarum ubertas ab aquæ copia sub pia meninge, & in ventriculis cerebri.

Elizabetha N. per 25. annos intenso capitis dolore cruciabatur, quo dum primo alimenta masticare inciperet, vel aura tempestuosa adveniret, ita exacerbabatur ut Lacrimæ fontium ad instar ex oculis erumperent. Aperto mortuæ cranio, inveni sub pia meninge magnum quantitatem aquæ limpidæ, ac ventriculos cerebri simili liquore repletos. *Vide tit. de capitis dolore.*

Observatio XXXIII.

Humiditatis ab oculis ad nares deferendæ interceptio, ob calculum in glandula lacrymali contentum.

Octob. x. adfui examini defuncti rustici: præter alia leviora consideratione dignus erat calculus in glandula lacrymali, ad oculi angulum internum sita, occurrens; inæqualis valde erat, totam glandulam receptioni humiditatis ad nares deferendæ ineptam reddens: *G. Blasius Observ. Med. 16. Parte 6.*

APPENDIX I.

De Lacrymarum origine.

AD palpebrarum interiorem conjunctionem, seu in cantho utriusque oculi majori, caruncula spongiosa ac mollis, meatui ossis subjecti ad nares pertingenti (qui punctum lacrymale nonnullis vocatur) apposita, vel intrusa potius, est Glandula Lacrymalis dicta, quæ humorem lacrymalem non ad oculos, sed ex oculis susceptum, ad nares transmittit, ne foras identidem profluens, obtutui officiat: In angulo minori itidem glandula occurrit, priori plane dissimilis, plana nimirum candidáque, & aliis glandulis non absimilis: In limbis palpebrarum cartilagineis, juxta majorem angulum, colliculo leviter prominente, observantur duo exigua foraminula, quæ Puncta lacrymalia dicuntur, immissam setam intra membranas palpebrarum transmittentia: Ex hisce glandulis, earumque vasis, quæ palpebras inter oculique globum observantur, humor procedens per lacrymalia puncta in nares defluit, qui modo parcius accedens, à paucis observatur, modo impetuosius profluens Lacrymarum nomine venit. Quarum materiam quidam à parcius allabente humore distinguentes, diversam utrique originem assignarunt, sic è venis oculorum hunc exsudare, illas à cerebro provenire Platerus statuit: Nec qui à cerebro lacrymas derivant, inter se conveniunt, alii solo cerebro contenti, de viis dissentiunt, dum hi anteriores choanæ canales, illi nervos, isti venas & nescio quas non alias vias excogitarunt: Quidam vero præter cerebrum, alias in auxilium vocarunt partes: sic eas partim à cerebro per secundum ossis cuneiformis foramen: partim à vertice capitis & lateribus, ad punctorum lacrymalium ductum confluere Veslingius putat. Qui cerebro excluso alia putarunt afferenda, nec hi inter se consentiunt, quidam, enim ab oculorum nutrimento, aliis à crystallini humoris, vitreique excrementis deducunt: Schneiderus proxime ex arteriis, *Cartesius* ex vaporibus qui ex oculis quam ulla alia parte, ob nervorum opticorum magnitudinem & multitudinem parvarum arteriarum copiosiores egrediuntur: Sed licet hæ opiniones probabilitate niti videantur, Experientia tamen alias vias demonstrat, ordinario naturæ modo magis convenientes, ut enim quæ omnibus partibus communia universalibus organis peraguntur, sic quæ singulis debentur peculiaria, peculiaribus locis præparantur & per vasa peculiaria excernuntur: Existimo itaque manifestum satis esse, illum saltem humorem qui motui palpebrarum inservit, ex arterioso sanguine in glandulis secretum per descripta modo vasa adferri: Lacrymas vero nihil esse, nisi humorem qui oculo irrigando destinatus, majori copia affluentem, ideòque cum vasa in Glandulis oculorum observata manifestas & propinquas ostendant vias, ex occultis aliis & remotis non deducendæ: *Vide plura apud Nicol. Stenonem de Ductibus novis oculorum & narium.*

APPENDIX II.

DE CAUSIS MYOPIÆ ET NYCTALOPIÆ.

Ostenditur ex Opticæ fundamentis Myopiam à spirituum vitio non procedere; sed ab humoris Crystallini situ diverso.

IN Myopia (Latinis Lusciositas dicitur) objecta nonnisi propinqua & fere oculis admota cernuntur, dissita vero minime, vel saltem imperfecte, ut ita affecti notos & amicos prætereuntes non agnoscant, Fitque secundum Galeni & omnium fere recentiorum doctrinam, à paucitate & tenuitate spiritus visorii, qui non eget medii illuminati copia ad perfecte visionem efficiendam, sed ab ea dissipatur: contra vero qui spiritus habent crassos remota melius vident, quia spiritus ille crassus majori indiget illustratione, quæ in majori medii illuminati copia reperitur: Verum hæc doctrina falsissima ex Opticæ ignorantia oriunda, cujus theorematis aperte demonstratur ex humoris Crystallini situ diverso has visionum diversitates emergere: Cum enim species objectorum per pyramidem recipiantur in crystallino humore, ad quem conus pyramidis protenditur, si crystallinus ad anteriora & versus pupillam magis vergat, objecta remotiora melius videntur, quia ut conus pyramidis ad crystallinum perveniat, & in eo terminetur, objecta remotiora esse necesse est: Si enim ad oculum magis accedant, conus pyramidis crystallinum transgreditur, & objecta magis confusa percipiuntur: Contra vero si crystallinus in profundo oculi magis situs sit, & ab Uvea tunica magis remotus, objecta debent oculis esse viciniora, ut conus pyramidis ad eum accedere valeat: Unde patet Myopiam non aliter fieri quam ex situ crystallini profundiori, atque ita affectum hunc esse connaturalem neque remediis superabilem: Affectus vero Myopiæ contrarius, in quo nimirum objecta remotiora melius videntur

videntur, senibus plerumque solet contingere, in quibus humoris aquei portio consumpta est, ut Crystallinus ad Pupillam accedat: Adde quod à longa capitis inclinatione, quæ vitæ decursu fit, vel in legendo, scribendo, vel alia negotia tractando, humor crystallinus sensim ad anteriora vergit; Hæc demonstrantur usu specillorum, si quidem Myopia laborantes juvantur specillis concavis, à quibus radii specierum visibilium disperguntur, sicque efficiunt ut conus pyramidis longius protendatur, atque adeo res, quæ ob distantiam majorem à myopis percipi non poterat, postmodum percipiatur, protenso nimirum pyramidis cono usque ad crystallinum, qui antea in pupilla vel humore aqueo seu albugineo desinebat: Senes contrà juvantur specillis convexis, quibus radii uniuntur, & conus pyramidis abbreviatur, atque ita res propinquæ melius cernuntur, quarum conus antea crystallinum pupillæ propiorem transgrediebatur: Vide *Platerum* de Sensuum læsionibus *cap. vii.*

Observatio XXXIV.

Oculi dolor à pure inter cerebrum & membranas delitescente.

Vulneratur quidam punctim circa os Temporis, hinc gravitas intolerabilis circa oculum partis affectæ. Inter membranas & substantiam cerebri ingens copia puris reperta. *Vide lib. 4. tit. de Vulneribus.*

Observatio XXXV.

Oculorum dolor ab abscessu tunicato in cerebro Sinistro ventriculo compresso, Dextro aqua distento.

Nob. acinace sauciatus fuit in posteriore capitis parte: Sexto post mense de Oculorum gravitate conquestus est, & aliquot post diebus obiit: in cerebro abscessus tunicatus inventus: sinister cerebri ventriculus compressus, dexter aqua limpida distentus. *Vide tit. de Paralysi.*

ADDITAMENTA.

Observatio I.

De Lacrymarum ubertate a redundante cerebri humiditate manantium.

Quia magnum & humidum viscus, *cerebrum*, copiose humidoque eget nutrimento, hinc etiam multa humidaque excrementa diu in eo generari posse certum est, quorum sæpe uberrimus proventus diu durat, ut clare patet in gravedine & catarrhis, atque etiam manifestissime à nobis demonstratum est anno 1663. mense Novembri in muliere quadam à nobis dissecta, quæ diu tristis vixerat, atque de *capitis gravitate* millies conquesta, & ad fletum ac copiosas lacrymas promptissima fuerat hujus totum cerebrum adeo humidum invenimus, ut serum ex substantia ejus mane nostra detenta, tanquam ex spongia aqua imbuta, copiosum exstillaret, eodemque etiam ventriculi mediocriter repleti essent. *De Diemerbroeck Anatom. lib. 3. cap. 15.*

Quæ diu tristis) quod in tristitia copiosissime lacrymæ, idque nonnunquam per aliquot dies profundantur, hac de causa contingit, scil. quod cerebrum præ tristitia contractum refrigeretur; (constrictio enim copiosum sanguinis, arteriosi accessum præcludit, & concoctionem debito modo non peragat, unde ex sanguine (qui tunc propter minimarum viarum angustias, valde serosus eo ascendit, ut fluidior existens melius transire queat) ad nutritionem ejus allato, serosi humores in glandulosо hoc viscere copiosi separantur, multique crudi simul gignuntur, qui per prædictam contractionem continue exprimuntur, & e ventriculis versus nares propelluntur. Animo autem de tristi minus cogitante, atque hinc cessante illa contractione, mox desinit ista expressio & lacrymarum effluxio ut eadem intenta cogitatione turpi redeunte, mox etiam ab expressione redeunt lacrymæ. *Idem.*

Ad copiosas lacrymas, promptissima) De lacrymarum effusione, cum ejulatione, nimis facili copiosa & admiranda in rustico alioquin sano vide *Lotichium* observat. medic. *lib. 2. cap. 2. observat.* 8.

De Lacrymarum origine & materia variæ sunt opiniones quas Idem de Diemorb. l. c. adducit & rejicit. Ipse vero statuit eas esse pituitosi humoris in cerebro collecti tenuiores ac serosiores particulas ex oculorum antris effluentes: Causas autem serosas istas particulas per lacrymalia foramina expellentes patuit quinque, 1. Pituitosorum serosorum humorum in cerebro collectorum copiam. 2. eorundem subitam colliquationem, aut validum agitationem. 3. cerebri & membranarum ejus contractionem, 4. foraminis lacrymalis à caruncula glandulosa non satis exactam contractionem

ctione 5. ossium spongiosorum in naribus obstructionem, quarum causarum plerumque duæ treive concurrant: G. W. *Wedelius Physiologia med. sect. 3. cap.* 26. Lacrymarum originem venarum supponit. 1. Eas affectuum esse indices, neque enim sine impellente quempiam eas fundere. 2. imprimis tristitiæ, moeroris, & anxii animi esse notas. 3. frequentes esse melancholicis, etiam citra causam manifestam. 4. & foeminis serosioribus, ac infantibus, 5. ipsas præ gaudio effluere, aliquando in ipsa ira. 6. præ nimio terrore aut moerore non effluere. 7. exprimi a fumo, frigore, ventis, ceparum &c. mordicantibus effluviis. 8. inprimis in ophthalmia & epiphora. 9. quo plus quis lacrymatur, eo minus mingere vel sudare. 10. ipsas sapore esse salsas, colore & substantia instar roris exstillare & defluere guttatim; ab iisdem levari caput, intensis vero lassari & debilitari tum ipsum tum oculos quoque. 11. in cantho oculi majori residere glandulam, lacrymalem dictam, & sub ea foramen lacrymale. 12. ubi glandulæ ibi vasa existere lympharica, & palpebras, superiorem & inferiorem, suis gaudere vasis, distinctis à venosis, arteriosis, & nervosis, id quod detexit *Meibornius*, 13. magnum habere animum in serum & sanguinem, ipsumque adeo corpus impetium. 14. maxime dispensare spiritus affectus animi, præsertim animales, hinc vitales, unde affectus, affectus sunt spirituum, ut morbi corporis, & spiritus affectus in corpore exprimunt & faciunt, 15. lacrymas tarissime observari sanguinolentas: Ex his colligit vir Clar. 1. Lacrymas esse de prosapia seri, ipso sensu judice & effectu 2. non promanare ex nervis. 3. nec esse spiritus animales ipsos sensu tristitiæ liquatos & in aquam distillantes, quod vult J. B. *Scotus*. 4. neque ex arteriarum ocularium, seu carotidum extremitatibus transsudare immediate, sine secretione prævia in alia vasa. 5. Neque absolute purgamenta esse cerebri, nec oculorum, nec massæ sanguineæ, licet omnibus hisce deplendis, mediantibus vasis lymphaticis, inprimis cerebro inserviant, uti idipsum, & glandulosum corpus vasis lymphaticis prægnans ostendimus. 6. materiam lacrym. sudoris & urinæ esse communem, seu eas esse humorem lotio & sudori germanum, puta quoad substantiam aqueam & serosam, quippe ex eodem fonte singula derivantur, non item adjunctis aliis; quo ad enim hæc lacrymæ puriores longe sunt, & lymphæ, adeoque salivæ, & tenui e naribus stillanti humoti longe magis conveniunt. 7. procedere ex vasis oculorum lymphaticis conniventibus glandulis, hiantibus portis & punctis lacrymalibus, agitata magis per spiritus animales lympha, ut ipsa quoque horum est vehiculum, & in locis hisce ceu ordinariis excerniculis secreta. Quo 8. & illud facit phænomenen, quod una cum lacrymis repleantur quasi magis, nates, & stillent, emungique frequentius postulent 9. Cum potissimum Lact. à causa interna oriundæ veniant in considerationem, atque perpetuus & ineffabilis sit consensus inter spirituum vitalem & animalem, inter sanguinem & lympham, hinc certum quoque est affluxum una sanguinis, per suæ quidem vasa, effici tunc citatiorem & copiosiorum, unde ad lymphæ secretionem amplior suggeritur materia, quandoquidem per arterias carotides affluens non atque per venas jugulares, ob metum hunc lymphæ majorem recipitur, 10. uti vero ab interno hoc motore concuttato, & quasi lymphæ se immergente spiritu, rivuli hi fluunt, ita tenendum est ab omnibus illis quæ poros glandularum laxare, & sero stimulum addere possunt, lacrymas ex oculis solicitari; Ipsa vero glandula alias extra hunc casum motui oculorum necessario blandum & sufficientem largitur humorem, qui superfluus, & extra vasa glutinescens, circa canthum colligitur magis, ibique spissescit; Interim non mirandum ipsum illum liquorem lymphaticum, lacrymarum specie eructatum, cum jam extra suam sphæram rapiatur, cum spirituum animalium imperio exeat, resolvi quasi ab appulsu aëris & sal suum prodere magis. *vide multa & egregia de iis apud de Diemerbroch. l. 5.*

Observatio II.

Coecitas inducta à lapide in nervis opticis sito.

A Perto capite III. matronæ repertus lapis phaseoli magnitudine in origine atque ipsa substantia nervorum opticorum, dolores capitis atroces inferens coecitatem, & triduo post ipsam mortem *Nic de Blegny Zodiaci med. Gall. p.* 81.

Observatio III.

Amaurosin ab obstructione nervorum opticorum fieri posse ostendit Anatome.

EO tempore quo cadaver hoc secandi occasio fuit oblata, matronæ cuidam Gutta serena coecutienti medebar, quamobrem diligenrer in locum affectum inquisivi. Noverum monitore *Exc. D. Malpighio* Nervum opticum evolvi posse & explicari, atque in meditullio ipsius vasa sanguifera latere, indeque humorem exstillare Guttæ serenæ causam aliquando: *VVepferus Tract. de Cicuta aqu. pag.* 127.

IDem pag. 116. ab examine exortus & insertionis nervorum opticorum, observavit inter utrumque spatium esse in quo citra difficultatem humor guttæ serenæ causa colligi posset, cum propemodum vacuum sit, nihilque contineat præter vasa sanguifera, surculos hinc inde spargentia, & fibrillas tum teretes tum latas membraneas tenerrimas.

Nervum Optineum) observavit *Cabrollius* obs. 4. opticos nervos a posteriori prope cerebellum parte prodire, nequaquam ab anteriori cerebri partes Hinc colligenda est causa efficaciæ setacei in cervice; aut fonticuli insiti in affectibus oculorum qui a nervis originem ducunt: *Hildanus* nunquam curationem affectuum oculorum adgressus est quin hoc præsidium præmiserit.

Observatio IV.

Catarrhactæ sedes est spatium quod inter uveam laxam, & anteriorem partem humoris crystallini interiacet.

IN oculum acum in iridis extremum terminum, prope albugineam adegi, & perveni in spatium eis uveam ac didici acum in depositione Catarrhactæ caute demum per uveæ foramen, quod pupillam constituit, immittendam, ac catarrhactam acus apice, ex spatio quod inter uveam laxam, & anteriorem partem humoris crystallini est, eliciendam esse: nam omnem Catarrhactam hanc sedem occupare inde constat, quod omnes rotundæ sint: si in parte anteriore sitæ essent, non exacte rotundæ per corneam pellucidam viderentur *Ioh. Iac. Wepferus Tract. de cicuta aquat. p.* 116.

IN prolectione cavendam summopere uveæ puncturam monet, aut lacerationem, qua summos cruciatus, & lacerata simul uvea inemendabilem coccitatem, excitatos memini, lacerata namque uvea pupilla rotunditatem amittit: Si post uveam laxiorem, seu portionem corneæ non adhærentem acus adigeretur, ligamentum ciliare rumperetur, & vix punctura humoris crystallini evitari posset; quamvis quidam paracentesia hoc modo instituenda censeant.

Observatio V.

In Catarrhacta colliquescit humor crystallinus humorisque membranula dissoluta pupillæ adhæret.

CRystallinus oculi humor compositus videtur ex subtilissimis membranulis: Ex αὐτοψίᾳ id probat Rolhausius: Vidi, in Balænæ crystallino exsiccato sensim de corticari, veluti calcum in laminulas splendentes: In siccis verum id esse potest, & a calore exsiccatis, alias in catarrhacta colliquescere, humorisque membranulam dissolutam pupillæ adhærere nuper Parisienses ocularii suspicati sunt, quod in quodam Catarrhacta defuncto viderint: *Bartholinus Anatomes renovatæ lib. 3. cap. 8.*

ANA-

ANATOMIÆ PRACTICÆ
LIBRI PRIMI
SECTIO XIX.
De Aurium Affectibus.

OBSERVATIO I.
Aures purulentæ ab abſceſſu cerebri.

FILIA Dom. de Maſſeparault manantem aurem habebat; id quod effluebat erat ἰχωρειδές, ſuppreſſum id eſt, *dolor* inde *capitis* ejuſdémque gravitas: caput videbatur non poſſe ſuſtinere: Febris, Nullis malum capitis ceſſit remediis, mors Inventus eſt gravis in cerebro abſceſſus. *Gul. Ballonius Epid. & Ephem. lib. 2. pag. 270.*

SUppreſſionem materiei virulentæ mortiferam eſſe hoc exemplo fit manifeſtum & eo quod affert Mar. *Sanctus Barolitanus comm.* ad text. *Avicennæ* de ſignif. Exituræ internæ: Quidam, inquit, Venetiis ulcus fiſtuloſum in aure ſiniſtra cum pateretur, ex quo ſanies plurima flueret, Medici illius fluxum retinere voluerunt, contra meam opinionem: nam ego a cerebro defluere dixeram, cum quidam Phyſicorum eſſet me percontatus unde tanta ſanies deflueret, cùm ſinus ille, non fuiſſet tantæ capacitatis quo quidem retento, quaſi repente mortuus eſt, adeo præſto mors fuit: Et poſt mortem, ne viſus eſſem mentiri, plurima ſanies ab auribus & naribus effluxit, ut oſtenderet materiam retentam fuiſſe in cerebro, quam ſi foras eduxiſſent, talis caſus minime contigiſſet.

OBSERVATIO II.
Surditas à tumore Steatomatico inter cerebrum & cerebellum.

VIdit D. Drelincurtius Tumorem Steatomaticum inter cerebrum & cerebellum, à quo ſurditas & mors inducta, &c. *Vide tit. de Apoplexia.*

OBSERVATIO III.
Surditas cum Tinnitu, à redundantia aquei humoris & Bdella in cerebro.

ILluſtr. Marcellus Sachetti (vide hiſtor. l. 2. tit de Phthiſi) ſiniſtra valetudine diu quaſſatus fuit: Surditas & *auris perpetui* quidem ſed nunc ſe remittentes, nunc ingraveſcentes *Joni*: Cauſa fuit tum *Bdellæ* incrementa ac decrementa, ſub Lunæ præſertim receſſibus & Synodis: (Nempe ſe obtulit nobis ex infima calvaria, baſin cerebri reſiduam eximentibus, qua Nervus auditorius in exſculpti oſſis auriculæ forulum excurrit, quantus minoris hirudinis, aut millepedæ ductus eſt, hinc atque hinc, ſed dextera major, fibra ſanguinea, aut ſanguinis concremenrum, quod cum auditorio nervo oblique pergens, ad antedictum foramen finiebat.) Tum aquei in cerebro redundantes ichores: qui quidem & *Amblyopiæ* cenſendi ſunt opifices; quæ res fit hac ratione probabilior, quod Generoſus vir à Romano cœlo, quæ humidior eſt habitatio, ad noſtrum Neapolitanum & potiſſimum ad maritimam plagam tranſlatus, tum Audiendi tum videndi functionibus omnino melius habuit: quam autem longe optime cum ad ſulphurea Puteolorum loca, & ad aſſas, quæ ſunt in myrtetis ſudationes curandum ſe recepit. *M. Aur. Severinus de Abceſſibus p. m. 275.*

TUm aquei in cerebro redundantes ichores.] Qui ſi per ductum cartilaginoſum, ex aure in palatum deſinentem, exitum nacti eſſent, ſurditas forte minus gravis fuiſſet: Ad radicem apophyſeos pterygoidis, foramen cartilagine cinctum apparet, cujus beneficio muti aperto ore audiunt, ſiquis in os loquatur: ideo maſticatoriis auris facillime expurgatur: Hinc in febribus quibuſdam conqueruntur ægri de gravi auditu, qui tamen non adeo parvum eſt ſignum, præſertim ſi ægri prius de prurītu aut titillatione ac palati latera ac gargareonis radices, mox de depravato guſtu conquerantur: quippe plerunque hos ſervari obſervatum, materiam peccantem per dictum meatum ex aure in palatum natura excernente ac moriente criſin excitato ptyaliſmo.

Soni perpetui auris, ſed nunc ſe remittentes, &c.) A varia inæquali illius humoris in cerebro agitatione & Bdellæ incremento & decremento: Huc refer quod de Hermoprolemi uxore dicit *Hippocr.* 7. Epidem. eam audiiſſe inæqueliter, ita ut quædam quidem Prompte, perceperit, etiamſi ſummiſſe quid diceretur; quædam vero altiori voce pronuntiari oportuiſſe: Quod accidiſſe

necesse est, inquit *Vallesius* in comm. organo eodem modo habente aut mutato, mutari quidem adeo cerebro, ut nunc videretur audire nimis; nunc non satis, fieri non poterat nisi ob flatuosam & tenuem substantiam quæ obversaretur, velut iis qui ob ventriculum aut partem aliam laborant suffusione: quædam enim vident expedite, tunc forte nullo vapore opposito: expedite, tunc forte nullo vapore opposito: quædam mox obscure, vapore intercursante: Eodem modo habente organo, fieri potest, *ait*, ob menris alienationem: quibus enim mens non satis constat, solent eorum quæ adsunt, neque audire, neque videre, & rursum quædam facile sentire: Præcipue vero hoc accidere solet melancholicis & ex eo succo insanientibus: sunt enim sicca & excarni aure, atque ob id, si adsit animus, nimium audiunt; sin autem absit, non audiunt.

Soni.) Sonitantium aurium varietas pendet, 1°. à viarum latitudine vel angustia. Ex consistentia materiæ plus minusve crassioris 2°.3°.Ex illius abundantia vel paucitate. 4. Ex ipsius cursu continuo vel interrupto. 5. ex ejusdem celeri vel lenta allisione, sive ob majorem vel minorem expulsivæ facultatis contensionem, sive etiam quod materia proprio nisu potentius aut segnius ad elabendum insiliat: Igitur pituitosi humoris collisio susurrum facit aquæ molliter defluentis, aurésque reddit, si ita loqui liceat, undisonas: crassiores flatus spatiosiore loco convoluti, plerunque irrumpentes, bombum edunt graviusculum, sic dictum vel à confusa colloquentium plurimorum hominum voce, vel à sono apum, vel à rauco cornuum murmure, unde fortassis galli vocant *Cornement d'oreilles*: Tenuiores cum impetu duro aurem longiore tinnitu, imitar pulsatæ campanulæ, aut crotali everberant: Tenuissimi leniter illabentes, clarum acutumque sibilum, serpentum vel locustarum voeis æmulum reddunt, quem συριγμὸν nuncupant, licet hæc nomina plerumque confundantur: *Mensjottus Dissertat. de Bombis Aurium.*

Bdella in Cerebro.] Rem cum admiratione inquirentibus, quid aliud videretur quam Bdella Hippocr. 2. Prorrh. memorata, de qua *Marsilius Cagnatus* lib. 11. Var. Lect. 11. *Severinus* ibid.

Auris perpetui Soni.) A vapore, flatu aut aëre auris cameram subeunte potius quam humoris influxu: Vapor enim tenuis & subtilis, uti minutissimos meatus subire, sic & per angusta foramina (quorum sex interiorem hanc cameram auditus desinentia, vasaque transmittentia esse, In opere Anatomico ostendimus) interdum hucusque penetrare sine dubio potest: Et sic quoque non tantum cerebrum afficiendo depravare, sed etiam propter dicta foramina, quorum aliqua è calvariæ interioribus huc desinunt, alia extra calvariam occurrentia huc quoque pertinent, cum multæ sint viæ, etiam ad auditus organum pervenire posse certum est: quod cum sit subilum, tinnitum & strepitum auditui offerri necesse est: Flatus aut aër idem potest efficere: qui si in interiorem hanc auditus cameram irrumpat, & per angustam viam veluti coactus feratur, Sibilum edit; si per aliud foramen, sic instructum ut in fistula formari solet, Tinnitum efficit: Si vero per ampliores ductus, & per anfractuosos illius loci cuniculos discurrat, alium aliquem strepitum facit: hoc sæpe, si per vim eo propellatur, evenit, ut cum naribus compressis, & spiritu sive aëre vehementer impulso nasum emungere volumus, interdum accidit ut illius portio per foramen è narium amplitudine auditus organi canalem geminum (ut in Anatomico opere ostensum) irrumpat, & sibilum vel tinnitum diu sæpe perseverantem excitet, interdum mox, aëre rursum eadem via erumpente, quod sæpius deglutiendo citius fieri crebro expertus sum, cessantem: Ab interna etiam causa; Flatus hic in auditus cameram excitari potest, si excrementitiis humiditatibus, circa periostia cranii collectis, inque flatus conversis illic colligantur, unde in cephaleis antiquis, &c. capitis & circa ossa doloribus, in lue venerea, tinnitus aurium admodum est molestus: Spiritu quoque, si arteriola quæ hanc sedem subit, copioso, vel calidiore impleatur, vel is in ea nimium agitetur, validiore tunc pulsu facto in auribus, pulsu facto in auribus, pulsans in auribus fit sonus. *Platerus Pract. lib.* 1. *sect.* 1. *cap.* 8.

Observatio IV.

§. 1. *Surdus quidam à nativitate ob defectum ossiculi Incudis dicti.*

Quare surdi à nativitate muti reddantur, plerique varia tradiderunt, usque ac Lutetiæ magnus naturæ interpres, *Petrus Mersennus*, in surdo & muto à nativitate, post mortem deprehensum fuisse defectum ossiculi Incudis manifestè invenit: Hic utriusque affectus causa censeri potest illa maxima colligatio quæ auribus est cum vocalibus nervis *Gaspar Galdera Illustrat. Med. xxv. p.* 192.

§. 2. Scriptum mihi est à Medico Turonensi aperuisse cranium hominis, à nativitate surdi & muti, cui è tribus auris ossiculis *Incus* deerat. *Marinus Mersennus Epist. ad Beverovicium, in hujus Spicilegio de calculo.*

Defectum Incudis.) Post meatum Auditorium antrosa Cavitas se pandit quæ Tympanum vocatur, quod nervosa membrana orbiculari sic obtenta, in illa cavitare tria ossicula occurrunt, à figuræ qualicunque rudimento *Malleoli, Incudis* & *Stapedis* nominibus indigitata, quibus quartum Innominatum additur: Usus eorum est, *inquit*, Excell. *Bartholinus*, Non quod invicem percussa strepitum edant, sed ut species soni excepti ad inferiora permeet, & aurium excrementis via pateat: Nam *stapes* fenestram ovalem seu superiorem claudens, ab Incude movetur (unde aperitur fenestra, ut species soni in nervum trajiciatur, & Incus à malleo, malleus à membraunla, tympani aëris externi appulsu percussa (quæ ne nimium intropellatur, malleus propugnaculo est) quod fit, intropellitur hæc, & gibbarredirur, unde aër congenitus afficitur, qui per cochleam errans efficit ut nervi auditorii propagines sonorum species per fenestrellas delatas suscipiant, & cerebro subministrent; atque ita malleus tantum

intro

intro movetur: In recursu vero extrorsum movetur cum membrana tympani, à musculo illo minimo à *Casserio* invento: Horum ossium usu sic constituto, dic quod Incude deficiente, Stapes fenestram ovalem claudens, ab Incude absente moveri non potuit; ideoque clausa, in prædicto Surdo, manebat fenestra, sonorum species in nervum transmittens. *De usu horum ossiculorum & Tympani vide Eruditiss. Willisium Tract. de Anima Brutor. part. 1. cap. 15. Iulium Casserium Placent. de Organo Auditus lib. 1. cap. 12.*

§. 3. Ossicula tria Auditus sunt siccissima & durissima, æqualisque magnitudinis in infantibus atque in adultis, ait *Riolanus Anthropogr. lib. 6. cap. ult.* Illa ex pueri, tertium annum prætergressi, à nativitate surdi & muti capite admodum exilia, ac tertia parte minora exempta peritiss. Chirurgus L. Bailly Genevensis penes se asservat; ac nuperrime mihi communicavit.

Dubitari tamen potest an eorum ossiculorum, ut & Tympani, aliquis sit usus ad Auditum, si verum quod affert *Riolanus Encheir. Anat. lib. 4. c. 4.* In naturali, *ait*, surditate, à conformationis vitio, An tentandum istud experimentum, quod inopinato & feliciter successit cuidam, qui intruso auri scalpio in aurem profundissime, disrupit tympanum, fregitque ossicula & audivit? Præterea in Simia, acuti auditus animali, nulla intus in osse petroso ossicula reperiuntur, asserente *Iulio Casserio Placentino de Organo Auditus lib. 1. cap. 12.*

APPENDIX.

De usu membranæ Tympani dicti, quod meliori acutiorique auditui tantum conferat.

Tympanum non audit, sed meliori tutiorique Auditionique confert: Si hæc pars destruatur, sensio adhuc aliquamdiu, rudi licet modo, peragi potest: quippe experimento olim in cane facto constabat, quod perforato utriusque auris tympano, auditio adhuc ad tempus perstaret quæ tamen post tres circiter menses penitus cessabat; scil. postquam sensorii ad externas injurias patescentis crasis everteretur. Videtur ergo quod Tympanum auditionis instrumentum præliminare & quasi præparatorium fuerit, quod soni impressionem, sive species sensibiles primo suscipiens, eas in debita proportione & apta conformitate, versus Sensorium, quod adhuc interius consitum est, dirigat. Simili officio fungitur respectu Auditus, ac tunicæ oculi pupillam constituentes, respectu visus: utræque membranæ species sensibiles refringunt & quasi emolliunt, easque sensorio nonnisi proportionatas tradunt, cui nudo si adveniant, teneriorem ejus crasin facile lædant aut obruant, *Willis de Anima Brut. p. 1. c. 14.*

OBSERVATIO V.

Auditus læsio à Sordibus aurium lapidescentibus.

Dubium videtur an in Aurium meatu ex sordibus possit generari calculus, quia ex antiquis Medicis, solertissimis investigatoribus affectuum humani corporis, aliquem non invenio, qui meminerit calculi Aurium: Recentiores noverunt, nec mirum, quia artes per additamentum fiunt: At certo statuendum rarissime id contingere, ac solum in iis qui negligentia magna ducti expurgationi harum sordium operam dare noluerunt. Si ex flavabile in cysti fellis crassefacta calculi generantur, cur ab eadem materia non fiat in auribus, *Iul. Casertus Placantinus De Auditus organo lib. 1. cap. 20. p. 90.*

OBSERVATIO VI.

Aurium dolor à cerebro humidiore.

Mulieri acerbissimi capitis dolores & Aurium: Sine intermissione admittebat fumum cephalicorum per infundibulum: Aperto capite aquæ magna copia reperitur: causam medici retulerunt ad vapores ita frequenter susceptos. *Ballonius Paradygm. 143.*

In basi cerebri serum vel sanguis effunditur in summis doloribus capitis inflammatoriis, quæ dum exitum quærunt per cavitates Aurium, dolores acutissimos excitant, qui ad dementiam & mortem præcipitant. An in ista desperatione liceret terebra perforare occipitis alterutrum latus, ut detur exitus humori superfluo, putri & cerebrum corrumpenti? *Riolanus Encheir. lib. 4. cap. 2.*

ADDITAMENTA.

Observatio I.

Surditas à vitio membrani tympano Adducta.

§. 1. Observatione est dignum membranam hanc, Tympanum, à prima conformatione crassiorem & densiorem surditatis insanabilis causam esse. *Laurentius Anat. lib. 4. cap.* 18.

Crassiorem & densiorem &c.) Hujus membranæ substantiæ est tenuis, densa, sicca, pellucida & sensus exquisiti; Tenuis, ita ut aranearum telis Hippocr. assimilarit, ut sonum subtilem transmittere possit. Densa quoque est, nullis poris conspicuis, nervosa & robusta, quo injuriis externis resistat, aëris violentos incursus propellat: Siccissima est, ut sonos promptissime excipiendo rectius personet; soni enim simulacrum sine materia in hac membranula recipi, eo modo quo colorum imagines in corneo suscipiuntur, suspicamur, siccissima enim ad sonum suscipiendum maxime facere dixit Hippocr. Est quoque pellucida instar cujusdam speculi perpolita, intus torisque lævigata: *Bauhinus Theat. Anat. l.* 3. *c.* 50.

§. 2. Sicut videmus interdum ante membranulam hanc exterius tunicam quandam crassiorem præter naturam ad nasci; sic si eidem interius mucus opponatur, vel humoris affluxu perfundatur, gravis, ac difficilis auditus sequitur, & Surditas curatu difficilis; si vero tenui humore madeat, aurium tinnitus, sibilationes, & murmura afferre solet. *Bauhinus ibidem.*

Densiorem (Tympani hanc membranam esse dilatabilem & constrictibilem, densiorem & crassiorem, ruptamve vel laxiorem justo Auditum vitiare certum est: Dilatari potest, ut sicut pupilla ad luminis varios illapsus, ita hæc quoque pro variis sonorum speciebus se accommodare apta nata sit: hinc si excrementa huic adnascantur tum surditas tum auditus difficultas sæpe huic accidit: hinc soni nonnisi majores à quibusdam audiuntur, minores vero sensum fugiunt: hinc rupto rympano seu injuria externa, sono vehementiori, seu aliis, Surditatem consequi certum est: Etsi vehementer dubitat *plempius* an rupto vel exesa, vel etiam ablato tympano Auditus necessario auferatur, idque probat a suppuratione, in suppuratis enim ac fluentibus auribus sæpenumero Tympanum auferri suspicatur, quod actis ac erodens tam diuturno sæpe tempore ex imis auribus emanans humor exedat tenuissimam eam membranam. Addit quod quidam apud *Hrostium* potuerit auriscalpium ad digiti longitudinem citra auditus difficultatem in aurem adigere, unde concludit ad meliorem auditionem simpliciter & absolute requiri: Sed uti certum est fluentibus diutius auribus pure vel ichore, viriari, quin aboleri quoque Auditum, cuniculos etiam varios in ulceribus sæpe contingere, ita contrarium potius affirmamus, imo sufficit ad Auditum perfectum ipsam necessario requiri, neque citra hanc nisi inconditum confusum imo nullum tandem sensum fieri: *Wedelius Physiologia sect.* 4. *cap.* 4.

§. 3. Testatur Aqua pendens se sæpius, ut præsertim in pueris, cavitates crasso humore, veluti muco, & quidem multo refertas comperisse: *Bauhinus. T. An. librorum cap.* 49.

Canalis quidam ab aure in os fertur, cujus usus præcipuus est expurgationi inservire, & ab aure in os excrementa a capite delabentia deducere & aërem implantatum expurgare: plurima enim excrementa hic colligi necesse est, cum cerebrum excrementis abundans impositum sit, & ex his quæ foris in aure per transudationem congregantur ad aures multa excrementa ferri colligere possumus: Si enim tôt sunt ea quæ perdensam membranam transfudant, quæ remissima fuerunt, quanto plura erunt quæ intus latitant, quæ præ crassitie transsudare non potuerunt; id quod confirmat Aquapendentis observatio; quæ excrementa per hunc canalem expurgari debent: alias si intus subsistant, vel aurem penitus obturant, vel a calore innato resolvuntur, in flatus convertuntur, unde tinnitus aurium, susurrus, auditus depravatio & amissio, nisi per canalem hunc expurgentur: Hinc medicos notare convenit in aurium affectibus internis masticatoria præstantissima esse; cum meatus ab auribus ad os patentissimus sit. *Idem.*

Observatio II.

Surditas orta à muco multo internam tympani cavitatem obsidente.

Ablata Tympani membrana patescit ampla illa cavitas quam Tympanum vocant Inferius anteriora versus, e Tympano ad palatum meatus patet rotundus, qui inter duos faucium musculos delatus, partim in palati tunicam crassam prope radicem uvulæ inseritur, partim in naris sui lateris cavitatem amplo & cartilaginea fine, mucosa narium tunica, tanquam janitore obducto ingreditur: Per hunc humiditates præter naturam in tympano collectæ (*testatur Aqua pendens se multoties, presertim in pueris, internam cavitatem muco, & quidam multo, refertam invenisse*) ad palatum effluunt, & sonus in ore excitatus nonnihil aurem subit.

SI in hac tympani cavitate humores excrementitii crudiores, obstructo ab acrum tenacitate dicto canali subsistant, & nimia copia colligantur, ut in gravedine nonnunquam contingit, tunc læditur auditus, & à magna membranæ tympani, tensione acer sæpe dolor inducitur, qui forti per nares acris attractione & serratu sæpe multum lenitur, , dum scil. per violentiam illam canalis versus nares & palatum nonnihil aperitur, & humores intus latentes, quas suctione quadam, eo protrahuntur: Interdum etiam per topicorum discutientium applicarionem, aut per solum adducentium partium calorem proprium humores illi attenuantur, & in vapores ac flatus rediguntur, (hinc sæpe aurium tinnitus ac susurrus) sic magis fluxiles fiunt, ita ut per dictum canalem rursus commode effluere queant: Si vero nimis diu ibidem substiterint, nonnunquam rupta interiore tunica, meatum auditorium interius investiente, foras erumpunt cum magno ægri levamine, & multis diebus per dictam rupturam insigni quantitate effluunt, usque dum interea canalis ab obstruentibus humoribus liberetur, quo facto ad illam viam redeunt in aurium antem morbis hic canalis à medico bene observandus, quippe per illum crassi humores masticatoriis feliciter aliciuntur, nonnunquam sternutatoriis aliciuntur, quod præter rationem ipsa quoque probat experientia. *De Diemerbroeck, Anatom. l. 3. cap. 18.*

Observatio III.

Surditas nativa ob membranam tympano supertensam.

VEnio ad secundam Chirurgiam, quæ pertinet ad meatum auditorium obstructum, unde Surdi fiunt patientes: quod si à nativitate id vitium inceperit, etiam muti, Igitur obstruitur meatus Auditorius, qui longus est ductus, incipiens ab auriculæ concha & oblique deorsum procedens usque ad membranam tenuissimam, Tympanum appellatam. Qui meatus obstruitur vel à nativitate, vel postea: Si à nativitate, ex *Paulo l. 6. c. 23.* duplex est membrana quæ obstruit, exterior & interior, h. e. vel in superficie est ob oculis patens, vel profunda & oculis non obvia: membranam in alto obstruentem bis ego in toto meæ vitæ curriculo ex Anatome observavi in puerulis, qui membranam supra tympanum habebant crassissimam & robustissimam, & quodammodo cutaceam, quos ob id existimavi surdos & mutos: Imo Surdos & mutos à nativitate non puto aliunde provenire quam à proposita membrana. *Fabritius ab Aquapendente lib. de Chirurg. operationibus cap. de Aurium Chirurgia.*

PRo dicta membrana eximenda *Paulus* proponit Chirurgiam se duobus verbis expediens: dicit primo difficilem hujus esse futuram administrationem, postea subdit, tentandum tamen est tenui quodam instrumento ipsa incidere: Satius, ut puto, erat dicere frustra tentandum ipsam incidere, quoniam, ut supra dixi, membrana hæc tum crassa, tum robustissima est & tympano super posita, & in circuitu adhærens, ut nullo modo conspici possit, ne dicam attingi; propter quam causam credo ego incurabilem esse casum, *Idem Th. Bartholinum Anat. Reform. lib. 3. c. 9.*

Crassissimam & robustissimam) Laxiorem hanc nec convenienter tensam sonum non amplius edere posse censet *Platerus*, id quod vel per vim, a sono violento, vel diuturnitate temporis accidat, à longo usu multaque auditione, præsertim altiorum sonorum, unde toties pulsata, laxiorque facta, auditum difficiliorem in senibus facit, quæ ipsi videtur esse frequens causa gravis ipsorum auditus, ut & si nimium tensa, atque ita adstricta ut ab externo aëre pulsatæ nihil penitius cedere possit: id quod accidit vel ætatis causa, vel post morbos acutos, unde nimium exsiccatur induraturque: Quod ut reliquis, omnibus membranis contingere potest, sic & huic eoque facilius & frequentius cum in propinquo nulla corpora humida habeat, *aut adipe*, uti reliquæ multæ membranæ inungatur, sed libera nisi ubi incircuitu adnascitur existat, estque illo judice, forte non minima difficilis auditionis quæ senescentibus ingruere, & in convalescentibus relinqui post morbos solet causa: quam tympani exsiccationem post vigilius & jejunia accidere posse scribit Rhases.

Observatio IV.

Auditus læsio ob condensata excrementa crustulæ forma obducentia membranam tympani.

§. Duplex interdum conspicitur dicta membranas frequentius autem a condensatis excrementis, adhærente veluti crustula obducitur, non sine auditus ipsius læsione. *Veslingius Anat. cap. 16.*

Zodiaci medico Gallici anno 3. affertur decocti emollientis, ex auris cavitate excidit curatio surdi, cui ab infusione olei lini, & materia obstruens &c.

Observatio V.

Auditus læsio ob carnem nativam obtensam membranæ dictæ.

SI interiùs illi membranæ mucus apponitur, vel humor affluat crassior, gravis & difficilis oritur Auditus, aut Surditus curatu difficilis, Si tenuis affluar humor, oriuntur aurium tinnitus & murmura : Si prorsus obturetur carne nativa dolores quoque capitis urgent, propter prohibita excrementa quod in puero vidi. Th. Bartholinus *Anatomia renovata lib. 3. cap. 9.*

Observatio VI.

Cur anativitate plures sensu Auditus priventur quàm ullo alio, ex nervorum origine detecta.

IN cerebello processus insignis est qui utrinque ex eo prope truncos, spinalem medullam constituentes oritur & per transversum in anteriora & inferiora fertur : Hunc processum Varolus Pontem cerebelli vocat : Ex hoc nervus auditorius pendet & nascitur, ita ut pronuntiare liceat cerebelli usum quoque esse ut sensus auditus primum principium scil : & hic nervi auditorii exortus causam docet cur a nativitate plures auditu capiantur quam ullo alio sensu, nam cum a cerebello prodeant, nec longe producantur, facile mucosis excrementis opplentur : hinc fit quod semper a nativitate ambæ aures afficiantur, ut Cassius docuit, cum ex morbo plerumque unam solum affici contingat *G. Bauhinus Th. Anat. lib. 3. c. 28.*

Observatio VII.

Auditus acuties profecta à tergemino utrinque nervo auditorio.

Ὀξυηκοΐα consequitur vel spirituum ἀκεςινιδῦ, ac potissimum aëris vernaculi subtilitatem, à calore plerumque profectam; quæ prompte impellitur, vel tympani tenuitatem, aut ejusdem ariditatem; similiter ac coria militaribus tympanis in strata quo magis tenduntur, eo baculis complosa altius sonanti; vel nervi qui ad aures fertur rariorem texturam : Quandoque etiam hicce nervus ludente natura multiplicatur, ut in *Cardinale Richelio*, qui audiendi excellentia ad miraculum donatus, tergeminum utrinque gestare deprehensus est auditorium nervum postremo vis audiendi viget, si spirati aurium loculi à prima typosi, aut plus justo tortuosi sint in quibus proinde, ut in lituis sonus varia reflexione reboati aut solito arctiores, non vero patentiores, ut plerique opinantur, ἀκριβέςεροι γὰρ οἱ λεπτοὶ πόροι, inquit Aristot. 10. probl. 19. sic nativa στενοκορίασις, i. e. pupillæ parvitas visui commodat, & venatici canes, quibus nasus refrenatus est, odora vi pollent, captantque discrimina odorum, quos olfactus humanus non attingit. Contra homo cæterorum animalium est minime ὀσφραντικός ob apertas nimis narium semitas, ut legere est apud Aristot. in problematis. *Anton. Menigtius Dissertat. de Bombis Aurium.*

ANATOMIÆ PRACTICÆ
LIBRI PRIMI
SECTIO XX.
De Narium affectibus, Odoratus læsione, Polypo, Excretionibus p. n. Hæmorrhagia, Sternutatione.

OBSERVATIO I.

Odoratus amissio ob abscessus in processibus mammillaribus genitos.

IOH. Hualdus annos natus XXII. de dolore capitis queritur: humiditate cebri effusa in opticos nervos occæcatur. Adversus id omni præsidiorum genere oppugnatur: nihil proficitur, imo & Empiricorum præsidia advocantur. Aperto cadavere abscessus reperti sunt in processibus mammillaribus, Illos abscessus Melicetides vocare possis, quanquam ad scirrhum proxime accedant: Os frontis erosum erat & perforatum vi humoris acrimoniaque. Circum foramen obsita erat caties multa, quæ tempore exedisset: Ossa autem ethmoidea parte interna magis cariem contraxerant, & paulo antequam interiisset nec videbat nec Odorabatur. Convulsus interiit: Tanta fundi calamitas non aliunde orta erat quam à latente luis Venereæ veneno. *Gul. Ballonius Paradigm.* §. 7.

EX Schneideri sententia, Papillares processus non sunt organa Odoratus Nervi autem tum à crassa membrana, tam à processibus papillaribus propagati, spiritum animalem ad narium membranam deferunt: membrana vera ipsa est verum Odoratus instrumentum: Nova hæc sententia *Rolfinkio* arridet, neganti propagationem inferius accumbentis medullosi corporis, medullosi albicantis canalis, processibus illis, nervi odoratorii nomine dignam, Eo quod utraque pars sunt productiones cerebri corticosi, cinerei, & medullosi albi, primi sensorii indolem & vicem sustinentes, invicem tandem ex ampliori initio, capite & radice in unum coalescentes finem, caudam & extremitatem, quæ in foramina cribri se insinuant, & crassa meninge investitæ nervorum odorariorum vicem sustinent, sentiendique odores speciem vim membranæ narium impertiunt. Neque superius adducta exempla contrarium evincunt, Non à Ballonio allatum memoranti abscessus repertos in processibus mammillaribus, quod momento geniti non sunt, cum tamen odorandi vis tantum paulo ante interitum, facultatibus omnibus jam labascentibus, extincta fit: Neque secundum ex *Rudio*, & tertium ex *Schneidero*, cum hi odoratu privati sint, quoc interior narium tunica, genuinum olfactus organum, male simul habuerit, Quia *Schneideri* sententia nova est, optime stabilita, eam huc addu. ere, ex ejus libro osse cribriformi, operæ pretium est.

De hac interiorum narium tunica loquantur, de hac commode *Iulius Casserius Placentinus*, Internam, *inquit*, Narium superficiem membrana, quædam à dura matre exorta, à reliquarum membranarum natura & temperie multum distans ambit, Valde sensibilis, mollis, cerebro contigua; & quamvis, inquit Bauhinus, hæc & tunica oris, lingua & palati communes esse videantur, tamen in natibus & exquisito sensu tactus donata est, ita ut irritata sternutatio fiat: Hæc tam privata tunica, tamque sensilis intima narium, sinus, cavitates & tubulos mire investit. In humanis naribus in corpus spongiosum cavernulis plenum, quod certe ingens est, & satis spectatæ quoque sunt cæteræ cavitates: In brutorum, bovis, ovis, capreoli, porci naribus, etiam aliquot tubuli conspiciuntur, qui affabre facti sunt, & perquam callido artificio cavati: hi vero in bestiis varie differunt: cæterum cavitates illorum mundæ sunt, inanes & aëre admodum plenæ: cavos enim putes tales tubulos à natura in eam rem fabricari, ut hi de cerebro destillantem pituitam recipiant, retardent & tandem de se egeri patiantur, Quid? canis raro aut nunquam pituitam naribus rejicit: Ego sagatium canum nares incidendas curavi; profecto in iis mirifice tortos & in se revolutos tubos, quos ego ita vocito, adinveni, qui interveniente membrana tenui & pellucida colligati erant; bos si evolvebam & jam extendebam illi oppido quam longi erant, sunt enim quasi glomerati, quare eos deduci necesse est: mox Leporaii, & etiam vulgaris canis inferiores tubulos inspexi, sed eos multo minores reperiebam: Dein hos tubulos qui in bovis, ovis, &c. naribus inveniuntur, non ad excrementa recipienda datos esse, illud satis argumento est, quod non aperti sunt, sed utraque ex parte, qua superne, qua inferne cœci: qui ergo tam crassus humor hisce vel colligi poterit, vel iisdem reddi? Suntque illi, non

non semiossei, non cartilaginei, seu membranei, quos tubulatas vesicas vocare licebit; Hæ sunt vapido aëre plenæ alioqui inanes & perquam mundæ, nec in iis pituitosus humor reperitur: Harum ad supremum, ex anteriore & acuminato cerebro, tendunt duo nervi, quorum membrana ex membranis cerebri, medulla ex ipso cerebro, in majoribus avibus trahi videtur, hi vero sunt exiles, teretes & oblongi, nam sunt exporrecti usq; in principium rostri, quod eo loci plenius latiusque est. Hi canales, aut si vis filamenta, erunt vel ipsa organa olfactus, vel natura & officio nervi. Non possunt esse primarium Olfactus organum quia odorandi sensus ac ratio in tam angustis fistulis contineri nullo modo potest, Sunt ergo nervi, qui more nervi optici, aut auricularis nervi spiritum animalem impertiunt: Si ergo nervi sunt, non possunt esse primarium Odoratus organum: Jam illud avium in naribus nulla alia pars esse potest quam hæ instar cochleæ cavatæ, & quasi tubulatæ vesicæ, quæ perrenui membrana sunt investitæ, ut etiam tunica in avibus, genuinum olfactus organum, illorum nervorum ope esse possit: In hominis quidem & brutorum craniis, os cribriforme multis foraminibus insigne est, quibus non duo, ut in volucribus, sed plures & ii admodum exiles nervi, (ita enim vocamus illa filamenta) ferunt, qui in tunicam narium intima operientem inseruntur: quare illa narium membrana admodum sensilis, & ad odores percipiendos vehementer apta evadit, quamvis ejus ad sensum etiam plurimum conferant nervi qui, diverso tramite à tertio pari proficiscuntur: & quamvis hæc narium tunica, etiam propter illorum nervorum multitudinem maxime exquisito sensu gaudeat, tamen verisimillimum est eundem magis magisque intendi à filamentis illis, quæ de dura cerebri meninge tracta, ad hanc tunicam per foramina ossis cribriformis meant, ac in eam quaquaversum inseruntur: Hæc filamenta, aut has fibras, nos in anatomiis nervos vocare consuevimus: nam quamvis quædam foramina ossis cribriformis, in hominis & quorundam animalium craniis sint adeo augusta, ut ejusmodi quid quod nervus digne vocari possit, vix transire queat, tamen quædam sunt spatiosa, ut illa trajecta filamenta hoc cognomen mereri posse videantur. Nam cum in majusculis illis filamentis quædam medulla intus inclusa & esse videatur, certè illa impune nervos vocabimus: Sunt enim illæ majores fibræ quasi tubi aut quasi exiguæ cicutæ, quarum membranæ, ex quibus constant, de dura piáque meninge, & intus in iis delitescens medulla, de anterioris cerebri medulla trahuntur: utramque rem recluso bovis cranio ad farietatem contemplari poteris. Atque quam multi sunt nervi, qui tam exiles sunt ut vix sub oculos veniant? Sique illas fibras nervi nomine dignari dubitas, ideo quod non de interiore cerebro, ut plerique nervi nascuntur, poteris tamen nervos minus proprie vocari, nec negabis has nervosas fibras narium tunicam, quæ maxime sensilis est, multo magis sensilem reddere. Pericranium acri est sensu, ideo quod à dura illa meninge originem ducit, quam sensibilis itaque erit hæc tunica, interiorum narium, tum ob has nervosas fibras tum maxime ob tertii paris nervos, hinc *Lindenus*, Narium tunicæ tam exactè nervus quidam annectitur, ut *Vesalius* crediderit ipsam ab hoc constitui: hinc pendet sensus ille exactissimus, qui cum ficcior aër & asperior sternutationem facit acerrimam & frequentissimam: Si ergo aëris siccitatem tam exquisite sentit hæc tunica, etiam illam percipit quæ odorifera suffitione fit major. Quare eadem tunica & siccitatis & odoris, qui aëri sicco inest, sensum habere videtur, cum illa aëre sicco vehementer, vehementius autem eo sicco, juxta & odoro lacessatur, &c. Præterea illi processus mammillares ob plures causas corrumpi queunt: Si Hydrocephalorum capita recludimus, plerumq; in iis, si cerebrum ista aqua perfusum est, hi processus vitiosè se habent, Nec tamen Olfactus læsio animadvertitur, nisi simul succingens narium tunica afficiatur. *Vide plura Eodem libro sub finem, ubi de Amissione Odoratus, & Willisium de Anima Brut. part. 1. cap. 13.*

Nec odorabatur] Olfactus læditur dum ad spongiosas membranas narium, oris, palati & faucium, cum sanguine nutritio ex corde, impuriori adhuc permistam chylo, internarum carotidum rami deferunt saburram; neque eadem per venas cum sanguine revehitur; hinc membranæ narium temperamentum vitiatur & organica in meatibus similirati membranæ essentialiter propria constitutio; Nec solum tunc odoratus actio læditur, sed & κόρυζα & πόζαι oriuntur, contumaces & chronicæ, multarum interdum durantes spatio septimanarum, arteriis ex corde & venis per cor, ex toto semper fomitem suppeditantibus corpore, *Gu. Rolfinkius Dissert. Anat. lib. IV. cap. LVIII.*

Observatio II.

Odoratus privatio in quodam, quia Narium tunica non obtinebat nervos qui ipsi debentur.

Quemadmodum apud Columbum juvenis, nomine Lazarus, cibaria gustare non poterat, quod hi hujus paris nervi in occiput derivati essent: Ita iuvenis (de quo *Eustachius Rudius*, qui à nativitate Olfactu carebat, nasum valde resimum habebat, cui vox omnino illæsa, facilis respiratio, nec non copiosa (præsertim post sternutationem per nares expurgatio) aderant, non Odorabatur, quod tunica narium ejusdem paris nervos, qui ipsi debentur, non nacta fuisset. *Victor Schneiderus lib. de Osse cribriformi, pag. 118.*

Observatio III.

Odoratus privatio ob papillarium processuum & odoratoriorum nervorum partis defectum.

Falcoburgius testatus est in quodam Tabacco bibulo famosissimo post mortem dissecto, papillares cerebri, processus cum quadam nervorum odoratoriorum parte defuisse. *Rolfinkius Anatom. lib. ii. cap. xx.*

Observatio IV.

Odoratus amissio ob lapidem circa cerebri basim inclusum.

CLar. D. Nic. S. Michel, dum per aliquot menses quendam Patritium Venetum XLVI. annos natum curasset, qui à pueritia fragrantissimis odoribus vehementer delectabatur, in maximam tandem Olfactus organorum obstructionem incidit, ita ut nihil plane, etiam fœtidissima olfacere poterat, cum *dolore capitis* obtuso, & maxime gravativo, adeo ut caput semper in pronum & pendulum habere cogeretur: Adhibitis autem multis calidis & omnis generis medicamentis, in *febrem continuam* incidit quæ intra nonum jugulavit hominem.

Detracto cranio & exemptis membranulis, alteram per medium cerebri molitus sum sectionem, nihilque in ventriculis cerebri reperimus: At dum magis cerebrum excavaremus, tandem prope basim lapidem compressum, taleri nummi instar, sed non omnino rotundum, cineritii coloris reperimus, qui os cuneiforme & olfactus meatus plane impediebat, adeo ut nec olfacere nec expuere poterat. Quo reperto & expurgato, quod mortis causam non faceret, abdomen aperui, atque membra omnia naturalia examinantes, ultimo jecur valde obstructum, durum, & quasi lapideum, nigri coloris, carbonum instar: sanguisque in eo contentus perinde erat atque atramentum, valde ater & corruptus, quem mortis causam fuisse affirmabat dictus Dom. quod vel illo tacente constabat. *Observ. D. Garneri Medici Austriaci.*

NEc olfacere) Hippocr. lib. de carnibus, Odoratus organi siccitatem requirit ad ejus perfectionem, Nares tamen succingens tunica, *Schneidero*, verum olfactus organum, non modo in demortuis tum hominibus tum brutis humida reperitur, sed & in vivis perpetuo quodam madore percipitur irrigata à Ductibus quibusdam in membranam illam insertis, de quibus vide tit. de Catarrho c. de Coryza; Unde constat humiditatem illam Olfactui non omnino obesse, cum & illi in canibus, quibus odora vis eximia, reperiantur,

Observatio V.

Odoratus amissio ob fœdiorem illuviem, è qua duo vermes geniti, circa olfactus organa cohibitam.

ODoratus perit aut imminuitur impedito narium ethmoidisque ossis meatu, quo spiritus ac odor duci solet, idque vel sarcomate, vel polypo & phlegmone, vel gravedine; At si horum nulla signa comparent, offensionis causa vel ad priores cerebri ventriculos; vel ad eas propagines, in quibus est odorandi sensus, referri debet. In his vel intemperies, vel humorum copia, vel corruptela sensum ejusve spiritus contaminat: Circum eas sedes Abscessus interdum fiunt, nulla febre, minimo dolore, è quibus ruptis animadverti pus syncerum per nares affatim profluere, perinde atque è purulentis auribus, idque nullo incommodo valetudinis: *Sed & in quodam milite*, qui resimis erat naribus, ex fœdiore quadam eluvie diutius cohibita, vermes duo villosi instar digiti, illic geniti inventique sunt, qui tandem in furorem illum adegerunt febréque non admodum manifesta, de medio sustulerunt die circiter XX. *Fernelius Patholog. l. v. cap. vii.*

Observatio VI.

In Fumisugo deerant processus mammillares, unde Olfactus destructio.

PAuvius patibularium fumisugum secuit, cui deerant omnino processus mammillares, unde suspicabatur à Tabacci abusu fuisse absumptos: Erat autem is omnium Tabacci amatorum facile princeps, deerantque non processus modo, verum & nervorum odorantium extrema. *Magnenus de Tabacco p. 135.*

SIcuti hecticorum cutis exsiccatur, & in ardentissimis febribus colliquantur partes, ita nimio fumi exsiccantis usu potuit hoc organum labe factari, regestis scil. naso fumi halitibus. Hoc *Falkenburgius* concludit, Meerus autem negat morbos in conformatione posse unquam à pravo usu rerum p. n. oriri, Et citat pro se *Columbum*: Lazaro enim vitrivoro deerat gustus, quod quarta nervorum conjugatio ad occiput, reflecteretur; Pariter multis aliquando multa desunt, & plura sunt monstra in interioribus quam in exterioribus appareant; Dico tamen 1°. quicquid sit de illa *Pauvii* dissectione, olfactum ab usu Tabacci in multis aboleri: id plures mihi retulerunt, tum qui pulvere, tum qui fumo abutuntur: Ratio est, quia nimis exsiccantur processus mammillares, unde cum ficciores quovis odore reddantur, non possunt ab iis immutari: odor enim est è sicco superante humidum, sensoriáque ab obje-

ctis

ctis suis immutari opus est, ex Arist. 3 de Anima: Dico 2. Processus mammillares aboleri non posse à Tabacco, quia nullam habet vim erosivam: Exficcabuntur autem, sed non colliquatio enim non est partium nervosarum affectio. *Idem.*

Observatio VII.

Odorum remotare odorata à naribus, pertinax mora in quibusdam, pendet ex eo quod os Frontis, supra supercilia insigni caverna præditum est.

IN osse Frontis cavernula observanda est, quam *Spigelius* ad odores hauriendos facere existimat, cum ibi aër odore prægnans excipiatur pauùmque conservetur, ne nares tam subito prætetlabatur, unde odor per integrum diem in narium summitate persentitur.

EJusmodi diuturnæ permansionis odorum exemplum insigne adducit *Schneiderus* l. de osse Cribriformi p. 112. Quidam mercator *ait*, in augusto cubiculari lecto dormiens fœtorem quem quidam, morbido corpore juxta cubans, ore, naribus & toto corpore exhalarat, tota nocte adeo naribus hauserat, ut expergefactus vehementer nauseatet & fœtorem naribus efflare laboraret. Et quod mirum, xx. die quam hunc fœtorem hauserat adhuc hoc malo conflictabatur. Nam cum vehementiori vento adversus iret, hunc fœculentum odorem olfacere videbatur. Consultus sternutamenta cienda curavit, ut intima narium penitius purgarentur: Ipse vero hunc vaporem non in hac cavitate ossis frontis inclusum fuisse judicat, nam ille afflante aëre & vento adverso magis sursum versus ad concavum ossis, quam aut retro deorsum ad processus mammillares, aut recta deorsum ad os spongiosum propulsus fuisset. Quare ille cæteris anterioribus finibus inhæsit, ac aëris interni impulsu agitatus, organum Olfactus denuo afficere potuit. Porro, *addit*, in cranio hominis hæc ossis caverna semper inanis est, nec ullum humorem coercet. Sed est admodum tersa, splendida; Verum scire convenit hanc cavitatem, in qua inesse consuevit hæc membrana, sæpius cranio deesse, ut ejus rei testes sunt varii: Atque illi ipsi homines, qui tale cranium nacti fuerunt, bene Olfacere potuerunt: Ex quo intelligi datur hanc membranam, quæ sine illa cavitate non potest existere, ad organum Olfactus minime spectare: Hoc eodem gladio etiam jugulat eos qui aëri in hac cavitate incluso eam vim assignare non dubitant. Hanc cavitatem in anatomia corporis humani diligentissime perscrutatus sum, at frustra fui nam os eo loci minime erat excavatum, sed plenum & fungosum, nec planum satis, sed sat extabat, at is, cujus fuit, bene loqui potuit, ex relatione eorum quibus notus. Verum illud multos movet, quod iter de hac cavitate, si ficta est, semper ad nares feratur, Ex quo tamen minime effici potest illam aut ad sonum vocis, aut ad sensum odoris facere: nam supra nares & os cribrosum hæc multum extat caverna, quare ipsa ha um partium fabrica tacita clamat, in eam rem à natura non fingi cavitatem, Nullus, *inquit Varandæus*, est ductus sensilis per quem ejusmodi species ad sensum communem & cerebrum deferuntur: Et *Cardanus* hanc rationem premit, quod nullus nervus hanc cavitatem petat. Qui vim horum argumentorum vident, hanc hoc utilitatis afferre volunt, ut odorus halitus & vapor in ea diuturnè contineri & servari possit: Verum narium antrum est per se admodum capax, ut odor diutius inhærere possit: Quot enim in osse, spongioso in̄ unt sinus? quam varii? quam porosa est hæc membrana? aër inclusus quam vapidus. Hæc ergo cavitas nullo modo facit ad sensum odoris: interdum illa interjectu corporis fungosi obliteratur: Sed sæpius fingitur, ac intus semper pellicula tenui integitur, cavitate levius evadit cranium: dictu est difficile quam vehementer Natura ab inutili pendere abhorreat, &c.

Observatio VIII.

Polipus narium, octonis pedibus donatus, à concreta pituita ortus.

POst frequentes destillationes occupavit uxorem N. insignis Polypus colore albus substantia pituitosus, narem obturans utramque, cum continuo suffocationis metu conspiciebatur, & in naribus & in gutture, cum duplici caruncula, altera livida ac dura, à carcinomatis natura parum distante, Suadentibus itaque celerem remediorum usum, hinc præcipiti carcinomatis metu, illinc vero æstuantium faucium fervore, & humoribus acrius nares jam erodentibus, tentatum fuit impedimentum hoc inde extrahere: sed fractis magis quam eductis illinc carunculis, arrepta fuit deinde forcipe illa pars quam diximus carcinoma minari; qua potentius vellicata, sequebatur protinus integer Polypus, cum omnibus suis pediculis, tam in naribus quam guttere conspicuis.

Erant huic Polypo (cui vel à pisce marino, vel à pedum frequentia nomen) octoni pedes, incipientes singuli, instar pyrorum à tenui pediculo, orto ab excrescentiæ hujus centro, unde quoque prodiere venæ per ipsum dispersæ: Pedes autem, quos carunculas vocant Medici, plurimum inter se discrepabant qui enim in naribus erant oblongi, illi ipsi fuere in faucibus rotundi, sed omnes erant tecti membraneo velamento, sub quo continebatur concreta pituito, in plerisque mollis ac pellucida instar pulpæ pruni albi: in aliis vero dura ac opaca, ad instar cornu adusti. *Tulpius Observ. 26. lib. I.*

Argumento

Argumento hoc evidenti metuendum non tantum de lividis ac melancholicis, sed etiam à polypis albis ac pituitosis, præcipue si vel à fervido sanguine, vel ab æstu intus conclusio degenerent in carcinomatis naturam, uti hic evidenter factum. Errant itaq; non leviter qui judicant Polypum pituitosum carere omni periculo, quod plerumq; quidem verum, sed nec promiscue nec indifferenter: Sed dicat quis, an non fortuitum hocce tentamentum, & inopinata hæc Polypi per fauces eductio, ut etiam in aliis idem liceat experiri? Quod si vero lubeat medicamentis rem tentare, confugiendum erit ad pulverem vitrioli calcinati, colcothar vocant Chymici, vel ad radicem hermodactyli albi, exceptam aut melle rosato, aut aqua sabinæ, quibus remediis corrugatur magis quam aperitur Polypi tunica: nec penetrat hic pulvis per angustiam prope nasi finem, ab excrescentiâ obturatam: Unde tamen nisi eduxeris carunculas illic stabulantes, luxuriabit continenter eadem hæc seges, Et ex affluxu novi humoris intumescet assiduo, quæ in exsiccata tunica remanserat pulpa: Nisi forte involucrum ipsius fit adeo teres ac molle, ut à pulvere hoc absumatur non minus pulpa quam tunica illam succingens: quem ipsius successum alicubi aliqui experti, credidere propterea, sed satis temere, pulverem commemoratum ubiquelocorum idem pollere & infallibiter sanare quemcumque Polypum. *Idem ibidem.*

Observatio IX.

Polypus narium ex viscerum imi ventris vitiis ortum ducens, illæso cerebro, foraminibus ossis cribriformis & processibus mammillaribus.

Apertum caput defuncti hominis qui Polypum in vita sæpe passus fuerat, omni ex parte quam diligentissime consideravimus: In hoc autem cerebrum salvum, nervosa filamenta integra & foramina ossis cribriformis illæsa invenimus: contra imi ventris viscera, hepar & lien vitiose affecta erant: ac processus illi mammillares in cerebro erant incolumes & sui coloris, qui certè vitium tandem duxissent, si de iis ille *pernitiosus humor* ad nares jugiter defluxisset. *C. V. Schneiderus lib. de osse cribriformi pag. 436.*

Cave credas noxium illum & redundantem humorem, ex quo hoc malum nascitur, semper de cerebro, per foramina ossis cribriformis depromi, sed illa materia ex vasculis, in intimas nares porrectis, eò concurrit: Quare curationem ad viscera, quæ sanguinem conficiunt commodius quam ad cerebrum dirigimus: *Ibidem.* Materia Polypi de cerebro non venit: Nunc fortissime asserimus morbum illum semper de massa sanguinea venire: deprehendimus & oculis contemplamur vasa quæ intus tument: Erant, *inquit Tulpius*, octoni pedes incipientes singuli instar Pyrorum, à tenui pediculo, orto ab excrescentiæ hujus centro, unde quoque prodiere venæ per ipsam dispersæ: Et plerumque natum est hoc malum si solenne quoddam profluvium redundantis humoris fuit suppressum, nam ortus est polypus cum ulcus pedum curaretur: Sæpe quoque aliis morbis jungitur: Rem ergo sic habeto, Si massa sanguinea est impura, noxii humores modo huc, modo illuc ruunt; ac si iis in egestionis exitum confluentibus, narium vasa vias præbeut, facile heri potest ut hinc tale malum oriatur: Et hoc est quod authores tradunt Polypum, ut sanguinem, cum Luna crescere & decrescere: *Idem lib. 3. de Catarrhis cap. 6. p. 188.* Accedit ad hanc sententiam *Riolanus* Anthropogr. lib. 4. cap. 6. qui discissis nasi cartilaginibus, intra cavitates narium, observari jubet carnes spongiosas, subtubras, quibus ossa nasi spongiosa oppleta sunt. Ex his rumefactis Polypum generari ait: Quæ tumefactio aliter contingere nequit, quàm si iis carnibus narium spongiosis (quas subrubras esse ait, colorem scil. à sanguine iis trahentibus) impurius ab arteriis alimentum deferatur, unde illæ excrescentiæ.

Cerebrum salvum) D. Conteus Medicus Burdegalensis Zodiac. med. Gall. anno ij. p. 190. polypos in naribus vitiosam quandam diathesin in interioribus arguere statuit; quamobrem prognosin dubiam & incertam instituendam jubet ubi de successu amputationis pronuntiandum: Diathesin autem illam in cerebro quærit, ac polypos narium ab iis qui in canalibus interioribus, præsertim sinubus cerebri occurrunt, natales deducere censet: narratque ex D. *Conteo*, aperto cadavere mulieris inventum fuisse Polypum in utroque sinu laterali; alterum item in sinistro cordis ventriculo: Hoc præterea singulare observatum substantiam cerebri, tum medullarem tum corticalem, duram fuisse, scirrhosam tam arctè meningibus & cranio connexam ut divelli nequaquam potuerit. *Petrus* quoque *Russe* D. m. ibidem p. 123. ex Polypo in sinu longitudinali cerebri reperto, longitudinis quartæ partis ulnæ, in quodam cadavere, colligit Polyporum radicem aliquando superiorem esse fundo narium: An Polypi narium, & qui in vasis accurrunt, cujusdem sint indolis ulterius disquirendum.

Pernitiosus humor) Humorem Polypi causam à Lymphaticis vasis alii deducunt, quorum soboles sit vas in narium tunica recens à Nic. Stenone repertum, de quo Clar. Bartholinus cent. 3. Epist. 58. Excretorium vas in narium tunica, à postica parte versus anteriora procedens, novum est, &c. Lymphaticum esse fateris, & lympham ea propter expurgare, ab arteriis cerebri excretam, quam etiam non pauci ex naribus stillantem experiuntur; reseratis forsan osculis, præsertim in frigidioribus, temporibus & hyemali tempore: Hinc quoque Polyporum fomenta deduci possunt, aucta lympha ex hoc vase, quos adstringentibus ea propter optime curant, superne revellentibus vel exsiccantibus. *Idem.*

OBSERVATIO X.

Mucus graveolens è naribus prodiens, à cerebri substantia copioso humori innatante.

MAtronæ è naribus graveolens mucus concretus subinde extrahebatur, virens aut omnino mali coloris, &c. Cerebri substantia integra: sed copioso admodum humori innatans, qui fomes esse potuit muci, qui sæpe in naribus concreverat. *Dodonæus observ. med. cap. 25.*

INter *mucum* istum qui e cerebro per os cribriforme delabitur, & partim per nasum evacuatur, partim per palati posteriora ad fauces descendit & *Salivam* ratione originis non multa est differentia (hæc enim separatur in variis faucium orisque glandulis, inferius observ. 16. Sect. 21. descriptis, hic vero separatur in glandulis plexui choroidi interjectis, atque etiam, in ipso cerebro, quod Hippocr. maximam glandulam appellat, ex ejusque ventriculis per processus papillares quoque defluit ad nares palatum, fauces & os;) sed quod *mucus*, ratione longioris moræ invia sæpe alienam qualitatem adeptus sit antequam ad os perveniat atque hinc crassior, tenacior, subflavus, aliove modo male coloratus ac pravi saporis evaserit, quas tamen alienas qualitates cum non habet, tunc a salivali humore non multum differt, & fauces œsophagum, viciñasque partes humectat ac lubricas facit, atque in ventriculo assumptis alimentis admistus eundem cum saliva usum præstat, ac fermentationem promovet.

Hic liquor homine sano existente, in cerebri ventriculis satis fluidus ac tenuis existit, non tantum instar salivæ oris, sed fere instar lymphæ, aliis lymphaticis vasculis contentæ, & propter hanc tenuitatem per minima ossis cribriformis foraminula facile elabitur in spongiosa narium ossa, in quibus per diuturniorem moram, ab aëris inspirati & expirati transitu, crassitiem, colorem, aliasque alienas qualitates sæpe adipiscitur quemadmodum etiam lympham ex vasis lymphaticis prope hepar, alii vè in cochleari collectam, ab aëre frigido in gelatinam concrevisse, & modo subflavum, modo alium colorem conquisivisse non semel observavimus; Ita ut dicti duo liquores à lympha aut non, aut parum differant, & mucus ille ac Saliva; non male appellati, possint Lympha ad os delata. *De Diemerbroeck Anat. lib. 3. cap. ult.*

OBSERVATIO XI.

Pus per nares excretum à Pulmonibus inflammatione & abscessu affectis.

PRinceps Illustr. per 15. dies febre, sopore &c. tentatus: accessit insignis spirandi difficultas cum dolore thoracis superioris &c. In ipso agone è naribus per horas quatuor destillavit humor albidus, tenax & fœtidus & vere purulentus, qui in pulmonibus ebulliens sua sponte in nares despumaverat; cujus etiam reliquias repertum iri in dissecto pulmone denunciavi, & revera observavi, quanquam longe major portio ante mortem distillasset. *C. Piso de morbis à diluvie serosa sect. 6. p. m. 506.*

OBSERVATIO XII.

Excretio materiæ cruentæ, saniosæ è naribus, ab apostemate cerebri.

PUer in lethargum gravissimum incidit: Ad hunc evocatus, thymum (cum nihil aliud esset ad manus) contritum cum aceto, glandis instar nari dextræ imposuimus, ut materia crassa, viscida dissolvi posset & ad nares derivari: hinc è nare materia quædam crassa, valde corrupta, cruenta, viscosa instar putridæ saniei prodiit: Illi cerebrum & cerebellum, in parte dextra, omnino saniosum, putridum inventum est, apostemate ex lethargo in abscessum permutato. *Vide tit. de affect. Soporosis.*

OBSERVATIO XIII.

Excretio muci fœtidi è naribus, ob copiosum humorem cerebro infarctum.

MAtronæ è naribus graveolens mucus concretus subinde extrahebatur: Illi cerebri substantia integra, sed copioso admodum humori velut innatabat, qui fomes esse potuit muci illius. *Vide tit. de oris affectibus.*

OBSERVATIO IV.

Hæmorrhagia ab Hepatis & Lienis scirrho, Cordis vitio &c.

FIlia N. antea frequenter Hæmorrhagiæ obnoxia, ac proinde cachexia fere consumpta &c. Lien & Hepar scirrho laborabant, In capsula cordis humor putridus: circa valvulas dextri ventriculi Calculus &c. *Vide tit. de Synope lib. 2.*

Sanguinis è naribus effluxus plerique propter magnas occasiones passim evenit, nam quoties sanguis, vel ob propriam vasorum laxitatem eruptiurus, alicubi viam facere aut invenire aptus est, naturæ instinctu quodam sæpissime ad nares, quasi partem facillime aperiendam dirigitur: Vasa è quibus idem effluit, sunt propagines rami arterialis à carotide, postquam cranio superato cerebri basin attigit, profecti: hæc enim juxta processus mammillares procedens, plures surculos quaquaversus à se dimittit, quorum aliqui notabiles, cum nervis olfactoriis, foramina ossis cribrosi transientes, per membranam glandulosam, summæ naris antractus investientem, distribuuntur: Arteriæ hæ nasales à carotidis trunco, intra cranium primo abscedentes, sanguinis partem maxime serosam à cerebro anticipant, atque serum ipsum & recrementa alia aquosa, in naris glandulas, velut propria istius regionis emunctoria deponunt, unde in cavitatem ejus destillant: Quapropter siquidem arteriolarum oscula istarum propter seri exudationem semper paululum dehiscunt, nihil mirum est si ipse sanguis turgidior factus; eadem, (quæ non raro ex se nimis laxa sunt) paulo amplius reserans foras erumpat: Profecto tum serirum sanguinis emissarium, ordinarie, aut pro data occasione recludi aptum, cerebri aut præcordiorum, imo nonnunquam totius corporis magnas incommoditates, aut præcavet aut curat: Namque imprimis hac via serum à capite derivatur, cumque vasorum istorum ora à ptarmico nari immisso vellicantur ac irritantur, serum exinde copiosius elicitur, quod tamen non à cerebro descendit (uti vulgo putatur) sed ne ipsum petat, per arterias nasce nasales anticipant, è quibus cum errhinorum usu uberius exprimitur, emulgetur, propterea cerebrum magis serenum & nebulis immune evadit: Dein 2°. ut cerebrum à sanguine impetuosius inundante obruatur uspiam, portio hujus per hæc vasa abscedens, & foras erumpens facile impedit: At vero interdum accidit hujusmodi Hæmorrhagiam in morbum potius quam remedium cedere: Si quando enim sanguis è nare crebrius & copiosius quam par est effluet, si non vita illico ob nimia ejus dispendia periclitabitur, exinde tamen reliqua cruoris massa depauperata, & crasin suam amittens, diathesin cachecticam, & non raro hydropicam acquirit, quia vitium aut in sanguine, aut in vasis, aut simul in utrisque consistit: 1. Sanguis per se hæmorrhagiam inducens, aut quantitate, aut qualitate peccat: proindeque dum occasionaliter effervescit, intra vasa contineri nequit, quin eorundem ora aut distendendo aperiens, aut acrimonia sua reserans, foras exilit; quibus accedit quod sanguis interdum in compage solutus, & quasi venenatus, circulationis filo continuando impar evadit: quatenus nimium portiones ejus ab invicem decedentes, partim in carne aut cute desigantur necrosin passæ, partimque erumpentes hæmorrhagias immanes & non raro lethales cient, uti passim in febribus malignis, & aliquatenus nonnunquam in scorbuto cernitur: Attamen sanguis mera quantitate, aut acrimonia peccans, nisi vasorum culpa etiam superveniens effluxum ejus proritet, aut facile nimis permittat, raro in hæmorrhagiam immanem erumpit. 2. Itaque vasa sanguifera, quoties ad affectum istum producendum conspirant, in vitio esse solent, vel quatenus primo ob fibras nimis laxas & debiles, oscula illorum dehiscentia, sanguinem ex arteriis in venas non expedite transvasant, quod vitium in scorbuticis & cachecticis, passim contingit: vel secundo, quatenus ob easdem fibras motrices spasmodice affectas & convulsas, sanguis huc illuc, & imprimis versus caput impetuose correptus, propter continuandum circulationis filum erumpere cogitur. *Willis Pharmac. rat. p.2. sect. 3. cap. 2.*

Lien, Hepar scirrho laborabant.) Juxta tenorem veteris doctrinæ, symptomatica hæmorrhagia, morbis chronicis præsertim familiaris, accidit cum sanguis vitiosus ab Hepate debili, & insigni aliqua intemperie laborante gignitur, cum scil. aut serosus & aqueus est, unde à retentrice facultate non continetur; aut acrior & nutritioni ineptus, ab excretrice expellitur: Si Neotericorum decreta, qui sanguini vim sanguinis genitricem assignant, sequi libet, dic contingere ob cruoris massam effœtam & languidam, quæ chymo advenienti sanguinis crasin & tenorem inducere nequit: Si Hepar colatorii munere fungi velis, dic vitiose ab eo secretam bilem cruori commisceri, unde adepta acrimonia fluxilior & ad exitum proclivior evadit.

APPENDIX.

Sive exemplum Hæmorrhagiæ ob fibras motrices arteriarum spasmodice affectas contingentis.

Nuper ad distans consulebat pro Generoso quodam sanguinis eruptiones crebras & immanes, modo ex naribus, modo vasis sedalibus aliquandiu passo: huic phlebotomiæ ex amicorum suasu crebro factæ nihil profuere, imo sæpissime post V. S. in sudores frigidos ac leipothymias incidens, atque sanguinis eruptionibus nihilominus obnoxius multo deterius habere solebat: Huic ego nondum viso julapia & decocta refrigerantia & anodyna, item herbarum expressiones succulentas, aliaque sanguinem refrigerantia præscripsi: Verum etiam his (quasi omnia essent à scopo aliena) nihilo melior adfuit successus: Tandem tus ad eum invisendum accersitus, reperi affectionem, qua laborabat iste, mere aut potissimum spasmodicam esse, quippe cum sanguis quotidie erumperet, pulsus erat debilis, extrema frigebant, & vasa omnia quasi nimis inanita conciderant: Porro Æger vertigine fere continua, ac cordis tremore, & subinde leipothymia, aut metu ejus afficiebatur: Profecto tantum aberat ut sanguis ob plenitudinem aut turgescentiam nimiam è vasis erumperet, ut potius è contra rivus ejus admodum depressus & tenuis, vix circulationis fluento sustinendo par videretur: Attamen, quod res fuit, sæpius in die persentiscebat in corpore suo aliquid, modo sursum modo deorsum, sub flatus specie confu-

stim obrepere, & plerumque motus istius tendentiam, sanguinis è naribus aut hæmorrhoidibus effluxus sequebatur: hinc, ut facile concludere esset, vasorum sanguiferorum fibras, quibus contrahuntur illa, motrices spasmo affectas, sanguinis fluvium, utut dimissum, tenuem, huc illuc inordinate corripuisse, & subinde in eruptiones compulisse: quod item facilius evenit, in quantum vasorum ora laxa & dehiscentia, cruorem ad ea compulsum absque remora debita effluere sinebant: Ætiologiam hanc medendi methodus instituta, quatenus tali supposito innitens feliciter successit, plane comprobat: nam S. m. & medicaminum ἰχαίμων usu deinceps omisso, præscripsi usum pulveris sequenti cujus dosin sexta quaque hora cum Julapio sumebat idoneo.

℞. pulv. rad. pæon. mar. corall. r. margar. ana ʒj. eboris, ocul. cancri, lap. hæmat. ana ʒß. lap. prun. ʒj. f. pulvis, dozis ʒß.

℞. aq. ceras. nigr. ℥viij. meliss. cinnamomi hordeat. ana ℥j, theriacalis ℥j. syr. e corall. ℥ß.

Cæterum præcipi ut ligaturæ quibusdam locis ex ritu constanti, & subinde aliis pro data occasione, tum ad sistendos, tum ad intercipiendos vasorum spasmos adhiberentur: atque hujusmodi remediis sine ulla morbi recidiva brevi convaluit: *VVillis Pharmacop. rat. p. 2. sect. 3. cap. 3.*

APPENDIX II.

De viis per quas sanguis in Hæmorrhagia Narium erumpit.

CUm illa ossis cribiformis parte, quæ contra medium interstitium narium exoriens, intra cranium assurgit, ille *Canalis* qui dicitur *Falciformis* sinus, committitur, quem nonnulli instar venæ adaperiri arbitrantur. *Riolanus Encheir. Anat.* l. 4. c. 6. *In hæmorrhagia*, inquit, *sanguis vel è naribus scalptis & erosis fluit, vel è sinu illo longitudinali duræ meningis qui prorepit ad nares.* Verum cum hujus sinus falciformis finis in *Cristam galli* porrectus, non meatus cujusdam formam, sed ligamenti naturam usumque habeat, veri haudsimile est hunc sinum in novissima sui parte, qua ligamenti naturam induit, & ossi, quod *Crista galli* audit, innascitur, instar canalis inseri posse, ut de eo, tanquam de vasculo, oris adaperti sanguis promanare queat: Objicies, None vena umbilicalis, etiam in junioribus, est ligamentum, ast illud morbo relaxatum, instar canalis nunc sanguinem, nunc aquam interdum reddidit, ut historiæ medicorum eloquuntur? Sed dispar ratio est, vena umbilicalis fuit quondam vena, canalis & vas sanguinem invehens: quare in iis, qui in ætatem adoleverunt, intumescente per morbum ventre, facilius reseratur, Et ea nonnunquam vitio valetudinis in infantibus non clauditur. At extremus hic sinus falciformis nunquam instar venæ fuit excavatus, sed ab ipso vitæ exordio naturam & officium ligamenti nactus est: Nam medius hic sinus quidem, instar venæ aut canalis sanguine distentus est, at is ad os cribiforme tendens, magis magisque fastigiatur, & in tam solidum ligamentum coarctatur, ut nullo modo reserari posse videatur: *Instabis* 1°. Hippocr. cervicem aqua calida perfundit, ut die critico major sit hæmorrhagia: Idem, ut illam stringat, aqua præfrigida cervicem rigat? Respondeo, & illum sanguinem qui de venis in intimas nares porrectis per nares defluit, hoc remedii genere revocatur: (*perfrigerato scilicet sanguine qui per arterias carotides & vertebrales in cerebrum influit*) Instabis 2°. Is cui nares jam incipiunt fluere capitis gravitate prius urgetur, Ergo sanguis de cerebri venis promanat, *Respondeo* eidem faciem, cujus & nasi venæ sunt communes, rubere & omne corpus sanguine distendi: Quinimo damus de cerebri membranis sanguinem interdum promi posse, cum præsto sit illa vena quam *Spigelius* ait ex narium amplitudine, per ossis cribiformis foramen in membranas cerebri disseminari; Sed negamus sinum falciformem sæpius adaperiri: Quidam hanc opinionem sic exponunt; non ipsum sinum extremum patescere, sed ab hoc profectas venas, & in dura & tenui meninge, ac in summo cerebro discurrentes ita aperiri, ut de iis sanguis per hujus ossis foramina defluat, & de naribus tandem erumpat: Verum omni talis hæmorrhagia multis nominibus erit mortifera: Quam facile sanguis confluet in illam fossam quam æqualis facit cerebri divisio? Quam facile gelascet sanguis, ut nonnisi perterebrato cranio evacuari possit? Ipsa foramina ossis cribiformis quam sunt angusta, & illa quam arcte clausa? quare tam facilis haud erit transitus, Quid? sanguis constabit potius quam defluet; Quam facile hinc apoplexia, epilepsia, lethargus & similes morbi nasci poterunt? Quam sæpe nos inspectis mortiferis capitis vulneribus intus sanguinem gelatum integro cranio invenimus, qui compresserat cerebrum: Avicennæ sententiam qui sanguinem de illis venis, ex quibus rete admirabile constat, in hæmorrhagia fluere censet, commode interpretatur *Iac. de Partibus* Retis cerebri, i. e. piæ matris & duræ, quæ comprehendunt cerebrum sicut rete: *Fernelio* sanguis videtur per nares emanare aperta, rupta vel

vel execta vena eo desinente: Hæ venæ, *inquit*, non ex intimis cerebri, sed ex oris palatique sedibus excurrunt, satis quidem detectæ ac patulæ, ut quasi emissarium sint supervacui sanguinis expellendi, quemadmodum & hæmorrhoides, & quæ in uteri cervicem pertinent: Hiccum pluribus sequitur antiquos, Hypocratem, Galenum, Aretæum: Frustra opponis, sunt minutæ venæ, tantum sanguinis, quantum sæpe defluit, ex illis venis deptomi non potest: Nam aliquando ex *Benedicto Veronensi*, venula narium à tonsore leviter sauciata, sanguis adeo erupit, ut cum is sisti non posset, æger cito extingueretur: Id confirmant *Collado, Salmuth*, Si solennis est abundantia mensium, & subito stringitur, plerumque fœmellis profluvium sanguinis fit è naribus, una vel altera &c. *Schneiderus lib. de osse cribriformi pag. 411. &c.*

OBSERVATIO XV.

In iis qui ob Narium hæmorrhagiam mortui sunt, Sinus cerebri & Thorcular corrossa reperiuntur.

Iugularibus venis in postrema parte coeuntibus, figura quædam Ypsilon Græcæ efformatur, quæ per longam calvariæ percurrit internam substantiam membranatum separans cerebri, à quibus vas effingitur, quod Torcular nuncupatur, quo usque ad Nares descendit: Unde quando sunt qui sanguinis fluxu è naribus moriuntur, hoc fit quia corroduntur hæc vasa quemadmodum observavi in Anatome. *Hippolitus Boscus de Facult. Anat. Lectione 5. pag. 50.*

Corroduntur hæc vasa) Dissentit C. V. *Schneiderus* lib. 2. de Catarrhis cap. 20. pag. 223. Sæpe sanguinem *ait*, in cerebro gravissime percussorum, non procul à fine falciformis sinus reperimus, Nunquam in vivis ne gutta quidem perfluere potuit: Et quomodo sanguis, qui de vasis in basi cerebri extantibus intus fluit, ad cavum narium venire potest: Adde, Sinus falciformis est vena, de ea sanguis deorsum versus ad cor, minime ad nares rapitur: Quare hæc & ejusmodi alia nunc ob circulationem sanguinis, ut vocant, merito repudiantur.

OBSERVATIO XVI.

Hæmorrhagia ab Hepatis vel Lienis vitio inducta.

§. 1. Iuvenis anasarca laborans factus est ictericus, sequitur Hæmorrhagia narium, mors subita: Hepar fuit subalbidum, cum abscessu in parenchymate: Lien magnus, lapidibus albissimis plenus. *Fontanus Respons. & curat. pag. 90.*

§. 2. Æger per annum febre multiplici intermittente laboravit: Sæpius hæmorragiam narium patiebatur, plerumque è sinistra: Totus Lien durus erat, plumbei coloris, magnus, crassus, in quo materia similis feci vini rubri continebatur. *Vide l. 3. tit. de Hyp. tumore.*

§. 3. Virgo 35. ann. biennio ante mortem copiosissimam narium hæmorrhagiam, quæ sola f. m. sistebatur, habuit, unde hydropis initium: Vena umbilicalis sanguinis copia turgida apparuit & varicosa: Hepar erat album, tuberosum, durum & exangue. *Vide tit. de Febr. l. 4.*

OBSERVATIO XVII.

Asternutamento sæpius concitato mors, ob disruptas arterias & meninges cerebrum cingentes.

Sternutamento agitatum caput violentius, disruptis eo impetu meningibus, luxataque cerebri compaginatione, nonnulli interierunt: Pistor Subutranus, cum vicesies quater sternutasset continuè, succedens proxime sternutamentum 25. exitio fuit disruptis arteriis & membranis cerebrum circumcingentibus. *Famianus Strada in Prolusionibus Academicis.*

Magna vis est Sternutationis, qua omne corpus succutitur, caput enim tum illis musculis movetur, quorum plurimi thoracem contingunt, qui revocato introrsum spiritu & mox eo reddito vehementissime conquassatur: ipsumque caput vertebris colli sustinetur, quæ vertebris thoracis insident; atq; quæ in intima antium detrusa, ea ore clauso interdum sternutando eliduntur, non quod cerebrum aut dura menix, aut tympanum tantopere moveatur, sed quod aër per aquæ ductum ad antrum auris tum quasi impetu facto prorumpat, & ea quæ inibi inhærent, suo loco dimovere possit: Cæterum corpus etiam propter musculos, illum succussum sternutationis patitur: nam thoracis musculos plurimi attingunt, ut nihil de diaphragmate & musculis abdominis dicam: Musculi Glutæi dicti, in extremo corpore siti, sternutando vehementius agitantur, ut id in ossis sacri ulceribus, si illa ingentia existunt, sæpius animadvertunt Chirurgi: Hippocr. 7. aphor. 52. naturam & proprietatem sternutationis sic exponit, Fit ex capite calefacto

cto cerebro, aut humectato spatio in capite inani: aër enim intus contentus foras effunditur; strepit autem, quia per angustum ipsi est exitus: Qui ejus sententiam tuentur, ii & cerebrum & ejus meninges sternutatione credunt ad id quod molestum est dispellendum insurgere, atque ob id manifeste intus motari, At qua ratione cerebrum, viscus tam molle, per sternutamenta tam vehementer motari queat, non intelligitur: Ac dura meninx quam firmiter omni loco adhærescat cranio anatome ostendit: Atque si etiam cerebrum & ejus membranæ aliis locis motari possunt, tamen illud hic fieri non potest, nam processus mammillates in sinum ossis cribriformis penitus abstrusi sunt, & nervi odoratorii in homine quam tenues sunt? quam facile quodam agitatu abrumpetentur? Et dura meninx propter trajectatos nervulos quam leviter adhærescit tunicæ narium: His nunquam te adduci patieris ut credas membranas cerebri, & cerebrum ipsum intus sub cranio privatim motari: Minime autem nego cunctum caput propter musculos sternutatione quassati: Nec humor quem sternutans per os & nares projicit, de cerebro venit, & per os cribelli modo tenuiter foratum destillat, sed ut *Cardanus* ostendit perite, ex imis faucibus ad nares & summum os propellitur: sed sternutatio semper oritur à Tunica narium, quæ vel ab externis rebus proritatur, vel ab internis: De illis constat: Has voco quæ intra corpus gignuntur, halitus acres à cibis nondum in ventriculo digestis, qui instar auræ sublati tunicam narium lacessunt; aut si ex vasculis narium lacessunt; aut si ex vasculis narium transsudat liquor quidam acris & tenuis, tum ab internis causis sternutationes evocari videntur: Vide *Horstium* lib. 1. part. 1. observ. 49. Hoc itaque certum sit semper hanc interiorum narium tunicam irritari antequam sternutamentum exitetur: mox insurgit thorax, & elidendo sonitum facit maximum, si tunica pulmonum & laryngis à re acri offenditur. Tussis existit, qui motus & sensus solius est thoracis, In sternutatione autem non solum thorax sonum edit, sed etiam ille biforis narium meatus quo aër cum strepitu dispellitur: Hinc aberrare videntur, qui si sternutatio existit, in cerebro flatum semper gigni cogique, & mox per ossis cribrosi foramina cum sonitu emiti, ac una cerebrum ejusque membranas vehementissime intus moveri arbitrantur. Tunica autem narium plurimos nervos, & eos diversos nacta est, ob quos sensu gaudet perexquisito &c. *Schneiderus lib. de osse cribriformi pag. 442. & seq.*

De Sternutatione hoc annectam, Epilepsiæ hanc finitimam censeri: atqui ut hæc à vapore ab inferis elato interdum suscitari dicitur, idem de sternutatione credere est; Quidam à me quæsiit, cur inter venereos amplexus, instante *συνουσία* bis vel ter sternutatione percelliticis? Aura seminalis à testibus & vasis spermaticis suscitata, sursum repens sensibiles narium tunicas vellicabat atque ad ejusmodi motum impellebat: Illius tunicæ in eodem viro *ἐνθουσίας* fidem facit interiorum narium titillatio, cum constrictionis cujusdam sensu, à vapore è ventriculo exorto in quo prius molestiam & vellicationem percipit, quem per œsophagum obrepere percipit inque naribus terminari, cætera inculpata valetudine fruitur.

APPENDIX.

Hirudo naribus admota, in cerebrum irrepere non potest.

ADnotatum est per foramina ossis cribriformis Hirudinem ad cerebrum irrepsisse: *Petrus Paulus Magnus* scriptum reliquit Chirurgum anno 1572. Romæ cuidam hirudinem applicasse, quæ paulò post penetravit usque ad tunicas cerebri & hominem interfecit: Idem tradunt *Saxonia & Zacutus*: Adversus hæc respondetur, Hirudo minime videtur ad cerebrum interius irrepsisse, illa ad summa narium saltem hæsit: Qui hæc foramina satis perspecta habet, is constanter negabit per ea hirudinem se penetrare potuisse: Si vero illa foramina vi morbi vitiata fuerint, sunt patentiora & facile dilatari possunt, quemadmodum illa etiam lue venerea corrumpuntur, ut redundantes humores per ea nonnunquam emittantur. Illa foramina in sceleto obvia sunt, conspicua, patula: In cruento recentique cranio multo secus est: nulla ibi poteris invenire foramina, adeo ea obscura sunt ob vasa & membranarum fibras: Si vero cranium coquis coctum expurgas, expurgatum aridumque oculis contemplaris, illa foramina tum demum erunt magis notabilia, quæ in succido cranio latent omnino: *C. V. Schneiderus lib. 2. de Catarrh. c. 20.*

ANA-

ANATOMIÆ PRACTICÆ
LIBRI PRIMI
SECTIO XXI.
De Oris affectibus, Labiorum, Gingivarum, Dentium, Palati, Gulæ, Linguæ, Salivæ defectu.

Observatio I.

Gingivarum erosio incurabilis; à vermium abundantia in intestinis.

PUER quidam Dusseldorpiensis erosione Gingivarum à longo tempore gravissime divexabatur, multa remedia frustra adhibita, tandem vitam cum morte commutavit.

Aperto corpore tanta inventa est abundantia vermium, ut aliquibus in locis intestina erosserint, multique in vacuo ventris reperti fuerint. *Fabricius Hildanus cent. 1. observat 59.*

SCorbuticam indolem resipuisse humores, è quibus vermes geniti, suspicari cogit patria pueri: Scorbuticis autem tam familiaris est Gingivarum erosio ut lippi etiam scorbutum inde possint conjicere; parte materiæ acriore & subtiliore ad eas partes translata, natura teneras, molles, flaccidas, quæ facile à salsis & serosis ejusmodi humoribus labem patiuntur. Partes mandantes sunt Cerebrum, Ventriculus, Lien aliæque partes: Lienosi præsertim ulceribus gingivarum maxime obnoxii, unde in scorbuto magna earum partium exulceratio & corruptio contingit? Interdum etiam ex lumbricis, aut corruptis humoribus ex quibus illi generantur, gingivarum erosiones solent contingere, ita ut illæ diu perseverantes lumbricorum intus latentium indicia esse soleant, testis est historia ab *Hildano* allata, *Riverius* cent. 2. observ. 68. meminit virginis quæ per duos annos gingivarum erosionem passa est, & ab eo affectu nonnisi magno labore liberata est, quia à Lienis intemperie calida & sicca, atque adeo atrabilaria constitutione dependebat.

Observatio II.

Aphtosum os & Gurgulio à syderato intus thorace.

QUidam cum aphthosum os & Gurgulio fuisset, cum anhelitus insuavitate, excretio putris contigit: Aperto corpore totus internus thorax syderatus apparuit: *Ballonius Paradigmate* 108.

EX plurimorum sententia Aphthæ fiunt defluente & quasi stillante è capite humore: vel halitu calidiore & vapore ab inferis misso per œsophagum, tracheam, vasa cœcos ve meatus: *Schneiderus* & H. *Regius* volunt eas ex humoribus serosis & acribus, in toto redundantibus, tanquam causa antecedente ortum ducere: vel vaporibus fervidis, viscidis & acribus ex quapiam parte elatis per vasa ori vicina: Si corpus lue venerea est infectum, Aphthæ sunt malignæ: quare verisimile est eas de massa corporis sanguinea venire, tanquam ejus despumationem: si redundat sanguis noxius, ac menstrua sistantur, is hic vel illic subsistit, ut cutis variè fœdetur: In proposito exemplo, eadem causa, idemque humor qui aphthosum os & gurgulionem effecit, syderationem pulmonibus induxit: *Sylvius* earum causam à succo Pancreatico acidiore deducit.

Observatio III.

Oris ariditas in quodam cujus jecoris sima pars apostemate obsessa erat.

NOribergensis quidam totus cholericus, de molesto quodam hypochondrii dextri dolore, edendi appetitus amissione, oris ariditate &c. conqueri cœpit: Aperto corpore invenimus vomicam simæ parti hepatis, cujus non parum putrefecerat, connatam eamque satis magnam atque apertam. *Vide lib. 3. Tit. de Hypochondriorum dolore.*

Observatio IV.

Oris fœtor à Thymo glandula corruptis humoribus infarcta.

THymum novi, ex quotundam lue venerea infestatorum cadaverum sectionibus id doctus, tam certò instar spongiæ ab excrementitiis corruptis humoribus intumescere, quam ter tria sunt novem: unde quoque sonora non sunt voce, ægre cibum potumque deglutientes, sæpe per foramina nasi in nares ea excernentes; ægre spirantes insuper, compresso à tumore Thymi œsophago, tenitente cartilaginosa aspera arteria, (hic illico ignarus Anatomes crepabit occultam causam morbumque Formæ) Imo suspicor eosdem ob pravam hanc Thymi constitutionem fœtenti esse anima, salvis adhuc Pulmonibus: (Id enim si ita se non haberet; aut exulcerati pulmones essent, qui quæso fieri posset, ut spatio sex septimanarum lue venerea infectis mederi possemus?) non tussientes, sed sputatores ac screatores; unde quis, si non facile halitu, at sputo contagioso & osculo spissiori interveniente, inquinari perfacile potest: Quæ omnia de Thymo hic tradita, quoque lue venerea laborantium medela confirmat, facta per ptyalismum artificialem, quem collo circumdatum empl. de ranis Vigonis simplo vel duplo mercurii constans, promovet & accelerat: Licet vero Thymus in sanis & ætate provectioribus, ex Warthono, exigui sit ponderis vel magnitudinis, imbibit tamen plurimum seri, sæpe corrupti, ob situm quem habet inter divisiones arteriarum & venarum subclaviarum satis insignium. *S. Pauli Digressione de Febr. malignis.* §. 17.

Observatio V.

§. 1. Oris fœtor à putredine intestinorum & omnium interiorum viscerum.

VIrgini fœtens erat anima, purulenta extussiens &c. Intestina omnia à pylnro ad rectum intestinum putrida erant, sphacelata: Testes corrupti, Jecus putridum; Pulmones purulenti & nigricantes, *Vide lib. 3. tit. de ventris dolore.*

§. 2. Clerico halitus fœtens fuit: Ileosus mortuus est: Colon erat velut nigrefactum Epiploon putre, Ad regionem hepatis sanies purulenta; fœtebant adeo omnia ut viscera dimovere impossibile fuerit. *Vide lib. 3. tit. de ventris dolore.*

Observatio VI.

Anatome Hæmoptoici, cujus anima admodum fœtens, citra pulmonum ulcus.

THeologus ante 15. priusquam obiret annos, tussi pertinacissima, cum sputo cruento & gravi anhelitus fœtore tabidus interiit: Cadavere dissecto nulla anhelitus fœtidissimi vestigia comparebant, quippe nulla fuit in pulmonibus, aut cavitas ab ulcere, aut solutione continui facta; nulla puris aut materiæ puridæ collectio, sed tantum visceris hujus lobus à tumore scirrhoso obriguerat. *Vide lib. 2. tit. de Phthisi.*

Observatio VII.

Hæmoptysis à lobo Pulmonis sinistro scirrhoso reddito, trajectionem per os sanguinis liberam impediente.

INsignis Theologus ante 15. priusquam obiret annos, tussi pertinacissima, & subinde sputo cruento & salso, cum gravi anhelitus fœtore cocyten propemodum æmulante laborabat, unde maximo corporis marcore emaciatus, parum aberat quin plane tabidus extingueretur: Quoties hæmoptœ aliquandiu intermitteret, etiam sputi & anhelitus graveolentia cessabat, dein hujus reditus alterum istum affectum mox affore constanter pronuntiabat: In languido hoc statu cum Vir egregius, Regiis partibus tunc temporis gravi tyrannide oppressis favisse deprehenderetur, ac in arctissimum carcerem conjectus loco potus ordinarii meram aquam biberet, præter omnium spem & expectationem revaluit adeòque supra decennium mediocriter sanus perstitit: Postea tamen nescio propter quam occasionem, nisi forsan ob hyemis rigidiotis inclementiam, non solum prædicta mala, scil. Tussis cum sputo cruento, salso & graveolenti recrudescebant, sed insuper superpondii loco ventriculi debilitas, inappetentia & febris nocturna accedebant: Deinde vero haud multum temporis præcedebat, quin symptomatis hisce paululum temittentibus sudum denuo affulgere videretur, donec quodam die cœlo derepente in frigidissimum mutato, sub noctem magna pectoris angustia, cum respitatione difficillima, pulsu

pulsu celeri & imbecilli, cumque spirituum omnium (quasi jam moribundus fuisset) fatiscentia incesseretur: Attamen ex hoc discrimine, per diacrises scil. i. hæmoproen copiosam, & mox diaphoresin satis uberim, cito evasit: verum ex eo tempore sputum ejus multum de solito fœtore, & nonnihil de salsugine remittebat: cumque brevi postea ultimus & gravissimus immineret hæmopteos insultus, solitum istum ab anhelitus graveolentia præsagium omnino deerat, subsequens vero sanguinis sputum valde copiosum vires adeo deprimebat, ut exinde sensim declinans, intra mensis spatium exspiraret: cumque paulo ante obitum, propter acutum lateris dolorem vena tunderetur, cruor adeo deficere videbatur, ut fere nullus effluerer sanguis.

Porro in cadavere post obitum dissecto, sanguinis quantitas perquam minima reperiebatur, nec quidem ulla symptomatum aliorum maxime notabilium, vid Hæmoptoes; atque sputi & anhelitus fœtidissimi vestigia comparebant; quippe nulla fuit in pulmonibus, aut cavitas ab ulcere, aut solutione continui facta, nulla uspiam puris aut materiæ putidæ vel fœtentis collectio, sed tantum visceris hujus lobus, ceu potius totum latus sinistrum, à tumore scirrhoso adeo obrigueraṭ, ut sanguis molem istam ita constrictam, & quasi lapideam, non facile aut minime pertransierit, quare non mirum est, si cruor rapidissime per pulmones trajiciendus, alicubi è vasis, quæ ob scirrhositatem minime cohærebant, aut circulationem sustinebant, subinde erumperet.

Hic major difficultas oritur, nempe cum Pulmones ulcere quovis; aut notabili solutione continui prorsus immunes reperirentur, undenam iste sputi & anhelitus odor teterrimus, sputi cruenti semper præcursor & comes (exceptis tantum ultimis hujus morbi insultibus) procederet: Super his alibi advertimus Phthisicorum ulcera pulmonaria, & sputa purulenta raro aut nunquam, materiem vero è Pulmonis vomica ejectam sæpius fœtere: quod autem in ægro Pulmones utroque affectu immunes anhelitum adeo tetrum expirarent, ratio optime constabit si inquirimus de causa & productionis modo Fœtoris in genere: Hanc autem excitari observamus, quando sulphur impurum à sale lixiviali aut acido, scil. alterutro dissolvitur, ac ab altero præcipitatur, Sulphur commune, aut antimonii ab oleo tartari, aut ab aqua Stygia dissolvitur: dein si huic solutioni fixi deliquium, ac isti acetum infundas, fœtor teterrimus emanabit: Pariter in casu pro posito opinari subest, sanguinis valde impuri particulas sulphureas, è sale fixo, quo latex ejus abunde scatet, corrodi: deinde quando humor acidus fluorem passus, è partibus nerveis in massam sanguineam redundat, sulphur solutum præcipitat, proindeque è Pulmonibus fœtorem istum exhalari facit, ac insimul dum sanguinem in turgescentiam adigit, paulò post hæmoptoen accieri cogit: Novi quosdam pectore satis firmo præditos, atque tussi omni ac diathesi tabida liberos, anhelitum valde tetrum semper expirare, quod equidem à nulla alia causa, præter eam quam modo notavimus, procedere possit: Sanguis impurus, & sulphure à salibus dissoluto scatens, si forsan dum intra Pulmones rarefit, ac in compage laxatur, humori acido occurret, inter expirandum effluvia putida & tetra exhalabit: Propter consimilem sanguinis alias dispositionem accidit, quod uti quorundam anhelitus valde putens, ita aliorum suaveolens existit: Revera spiritus sive aër per respirationem reciprocatus, quatenus sanguinis intra præcordia maxime rarefacti effluvia secum evehit foras, vaporem modo gratum modo summe ingratum dispergit. *Willis Pharmac. rat. lib. 2. sect. 1. cap. 7.*

Observatio VIII.

Oris Fœtor ab ulcere ventriculi genitus.

Matrona annos 60. nata ex ore spiritum fœtentem multis emiserat annis: E naribus graveolens quoque mucus concretus subinde extrahebatur, virens aut omnino varii coloris: *Dolor circa ventriculi regionem* assiduus, non tamen valde molestus; ut quem lenire poterat sacculus in quo herbæ, semina & aromata una cum gossypio consuta erant: Mens & sensus ad extremum constiterunt, longo morbo confecta è vita discessit.

Ventriculus hujus exterius ab omni parte, superficie tenus, exulceratus extitit, & quæ ipsum contingebant universa, non tamen alia quam qua ventriculo contigua erant parte: Cerebri substantia integra, sed copioso admodum humori velut innatans, qui fomes esse potuit muci qui sæpe in naribus concreverat: *Dodonæus cap. 25. observ. medic.*

Graveolentia ex ore variis effertur de causis; quandoque in ore, faucibus, aut juxta uates, vel in ipsis vitium consistit: subinde in pulmone latet, quandoque vero ex ventriculo procedit: Tradunt recentiores vitio ventriculi graveolentiam fieri, majoremque esse corpore jejuno, minorem vero ab assumpto cibo: verum hujus matronæ ex ore fœtor semper similis fuit, neque unquam sive post cibum sive ante cibum remissior: Ulcera tamen ventriculi causam fuisse graveolentiæ satis apparuit: *Idem in Scholiis ad cap. citatum.*

Observatio IX.

§. 1. *Oris Fœtor à Pulmonibus oriundus.*

Cuidam cum aphthosum os & gurgulio fuisset, cum Anhelitus insuavitate, excretio putris contigit: Aperto corpore totus internus thorax sideratus apparuit: Et nos vidimus Dominam, cui saniosum os est & velut purulentum, fœtens: Dubitant Medici an à Pulmonibus an à cerebro. *Ballonius Paradigmate* 108.

§. 2. Puella ab ipsis incunabilis morbis obnoxia fuit; atque octavo ætatis anno abiit. Huic substantia Pulmonis materia purulenta erat imbuta, præcipue ex sinistra parte; ubi ob spinæ incurvationem compressa, ideoque magis livida quam in dextro latere conspiciebatur, & principium sphaceli ibi fuisse color præ se ferebat: Hinc Anhelitus fœtidus hinc tussis gravissima, qua per dies aliquot ante obitum affecta fuerat: *Fabritius Hildanus cent. 6. observ. 74. Vide historiam integram lib. 2. tit. de Phthisi.*

Observatio X.

Oris fœtor à nimia Pylori laxitate.

Oris fœtidus anhelitus ab intestinorum excrementis prodire solet, quando ob nimiam laxitatem & dilatationem ventriculi, illiusque præsertim orificii, Pylori dicti, quo se in intestina aperit, is nimium patet, vixque exactè amplius constringi occludique potest, sicuti naturaliter fieri debet, tunc fœda excrementorum exhalatio sursum per intestina exspirans, per apertas hasce & laxas vias in ventriculum, indeque ad os usque delata, anhelitum fœtore suo inficit: Quam 1.os præcipuam causam illius oris fœtoris, qui stercorosum odorem exprimit, esse diligenti inquisitione deprehendimus; Ob id adeo perseverantem & pertinacem, cùm ab organi vitio procedat, quod ægre reparari potest: Cui occasionem crapula diu continuata præbere solet, ex qua tandem ventriculus adeo laxus redditus, vel alia illius imbecillitas sequitur. *Platerus de funct. Læsion. lib. 3. cap. 3.*

Observatio XI.

Oris fœtor ab Epiploi putredine; Coli & Hepatis vitio.

Aperto clerici 22. annos nati cadavere, colon erat velut nigrefactum, Epiploon totum putre; Ad regionem Epatis sanies purulenta: fœtebant adeo omnia ut viscera dimovere impossibile fuerit: Audio halitum illi fœtentem fuisse. *Vide lib. 3. Tit. de ventris dolore.*

Observatio XII.

Oris amaror ab insertione pori choledochi in fundum ventriculi.

Ventriculi dolore premebatur quidam cum continuo oris amarore, &c: Repertum vas cholidoch. m ad ventriculi fundum implantatum. *Vide lib. 3. tit. de ventriculi dolore.*

Observatio XIII.

Interiorum oris partium gangræna & corruptio, ab hydrargyro in cerebro post litum relicto.

Vicentius Boniventus, Patritius Clodiensis, à juventute omnibus carnis voluptatibus addictissimus, indeque quasi consumptus, postquam quinquies ligni s. salsæ parillæ, mechoacæ decoctum assumpsisset, terque sed frustra inunctus fuisset, tandem cuidam meretriculæ se curandum tradit, quæ quidem illum tali medica dignum ita tractavit, ut magna inflammatio in palato, esse cribroso, in columella & partibus omnibus illis adjacentibus, à mercurio male extincto, & aliis corrosivis facta, subito in gangrænam, & mox in cancrum verum affectus terminaverit, adeo ut quotidie aliquid ex partibus illis corruptis & putrefactis excrearet, & gurgulione partibusque vicinis primo ejectis, eousque progressum est, ut & demum cerebrum ipsum excreatu per os expueret maximo cum fœtore: Tandem miserrime obiit.

Mortui caput serra aperui, suisque membranulis liberavi, prout potui, erat enim tantus ibi fœtor, etiam sub dio, ut nullus astare posset: Nihilominus magna patientia, summoque videndi desiderio ductus, superiorem cerebri partem cutello satis largo amputavi, & confusis

fusis omnibus cerebri ventriculis multum argenti vivi cum cochleati in eis collegi, & illud ipsum chare reservavi; atque intolerabili fœtore victus & exturbatus, vespilloni cadaver sepeliendum reliqui. *Ex observationibus D. Georgii Garneri. D. m.*

Magna inflammatio in Palato) Excitantur aliquando in Palato & faucibus ardores & inflammationes: Palati & Faucium Ardores debentur frequentissime, ex sententia *Sylvii de le Boë Append. Tract. x.* §. 508. humoribus salsis, muriaticis ad partes dictus delatis earumdemque superficiem rodentibus, atque affectum erysipelati non valde dissimilem producentibus: Rubet enim & ardet tunc membrana pletasque tunc faucium partes regens, *Palatumque* adeoque ipsum quoque *Inflammatio faucium* ortum habet à sanguine in tunicam ipsarum glandulosam effuso, & ni curetur in tempore, Apostema constituente, mox fue ad ipsius, purisque excretionem vicus relinquente, sed facile curabile, *Tonsilarum inflammatio* debetur eidem sanguini in glandulosam ipsarum substantiam ex vasis obstructis; mox eruptis effluenti, atque similiter, ni brevi præveniatur, in pus abeunti & tandem per effundenti

C*Erebrum ipsum excreatu &c.*) Quod mirandum est, cum dixerit Hippocrat. 6. aphor. 18. Vesica discissa, aut cerebro, aut corde &c. lethale esse: Verum Galen. eo in comm. asserit se experientia vidisse in Smyrna cerebrum valde vulneratum, sanatum tamen fuisse: Quod etiam multo melius testatur ipsemet 1. de sympt. caus. c. 2. Ita ut cerebrum, sicuti reliqua membra, solutionem continui pati possit. *Idem.* Vide apud Fernelium lib. de lue vener. cap. 7. historiam Coriarii, cui post alipticam ex hydrargyto inunctionem, non modo sincipitis os totum paulatim computruit, sed & utraque meninx eadem putredine absumpta, subjectaque cerebri substantia in abscessum conversa est, dum ventriculos cerebri putredo attigerit, quo tempore mors repente hominem è medio sustulit.

Observatio XIV.

Fauces aphthis & albicante mucilagine obductæ, à pulmonibus aridis, mucagine illa obductis.

PUer septennis, febre affectus, fauces habuit aphthis & albicante mucilagine conspurcatas &c. Pulmones erant exusti, aridi & mucilagine illa obducti, *Vide l. 4. Tit. de Febrib.*

De generatione illius mucilaginis, Vide lib. 4. Tit. de Febribus, ex *Willisii* lib. de Febribus cap. 10.

Fauces habuit Aphthis) Aphthæ sunt ulcuscula totam oris superficiem occupare solita, ita ut nulli parti parcant: quando incipiunt excitari observantur pauca & dispersa, postea eadem multiplicata ita conjunguntur ut videantur unicum constituere ulcus: A cæteris ulceribus eo videntur differre quod crusta tegantur multifaria, alia plerumque solo pure notentur obducta, forte quod saliva glutinosa facta obducantur. Crusta dicta observabilis est quoniam ex ejus diversitate bonum vel malum fertur judicium: laudatur Colore candido; a quo recedit flavescens & nigrescens: laudatur quoties facile cedit a partibus affectis; vituperatur tenax & glutinosa: laudatur tenuis, culpatur crassior: laudatur angusta, culpatur multum superficiem obducens: laudatur & divulsa, ac hinc inde dispersa: Causam assevero Humores halitusque acres, & quidem Acidos, nunc vomitu aut exhalatione sursum ab intestino tenui ac ventriculo deductos, nunc una cum saliva in os delatos; Acidam in iis producendis acrimoniam peccare probant 1°. acida eructatio vel vomitio eas interdum Præcedens sapor acidus 3. in infantibus idem ructus acidus, & alvi excrementa acidum redolentia: 4. remedia temperando acido utilia: Sed cur ulcuscula ut plurimum albicantia, subinde flavescentia, quandoque nigricantia? Id fit tum ratione Acidi varii, tum aliorum humorum confluentium, bilis, pituitæ salivæ: Si acidum volatile paucum est, cæterique humores parum peccant, Aphthæ paucæ sunt, brevi cedunt, leviter partes afficiunt, cito ad maturitatem veniunt. Quicquid enim cuticulæ affectum est separari debet a subjectis partibus, quin sub cuticula secedente nova succrescere debet: segnius autem secedit si glutinositate peccent humores quivis: Ubi autem copiosum Acidum volatile occurrit, boni quidem moris producuntur Aphthæ, & mox deciduæ curabilesque, totum tamen os iisdem impletur &c. *franc. Sylvius Apend. Tract. 1. c. 5. & Tract. x. §. 274.*

Observatio XV.

Gulæ dolor ab inflammatis summis Pulmonibus.

QUidam subito exspiravit: Vivus post cibum sumptum de dolore circa gulam conquerebatur: Pulmones prope gulam inflammati reperti sunt. *Vide l. 2. tit. de morte subita.*

IMo quorundam opinio est eam anginæ speciem, quæ Cynanche dicitur, in qua nihil intus vel extra apparet, non ab inflammatis laryngis musculis interioribus pendere, sed à phlegmone summos pulmones obsidente, quæ ad gulam eadem ratione pertingat qua dolor extremi penis, ab affecto calculo vesica, vel tenesmus aut dolor podicis affectis inferioribus intestinis.

Obser.

Observatio XVI.

Saliva ex ore ubertim manans læsis Buccarum Glandulis earumque ductibus salivalibus.

IN homine buccarum glandulas Salivæ dicatas superiori anno observavit. Clar. Sylvius, licet vasa nondum essent detecta. Cùm enim haberet ægram Buccarum ulceribus laborantem, interdum limpidam inde aquam Salivæ æmulam manare videret, data in Nosocomio occasione, Buccas examinando Glandulosam illarum carnem nobis demonstravit. Sed & quæ apud Aquapendentem leguntur de humore aqueo per relictum à curato Buccarum vulnere foramen quotidie stillante idem arguere videntur. *Ex observat. Anatom. Nicol. Stenonis.*

SAliva vulgo excrementum audit, ex ore tanquam inutile rejiciendum; cui materiam suppeditat partim coctio prima quæ fit in ventriculo, partim tertia quæ fit in cerebro, elaborationem tamen aliquam in Tonsillis suscipiens: Diligentissimus Nicol. Steno Excell. Anatomicus & Clariss. Warthon Ductus varios variis in oris partibus detexerunt, canales per quos Saliva vel Mucus propellitur: Hic Maxillares Glandulas in externas & internas dividit: Internarum (quæ immediate intra maxillam inferiorem sitæ sunt) partem posteriorem & crassiorem habere air arterias, venas & nervos, Item vas quoddam diversi generis sibi proprium; hactenus Anatomicis incognitum, radices suas capillares in omnes hujus glandulæ partes æqualiter spargens: Glandulas has partes excretoris statuir, munere publico fungentes, quia ubicunque vas Excretorium peculiare reperitur, verisimile est id peculiari cuidam excretioni destinari: Cumque excretio qualibet determinati excrementi humorum residuorum depurationi inserviat, quod in emolumentum totius cedit, sequitur hoc ipsam esse officii publici: Humor autem quem hæc Glandula secernit & excernit, ipsi est *Saliva*, per quam intelligit, non crassum illum viscidumque humorem qui è Tonsillis screatu aut tussi (sputum dicimus) exprimitur, sed illum tenuem & aquosum quem Græci σιαλὸν & σιάλον vocant: Ejusmodi vero humorem ex hac Glandula per suum vas in os exspui oculari experientia testatur, quod in partis hujus canali, tam in homine quam in bove humorem salivalem manifeste deprehenderit: Quoad usum, Salivam non esse excrementum omnino inutile, nec indignam esse quæ in os ipsum deponatur existimat; quod 1°. quasi lympha peculiaris ad masticationem solidiorum & præterim aridorum ciborum idonea sit; ab eque eo enim animalia, quæ fœno, avena &c. vescuntur, vix commode ea masticare possent aut deglutire: 2°. valere ait ad gustum, quod è siccis tinctura sapida sine aliqua humiditatis perfusione vix educi queat. 3°. conducere ad coctionem ventriculi promovendam; 4°. sitim, alias perpetuò molestaturam, extingnere, linguæ motum lubricare, ardorem oris squaloremque sua humiditate temperare.

Salivalis Ductus superioris inventionem sibi assumit *Blasius* commentar. in syntagma Anat. tom. *Vesling* p. m. 463. à glandula maxillari posteriori vicina, variis radicibus initium sumentis, sub cute ad buccas properantis ad dentium molarium anteriorum regionem, ubi manifesto foramine, papillari quadam prominentia munito, in oris cavitatem hiat.

Inter Glandulas quæ pluribus Excretoriis vasis donatæ sunt, primo loco veniunt quæ in Buccis reperiuntur, à *Nic. Stenone* repertæ, inter cæteras rum glandulæ tum vasorum magnitudine maxime conspicuæ: Hæ autem totam Buccarum regionem occupantes, exteriorem oris cavitatem undique ambiunt, & sursum deorsumque ad gingivas pertingentes, musculos inter & tunicam oris feruntur.

Sublinguales quod attinet, ab eodem *Stenone* observatas utrinque ad linguæ latera sitas, ejusdem generis cum proxime præcedentibus facit, nisi quod vasa excretoria obtinuerint; non quidem breviora sed angustiora: orta intra ipsam exiguis rivulis, & hinc sibi invicem parallela, à lingua versus gingivas recedunt, ubi ad digiti fere distantiam à dentibus vix conspicuis, nisi premantur, ostiis per tunicam hiant.

Ad Palatum quæ sunt, Glandulas Palatinas appellare illi visum est, cum revera tota Palati caro ut in brutis, sic & in homine, nil nisi conglomerata glandula sit, Tonsillis continuata, unde innumeri exiles ductus prodeunt, qui ipsam membranam perforantes, quasi cribrum inde formant.

Epiglottidis cartilaginem permeantes canaliculi, qui à caruncnlis epiglottidi incumbentibus orti, per cartilaginem transmissum humorem aversa ejus parte, quæ laryngi imminet, evacuant: *De Salva Præparatione læsa in Glandulis maxillaribus vide Sylvium Pract. lib. 1. cap. 51.*

Observatio XVII.

Salivæ defectus ab obstructione ductuum Salivalium è Glandulis ortorum.

PUeri scorbutici Lugduni dissecti, vix unquam salivam in hoc morbo ore spuebant: his mesenterium totum scrophulosum, omnesque glandulæ solito majores, duriores, porique chylum deputantes inibi obstructis erant, ut vel crassior chylus eo trajici, & Receptaculis infundi, vel aquosior & salsior non cribrari potuerit. Pancreas *Virsungii* durum valde extiterat, ductusque ejusque obstructus, ut quæ à plexu nervorum mesenterico superiore insigni, pancreati contiguo, eo defertur lympha, & in duodenum excernitur, viam non habuerit liberam, sed repurgitarit, vel ob valvularum in proximis lymphæductibus impedimentum,

tum, foras in abdomen effluere coacta fuerit: reperimus enim lympham copiosam in toto abdomine stagnantem, quæ sine dubio interstitiis musculorum cruris, toriusque pedis communicata fuerat, & membranas valde sensiles sua acrimonia, ob stagnationem contracta læserat; Præterea & glandulæ in inguinibus valde turgebant. Aqua per thoracis cavitatem spargebatur: Thymus solito durior extiterat: Salivales ductus in ore obstructi & Parotides justo majores ac duriores erant. *Ioh. de Muralto Exercitatione Anatom.* 2. §. 10.

Glissonii, *VVarthoni* & aliorum doctrinam sequutus, D. D. Muraltus, Nervos succum certarum partium nutritioni destinatum deferre statuit, atque ex eodem vitiato multorum morborum originem deducit: A nervis (*inquit*) Lympham quandam profundi existimo, quia glandulæ conglomeratæ plurimis nervis præditæ sunt: & corpora tum humidiora tum sicciora, modo hypochondriaca, salivam copiosius exspuunt: Illa, quod eorum nervi superflua quoque humiditate madescant: Hæc, per consensum ventriculi nauseantis &c. Lympham vero deferunt vasa Lymphatica dicta, quæ late disseminantur, & truncum cum artubus suo ambitu involvunt: vel enim supra diaphragma, vel infra illud inseruntur: Infra septum enata pleraque sunt hepatica, quæ ab arteriæ cœliacæ hepaticis ramis liquorem suum crystallinum ad mesenterium & commune receptaculum deducunt &c. Eadem hæc vasa è glandulis inguinum & è testiculis pluribus ductibus in unum conjunctis, vasa sanguinea, præcipue arterias hypogastricas & iliacas conscendunt; item & venam cavam variis gyris annulisque comirantur; ad sinistrum latus ramo arteriæ longiori hinc inde anastomosibus inter se junguntur, & per pinguedinem ad glandulas lacteas sursum feruntur: Per omentum quoque lymphatica ad superius os ventriculi & glandulas circumjacentes spargi observavi: Plures valvulas in dictis vasis, sicut in aliis vidimus, hæ cum liquore vasa turgent, penitus nodosa facie externa apparent impedimentum enim dum adest, lymphaque ad glandulas redire nequit, vi quasi lympha sursum propellitur. Ex quo indubitate colligitur lympham inibi à circumferentia moveri ad centrum, & non contra, quemadmodum à multis, ante valvularum in iis vasis inventionem, judicatum fuit: idem motus lymphæ ex ligaturis evincitur: constrictis enim vasis lacteis in mesenterio, evacuata receptacula mox lympha purissima turgescent, in primis si ligatura & evacuatione factis, canis adhuc calentis venter claudatur & aliquandiu relinquatur. Quod ad Pancreatis lympham, ea per ductum proptium, nullis valuulis præditum, in intestinum duodenum evacuatur: lympha hæc insipida est, nulliusque aciditatis in statu naturali particeps, quod sæpe gustu judicavi: colligitur hic liquor in conglomerata pancreatis glandula, à contiguo nervorum plexu mesenterico, qui, excrementum suum spirituosum plurimis ramis in tam vile intestinorum stabulum amandat; Quæ vero supra septum transversum sunt aquosa vasa, ex artuum imprimis & colli conglobatis glandulis oriuntur in jugulatem externam, seu axillaris concursum, ad latera tracheæ majoribus ramis descendendo, ingrediuntur; opposita videlicet ductibus thoracicis insertione; atque circa Thymum gyros & anfractus splendidos & magnos efformant, qui liquorem ad ipsum cordis ventriculum dextrum cum sanguine perducunt, & fine trunco per rivulos ad communem corporis oceanum pleno gurgite exundant: hic notandum Ductum Thoracicum, infra sextam thoracis vertebram plerumque semicirculum efformare, & vasa lymphatica undiquaque recipere: id quod videtur imprimis si venæ jugulares in cane vivente constringantur; ut arteriæ suum sanguinem non libere venis infundere possint, & seri hujus nobilioris secretio major fiat. Sunt præterea supra diaphragma oculorum vasa lymphatica numero plura, vel exteriora, vel interiora: illa externo oculi angulo occumbunt, & à glandula conglomerata in eodem cantho sita oriuntur: hæc glandulam, vulgò lacrymalem dictam pro fonte agnoscunt & lacrymas ducunt: Considerandi sunt inter vasa lymphatica superiora, Ductus Salivales dicti, tam superiores quàm inferiores, intra oris cavitatem internam conspicui, qui magnam Salivæ copiam continuo in os vel ventriculum deponunt. Salivalium inferiorum primus inventor Clar. *Warthon* è nervoso genere Salivam in glandulas profundi existimat. In magnis salivationibus ait, quales Mercurii opera cientur, nervi multum exsiccantur & à superflua humiditate liberantur, quod vix contingeret si nervi ad ptyalismum nihil plane conferrent: prætetea haud facile dictu est in quem alium usum tanta nervorum copia in has glandulas deferatur: certè motui nihil plane conducunt, nec multum sensui, quoniam ab objectis sensibilibus longe absunt: quare aliquid vel apportant vel auferunt; afferre autem non auferre ex eo constat quod hæ glandulæ sint conglomeratæ & Excretoriæ; denique major est quantitas materiæ Salivalis per has glandulas excretæ quàm facile credas ab exiguis illis arteriis & venis, quæ ad partes has distribuuntur, afferri posse: non negamus tamen quin forte arteriæ quoque; aliquid ad hanc humoris illius accumulationem conferant; *Hactenus Warthon*: Liquor hic nervosus si per glandularum salivalium malam dispositionem per nervos regurgitet, epilepsiæ, morns convulsivi, & scrophulæ oriri possunt: Et hæc vera est causa cur quandoque morbi hi gravissimi per salivationem curentur, sicut & lues venerea, cujus venenum massæ sanguineæ commixtum: quamvis nullis partibus parcat, suam præcipue vim glandulis insert, quia lymphæ facile conjungitur: A compressione glandularum inguinalium liquorem inter nervos ad caput regurgitasse, & symptomata spactica causatum esse refert *Willisius* de morbis convulsivis hoc exemplo: Puella annorum 12. herniam contraxerat, hinc fasciam male adaptaram, cum fidula duriuscula glandulas inguinales valde comprimente, non sine magno cruciatu per binas septimanas gestabat: intra hoc spatium, (cum prius integrè valebat,) de vertigine & gravi capitis torpore queri cepit, ac paulò post affectiones convulsivas & quasi hystericas crebrò ingruentes passa erat, simulque scrophulæ ingentes pone aures ac in cervice ejusdem lateris oriebantur, quibus antehac in tota vita haud quaquam obnoxia fuerat.

Observatio XVII.

Labiorum intumescentia à Glandularum copia sub cute delitescentium.

SEctus à Dom. D. *Sylvio* febricitans & Ictericus, cujus Labia, quod tumidiora viderentur, apetta magnum glandulatum numerum statim sub cute ostendebant. *Olaus Borrichius ad Th. Bartholinum in hujus Epist. centur. 3. Ep. 97.*

Febricitans & Ictericus] Interdum tumores & vesiculæ Labia occupant præsertim in febribus, eo detruso febrili seminario à venis & arteriis; quod febris ad exitum properantis, nec falso, scripsit esse Avicennas. Nonnunquam tamen tales tumores in morbis lethales observantur: Ita Phenicis & Andreæ fratribus, apud *Hippocr.* 5. Epid. sect. 4. mala altera intumuit, & Labium, quod ex anteriore parte malæ & oculo respondet, neque quicquam initio spectanti comparebat, neque foris ullam puris significationem edebat, sed arida putredine intumescens marcescebat, & mortui sunt: pravus color Labiorum labem in visceribus sæpe designat, præsertim Pulmonum: obiit ante annos xv. famula quædam mea ex hydrope Pulmonis, cujus inter cætera signa præcursor fuit insignis Labiorum lividitas. Porro labia sæpe ob hypochondriorum affectus pati observavit *Vallesius* Comment. in lib. iv. Epidem. quia ascendentia sursum eorum excremenra, tanquam in via intercipiunt.

Labia tumidiora] De labiorum tumore singulati agit *Arn. Bootius* Tract. de affectibus Omissis, sub titulo Labrosulcii seu Cheilocaces, cap. 10 affectu in Anglia & Hibernia familiari, interdum Epidemio: infantibus præsertim molesto: Sub quo admodum labra tumescunt, tumore duro & nonnihil rubicundo, sed nequaquam fervido aut inflammatorio, qui nunquam suppurетur: ortum verisimiliter ducente à glandulis quæ naturaliter insunt labiis, minuris in statu naturali, tumidis in morboso, ab humorum confluxu.

Febricitans] Lycino Grammatico [apud Hippoc. 4. Epid.] febre biliosa ex splene correpto, cum gravitate capitis, in utrisque labiis ulcuscula, interius rotunda & parva eruperunt: Affectionem capitis significare, ait *Vallesius in comm.* ulcuscula mali moris, in utrisque labiis interius orta: Nam quia caput excipiebat à Liene multum & malum succum, multitudo faciebat gravantem dolorem, malignitas ulcera mali moris: nam talia esse indicabat forma eorum, quæ cum magna non essent erant, tamen rotunda & profunda, quæ duo in ulceribus magnopere vituperantur.

Observatio XVIII.

Lingua in pelliculas crassas & glutinosas vi pestilentis febris resoluta, ob siderationem viscerum quorundam.

NOvi mulierem cui in pelliculas crassas & glutinosas, non solum lingua sed & œsophagus universus cum ventriculo, tandem & intestinorum tunicæ putruerunt: Hæc inter initia sitiens magnopere, vinum austerum & rubrum sumpserat in uno die, prope ad quantitatem libratum sex, unde sic illi guttur incanduit, ut nec liquidiores cibos transmittere, nedum medicamenta potuerit, Obiit illa miserrimo fato, damnans humana præsidia, multumque impatiens quod ne potui quidem accipiendo in acerbissima siti, viam aut instrumentis commodam reperirent: Urina huic alba semper, &c. Illi, & plerisque, dissecto corpore universa viscera, aut major illorum portio, nunc nigra ut carbo quispiam visa est; nunc suppuratis pustulis plena: fit enim facillime, ut per consensus tunicarum pituita concrescens jugiter adhærescat. *Gemma lib. 2. cap. 4. Cosmocrit.*

IN ardentibus febribus quandoque Lingua adeo atra & excocta redditur quam carbo est, quæ vel nova excrementitia pellicula obducitur. Sic memini me vidisse Chirurgum M. Martinum Sixtum à Monichen, Consuli Malmogiensi, spatio sex vel septem horarum, aliquot dies hemitritæo laboranti, excoriasse omnino linguam, alia subinde pellicula totidem horis intermissis obducta, quam ceu à forma calcei, calceum calcearius, seu sutor, ille de lingua detractam reponere posset, ubivis locorum quo vellet, qui tamen alexipharmacis propinatis ex morbo gravissimo eluctatus est: Sed horum & similium, seu morborum seu symptomatum, linguæ quasi torrefactæ rationem ex *Adriani Spigelii* de corp. hum. fabr. l. 6. cap. 2. petemus, quo loci demonstrat cur in ardentibus febribus lingua nigrescat, imo difficulter ægri deglutiant: *Etsi verum est (quæ causa vulgo affertur) ex universo corpore vapores ad caput plurimos transmitti, non minimam tamen hujus nigredinis culpam arteriæ vicinitati licebit adscribere, qua accensa ac inflammata, œsophago, & sic consequenter ipsi etiam lingua gravia mala impertit:* Quod si vero philosophica regula hic loci locum habet, unius positionem non esse exclusionem alterius, nec Tymus hic omni culpa vacat, quem tum temporis ingenti sicca intemperie laborare ratione optima me defendere posse arbitror, maximè ob vasa quæ ad hanc glandulam distribui *Warthonus*, Adenographiæ cap. 16. docet: Ut ergo ad labia pellitur naturæ robore, in synocho non putrida, fermentum febris, ita tale quid moliri eam, sed spe frustratam in Synocho putrida verisimile est, & ubi extundere è naribus sanguinem non potest, per Thymum vasaque salivalia, aut ductus salivales VVartoni, salivatione interveniente, affirmandum videtur: quod si vero nec ea ex sententia perficitur, symptomata ingravescunt, & sputum vel omnino nullum, aut ægerrime exscreatur, lingua oppido aduritur: Tale ergo ob corruptum sanguinem tunc temporis lingua, quale

quale quid ob artificiale caulticum cutis brachii, pariter, i. e. Lingua expers facta sensus, imo quoque gustus est., *Simon Pauli Tractat. de Febribus malignis p. m. 27.*

Urina alba semper) An quia bilis, vel sal lixivus, urinam tingens, totus in inflammata parte, post modum sphacelo correpta, cohibentur? Non secus ac in febre Leipyria interiora æstu torrentur, algentibus extremis, à bile incendii causa, omnino intus coercita & diffundi prohibita ad superficiem.

Observatio XIX.

Linguæ nigredo à pulmonibus retorridis, cum hydrope thoracis dextri.

Uxori N. dyspnœa accidit cum febre levi, sed siti perpetua, & Lingua nigra quidem non tamen arida. Thoracis dextri spatium aquæ magnæ vi erat distentum, Pulmones retorridi & multo purulento tabo prægnantes, *Vide l. 2. tit. de Dyspnœa.*

Lingua nigra) Unica est, & ea quidem proxima Linguæ colorum causa, nempe humorum color, aut vaporis: cujus varietas non uno modo colorum linguæ varietatem parit: nam aut humor cum suo colore permixtus sanguini, ob errorem assimilatricis singularum partium non redditur illi concolor, ut in leucæ: pituita alba maculis albis inficit cutem, quia sanguis pituitosus haud assimilari potuit, ut etiam in Ictero flavo & nigro evenire solet, & hoc modo linguam versicolorem fieri usu ipso novi: quanquam & hoc modo vario colore tingi non est negandum: nam sicut cutis externa, dum nutritur sanguine aut bilioso aut pituitoso, aut melancholico magis quam par est, nec plane nutriendæ parti assimilari potest à coctrice illius, cur & in lingua quandoque id non accidat? præsertim cum id videatur innuere Aristoteles Probl. 34. cum quærit, cur lingua tot coloribus evariet quot cutis? nam quæstio potissimum intelligi debet, ut lingua colore tingatur eodem modo quo cutis, si par ratio debet esse utriusque particulæ. Alio modo adsciscitur linguæ color, cum per influxum humor à parte in partem impellitur; ut in linguæ tumore phlegmonoso cum sanguine, qui partem præter naturam tumefacit, apponitur etiam rubor, & hoc modo linguam coloratam non raro videre licet: Frequentius, & tertio modo, colore imbuitur lingua, cum humor extrinsecus adveniens, vel à ventriculo, vel capite pituita illi, tanquam parieti calx allinitur, aut in vaporem resolutus eam tingit, ut fumus caminum. Denique aut è venis & arteriis linguæ ipsius exsudat humor tenuis, qui suo colore linguam maculat, ut sæpe sanguis è venis effluens cutim rubefacit: Nec quis facile alios colorationis cutis & linguæ modos afferre potest, nisi addat eos, qui vel cibo & potione, vel medicamentis efficiuntur. *Proibus Casulanus de ling. l. 4. c. 6.*

Nigra quidem non tamen arida) Nigra à Pulmonum incendio; non tamen arida, ob aquæ copiam in cavo thoracis dextri contentam, à cujus præsentia humectabatur: Demum ab atro humore Lingua nigrifieri potest citra ariditatem.

Observatio XX.

Lingua nigra ob corruptam in utero secundinam.

Mulieri secundinæ substiterunt: febris nata, Lingua nigra: Inventa caro oblonga adnata utero, & membranatum pars quæ computruerat. *Vide lib. 4. tit. de Febrib.*

Frequentissime in acutis febribus lingua nigritiem induit, ideo *Galenus* comm. 1. in 6. Epid. ait, In uteri phlegmone febres valde vehementes concitari & calidas, ob quas lingua velut à fuligine nigrescit: Et *Hippocr.* lib de affection. *Si vero externæ partes circa principium non valde fervidæ fuerint, verum internæ, & lingua aspera & nigra fit.* Fit autem Lingua nigra non solum quia fuliginosam corpus eam tingat, vel ater humor exudans à venis, sed etiam quia venæ, quæ sub ipsa sunt, crassæ & nigræ evaserint, ut 2. de morbis Hippor. *Connotatur sæpissime lingua nigra quæcunque scribitur adusta: adustio enim in ore duo condicere solet, siccitatem & nigredinem.* 3. Epid. comm. 1. Galen. vel siccitatem quidem semper, nigredinem frequentissime: Fuliginosa etiam idem notare solet ac nigra, nam omnino quod fuliginosum est nigrum intelligitur, licet non contra, quicquid nigrum est fuliginosum sit, nam lingua etiam ab atro humore nigra fieri solet.

Lingua nigra] Aliquando lingua nigra fit & fuliginibus tingitur in ardente febre, cum tamen fauces & circumsitæ partes tantum rubescant, quia hæ propinquiores sunt accensò vapori è ventriculo per gulam, & è pectore per tracheam expirante; Lingua autem remotior est, quæ progressas fuligines & extinctas excipit: adde hujus substantiam ratam esse & fungosam, admittentis fumosis vaporibus magis aptam: Sic in fornacibus pars remotior à fuligine nigrescit, proxima foco rubra est.

Observatio XXI.

Linguæ & faucium nigredo, à nigro humore in arteria venosa & aorta concluso.

In anatome Sereniss. Principis, arteria venosa & aorta nigro humore erant repleta, qualem in Lingua & faucibus per aliquot tempus magna cum difficultate habuerat. *Vide lib. 3. tit. de vomitu.*

DE Linguis ampla est materies, præsertim quod pertinet ad judicium de febribus faciendum: Fere cum Lingua alienum quid in se habet, tum aut febrem suspicamur, aut affectum aliquem partium internarum, *Galenus* enim 4. lib. 2. *de locis*, ait maxime linguæ & totius corporis colorem alterari cum hepar laborat. Sed an necessario febrem adesse significat, ut aliquid p. n. in lingua contingat, quasi vero caloris contra naturam proprium sit aut vaporem aut exhalationem excitare è segni latentéque in corpore humore? Nunquid eorum qui pomeridiano somno indulgent, & os & lingua aliquid aut insulsum aut ἀηδὲς habet, cum tamen nulla adsit febris? Nunquid & & *Hippocrates* part. 17. libr. 6. Epid. sect. 5. ait *Salsæ gustatui carnes superfluæ materiæ signum*, id est, si salsedinis gustus sit in ore, materiei superfluæ & excretionem sui indicantis est argumentum: Non meminit febris, Sic cum humor redundat in corpore potest sui speciem repræsentare in lingua absente febre, ut in *Serenissimo Principe*: & tamen quia talem humoris excessum proxime aliquando sequitur febris, tribuitur alteratio linguæ non tam humori quam febri, & id quidem male: Sic lingua tingitur, aut quia febris adest, aut hujus illiusve humoris abundantia, ut in hypochondriacis, & nigricat lingua, & aciditatis sensus in ore adest, aut quia in ventriculo continetur humor. Et Hippocr. part. 14, sect. 5. lib. 6. *Epid. Lingua lotium indicat*, id est, quis humor in corpore redundet; id quod lotium, id est serum, cujusque humoris refert, tanquam facilior paranymphus, & eo loco varias species colorum in lingua describit: Sed omnino duo summa genera colligemus, aut lingua affecta est per modum vaporis, aut per modum fuliginis & exhalationis: una species est humoralis, altera non tam est materialis quam immaterialis, per æstum tantum & effervescentiam, ita ut vel nulla sit materia, vel si sit, ea pauca est, aut jam exusta, ut vapor nullus excitetur. Et revera aliud est alterari linguam materialiter per modum vaporis, aliud est immaterialiter per modum fuliginis & exhalationis. Prius purgationem vacuationemque postulat, posterius omnimodam alterationem: Qui secus facit, rebus minime intellectis in suum ma ignoratione versabitur, Quæ omnia Hippocrates quodammodo explicavit, sed obscure, Dum enim ait, *Linguæ virides, biliosæ*, materiam significant, Cum ait, *Arida*, à fuliginosa exustione, posterius linguarum alteratarum genus graphice describit: Maxime vero materies aliqua in lingua & dentibus apparet, cum à calore extraneo excitatur vapor, Quod & Hippocr. aphor. 53. 4. scribit, dum ait *Quibus in febribus circa dentes lentores quidam sunt, ut fortes febres sunt*. Declaratur enim & caloris multitudo & pituitosioris humoris copia, à qua crassus vapor excitatur, qui resiccatus febrilis calore circa dentes τὰ γλίσχρα facit: Tametsi enim humor in præcordiis redundet, vix magna copia excitatur vapor, qui γλίσχρα linguam inficiat, nisi calor contra naturam adsit qui materiam agitet: Unde plerisque sanis, mane sæpe à somno excitatis, aliquid γλίσχρον apparet, sed id facile aliqua lotione eluitur, quia causa efficiens non manet. *Guillelmus Ballonius Epidem. & Ephemer. lib. 2. pag. 116.*

Observatio XXII.

Linguæ siccitas & rubor à parte sinistra Pulmonum tabida, Purulenta materia in sinistra thoracis parte.

VXor D. N. nata patre Pulmonico, tandem questa est de Linguæ rubore & siccitate, juncta Siti insigni, &c. Pars sinistra Pulmonis magna sui parte tabuerat: Purulenta materia continebatur illa thoracis parte. *Vide lib. 2. tit. de Phthisi.*

LInguæ rubore & siccitate) *Prothus Casulanus* libro de Lingua 3. cap. 11. Linguæ ruborem & exsiccationem, junctam vocis obscuritati, notare ait anginam, sive inflammationem musculorum faucium internorum, cujus inflammationis rubor, aut pars ejus, (non est enim unquam sine rubore vera phlegmone) linguæ communicatur. Exsiccationem vero pendere à febre anginæ conjuncta: Ejusmodi autem colorem, cum siccitate linguæ, pulmones phlegmone, erysipelate præsertim, tentatos (at tunc lingua simul exerta est) indicare certum est.

Observatio XXIII.

Linguæ siccitas in quodam cui Pulmones circa dorsum corrupti reperti sunt.

VIr Rever. Febre assidua affectus est, cui tussis accessit; difficilis respiratio, sinistri lateris dolor. Sequitur ariditas & *siccitas linguæ sine Siti*, dolor dorsi, &c. Hic spatio duorum dierum suffocatus obiit. Reperta est corruptio pulmonis in parte sinistra versus dorsum vergente. *Vide lib. 4. tit. de Febribus.*

SIccitas linguæ sine Siti) Si absit delirium, cujus causa non percipitur molestus sensus Sitis, prædici potest mors instans, ob interitum facultatis appetentis, pendente à calore & siccitate febrili, unde destructio temperamenti in quo vis potus appetens sita est: Concurrere autem possunt simul delirium atque hujus facultatis destructio, quod fortis intemperies calida & sicca, & delirium parere, & sitiendi vim interimere valeat.

Observatio XXIV.

Lingua scabra & nigra in quodam cui Carbo pestillens in ventriculo repertus est.

IUvenem febris continua prehendit, cum ariditate & scabritie linguæ, quæ & nigra: In ventriculi fundo vestigium simile ab impresso cauterio actuali cum eschara reperimus. *Vide lib. 4. tit: de Febribus.*

LInguæ constitutionis & colorum in febribus has causas tradit Excell. *VVillis* libro de Febribus cap. 10: Linguæ ac Faucium ardor. ac scabrities, sæpe etiam amurcæ cujusdam albæ, aut nigræ accretio accidunt, propter calorem & fuliginem è ventriculo & Pulmonibus æstu flagrantibus exhalatam: Lingua vero *albescit*, quotiescunque humiditas illa (qua plurima naturaliter imbuta est) exaruit & decoquitur, adeòque exterior linguæ cutis à retorrido calore velut elixatur. Hinc quoque *Scabra* evadit, quod etiam in sanis cernitur, si quando linguam jusculo, aliove sorbili præfervido amburi contingit: Pariter cum linguæ animalium ad mensarum usum elixantur, earum cutis alba & aspera evadit: Sive enim saliva è glandulis maxillaribus, sive alius quispiam humor à tonsillis aut aliunde proliciatur, quia tamen ob calorem & siccitatem nimiam incrassescit & viscidus evadit, etiam tunc quoque linguæ tunica exterior albicat nihilominus, sed & mucoso quodam lentore obducitur, nimirum quia humor iste præ crassitie linguam oblinere quidem potest, non tamen diluere & humectare: Si vero accidat linguam humore bilioso vel introrsum suffundi, vel extrinsecus tingi; (ut in vomitibus picrocholis usuvenit, tum villi ejus, utpote spongiosi, *flavum virus* imbibentes, colorem quoque similem exhibent: Quod si denique calor adeo intensus fiat ut sanguinem adurat, ignémque solito ardentiorem excitet, sequitur ut è cordis foco, per pulmonum spiracula, vix tanto incendio ventilando sufficientia fuligines suscitentur, quæ ad palati fornicem allisæ, linguam quasi reverberio feriunt & *nigrore* inficiunt. Istiusmodi autem nigredo (ut & reliqua linguæ inquinamenta) in medianis ejus partibus magis conspicua est, quia scilicet exteriores ambitus, frequentiori ad gingivas & palatum attritu detergentur.

Observatio XXV.

Linguæ scabrities & nigredo in febre inducta à vitio & intemperie calida & sicca ventriculi ac jecoris.

QUidam *febre laborabat* quasi amphimerina: Lingua erat omni fuligine nigrior, aspera, arida. In mortuo apparuit *Ventriculi* imum quasi excoriatum, & *Iecoris* superficies convexa nigerrima. *Vide lib. 4. tit. de Febribus.*

FEbre loborabat) Febrem putridam & acutam affectionem esse primario Cordis, hinc annexorum vasorum, apud omnes constat. Ab eo cordis extraneo calore, intemperie calida & sicca, primo arteriæ & venæ majores incalescunt & exsiccantur, dein mediocres & minimæ, denique illæ quæ ipsi Linguæ intextæ sunt, quibus calefactis & exsiccatis, necesse est illam exsuccam & aridam fieri. Idcirco Hippocrates lib. de vict. rat. in acut. ait, *Morbi sicci tum arteriarum tum venarum dignoscuntur Linguæ siccitate, & ea, quæ totum corpus occupat, ariditate.* Et lib. de Prisc. Medic. *Quæ in venis & arteriis contingunt ariditates, hæ tum lingua; tum externo colore conspicuæ sunt.* Hoc est, Linguæ & totius ariditates sunt effectus earum siccitatum quæ prius venas & arterias attigerunt; adde & cor: nam affectiones partium à principibus deductarum, pendent ab iis membris quæ principii rationem habent; præsertim si pars à membro principe non multum dissita sit, ut lingua super laryngem, asperam arteriam, pulmonem & cor posita est. Sic *qui viret in foliis venit à radicibus humor.*

Ventriculi & Iecoris) Propagata & diffusa hinc exustio ad oris partes & Linguam. Atque ut squaloris illarum partium Lingua index est, sic & multæ humiditatis, qua hæc abundat, causa existit redundans ventriculi humor, ut docet Galenus 6. Aphoris. 82. *Lingua admodum humida existente, & ventriculum talem par esse, ut alteram tunicam communem habeat ad linguam.* Et comm. 5. 6. Epid. *Sed cùm in ventriculo ejusmodi aliquid continebitur, aut multo calore fundente, atque in spiritus humores vertente, in sublime halitus ferentur.* Ex quibus palam fit colorum Linguam inficientium, causam esse copiam humoris in ventriculo redundantis, sive is per se ascendat, sive halitus specie, à subigente calore excitatus, eo deferatur: Obstare videtur *Avicenna*, ex cujus sententia difficile est complexionem stomachi ex colore linguæ cognoscere, Aliud enim est dicere causam colorum linguæ contineri sæpe numero in ventriculo, ob humores quos aliunde suscipit: Aliud temperiem ventriculi nasci ex coloribus linguæ: nam multoties bilis flava, seu amara, ab hepate in ventriculum regurgitat in iis qui pichrocholi sunt parte ejus superna; qui humor cum calore suo ubi communicatur linguæ, hæpatis non ventriculi arguit vitium.

Ventriculi, Iecoris &c.) Hic pertinet exemplum a *Ballonte* Epid. & Eph. I. 2. p. 208. allarum; Domini, *ait*, N. lingua velut exusta & φρικιώδης etiam dum sana est; admirabilis est hypochondriacorum dispositio, præsertim cum jam καῦμα quoddam est: interna enim adustio est, & ventriculus facile communicat tunicæ linguæ.

OBSERVATIO XXVI.

Lingua Sordida, Aspera Rubra, à Pulmonum inflammatione.

ANno 1601. in Ducatu Urbini vagabantur anginæ, pleuritides, peripneumoniæ, &c. *Lingua erat excrementosa*, humida, modo aspera & rubra: Aderant pulmonum abscessus, ex quibus materia fœtens prodibat. *Vide lib. 4 tit. de Febribus.*

Γλῶσσα περιπλευμονικὴ ab Hippocr. dicitur lingua qualis in peripneumonia laborantibus cerni solet: Relinquit enim tanquam verum fieri non posse quin in pulmonis inflammatione fuliginis abundet copia, à qua lingua densetur, exasperetur & siccescat: Imo in ejusmodi affectibus crusta quadam obducta lingua videtur, ob ingens conceptum in pulmone incendium, unde sitis quæ nulla fere arte extingui explerique potest: Itaque ex particulari morbo signum linguæ ariditatis desumit, ut περιπλευμονικὴ γλῶσσα dicatur ab eo Epid. 7. ὠχρὴ, φεινώδης, δασεῖα, καὶ τραχεῖα: quod verum quidem est in ea peripneumonia quæ in erysipelate consistit: nam reperio apud eundem Hippocr. Epidem. lib. 7. linguam peripneumonicam dici eam quæ cum pallore albicat: Nam materiæ pituitosæ, peripneumoniam committentis, naturam insequitur: Lib. autem 1. de morbis, ait ex pleuritide facile in ardentem febrem transitum fieri, non autem in peripneumoniam, quia, credo hæc à pituita potius est. *Ballonius Definition. Medicin. pagin. 16.*

Rubra) Rubescit ligna p. n. ab inflammatione, de qua Hippocr. 3. Epidem. narrans historiam mulieris quæ angina laborabat, cui vox obscura erat & lingua rubens; De eadem lingua Idem 2. Epid loquens de quadam specie anginæ, *Lingua posterior pars inflammatur* i. e. linguæ pars quæ ad columellam respicit, sed quod inflammatur necessario rubescit; cum inter signa pathognomonica phlegmonis sit rubor, ex Galeno; Rubor linguæ non unjusmodi est, alter enim intensus est, ad nigredinem quandam vergens, de quo audiendus Hippocr. 2. de morbis, cum ait, *Febris tenet, & sitis vehemens, & lingua aspera & nigra, & cum virore pallida & sicca, vehementer rubicunda*; id est, eo rubore rubra qui in nigro rubescit. Et 7. Epidem. *Bali filio, cum ex monte penitus aberrasset, lingua die 6. subrubra*: qui alter ruboris modus, ad dilutum declinans, ideo subrubrum dixit.

Lingua erat excrementosa humida, modo aspera & rubra, vagabantur peripneumonia.) Albor cum pallore linguæ, ex sententia Hippocr. 7. Epid. denotat inflammationem Pulmonis, si signa pathognomonica adsint; nam pallor & albedo nonnisi sunt συνεδρεύοντα, quæ ab eo morbo separari possunt, In Coacis enim præsagiis, ubi hujus morbi descriptio fit, alboris & palloris linguæ nulla mentio; quia sine his possit esse. Nec enim valet consequentia, Lingua excrementis scatet, vel alba est & palida, ergo adest peripneumonia, nam & talis in tertiana notha, ex commistione bilis & pituitæ deprehenditur: Quod si signa peripneumoniæ pathognomonica, cum tali lingua adfuerint, talis morbus esse certo pronuntietur. Objicies, 3. de morbis Hypocrates signa inflammationis pulmonum recensens, flaviriem & nigredinem ponit, non pallorem & alborem? Respondeo 1°. per flaviriem intelligendam esse palliditatem, flava enim & pallida bilis, utriusque coloris parens, interdum pro eodem sumuntur, pallor enim flavedinis æmulus est. Dico 2. distinguenda esse tempora morbi, initio enim albedo & pallor insunt, in augmento & statu pallor & nigrities, seu flavedo & nigrities: Hinc Hippocbr. 2. de morbis, *Primum lingua flava est, verum progressu temporis nigrescit*, hoc est, Principium morbi deprehenditur ex albedine linguæ, augmentum ex ejusdem pallore, ut status ex flavitie & nigredine: Nec res caret ratione, quæcunque enim res ab uberiore caloris actione nigra fit, sublatis scil. fuliginibus ex iis quæ magis magisque aduruntur.

OBSERVATIO XXVII.

Lingua extra os perpetuo exerta, ob Pulmonum incendium pustulis per membranam obsitorum.

JUveni (*de quo tit. de Phrenitide Observ. ij.*) cui ex retrocessu erysipelatis accessit spirandi difficultas, & Sitis, Lingua perpetuo ex ore efferebatur; Pleuræ pars dextra pustulis miliaribus obsessa deprehensa est, nec non Pulmonum membrana.

HIppocr. 2. de morbis & 3. loquens de Pulmone præ calore tumente, ait Tussim tenere, & erectæ cervicis spirationem & acervatim respirare ægrum, & Linguam frequenter exerere, quod indicium est magno cor teneri incendio, ob inflammatorium aliquem pulmonum affectum, Ut enim canes & equi à citatiori & diuturno cursu æstuantes, linguam exerunt, tum ut latiorem viam pandant aëri, ejusque major ingrediatur copia; tum ut facilior fuliginibus pateat exitus, sic & hominibus æstuoso quodam morbo correptis.

OBSERVATIO XXVIII.

A gingivarum crassitie eruptio Dentium impedita, unde mors.

VOcatus fui ab Illust. Duce Nivernensi quo dissecarem cadaver filioli octimestris, cui nullus adhuc dum dens eruperat: Explorata diligenter mortis causa, nulla alia à me depre-

deprehensa præter gengivarum extraordinariam duritiem & crassitiem, cum tumore earundem, quæ parte superna incisæ, dentes omnes eruptioni proximos ostenderunt, si auxilium per gingivarum levem apertionem allatum fuisset. Hæc mea fuit & medicorum assidentium sententia, mortis non aliam fuisse causam quàm naturæ debilitatem, quæ perforandis gingivis impar fuisset, dentibusque extrudendis, qui pro ætate duriores erant, imo etiam provectiore.

DEntitionis tempore nihil ori infantis actu frigidum indendum, ne eruptio tarda fit & difficilis, at potius dulcia, lenientia, dilatandæ gingivæ gratia & leniendi doloris; quamobrem nutrix crebro digitis, aleo amygdalio intinctis, vel butyro recenti, melli aut saccharo misto confricabit, vel etiam mucilagine seminum psyllii, altheæ, cydoniorum, extractæ cum aqua violarum, illinet. Exterius admovebitur cataplasma ex farina hordei, lacte, oleo rosaceo, vitellis ovorum paratum: necnon cerebro leporino tosto, vel elixo, ob relaxandi vim qua pollet, singularemque & abditam dentes eliciendi vim, quam probat experientia: Valet & in id porcelli lactentis cerebrum, Vulgo exhibetur pueris liquiritiæ bacillum melli immersum, vel dens lupi crepundiis insertus, quæ gingivis affricant, cum delectatione: eruptioni enim dentis pruritus in gingivis illis molestus eo pacto mulcetur, gingivis sic rarioribus redditis & attenuatis; Ejusmodi vero præsidia, ob gingivæ duritiem sæpe inutilia sunt, ideòque dentes moram trahunt, ejusque distensionem graves sequuntur dolores, febres aliaq; accidentia & tandem mors. Quamobrem suasor sum Chirurgo ut levem gingivæ incisionem tentet, supra ipsum dentem, exitumque sic illi paret faciliorem. Id in propriis meis liberis à me præstitum est, præsentibus Dominis *le Fevre*, Medico Regis ordinario, *Altino*, *Courtino*, Facultatis Medicæ Pariensis Doctoribus. *Iacobo Guillemeo* Chirurgo Regio, &. *Pareus Operum lib. xxiv. cap. xiv.*

OBSERVATIO XXIX.

Dentium dolor & Caries ab humore è capite per meatum peculiarem in cavitatem maxillæ superiori insculptam stillante.

SIlentio prætetire non possumus quod generosæ cuidam fœminæ sub nostra cura laboranti accidit. Cum subserina, eàq; continua salsi humoris destillatione per multos retro annos laborasset, omnésque pene dentes corrosos ac cariosos avulserat, nec tamen à dolore liberata, tandem dente canino sinistri lateris effosso, simul squammosa illa distinctio inter cavitatem hanc & dentis foveam eripitur, adeo ut humorum per alveolum dicti dentis ab antro illo perennis successerit destillatio. Qua multum perterrita, stylo argenteo in alveolum immisso originem fontis hujus exploratura, usq; ad oculum per tunicas pene duas sursum adegit: magis adhuc metuens, pennam minorem plumis deceptis rotam pene ad longitudinem palmæ unius immisit. Jam maxime consternata, ad cerebrum usque decurrere existimans me consuluit. Ubi autem singulas examinavi circumstantias, pennæ reduplicationes, illámque per cavitatem hanc designavimus: Atque sicubi in figura convenienti cavitatem hanc designavimus, illam usu ac necessitate hujus satis instructam, perinnisque illius fontis patientissimam habuimus, à timore & Medicina simul desistit.

Cavernula in maxilla superiore magna est, seu Antrum utrinque unum, sub oculi sede inferiore; ubi os ad oculi tutelam quodammodo protuberat, ad latera inferiora nasi situm insigniter cavum, sphæricum, aliquantulum vero oblongum, & ita amplum ut articulus pollicis majoris pedis ultimus in illa delitescat: osse attenuato, seu squamma ossea, obtegitur: os enim quod illud includit, & quod à dentium alveolis extremis distinguit, crassitie chartam emporeticam non multum excedit: in basi hujus protuberantes quædam eminentiæ cernuntur, quibus Dentium apices tenuiores includuntur. Dentium alveoli margini hujus ossis inferiori insculpuntur, quibus dentes insiguntur: Antrum hoc frequentius vacuum, aliquando muco repletum reperitur, in quod humores à capite per meatum quendam à cavitate illa in osse frontis, & ab osse Ethmoide destillare potuerunt. Levitatis ossium causa, quæ hic oculorum situs gratia crassa esse debuere, factum esse arbitramur. *Highmorus Disquis. Anatom. p. m. 227.*

OBSERVATIO XXX.

Dentium dolor à sero flavo circa corpus falciforme contento.

BArthol. Feer. (*de quo Tit. de Saporosis aff.*) qui Lethargicus obiit, Dum ceu sanus adhuc vivebat, Odontalgiæ obnoxius erat, cujus causa fumum Tabacci hauriebat. Remoto corpore falciformi, cerebrum ad ventriculum sinistrum incidimus, unde protinus serum flavum satis copiose effluxit.

Cere-

Cerebrum) Dentium dolor itidem ab eo sanguine movetur quem advehunt carotides externæ: At hactenus traditum fuit eum de catarrhis nasci, quamquam inventi sunt qui docuerunt eum ab inferioris corporis sanguine otiri posse *Senertus* qui V. *de Taranta* ibi studiose sequitur, eam rem hisce verbis exponit, *Ee confluit materia in superiorem maxillam per angulum oculi majorem, in inferiorem per venas temporum, & principium hujus fluxionis plerunque est à capite: nonnunquam tamen ex inferiore corpore materia affluit ex hepate, liene & utero*: Primum quo pacto materia catarrhi in superiorem maxillam per angulum oculi majorem à capite fluere queat, non video. Jam vero D. D. N. *Highmorus* venas, quibus sanguis ad dentes refluit, ita exequitur: Ubi exterior hic carotidum arteriarum ramus ad aurem pervenerit, circa radicem ejus bifariam dividitur, quorum alter surculus auris capitisque posteriora petit atque irrigat: reliquum surculis jugularis externæ, quibus uniuntur, transfertur, & ab his in jugularem externam: A posteriore hoc carotidis exterioris ramo, arteriæ binæ sub aurem, maxillam inferiorem ingrediuntur, & secundum ejus longitudinem in omnium dentium inferiorum radices disseminantur, quibus sanguis ad dentium nutritionem defertur: Quod restat sanguinis, venis quibus per anastomoses committuntur, emandatur. Hisce in vasis humores acres una cum sanguine ad dentes perveniunt, quibus illorum membranula, exquisite sentiens, interiorum eorum medullam succingens, eroditur & vellicatur. Unde dolores illi Dentium exquisitissimi ortum petunt. Et ab hac arteriarum dentes petentium origine, adstringentia pone, vel sub aures, meliore cum successu in Dentium dolore applicari, quam ad tempora, facile suaderi potest. Ex hisce etiam in Dentium dolore pulsatio quædam in illis percipitur, uti Galenus in seipso est expertus.

Observatio XXXI.

Dentium doloris pulsatorii causa pendet ab affluxu humorum per arterias, in vasis obstructiones pariente, manifestis in dente Bubulo.

Vasa omnis generis ad Dentes feruntur, Arteriæ, Venæ, Nervi: Arteriarum & Venarum ingressus in cadavere humano tam conspicuus quidem non est ac in bovino: qui dubio procul in vivente ob sanguinis impulsum manifestissimus: Dolor Pulsatorius sæpe in odontalgia, largi resque in extractionibus Dentium hæmorrhagiæ sese offerentes, canalium sanguinem ducentium insertionem satis certam probabunt: *Galenus* Dentium dolore vexatus pulsatorium cruciatum in seipso diligentissime observavit, alias plurimis quoque notum: *Roussetus* lib. de hom. princip. & hyster. affect. refert fœminæ cuidam menses per loculum dentis excussi sæpius evacuatos fuisse: Hæmorrhagiam à Dente extracto lethalem *Holler.* comm. in aph. 18. 2. & *Platerus* in Fabro ferrario memorant: Talem desperatam cruoris rejectionem, candenti ferro non cedentem *Zacutus* emplastro Galenico extracti dentis oculo injecto sanavit, Usus autem Arteriarum hic est nutrimentum & spiritum vitalem adducere, Venæ superfluum spiritibusque exhaustum sanguinem ad fontem, ut in cæteris partibus reducunt: Per arterias sæpe materia excrementitia, serosa & acris, simul cum sanguine ad Dentes demittitur, ibi obstructiones in vasis parit accumulatur, doloresque excludit sævissimos: *Moebius fundament. Medic. cap. x. §. xij.*

Vasa omnis generis) Perquas vias feratur humor qui desinente dentium dolore genas in tumorem attollit ostendit *Warthon Adenogr.* p. 116. Maxillares glandulæ in externas & internas dividuntur: Externæ exiguæ admodum sunt: sitæ sunt exterius in media fere longitudine maxillæ inferioris, ubi exterior ramus arteriæ carotidis, venaque jugularis externa, & ramus conspicuus nervi tertii paris in musculo, faciei ascaudunt: Credibile est eas dicti nervi superfluitates aliquas excipere, & in venam proximam transmittere, qui plurimarum glandularum mos est. Forsitan majore concitato fluxu per nervos ad faciem quam qui per habitum corporis percolari, perque lymphæductus ad glandulam hanc remitti possit, facies plane subtumida & inflata apparet; nempe œdematoso tumore inflari, quemadmodum frequenter cernimus in Odontalgiæ declinatione.

Observatio XXXII.

A resecto Dente prominulo Convulsiones & mors, ob Nervum illi insertum simul abscissum, in segmine conspicuum.

Monialis quædam Patavii Dentem, quem habebat præ aliis longissimum, quum ae deformitatem vitandam secari curasset, statim convulsa & epileptica concidit: In parte autem Dentis abscissa nervi vestigium apparebat. *Gaspar Bartholinus Instit. Anat. lib.*

Nervi à quinta conjugatione in superiori maxilla; à tertia in inferiori ad dentes derivantur, qui dubio procul, in eorum cavitatibus expansi constituunt membranam à Columbo, Fallopio, & Eustachio descriptam: Sensum autem circa partem dentis quæ nervum recipit & membrana obducta est, acutissimum vigere concedit *Moebius Fundam. med.* cap.

cap. 2. §. 12. Nervos autem accipere, non sensus gratia, vult, quo carere decet ad masticationem, sed ad firmiorem connexionem & à casu præservationem.

OBSERVATIO XXXIII.

Dentium dolor ortus à vermiculis in eorum cavernulis genitis.

IN Dentium carvernulis non raro vermes nascuntur sævientis doloris causæ: *Moebius Fundam. med.* c. 10 §. 12. Idem asserunt *Avicenna*, *Dodonæus ad Benivenii* cap. 100. *Al. Benedictus* l. 6. c, 13. *Rondeletius* hist. aquat. cap. de cancro fluviat. *Th. à Vega* comm. ad l. 1. cap. 5. de loc. aff.

OBSERVATIO XXXIV.

Dentes decidui ab eorum alveolis gypsea materia incrustatis.

DE defluxionibus quibus obnoxii sunt Dentes illud dico, observasse me non semel præsepiola tantam copiam gypseæ materiæ coacervasse, ut concavitate repleta Dentes omnes prorsus à vinculis soluti sensim foras expellerentur, ac tandem sponte cederent. *Eustachius de Dentibus cap. ult.*

G*ypsea materia.*) De hac materia sic sentit *Helmontius*: Dentis natura inter petram & os neutra est; quicquid sibi adnatum fuerit, illud Dens petrific.t ex odore & semine petriformi, quem odorem puls denti adhærens per attractum haurit, & hoc est quod *Paracelsi* sequaces deceperit Tartari nomine, quasi ex cibo fœtet, cum tamen sœrificanti, à quatriduo jejunanti, hæc mucilago non desit, unde non ex cibo, sed ex male digesta materia ultimi alimenti sui provenit, quæ deinde putrescit: Neq omnino absona Helmontii opinio, cum non in juventute, quo tempore maximi in diæta errores, sed senescentibus & ad frugem devenientibus accrescat tophacea illa materia, etiam accuratè os eluentibus; unde constat male peragi eorum nutritionem & plurima redundare excrementa, non secus ac sordes copiosiores in senibus hecticis &c. copiosæ cuti adhærent, hebetiori facto calore nativo.

OBSERVATIO XXXV.

§. 1. Gustus privatio, ob vitiosum nervorum situm.

MAxima admiratione me affecit inspectio Lazari vitrivoracis vulgò dicti: Hic nullo prorsus gustu dum viveret, præditus erat, nullam in edendo voluptatem, nihil injucundum persentiebat, insipida, amara, dulcia, pinguia, salsa, acria non distinguebat; vitrum, saxa, lapides, ligna, viva, animalia, carbones, pisces è vivario extractos adhuc salientes vorabat, item lutum, lineos laneosque pannos, fœnum, stipulam, & ut brevi omnia complectar, quicquid homines, quicquid animantia vorant, quicquid edendum, seu deglutiendum potius offerebatur, proposita mercede, dictum ac factum, ingurgitabat.

Cum igitur hoc naturæ monstrum mihi dissecandum esset Patavii, cœpi hujusce rei diligenter, quoad ejus fieri potuit, causam venari, quam me tandem Deo duce ex particulari illius structura assequutum esse confido: Nam *quarta nervorum conjugatio*, quæ Gustus gratia in aliis hominibus à natura producta est, in hoc Lazaro neque ad palatum, neque ad linguam, sed ad occipitium reflectebatur. *Columbus lib. xv. Anatom.*

§. 2. Similem naturæ παρέκβασιν in sartore naturali morte extincto notavimus. *Rolfincius Dissertat. Anat. l. 4. c. 35.*

Quarta nervorum conjugatio.) Viris Clar. Th. Bartholino & Willis sexta est, quam ferri ajunt in palatum.

APPENDIX.

Gustus privatio à læsione nervi illi sensui destinato.

CUr in Laryngibus vulnerati sæpe sermonem, sæpe quoque saporem amittunt? Equidem non sine admiratione spectavi *Wilelmum Aurasiorum Principem*, accepto in collo vulnere sensum Gustus amisisse? Est enim nervus duplex à tertia conjugatione manans qui in laryngens inseritur; altero quidem ramo lingua sermoni apta redditur, altero sapores percipiuntur; hoc quidem resecto Gustus, illo sermonis usus amittitur: Quod cum *Aristoteles*, (l. de histor. anim. & l. de anim. & l. de sensu,) non prospiceret, pro decreto posuit nullum animal sine Gustu vivere posse: At Princeps Aurasius amisso Gustu tam diu vixit quoad occideretur.

deretur: ac tametsi cibos condimenris acribus, acidis, salsis, parari juberet, nihil tamen gustu percipiebat, ut quidem ab illo accepimus: Minus quidem mirum est Gustum amisisse, sed amitti sermonem ab eo qui audiat Lingua integra incredibile antea mihi videbatur nisi experientia compertum haberemus. *Bodinus Theatri Naturæ lib. iv. p.* 460.

D. *Malphigius* in Lingua plures exiguas Eminentias derexit, quas præcipuum esse organum *Gustus* credit: Haud ramen omittendum quod *Fracassatus* observavit, quod sicut Lingua versus cuspidem complures habet Eminentias, quibus obviam quasi it, ut ita loqui liceat, Saporibus, Ita radicem versus complures contra cavitates habet in quas eos recipit: Hæ cavitates omnes in Nervos desinunt, & quorundam quasi Infundibulorum alimenta eo portantium vicem subire videntur: Hinc est quod *Malphigius* dicat, quod etiam valde probabile sit, subriliorem alimenti partem immediatè ex Lingua transfire in Nervos, & hinc quoque esse cur vinum, saltem ore exceptum, vires quoque reficiat: *Ex actis Regiæ Societatis Anglicæ Anni* 1667. *p.* 152.

ADDITAMENTA IN AFFECTIBUS LINGUÆ, &c.

OBSERVATIO.

Lingua affectus ventriculi, venarum & Iecoris potius denotat quam Pulmonum.

EGo observavi Linguam à ventriculi malo fere affici, non ita à venis, minime vero omnium à pulmone; nam testes habeo multos medicos Pisauri & Veronæ, multa cadavera eorum qui Peripneumonia & pleuritide dicta erant sublati, & inventos pulmones tumentes & corruptos, illorum ramen plurimis nihil linguam mutatam fuisse, nisi cum ad extremum partes omnes mutarentur: Quod vero observabamus Pisauri cum Excell. Samperolio & Lucido annis 1581. & 1582. nimirum totis octo mensibus quibus civitas illa grassantem pestem habebat, nam è xv. unus non evadebat; Ergo illa à vasis illis majoribus magis quam à ventriculo sejuncta est ideo potius cum Jecoris caro à quo ventriculus afficitur, quam cum pulmonibus aut corde affectum subit, febres potius erubescit, inquam rami majorum vasorum proxime pertinent, unde pulmonibus & thorace caloris febrilis focum renentibus, malæ etiam erubescunt, quoniam illis vasis propinquiores partes sunt. *Guarivonjus consultat,* 158. Linguam animadverti à ventriculo, cum quo tunicam communicat, & per ipsum à Jecore maxime affici: à pulmonibus autem, cum quibus ventriculus nihil commune habet, sæpe minime affectam vidi. *Idem consultat.* 198.

APPENDIX.

Tumoris sub lingua, Batrachi, seu Ranulæ dicti generatio.

DUctus salivales sublinguares ex utroque laryngis latere oriuntur ex magna & insigni glandula, utrinque unus: & glandula oblique sursum ascendens ad mediam circiter maxillam fertur, inter duas exiles glandulas ibi sitas, quas ubi transit, Paulum versus anteriora, digiti circiter transversi à dentibus distantia, juxta linguæ frænulum terminatur, & aperitur in peculiarem glandulam, tenui ac porosa membrana investitam, quæ sita est sub lingua, utrinque ad frænuli latera una, prope venas raninas. Si contingat poros membranæ dictæ sublingualis casu aliquo constringi & nimium arctari, vel ipsum liquorem salivalem sub illa membrana nimis condensari, & in os effluere nequeat, tunc sub lingua, ex multæ salivæ collectione generatur tumor mollis, quem medici *Batrachum* seu *Ranulam* vocant. *De Diemerbroeck Anat. lib.* 3. *cap. ult.*

ANA

ANATOMIÆ PRACTICÆ
LIBRI PRIMI
SECTIO XXII.
De vitiis Vocis & Sermonis.

OBSERVATIO I.

Aphonia & Raucedo ab inflammata Aspera arteria.

ANNO 1624. in cadavere fœminæ Aspera arteria tota erat inflammata parte interiore cum notabili nigredine: Quod nunquam à *Spigelio* antea observatum; Longo intervallo quum *Rauca* vixisset tandem obmutuit. *Ioh. Rhodius cent.* 1. *Observat.* 100.

VOcis prætemnaturalis variæ recensentur differentiæ: Commodissima vero distributio est quæ secundum actionum læsarum species procedit, Aufertur ea, vel Imminuitur, vel Depravatur: Vocis oblatio *ἀφωνία* vocatur: Imminutæ, Deficientes ac Defectæ voces, Hippocr. in Prorrhet, *φωναὶ ἐκλείπουσαι* dicuntur: Depravatæ sunt *Raucæ*, *obscuræ*, *Tremulæ*, *Abruptæ*, *Clangosæ*: Læsionis causæ, ut & Sermonis, in organis eas efformantibus quærendæ sunt: sunt autem Larynx, cum annexis musculis Recurrentibus, Aspera arteria; Ob Aeris efflationem, Thorax, musculis suis instructus, & Pulmo: Concurrunt præterea, Lingua, Columella, Palatum, Dentes. Primò, Tollitur vox, & Imminuitur, aut nervorum principio læso, vel vocalibus instrumentis, vel si deficit vocis materia: *Abolêtur* si cerebrum afficitur, ut in illius commotione vel concussione, apoplexia, epilepsia; necnon in syncope, hystericaque suffocatione, ac similibus affectibus, à denegato spiritum animalium influxu: quo pertinet aphonia ab ebrietate inducta, de qua Hippocr. 5. aph. 5. vapore narcotico spiritus animales sopiente: *Imminuitur* autem vox vel abolêtur affectis organis vocalibus, Primò, si laryngis membrana nimio madore perfunditur, ut ab illapsu catarrhi. Secundò, Si laryngis rimula angustior evadit, occlusa vel compressa à tumore, ut in angina, & si cervicis vertebræ luxationem patiuntur: Tertiò, Si musculi motui laryngis destinati spasmo, paralysi, vulnere, contusione afficiantur: Quartò, A præcisis nervis vocalibus, divulsis, interceptis, aut quomodumque læsis. Quintò, Ab incisa aspera arteria *phlegmone tentata*, obstructa, compressa. Tandem à negata materia, Vox perit aut imminuitur, vel à tracheæ arteriæ vulnere, aut ab eadem compressa, hinc spiritu commeatu non concesso, aut ob thoracis musculos resolutos, vulneratos, confossos, vel idem succingenti costas membranæ si accidat, prohibita ideo thoracis constrictione; quod de insigni tantum læsione intelligendum est: Pulmonis quoque vitio multiplici idem accidere potest. *Depravata* vero *vocis* variæ sunt species, quas inter maxime familiaris est *Rauca* (hinc affectus *βράγχος* dictus) à membrana laryngem asperam arteriam investiente, madore nimio perfusa sæpe numero excitatur, ob catarrhum è cerebro defluentem & pneumatica organa tingentem: Talis & fit à crebra vehementique tussi, *τραχύτητα* arteriæ inducente, phthisicis & empyematicis malum familiare: Ulceri quoque obnoxia dicta organa, hinc lue venerea infectis raucedo molesta est: *τραχυφωνίαν* quoque parit sermo productior intensiorque vociferatio, à quibus tracheæ *διαθέσεις φλεγμονώδεις* inducitur: Secundò, *Vox obtusa*, seu *tenebricosa* & *turbida*; juxta Avicennam, illa est quæ refert sonum ex laminæ unius plumbi cum altera attritione nascitur humore admodum crasso, qualis est pituita vitrea, spiritus instrumenta occupante; Ex Rhasis sententia, 6. contin. Uuulæ abscissionem sequitur. Tertiò, *Vox Tremula* imbecillitati virtutis tribuitur, ac spirituum defectui instrumenta non sufficienter irradiantium, ut in febribus quibusdam observare est: Talis quoque evadit humore extraneo imbutis laryngis musculis & linguæ nervisque his destinatis: Timore perculsi non lingua solum, sed & pedibus manibusque tremunt, ad cor revocatis calore & spiritibus: Quartò, *Abrupta vocis*, *perfracta*, *perversa*, meminit Hippocr. 4. de uictu Ac. quam *κατεκλασμένην* vocat, imbecillitatis simul facultatis motricis, & organorum spiritui efflationi assignatorum soboles: Assimilatur sono ex musicis organis expulso, si qui folles movet debilis sit, ac inæquali motu impellat, ab ea impulsionis varietate sonus interruptus producitur: Idem contingit à musculis materiæ vocis effandæ inservientibus, qui debiles, nec æquali tono agitati, soni anomaliam vocisque interruptionem pariunt. Quintò, *Vox Tarda* facultati suppressæ, quæ libere thoracem movere non potest, ortum debet, ab effuso in spinalem medullam & nervos musculorum thoracis humore. Sextò, *Vox clangosa*, ex Galeno 7. de usu Part. c. 7. Talis est à siccitate nimia laryngis & asperæ arteriæ, ac defectu humiditatis ex na-

ex naturæ lege arteriam rigantis, illique lævorem inducentis; febre ardente laborantibus & phreniticis familiaris.

Asperia arteria inflammata.) Ejus caput, scilicet Laryngem phlegmone tentari posse negat *P. Barbette.* Vide Scholia ad Observat. 1. sect. sequentis.

OBSERVATIO II.

Vocis læsio ob tumorem exortui tracheæ innatum.

IN puella hectica circa exortum asperæ arteriæ, ex pulmonis substantia moles steatomatum carne permixta, ovi magnitudinem excedens inventa est, tam asperæ arteriæ quam oesophago adhærens, hinc vocis læsio, &c. *Vide tit. de Phthisi.*

OBSERVATIO III.

Vocis & sermonis amissio à lapidibus asperam arteriam & nervum recurrentem prementibus.

PUer decennis ex alto cecidit, &c. quum nec vulnus nec contusio extra appareret, morbus neglectus est, Demum asthmaticus factus est cum vocis & loquelæ amissione, &c. Lapides quamplurimi ex gypsea materia concreti, proxime cor, erant, adhærebant autem etiam asperæ arteriæ & sinistro recurrenti nervo, &c. *Vide lib. 4. tit. de Vulneribus.*

OBSERVATIO IV.

Vox obscura ob Pulmones scirrhosos, Tracheam arteriam aridam.

IL. Matrona Lepra infecta, si sermonem protraheret, vox illico fusca fiebat & obscura: Pulmones omnino erant aridi & exsucci: Bronchia mucoso humore obstructa: Trachea arteria arida & aspera. *Vide lib. 4. tit. de Habitu corporis vitiis.*

OBSERVATIO V.

Vox clangosa ob fragmenta bronchiorum à substantia Pulmonum avulsa.

HEnrico N. in dextro latere thoracis inventa sunt fragmenta bronchiorum à substantia pulmonum avulsa, qualia dum viveret in magna quantitate exscreaverat: Vox illi fuerat clangosa, qualis Gallorum Africanorum aut Calecutensium. *Iac. Bontius Observat. 2.*

VOcis consideratio magni est ad diagnosim momenti: Nam juxta Hippocr. lib. de Arte ex vitiosa voce ducimur ad cognitionem eorum quæ intus latent: Ex voce & urinis, *ait*, nos doceri per ἀλλοτείας ἑρμηνείας, interpretationes peregrinas: Thoracicarum partium & pulmonum præsertim vitia designat, atque ad Tabem propensionem; Hinc *Galenus* comm. ad part. 17. sect. 1. lib. 1. Epid. *ait*, Quæ destillationes hominibus primo tussim concitant, deinde Raucedinem, neque consistunt, alteram Tabis differentiam afferunt: Et lib. 3. Epid. ad part. 32. sect. 3. plurimi facit ipsum vocis vitium, Cum multas ob causas, ait, tabes consequatur, tum maxime ob distillationem fit, eam præcipue quam vitium vocis consequi solet. Nam ex eodem lib. 1. Epid. sect. 1. part. 17. Tabes non semper advenit ob distillationes à capite, sed aut ob vitium ipsius Pulmonis, aut affecto eo ob affluxum ab aliis partibus quam à capite: Sic est ubi Raucedo floccipendi, est ubi magni fieri debet: Est & extra thoracem corruptæ vocis quandoque causa quærenda; nec semper caput aut pulmones accusari debent, sed hypochondriorum ratio habenda & hepatis: Sic Elephantici vitiosam vocem habent, & quidam hypochondriaci: Sæpe occulta est causa vitii vocalis. *Ballonius cons. 2. l. 3.*

Vox illi fuerat clangosa.) Sic elegantissime describitur à Clariss. Menjotio, Morbosa τραχυφωνία duplex est, una obtusa & rauca: altera sonora & clangosa, velut si intra fictile siccum, aut cauum ædificium vox emitteretur: quales etiam sunt voces gruum, anserum & aquilarum clare strepentinm: In qua, sive stridula, duo spectari debent, ptimum quod sit clarisona, deinde quod aspeta, Claritas sequitur immodicam ariditatem, quæ membranam tendendo, ipsam clatescere facit atque resonare; Asperitas autem nascitur vel à mero calore exsiccante, ut per febres ardentes; inanitis enim membri spatiolis humiditate imbutis, quasdam ejus particulas paululum eminere, quasdam vero deprimi necesse est, vel ab acri materia arteriæ tunicam leniter arrodente, scil. aut ab evecta effera anithymiasi, aut à mordaci humore, ut in phthisi ac empyemate; item in catarrhis ferinis ac lethalibus capitis vulneribus, pus inferne deponentibus, ut observavit *Hippocr. libro septimo. Epid.*

Observatio VI.

Vox intercepta ob nummum venenatum in gula subsistentem, Pulmones inflammatos, Os ulceribus obsitum, &c.

CAtharina Clodiensis cum N. Ant. Boscolum ulcisci pro injuria illata non posset, simulata amicitia ipsius puerulo in strenam nummum, singulari quodam veneno delibutum amice dedit; puerulus ejus pulchritudine allectus subito arripuit orique admouit: paulo post pustulis ex dolotibus in ore exitatis ipsum forte fortuna deglutivit: mox faucibus & gula subinde inflammatis, vox faucibus ipsis hæsit, nec clamare potuit, & quamplurimis sed frustra admotis, sequenti de obiit: Ego vocatus, & visis in ore pustulis maxima cum inflammatione, indicavi nummum illum fuisse veneno infectum & maxime corrosivo: Rogavit vero uterque parens ut præterea dissectione inquirerem num puerulus extinctus fuerit simplici nummo per suffocationem, an vero per ipsum venenum nummo communicatum.

Sectionem itaque à mento auspicatus, ad os pubis usque recta deduxi, ac mandibula inferiori per medium divisa, amputata vero & separata lingua, & ejus musculis, carbone nigrior omnibus exposita, ita ut mirarentur quod tam brevi temporis spatio, nondum xxiv. horis revolutis, in tantam devenerit gangrænam: Ulterius progrediens, secundum gulam sectionem ad claviculam & secundam thoracis vertebram usque deduxi, & quasi in gulæ medio, non longè ab œsophago, nummum ibidem fixum reperii, gula fere tota sursum deorsumque corrosa, una cum ventriculo valde constricto, ut ulterius descendere non potuerit: Extracto autem nummo, thoracem similirer aperui, Cor ut viderem, an jam esset veneno infectum necne: quo discooperto, nihil notatu dignum in toto rhorace reperi quam pulmones valde inflammatos: Cordis vero parenchyma cum suis vasis contractum & strictius reddita, & sanguis in ipsis contentus infectus valdéque ater erat. *Ex observationibus Georgii Garneri Medici Austriaci.*

Observatio VII.

Aphonia à Siccitate superficiei cerebri, & Nervorum originis, solito gracilioris.

CIvis Leodiensis (*Vide tit. de Catalepsi.*) à Melancholia in Furorem abiit: hinc aphonus factus, post linguæ usum recepit, sed ad mortem usque vocem formare non potuit, instar infantis semestris lallans, cerebrum illi siccissimum repertum in superficie, netvorum origines siccæ solitòque graciliores.

Observatio VIII.

Aphonia ab inflammatione meningum, quam sequutus sphacelus cerebri.

QUidam sæpius ebrius cum multam in noctem vino Hispano se saburrasset, sævissima cephalalgia cum omnium sensuum dejectione corripitur, nec verbulum, etsi aciculis à me premeretur, proferre valebat, &c. Eo mortuo inveni meningas valde lividas omninòque sideratas, cum inflammatione cerebri. (*Tit. de dolore capitis.*)

Observatio IX.

Aphonia ab abscessu tunicato in cerebro post vulnus capitis nato.

MIles acinace sauciatus in posteriore capitis part, die 22. loquelam amisit, &c. die 23. obiit: Abscessum deprehendi magnum, qui in sinistro cerebri latere latitavit, ex quo pus fœtidum magna quantitate effluxit. *Vide tit. de Paralysi.*

Observatio X.

Aphonia à dextra cerebri parte purulenta, &c.

IUvenis saucius oculo dextro à primo statim die ἄφωνος factus: Cerebrum dextrum totum fuit purulentum, sinistrum plenum serosa pituita. *Ballonius lib. de convulsion.*

Observatio XI.

Aphonia ab abscessu in Pericardio.

IOh. N. interiit à magno abscessu in Pericardio: Aphonos per duodecim horas, aut eo plus, manebat. *Ballonius Paradigm.* §. 55.

Observatio XII.

Aphonia ab humore concreto in cordis ventriculis.

IN hominis cadavere inventus uterque cordis sinus humore obsitus concreto &c. Hic primum epilepticus & elinguis paulo post occubuit, &c. *Vide l.* 1. *tit de Epilepsia.*

Observatio. XIII.

Aphonia à vitio pulmonum corruptorum.

MUlier ad occursum sororis insperatum vertigine corripitur, hinc aphonos jacet, sex horis post moritur, &c. Pulmones inveniuntur corrupti, sanie repleti, In cerebro nihil commemorabile, &c. *Vide l.* 1. *tit de Catarrho.*

Observatio XIV.

Vox deficiens ob Pulmonis vomicam & alia vitia.

§. 1. IOh. Tassino (*Tit de Phthisi.*) sæpe vox deficiebat, ac si aut pulmo confossus, aut perforatus, aut adhærens esset, Dolorem lateris pungentem & lancinantem querebatur; Aperto cadavere, deprehensus pulmo adhærens in parte dextra & sinistra costarum: Circa gibbum diaphragmatis pars pulmonis tota in pus liquefacta erat.

§. 2. Joh. N. linguæ minime continens repente concidit, obmutuit, &c. Dolorem lateris querebatur & ad regionem epatis, &c. Sæpe vox deficiebat: Deprehensus est pulmo adhærens dextra & sinistra parte costis: circum gibbum diaphragmatis pars pulmonis tota in pus & saniem liquefacta erat, &c. *Vide tit. de lateris dolore.*

Observatio XV.

Vox Rauca & turbida ob spasmum vitio cerebri ortum.

MIles spasmo correptus est flexo in posteriorem partem corpore, Turbide loquebatur, tamquam ex loco subterranea vocem emittens: Vitalia & Naturalia membra integra reperta sunt: Cerebri ventriculi repleti erant materia viscida & glutinosa: hæc incumbens principio nervorum omnia symptomata excitarat. *Vide l.* 1. *tit de Convulsione.*

Observatio XVI.

Raucedo producta ob Thymum glandulam corruptis humoribus infarctum

THymum novi, ex quorundam lue venerea infestatorum cadaverum sectionibus, instar spongiæ ab excrementitiis humoribus intumescere: unde sonora non sunt voce. *Vide lib.* 1. *sect.* 21. *Observ.* 4.

Observatio XVII.

§. 1. *Vox Impedita, Rauca, ob variam Pulmonum læsionem.*

FAmulus quidam xxvij. annor. Hydrope moriebatur, quo morbo cœperat laborare quatuor annis ante obitum suum, Semper fuerat homo morosus; stupidus & melancholicus, nunquam jucundus, nunquam ridens, uno verbo μισάνθρωπος, præcipue à decem annis ante mortem suam: Voces reddebat quasi cum violentia, parum loquebatur, idque addito suspirio.

Cum fuisset dissectus, sinister locus Pulmonum videbatur penitus consumptus, nullo tamen in residua parte apparente ulcere vel præternaturali phænomeno, præter consumptionem: Capita vasorum & rami asperæ arteriæ æque grandia ac in altero lobo: Lobus

Lobus ille Epatis, qui pertinet ad diapragma, erat niger exterius ad palmæ circiter latitudinem, intra parenchyma: Aliæ partes erant sanæ. *Observatio Nathanaelis Fairfax in Actis Philosoph. Societatis Anglicæ anni* 1697. *pag.* 238.

§. 2. Filius N. dyspnoea interiit, cum Raucedinem haberet caninam. Pulmo erat parte dextra vitiosus. *Vide tit. de Phthisi.*

§. 3. Ill. Casauboni Pulmones corruperat & denigraverat ferina & perennis fluxio à capite, quam prodebat ordinaria tussicula, & in ultimo morbo consueta Raucedo ingeminata: *Vide l. 3. tit. de mictione difficili.*

§. 4. Janus N. Phthisicus obiit (*tit. de Phthisi.*) A primo morbi insultu vox intercepta fuit, ut præter affirmantis particulam essari nihil posset: Aperto thorace, pulmones spongiosi, pluma leviores reperti, parum sanguinis continentes.

Observatio XVIII.

Anatome Rauci in cujus ventriculo obscessus repertus est.

DOm. N. vox rauca cum dolore circa ventriculi regionem: observavi in ejus ventriculo materiam nigram lutulentam, quæ causa & morbi & symptomatum. *lib. 3. tit. de ventriculi dolore.*

CAusa assignanda videtur læsioni rami Paris vagi illuc deducti, & aliorum nervorum qui huic comites se adjungunt: Quo sympathiæ ratio pateat quædam de ramificatione & distributione hujus Paris adducenda ex Clar. *Willis* Neurologia: Octava, *ait cap.* 23. Nervorum Paris conjugatio, ab antiquis pro sexta habita, Par vagum appellatur, eo scil. quod nervus ejus non uno contentus membro, aut corporis regione, partes diversas ac longe dissitas respicere, atque ramificationes suas, non modo in vicinia circa caput & cervicem, sed per totam medii ac imi ventris cavitatem, ac ad pleraque in utrisque visceta exporrigere putatur: Revera hic Nervus provinciam satis amplam habet, attamen non adeo amplam uti putatur, nam plures alii nervi, quoniam huic se adjungentes osculati sunt, ejus partes esse perhibentur: &c. *Plexus Gangliformis*, super *Paris vagi* trunco constitutus, nervum unum aliunde immissum recipit, aliumque à se foras emittit: A plexu prædicto ramus insignis emissus versus *Laryngem* defertur &c. Exinde Paris vagi truncus, absque ulla insigni ramificatione descendit, ubi plexu altero constituto, surculi plures ac fibræ numerosæ versus *cor & appendicem ejus* dimittuntur &c. E regione cordis, Paris vagi truncos plures surculos insignes utrinque emittit, qui in *Pulmones* delati, una cum vasis sanguiferis per totas illorum compages distribuuntur, ac in transitu *bronchiorum* ductus, tum arterias quoque & venas κατ' πόδα assequuntur: Dein ejusdem Paris vagi truncus, juxta trachææ latera utrinque descendens, multas propagines etiam in *Oesophagi* tunicas distribuit: Infra ramos Pneumonicos uterque truncus Paris vagi, in duos ramos, interiorem & exteriorem dividitur: Rami utrinque interni, pariter externi, ad *ventriculi* varias partes diducuntur &c. Reliquæ Paris vagi fibræ simul colligatæ in eundem truncum coalescere videntur, qui statim surculo à Nervo intercostali ascito, Plexum gangliosiformem constituit: Et quidem verisimile est harum fibrarum, quæ in Paris vagi trunco simul complicantur; unam *Nervo recurrenti*, aliam *Præcordiis*, tertiam *Pulmonibus*, ac demum aliam *ventriculo* destinari; quæ omnes licet inter se communicent, usque tamen ab ipsa origine distincti, spirituum animalium diversos ductus constituunt: Quod autem à nervo intercostali surculus in superiorem Paris vagi plexum defertur, ratio est, ut inter hos nervos arcta quædam affinitas & necessitudo intercedat, eorumque alterutrer circa alterius munia afficiatur: Cum enim Paris vagi nervis præcipue ad præcordia & stomachum; atque Intercostalis ad reliqua imi ventris viscera propagines distribuat, observare est quod inter hæc omnia, non modo commercia quædam, sed sympathia & actionum passionumque consensus habeatur, quare necesse est ut nervi utrisque partibus designati inter se communicent.

Diuturnam colicam *Raucedinem* sequi notat *Gaspar Bartholinus Institut. Anatom.* lib. 3. cap. 2. Nonum par nervorum, ait, aliis sextum & vagum, inter carotidem & jugularem descendens dividitur utrinque in ramum exteriorem & interiorem; Interior dexter 1°. ad radices costarum cuilibet nervo intercostali ramulum se largitur, deinde cum arteria magna septum pertransit, & infimo ventri toti prospicit: Abit vero in tres ramos, 1. ad omentum contendit, à quo alii tres ramuli, 1. ad Colon, hinc post colicam diuturnam *Raucedo* &c. Hæc *Bartholinus*. Exemplum ante plures annos vidi in Dom. *I. Anton. de la Chena*, quem colicus dolor diutissime & frequentissime male habuit, Raucedo autem & vocis summa obscuritas paulo post accessit ad mortem usque comes.

APPENDIX I.

Aphonia, neque ad apoplexiam neque ad epilepsiam pertinens, affectus inter utramque medius.

VOx & sermo aboletur ob cerebrum, nervorum principium, affectum in apoplexia, epilepsia, cerebri concussione & commotione, ac similibus affectibus, ob quos spiritus

ritus animalis influxus prohibetur: In primis vero in affectu illo qui κατ᾽ ἐξοχὴν Ἀφωνία appellatur, & neque ad apoplexiam, neque ad epilepsiam commode referri potest, sed inter eos quidam affectus medius videtur: Quem etsi in praxi sæpe observaverim, descritum tamen invenire hactenus apud Authores non potui, nisi nuper apud *Adr. Spigelium* lib. 2. de febre semitertiana, cap. 16. *Est morbus*, inquit, *in Germania & Pannonia frequens, quem Austriaci, Moravi & Styri Timorem appellant, inter Apoplexiam & Epilepsiam quodammodo ambigens: cadunt enim velut apoplectici sine sensu, non autem motu privantur, neque tamen convelluntur, ut epileptici; aliquando stertunt, nec tamen discusso morbo paralysin alicujus membri incurrunt*, Si tamen causæ magna sit vehementia in apoplexiam vel epilepsiam degenerare potest, tandemque aliquos hoc modo affectos subito ut apoplecticos mortuos vidi. Talis ἀφωνία etiam proculdubio est quæ fit ex ebrietate, de qua Hippocr. 5. aphor. 5. oritur autem fere à consensu partium infernarum, & vapore narcotico spiritus animales in cerebro sopiente seu perturbante, & propterea commodissime inter affectus cerebri refertur. *Sennertus Pract. lib. 2. p. 3. cap. 4. Rolfinkius lib. 2. cons. 15. de hoc affectu*, ait fieri ab ea ἀπολήψει *vasorum de qua Hippocr. 3. de rat. v. in ac. t. 23.*

APPENDIX II.

Vocis interceptionis, ut & Somnolentiæ iis accidentis qui Torturæ subjiciuntur, ratio ex fundamentis anatomicis deducta.

POlitieos quosdam cognovi qui captivos in Tortura, clausis oculis ac si dormirent, obmutescentes, omnium sceleratissimos asseverabant, cùm tamen naturaliter id fieri Anatomia nos edoceat: Musculi enim brachia pectori adducentes, apud Vesalium Tab. I. musculor. L. notata, & ossi pectoris in eadem Tabula IV. notati adhærentes, quia brachiis inter scapulam & cubitum tenaciter inseruntur, ut ex Tabul. IV. musculorum (in qua insertio illa in dextro brachio Q. & T. in sinistro vero h. notata est) videre licet, si brachio retrorsum & in altum, crura vero deorsum trahuntur, pectus adeo constringitur & coarctatur ut Respiratio impediatur: Musculi enim laryngis, & Nervi recurrentes per consensum ita afficiuntur, ut mirum non sit hominem in maximis ac crudelissimis istis tormentis obmutescere ac vix spirare posse: Et quia ex violenta illa corporis extensione secundum par nervorum colli quoque afficitur, ideo palpebræ quoque concidunt clauduntorque: Somnus itaque ille miserum captivum neque reum esse significat: habet enim causas suas naturales: *Fabritius Hildanus in operum præfatione.*

OBSERVATIO XIX.

Loquela vitiatur iis quibus os Frontis non est sinu excavatum.

§. I. OS frontis sinu est excavatum, ut, authore *Fallopio*, sit ἠχεῖον quoddam naturale, & aëre illo repercusso vox canora fiat: Atque se animadvertisse quod quibus illi sinus dati non sunt, rancidulum quiddam balba denare loquantur.

§. 2. Ad nasi summum, supra supercilia, adsunt cavitates vel sinus amplissimi; sed non adsunt I. in puellulis usque ad annum. 2. in quibus facies est depressa & sima. 3. in quibus frons est divisa; ut plurimum gemini inter utrumque tabulatum, interdum membrana succincti viridi & separati, corpus quoddam molliusculum & medullosum continentes: Et habent hi sinus foramina qua desinunt in natium amplitudinem: Usus harum cavitatum I. ad canoram reddendam vocem, quia sinus hi in iis, qui male loquuntur, non reperiuntur &c. *Bartholinus Anat. reform. libello 4. cap. 6.*

DE his Sinubus in osse Frontis notat *Schneiderus* l. de osse cribiformi 1°. eos non in omnibus repetiri; Superioribus, *ait*, proximis annis hanc cavitatem in anatomia corporis humani ante omnia quam diligentissime perscrutari curavi; & statim ferramenta admoveri jussi, quibus hic cranii locus, cum non continuo appareret, nunc leniter incidebatur, nunc clementer radebatur, at frustra fuimus, nam os eo loci minime erat excavatum, sed plenum & fungosum, nec plane penitus, sed sat extabat: 2. Ad o mationem vocis nihil conferre: Quidam ait, credunt hujus ossis antrum iis deesse quibus Frons sit depressior; Id quod confirmat Highmorus, ac se caput ancillæ, hoc faciei vitio deformis dissecuisse, in qua hæc caverna omnino desiderata fuit: Noster quoque (de quo paulo superius) cujus cranium hac ossis frontis cavitate caruit, bene loqui potuit, Nam cum hanc cavitatem notare non possem, statim ex iis quibus notus fuerat, quæsivi in clare loqui solitus fuerit, omnes qui præsto erant, unanimi consensu confirmabant ipsum voces perbene profundere potuisse: 3. Quod licet iter de hac cavitate, si ficta est, semper ad nares feratur, ex eo tamen minime effici posse, illam aut ad fo-

ad sonum voces, aut ad odoratum facere quod supra nares & os cribrosum hæc multum extet caverna 4. Quòad viridem membranæ cavitatem illam succingentis colorem, se hanc semper candidam, semper tenuem & puram invenisse, Dissectionis autem Professores, finita Anatomia corporis, hanc cavitatem jam effractam introspicere solere, quo tempore tam tenuis membrana plerumque est vitiata: Et hoc est quod Petrus Pauvius doceat Tympanum viridi colore esse præditum, qui absque dubio id in putrescente cadavere inspexit: Atque interior quarti ossis maxillæ membrana ob eandem causam nonnunquam contraxit viridem colorem: Nam membrana in osse delitescens æstate facile corrumpitur, præsertim cum sit tenuis. 5. Hanc cavernam semper inanem esse, nec ullum humorem coercere, sed admodum tersam esse & splendidam: Sin novissimis diebus sectionis, quibus ossa coquuntur, non negat vitiosam quandam materiam ibi aliquando reperiri posse, cum humores tabescentium partium, quæ procul absunt, in hanc cavitatem confluere posse videantur.

OBSERVATIO XX.

Balbuties vitio Linguæ jugiter irrigatæ à seroso humore, è cystide in cerebro eo repleta.

SUbit admirari sæpenumero opera naturæ: Dissectis enim corporibus admiranda inveniuntur, quæ citra αὐτοψίαν ita esse, ut sunt, vix persuaderemur. *Roberto Barriere* fere quamdiu vixit destillatio perpetua ad nervos motui linguæ destinatos adeo loquelam impedierat, ut Balburiem molestam invexerit, quæ nullis auxiliis potuit unquam emendari, unde tandem fluxione aucta *suffocatione* repentina est extinctus.

Aperto cranio, ac utrobique separata sensim portione extima cerebri, in conspectum venit cystis, id est, sacculus robusta membrana compactaque contextus, undique serosum humorem continens, qui in fundo exiguum foramen habens semper novam materiam nervis linguæ communicabat: Quare cum nulla industria serosus hic humor absumi posset, tum ob copiam tum membranæ densitatem, quæ nimium obstabat quo minus vis medicamentorum eo perveniret, uno ore diximus talem affectionem incurabilem fuisse. *Riverius cent. 4. observ. 7. additarum.*

OBSERVATIO XXI.

Balbuties pendet aliquando à defectu foraminum quarti ossis superioris maxillæ.

TΡαυλότης affectus est in conformatione, non in intemperie: Sunt enim in media palati regione, i. e. in quarto osse superioris maxillæ, in illis omnibus quos huc usque viderim, qui literam R. exprimere non possunt, duo foramina quæ nullo modo aperta & obvia inveniuntur in iis qui illo affectu tenentur: Ergo causa immediata, quæ posita ponit, erunt duo illi meatus aperti. *Sanctorius meth. vit. Error. lib. 3. cap. 9.*

OBSERVATIO XXII.

Loquela vitiata ob Epiglottidem induratam.

EPiglottidem adeo quandoque induratam deprehendi, ut loquelæ abolitionem inferat: malum hoc incurabile. *P. Barbette Anat. Pract. lib. 1. cap. 4.*

MOllior est Epiglottidis substantia, utrinque membrana ori communi alligatur, quali etiam lenito humore perfusa succingitur laryngis interna cavitas. *Bartholinus Anatom. Reform. lib. 2. cap. 11.*

OBSERVATIO XXIII.

Mutitas cum surditate nativa, ob deficiens ossiculum Incus dictum.

SCriptum mihi est à Medico, se apetuisse cranium hominis à nativitate Surdi & Muti, cui è tribus Auris ossiculis Incus deerat. *Marinus Mersennus Epist. ad Beverovicium, in hujus spicilegio de Calculo.*

SIlentio premenda non est Mutitas, insitæ surditatis comes individua: Nam à natura Surdi lugent quidem, gemunt & vociferantur, sed loquutionis plane sunt expertes, ac τὸ ἄλαλον est consequens adeo necessarium τῷ κωφῷ, ut à Græcis κωφὸς pro muto accipiatur: *Surdi à generatione*, inquit Hippocrat. lib de Princ. *loqui nesciunt sed solam vocem edunt.* Et Aristoteles, 4. de hist. anim. 9. *Quibus loquutio, eis etiam vox; at quibus vox non omnibus loquutio: quicunque surdi sunt è nativitate iidem etiam muti, vocem emmittunt, loquutionem verò nullam.* Ratio est, quod vox homini naturalis sit, infantes namque à vagitu inarticulato vitam auspicantur: vocis autem articulatio

articulatio debeatur disciplinæ auditum expostulanti: Quemadmodum statua quoad materiam naturalis est, quoad formam artificialis, sic vox, loquelæ materia, à natura procedit: Loquela atque idioma arte conficitur: Lingua etenim humana per se quidem, ac sine doctore mobilis est, vimque loquendi naturaliter possidet, sed dum actu sermonem pronuntiat, hunc habet ab imitatione, ipsæque infantulorum lallationes, tudesque ac monosyllabæ dictiones, inchoata sunt auditorum verborum imitamenta. Illi ergo hallucinantur qui surdos à nativitate mutescere existimant, læso nervo quintæ conjugationis, cujus major surculus fertur ad autem, minor vero propaginibus quibusdam in nares & buccas obiter transmissis, radici dentium, linguæ & laryngi distribuitur, nam surditas ingenita, ob pravam organi τύπωσιν, e. g. si primum, & anfractuosum utriusque auris antrum, ἀμάξα Græcis dictum, adnata membranula obturetur, illæsis interim auditoriis nervis, loquutionem nihilominus labefactat: Falsò enim supponunt hujus opinionis patroni, connatam surditatem nervi auditorii culpa semper oboriri, cum ex adverso rarissime id contingat: alioquin simul cum auditu tactus quoque in aure interna necessario deficeret, quod nervus ille utrumque sensum auribus impertiat: Jam autem à natura surdi patiuntur otalgiam, quæ partis tactum superstitem, ideoque nervi illius incolumitatem demonstrat: Ponamus in super ramum nervi quintæ συζυγίας ad aures perrepantem naturaliter vel decise, vel quocunque modo viriari, salvo altero ejusdem nervi surculo qui ad linguam ducitur (quod sine dubio possibile est) nativa profecto ejusmodi surditas, juxta adversariorum dogma, haud deberet accersere mutitatem, cum tamen illa præsente hæc sit inevitabilis: Præterea natu grandiores, adepta jam per auditum loquendi industria, si ob paralysin nervi quinti paris obsurdescant, nunquam simul mutos evasisse compertum est, etsi forsan paulò submissius loquantur: Deinde, cur vox simul cum loquela non destruitur, affecto, ut volunt, nervo laryngi & linguæ cum auribus communi? si dicant à nervis recurrentibus ad laryngem propagatis vocem sartam tectam conservari, quidni etiam septima nervorum societas, ad linguæ musculos delata, loquelam saltem nutantem ac imperfectam præstabit? Addamus si propter aurium cum lingua sympathiam, ex ejusdem nervi communione, surditas innata loquendi ἀδυναμίαν secum adducit, vicissim qui à natura muti sunt, necessario surdos fore, contra fidem experientiæ: Tandem ex hac sententia sequeretur, quotquot à naturæ primordiis sunt surdastri, eos omnes impedite loquutos esse, quod pariter eventis non quadrat. *Menjotius Dissertat. de Mutitate.* Quod asiert Vir Illustr. Non omnes à natura mutos pariter surdos esse, comprobatum vidi in juvene quodam, *Colombier* dicto, incola pagi Tronex, semihoræ spatio Genevæ dissito, qui mandata omnia, vel submissa voce data, promptissime exequebatur: Admirandum vero quod tradit Fr. *Vallesius* sacræ Philos. cap. 3. quendam P. Pontium, etiam eos qui surdi nati sunt potuisse docere loqui, res ipsas digito indicando quæ characteribus significabantur, deinde ad motus linguæ illis respondentes provocare.

Observatio XXIV.

Loquelæ impedimentum cerebri malam conformationem, sero undique suffusi, sequutum.

Viri Illustr. præter motus convulsivos, paralysis spuria totius corporis membra occupabat: Lingua vacillans verba nonnisi imperfecta protulit: Hujus cerebri moles justo mino, & gyris paucioribus instructa fuit, unde spiritus animales non satis copiose producti sunt: Porto universa τῦ ἐγκεφάλω compages justo humidior, latice aquoso madida, *Vide lib. 1. tit. de convulsione.*

Sicut linguæ, hæc illavé verba naturaliter proferentis, multifariæ sunt inflexiones, nec expositu faciles, ita loquendi errores flexurarum istarum culpa exurgunt quamplurimi, vixque omnes distincte tradi queunt: Nam suum est cuique fere genti ἐνδήμιον atque vernaculum elocutionis vitium, sic Dores ut platystomi incessebantur à Græcis, quod ore in latum diducto loquerentur, ac justo frequentius τὸ α. dictionibus ingererent: Eretrienses sugillabantur quod verba ex ρ conflata, geminato ρρ cum stridore & apperitare efferrent, ῥωτακισμὸς id vitii dicitur, quemadmodum ἰωτακισμὸς, λαμβδακισμὸς, ἰωτακισμὸς vocantur literarum ι κ & μ crebræ otiosæque iterationes; πολυσιγμα vero ubi simplex. σ. multiplicato σ. σ. cum sibilo editur, Quidam etiam fringultiunt, id est præpedite & obscurius verba promunt: nonnullorum denique subagrestis est ac plane subrustica pronuntiatio: Verum istis, & si quæ sint aliis, invenustis loquutionibus posthabitis, agendum de *Balbutie*, quam Aristot. 11. Probl. 30. ad ternarium numerum reduxit, scil. τραυλότητα, ψελλότητα, ἰσχνοφωνίαν.

Τραυλότης generis nomen retinens dicitur Aristot. 2. de part. animal. 17. ἐνδεῖα τῶν γραμμάτων, cum nempe lingua ἐλλιθρεὰ certas consonantes articulare non valens, in alias deflectit, v. g. T mollit in D. ac G. in S. dicitque Capidolium, pro Capitolium, & Anselus pro Angelus: præsertim verò literam acriorem atque caninam R. detorquet in L. quæ hebetior est, ac pro maria ait malia: Cum enim consonantium nonnullæ liberiorem linguæ dilatationem, firmioremque incisoriis dentibus ac palato innixum requirant, fit ut lingua, si præ mollitie ac debilitate non satis amplificetur, dentibusque obfirmetur, pro asperioribus & quasi confragosis litteris, leniores plenioresque appellet, utpote magis affines, minoréque indigentes linguæ expansione ac stabilimento: quemadmodum autem pætus oculus non est inamabilis, ita lingua tantisper traulizans, ac, ut vulgo loquuntur, paulo pinguior, decorem quendam sermoni conciliat.

Altera *Balbutiei* species Græcis ψελλότης, ψέλλισμα & ψελλισμός, loquutio est detruncata, qua litera syllabave absorbetur aut eliditur: Hippocrat.

pocrat. γλώσσης ἀσαφίαν vocat, quoniam trunca, & quasi tertiata verba involuta sunt nec intelligibilia: Græci ita loquentem κολοβόγλωσσον nominant, quod voces decurtet; item βλαισὸν, & Latini Blæsum: Alias vocantur βλαῖσοι, Valgi, qui furas habent extrorsum intortas, ad similitudinem literæ Λ, quibus opponuntur ῥαιβοί.

Tertium Balbutiei genus nuncupatur ἰσχνοφωνία, per quam homo medio inter loquendum tempore, repressis velut quodam offensaculo conatibus, syllabas propere non connectit, sed in priori paululum detinetur, eamque cogitur retexere ac alternare, seu in principio dictionis pro Cæsar dicens Cæcæsar, seu in fine, ut pro fama, famama: Ejusmodi hæsitationem tractumque verborum βαττασμὸν vulgo vocitant, desluxa voce à Batto quodam Rege: Ejusmodi Balbutientes ab Homero Iliad. 7. ἀφραματεπεῖς dicuntur, latinis Bambaliones, ἀπὸ τὸ βαμβάλειν, quod Hesychius interpretatur labiis tremere.

Balbutiei causæ sunt multiplices, 1°. musculorum Linguæ non quidem stupor, ut in loquutione imminuta, nec intercisa, sed potius tremor, per quem non plene absolvitur loqutionis integritas, at itemidem intertrubatur: 2. Lingua, vel brevior, nec idcirco satis premens anteriores dentes, quod infrequenter fieri observat Galenus: Vel crassior ac tumidior, ideoque gravis ac inflexibilis; nam lingua ad διάθρωσιν lata esse debet, unde aves vocem humanam amulantes, ceteris sunt πλατυγλωττότεροι. Vel aridior, proindeque inobediens minusque plicabilis, ut per febres ardentes: quæ sicca linguæ intemperies, aut nusquam aut perraro ingenita est: vel humidior & laxior, vel frigidior, ac idcirco ἀσκινῶς: vel tandem calidior ac irrequietior, & quæ temere magis quam impigre imaginationi præit potius quam ministrat: Nam sicut cæteri Balbutientes cunctanter verba fundunt, hærentque quasi in salebra, ita hi sunt ταχυγλωσσότεροι σφαπελεῖς; sermonem promptum habent ac torrentem: Nec tantum Linguæ volubilitas verba mutilando ψελλισμὸν infert, at quandoque etiam, cursu syllabarum intercepto ἰσχνοφωνίαν adducit, quemadmodum enim præcipide currentes in alium motum difficulter flectuntur, sic concitata lingua uni syllabæ diutius insistit, vixque divertit ad alteram: 3°. Balbuties fit à tumore rarius phlegmonoso, sæpius œdematoso partes linguæ subjacentes occupante, quem Ranulam vel ranunculum dici volunt, quod ad modum ranarum ægri inter loquendum quasi coaxent.

4°. Frænulum Linguæ subditum ad ipsam moderate cœercendum, tripliciter incommodat loquutioni, primum si mollius ac flaccidius fuerit, penitusve defecerit: lingua enim ita frænata palati cameram mobilitate sua nimium replet, unde homines pleno ore loquentes ac hiulco, subinde βαδάζουσι, repuntque τὸ ba ba: Quintilianus πλατειασμὸν vocat: Cui opponitur pronuntiatio semiclusо ore facta, sive morbosa fuerit propter nativam oris angustiam, aut cicatricem ex vulnere superstitem; sive mentita, præsertim à fœminis huic loquutioni tanquam elegantiori studentibus: *Secundo*, si vinculum ad linguæ cuspidem propius accesserit, ejus præpedit volutationem: demum si brevius fuerit, seu ab ortu, ob pravam διάπλασιν, seu post ortum à cicatrice, aut præarida intemperie, lingua arctius subligata tecurvatur, nec anteriores dentes satis contingit: hic morbus ἀγκυλόγλωσσον, communiter *filum* dicitur: pueri autem eo malo à natura irretiti, tarde quidem prorumpunt in sermonem, tandem vero satis festinanter verba exerunt ac citra offendiculum, præterquam in literis R, L & K, ad quarum quippe expressionem lingua sufficienter vibrari nequeat atque explicari.

5°. Ut Labia in regendis sermonis discriminibus funguntur quodammodo vice digitorum, quibus modo adductis, modo reductis spiritum in fistulis cantusque harmoniam tubicines moderantur, sic eorum vitio μογιλαλία oritur, puta si ant mutilata fuerint, aut crassiora duriora & nimis inversa, ita ut segnitet moveantur, ut in labeonibus.

Tandem Dentium series multiplex, malevé disposita, vel eorundem præsertimque incisorum defectus, loquelæ officit, ac dentiloqui dicuntur *Obese loquentes*, propter dentium inopiam: quare infantibus sermo distinctus non est, ante primorum dentium è locellis suis ἀνάδοσιν.

Præterea Balbuties accidentario progignitur ab impetuosa cogitationum inundatione, ut in delirantibus: nam quemadmodum servus utut dicto audiens, molesto domino plura simul imperanti præsto ad omnia esse non potest, sic lingua quantumvis agilis atq; explanata, confertis nimium atque velocibus mentis conceptibus exprimendis impar est; sed in præceps delapsa turbide ac anhæse loquitur, horum scil. imaginatione rerum oblatarum mole ac diversitate varie distracta: Male autem se habente organo homines nunquam non balbutiunt, at pacata mentis jactatione expedite loquuntur, Non raro etiam causa utraque, videlicet & instrumenti morbus, & animi præcipitantia eodem conspiratu ad balbutiem concurrit.

Homo frequenter Balbutie teneri solet, quod humentissimo polleat cerebro, ac plurimis rapiatur ocyssimisque animi motibus: Senum decrepitorum lingua titubatione aut offensione impeditur, ob defectas vires regnantemque pituitam: Puerorum mollis est ac infracta loquutio, hæc namque ex multis literis genere & numero distinctis conflatur, diversas postulantibus linguæ motiones: atqui quod varium est, inquit Aristot. 11. Probl. 57. pluribusque notatur differentiis, id nonnisi plurimo tempore ad exitum perduci potest, jam vero facultas motiva in puerili ætate effœminata existit: ac linguæ potissimum, utpote spongiosæ, bibulæ, udoque cerebro subjectæ, quam cæterarum partium lapsans motus, tardius in pueris firmatur.

Melancholici balbutiunt, ex Arist. 11. probl. 33. unde apud Hippocrat. 2. Epid. 5. Vatice ad dextrum sinistrumque testem enato, solvitur ἰσχνοφωνία, & Balbi morbis admodum melancholicis conflictantur. 7. aph. 4°. Ejusmodi autem balbuties tam per se oritur quam per accidens: Per se, ab organi invaletudine, nempe aut propter linguæ exsuccæ contumaciam: aut ex adverso, ob ejusdem madorem, seu à serosa illuvie qua melancholici restagnant, seu à pituita in crudiore ventriculo congesta, nam quemadmodum linteum aliqua sui particula aquæ demersum, sensim expansa humiditate totum tandem humescit; Sic cum ventriculus, gula, partes, oris ac ipsamet aspera arteria eandem participent membranam, facillime

est

eit numoris è ventriculo per continuitatem communis tunicæ ad linguam, quamvis superne locatam diffuso, etiam absque ulla, ut in vomiturientibus & nauseabundis, ventriculi compressione: Nec essentiali modo, sed accidentali etiam linguæ titubantia laborant melancholici, à myriade phantasmatum imaginationi globatim occurrantium, non quidem propter spiritus animales, ut in phrenitide, procellosos & inquietissimos, hi namque fixiores potius sunt atque pigriores, sed quod animus melancholicorum fastidiosus, & veluti ἀλύων res omnes etiam optatissimas, mox tanquam ingratas respuat, sicque ab uno objecto ad aliud desultoria levitate transiliat.

Biliosis denique lingua inexplanata est, juxta illud Hippocr. 2. Epid. 6. Qui pectore sunt admodum bilioso, balbutiunt: idque duplici de causa, 1°. quia ut corde calent, sic cerebro ut plurimum madescunt, linguam perpetim irrorante: deinde ob animi προπέτειαν, perquam verborum volumina, vocumque turbas blaterant, potissimum ubi in iram labuntur: cum é contrario frigidi & torpidi excandescentia expeditius loquantur, imo, è mutis vocales aliquando evadant.

Inter causas procatarcticas duæ potissimum confusaneum ac inconditum sermonem efficiunt, Timor & Temulentia. Ille propter spirituum καταπληξιν: hæc quoniam linguæ nervos & musculos emollit & relaxat, imaginesque polydædalas menti interius offert *Menjotius Dissertat, de mutitate & Balbutie.*

Quod de Lingua crassiore & tumidiore affert Vir excell. in memoriam mihi revocat medicum quendam Helvetium, nomine Meuron, cui quantumvis lingua sesquipede extaret, vitulinam magnitudine æquans, cujus ope globulum saccharinum summis naribus impositum (vir alias nasutissimus) in os sensim deducebat; illa tamen adeo volubilis & expedita, ut avium garritus quarumcunque exprimeret, & loquacitate omnium aures obtunderet.

ANATOMIÆ PRACTICÆ

LIBRI PRIMI

SECTIO XXIII.

DE ANGINA.

OBSERVATIO I.

Angina latens à Pulmonis abscessu purulento.

JANIO quidam meridie *circa laryngem & fauces* dolorem sensit, & quandam in deglutiendo cibo & potu difficultatem, Adiit sub vesperam Pharmacopæum: datur ex aquis plantaginis, lactucæ & diamoron, addito aceto, gargarismus, quo cum subinde uteretur, doloribus intensis, subito, nocte, mente constans strangulatus interiit.

Hujus corpore aperto, reperta est pulmonis substantia, sive παρέγχυμα, in pus conversa, & ad unum ejus latus, abscessus pure quoque impletus. Nulla tussis huic antea fuerat molesta, neque sanguinis ulla sputatio præcesserat, sano validoque corpore eousque visus, eoque non gracili sed obeso, *Dodonæus cap. 18. observat.*

NUlla inter Anginæ species æque periculosa est ac ea in qua nullus tumor in faucibus ac collo apparet, quam latentem hac de causa non inepte dixerimus: Talis autem quoque hominem paucis diebus conficit ac è vita tollit, mente & sensibus integris; Quod & Hippocr. prædict. lib. 3. cap. 8. scriptum reliquit, Angina, *inquit*, gravissima est & celerrime interimit, quæ neque in cervice) i. e. collo, interprete Galeno) neque in faucibus conspicuum quid exhibet, hæc etenim eodem die & secundo & tertio & quarto strangulat: Plurimum vero hanc quoque dolorem inferre & spirandi difficultatem: Adsunt vero non modo hæc, sed & vehemens copiosaque humorum è capite destillatio, dolor autem circa laryngem & asperam arteriam talis, ut nec contingi quantumcunque leviter, citra gravissimum dolorem queat, sed nec moveri sursumque attolli: Quare non spiritus tantum cum difficultate trahitur, sed & cibus ac potus ægerrime, aut non demittuntur, Cum etenim per œsophagum descendunt, cedit & sursum ascendit larynx: Inflammari per hujusmodi anginam interiores ac latentes laryngis musculi existimantur, verum nos nullam juxta laringem, aut ejus musculos, vel circa asperam arteriam inflammationem aut abscessum cognovimus, sed pulmonem male affectum, quod superior historia demonstrat: Eadem & similia æstate anni 1565. diligenter annotavimus,

vimus, quando multi angina, ac simul molesta ex capite destillatione correpti fuere, præsertim ex his qui præcedente hyeme vel tussi vel raucedine laborassent, aut è peripneumonia evasissent: Plurimis eorum postea quam circa laryngem dolor remissior tandem desiisset, peripneumonia successit cum lateris dolore, non tamen pungente; aderant respirandi difficultas & pulsus mollis: horum non pauci, intra non multos dies mortui, seniores evaserunt & natura frigidiores: Pulmones horum vel purulenti fuere vel abscessum habuere: juxta vero laryngem aut ejus musculos nihil occurrit, quod vel adesse vel adfuisse inflammationem ostenderet: Satis quidem apparuit pulmones male quidem prius affectos, superveniente ac accedente è capite destillatione, reliqua symptomata successit, laryngem vero non primario sed per sympathiam laborasse: Verisimile verò etiam est destillante humore asperam arteriam ejusque ramos impleri atque distendi: deinde eodem ad alia vasa transmisso, à dolore liberari quidem asperam arteriam, ac ejus supremum finem, ipsam laryngem: Pulmonis autem male affectas partes è dolore occupari, atque modo ex angina in peripneumoniam permutationem fieri: *Hactenus Dodonaus.*

Ad hanc anginæ speciem, in qua nec intus nec foris rubor aut tumor adest, referenda ea videtur de qua *Aretaus* lib. 1. cap. 7. ubi collapsionem instrumentorum adesse ait & strangulationem vehementem, ut ipsismet in pectore latentibus partibus, circum cor atque pulmones, abdita esse inflammatio videatur; & συνάγχη hanc propterea dici ait, quasi συνδέειν ὅλον ἢ ἄγχειν, h. e. interius vergentem & angentem: Ego vero existimo, *inquit*, solius spiritus id vitium esse, ad calidissimum siccissimumque conversi, nulla corporis parte inflammatione laborante: Sunt itaque Aretæo duæ anginæ species, una cum tumore ingenti ac rubore tonsillarum & foris versus; quin etjam interdum, inquit, lingua, gurgulio, cæteræque partes in tumorem efferuntur: Altera efficitur illis locis collapsis, sed interius compressio majore strangulatu discruciat, ut interna inflammatio ad cor usque pertinere videatur: *Sennertus* autem vix ad anginam hanc speciem commodè referri posse putat, sed potius ad suffocationem, quia in pectore vitium sit, ubi spirandi initium ponitur: Atque si ea quæ tradit *Aretaus* diligenter perpendantur, de acutissima aliqua Pulmonis inflammatione, aut certe de æstuosissima & acutissima febre, qua spiritus calidissimus redditur, loqui existimat: *Heurnius* dubitat num illa symptomata, quæ narrat *Aretaus*, oriantur ab inflammatione ejus nervi, profectò magni, qui enatus ex vertebris colli, ac per pericardium elatus, una cum illo pericardio & diaphragmati implantur: Sciunt, *ait*, illi qui anatomica tractant, pericardium & diaphragma consocia & juncta adeo esse, ut vix dicas num hoc ab illo, vel num pericardium à diaphragmate nascatur, symphysis illa pericardii ad diaphragma æquat quatuor digitorum ferè amplitudinem, ad sinistram si ab osse sterno abeas; & ab ipsa ossis sterni superficie, si duorum digitorum latitudine deflectas: hinc valida illa symptomata nasci posse quis dubitet?

Pulmonis substantia &c.) L. à Fonte consult. 3. refert anno 1601. in Ducatu Urbini, & Piceni regione, grassatas esse Anginas, Pleuritides, Peripneumonias, atque sectis ægrotantium cadaveribus repertos esse pulmonum abscessus, è quibus materia fœtens prodibat: Unde inferre licet Anginam ortum quoque habuisse ex illis Pulmonum abcessibus, atque pleuritides Peripneumonias vocandas fuisse, quia simul obsessi erant Pulmones. Ejusmodi Anginæ, ut & pleuritides & peripneumoniæ, sæpe contingunt in febribus, materiæ parte ad hunc locum depulsa, ut febris essentialis potius sit, vel comitata, ut ait Excell. Platerus, quam symptomatica.

Circa Laryngem & fauces) Anginæ differentias, & causas omnium optimè & clare tradit *Platerus* Prax. lib. 2. cap. 91. Sanguinis, *ait*, influxus si in fauces obsidentes musculos diffundatur, inflammationem, veram Anginam appellatam, parit; sæviorem tolerabilioremve prout defluxio interiora exteriorave magis possidet: Nam si interiores musculos laryngis & faucium, ac ossis hyoidis, qui respirationi, voci & deglutitioni inserviunt, procumbat, cum vehementer tunc angat & velut suffocet; prima & deterior erit anginæ species: Si verò in exteriores potius collum illic occupantes feratur musculos, cum minus hisce functionibus tunc incommodet; mitiorem, & quæ tum tumore externo sese quandoque manifestat, tertiæ speciei dictam Anginam procreabit: Quod si vero tam ad interiores quam exteriores se musculos dispergat defluxio, medio modo se habens, secundæ speciei appellata nascetur Angina, in qua cum tumor non ita collectus & abditus, ut in prima sit, ille in faucium interioribus se nonnihil profert, ibique potest conspici: Qua ratione & rectius Anginæ veræ differentiæ explicantur, quam si, prout in hos illosvè musculos defluxio cadit, cùm in illis in abdito occultatis hoc discernere nequeamus, alia insuper ipsarum genera statuamus, & pro horum differentiis, Cynanchas, Paracynanchas, Synanchas, parasynanchas appellemus: Cæterum si sanguis in glandulas illic positas potius defluat, illasque inflammet, præsertim humiliores asperæ arteriæ utrinque adstratas, quæ propter venas, quibus intextæ sunt & nigricant nonnihil, facile inflammantur, Anginæ quoque erit species, eoque magis cum & tunc vicini quoque musculi fere inflammentur: deterior mitiorvé prout se in musculos dictos diffundit inflammatio: Si vero in glandulas elatiores, Tonsillas sc. vel Gargareonem feratur, harum partium inflammationes, Antiadum & VVulæ nominibus expressas parit, quæ ad vicinas quoque partes sæpe expanduntur, frequentiusque quam Anginæ fiunt, cum sanguis in laxas hasce glandulas, magnis venis adstratas, citius quàm in alias, cum fluit, feratur: Quod si in Gulæ seu Oesophagi sedem potius descendat, quod rarum est, dolorem graviorem longe, præsertim in Deglutitione, à principio gulæ ad ventriculum usque sese exserentem, sed non cum tanta spirandi difficultate, nisi ad vicinas quoque partes se extendat, procreat: Cujus influxus sanguinis, atque inde natæ inflammationis, causa eadem quæ cæterarum inflammationum existit, nimirum plethora, sanguine admodum in corpore redundante, vel ferven-

ferventiore & tenuiore existente, eoque se potius quam alio ob partium dispositionem exonerante &c.

Laryngem] Errare censet *P. Barbette* in Anat. Practica, eos qui Laryngi inflammationem adscribunt; licet enim cartilagines ipsas inflammari, hinc corrumpi posse non neget, Certum tamen credit inflammationem cartilaginibus adscriptam, adsitis glandulis, carnosisque faucium partibus competere; alioquin tam sæpius curationem non admissuram, cum corruptio atque inflammatio laryngis lethalis, eo judice, fit morbus.

Adiit Pharmacopæum &c.) Accersitus Medicus phlebotomiam eamque iteratam, quæ in ejusmodi inflammationibus princeps est remedium, præscripsisset: Tunduntur venæ in brachiis, maxime cephalica, post venæ sub lingua: sed maximi momenti est Jugularium apertio, Auxilii celeritas & efficacia inde est, quod serum in sanguine superfluunt, è cerebro per ductum peculiarem in jugulares venas, extra cranium, refunditur: [Vide lib. 1. Tit. de Catarrho, ex *Louvero*;) quarum depletio, ob viciniam & communicationem cum parte affecta, opem citissimam affert: Serum autem sanguini commixtum illi vehiculo est quo facilius exi.es earum partium venas subeat: Hinc anotatum eos qui sudantes ab exercitio collum nudo aëri exponunt, Angina facile tentari, represso sero, & in musculos glandulasque vicinas ambientis. vi retraso: Sævæ Anginæ, quam neque terna venarum brachii sectio, ac profusa sanguinis missio, neque raninarum apertio tollere potuit, solutionem, eamque citam, beneficio apertæ Iugularis, Vidi anno 1675. mensis Maji 1. in Dom. Dyonisio Bordier Genevensi: Ea die faucium dolore & deglutiendi difficultate corripitur: comites erant nausea & carbialgia, phlebotomiam alias necessariam, prohibentes, livebant enim præ sanguinis copia extremæ manus: iis sedatis sanguis ad uncias decem è basilica, ob delitescentem cephalicam, educitur, floridus & rutilus: Iteratur postridie, manè & vespere, etiamnum expers vitii, atque adeo nullo successu; Ad cucurbitulas scarificatas, transitus quoque fit, præmissa raninarum sectione, Tandem tuta jugulari sinistra à Magistro. *Foubert*, dexterrimo Chirurgo, sanguis omnino putris affatim exiliit, ejus eductioni Angina cessit, sed succedente peiore affectu, qui priori socium se plerumque adjungit, scilicet Peripneumonia, a qua tamen, quanquam gravi, paucis post diebus emersit.

Observatio II.

Angina latens ab inflammatione Pulmonum in gangrænam desinente, Tumore Tymi glandulæ, phlegmone obesse.

Miles gregarius recens conscriptus à Nobil. Domino *Buisson*, Genevensi Capitaneo, Helvetiorum legionibus, Regis Christianissimi castra sequutis adscripto, cui nomen *Abrahamus Perroux*, Territorii Lausannensis, quinquagesimum annum prætergressus, Enteroceles molestias declinaturus castrationi se submisit, quæ feliciter peracta est inclinante mense Septembri anni 1677. Tertia post hebdomada, rite omnibus se habentibus ac consolidatione vulneris jam proxima, jamque per urbem vagari ubi inciperet, difficultate deglutiendi prehenditur cum difficili respiratione: Tertia die & instante ægri fato accersor, Lingua, præter apicem, atro carbone erat nigrior, erecto pectore cubabat, si quid è cochleari offeretur, suffocationem inducebat, quamobrem licet extreme debilis magno conatu oblata respuebat: velamina omnia abjiciens, quamquam actu frigidus esset, solos pedes cooperiri permittens: Pastorem, qui animæ consuleret, illico advocari jubeo; Anginæ symptomata omnia video, quanquam nihil omnino, neque intus neque extra appareret, si insignem illum linguæ nigrorem exceperis, unde pronunciavi interiorem adesse gangrænam, internæ inflammationis sobolem, quam in pulmonibus esse credidi: memor consensus qui inter Testes & pectus intercedit, ad quem attentum esse jubet *Hippocrat.* Medicum lib. 6. Epidem. Misellus sesquihora à meo discessu interiit.

Explorato vulnere inguini dextro inflicto, operationis rite & ex arte peractæ, à juvene *Colet* vocato, indicia fuere, nullis inflammationis notis præsentibus, Ad superiora facto progressu, dissecta secundum longitudinem pars colli interior, ubi salva trachea arteria reperta est, omnis phlegmonis expers, ut & adjacentes musculi: Thymus glandula intumuerat, atro sanguine referta, tracheam premebat: Compresso thorace, exudabat per sectionem factam sanies; Ille apertus inflammationis insignis in pulmonibus notas exhibuit, aterrimo sanguine distentis, lividis, nigris crebertimis maculis conspersis, juxta dorsum præsertim, cum gangrænæ indiciis evidentibus: Hinc apparuit deglutiendi & spirandi difficultatis, ac loquelæ impeditæ causas (vocales enim tantum literas A & O efferebat æger) adscribendas fuisse, tum compressioni tracheæ à tumida illa Glandula, Tum ejusdem retractioni ad inferiora à Pulmonum infarctorum pondere: Abscessum latentem inquirere, è quo sanies effundebatur, non licuit ob instantem sepulturam: Jecur tamen vitiose coloratum, admodum tumidum, diaphragma sursum compellens se offerebat: Voracissimum fuisse audivi.

Thymi glandulæ phlegmone obsessa) quomodo & Thymus & Tonsilliæ cæteræque Glandulæ inflammationem concipiant, ostendit *Sylvius de le Boe Prax. lib. 1. cap. 49. §. 30.* Glandularum conglobatarum Tumor, sive moles aucta, & Durities & inflammatio, etiam in vivis ad sensum

sensum apparent (cum post mortem latentes quoque notari possunt) tum in faucibus, Tonsillæ dictæ, tum in variis colli partibus, aliisve locis multa pinguedine aut carne minime tactis, ubi aliquando visus semper tactu calorisve sensu dignoscuntur notata illatum vitia: Distinguendus est glandularum Tumor ab earum duritie, cum seorsim possint existere, licet sæpius jungantur, Intumescunt dictæ glandulæ, tum quando ipsæ aluntur augentur que copiosius in statu optimo, tum quando ipsæ coacervant p. n. in sua substantia continuo allabentem sanguinem, qui facilius per ipsam molliorem atque flaccidiorem dispergitur quam per substantiam carnium firmiorum ac solidiorum: Coacervatur autem p. n. in conglobatis glandulis sanguis ob impedimentum illius refluxus positum, & imprimis obstructionem invasis capillaribus, canalibusque venis arteriisque interpositis, a pituita concrescente frequentius, sanguine autem coagulato rarius contingentem; quoties namque vel ab aere æstuante, vel ab alimentis condimentisve aut spirituosis aut aromaticis, aut volatili sale abundantibus, vel a corporis animive motu, ira præsertim vehemente, vigiliis solito magis soluti & fluidi facti sunt in corpore una cum sanguine humores omnes, & maxime pituita quia quaquaversum deferuntur, iidem abundantius toties superveniente aëris aquæve frigore, vel usurpatis alimentis condimentisvé, medicamenti actu frigidis, aliisve coagulandi vi præditis, vel ad quietem summam devoluto corpore, vel tristitia extrema metuve panico inexpectato homines opprimente, sicut in aliis partibus, ita in glandulis conglobatis coagulari solet tum pituita tum sanguis, unde ad motum inepti facti hærent invasis vel intermediis canalibus, sanguinemque affluentem, ne per impeditas vias ulterius pergat sistunt qui per glandularum substantiam vicinam dispersus eandem in molem majorem, hoc est tumorem distendit: Idem humor si glandularum substantiæ arctius impingatur, aut post partium suarum fluidiorum ac molliorum discussionem solidior fiat ac compactior, Duritiem in glandulis efficit: Sanguis notarus quoties in vasis suis & Ductibus suis subsistens, aut ex iisdem in glandulam substantiam affusus incenditur, toties inflammationem parit satis frequentem apparentemque in *Tonsillis*.

T*Hymus glandula intumuerat, atro sanguine referta*) Thymus Glans venæ cavæ diremptui vice pulvini substernitur atque superjicitur, ita ut suo sinu eam comprehendat: Anamadvertit *Galenus* hanc glandulam in nuper natis animalibus prægrandem esse, ob vasorum mollitiem & imbecillitatem; crescentibus illis, utpote durioribus, ipsam exsiccari atque decrescere, ita ut in juvenibus exiguum ejus vestigium remaneat: Sed in mulieribus est mollior & crassior, ideoque suffocationes quæ accidunt mulieribus frequentet, viris interdum sine læsa respiratione, ad ista glandula turgida dependent. *Riolanus Anthropogr. lib. 3. cap. 13.*

Enterocele) Id in quibusdam à me annotatum, qui ejus causa eunuchismo se submiserunt, paulò post in affectus pectoris, pleuritidem, peripneumoniam aut anginam incidisse; quod commonefacit κοινωνίας quæ viralibus partibus cum genitalibus intercedit, de qua Hippocrat. in lib. Epidem.

Observatio III.

Angina Pestifera in capite fomitem habens.

AB anno 1618. erupit insuetus inter nostras gentes affectus, qui homines, *potissimum pueros, extincto vel præcluso spiritu* interimeret, ἀγχόνη λοιμώδης dictus, Tonsillæ pestilentes, ab aliis strangulatorius faucium affectus, aut Carbunculus pestilens, aut laqueus Gutturis: à plerisque passio Anginosa quibusdam aut ulcus Syriacum, cum Aretæo, aut Tonsillæ pestilentes, cum Aëtio: Indicant autem plura non obscure superiore Tonsillis loco sedem affectam, quæ cerebrum est, cui nostræ suasioni favet Anatome complurium corporum vi morbi enectorum, In quorum capitibus excectis reperti grumi sanguinis lato schemate diffusi, sub maximos sinus membranæ crassioris &c. *Severinus de Abscessibus, Tract. ult.* Nervos per occipitis foramen in musculos cervicis, laryngis, hyoidis, & faucium in sanguinoso hoc affectu non leviter læsos deprehendimus. *Thom. Bartholinus comment. in dictum affectum. Exercit. 1.*

EUm affectum antecessit boum annua lues, quo mirum in modum strangulati concidebant: Extant de hac re peculiaria, compendiosa, luculenta & accommodata *Aretæi* monumenta, quæ huc integra produci placet, ut antiquæ morbi ideæ quantum hodierna cedar perspici possit: Is cap. 9. lib. 1. de causis & signis morborum.

Ulcera Tonsillis fiunt aliqua mitia, familiaria, non lædentia: aliqua aliena, pestifera necantia: Mitia quidem sunt munda, exigua, non alte descendentia, non inflammata: Pestifera sunt laxa, cava, pinguia, quodam concreto tumore albo, aut livido, aut nigro sordentia: id genus ulcera Aphthæ nuncupantur: Quod si concreta illa sordes altius descenderit, affectus ille Eschara est, quam circumveniunt rubor excellens & inflammatio, & venarum dolor, quemadmodum in carbunculo, & exiguæ tarzque pustulæ, quas Græci exanthemata vocant, orientes, hisque aliæ supervenientes in unum coalescunt, atque inde latum ulcus efficitur: Id si in os interius serpit depascendo, ad columellam usque pervenit, ipsamque exedit, & linguam etiam occupat, & gingivas & dentium alveolos, dentesque

inde

inde labefactantur & denigrescunt: In collum etiam phlegmone erumpit, atque isti haud ita multis diebus post phlegmone, febribus, fœtore, inediaque consumpti intereunt: At si in pectus per arteriam id malum invadat, illo eodem die strangulat, Pulmo enim & cor, neque talem odoris fœtidatem, neque ulcera, neque saniosos humores sustinent, sed tussis spirandique difficultas enascitur: Causa maleficii Tonsillarum est frigidorum, asperorum, calidorum, acidorum adstringentiumque devoratio; quandoquidem hæ partes pectori ad vocem spiritumque edendum inserviunt, & ventri ad alimenti transmissionem, & gulæ ad ejusdem devorationem obsequio sunt: Internis vere partibus si quod contingat incommodum, ventri scil. gulæ, & pectori ad isthmum & tonsillas, & loca ibi posita, mali consensus & eructationes perveniunt: quare pueri usque ad pubertatem maxime hoc morbo tentantur, præcipue namque pueri multum frigidum aërem inspirant, quoniam in his plurimum caloris inest, & ad cibos intemperantes sunt, & varia concupiscunt, & frigidam potant, & excandescentes ac ludentes altius vociferantur. Puellis quoque usque ad menstruæ purgatiouis tempora hæc vitia usitata sunt: regio Egypti horum affectuum plane fœcunda est, aër enim spirando siccus adducitur: varios præterea cibos suggerit; radices enim herbæ atque olera ibi largè proveniunt, & acria semina, & potio crassa, utpote Nili aqua: Syria quoque illa, maxime quæ Cœle i. e. cava nominatur, Symodi morbos procreat, unde Ægyptia & Syriaca ulcera id genus appellant. Modus vero mortis quam miserrimus accidit, dolor quidem acer & calidus, qualis in carbunculo, spiritus vitiatus: exhalant enim maxima putredinis odorem, eundemque vehementer in pectus spirando adducunt: Immundi adeo sunt neq; suum ipsorum odorem ferre queant: pallida h.s scil. livida facies, febres acutæ, sitis, ut igne accensi videantur: Potum veriti dolores non admittunt, irritantur enim cum Tonsillæ comprimuntur, aut potius (potus) in nares resilit: Cumque decumbunt, surgunt, ut sedeant, decubitum non ferentes, quod si sedeant, quiete carentes; iterum decumbere coguntur: plerumque autem recti stantes obambulant, nam quiescere nequeunt, solitudinem fugiunt dolorem dolore tentantes: inspiratio magna est, frigidum enim aërem ad refrigerationem desiderant, expiratio vero parva: nam veluti igne exusta ulcera cum sint, a calido præterea spiritu incenduntur; raucitas adest, vox nihil significat: atque hæc in pejus ruunt cum subito in terram delapsis anima deficit. *Hæ Aretæus.*

Cui Græcanicæ morbi figuræ dispar haud est Italica nostra, nisi quod paulo auctior per symptomata capitis, quæ minime recensita veteribus, visuntur non infrequenter in nostris hominibus male affectis, præsertim viris & fœminis natu jam grandioribus: Equidem inter cæteros notavi duos, qui non sine comate, stupore, caribaria, aque aliis hoc genus occubuere: Neque enim sæva Proserpina pepercit capiti Medici quadragenario majoris: Altera fuit Pharmacopæi conjux, quæ delira per morbum sæpe apparuit, morbo commortua: Excretiones è naribus consuetæ putridæ pituitosæ, ichoroides, aliquando cruori commistæ, aliquando duntaxat cruentæ mero: Puella quoque nubilis eodem affectu dire gravata, cum exitum è strangulatu expectaret, ex subita hæmorrhagia profusiore præsentaneam opem sensit, postremo vero ex malo ori venefico servata, incertum qua nova morbi vi fuit inopine sublata: interim scire licet unum è tribus pueris, qui pessimè habuit inter cæteros, & nervorum languore relictum, cruribus apprime imbecillum, atque oculo strabum, transvoratu vero sic impeditum, etiam à diu præterito affectu, ut vix emollitum humore panem demittere valeret: quanquam duriusculas panis offas, & solidas molles fabas ingeret commodiusculè: Qua eadem sanguinis per nares excretione facta, puero decenni salus perfecte reddita est, quanquam hic jugularis venæ sectione fuerit egregie levarus: *Indicant hæc porro non obscurè superiore Tonsillis loco sedem affectam, quæ cerebrum est, cui nostræ positioni favet Anatome complurium corporum vi morbi enectorum, in quorum capitibus excelis reperti grumi sanguinis lato schemate diffusi, sub maximos sinus membranæ crassioris.* Accedit & quod in duobus pueris provectioribus, & puero quinquenni, diræ lues nares utrasque compleverit putridis & prælatis aphthis, quæ viru putidissimo manabant; Quid, quod cum putrilaginem reddere visæ sunt nares, ut cerebri substantiam retulerint: Sed & illud notandum, quod etsi Tonsillas pestilentes hocce vitii vocitemus, nihilominus observatum est sæpe supra strangulatum, & puris jam visceribus, sublatos pueros morbo, qui liberi fuerant reputati: imo post 30. dies & 40. jam præterpti morbi furoribus præter omnium opinionem ex improviso sunt extincti, adeo scil. recondita veneni vis est &c.

Quoad morbi procreationem, certum est luem hanc analogiam habere ad ætatem puerilem, forsan ob excedens calidum & humidum temperamentum, ad putredinem & pestem concipiendam aptum; aut ob naturalem impotentiam obsistendi causis morbificis, ratione laxi, teneri, spongiosique corporis: aut ratione inordinati victus, ob quem subinde sanguis redundat crudus & impurus, paratus ad putredinem & exinde luem concipiendam; unde altera pendet analogia: cui tertia, partis scil. est adjungenda, quæ mea opinione cerebrum est, his argumentis; Nam eo primum supposito, quod probatissimorum authorum consensus docuit, contagium ad distans, atque omnem pestilentiam communicari per aërem inquinatum, porrò aër ex Hippocr. lib. de morbo sacro, *primum admittitur à cerebro, relinquens in ipso suum ipsius vigorem: Si enim, inquit in corpus primo adveniret, & posterius in cerebrum, dignotione aut judicio in carnibus & venis relicta, ad cerebrum calidior jam existens perveniret, & non sincerus ac purus, sed admixto humore è carnibus & sanguine:* His accedit quod cerebrum ad patiendum, & ad suscipiendum maxime imbecillum & minime obsistens, molle scil. & laxum, præsertim humidum & glutinosum est, quod unicè facit ad concipiendam labem humidam & glutinosam: Ad hæc cerebrum est glandulæ consimile; ex Hippocr. lib. de Glandulis, n.7. atqui glandulas apprime corripit pestilentia, nimirum parotidas, alas, inguina, quod experimento quotidiano docemur? Postremo constat sanguinem fœdum, putridum puridumque manare sub ista lue de naribus, & vocem rancidam ex his prodire quod partim humorem ut dixi, crudum, partim affectam sedem ostendit: Quæ cum demonstrare voluerim

voluerim naturalibus adductis causis manifestis, non est tamen quod occultæ morbi formæ fuerim oblitus: Generationis autem modus hic est: Deductus aër putris per canales priorum sinuum cerebri, pervenit ad retiformem plexum arteriarum & venarum: Ibi primum corrupto sanguine, mox secedit & penetrat corpus cerebri, quod corruptum restat à postremo contagio: quo tempore consummatur status & forma, sive idea morbi: Hæc enim inquam Sphacelismus & corruptio cerebri, ex qua deinde sequuntur affectus alii ac symptomata omnia: Quod autem sit corruptio cerebri, audiendus Hip. l. 2. de morb. n. 1. *Corrumpitur cerebrum cum aut nimium calefactum, aut perfrigeratum, biliosum aut pituitosum plus solito factum fuerit*, Et in Coacis, *cerebro corrupto alii in tribus diebus, alii in septem moriuntur, hos vero si effugerint servantur*, item aph. 51. 7. ubi Galenus corruptionem non accipit vulgari modo, sed pro nativi caloris exsolutione à materia prævalente; quo quidem sensu, non mirabile est quod morbi quidam & læsiones cerebri non consequuntur perpetuo, ut apoplexia, catalepsis & cæteræ organicæ passiones, quæ obveniunt secundum nervos & sinus ductusque cerebri: hæc alioqui passio fit secundum cerebri substantiam æqualiter: ac ut in hectica febre non agnoscitur dolor, aut alteratio aliqua præcellens, & sine his etiam ad mortem itur, sic & in re nostra non est cerebro præcellens officialis aliqua læsio, præsertim exordio, sed conclusa illa & profunda labes tacito quodam exitio perdit omnem ejus crasin: quæ dum fiunt, communicatur & subjectis partibus vitium, i. e. vicinæ tracheæ, pulmonibus ac subinde cordi: Hinc esto talis morbi definitio, quocunque nomine veniat, Sideratio cerebri pestilens, contagiosa, à seminariis impense putridis, delatis cum aëre, per ventos præsertim australes, ad glandulosas puerorum partes, & cæt. *M. A. Severinus Tractatu proprio, qui ultimus est lib. de Abscessibus, unde hæc desumpta: Videatur & comm. Clar. Th. Bartholini.*

Homines potissimum pueros) Juvenes senibus frequentius angina corripiuntur, quod biliosi sanguine scateant: Viri frequentius quam fœminæ (exquisita scilicet) quod earum sanguis frigidior, larynx minor, ac gutturis partes & venæ, angustiores exilioresque, qua de causa sanguinem difficilius admittunt: Interim anginæ nothæ, ob partium laxitatem excrementorumque ubertatem, viris magis obnoxia sunt: Cur vero angina hæc pestifera pueros præsertim adoriatur, causas reddit supra *Aretæus*.

Extincto vel præcluso spiritu interimeret) Non pauci cor in primæ partis participationem adsciscunt: Sed certum est omnium malorum hanc clausulam (mortem) sequi cerebrum, non præcedere, eo præcipue argumento, quod sine febrili intemperie Pædanchone fatum maturet, cerebri non cordis affecti indicium: Cor enim omnis alienæ contrariæque virtutis adventu, velut ad rem diversam & noxiam, quocunque gradu contractum, perpetuos pulsuum motus vel retardat vel accelerat: At vero alia cerebri conditio, corruptionem, sine vitalium intemperie, eousque perfert, donec venas, cordis ductus, vitii magnitudine infecerit: Imo ex se, sine cordis consensu, mortem inducere quid vetat? quod animalium spirituum ad vitæ usum juxta necessariorum fata moderatur: De cerebro, medius fidius in Pædanchone minus ambigo, quam de ejusdem partibus in societatem mali, ne prærogativam dicam, adscribendis: Quippe interior nobilioris cerebri recessus, quem medullam vocant, ut pars princeps excludi non meretur, apud quam animalis vitæ sedes arbitrium & potestas: Ab hac enim nervorum origine, per occipitis foramen in musculos cervicis, laryngis, hyoidis & faucium disseminatur par Vagum, ad latera tracheæ exteriora, nervos recurrentes, vocis fere & respirationis moderatores expaudens, quos in sanguinoso hoc affectu non leviter læsos deprehendimus: quanquam causam alii, inter quos Aetius, in impeditum pulmonum motum conjecerint: Hinc pendet problematis solutio, Quo fiat fato ut subito subinde, sine alia manifesta causa extinguantur ægroti? In promptu ratio quæsiti, ex cerebri nuclei conditione, quo vel leviter læso, sive ab interiori incidente, sive punctura exteriore, animans inopinato mortis genere prosternitur: quod laniorum artificium, solo acus in cervicem impactu, apud Subalpinos, improvidi boves experiuntur: *Bartholinus comment. in Pædanchonem.*

Passio Anginosa] Anginam tam veteres quam juniores medici distinguunt in Exquisitam & Notham; Nothæ species quam nos Albam appellamus, febrisque aliquando expers est, & occupat fauces orisque interiora, & provenit à frigida & pituitosa destillatione acri in dictas partes decumbente, cum tumore quodam & gustu ablato: interdum hæc contagionem vacat, interdumque febrem lentam conjunctam habet, Talem Anginam albam ut morbum puerorum epidemium olim Antverpiæ grassantem describit Car. Battus medicus Dordracensis, Tract. de morbis puerorum vernacula lingua; qua lue plurimi tum infantes occubuerunt, donec tandem vetula quædam viridium ranarum ori adplicatione, usque dum mortuæ deciderent, reliquos ab ea liberaverit. *Simon Schultzius miscell. curios. ann. 6. & 7. obs. 152.*

Ad Anginam spuriam illa reducenda est quam vidi uno eodemque tempore anno 1678. mense Aprili, in viro & adolescente. Prior fuit Nob. Esayas Gautier Genevensis annos 35. natus, plethoricus quadratus, hæmorrhagiæ narium obnoxius, hic à neglecta venæ sectione sibi ter vel quater in anno familiari in febrem continuam incidit, ac æstu non insignem, cum intenso capitis dolore, pulsu debili parvo qua de causa medicus socius illico malignitatem accusavit. Vox erat rauca, quasi os pulte refertum esset verba efferens & deglutitio admodum difficilis. Jugularis venæ apertionem insinuavi, quod capiplenii insignia essent indicia cui assensum præbere noluit medicus uni malignitatis intentus obiit autem nulli conferentibus præsidiis: Sexdecim horis ab obitu multus cruor è naribus effluxit, & aliquot horis elapsis ater omnino. Hic proculdubio hujus præsidis ope fatum evasisset, educto sanguine colli vasa & cerebri opplente, quo auxilio nullum tutius & præsentius.

Posterior, Philosophiæ candidatus Pedemontanus, nomine Bayle, similiter ægrotabat per nares quoque sanitatis tempore crebro sanguinem fundens; major autem quam in priori erat deglutiendi difficultas, & loquela fere intercepta; raninæ tamen nullomodo tume-

bant: malignitatem quoque idem medicus accusabat, eamque insignem; Hæmorrhagia autem supervenieute septima die, ægri hospes confugit ad prædictum medicum qui remedia omnia illam cohibere apta nata præscribit, postmodum peregre aliorum ægrorum causa proficiscitur, meum quoque illo discedente consilium expetitur, hæmorrhagiam autem permittendam imo urgendam, nedum inhibendam esse præcepi, quod critica esset in juvene sanguinis feraci & illius exclusioni per crebra intervalla obnoxio: Interim dum erumpit sanguis libertas gutturi restituitur, vox fit libera ut & deglutitio postridie omnino defungitur morbo: Nisi crisis illa ea die contigisset postridie ad ingularis sectionem confugissem.

OBSERVATIO IV.

Anatome cadaveris septennis pueri à Pædanchone extincti.

MOrtuus est puer septennis in valetudinario incurabilium, dissectus mense Novembri 1642. Pædanchone affectus septimo post die obiit, anhelus & anxius, recto plurimum capite cubans: Mihi quidem Angina illa sicca visa est, Hipp. descripta 1. progn. comm. 13. p. 16. & ab Aretæo lib. Acut.

Sterno resoluto, & costis utrinque dissectis, extitit pulmo latis maculis prælividus & prope niger: auricula cordis dextra grumis sanguinis plena: venæ omnes pulmonis & cordis distentæ: Vena cava insectu suo adaperta sanguinem atrum & grumos reddidit, sic & ventriculi abunde saturi sanguine; In capite, una cum facie prætumido, facta dissectione, reperta inter cutem & musculos temporarios, pituita mucosa citrina, *longo ad malas usque discursu*: Ossis testa reclusa, venæ membranæ tenuis distentæ undique sanguine, sic & item *omnes sinus membranæ crassæ*, sic & rete mirabile; vasa ad summum omnia gravida sanguine, quæ cerebri basin emensa medullam nutrire fuerant parata. *Severinus in calce lib. de Abscessibus*

IN *capite una cum facie prætumido*) Cur colli extumescentia, quæ alias ab Hippocr. inter salutaria signa habetur, hic mortifera est? Exitialis est tam ratione causæ quam signi: hujus respectu mala, quia nobilissimæ cerebri officinæ monstrat statum, ea malignæ materiæ copia gravatum ut suis terminis amplius contineri nequeat: Deterior causa, quæ ut maturius moriendi necessitatem acceleret, recuttentibus nervis oppletis, strangulantem humorem suscitat, in musculis alioquin nudis innoxium: Bonum ergo exterius vergere humorem in anginа quacunque, si materiæ metastasis universæ sequatur & extra nervorum tactum subsistat. *Bartholinus Exercit. 1. comm. in dictum affectum.*

Omnes sinus membranæ crassæ &c.) Quatuor in universum demonstrantur ab Anatomis crassæ membranæ veluti ventriculi, quibus tres alii Sylviani accedunt, inferior nempe falcis, & laterales duo: Horum omnium pressior cum arteriis est copula: ex latere altero venis sociantur jugularibus, ad quas velut canaliculi illum sanguinem amandant qui in superflua cerebri nutritione ex arteriis venerat, ad inferiores jugularium venas solito gyro rediturus; unde si rationem subducamus ex necessario horum ductu, expeditam delabentis causæ morbificæ ad partes in Angina affectas, collumque, viam exstruemus solutionis, sed criseos gratia, quæ subinde per narium hæmorrhagiam perficitur, ex continuata longissimi sinus falcis cum summis naribus communione: nonnunquam quoque, & sæpius quoque per laterales sinus, venis descendentibus insertos, abscessu critico ad colli partes tentatur: quanquam frustraneam non raro operam ludat natura, ob impleti cerebri & corrupti vehementiam, qua in sinubus grumescit sanguis spirituum defectu, & ad nares, corruptionis labe infectus, altis putridisque aphthis commutatur; cujus utrius que, & sinuum, & nasi turpes facies in demortuorum sectione *Severinus* advertit *Idem.*

Longo ad malas usque discursu) Riolanus Encheir. l. 4. c. 9. ab eodem fonte hujus morbi & strumarum originem deducit: humore videlicet maligno, qui in linguam, gargareonem & Tonsillas decumbens, eas erodat aphthasque malignas generet; insimul strangulationem inducat, unde Garotillo Hispanis dicitur, malum Neapolitanis familiare, à quibus *ulcus* Syriacum dicitur, forsan à commercio cum Hispanis, quibus strumæ endemiæ, à quibus per traducem derivatum.

ADDITAMENTUM.

OBSERVATIO.

Angina fulva larynge, à Iecore corrupto ortum ducens.

QUi Angina strangulatus visus est, loco laryngis nihil penitus præter naturam inventum est, sed Iecur ipsum putrefactum, adeo ut quasi gleba dissolveretur, nimirum quod abundantia ab ea puttedine ex euntium halituum & ichorum per membranas diffusæ larynge sic constringeret, tamen exputredine Iecur potissimum opprimente, cum jam nihil angustiæ in faucibus esset, spatio xxx. horarum extinctus est. *Guarinonius consult.* 161.

ID confirmari videtur ab Equorum morbo, quem Galli vocant *les Avives*, qui illis supervenit cum aquatum ducti fuere æstuante ab exercitio corpore: Intumescunt illis glandulæ colli & plerumque intra biduum intereunt. Ex observatione Glissonii Iecur illis reperitur omnino præ putredine dissolutum. Vide.

FINIS LIBRI PRIMI.

ANATOMIÆ PRACTICÆ
SIVE,
DE ABDITIS MORBORUM CAUSIS
Per Cadaverum Dissectionem revelatis.

LIBER SECUNDUS.
DE AFFECTIBUS PECTORIS.
SECTIO I.
DE RESPIRATIONE LÆSA.

OBSERVATIO I.
Dyspnoea ab infixo asperæ arteriæ ossiculo.

PUER septennis, Aurifabri Genevensis Dom. Gainier filius, anno 1650, oryzam juri carnium incoctam comedens, ossiculum deglutit, quod à consueto tramite deerrans, asperam arteriam subit, illi impactum hærens. Digito locum designabat, circa colli medium: hinc difficilis cum tussi anhelitus, maxime in *inspiratione*, dolorque punctorius: Cum nec progredi nec regredi ossiculo daretur, bronchotomiam suasi, alteri Medico ineptam visam, & sexto demum die, sed ab obitu factam: exemptum q. e. os tereti, æreæ monetæ crassitie, triplici angulo parietibus arteriæ asperæ affixum: Spes erat salutis in mature instituta operatione.

D*ifficilis cum tussi anhelitus, maxime in Inspiratione.*) Respir. tio inspiratione & Expiratione constat: Inspiratio lædi dicitur, quando usus ejus frustratur, aut quoquo modo inhibetur quod sæp.ssime accid.t propter aëris insparandi vitium, vel defectum: Posterius hoc accidit, quatenus nimirum aër copia satis ubere introduci nequit: Cujusmodi effectus cum plures & diversimodæ causæ existant, ut plurimum verò illud propter Respirationis organa, vel quoad motum impedita, vel quoad meatus obstructa contingit: 1. Aëris, quominus libere Pulmones subeat, inhibitio respirationem lædens, sæpenumero ob vias, nempe Tracheæ ductus occlusos, aut non satis patentes contingit: Enimvero ductus isti occludi, & plenum aëris ingressum prohibere so.ent, quatenus vel opplentur, vel comprimuntur, vel arctius contrahuntur: Cum plures sint causæ & modi quibus Tracheæ ductus oppleri solent, imprimis & sæpissime hoc facit fieri, dum à sanguine abscedit, fluor catarrhalis, & è vasis sanguiferis in has partes exun atio: Quod primo tenue & acre tussim molestissimam parit, postea per coctionem crassescens, & tracheæ parietibus adhærens inspirationis vias valde angustiat, & extremitates earum prorsus opplendo, decurrat: partes etiam sanguinis extravasati, necnon puris aut materiæ ichoroidæ è lymphæductibus, aut sanguiductibus in vesiculas tracheales exudatio, dyspnoeam gravem, & non raro phthisin producit Ductus tracheales tum ultimos, tum intermedios sæpenumero per compressionem angustari aut occludi observatione satis vulgari constat: Enimvero à pastu uberiore, nec non à vini, aut cerevisiæ fortioris potu copioso (quatenus vasa pneumonica ob cruoris turgescentiam valde distenduntur & tracheæ latera compressa liberum solitumque aëris ingressum non admittunt) homines alias satis sani, difficulter & anhelose respirant: quod quidem ob pulmones repletos & ex-

& extensos, potius quam à stomacho saginato, & diaphragmatis systolen impediente, accidere putamus. Porro ob hanc rationem, etiam in febrium paroxysmis, respiratio crebra & laboriosa existit. Nec tantum à sanguine turgescente, sed etiam ab eodem stagnante, aut extravasato, insuper à concretionibus lapidosis aliisque diversimodis; tracheæ vasa compressa Inspirationem liberam perficere nequeunt. Secundò, Tracheæ ductus nonnunquam à fibris eorum spasmodice affectis proprius contracti & occlusi, aëri ad debitam inspirationem aditum negant. Hinc cum nulla sit in pulmonibus obstructio, aut mala conformatio, nulla insuper diathesis tabida, tamen à fibris istis præternaturaliter convulsis, & simul contractis, Asthmatis paroxysmi horrendi sæpe oriuntur. Præter hos Inspirationis læsæ casus, subsunt quidam alii qui propter aërem in primo aditu, scil. intra nares, guttur, aut laryngem à tumore, aut mala confirmatione prohibitum excitantur; Ita námque polypus in nare, angina in gutture, aut tonsillarum inflammatio respirationem difficilem reddunt; quæ pathemata cum sensui pateant prætermittuntur.

Secundò, Respirationis organa aut sunt mere passiva, quæ scil. moventur, uti pulmones, aut sunt activa, quæ seipsa, ac insimul istos movent, uti musculi thoracis, ac Diaphragma: In quibusque horum motus impedimenta, quibus respiratio læditur varie contingunt: Et primò quod ad pulmones spectat, hic interdum ob vasa plurimum distenta & sanguine impleta, valde intumescunt, in tantum ut rigidi & inflexiles, thoracis systolæ ac diastolæ vicibus minime obsequantur. Porro interdum accidit ob phlegmonem, tubercula, aliásque diversimodas concretiones, parem in ipsis rigiditatem excitari. Secundò, Respirationis *organa activa*, sive partes moventes, scilicet musculi pectoris & diaphragma, à functione sua motiva variis ob causas inhiberi aut perverti solent: Solutio continui in quolibet horum facta, sive per sanguinis aggestionem, sive per seri aliorumque humorum decubitus, ut in pleuritide & scorbuto, sive à plaga aut vulnere inflictis, dolorem in loco affecto cum motus impotentia & respiratione difficili passim ciet: Quinimo interdum sine dolore, aut causa quapiam evidente, partes istæ à motu præpeditæ dyspnoeam gravissimam inducunt, prout in asthmate, suffocatione uterina, & quibusdam aliis affectibus spasmodicis, aut hypochondriacis cernitur: cujusmodi pathematum ratio procul dubio in eo consistit, quod spiritus animales, functioni istarum partium motrici destinati, à debito in fibras motrices influxu avertuntur: Ideo multi quoad pulmones satis sani, & tantum cerebri & nervorum affectibus obnoxii, etiam dyspnoeæ paroxysmis horrendis sæpe corripi solent.

Quoad aëris inspirandi vitium, si forte depravatus fuerit, sanguinem nec recte accendit, nec eventilat, quinimo nonnunquam hujus crasin pessundat sive venenat, prout in auræ constitutione admodum maligna cernitur: Hujusmodi affectuum ut rationes præcipuas attingamus, advertere est quod si quidem particulæ aëris nitrosæ (uti multiplici experimento constat) ad vitam tuendam imprimis necessariæ existunt, ita frequenter accidit illud aëris nitrum aut deficere, sive ab aliusmodi particulis obscurari in tantum aut ligari, ut virtutem suam ζωτικὴν satis exercere nequeant, aut denique eidem corpuscula maligna, sive exitialia adjungi: Primò, Aëris particulæ nitrosæ deficiunt, si quando ipso stagnante, aut valde æstuante, nitrum inde abigitur, aut in actum minime concitatur: hinc in camera arctiore vel nimis conclusa, aliisque in locis, aut hominum frequentia stipatis, aut solis ardore effervefactis ægre respiramus. Idem usu venit in locis valde excelsis, supra montium cacumina, atmosphæræ summitatem excedentia, in quibus ob nitri defectum respiratio ægre ducitur, & diu illic vivere non licet: Secundò, Particulæ nitrosæ ab aliis accessoriis interdum obscurari aut obtundi, quandoque nimis acuari solent: Quoties enim flante Austro, aura nimis humida & crassa evadit, in quantum particulæ nitrosæ ab aquosis ac sulphureis occupantur, ac plurimum obtunduntur, dum inspiratur illa, sanguis haud vegere accenditur, verum instar ligni viridis igni suppositi, fumigat potius quam clare efflagrat: proinde ut durante tali aëris statu, torpidi ac hebetes, ac ad motum inepti perstemus: E contra autem cum sæviente Borea particulæ frigorificæ, acerrimæ ac summe aculeatæ nitrosis adduntur, sanguis satis accendirur & libere respiramus: Attamen flamma vitalis à gelu intenso ipsi improportionato undique reprimitur, & ni motu & calore refocillatur, non raro prorsus extinguitur. *Willis Pharm. rat. p. 2. s. 1. c. 3.*

OBSERVATIO II.

Dyspnoea à pituita lenta intra Tracheam arteriam concreta.

Ægri quatuor mihi noti, qui eodem fere tempore interiere pene morbo consimili: Omnibus Medicis negotium dedit: Imo ausim asserere morbum non intellixisse: Difficultas erat spirandi summa, spiritus frequens & parvus ad mortem usque: In sicco velut spirare videbantur: nec tussis nec sputum, spiritum ne ad momentum cohibere poterant: Erecto paulum corpore ita parvum & frequens spirabant: febris non erat magna, nec quæ istam respirationem requireret &c. Chirurgus affirmavit se secuisse cadaver pueri ista difficili spiratione & morbo, ut dixi incognito, sublati.

Inventa est pituita lenta, contumax, quæ instar membranæ cujusdam arteriæ asperæ erat obtenta, ut non esset liber exitus & introitus spiritui externo, sic suffocatio repentina. *Ballonius Epid. & Ephemer. lib. ij. pag. 197. & 201.*

Ea diffi-

Ea difficultas spirandi quæ eo tempore vagata est, non ab una causa eademque profecta est: Secundus æger (Scil. Nicolæa Honorata) renes habuit purulentos cum summa bilis effusione in intestina: Filius D. le Noir (ait ibidem Ballonius) Pulmones habuit parte dextra vitiosos: Nepti uxoris N. pulmones erant integri, aliquantula pars adhærebat costis: Ut colligendum sit pulmonibus præsertim eam tempestatem bellum indixisse.

Observatio III.

Dyspnoea orta à lapidibus asperam arteriam prementibus.

Vir quidam laborabat maxima enhelitus difficultate, non tamen tussiebat, non excreabat, nec ulla vel asthmatis, vel orthopnϾæ, aut vulgati, alicujus pectoris vitii aderant symptomata: Medici curabant eclegmatis, syrupis & similibus morbum non obsequentem. Æger tandem febre superveniente abiit ad plures.

Causa autem morbi & mortis postea sese aperto corpore aperuit: Lapides varii, variæque figuræ, Asperæ Arteriæ incumbentes immediatè, ita eam oppresserant, ut tandem *hominem præfocaverint*: Cætera enim interiora nihil contraxerant vitii, Ita sæpe quæ latent in corpore medicantes latent. *Theod. Kerkringius Observat. Anat. xxvij.*

Ut *tandem hominem præfocaverint*. Respirationis usum perquam necessarium esse eleganter Hippocr. lib. de Flatibus declaravit, *Mortalibus hic*, (Spiritus) *tum vitæ tum morborum ægrotantis causa est: tantaque corporibus omnibus spiritus inest necessitas, ut si quidem aliis omnibus, & cibis & potionibus quis abstineat, duos tamen & tres, vel plures dies possit vitam ducere; At si quis spiritus in corpus vias intercipiat, vel exigua diei parte, homini pereundum sit: adeo necessarius est usus spiritus in corpore: Adhæc quoque quum omnibus aliis actionibus homines quiescant, quod mutationibus innumeris vita sit exposita, ab hac tamen sola actione nunquam desistunt animantia, quin aut spiritum adducant aut reddant.*

APPENDIX.

Spiritus difficilis ob putamen nucis avellanæ circa caput asperæ arteriæ inhærens.

Civis Amsterdamensis septem amplius annos, divexatus ab indefatigabili tussi, traxit continenter spiritum adeo difficulter, ut corpus ipsi summopere emarcuerit: sed ejecto tandem per vehementissimam tussim putamine nucis avellanæ, duxit illico spiritum commodius, & evasit celerrime quod vitæ intentabatur periculum.

Inhæserat autem hoc putamen (quod adæquabat unguem humanum) circa caput asperæ arteriæ; uti satis distinctè indicavit æger: forte prope illum locum, in quo aureum nummum scribit ultra biennium delituisse Ph. Hæchstetterus observ. 16. casu 10. *Tulpius Observ. lib. 2. cap. 7.*

Observatio IV.

Orthopnoea ab inflammata aspera arteria.

Postquam Adr. Spigelius, plurimum deditus experimentis, deprehendisset in orthopnoicis dissectis, inflammatam asperæ arteriæ tunicam ob materiam tenuem ac biliosam ipsi infarctam, Diuturnæ orthopnoeæ accessiones medicamentis scammoniatis, ut Pilulis cocciis, Aureis & hujus generis cæteris levavit. *Ioh. Rhodius Observat. 28. cent. 2.*

Observatio V.

Dyspnoea à Tumore lateri asperæ arteriæ adnato.

Viduæ N. succrevit paulatim humilis ac latus tumor, insidens firmiter lateri asperæ arteriæ, hinc impediri evidenter spiritus: Offendimus hunc tumorem ad instar carcinomatis, radicibus diffusum per quamcumque colli partem: *Vide lib. 3. tit. de Deglutitione læsa.*

Observatio VI.

Dyspnoea à Thymo, glandula, humoribus excrementitiis referto, Thracheam premente.

THymum novi, ex quorundam lue venerea infestatorum cadaverum sectionibus, instar spongiæ ab excrementitiis corruptis humoribus intumescere, unde ægre spirant, compresso à tumore Thymi œsophago, renitente cartilaginosa aspera arteria. *S. Pauli Digressione de febre maligna.*

Observatio VII.

Dyspnoea ab aneurismate aortæ arteriæ tracheam vicinam premente.

I Pauli Tumor pulsatorius circa claviculæ sinistræ & sterni conjunctionem obortus est, exterius pugni magnitudinem multum superans, & interius respirationi non leve impedimentum afferens: Aperto mortui thorace apparuit dilatata arteria aorta ad latus asperæ arteriæ. *Vide tit. de Hæmoptysi.*

Appendix.

Dyspnoea convulsiva à Tracheæ bronchiis coarctatis & constrictis.

DYspnoeam convulsivam interdum excitari putamus ob tracheæ bronchia coarctata nimis, & non raro penitus constricta: In Nevrologia nostra advertimus, plurimas nervorum fibrarumque nervearum propagines asperæ arteriæ ramificationes omnes ubique amplecti & circumligare: quos equidem nervos, si forsan accidat à materia morbifica obsessos, in crebros spasmos irritari, propterea sequitur canales sive ductus quos ambiunt, valde constringi, & in quibusdam locis prorsus occludi. *VVillis Pathol. Cerebri c. 12.*

Observatio VIII.

Dyspnoea & stertor à cancro pulmonis partem superiorem obsidente, & arteriam asperam premente.

INterdum pars superior Pulmonis in cancrum abit, atque ad juguli partem superiorem trahitur, ut sub alis lateat: unde compressa arteria aspera stertor quidam obauditur, non à puris multitudine, aut alterius humoris; sed ab angustia & interceptione meatus, in quo refractus & agitatus humor aliquis in gutture fuerit. *Jacotius Comm. 1. in lib. v. sect. 2. aph. 67. Coacar. Hipp.*

AD *juguli partem superiorem.*) Hippocrates in Coacis t. 400. superiorum pulmonis alarum inflammatione obsessarum, signum ponit claviculatum dolorem, ambarum quidem, si ambæ superioris pulmonis alæ laborent, Unius si unica.

In cancrum abit) Sanguis qui inflammationem pulmonis parit vel purus est, vel biliosus, vel pituitosus, vel melancholicus: Pituita è capite defluens inflammationi occasionem præbere censetur: Bilis sanguini permista Erysipelas pulmonis inducit, de quo *Hippocr.* lib. 1. de morb. & lib. de int. affectionibus: Si fuerit melancholicus sanguis, isque exustus, cancrosam inibi affectionem parit, à qua Anginam obortam vidit *Heurnius* de morbis Pectoris cap. 1. Sæpe, ait, in cancrum degenerat, hoc maxime fit in puellabus melancholicis quibus restiti sunt menses: Nuper tres vidi, duas puellas, & unam senescentem jam fere, nuptam, Nigredo quædam ad epiglottida fere apparebat; Nupta præ glutiendi difficultate periit: Aliis exedebantur œsophagus ac musculi sternohyoidei, ita ut per anteriora proflueret, ac exesis jugularibus hæmorrhagia interiit earum una, altera sensim extabuit.

Observatio IX.

Respiratio læsa ob sanguinis transitum per venam pneumonicam, prope cordis insertionem lapidescentem, impeditum.

QUandoque vidimus tum arteriæ tum venæ pneumonicæ canales plane osseos alicubi factos, eorumque parietes ita compressos, ut rima tantum exigua ad sanguinis transitum relinqueretur: Non ita pridem juvenem, à tali venæ pneumonicæ mala conformatione extinctum dissecuimus, in quo vasis hujus truncus, prope cordis insertionem lapidescens adeo coaluerat, ut sanguis nonnisi guttatim, aut cum exiguo tantum filo cordi instillaretur.

Cum ad Respirationis munus spectent pulmonum vasa, scilicet trachea cum bronchiis & vesiculis; item cor cum arteriis & venis: insuper adsint nervi cum fibris tum musculares, tum nerveis, Lymphæductus & glandulæ. Porro, cum & vasorum horum contenta, scil. aer, sanguis vetus & recens cum sero ejus, Lympha & spiritus animales; vitium quodvis in uno quoque horum contingens, sæpe totam functionem pneumonicam perturbat: Nec minus etiam organa pectoris motiva, scilicet musculi cum diaphragmate, atque nervi iis destinati; quinimo interdum spiritus animales, antequam nervos eos subeunt, perperam scilicet habentes, non raro magnas circa respirationem ἀταξίας inducunt. Cum præcipua pulmonum functio & usus fuerint, sanguinem & aërem per totas partium compages intimósque recessus, atque ductus quósque minutissimos traducere, & ubique invicem committere, in eum nempe finem ut sanguis venosus à circuitu redux, & chymo recenti dilutus, proindeque crudus & velut semiextinctus, tum perfectius misceatur & velut subigatur; tum potissimum & secundum omnes suas partes ab aëre nitroso de novo accendatur; hinc primaria circa hoc negotium, sive munus pulmonare, delicta, ut plurimum in his duobus consistunt, scilicet primò quod sanguis non rite trajicitur per cordis sinus & vasa pulmonica; Et secundò, Quod aër haud debito modo in tracheam ejusque ductus inspiratur expiraturque: Utriusque horum duæ sunt partes: Primò enim quoad Sanguinis Trajectionem, culpa interdum intra cordis sinum dextrum, aut arterias pneumonicas; quandoque item intra venas pulmonares, aut cordis ventriculum sinistrum committitur: Dein 2°. quoad aërem, modo in inspirando, modo in expirando imprimis ac potius delinquitur: quanquam insuper utraque functio interdum ex æquo peccet: Singulorum ex his varii sunt casus, plures item causæ & fiendi rationes, quarum præcipuas hic breviter perstringam: Primo igitur, quando sanguis non rite cordis sinum dextrum & arterias pneumonicas pertransit, aut proprio ipsius vitio, aut ductuum modo istorum, modo ulteriorum culpa illud contingit; quippe nonnunquam sanguinis rivus in citeriore præcordiorum regione subsistit; propter obicem in altera factum: quinimo interdum aëris inspirati defectus, aut vitium, sanguinis trajiciendi remoram facit. Quod spectat ad *Sanguinis vitium*, nostra fert sententia utrumque sanguinis rivum, pariter chymo recente perlutum, prorsus homogeneum existere: atque id propter vasa lactea thoracica tam longo itinere chyli partem circumducere, quam trunco venæ cavæ descendenti, æque ac partem alteram vasa mesaraica trunco ejus ascendenti infundunt, quod etiam una cum chylo humor lymphaticus vasis subclaviis infundatur, ita ut in sanguinem reduci percommode queat, nec quidem aliis aut pluribus ejus ductibus opus videtur: Porro humorem istum recte constitutum, æque ac chylum ipsum dulcefactum, massæ sanguineæ, absque lucta in corde excitata simul congruere & facile assimilari statuimus: Sin vero humor Lymphaticus, à cerebro & nervoso genere atque ac à glandulis redux, à debita crasi degener (uti cerebro assolet) acorem contraxerit, idcirco sanguini venoso reinfusus ipsum fundit, & in serositates præcipitat, proinde ut magna urinæ profluvia inducantur: At vero tantum abest ut talis humoris lymphatici fluor in dextro cordis sinu majorem sanguinis effervescentiam conciter ut potius è contra exinde cum pulsu debili, sæpe totius infrigidatio, aut rigor, non raro etiam spirituum deliquia aut affectus spasmodici excitentur, & urinam copiosam & pallidam comitentur: Quorum ratio procul dubio est, quod cum humor limpidus è cerebro & nervosis partibus exundans sanguinem in serositates fundit, & nimis diluendo refrigerat; proindeque spiritus animales vehiculo suo destituti, aut deficiunt, aut motus inordinatos ineunt. At vero sanguinis in cordis sinu dextro à partium dissimilium lucta, effervescentiam elasticam (*quam statuit Clari Sylvius*) uti prorsus negamus, ita quoties exinde in pulmones non debito modo ejicitur, illud non tam proprio ipsius quam facultatis animalis vitio aut defectu, accidere statuimus: Si quando enim spiritus cordis fibras motrices actuantes, aut deficiunt, aut in ἀταξίας spasmodicas adiguntur, cor proinde inordinate vibrans, laticem cruentum aut infirme aut irregulariter fotas propellit.

Quod autem sanguis corde egressus arterias pneumonicas haud semper expedite trajicit, id interdum propria ex culpa; quandoque item ob vias obstructas, quin & alias ob causas passim contingit: Ipse sanguis duplici respectu, scilicet aut quoad accensionem, vel quoad crasin suam peccans, proprio per pulmones transitus officit: utriusque horum varii sunt casus, Primò enim quatenus iste aut minus, aut nimis quam par est accenditur, in circuitu pulmonari impeditur: Si quando in massa sanguinea, spiritu ac sulphure absumptis aut depressis, partes aqueæ, terrestres, aut salino fixæ præpolleant, id propter latex ejus, æque aut parum ab aëre nitroso accensus, non facile intra ductus pulmonares rarescit, eòque exilientis instar flammæ sua sponte vix trajicit, sed gravis & quasi limosus usque in viis hæret, atque plurimum molestiæ ac laboris, quo circumpellatur, aut partium ejus motu citatiore, sanguis paulo uberius in præcordia urgetur, cor & pulmones pro circumpulsione ejus difficillime, & extremis quasi cum nixibus laborant: Atque in hoc casu verisimile est sanguinem, intra cordis sinum dextrum rapidius aggestum, aliquatenus stagnare, quia nimirum in ductus à fronte oppletos statim transferri nequit: Porro ob hanc causam *concretiones istæ grumosæ sive carnosæ, cordis Polypi dictæ*, interdum exoriri videntur: Hinc & in *pica*, *leucophlegmatia*, *hydrope* ac *scorbuto* inveterato, à corporis motu citatiore Respiratio valde difficilis ac laboriosa existit.

Secundò, Sanguis nimis interdum accenditur, totusque fere in flammam erumpens, ac supra modum expansus, intra ductus Pulmonares, quos plurimum inflat & extendit, vix contineri potest, quin eos inflammare sive accendere periclitatur: quare ne diutius in iis moretur, præcordia creberrimis simulque fortissimis nixibus vibrant, ut sanguis ira nimium accensus satis eventilari & circumagi possit: secus enim iste intra pulmones aggestus, eòsque totos inflammans, functionem vitalem cito destruet. Præter hæc sanguinis quoad accensionem, restant alia quoad crasin sive mixtionem

nem ejus vitia, propter quæ ductus pulmonicos minus libere aut expedite trajicit: Enimvero quando ejus compages aut minus laxa, aut supra modum stricta existit, per exiles pulmonum meatus haud facile pertransibit; quin sæpe in iisdem hærere & stagnare, ant etiam excurrere & extravagari periclitatur: Sanguis in compage diversimode solutus, aut de liquia, aut recrementa, aut corruptelas suas in pulmonibus exuit, quæ in vasorum recessibus deposita, aut parietibus eorum affixa, rivi sanguinei cursum variis modis inhibent aut pervertunt: Prima, Sanguinis dissolutio, quæ pulmonibus sæpissime (quamvis non periculosa admodum) infesta est, contingere solet quatenus serositates, intra massam ejus contineri inhabiles, cum non satis per diaphoresin aut diuresin è vestigio emandantur, intra pulmones à cruore abscedunt, adeoque effervescentes, & è propriis vasis exundantes, tum aëris tum sanguinis transitus perturbant aut præpediunt: proinde ut recrementi hujus serosi expellendi, & circuitus sanguinei continuandi gratia, pulmones in tussim crebram & valde molestam irritentur: Nec tantum latex serosus, sed & plures alii humores, aut sanguinis recrementa in pulmonibus deposita, eorum ductus sæpe infarciunt, adeòque tum aëtis, tum cruoris transitus præpediendo, Dyspnoeam aut tussim inducunt: Hoc in cacochymicis, gulosis, bibonibus, aliisque vitam inordinatam aut desidem agentibus passim cernitur: Hinc cursores, ut pulmones humorum illuvie & sanguinis excrementis usque immunes habeant, diæta tenui & perquam exacta utuntur: observavi quosdam melancholicos, sanguinis fæce adusta intra ductus pulmonares exundante, sputum instar atramenti nigricans; quin & alios biliosos & ictericos flavum, & quandoque summe amaricans excrevisse.

Tertiò, Insuper Pulmones interdum sanguinis corruptelas & putrilagines luere plures instantiæ satis manifeste declarant: Si quando enim massa ejus miasmate, aut contagio pestilente, aut venenato tacta corrumpi incipiat, inque portiones coagulatas & sphacelatas facessat, pulmones inde labem præcipuam suscipiunt: Hoc in variolis, morbillis, peste & febribus malignis notum est: à quibus affectibus quoties ægri intereunt, ita fieri videtur, vel quia sanguis intra cordis aut pulmonum vasa grumescens, proprii ibidem circuitus viam obstruit, proinde statim ut influxus ejus in cerebrum præpediatur: vel quia sanguinis corruptelæ ductuum pulmonariorum parietibus affixæ, affectionem quasi phlegmon ὡδῶν iis inducunt, proindéque tussim molestissimam, aut dyspnoeam, & non raro sputum sanguineum accient.

Hactenus de circulationis sanguineæ impedimentis, quæ intra pulmones, propter cruoris massam nimis dissolutam, inque partes aut portiones [quæ ibidem relictæ ipsorum ductus obstruunt] abscedere aptam, contingunt: Supersunt aliæ præcordiis haud minores injuriæ, quæ à sanguinis compage nimis constricta, & nihil à se dimittente procedunt, cujusmodi ob causam, aut febris Causonis, aut pleuritis vel peripneumonia oriuntur: In priore affectu, sanguis plus debito sulphureus, simulque crassus sero non diluitur, quasque hujus in se particulas, continet, à complexu suo ægre deponit, quare intra pulmones uberius accenditur, cumque hotum ductus tum ob majorem effervescentiam, tum ob crassitiem suam difficilius pertransit, cor impigre & vehementissime vibrans, circumpulsionem ejus totis viribus molitur: nihilominus à flamma ejus majore intra præcordia gliscente, æstus & sitis molestissima, cum linguæ scabritie & velut torrefactione quadam, oriuntur. In altero genere, vid. pleuritide & peripneumonia, sanguis æque crassus, sed minus sulphureus aut inflammabilis existit: quapropter incendium haud tantum concipit: attamen ob crassitudinem suam, cum ductus thoracicos aut pulmonares non ita facile & expedite trajicit, sæpenumero extravasatur, atque ductuum interstitiis aut parietibus hærens, obstructionem & phlogosin brevi excitat, quibus sæpe dolor cum sputo sanguineo aut discolori succedit: Observare est à phlebotomia in hujusmodi morbis facta, cruoris, post quam subsederit, superficiem pellicula albicante, aut alias discolori, crassa & viscosa semper obduci; cujus ratio est, quod sanguis, cum inter circulandum particulas veteres non à se dimittit, novásque in se non satis recipit, diuturno coctione inspissatur, ac instar carnis elixæ, à colore sanguineo versus albidum mutatur, in quo statu, si quidem vasorum ductus exiles haud facile pertransit, extravasari periclitatur, & pleuritin aut peripneumoniam facile excitat.

Præter has sanguinis, dum præcordia pertransit, remotas, ob propriam ipsius noxam excitatas, sunt insuper alia sufflamina & impedimenta ejus, quæ aut *cordis* aut *viarum*, aut etiam aeris inspirati vitio, vel defectu contingunt. Quot modis, & quibus de causis cor in motus peccans, sanguinem minus recte aut debite è sinu suo dextro per pulmones in sinistrum propellit, in tractatu de affectibus cardiacis ostensum: Nimirum musculus iste nonnunquam spirituum inopia aut defectu laborans, vibrationes suas haud satis vegete & robuste peragit: Revera cum à corporis exercitio cruor solito uberins è vena cava in cordis sinum urgetur, si quidem hoc firmiter se contrahere nequit, juxta vires suas impigre laborans, pulsus creberrimos, simulque debiles exerit: Porrò, huic ut suppetiæ ferantur, tum arteriæ pneumonicæ, tum aliæ in variis corporis partibus, quæ sanguinem quomodo circumpellunt, contractiones crebras & inordinatas edunt; Hoc observavi in virginibus pica laborantibus, aliisque interdum cachecticis, à motu corporis citatiore, non solum cordis palpitationem, sed in collo & temporibus aliisque locis arterias irregulariter pulsasse: Nec tantum spirituum defectus, sed quandoque etiam illorum inordinatio in causa est quod præcordia minus recte sanguinem trajiciant: quippe interdum spiritus nervorum cardiacorum incolæ, à copula incongrua irritati & spasmodice affecti, cordi aut arteriis contractiones irregulares, quibus iter sanguinis varie pervertitur, aut impeditur, imprimunt, uti passim in cordis palpitatione, tremore, pulsu intermittente, &c. Tertiò, Sanguinis iter pulmonicum quandoque ob vias non satis patentes varie inhibetur: cujusmodi impedimenta contingunt quatenus meatus, sive ductus

ctus isti, vel *obstruuntur*, vel *abrumpuntur*: Horis duæ sunt rationes, seu scindi modi, vid. viæ aliquando occluduntur, quatenus vasorum ductus, à fibris carneis contractis ad se invicem propius adducuntur, uti in cordis palpitatione & asthmate spasmodico nonnunquam accidere alibi ostendimus: Cujusmodi affectus, ob clausum sanguinis intra præcordia rivum, Respiratio difficilis & anhela, pulsus exilis & totius infrigidatio comitari solent: Porro interdum sanguinis meatus occluduntur, quatenus vasorum ductus *à corpore aut humore quodam exterius incumbente* comprimuntur; quare cum cellulæ, aut tubi bronchiales [uti frequenter assolet,] à phlegmate viscoso, materia purulenta, sanguine demum extravasato implentur, sicut in ipsis liberior aëris, ita in vasis adjunctis etiam sanguinis transitus inhibetur: In ejusmodi causæ rationem veniunt *Tumores, tubercula, vermes, necnon concretiones velut lapidosæ, arenaceæ, caseosæ*, aliæve alius generis diversimode excitari solitæ: Insuper quandoque, &c, [*vide textum.*] Secundò, Ductus sanguiferos sæpenumero impleri & obturari, propterea ut sanguinis rivus obstruatur aut angustetur, plures instantiæ & observationes anatomicæ satis manifesto declarant: Ex his enim liquido constat *sanguinis concretiones grumosas*, seu veluti carneas, ipsius cordis sinus, & vasorum majorum radices ita nonnunquam opplere, ut influenti sanguini cursus fere in totum obstruatur: Quinimo hoc in vasis minoribus sæpius contingere & ratio suadet & experientia concludit; quippe (prout modo innuimus) sanguis in rheumatismo, peripneumonia & pleuritide per phlebotomiam emissus, postquam refrixit, pellicula consimilis omnino substantiæ cum concretionibus istis polyposis obducitur; indicio, uti videtur, manifesto, eum propter crassamenta ista viscosa vasorum minorum ductus ægre pertransire; quapropter, ut quoquomodo evadat, ea plurimum distendit, quandoque etiam perrumpit; sæpe item eorumdem ora reserat, inque Tracheam hiatus aperit, proinde ut cruoris extravasati portiones crebro tussi ejiciantur: Quidam anhelosi obierunt (*vide infra*) quorum pulmones multum intumuerant, eo quod sanguis crassior & fæculentior vasa extenderet; ac in minoribus tubis stagnaret: Insuper cruoris fæculentiæ, modo salinæ, diversi status, modo sulphureæ aut terrestres cum illis combinatæ, sæpe vasorum ductibus exilibus impactæ, ibidemque fixæ, eos penitus obstruunt, propterea ut sanguinis circulatio pneumonica, in spatium brevius contrahatur, & consequenter tubis aut cellulis compressis respirationis ambitus coarctetur: Plures & diversimodi talis obstructionis casus & species extant: Tertiò, Sanguinis commeatus pneumonicus non tantum ob vias occlusas aut obstructas, sed quandoque etiam *abruptas* impeditur, Etenim vasa isthæc in quibusdam tenuia, aut tenera, aut valde laxa, sanguinis impetu aut acrimonia non raro aperiuntur, ita ut latex cruentus, vel in tracheam erumpens per sputum ejiciatur: vel ductuum interstitiis aggestus peripneumoniam, vel in thoracis cavitatem decidens empyema producat.

Restat adhuc tertium Sanguinis in itinere pneumonico impedimentum, quod videlicet ob *Aëris* defectum, aut vitium accidit, &c. *Willis Pharm. Rat. p. 2. sect. 1. cap. 3.*

OBSERVATIO X.

Dyspnoea à transitu sanguinis per Pulmones impedito.

QUi in principio paroxysmi Tertianæ mortui sunt, iis sanguis in Pulmonibus impactus, incrassatus inventus, transitu causæ morbificæ impedito. *Harvaus.*

OBSERVATIO XI.

Respiratio læsa ob Pulmones tumentes à Sanguine intra vasa stagnante; bronchia premente.

§. 1. NOvimus quosdam ἄσθματικοὺς & anhelosos obiisse, quorum pulmones ulcere, aut continui solutione quavis graviore immunes, *adeo intumuerant*, ut illorum intra thoracis cavitatem mortui spatium desideraretur; Cujus ratio proculdubio fuit quod sanguis crassior & fæculentior, proindéque vasa non facile pertransiens, arterias & venas ubique extenderet, inque minoribus eorum tubis stagnaret. *Villis Pharm. Rat. part. ij. sect. 1, cap. 2.*

§. 2. Asserimus asperæ arteriæ ramos, à distentis venis & arteriis pulmonum ita comprimi posse ut Asthma oriatur: Si menstrua non respondent, implentur sanguine vasa pulmonum, in tantum ut idem morbus nascatur, & phthisis sequatur, aut subsequi videatur: Talia defuncta corpora incidi jussimus, Ac invenimus vasa pulmonum vehementer sanguine distenta, quibus rami asperæ arteriæ pervii haud erant: Quid? cunctum corpus pulmonum aliquando adeo refertum erat, ut thoracis membranam contingeret, & ei quoque adnatum esset: Hydrops pectoris etiam, teste, *Chiffletio*, oritur suppresso illo sanguine. *Schneiderus l. 3. de Catarrhibus cap. 6.*

ADeo intumuerant.) Pulmonis Tumentis meminit Hippocr. lib. 3. de morbis, Quum, *inquit*, pulmo tumuerit præ nimio calore repletus, Tussis tenet fortis & dura, & erectæ cervicis spiratio, & acervatim respirat, & frequenter anhelat, & intumescit, & nares expandit, velut equus ex cursu, & linguam frequenter exserit, & pectus ipsi canere videtur & gravitas in ipso inesse; quapropter hanc capere pectus non potest, sed disrumpitur & impotens fit, & dolor acutus emergit, & dorsum & pectus & latera velut aculeis punguntur, & ardent hæ partes velut ejus qui sedeat ad ignem, & rubores exoriuntur ad pectus & dorsum, ve-

lut à flamma, & morsus fortis incidit, & angustia, ut neque stare, neque sedere, neque decumbere possit, Verum ita velut desperatis rebus anxius seipsum jactat, & jam mori videtur: Moritur autem maxime quarta aut septima die quas si effugerit, non valde perit: Hunc sic cures, Infernam alvum quam citissime, clystere adhibito, probe purgare oportet, & de cubitis, & naso, & lingua, ac de omni corporis parte sanguinem mittere: Potiones item frigefacientes exhibere, & sorbitiones idem præstantes: Danda sunt & urinam cientia sæpe, sed quæ non calefaciant: & ad ipsos quidem dolores, quum irruunt, calefactoria levia ac humida adhibendo, locum calefacere ac humectare oportet ubicunque dolor fuerit: ad reliquas vero partes frigefactoria adhibere, vicissim ea apponendo ac tollendo, & ubicunque arserit, frigus facere: A vino autem penitus abstinere.

Observatio XII.

Dyspnoea ob cruorem intra Pulmones extravasatum.

Theologus cum palpitatione cordis Dyspnoea affligi cœpit: Pulmones summe obstructi & cruore atro extravasato infarcti. *Vide tit. de Palpit. cordis.*

Observatio XIII.

Orthopnoea ob Pulmonem dextrum inflammatum.

XIV. April 1676. in virgine 30. ann. aperta, inveni pulmonem dextrum insigniter, ad intima usque inflammatum, cum duritie summa, variis in locis suppurationis sese ostendebant initia: utroque in latere similiter ac circa dorsum firmiter Pleuræ cohærebat Pulmo: Imo etiam Epati, Lien, quæque ipsis nevæ partes, interventu fibrillarum nervearum innumerabilium miro modo sibi invicem uniebantur: Jam ab aliquo tempore Orthopnoea laboraverat, subito valde extincta. *G. Balsius Observat. med.*

Observatio XIV.

Dyspnoea à phlegmone pulmonum post venenum sumptum.

D. N. inquietudine, nausea, Respirandi difficultate afficitur, In pulmonibus deprehensa inflammatio ad livorem vergens. *Vide lib. 3. tit. de vomitu.*

Observatio XV.

Dyspnoea à pulmonum inflammatione & œsophagi.

Juveni inter cœnandum ossiculum in gula remansit, hinc collum durum, tensum, & ad ipsum pectus tumefactum, cum dolore maximo, Dyspnœa. Oesophagus cum vicinis partibus plane sphacelatus: Pulmones ob præcedentem inflammationem lividi. *Vide lib. 3. Tit. de Deglutitione læsa.*

Observatio XVI.

Dyspnoea à pericardii & pulmonum phlegmone, hinc suppuratione.

Agricola plaustri ruinam in se passus, de punctorio & gravativo pectoris dolore conquestus est, cum quadam cordis compressione & dyspnœa, &c. Pericardium scatebat pure copioso. Pulmo ejusdem labis particeps &c. *Vide Titul. de Pectoris dolore.*

Observatio XVII.

Constitutio interna & externa Senis, qui annos centum & quinquaginta duos vixit, cum Spirandi difficultate mortuus, ob Pulmones Sanguine distentos & costis annexos.

Thomas Parre, pauper Comitatus Saloniensis rusticus, unde abductus à Nobiliss. D. Tho ma Arundeli & Surri Comite, mortuus est postquam supervixerit novem Principes, decimi eorum anno decimo, ipsius ætatis CLII. & IX. mense.

Ejus cadaver, cum apertum fuit (vid. anno 1635. Novembris XVI.) repertum fuit admodum carnosum, pectus hirsutum, genitalia integra, quod nota fuit non exigua, qua firmabatur rumor ipsum publicas propter incontinentiam censuras subjisse, præcipue cum post hoc tempus, (vid. ætatis CXX. anno) viduam duxerit, quæ agnovit cum eo rem habuisse ut alii mariti solent, cum ea congressum frequentasse: Porro amplum illum pectus habuisse, Pul-

Pulmones minime fungosos, sed coctis adhærentes, atque multo sanguine distentos ostendit; livor in facie apparebat, sicut difficultate spirandi aliquandiu ante ipsius mortem laborabat, & durabilis post eam sub axillis & in pectore calor sentiebatur: Quæ signa simul cum aliis æque manifesta fuerunt in suo corpore ac solent in iis qui suffocatione moriuntur: Cor ipsius ingens erat, densum, fibrosum & pingue, Sanguis in corde existens diluto colore nigricans, Sterni cartilagines non magis osseæ quam in aliis, sed flexibiles & molles: Sua viscera reperta sunt sana & firma præcipue stomachus, & compertum est ipsum solitum esse sæpius noctu diéque comedere, quamvis contentus fuerit caseo antiquo, lacte, pane nigro, vili cervisia & sero lactis, Et quod magis notandum est, media nocte paulum antequam è vivis exiret, cibum accepit. *Renes* ejus cooperti erant pinguedine satisque integri, aut anteriori tantum eorum facie nonnulli aquei & serosi abscessus, ut videbatur, reperti sunt: quorum unius magnus erat, instar ovi gallinacei, flavescente aqua repletus, quæ orbicularem cavitatem impresserat in hoc rene, unde plurimi illum urinæ suppressionem paulo ante mortem passum esse cogitarunt: quamvis alii voluerint hanc urinæ suppressionem potius à regurgitatione serositatis in pulmonibus ortum habuisse. Nullum omnino signum repertum est calculosæ materiæ in renibus vel vesica: Sua intestina etiam labe intacta erant, nonnihil pallida circa superficiem: Splen ejus admodum exiguus erat, vix magnitudinem unius Renis adæquans: Ut paucis dicam, omnes ejus partes internæ adeo sanæ videbantur, ut si victum & aërem non commutasset, satis diu forte vitam produxisset. *Cerebrum* ejus repertum est integrum & firmum, & quamvis oculis captus esset, nec admodum valebat memoria aliquot annis priusquam diem obiit, auditum tamen & apprehensionem integerrimos habebat usque ad annum ætatis 130. quicquid rustici est operis perficere, etiam frumenta flagellis triturare potuit.

Ipsius mortis causa præcipue victus & aëris immutationi tributa est, quia à sereno, subtili & libero aëre discedens in crassum Londini aërem venit, & post æqualem, simplicem & durum ruris victum in splendidam familiam receptus est, in qua laute excipiebatur, & copiose ex melioribus potabat vinis, à quibus functiones sui corporis partium naturales supra modum onustæ fuerunt, Pulmones ejus obstructi & totius corporis habitus male dispositus: unde non aliter evenire potuit quam ut cita sequeretur dissolutio. *Observatio Celeb. Harvei in Actis Regiæ Societatis Anglicæ annor. 1668. & 69. pag. 69.*

Observatio XVIII.

Orthopnea ob Pulmones inflammatos à casu: Dextrum cordis sinum sanguine nigro repletum, &c.

Anno 1587. obiit vir 54. annorum, alias robustus, qui ex casu decubuerat sine ullo sensu & motu sex diebus: Non poterat autem unquam jacere, sed cogebatur semper sedere in lecto, cum perpetua respirationis difficultate & periculo suffocationis.

Secto cadavere, primo pulmo summe inflammatus repertus est, cum stridore & crebro sputi egressu inter incidendum, ut hujus cavitates humore totæ repletæ essent. Prodiit autem hæc inflammatio ex *dextro cordis ventriculo*, qui venam ad Pulmones emittens viscus hoc nimium replevit: Siquidem & ipse dexter ventriculus cordis, ad quem, pro sanguine perficiendo, vena cava insignem ramum porrigit, sanguine nigro, non tamen coagulato, sed tenui, totus refertus erat, cum aliquot filamentis ex pituita concretis, unde facile miser potuit suffocari. *Rumlerus Observat. IV.*

D*Extro cordis ventriculo*) Sanguis in dextro cordis ventriculo effervescens, incalescens, parietes ipsius sensim magis magisque expandit, donec ista expansione irritatum cor, parenchyma suum musculosum, spirituum animalium ope contrahat, simulque sanguinem contentum in pulmonalem arteriam exprimat: ex qua per pulmonum parenchyma in Pulmonalem venam transfusus, ad sinistram cordis auriculam ventriculumque sinistrum pergit: Læditur hic sanguinis per Pulmonis motus 1. quando nullus fit. 2. quando tardius. 3. quando celerius procedit. 4. quando alio quam quo decebat propellitur sanguis, Ubi universalis, ac per omnia Pulmonum vasa contingat motus ille sanguinis, valde impeditus aut cessans, brevi moritur homo, aut extinctus ob sanguinis defectum, aut suffocatus ob ejusdem copiam vel stagnationem, ni confestim secta vena redundans minuatur, vel pro re nata copiosius affluens alio avertatur: ubi autem in quibusdam duntaxat Pulmonum vasis, ob obstructionem moveri desinens sanguis aliquandiu ibidem stagnat, Peripneumoniam parit: *Franciscus Sylvius Practica lib. 1. cap. 20.*

Viscus hoc nimium replevit, &c.) Impeditur nonnunquam in suo Refluxu Sanguis, quoties is vel stagnat subsistitque in suis vasis & viis, vel effunditur extra ipsa, sive hoc fiat intra vicinarum partium substantiam, vel corporis cavitates, sive id accidat extra corpus ipsum: In vasis stagnans & paularim collectus eadem magis magisque distendit, & ita quidem ut aliquando rumpantur, aut quoties modo alio exitum ipsi concedant, unde contingit tunc sanguinis è vasis suis effusio, sive idem hæreat in partium adjacentium substantia, sive colligatur in cavitate corporis propinqua, sive effundatur in totum extra corpus: Causa omnis sanguinis effluxus est Apertio vasorum qualiscunque, sive illa fiat ex nimia vasorũ à copioso, val-

de rarefacto, aut retardato sanguine, flatibusve distensione, sive ab humoris aut in vasis, aut extra ipsa subsistentis acrimonia rodente, sive à re dura & acuta vulnerante, obtusave contundente, aut quovis alio idem contingat modo. *Idem cap. 20.*

Sanguine tenui cum filamentis ex pituita, &c.] Cum Mesves de Peripneumonia loquitur, notat quandam biliosam esse aliam, pituitosam esse, aliam pituitosam: Porro pars qualibet laborat ab humore vel ut nutrimento, vel ut excremento: Si pulmo laborer ab humore ut excremento, à pituitoso humore laborat: Si tanquam à nutrimento, à bilioso, nutritur enim humore bilioso. *Ballonius.*

Observatio XIX.

Dyspnoea à Pulmonibus magnis, spumoso, atro sanguine turgidis, Exterius maculatis, gangrenæ notas gerentibus, &c.

POdagra Illustrem Comitem Maximilianum Fuggerum diu habuit: habuit dico, quia à pedibus ejus raro secessit, orbavit gressu, causam effatti non licet. Pilulis ex Turpetho minerali usus & hagioxyli decocto sæpius: cum nec his cederet ad Thermas missus, & in Bollensibus aquis liberum incessum reliquit, in Badensibus Helveriorum res ad grallos venit; Inter humorum acervos cumulum afflictionum sensit, & farraginem receptarum, nullum tamen auxilium recepit: Arthriticos dolores his ultimis annis observavi universales, ex destillatione à capite, non vehementes nec ardentes, verum gravativos, & motum impedientes: præcessit semper gravedo capitis, post nucha, dorsum, scapulæ gravabantur ac si ponderoso onere gravarentur: Anno 1625. consilii loco ad Illustris quæsita hæc respondis.

1. Quo Cauteria sint adhibenda? Quia copiosus humor ad consuetam fontanellam in brachio non fluat, neque sufficienter evacuetur ab ea, in opposito pede ponendum esse: Quia Fontanellæ quæ totius corporis gratia fiunt, in cruribus ponendæ sunt, & quidem profunde, cum superficiariæ nihil prosint, ut vult Vesalius, Solenander, Platerus, &c. in consiliis à Garetio collectis.

2. Qualis Purgatio menstrua instituenda? Pilulis consuetis Matocostinis: ventriculum enim esse humidum & frigidum, unde crudi humores, quorum copia ex primis viis expurganda: Si illæ non placent, mihi consuetis utatur ♃. Aloes inbetiatæ succis rad. Ebuli & primulæ veris ℈j g. Ammoniaci dissoluti aceto scyllit ʒß cum aqua betonic. formentur pil. Vel meo pulvere familiari de tartaro laxativo: ♃. Colagogi insuccati, i. e. diagrid. ppti. cum fumo sulphutis & postea succo rosar. pallidarum insuccati ʒß cremor Tatar. ℥ß. fæculæ rad. aronis ℈j folior. Senn. mundat. ʒvj. M. F. pulvis, dozis ℈ij vel ʒj.

3. An vernali tempore cura sudorifera instituenda? Cum sudor semper in humidioribus corporibus prosit, & inania spatia corporis evacuet, omnino profuturum.

4. Quali vino utendum? Lacus Veneti, quæ Rhenanis propiora. Acronii ut crudiora & magis styptica non prodesse: Ramensia ex Necarinis eligenda.

5. Qualia Topica prosint? Pedi dextro immobili vinaceorum usum convenire, calide, & cum remanentia quadam musti expressi fermentantium, quibus & finistet pes indendus.

6. Qualia corroborantia velim? ventriculo theriacam, cum discutiat humores excrementitios, humiditatem absumat ventriculi, foveat colorem & omnem nutritionis œconomiam in ordinem redigat: in septimana bis, noctu itutus cubitum ad drachmæ pondus: suadere hoc Solenandrum, docere Galen. Caput lavetur lixivio medicato, betonica, verbena, chamædri, chamæpytide, rosa, agarico, &c. Lotum exsiccatur fumo excepto linteis ex pulvere pretioso ad catarrhum: Pedes firmentur vel fotu ex aqua ferrata fabrorum vel simplici aut, alterata verbasco, rosa, betonica, artemisia, sale, &c. vel suffumigio exsandarac. Arab. ʒij thuris, succini ana ʒß rosar. rubr. semin. coriand. ana ℈j lignis aloës, garyophil. ana ʒj Benzoin. storac. calam. ana ℈iv. M^c. vel vestiantur emplastro diacalcith. ut docet Solenander, Strictam hoc anno observavit dietam, licet antea minus sobrie vixisset. Venæ sectionem, à qua semper deterius, triennio omisit: Mannæ diluto in aqua sambuci purgatus optime: Flatus pilulis marocostinis & Francofurtensibus expulit. Anno 1627. persuasus à Medico podagrico, lotione usus est pedum & brachii ex decocto ex halonitro & vitriolo, quod ut arcanum & in se probatum maxime extulit. Similis lotio est in cista Epistol. Hornungi, sed ea tendines pedum & brachii ita siccati sunt, ut arrophia laborarent; & tamen cum dolores leniret aliquomodo, sæpius repetit; Assumpsit etiam intro alia exsiccantia corpus, ut Theriacam, mithridatium, spiritum tartari compositum, vinum Hispanicum & Gallicum, &c. quæ tempore inappetentiæ potius venena quam corroborantia medicamenta fuerunt. Paucis ante mortem septimanis de lassitudine conquestus, de Inappetentia, de obstructionibus mesenterii, de splene, calculus exagitavit vires, nec hoc excluso redibant: Itaque saburra accusatur & obstructiones mesenterii: exhibetur cremor Tartari, item liquor apozematis purgans, idque per vices, at deterius habuit: Vocatus ego corroborantia & sistensia ordinavi, in purgatio-

gationem antea non consentiens. Ambæ nares stillabant sanguine atro, proposita phlebotomia ad Dominicam Invocavit dilata, interim ille Bacchanalia utcunque vivit, inclinato capite & lassis viribus rheda exectus urbe liberum aërem petit; incurvatio corporis & vox summissa testabantur de debilitatis viribus; domum igitur properat, & in die cinerum, ad fallendum melancholiæ fastidium in agrum exspatiatur, & ovo sorbili sumpto lassus cubitum petit, dormit tredecim horis, experrecto adest dyspnoea, stillicidium è naribus sanguinis; famulitium ignarum debilitatis Comitis gratulatur sibi de somno longo heri, sed curator ædium eum visitans, deprehendit debilem, Ego vocatus, extrema extremis deberi remedia; postulanti venæ sectionem, sanguinem jussi demere, qui corruptus admodum, & quasi nullus sanguis erat: Disposuit domui suæ & circa principium noctis expiravit, 2. Martii 1629. 4. ejusdem cadaver conditum fuit, & simul in tenorem viscerum inquisitum.

Dissecta cute abdominis decussatim & thoracis, pinguedo copiosa membranam carnosam investiens apparuit, viscera ex abdomine aperto exempta, ligatis vasis prius, exsiccavimus spongiis cavo innatans humidum, Sic examinavimus.

1. Ventriculus magnus, membranosus, inanis quasi, (paucus enim humor ab assumpto Hispanico vino corrupto jam innatavit) sine crustulis, mucosa materia, rugis & pinguedine, quin & sine famelico & esuritivo humore.

2. Epar substantia, magnitudine, rubore & robore integrum, in sima tamen, juxta cystis felleæ situm, virore bilioso parum maculatum.

3. Cystis hæc in se paucum, crassum, subnigrum fellis humorem continebat, una cum decem lapillis magnitudine pisorum minorum siccatorum, coloris lutei.

4. Lienis corpus non fuit magnum, boni coloris, satis compactum, sine sanguine crasso, nec bubulæ linguæ, nec vestigii humani æmulum.

5. Ren dexter minor sinistro, arenulis tenellulis & subtilibus conspersus, sinister major, in quo & arenulæ subtilissimæ, & lapillus ex iis concretus, triangularis, friabilis.

6. Mesenterium pingue.

7. Intestina flatibus plena.

Cavitatem Thoracis cum à visceribus, ligatis prius vasis, liberaremus, consideravimus. 1. Pulmonem, cujus substantia magna, spumoso, atro, sed tenui, pro natura visceris, sanguine turgida & repleta: exterius maculis luridis, lividis ac cœruleis passim conspersus, quemadmodum in spermate ranarum bullæ seu pustulæ nigræ cernuntur, quales in parte inferioris Pulmonis vidimus, lividæ & fuscæ. 2. Capsula cordis continuit paucum serosum humorem. 3. Sinister Cordis ventriculus habuit sanguinis atri multum; substantia ejus rara, tecta pinguedine. 4. Vasa magna incisa sanguinis atri fundebant parum, nempe quantum una aut altera spongia exsiccavit, &c.

Viscerum dispositionem sic examinavimus. 1. Ventriculus magnus sine rugis, quia Illustr. Comes, ut omnes illius sanguinis, affatim comedit & multa: qui autem multo cibo utuntur, aut crapulæ sunt dediti, illis ventriculus ampliatur & tenuis redditur, ut corrugari amplius non possit, quæ forte causa deterioris concoctionis. *Bauhinus* Theat. Anat. lib. 1. c. 46. Pinguedo non nisi in carnosis est, ideòque sine pinguedine: Tenuis, an propter pugnantium medicamentorum, decoctorum sudorificorum? an propter spiritus acriores Tartari compositi? an ob ejus cremoris frequentem usum, an propter calefacientia immodice sumpta dicat noster *Ferriolus*, accusans inflammatores & calefactores ventriculum? Certe ingenitus in eo humor nullus, aut admodum exiguus, vel à vino Hispanico suppressus, ob quem summa inappetentia: Cum itaque inappetentia adest, non statim accusetur obstructio mesenterii, saburræ copia in ventriculo, nec superciliioso consilio de noxa, deque ejus amotione fiant longa consilia; disputetur accurate, sed vane, proponentur aperientia, purgantia, tartarea, spiritalia, petatur calamus, charta in mensa posita complicetur, adsit à dextris custos atramenti, infigatur character schedulæ, ut signum mercibus, subjiciatur congeries ingredientium, coctum, colatum ac dulcoratum propinetur exsurgens apozema.

Nam hoc semper evacuabit aliquid excrementi ex nostro corpore, sed una spiritum: Non sola cacatione omnis morbi absolvitur curatio, quilibet habet propria indicantia; nec is medicus erit qui semper à corroborantibus, quæ etiam in cacochymicis destruentia sunt, inchoat: Methodo opus est, in qua omnium secretorum in Medicina, si ex optime cognito morbo resurgit, scaturigo posita est, ut quidam magnus Æsculapius Italus pro lectione dixit, & quidem vere dixit, sine enim judicio data secreta medica secernunt animam à corpore. Sic imponere nobis situm doloris historia secti cadaveris edocet: Eparis & Lienis integritatem vidimus, & tamen illa à medicis accusata fuit: Et sane nullus fere nostrum erit, nisi ex Lynceis sit, qui audiens ægros conquerentes de ardore & dolore in sinistro hypochondrio aut dextro, qui non ægro de vitio hepatis aut lienis garriet: Et quod apud nos frequentissimum est, ut omne peccatum abdominis illi visceri adscribatur in cujus sede sentitur dolor, sic noster Comes audiebatur spleneticus. Virgo juvencula. (Vide tit. de Hidrope) ex viscerum detrimento in hydropem incidisse, & magnitudo omnium partium. *Vide ibidem* dicebatur Hydrops. Annon liceret dicere Medicinam & Medicos regionibus, ægros pari & mori: Audiantur & peregrina, Iliacos enim intra muros peccatur & extra: Excell. Gr. Horstius 1628. hæc ad me de Eisenreichio, Nobili Bavaro, Scorbutico, D. Sagittarii literæ Lienem neque

neque insignis magnitudinis, neque coloris usque adeo praui extitisse, &c. Quibus subjungit D. Horstius, Ex utriusque relatione constar quod salvo Liene (contra communem opinionem) dispositio scorbutica sæpius adesse queat.

Lapilli in cysti fellis inventi, nil rari: *Libavius* causas lithogenesiæ hujus epist. 64. & 68. in cista medica has affert; Materiam lapidum in homine magis sulphuream quam salsam esse, & hoc lapides hi affirmare videntur: Unum addo me apud mercatorem vidisse lapidem in cysti fellis bovis inventum, in vino infundi & exhiberi adversus calculi dolores cum fructu.

De pulmonibus quid dicemus? mirabatur maculatos Medicus domesticus: Ego omne illud violentum, quod prius artubus molestum ad pulmones ascendisse, quod inflammasset aliquomodo, quia eorum color peripneumonicorum linguæ apud Hipp. similis erat, certum gangrænosum quid passum esse, subita non fuit mors, etsi ignorantibus visa, spiritus enim vitales & naturales, imo & animales, jam longo tempore deficiebant, & suffocatus videbatur quam ei spiritus defecissent prius: spiritus enim & sanguinem regit & vivificat, at hic putris in venis & quasi nullus fuit, ut ex vena eductus demonstravit; & qui in cerebro non regebatur, effluxit, ex naribus ater, ex auribus purulentus; aberat febris, somnus solum ultima nocte longus & laborem faciens; locutio ad agonis usque initium, motio & assurrectio corporis ad horam proximam mortis ultimam, negat cerebrum quid apoplectici passum esse.

Clariss. *Horstius* de hujus cadaveris perlustratione hæc, Anatomiam exuviarum Illustr. Comitis libenter legi, nec aliam subitaneæ mortis causam invenio quam catarrhum Suffocativum, non tam ex copia defluentis materiæ, quod alias fieri solet, quam quod nervosum genus debilitatum admodum, illas quoque tandem propagines, quæ pectorales in musculos disseminantur, & præ cæteris in ipso quoque somno sufficientem ad respirationis motum animalem influxum ἀϑρόως recipiunt, ulterius regere non potuerit: qua ratione confirmatos arthriticos perpetuo tandem asthmate quasi suffocari expertus sum. *Hachstetterus Decade* x. *casu*. ix.

Observatio XX.

Dyspnoea à vitiato lobo dextro Pulmonis.

Filius Dom. le Noir Difficultatè spirandi interiit, cum *raucedinem* quandam habetet *caninam*, & tumentes paulum fauces. Pulmo erat parte dextra vitiosus. *Ballonius Epid. & Ephem. lib. 2. pag.* 201.

Raucedinem caninam) Instantium Rubiolarum in pueris præcursorum, quatum materia nisi foras prorumpat, in Pulmonibus sæpe defigitur: Ejusmodi Dyspnoeæ causas sic explicat Ballonius l. c. Difficultatis, *ait*, spirandi causa aliquando non tam est in Pulmone ipso, quam in regione hepatis aut lienis; Et quod initio febrium, aut continuarum aut intermittentium, nausea, dyspuoea sicca tussis, ἀλυκή, pandiculatio, suppressio & ephialtæ species inducitur: ita si movetur materia, & species quædam febris, intus foveтur, quandam spirandi difficultatem afferre potest, quam nec ad catarrhum suffocantem, nec ad vitium pulmonum referre debemus. Filius D. N. videbatur casurus in has affectiones orthopnoicas: dyspnoea erat & obaudiebatur strepitus magnus cum raucedine: Id ad crudum succum referebatur, Aut ad flatum malignum, in pulmone excitatum: at adventantis rubiolæ id fuit indicium: An non ea dyscrasia fit in pulmone eo modo quo in metu morbillorum, ut spirandi difficultas inde oriatur? Alius puer vii. annos natus consimili morbo interiit, non est deprehensa tam sævi morbi & dyspnoeæ causa: Eo tempore vagabautur tusses, vulgo *Quinte* dictæ. Et quod ex intervallis facit Quintæ tussis causa fugax, id facit eadem causa fixa, hic perseverat difficultas spirandi usque ad interitum.

Observatio XXI.

Dyspnoea à Pulmone tumente & quodammodo exeso, cum humore tenaci & purulento in eo concluso.

Rever. & Illustr. Præsul. arthritidi obnoxius, cùm jam xv. dies febris, arthritis, sopor aliáque; symptomata crudeliter exercuissent, Ecce derepente insolita accessit Spirandi difficultas, ad sublimen accedens & rectíspira, &c.

Eo defuncto *Pulmo insigniter tumidus* & quodammodo exesus repertus, in iisque unus humor albus & tenax ac purulentus delitescens, &c. *Carolus Piso de morbis à sero Sect.* v. *c.* I.

Observatio XXII.

Dyspnoea à Pulmonibus ichore spumeo refertis & discoloratis.

Senex obesus, respiratione difficili & anhelosa affectus, de repente mortuus in humum concidit: Thorace aperto Pulmones discolores & ichore spumoso per totum referti dyspnoeæ causam prodebant. *Vide lib.* I. *Tit. de Soporosis affectibus.*

Observatio XXIII.

Orthopnoea à Pulmonibus semiputribus purulentis, nigricantibus.

MAgnus in Germania Princeps, cum ætatis anno xviij. *frigidam liberalius* potasset, difficillimo mox Asthmate correptus est per intervalla: paroxysmi, ut qui crasso & obeso esset corpore, graves erant: Sellæ in id paratæ ut integros dies & noctes sedens etiam dormire posset: Sæpe per biduum & ultra ita rectus insidere solebat, ut vere orthopnoicus dici posset: Liberatus tamen est à difficili hoc malo, ætatis annum agens circiter xl. cuique plurimum profuerunt Badenses thermæ.

Post mortem tamen inventi *Pulmones magna ex parte nigri* & putridi, non sine pure, ea præsertim parte qua dorsum attingebant. *Osvvaldus Gabelchovverus.*

FRigidam liberalius potasset) Hinc impedito libero per Pulmones sanguinis commeatu, qui inde labem concepit, ipsorum substantiæ communicatam: Stagnat in vasis sanguis, *inquit Franc. Sylvius* Pract. lib. 1. cap. 40. vel ob Plethoram ad vasa, vel ob Angustiam, & præsertim Obstructionem. Obstruuntur venæ ab ipso sanguine, Pituitáve in ipsis coagulatis ac concretis. Sanguis coagulatur & à frigore aëris vel Aquæ intenso, partes valde afficiente, &c. Pituita coagulatur in dictis vasis ab iisdem causis, frequentissime tamen à frigore Aëris, Aquæ Potus aliorumve Partes prius calentes subito infestante, atque pituitosam viscosam imprimis, quacunque de causa, in tenui præsertim intestino solutam, hinc ad sanguinem deductam, & una cum ipso quaqua versum propulsam interum inibi cogente ac inspissante. De Frigidi potus inimicitia erga Pectorales partes vide *Hippoc.* lib. de Liquid. usu & aphor. 24. sect. 5.

Pulmones magna ex parte nigri & putridi non sine pure] Ab excitata in iis inflammatione: Sanguis enim in nominatis vasis stagnans, & paulatim collectus, eadem magis magisque distendit, & ita quidem, ut aliquando rumpantur, aut quovis modo alio exitum ipsi concedant: unde contingit tunc sanguinis vasis e vasis suis effusio, postea hærens in partium adiacentium substantia, ubi collectus sponte mox excandescit & caloris sensum molestum in parte producit, ac sensim corruptus in pus vel saniem abire solet; Prior mutatio vocatur Inflammatio: Posterior Abscessus vel Apostema: Arbitror autem incendi ac inflammationem parere sanguinem, quatenus ex ipso in vasis suis valde distinctis, partibusve quibusvis aliis subsistente, hoc est stagnante, mox incipiunt evanescere partes spirituosæ, magisque volatiles ac subtiles, tum acidas tum salinas temperare solitæ, unde utræque acriores factæ acrius in se mutuo insurgunt, effervescentiamque ad partes sanguinis oleosas præsentes calidum excitant; quin paulatim sanguinem ita corrumpunt ut in Pus vertatur. *Idem ibidem.*

Cui plurimum profuerunt, &c.] Ad Inflammationis ergo, hinc & Abscessus sequuturi, curationem requiritur 1. ut Obstructio vasorum tollatur. 2. ut Subsistentis stagnantisque sanguinis motus restituatur. 3. ut Sanguis è vasis effusus, si fieri potest, ante sui suppurationem inde removeatur. 4. Si removeri, atque adeo suppuratio impediri nequeat, ut eadem promoveatur: Obstructio vasorum à pituita viscosa, vel sanguine in ipsis coagulatis, curabitur assumptis & admotis peccantem humorem solventibus, iterumque fluxilem facientibus: Inter interna conducunt præ aliis Salia volatilia ex variis animalium partibus parata; quippe quæ egregia vi pollent coagulata & conglutinata omnia dissolvendi, eademque ad pristinam fluiditatem reducendi. Hinc est quod exhibito tempestive unico sæpe sudorifero, ex laudatis salibus volatilibus aut similibus parato, Pleuritis, Lateris nempe inflammatio, absque ulla venæ apertione, fuerit felicissime curata. Hinc est quod Misturæ ex similibus paratæ, atque cochleatim per intervalla brevia usurpatæ, tum Pleuritidem seu Peripneumoniam curaverint: Exemplum hoc esto: ℞ *aqu. petroselini, hyssopi, fœnic. ana ℥ theriac. simpl. ʒß. spiritus salis Armon. ℈ß laud. Opiati gr. iv. syr. papav. err. ℥j. m.* Inter externa conveniunt Ung. martiatum, Cataplasmata magis dissolventia quam emollientia, quæ humorem coagulatum, sanguinem pituitamve incidant & solvant, ex partibus nempe plantarum acrium & aromaticarum: Sanguini autem stagnanti, & in vasis suis subsistenti, restituitur motus felicissime sudoriferis, aliquando sanguinis missione: Sudoriferis, quatenus ab ipsis fluidior & mobilior fit sanguis, magisque rarefit à volatili sale ibi existente. Dum enim ad dextrum cordis ventriculum pertingit eorum sal volatile, ibidem amplius rarescit sanguis, ac non tantum sponte sibi exitum quærit, sed & cordis ventriculum amplius expandendo, ipsum ad frequentiorem & validiorem contractionem cogit: Venæ sectione autem, quatenus in educti locum sanguinis transfertur vicinior, atque facto sic universo sanguinis spatio ampliore, movetur quoque sanguis omnis tum celerius tum potentius: quocirca & ille qui prius in vasis suis stagnans subsistebat, nunc vero sublata plethora non sistitur amplius, ad motum interruptum redintegrandum potentius concitatur: Tunc autem post sanguinis detractionem sufficientem, utile est partitis vicibus exhibere misturam dictam sudoriferam & incidentem. *Vide plura loco citato.*

Observatio XXIV.

Dyspnoea à Pulmonibus media parte aqua tumidis, cum parenchymatis duritie.

REv. Pater febre assidua cum destillatione ad pectus conflictatur: accessit gravitatis sensus in pectore, cum tussi, spirandi difficultate vehementi: Inventa est altera pul-

monum pars aucta in magnitudine, altera quadruplo major & durior, qua secta multa aqua foetida exiit, & caro inventa densa, dura: ab eodem latere nonnihil læsi musculi intercostales. *Vide Tit. de Febribus.*

Observatio XXV.

Respiratio læsa à gangrena Pulmonis.

IN Domini Coliches infante, in dextra parte pulmonis copia ichoris albi reperta est, instar puris, unde Dyspnoea, sed tussi non afflictus est: Utraque pars Pulmonis nigricabat. *Christophorus Ræslerus in Miscell. curiosis anni* 1672. *Observ.* 337.

PUlmonibus læsis non necesse est ut semper tussis adsit: Itaque non concludendum est, Tussis nulla molestat, Ergo salvi sunt Pulmones: *Severinus* de Abscessibus pag. 269. contra *Galenum* statuit Phthisin, & demonstrat, in qua Pulmones non sunt exulcerati, sed saltem putrida quadam laxitate infirmi; quod fit quando mucore pituitoso ac semiputri diu multumque alluuntur: Gangrænæ vero in hoc infante causa, mea quidem sententia, fuit ichor ille albus repertus, qui proculdubio valde frigidus, & venenata qualitate infectus, calorem nativum Pulmonum extinxit. *Idem ibidem.*

Observatio XXVI.

Asthma à Pulmonibus viscidis oppletis humoribus.

FIlius Dom. ab Haltzvvelt à commotione cerebri post casum Asthmaticus factus est: Tandem novo incidente catarrho in pulmonem, decessit è vivis.

Cadavere inciso Pulmo ubique pituitosis & viscidis humoribus oppletus repertus. *Fabritius Hildanus cent.* 1. *Observat. xi.*

N*Ovo incidente catarrho*) Dyspnoea aliquando est sine sonitu, ubi materia occupat propriam pulmonum substantiam non vias. Sin hæc incidat in bronchia, tunc sonitus accedit. Angustia est maxima si duo casus concurrant, obsessis scil. tum pulmonum parenchymate, tum bronchiis: aut quando materiæ crassæ in viis detentæ, supervenit tenuis præceps illapsus, unde catarrhus suffocativus: Hinc rario deducenda cur dyspnoea laborantes aliquando orthopnoici evadant, qui erecta cervice facilius respirant, quod pulmones tunc temporis dehiscant ac costæ minus gravent pulmones, minusque bronchia à mole pulmonum, opprimantur. Catarrhi autem generationi in Puero, ansam dedit casus, quem commotio cerebri, hinc debilitas sequuta.

Pulmo pituitosis humoribus, &c.) In spirandi difficultate ab ejusmodi causa inducta, non esse formidandam etiam frequentem & magnam purgationem, quanquam multi prohibeant, ostendit *Ballonius* Epid. & Ephem. lib. 2. exemplo matronæ orthopnoicæ, cui magna copia putris pituitæ in pulmone, frequenti imi ventris purgatione expurgata est, unde facili sequuta anacatharsi convaluit.

Observatio XXVII.

Asthma à pulmonibus pituita putrida & purulenta infarctis, &c. Cordis ventriculi dextri ulceratione, &c.

CLariss. Domina de la Roquette sexagenaria, pinguis admodum & obesa, vitam agens sedentariam, à xv. annis dyspnoea laborare cœpit, quæ paulatim incrementum susceperat, ita ut jam scalas ascendens in 3°. vel 4°. quoque gradu quiescere cogeretur, Circa principium Januarii 1642. cum iter faceret in aëre austrino & pluvioso, subito correpta est catarrho, partim in pulmonem partim in mandibulas delabente. Inde aucta est difficultas Spirandi, & tumor apparuit in gena dextra, tum mandibulæ ita erant coarctatæ ut jusculum tantum sorbillare posset, Corripi solebat per intervalla, jam à multis annis, Erysipelate tibiæ sinistræ, quod sæpe exulcerari consueverat, & ante hujus catarrhi invasionem etiam apparuerat cum ulceratione insigni: Vocatus ad eam 8ª. die morbi, invenio Pulsum admodum inæqualem, & tertia vel 4. quavis pulsatione intermittentem, cum difficillima respiratione. Unde conjeci grave esse malum, non solum in pulmone, sed & in corde, aut vasis cordi proximis. Quod prognosticum certius reddebatur, ex eo quod ulcus Erysipelatis subito ac derepente exsiccatum fuerat, juxta Aphor. 25. 6. Præterea resoluto paucis diebus genæ tumore, mandibulæ nihilominus clausæ permanserunt, tumque apparuit illam constrictionem mandibularum, à musculorum eas moventium convulsione pendere: xv. morbi die matutinis horis dexter oculus clausus apparuit, altero aperto existente, quod contigit ex palpebræ paralysi, quæ graviorem affectum minabatur, qui eodem die post meridiem contigit, scil. Apoplexia levis, à qua intra duas horas aliquantulum resurrexit, sed media corporis pars, sinistra nimirum, reddita est paralytica, Et tridup

duo post, sensim satiscentibus viribus, exuncta est. Toto morbi de cursu *nulla tussis* difficultatem spirandi commitata est, neque stertor, nisi per unum diem ante interitum.

Aperto cadavere, Lien repertus est putredine affectus, ita ut levi compressione in frustra discederet. Pulmonis substantia livida, & humore aqueo perfusa, unusque illius lobus, ad sinistram partem situs, pituita putrida & purulenta refertur. Cordis ventriculus dexter parte interiori membrana denudatus, putridus & exulceratus apparuit, ut illius fibræ carnosæ, summis digitis contrectando, in frustula secederent. Auricula dextra solito major apparuit, & omnino referta substantia quadam carnosa, partim rubra, partim nigricante, sanguini concreto simili, quæ tamen manibus dividi non poterat: Hos duos affectus, auriculæ nempe & ventriculi dextri, puto causam fuisse tantæ Pulsus inæqualitatis & intermissionis, dum Cor rem sibi molestam excutere tentans, variis motibus quateretur: Unde Pulsus naturalis interruptio atque interceptio ciebatur. Spirandi vero difficultatem à Pulmonis infarctu ortam esse satis manifestum est. *Riverius centur. ii. Observ. lxxvii.*

NUlla Tussis *)*. Quia scil. putrida illa & purulenta pituita bronchia pulmonum non obsidebat, sed parenchymate erat concepta, quòd *ἀναίσθητον*, hinc cum irritatio non perciperetur, nulla incitatio ad tussim sequuta est, neque stertor, ob meatus eorum non obstructos: sed ipsa à materia extrinsecus subsistente compressis respiratio difficilis evasit. Neque etiam num materia in lævibus atteriis contenta Tussim movet, etsi asthma producat, ratio est ex *Schneidero* 5. de Cathar. cap. 4. 1. earum imbecillitas. 2. quia sunt organa facultatis naturalis, Tussis autem fit partim à natura, partim à causa morbifera, ex Galeno, 3. quia sunt instrumenta spirituum & sanguinem deferentia, atque cum sint sanguini assuetæ, nequaquam ab humore irritantur ad discussionem, sicut asperæ arteriæ, soli aëri deferendo dicatæ, quæ ab humore quolibet, etiam benigno, ad tussim proritantur.

Causam fuisse tanta Pulsus inæqualitatis) Vide Scholia ad Observationem sequentem.

OBSERVATIO XXVIII.

Orthopnoea à materia crassa & pituitosa in substantia Pulmonis, intra & extra bronchia.

MAteria crassa aliquando continetur in ipsa arteriarum asperarum cavitate: Quandoque vero in ipsa Pulmonum substantia, & tamen orthopnoeam gignit, cujus rei vidi experientiam in Clar. Venero Mille donio. *Saxonia Præl. Practic. part. 1. cap. 26.*

MAssarias Avicennam reprehendit, quod statuat humorem Asthmatis causam continerti quandoque etiam extra bronchia pulmonum, in ramis lævium per Pulmonem distribuuntur, statuitque si in pulmonibus obstruantur propagines, non asperæ arteriæ, cor laborare, pulsusque fieri inæquales, minimèque asthma excitari, nisi bronchia pulmonum simul obstruantur: Verum enimvero materiam, asthmatis causam, quandoque etiam extra bronchia, in aliis pulmonum vasis, imo in ipsa pulmonum substantia consistere, multæ Medicorum observationes docent. Et patet id ex eo quod qui asthmate laborant, quos non continuo cum stertore & sonitu respirant: neque enim semper tussiunt, aut si tussiunt, tussis tamen sicca est quod minime fieri deberet, si materia in asperis atteriis pulmonum semper consisteret: Nam aër materiam transiens, & displodens, sonitum & stertorem excitat, & quicquid in aspera arteria, ejusque ramis existit, tussim excitare solet: Et licet verum sit lævibus arteriis affectis *mutationem in Pulsu fieri*, tamen & respiratio tunc quoque affici potest, si obstructio illa tam magna sit, humorisque tanta copia, ut & asperas arterias comprimat, angustioresque reddat: docentque hæc satis paroxysmi asthmatici, qui per intervalla materia agitata in vasis excitantur: Ideoque si materia in lævibus arteriis consistat, & asperas comprimat, sive in utroque arteriarum genere consistat, simul & asthmata & pulsus inæqualitatem parit: Et ipsa origo asthmatis satis docet causam potius in venis & pulmonis substantia quam asperis arteriis contineri. *Sennertus,*

OBSERVATIO XXIX.

Asthma productum à materia pituitosa substantiam Pulmonum infarciente.

IN quodam nomine Britio, Asthmate mortuo, Pulmo tanquam spongia imbutus multo humore pituitoso inventus est. *Hollerius Prax. lib. 1. cap. 25. in Scholiis.*

OBSERVATIO XXX.

Dyspnoea à materia contenta in Substantia propria Pulmonum.

IN Dyspnoea aliquando non adest sonitus, quia talis si fit ex materia contenta in substantia propria Pulmonum; non in viis, tacit difficilem spirationem absque sonitu, Observavi Venetiis in Clar. quodam Secretario cujus sectioni interfui post mortem. *Herc. Saxonia Panthei lib. 2. c. 4.*

Aliquando non est sonitus) Utinec cum destillatio musculos pectoris invadit, de qua insigne exemplum habet Ballonius Epid. lib. 2. p. 177. N. à destillatione fetina & diffusione humoris, non à capite tantum, sed reliquis partibus ita undecunque est oppletus ut thoracem dilatate non posset: Externum erat malum & dolorificum: cruda & maligna erat materia, Et eadem est quæ catarrhos suffocantes facit, febris potius fuit symptomatica: multo alvi profluvio liberatus est, admirabilis fuit hic morbus & Medicorum opinione major: facultas animalis non erat imbecilla, nec vitalis nec naturalis: mirum est quod ἱερὰ πικρὰ contulit: sed tam non fuit ab imbecillitate naturæ quam à particulari redundantia humoris naturam molestantis: circa xxx. aut xxxv. diem sudor subfrigidus erupit toto corpore, fœtens & venenatus: infecit enim eam custodem quæ manum corpori sudanti applicaverat.

OBSERVATIO XXXI.

Spirandi difficultas ab abscessibus duobus in infima Pulmonum parte.

ACre erat gelu, noctis initium cum Nob. Vir foco assidens, Bacchòque indulgens, vesicæ onere premeretur, qui foras progressus, inspirato aëre frigido, moxque reversus, adeo vehementi respirandi difficultate correptus, ut suffocatus propemodum fuerit, & nisi præsto fuissem mox periisset: hominem teperi pedibus vix insistentem, frontem tensam, sudores frigidos, alvus præ angustia excrementa deposuerat, pulsus tam exiguus ut pene nullus: Assumpto pulveris croci ℈j cum vini Cretici duobus cochlearibus, subito restitutus, libere respiravit, ab omni suffocatione liber, & potuisset in sanitate permanere, nisi pulmo male affectus fuisset, sed cum asperæ arteriæ ramuli subinde obstruerentur, quandoque etiam dyspnoea recurrit, minus tamen quam primo tempore vehemens, sed diuturnior, ut quandoque duabus, tribus vel pluribus horis perseveraret; Crocus, qui initio multum ac cito profuerat, postea exiguum, deinde nihil amplius contulit: Tentata sunt & alia plura remedia, sed frustra, nam revoluto mense defunctus est.

In hujus Pulmonis inferiore sede ac basi, qua septo incumbit, reperti sunt abscessus duo, unus in dextra, alter in sinistra parte: per meatus Pulmonis purulentus ferebatur humor, qui inciso pulmone ex ipsis defluebat. *Dodonæus Obser. Med. cap. xix.*

OBSERVATIO XXXII.

Dyspnoea à corporibus glandulosis in Pulmone; Sinistri lobo fere corrupto.

IN optimi Viri nuper Pulmonibus *Glandulosa* reperimus *corpora*, maxime in dextræ partis lobo, coloris Pulmonum; majores & minores. Sinistræ lobus aliquomodo corruptus & gangrænosus lituris variegatus. Hic aliquando hujus partis lobe ravit pleuritide à qua liberatus defluxu in pedem: Spiritus ipsi erat difficilis aliquo modo, sed haud pro notatu hujus affectus. *Observatio D. Danielis Geiger Medici Augustani.*

Glandulosa corpora) Quoties ob vitiatam in dextro cordis ventriculo sanguinis ascendentis descendentisve effervescentiam, vitiosus existet sanguis ex utroque exurgens, læditur ipsorum Pulmonum nutritio, & quidem citius, facilius atque potentius quam ulla alia corporis pars, si ex parte saltem nutriantur sanguine è dextro cordis ventriculo accedente, quippe qui minus temperatus est altero è sinistro cordis thalamo effuso, & ab inspirato aëre plus minus in iisdem temperato: *Sylvius de le Boë Pract. lib. 1. c. 24. §. 3.* Depravata autem hic est nutritio à sanguine vitioso, vel vitiatos humores admistos habente: Ex *Plateri* sententia, cum sanguine ad Pulmones allabente pro eorum alimento, confluxit simul succus glandularum nutritioni destinatus.

OBSERVATIO XXXIII.

Asthma à vesicis humore flavo plenis in Pulmone.

ILlustr. Cardinalis Caetanus post fonticuli in crure dextro occlusionem, quatuor à mensibus afficitur respiratione præter naturam, celeri, frequenti, instar eorum qui vehementer sunt moti, major tamen in inspiratione quam in exspiratione difficultas occurrit, cui immensa sitis, faciei color & vigiliæ connectuntur: quod exspuitur exiguum est, salsedinis non expers; febris quoque lenta comes est. In spatio trium mensium ad ultimum vitæ exitum est deductus.

Secto cadavere inventus est *Pulmo vesicis plenus*, quibus apertis aqua exibat flavum colorem referens. *Lælius à Fonte Consultat. viij.*

Pulmo vesicis plenus) Quæ constitutio non est præter naturam, nisi quatenus eæ majores, & apertæ flavum humorem effundebant, Si fides adhibenda Marc. Malphigio Professori Bononiensi, qui diligenti indagine invenit totam Pulmonum molem vasis excurrentibus appensam,

sam, esse aggregatum quid ex levissimis & tenuissimis membranis, quæ extensæ & sinuatæ pene infinitas vesiculas orbiculares & sinuosas efformant, veluti apum favis alveolos ab extensa cera in parietes conspicimus: quæ talem habent situm & connexionem, ut ex trachea in ipsas, mox ex una in alteram patens sit aditus; & tandem desinant in continentem membranam: His confessis, nemini mirum fit si vesicæ in Pulmone aliquando manifestæ fiant humore turgidæ, quin potius quod frequentius non occurrant.

Observatio XXXIV.

Dyspnoea ob Pulmones steatomatibus obsessos.

NOn solum in Pulmonibus steatomata comperi, sed & ossicula non parva. *Columbus lib. xv. Anatomes.*

STeatomata) ad Tubercula referenda; Tuberculum autem duplex est, aut crudum & suppurationi ineptum, quale est atheroma aut steatoma, quod genus Tumoris scribit Columbus libr. xv. se in suspiriosis sectis sæpe invenisse: Aliud ad suppurationem tendit, quale contigit filiæ agesis apud Hippocr. lib. 4. Epid. 6. 4. quæ tamen fuit sine febre: Hinc collige pus citra febrem in pulmonibus colligi posse. *Saxonia prælect. Pract.* 1. *cap.* 26. Tuberculorum autem in Pulmone generatio depravatæ eorum nutritionis soboles est. Depravatur pulmonum nutritio, inquit *Clar. Franc. Sylvius* Practic. lib. 1. cap. 24. §. 10. à sanguine alterutro, (ascendente sc. vel descendente) vel utroque vitiosos saltem humores admistos habente: Hisce causis, nunc à *bile*, nunc à *succo Pancreatico*, nunc à *saliva*, nunc à *liquore hocternario* exurgente: nunc à *chylo*, nunc à *lympha*, quovis modo vitiatis; nunc à *Sero* in renibus haud secreto, verum in sanguine præter naturam permanente, & si quæ sunt præter ista quæ sanguinem vitiare possunt ac solent, pendentibus debetur *Tuberculorum* hinc inde in pulmonibus sæpius observatorum exortus. *Substantiæque ipsorum* mollis & spongiosæ mutatio in *carnosam*, oedematosam, multisque modis solito *duriorem*, *solidiorem* aliterve à naturali consistentia desciscentem: Materiam vero Tuberculorum in Pulmone *Hippoc.* duplicem statuit; bilem & pituitam, i. e. humores calidos & frigidos: provenire vero præcipue ab externa aliqua violentia statuit lib. de salubri Diæta: *Quibuscunque, ait, dolores fiunt ex visceribus, sive ex exercitiis, sive ex alio aliquo labore, his quiescere conducit, cibis abstinentes: potatione autem utantur quamquam paucissima in corpus assumpta plurimum urinæ ducat, quo venæ visceribus insita non distentantur repleta: Ex talibus enim Tubercula oriuntur & febres.* Etenim sive ex causa externa sive interna venæ violenter distendantur, ait *Sennertus*, progerminant & simul materiam loco distento subministrant, seu sanguinem, naturalem seu humores vitiosos, ex quibus formantur Tubercula: Possunt tamen sine externa violentia à causa interna talia Tubercula fieri, non secus ac Tumores in aliis corporis partibus, cum par subsit ratio. *De signis consule Sennertum.*

Observatio XXXV.

§. 1. Asthma à Tuberculis in Pulmone, & Corruptione lobi dextri.

TUberculum Pulmonis potest esse duplex, aut crudum & suppurationi ineptum, quale est steatoma aut atheroma: Id genus tumoris scribit *Columbus* lib. 15. se in suspiriosis post mortem sectis sæpe invenisse: Aliud ad suppurationem tendit, quale contigit filiæ Agesis, de quo Hippocr. 4. 6. Epid. 4. & tamen fuit sine febre: unde infero in pulmonibus contineri posse pus nulla existente febre. *H. Saxonia Prælect. Pract.* part. 1. c. XXVI. §. IV. Binos secui quorum uterque Dyspnoea ob cruda ab initio tubercula tentabantur. Utrique tamen suppuratio successit: uni quidem post duos, alteri post tres, ab initio affectus menses: uterque sanguinem cum pauco pure & frustulis pulmonum exspuit: Secundus antequam obiret, & jecoris tumorem satis magnum, incurrit, ex quo hydrops leucophlegmatica, Post sectionem ambobus dexter pulmo interius prorsus corruptus, exterius jam pleuræ coaluerat. *Idem apud Schenckium.*

§. 2. In Pulmonum substantia cogeri potest humor crudus viscidusque, & consistens, in tuberculum crudum congestus ac incuneatus, & vesicula etiam conclusus, qualem vidi in cadavere Nob. adolescentis. *Car Piso de morbis à sero Sect. 3. cap. 4.*

Observatio XXXVI.

Orthopnoea à Pulmone vesicis referto, Hyrdrope thoracis, Iecoris tumore inflammatorio.

ANno 1600. Nobilis adolescens Burgundus, orthopnoea inveterata à multis annis, & febre funesta laborans, extremum obiit diem, vi morbi jugulatus.

In ejus cadavere, præter inflammatorium in epate tumorem, repertus hydrops thoracis, sed in uno duntaxat latere, Et *Pulmo vesicis* humore consistente, lentòque & pellucido, instar albuminis ovi prægnantibus refertus.

Nou

Non est difficilis inquisitio hydatidum quæ medio in pulmone observatæ: Nam quid mirum se um tantillo muco, vel potius purulentæ materiæ exquisitè permixtum alicubi colligi; & ejus puris sive pituitæ lentæ partem concrescere in vesicam sive cystim, ut in abscessibus satis frequentibus, atheromate, steatomate & meliceride? Nam hydatides certè citra abscessum nunquam mihi observatæ. *Carolus Piso de morbis à colluvie serosa Sect. 3. cap. 7.*

Observatio XXXVII.

Dyspnoea ab ala dextri Pulmonis superiore & inferiore empyemate affecta, Ingenti vomica in superiore, Pulmone per totum viscido pure obsito cum suis vasis, & costis annexo, Alarum mutua cohæsione, &c.

Herman Stas diu de anxia asthmatica constitutione querulus fuit: In ejus cadavere aperto miserandam Pulmonis constitutionem deprehendimus; nam lateris dextri ala superior & inferior empyemate infecta erat, ita ut in superiore ingens vomica, pugni capacitate, existeret: circumcirca autem undequaque ipsum pulmonis parenchyma pure viscido, tenaci erat obsitum, ita ut vasa quæ multiplicia per pulmonem decurrunt, viscida ejusmodi purulenta materia impleta essent, &c. Exterius Pulmo arctissime aonexus erat costis, ipsæque alæ inter se firmissimè copulatæ, adeo ut Chirurgi manu multo conamine, avulsio facienda esset: Sinistri lateris alæ liberæ erant ab omni annexu, sed intus exiguæ etiam quædam vomicæ passim dispersæ erant pure impletæ, &c. *Vide historiam Tit. de phthisi. Ottho Heurnius hist. XI.*

Ingens vomica) Vomica Pulmonis est abscessus exiguus, & puris in pulmonis quadam parte collectio, quod membranula propriàque cysti arctè adeo concluditur, vix ut quicquam de se tetrum in cor exspiret. Hæc frequens est in tabidis, sed & plerunque sine tabe fit, quum sanguis ex aperta, rupta aut exesa vena in parvam quandam Pulmonis regionem secedens, illic putrescit, sensimque mutatur in pus, ac per summa siccescens sibi cystin efformat. Latens profectò, & in primis abditum vitium, sæpe nec laboranti nec Medico notum, quo laborans ipse nec consueta munia intermittit, nec se morbo teneri putat, causàmque interitus sui nesciens intus gerit sub pectore: Sic affecti sublivido fere sunt faciei colore, ejusque lingua lentore quodam est oppleta, maxime quum longe à cibo absunt; & corporis agitatione, aut potu cibòve calidiore urina facile tingitur, & pulsus citatur, citra tamen ullam spirandi difficultatem: Interdum vero post concitatiorem corporis motum, pilulæ parvæ & globuli instar pisi exigui redduntur à pulmone, membranula conclusi, qui contriti digitis pus reddunt fœtidissimum, quale è cavo purrique & corroso dente interdum expurgatur. Adolescens quidam à paulo vehementiore exercitatione, cum acerba tussi nullo puncto temporis intermisso torqueretur, vomicam integram columbini ovi magnitudine excrevit, in qua aperta pus exquisite album & æquale deprehensum est: Cruenta excreatio interdum biduum persistit, magna febre magnaque corporis perturbatione; at nihilominus servatus is est atque sanitate restitutus. *Fernelius Pathologiæ lib. v. cap.* x. ubi affert duo exempla ab iis vomicis extinctorum, Titulo de morte subita quærendorum: mirum tamen Fernelium vomicas ejusmodi gestari citra spirandi difficultatem asserere, cum idem eandem nominarim paucis lineis interpositis inter signa recenseat.

Ingens vomica existeret) Vomicæ diu pectore gestatæ & casu sanatæ exemplum memorabile affert Excell. *Bartholinus* histor. Anat. 14. centur. 6. Quidam vomicam diu in pectore gestavit, quanquam ignoram, unde in spirandi difficultatem & atrophiam incidit. Forte in duello vulneratur, gladio prope sternum inter costas penetrante: hoc vulnere vomica latens feliciter aperitur cujus pure defluente repletus thorax vix læso spiritum concedebat. Aperto vero, sicut in empyematicis, latere inter consuetas costas, magna copia vacuato pure sensim ad se redit, convaluit & habitiosior factus est. Apud *Plinium Phaleraus* quidam Vomicæ morbo à Medicis deploratus, quum mortem in acie oppeteret, vulnerato pectore invenit medicinam.

Pulmo annexus costis) Hoc frequens est in asthmaticis a pituita viscida, quoniam illa per poros pulmonis foras protrusa, ibi in membranularum tenacissimarum coosistentiam à loci calore excoquitur.

Ita ut vasa impleta essent, &c. Vasa habet Pulmo 1. venam arterialem, arteriam pulmonariam alias dictam. 2. Arteriam venosam. Hæc vasa in ramulis per pulmones dispersis, à crassis & viscidis humoribus obstructa, Asthma inducunt: Per arteriam venosam humores Pulmonibus infarcti, ut & purulenta materia, in pulmonum ulceribus interdum ad sinistrum cordis ventriculum, & exinde per aortam & arterias emulgentes ad renes & vesicam deducuntur: & hinc observatum est asthma sæpe citra tussim solvi: *Zecchius* consult. 18. exemplum proponit de Cardioale Paliotto asthmatico, simul ardore & difficultate urinæ laborante, in quo ardore urinæ, & difficultate maxime urgente spirandi difficultas imminuebatur, & vice versa: Idem observavit *Highmorus* in quodam Theologo: Pus tamen si fit crassius & hæreat in corde, derepente suffocat, teste *Riolano* Exemplum habet Fernelius lib. 5. path. cap. 10. *Mœbius Medic. Physiolog. c.* 14. In prædicto Hermanno Stas ejusmodi soluti non contigit, ob visciditatem materiæ & copiam pertinacius vasis inhætentem.

Observatio XXXVIII.

Dyspnoea vomicæ insignis in pulmone progenies.

Mulieri tumor in pectore enatus, qui in ulcus abiit, comite gravissima Respirandi difficultate: Inventa ingens vomica sinistrum lobum pulmonum magna ex parte corrodens atque ad cordis substantiam usque pertingens. *Vide lib. 4. tit. de Vulneribus.*

Observatio XXXIX.

Dyspnoea ob pulmones undique annexos, Tuberculis scirrhosis refertos.

§. 1. Virgo *de qual 3. tit. de affect. hystericis.*) Febre prehensa respirabat crebro difficulter: Pulmonum lobi undique thoracis membranæ firmiter annexi erant, ut sine dilaceratione non distraherentur: Tuberculis scirrhosis undique referti.

§. 2. Benjamin N. difficultate spirandi affectus, &c. Illi pulmones utrinque numerosis tuberculis scatebant: Lobi pluribus in locis pleuræ adnati erant. *Vide tit. de Phthisi.*

Observatio XL.

Dyspnoea à binis in pulmonibus Tuberculis.

Doctor N. asthmate ac orthopnoea ita erat defatigatus, ut nonnisi erecta cervice spiraret. Bina in pulmonibus tubercula reperta sunt. *Vide lib. 3. tit. de Ictero.*

Observatio. XLI.

Dyspnoea à lapide in substantia pulmonum, Tuberculis circa ramos tracheæ: hydrope pectoris, Scirrhis viscerum naturalium, &c.

L. Rochalfinger per multos annos asthmate & tussi laborans, tandem extenuatus obiit: In ejus cadavere (præter epatis, lienis, aliorùmque viscerum obstructionem ac scirrhositatem) in pulmonis substantia lapidem prædurum inveni: præterea hinc inde per pulmonis substantiam, præcipue circa ramos tracheæ arteriæ Tubercula plurima ex viscida materia in scirrhos concreta reperiebantur: In pectore quoque & pericardio multum aquæ innatabat, &c. *Fabritius Hild. cent. ij. Observ. 29.*

Lapidem prædurum, Tubercula ex viscida materia &c.) *Galenus* 4. de loc. aff. c. 8. ex lento humore, qui ante tussi rejiciebatur, retento, siccato induratoque grandines generari statuit, concurrente forte pulmonum caliditate: *Platerus* gypseam materiam albam, duram, ex succo crasso pulmones nutriente, potius quàm pituita, fieri censet; hæc enim adassata visci instar tenax est, non friabilis uti gypsea, quæ obstruendo intrinsecus ramos, diuturnum asthma, in quo pituitæ nulla sunt indicia, parit, nisi forte accidens defluxio malum geminet & suffocet: Quod & calculum eadem ratione facere posse statuit, ex seroso pulmonum excremento in pulmonum angustiis genito, nunc friabili, nunc duro, nunc plano, nunc inæquali, & pro ratione vasorum tophi instar formato, quales aliquando sectione se deprehendisse refert: *Sennertus* internam vim ad coagulationem tendentem adjungit: *F. Sylvius de la Boe, Pract. lib. 1. c. 24.* & Tuberculorum, hinc inde in pulmonibus sæpius observatorum, & substantiæ ipsorum, mollis & spongiosæ, mutationis in carnosam, œdematosam, solito duriorem solidiorémve, alitérve à naturali consistentia desciscentem, adscribit quoque depravatæ pulmonum nutritioni à sanguine utroque vitioso, vel vitiosos humores admistos habente, unde raro pulmones tantùm, verum cæteræ quoque corporis partes simul afficiuntur ac perperam nutriuntur: Cum scilicet vel bilis, vel succus pancreaticus, vel saliva, vel ex hoc ternario exurgens liquor, vel lympha quovis modo in vitio sunt; vel serum in renibus haud secretum, at in sanguine p. n. permanens: Lapidis autem & Grandinum in pulmonibus contentorum signa omnino obscura: Individua tamen comes est fere Tussis diuturnior: Quidam apud *Fernelium* crebro calculos extussiens, gravitatis sensum in pectore percipiebat.

Observatio XLII.

Calculosi pulmones illæsa respiratione.

Anno 1665. dum corpus Illustr. Baronis N. ex ulcere colli vesicæ defuncti aperiretur, præter opinionem apertis pulmonibus, eosdem hinc inde plurimis calculis milii magnitudinem æquantibus refertos invenimus, copiàmque illorum ad duo cochlearia capacia colle-

collegimus; ille alias nunquam de ullo dolore aut difficultate pulmonum conquestus: Mirum illorum præsentiam nullum notabile accidens unquam occasionasse. *D. I. Iac. VVenc. Dobr. Zensky à Negroponte, in Miscell. curiosis anni* 1671. *Observ.* 181.

ORitur dubium, cur re extranea iu pulmonibus hærente, ejusdem tamen non tam facile persentiarur difficultas, cum aliàs ubivis minima re contraria posita, natuta suas turbationes excitet? An ergo pulmones non ita sensu præditi ut alia membra, Et vero simile videtur, cum & Phthisici, in quibus pulmones consumuntur, de nullo plane dolore pulmonum nisi tussis molesta sit conquetantur & suaviter suos dies finiant. *Idem ibidem.* Quod autem respirationi noxam non intulerint, causam existimo fuisse, quia hinc inde per substantiam pulmonum calculi dispersi fuerunt; conglobati, præsertim juxta bronchia, aliàs necessario vel gravitatem vel dyspnoeam parituri erant.

OBSERVATIO XLIII.

Dyspnoea à calculis circa jugulum, in medio intersepientium membranarum accretis.

IN pectore circa jugulum, in medio intersepientium membranarum glandulis illis calculos accrevisse in Anatome observavi. *Platerus Observ. lib.* 1. *p.* 180.

OBSERVATIO XLIV.

Dyspnoea à metallis in Pulmonibus concretis.

A Medico quodam experientissimo, qui diu Fribergæ, fondinis metallicis, nobili Misniæ oppido, medicinam fecit, relatum scio, Is enim cùm aliquos ex fossoribus metallicis mortuos apperuisset, In pulmonibus ea ipsa concreta metalla reperit, in quibus effodiendis vivi laboraverant. *Sennertus lib. de cons. & Dissensu cap. ix. Magnenus de Tabacco.*

EJusmodi Dyspnoeam, morbòsque alios à fumis metallicis oriundos, non aliter expugnari posse quam per mineralia medicamenta observ. Clar. Gregor. Horstius obs. l. 7. obs. 25. quod aliquod exemplis confirmat, & quidem primò filii Aurifabri, qui asthmate fere desperato laborans, irritis remediis omnibus appropriatis, exhibitione gr. xij. mercurii dulcificati semel atque iterum, ab imminente lethali suffocatione liberabatur: adsliterat autem patri deaurandis vasis argenteis occupato. Secundò, Exemplo cujusdam in separatione materiæ metallicæ, Aurifabris instar scoriarum residuæ, sternue laborantis, qui in gravem dyspnoeam incidit, hocque pacto liberatus est, ♃. *laxativ. mineral. compos. gr. viiij. pulv. Syris gr. vj. mercur. dulcif.* ℈j. *m. cum conserv. ros.* ℥j. *f. bolus* Qua evacuatione felicitet peracta, per antimonium diaphoreticum, cum pauxillo Theriacæ permistum, bis sudorem in lecto provocavit, paucisque diebus ægrum restituit.

OBSERVATIO XLV.

§. 1. *Dyspnoea ab exsiccatis pulmonibus orta.*

METallurgi plerumque morbis pulmonum intereunt, quos inter est quem Paracelsus vocat *Die Bersucht:* In hoc affectu pulmones exsiccantur & attenuantur chartarum more, quasi in fumo suspensi. *Ioh. Theod Schenckius Epist.* 72. *in Epist. Th. Bartholini cent.* 4.

§. 2. Morbo hoc affecti paulatim contabescunt, & si mortuorum pectus aperitur, nullum ulcus in pulmone apparet, sed pulmones veluti fumo exsiccati conspiciuntur. *Sennertus Pract. lib.* 2. *p.* 2. *cap.* 2.

COgites inde quod spongiæ vicem pulmones subeunt, irrigantes zouam thoracis torridam, ut aiebat *Veslingius*: Tantus est horum usus quantus hepatis & lienis, sed in adulto potissimum & sanguineis. *Idem. Pulmones exsiccantur.*) Dyspnoeæ quæ in febribus evenit causam platerus referr iu septi rransversi, quod liberum est, & in interioribus latens, interno calori undique expositum, exsiccationi & constrictioni.

OBSERVATIO XLVI.

Difficilis Respiratio à pulmonibus Calculis, Grandinibus, Lapillis, Ossibus obcessis.

§. 1. SEcabatur quidam Luteriæ, quem Medici tanquam Orthopnoicum diu curatant: At cum in cavitate asperæ arteriæ humor nullus crassus & lentus inveniretur, secta tandem substantia parenchymatis, Lapilli minuti reperti, sed friabiles; quidam etiam caseo perveteri simillimi. *Salmuth. cent.* 1. *Observ.* 7.

§. 2. Illustr. Principis Bonifacii, Cardinalis Caetani, diu asthmate vexati, tandem mortui

rui ex doloribus nephriticis, propter varios, aspetos, angulares calculos dissecto cadavere, varii inventi sunt in pulmonum substantia lapilli, formæ potius latioris, omnino leves, qui exsiccati instar spongiæ foraminibus pervii visi sunt. *Crucius de quæsitis p. 93.*

Respirationis læsæ duplex occurrebat causa, essentialis una, altera per consensum; à renum enim vitio Dyspnoeam excitari infra ostenderur.

§. 3. Aliis examinandis occupato occurrit in Asthmatico dissecto, sinistro in pulmone durities singularis, eo loco ubi vena pulmonalis substantiam pulmonis intrat, osseum quasi circulum ab aliis connexis partibus separata repræsentabat, aspera aliquomodo, fungosa, subrubra, fragilis valde; unde etiam os an calculus substantia hæc haberi debeat dubitantem huc inclinare coegit. *Gerardus Balsius Observ. med. 18. parte 6.*

§. 4. Uxor Jac. Bagole morbo admodum intricato correpta, inter alia symptomata Respirandi laboravit difficultate: In ejus pulmone post obitum lapides plurimi hinc inde reperti, diversi coloris; parvi tamen omnes *Febr. Hildanus cent. 2. Observ. 89.*

§. 5. Plures materias Glandinosas habuit quidam Belga, qui anno elapso obiit orthopnoea, quem secuimus & inventa est grando multiplex. *Saxonia Panthei l. 2. c. 4.*

Galenus 4. de locis cap'te octavo, ex lento humore, retento, siccato induratòque Glandines generari statuit: Re vera humor crassus & viscidus calculorum in pulmonibus est materia, facitque ad concretionem etiam exsiccatio & pulmonum caliditas, Sed præterea requirit *Sennertus* internam ad concretionem & coagulationem dispositionem, aquæ in aliarum partium calculis generandis concurrit.

6. Vidi & in pulmonibus ossa, non parva, ut superiore anno in Francisco Capello, quem Paulus IV. Pontifex maximus Commendatorem Hospitalis S. Spiritus fecit. *Columbus Anatomes lib. xv. p. 488.*

§. 7. Pulmonibus innatum calculum reperi in sectione filii Parci Tympographi anno 1557. Alium in sectione studiosi cujusdam. *Platerus Observ. lib. 1. p. 180.*

§. 8. Testor me vidisse in pulmonibus Alberici Quæstoris aliquot durissimos calculos, æqualibi superficie, colore argillaceo. *Scaliger Exercit. 108.*

Læsæ ea de causa respirationis differentias persequitur *Fernelius* l. c. Atque hæc quidem, ait, aliis sine dyspnoea, aliis cum suspiriosa orthopnoea obtingunt, qua qui conflictantur vehementi angustia pressi prope suffocantur, altòque & suspirioso spiritu multum & frigidum aërem ducere contendunt, quo plurimo cor ad refrigerium indiget: Omnes ita affectos fere asthmaticos, i. e. anhelatores & suspiriosos appellamus, qui jejuni, & in quiete, & sereno coelo facilius spirant: at quoties causa & materia intus cond ta frigido humidòve coelo, aut etiam multa crapula humescens & quasi tumens diffunditur, nova quasi dyspnoeæ accessione conflictantur, multòque magis si forte recens quædam distillatio in arterias, veteri malo jam impeditas irruit: Hæc *Fernelius*: Signa vero & curandi rationem ex hoc exemplo à Benivenio capite 24. aliaro collige, Henricus quidam *Alemanus*, inquit, cum laterum doloribus triennio jam vexaretur, & ob id opera & consilio multorum Medicorum, sed frustra usus esser, ad nos tandem venit, oratum ut si quomodo possem laboranti illi opem ferrem: Interrogo igitur hominem an initium morbi cau ámve reneret? utrum scil. ex frigore, vel ictu aliquo, aut nimio cursu, vel destillatione à capite, sive etiam ex præcedente aliqua alia ægritudine hoc illi contigerit? Respondet se nullam scire procatarcticam causam, sed tantum ex occulto initio paulatim increvisse morbum illum, adeòque auctum ut eum ad mortem deduceret: Anxius igitur, & tanti doloris causam minime deprehendens nesciebam quo me verterem; Neque enim ulla vel materiæ vel mali habitus erant indicia, cum rusticula quædam sicca hominem urgeret, neque item excrementa aliqua visebantur: & medicamenta etiam quibus curatus fuerat, intentiones fere omnes evacuaverant: Quare authorum tandem sententiis nixus, quibus docerur Medicus, cum causæ morbi abditæ sunt, his præsidiis uti quæ conferre quidem possint, nocere non possint: cœpi primum lenire pectus, mollire guttur & asperam arteriam, donec calculo ad avellanæ magnitudinem de pectore propulso, & sicca illa rusticula & omnis præterea dolor amotus est.

§. 9. Calculus ex seroso pulmonum excremento in eorum angustiis natus, obstruendo intrinsecus ramos, diuturnum asthma, in quo pituitæ nulla sunt indicia, parit, nisi forte accedens defluxio ingeminet malum, atque suffocet: qui nunc friabilis, nunc durus, nunc planus, nunc æqualis, & pro ratione vasorum tophi instar formatus est: Quales aliquando sectione deprehensi, Alias tussi post diuturnum & immedicabile asthma rejecti, quæ fuerit causa ostenderunt. *Platerus Pract. lib. 1. sect. 2. cap. 4.*

§. 10. Anno 1561. *Fallopius* juvenis cujusdam viri corpus secuit, qui adversa valetudine diu usus, tabe paulatim consumebatur, de anhelo pectore & quotidiana Tussi præcipue quærens, donec tandem plane obiit.

In ejus pulmone quatuor lapides offendit, nullum faba majuscula minorem, latos nonnihil & tuberosos, cineteos & subdutos. *Kentmannus lib. de Calculis.* §. 11.

§. II. Asthmate ingravescente lentus humor in grandinem concrescit atque hæc tandem in veros calculos, quibus interdum dissectos pulmones confertos deprehendimus, *gypseæ pituitæ duritie*, omnes quidem propria cysti obductos: Sed etiam non ita pridem vir occurrit, qui quoties exercitatione incalescit, concitata tussi, calculos è pulmonibus edit præduros, eósque excreat modo hordei, modo ipsi magnitudine: bona tamen is valetudine fruitur, præterquam quod paulo difficilius respirat, & in medio thorace gravitatis cujusdam pondus percipit. *Fernelius Pathol. lib. v. cap. x.*

Observatio XLVI.

Asthma à massa coadnata pulmonis substantiæ, lapillis referta, Lopis adnatis, & Compressione tracheæ arteriæ à pinguedinis copia.

STrenuus Nob. G. à Sebottendorff per plurimos annos fere semper decubuit, statis horis omni carens spirandi facultate, nec ulla ratione convalescere potuit: Sed tandem fato concessit.

Aperto post obitum cadavere, inveni peritonæum satis putridum, ventriculum pene inanem, omni cylo destitutum, nec ullam aliam humorosam in se continentem materiam, & consequenter occlusum quasi ac parvum: Intestina nullo repleta excremento: Hepar corruptum, maximè in illa parte ubi à costis tegitur: Splen in Sinistro latere suis ligamentis fuit solutus, duplicatus quasi, ac ex omni parte semiputridus: Inciso vel aperto diaphragmate, dum perveni ad pulmonem, massam admodum induratam, coadnatam essentiæ pulmonis, & ingenti copia lapillorum refertam, plenis manibus extraxi: Pulmoni adeo adnati fuerunt sui lobi, ut nullum illi motum communicare potuerint: Tracheæ arteriæ & Gulæ tantum adipis (à pinguissimis haud dubie carnibus sæpiusculæ ingestis contracti) indurati adhæsit, ut non modo beneficium spirandi & respirandi crebro desideraverit, sed paucos quoque dies ante obitum cibum assumere nequiverit, solo potu sustentatus, Et facile credo si diutius supervixisset, illum inedia, periturum fuisse: Cæterum externam mihi causam talem retulit, Ex Italia redux cùm ægrotare incepisset, imperitum Chirurgum in consilium adhibuit, qui post primum statim intuitum audacter asseveraverat illum infectum morbo (lue ven.) quo tamen haud unquam laboraverat: Præparavit itaque unguentum ex argento vivo, nunquam f. a. extincto: Adhibita inunctione, in dies magis ac magis, ob efficaciam penetrationis & resolutionis, quæ est in hydrargyro, peius sese habuit usque ad finem vitæ: Causam ergo nullam aliam extitisse judico, quàm quod argentum vivum in ipsam essentiam Pulmonis, propter raritatem ac viscositatem ejus, insederit, ac in minutissimas postea dissolutum partes quantitate sit adauctum. *Schenckius ex M. Ioh. Fabri Observation.*

CAusam ergo nullam.) Quid sibi velit Cl. Faber admodum obscurum: Innuere videtur lithiasis istius causam esse hydrargiri in istam massam, lapillis refertam, metamorphosin. Asserit quidem *Petrus Castellus*, Med. Romanus, dissert. 1. dodechap. chalcant. p. 7. in Xenodochio incurabilium Romæ, in illis qui post mercuriales inunctiones obierant, capitis tibiarúmque ossium cavitates argento vivo scatere se deprehendisse: At in uxore J. C. cujusdam binas ejus uncias in capite reperisse: At illud propriam formam ibi servavit, nec lapidis indnit naturam: Præterea Mercurius caput potius quam pulmones obsidet, atque ob horum spongiosam & porosam naturam, facile præterfluit; nec moratur eo usque donec concrescat: Causa ergo istius concretionis lapidosæ aliunde repetenda, scilicet ab abundantia illius succi qui talem transmutationem subire aptus natus est.

Observatio XLVII.

Dyspnoea sequuta pulmonum lapideam duritiem.

§. I. MUlier Romana xxxv. annorum per plures annos inappetentiam passa, cum tussi sicca & Spirandi difficultate, cùm frustra variorum medicorum auxilia tentasset, tandem moritur.

Dissecto ejus cadavere, ventriculi omnes fibræ nigræ duræque repertæ sunt: Tres vero pulmonum lobi adeo durati, ut potius tophos lapideos quam carnem omnibus viderentur ementirentur; Lien ipsius ovi gallinacei magnitudinem non excedebat. *Ex observat. Petri Sphererii Medici Florent.*

LIen, &c.) Hujus parvitati symptomatum omnium syndrome imputari potest: Deficiens enim magnitudo causa fuit quod massæ sanguineæ de fæcandæ ab humore melancholico impar, hic illi remistus œconomiam naturalem depravaverit: ad pulmones enim delatus materiam scirrhosæ duritiei contrahendæ suppeditavit, &c.

§. 2. In

§. 2. In Asthmatico duros & lapidescentes pulmones observavit Helmontius. *Th. Bartholinus Anatom. reform. l. 2. c. 9.*

OBSERVATIO XLVIII.

Respiratio læsa ob pulmonum duritiem, vitri instar fragilium.

Quod nos semel propriis oculis observavimus, id hoc loco bona fide testati possumus; Illustr. Principem Claudium Landum, Bardi, Compiani & Vallis de Tarro Dominum, ex Asthmate gravissimo defunctum, annum 55. agentem annis superioribus exenterari jussimus: Hujus pulmones sic induratos invenimus, ut vitri cocti instar frangerentur. *Ioh. Bapt. Silvaticus Historia xxx.*

OBSERVATIO XLIX.

Dyspnoea à tribus Pulmonum lobis induratis.

Mulier tussi sicca & spirandi difficultate diu fatigata est: Tres pulmonum lobi adeo erant indurati ut tophis potius quam carni similes essent. *Vide l. 3. tit de Inappetentia.*

OBSERVATIO L.

Dyspnoea à Parenchymate pulmonum densiori, minusque spongioso & explicabili.

Pulmonum vitio non sufficiens, ideòque frequentior fit aëris inspiratio, quando eorundem parenchyma universim, vel saltem maxima sui parte, est minus spongiosum minusque explicabile, quoties fit magis carnosum & solidum, quale non raro reperi in quorundam post mortem dissectione.

Quamvis hujus affectus causam reddere adæquatam putem valde arduum, si non impossibile, conjecto tamen carnosius & solidius fieri pulmonum parenchyma, quoties ab acriote simul & viscidiore sanguine idem, partim arteriis venisque intermedia, tum leviter excoriatur, tum iterum consolidatu & nutritur, ita ut sensim solidior fiat ipsius, caro. *Fr. Sylvius de le Boë Prax. lib. 1. cap. 22. §. 17. 18.*

OBSERVATIO LI.

Dyspnoea à corrugatione parenchymatis pulmonis.

Frequentior & non sufficiens fit aëris inspiratio, quoties pulmonum parenchyma corrugatum existit, quale aliquando à me observatum in quorundam post mortem dissectione: Quam corrugationem acceptam refero sanguini austeriori & acriori, ibidem ipsum leviter excoriatum potenter contrahenti potius quam vere nutrienti: Nisi forsan idem accidat à pute vel aqua similiter austeriis, & in pectoris cavitate collectis, ipsumque paulatim penetrantibus & constringentibus. *Sylvius de le Boë Praxeos lib. 1. cap. xxij. §. 17. 18.*

OBSERVATIO LII.

Anatome canis dyspnoea laborantis ob pulmonum scirrhum.

Canem villosum Plateas Wirtembergenses, amisso Domino, pererrantem emissarii nostri exceperant, quem cultrone anatomico subjiceremus, an vivum aliis destinatis usibus in suspenso relinquebatur: Canis enim gestibus, ut poterat festivissimis, gratiam nostram studebat demereri, omnium maxime tamen exercitia nonnulla, sive artes ut vocant, quibus feliciter imbutus erat, misericordiam sollicitabat: Interea cum vitæ & mortis calculi in partem utramque ponuntur, animadvertimus canem difficulter respirantem, aliquo pulmonum vitio laborare: Videre gestiebamus quem fontem malum hocce agnosceret, utrum vasorum angustia vel obstructio, an ulcus pulmonem consumens & exsiccans dilatationi debitę obicem poneret: Verum utravis opinione nos deceptos fuisse patuit, cùm sublato sterno ingentem Scirrhum sinistrę pulmonum parti annatum, & super dextram aliquantulum porrectum, deprehenderemus: Longitudo & latitudo ejus ex metacarpo manus habilioris æstimetur, nisi quod ob figuram informem circa extremitates, præsertim qua ad partem dextram pulmonum pertingebat, magnitudine quasi extra oleas vagabatur:

vagabatur: crassities duorum digitorum supra dimidium erat: Color respondebat pulmonibus, non item substantia, quæ scirrho densa & crassa, nihil prorsus aëris quamvis pulmones folle crebrius excitarentur, admittens: Similem casum fere reperiet Lector apud Claudinum consil. 43. Item apud Chiffletium Observat. med. 38. *Simon Schultzius in miscell. cur. anni 1673. Observ. 262.*

Observatio LIII.

Suspirium à siccitate Pulmonis.

JAc. Gallus J.C. in Academia Patavina diu Suspirio torquebatur, cui Medicorum peritissimi decoctum ligni s. ex jure Galli nullo effectu suaserant; omnibus incassum tentatis ad materiæ crassæ attenuationem: Accessit frequens Nicotianæ usus, quo se laborans, profecturum sperabat.

Mali verò causam fuisse pulmonem à siccitate subsidentem ostendit eventus: quandoquidem in defuncti corpore sola restabat aspera arteria, cum pulmonum vasis fidium instar siccatis.

§. 2. Cujusmodi vitio quum sublatus esset Patavii anno 1611. Caterva Diamantinus, pulmones à diuturno ligni Guaiacini decocto exaruisse, in cadavere compertum fuit: *Ioh. Rhodius cent. ij. Observat. xxi.*

ASthma nonunquam fieri à siccitate pulmonis notat *Avicenna*, qua imprimis tentantur qui fornacibus assident, Aurifabri, Chymistæ, qui circa metalla occupantur, à quibus suscitatur halitus, qui cum aëre inspirati, pulmoni siccam intemperiem inducunt: Signa illius sunt causæ exsiccantes prægressæ, Tabes sensim adveniens, respiratio parva & frequens, sitis continua, sputum paucum, nullum ab exsiccantium usu juvamentum: Medela est per humectantium usum, cassi, liquiritiæ, violarum, passularum, amygdalarum dulcium, &c. Diætam præsertim, & cibos humidos: Asthma à simili causa inductum testatur se curasse *Salius* Notis in *Altimarum* cap. 48. in juvene 22. annorum, solo ptisanæ & lactis potu, ac victus ratione leniente & humida: De Tabe ex marcore senili pulmonum exemplum, vide apud *Schenkium p. m. 256.*

§. 3. Vidi in quodam Typographo adeo siccatos pulmones ut aridum pomum fere dici potuissent *I. Heurnius de morb. Pect. cap. iv.*

§ 4. Dyspnoea aliquando contingit à siccitate pulmonum: Audivi à D. *Tomitano* orthopnoicum post mortem sectum habuisse pulmones ambos exsiccatos. *Saxonia lib. 2. cap. 4. Panthei.*

§. 5. Memini me vidisse quendam Religiosum qui curabatur ac si laboraret orthopnoea ex humoribus crassis: non conferentibus auxiliis, post mortem inventi sunt *ambo pulmones tabe affecti* & exsiccati. *Saxonia Prælect. Pract. lib. 1. cap. xxvi.*

A*Mbo pulmones Tabe affecti.*) Sequitur quoque difficilis respiratio ad siccitatem macorémque reliquorum viscerum, cordis præsertim, in quibusdam hypochondriaca affectione laborantibus manifesta: nam in ea siccitas est totius corporis per alimenti proprii corruptionem; siccum est cor, calidum tamen calore acri, febrili & squalido, Unde cum id flabellationem eventilationémque summe efflagitat præ siccitate, dum sufficientem motum duplicem non habet ad refrigerationem ejus caloris febrilis, itatim repetito motu illud compensat ac resarcit: hinc fit ut dum paulo magis corpus agitatum est, quasi animal ipsum ἄπνουν remaneat & velut suffocatum: Itaque omnino in eo versandum est ut quacunque ratione id fieri possit corpori prima moles restituatur, tollaturque tum alimentis tum medicamentis squallor & marcor totius corporis: Adnotat enim quidam ex veteribus melancholia hypochondriaca laborantes tum demum curatos censeri cum pinguescunt.

Observatio LIV.

§. 1. *Orthopnæa à Pulmonibus flatu distentis.*

IN quodam flatus adeo abundabant, ut etiam à somno superveniente orthopnæa, cum strepitu quodam per os erumperent: Tandem ingravescente animi deliquio, quo vexabatur assidue, subito occubuit: Aperto thorace, inventi pulmones flatu distenti, &c. *Vide tit de Syncope.*

SUffocationi ab ejusmodi causa imminenti remedio est paracentesis in thorace instituta; quam sæpius celebratam Parisiis, magno cum ægrorum levamine & pectoris solatio asserit *Cl. Riolanus* Encheir. l. 3. cap. ij. Hippocr. πνευματίας, dicuntur quibus thorax flatu distenditur: Nisi eo præsidio succurratur, curatu difficillima est & funesta est dyspnoea: A flatu autem eam posse induci innuit *Galen.* comm. in Prorrh. 2. 39. ubi ait, Asthma fieri à flatu, à pituita è capite delapsa, à pleuritide translata, à pure. A flatibus in pectore suscitatis ortam esse, in quodam conjecit *Platerus* ex murmure circa thoracem, sine stertore.

§. 2.

§. 2. Non semel vidimus in Nosocomio Leydensi, & alibi, atque in cadaverum dissectionibus sæpius offendimus pulmonum parenchyma atque vasa *flatu* adhuc *distenta*. *Reg. de Graaf de succo Pancratico cap. 9.*

A Succo Pancreario acidiores halitus per effervescentiam excitatos, & una cum flatibus per venas lacteas in cor, hinc & in pulmones delatos, ibique hærentes, non tantum Respirationem difficilem, sed siccam quoque Tussim excitari statuit Clar. de Graaf atque in rei confirmationem superiorem observationem adducit: Si flatus *addit*, illos concomitetur pituita viscida, eàque in pulmonibus detineatur; quidni asthmatis species inde produci possent?

Observatio LV.

Suspirium à Pulmonibus inflatis.

Anno 1623. Nobilis vir diarrhœa cum suspirio extinctus fuit dissectus: Pulmones erant flatu adeo turgentes ut omnem thoracis cavitatem implerent. *Iohan. Rhodius observat. 22. cent. 2.*

Flatu adeo turgentes) Flatus ubique viam inveniunt imo, adnotante *Sylvio de le Boe meth. med. lib. 2. cap. 21. §. 19.* Invasis sanguinis sæpe includuntur, id quod non semel post mortem in cadaverum dissectione se observasse asserit, ex apertis vasis scil. erupisse; id quod & in multis febricitantibus notari queat, non tantum, (post quam intestina, hinc & abdomen distenderunt) anxietatem, atque difficultatem in respiratione patientes, verùm sine notabili colore (ne quis huic hoc adscribat) venas obique multum distendentes.

Observatio LVI.

Dyspnoea à Pulmone maximo.

PUellum secui cujus Pulmo justo major omnem cavitatem totius thoracis replebat, & latera illius velut inflatus attingebat: Erat duorum saltem mensium, & si diutius illum vivere contigisset, Respiratio illius qualis futura fuisset sane ignoto: hærebam quidem annon ex ultimo respirandi per agonem conatu, dilatari ab aëre inspirato Pulmo ita potuisset; & post mortem per aliquot temporis spatium talis permanere: Unde etiam alias cadaveribus spuma circa os & nares continuo etiamsi abstergatur, colligitur cum manifesto aëris per bullas egressu; veram tamen ipsius parenchymatis eam magnitudinem fuisse inde constabat, quod licet compresso multoties Pulmone, ut aër si quis ibi crassior detineretur, expelleretur, priorem tamen magnitudinem ille semper retineret: Visus tum mihi sum videre quomodo *Ferdinando Imperatori*, & aliis, Pulmo thoraci adhærescere potuerit, per pituitam scil. glutinosam, quæ gypsea postmodum fuit reddita. *Phil. Salmuth. cent. 1. observ. 22.*

Observatio LVII.

Asthma à Pulmonum insigne mole.

§. 1. DOm. Lælius Lombardus Genevensis, vir torpidus & hebes, quinquagenarius, derepentè obiit anno 1646. Asthmati erat obnoxius, quod malus toti familiæ σύγγενες. Vindemiæ tempore *cellam vinariam*, in qua fervebat mustum, ingressus, tam violento paroxysmo prehensus est, ut vix dum in lectum impositus animam reddiderit: Aperto thorace, Pulmones citra labem, aut vitiosum colorem deprehensi sunt, sed tanta eorum erat moles, ut bubulos æquarent magnitudine.

§. 2. Augeri credendum Pulmonum nutritionem, quoties iidem consistentiam suam & substantiæ modum naturalem servantes, nimium tamen excrescunt, atque pectoris cavitatem ita replent, ut inde impedita potius quam difficilis reddatur respiratio, Cujus rei exemplum semel atque iterum post mortem in sectione habui. *Fr. Sylvius Praxeos lib. 1. cap. 24. §. 12.*

AUctæ hujus Pulmonum nutritionis causam puro, partim constitutionem ipsorum optimam, partim usum alimentorum nutriendis pulmonibus maxime aptorum, ac forte pulmonum ex junioribus animalibus desumptorum: Auctam hanc Pulmonum nutritionem significabit respiratio citra evidentem causam impedita, existente corporis reliqui constitutione laudabili. *Idem ibidem.*

Ingressus cellam vinariam) Suffocatos nonnullos in cellis cerevisiariis, quando illa recens cocta ebullit & fermentatur observat *Solenander conf. 6. sect. 5.* quia tum in iis tam crassus aër est, ut cum spiritu in pectus & pulmones attractus, repentinam suffocationem inferat: A fervente musto id evenire multo verisimilius est, ob ejus penetrandi vim efficaciorem: Ante annos

nos quinquaginta Genevæ, duæ famulæ Dom. le Faucheur, Patris Celeberr. Dom. le *Faucheur*, Pastoris Ecclesiæ Charantoniensis Lutetianæ, eodem tempore in cella vinaria extinctæ sunt, in quam mustum pridie delatum erat: Similibus in casibus *M. Donatus* cerebrum præcipue affici statuit, quod reueta, ut & spiritus animales, afficitur, quia postea quam resoluti sunt, quidam delirantur; At concedendum organa quoque respirationis affici, aër enim istis fumis infectus, calori cordis ventilando ineptus est, fuliginumque calidarum expulsionem impedit, Indicio autem est quod nonnulli periculo suffocationis cessante, febre correpri sunt.

Observatio LVIII.

Asthma ab enormi Pulmonum magnitudine, lutulento humore infarctorum.

ILlustr. D. de Chabotte (de quo tit. de Phthisi) tadibus cum insigni pectoris oppressione interiit: Illius Pulmones summe vitiati & gravissimi deprehensi sunt, humore lutulento undique prægnantes; qui bilanci impositi uncias octoginta cum una pependerunt.

Observatio LIX.

Dyspnoea à Pulmone dextro ad jugulum usque retracto, pleuræ ad claviculam connexo; Sinistro maximo, tuberculis obsito.

FIlius N. tumore lienis insigni, aliique affectibus correptus est &c. successit dolor pectoris ad pulmonem dextrum & respirationis clangosæ summa difficultas &c. In thorace pulmo dexter latebat exiguus, sinistrum vix dimidio æquans, nigricans, ad jugulum tetractus & pleuræ ad claviculam connexus: Sinister duplo grandior, quibusdam in locis tuberculis obsitus, in quibus tophacea materia &c. *Vide lib. 3. tit. de Hypochondriorum tumoribus.*

Observatio LX.

Asthma cum exspuitione purulenta sanguinea, ab utroque Pulmone costis annexo, pericardii hydrope.

MAji III. 1676. aperui cadaver juvenis, 22. annorum, qui ante annos octo, dum calebat maxime ex cursu, frigidam postquam sumpserat, *pleuritidem* contraxit, quam *neglectam*, nulla instituta venæ sectione, sequutum asthma grave, cum purulenta & sæpius sanguinea expectoratione: dolor circa lumbos gravissimus, qui nephritidem semper mentitus, melancholicus semper.

Vesica fellea exigua valde, insigniter crassa, lenta materia repleta, ubi attingebatur satis dura, nigertima hæc materia, interior crusta crassa etiam, & facile separabilis instar tunicæ specialis, nigertimi etiam tota coloris: Hepar maximum, ultra Lienem, satis valide ope ligamenti transversi, eo usque se extendentis diaphragmati cohærebat, tuberosum valde, & satis ubique scirrhosum: Ren utetque integer, Lien etiam circa dorsum diaphrahmati nectebatur: Venter totus tumidus aqua obscuri coloris, lenta: In Thorace uterque Pulmo inseparabiliter totus costis cohærebat, maxime circa vertebratum corpora, usque ad diaphragmatis inferiora, fere consumptus: In Pericatdio ultra ℥xxx. aquæ limpidissimæ, dulcis satis saporis erat, unde valde extensum: Hoc remoto, cor & auricula dextra insignis magnitudinis se offerebant: Ligatis omnibus aliis vasis, ex aperta auricula, & ventriculo dextro eduximus sanguinis fluxilis, lentæ pituitæ, cruorisque nigetrimi plusquam uncias xx. *G. Blasius observ. med. 19.*

P*Leuritidem neglectam &c.*) Pleuripneumoniam adfuisse Pulmonum cum costis, cohæsio ostendit; inflammati quippe parte exteriore saniem effuderunt glutinosam, coalitus cum pleura causam: Illi enim assignandum sequutum asthma, quod ante abfuerat.

Observatio LXI.

Dyspnoea à Pulmonis parte sinistra septo firmiter adhærente, Et materia crassa sinistro cordis ventriculo impacta.

FIlius Mercatoris quinque annos natus, cum male educatus fuisset à nutricibus, inter varia symptomata hoc præcipue pati solebat, ut cum curreret, aut vehementius moveretur, spirandi difficultate laboraret; Tandem 3. Jullii, cum ab exercitio multum incaluisset, incidit in tussim cum difficultate spirandi & febricula, cum alvi fluxu mediocri, in quo flava, pituitosa, & aliquando subviridia apparebant: hæc tamen symptomata adeo levia

via erant, ut de vocando medico parentes non cogitarent, sed à Pharmacopæo admotum fuerat vesicans posteriori cervici: De quinta morbi vocatus ego, eadem invenio symptomata, ex quibus fluxionem conjiciens in Pulmonem, cum metu peripneumoniæ, V. S. præscribo, quæ facta non fuit quia vena non erat conspicua, sed cucurbitulę scarificatę statim fuerunt admotę, & julepus pectoralis refrigerans exhibitus: Hæc circa meridiem fiebant: at hora 3. vespertina subito æger correptus est leipothymia, à qua brevi excitatus est: postmodum vero pulsus apparuit parvus, languidus, frequens & pulsibus morientium similis, venter admodum tensus & dolens, respirandi aderat summa difficultas & sitis inexplebilis: Multa frustra usurpata, sed æger continuo in pejus ruens media nocte interiit.

Aperto cadavere, partes naturales bene constitutę apparuerunt, nisi quod cystis fellea grandior & humore nigricante referta erat: Sed Pulmonis pars sinistra diaphragmati hærebat ita firmiter, ut separari non potuerit, unde difficultatem spirandi ex parte provenire censuimus: Sinistra vero cordis auricula, solito amplior, referta erat materia crassa & compacta, omnino alba, latidum coctum referente, quam subitaneæ mortis causam fuisse censuimus, cordis ventriculum sinistrum suffocando & illius ventilationem impediendo. *Laz. Riverius centur. 1. obs. 83.*

M*ateria crassa & compacta*) Sæpe in cachecticorum cadaveribus, aut eorum qui morbis obnoxii vixerunt, corpora quædam sive fibrosa, sive pituitosa reperiuntur, quæ ad notabilem magnitudinem excrescunt, radicesque agunt in cavernis ventriculorum cordis, hinc è sinistro ramos sursum & deorsum per aortam emittunt, atque in varios ramusculos, juxta arteriarum capacitatem & numerum dirimuntur: Hæc corpora qui secum circumferunt, nunquam integra valetudine frui possunt, atque ex illis orthopnoeæ, syncopes cardiacæ, pulsuum intermissionis & interceptionis, aliorumque affectuum causa deduci potest, ut & Apoplexiæ, si eadem incarotides & cervicales arterias irrepant: Hoc ergo in casu Dyspnoeæ causa, non in unicam Pulmonum cum pleura cohæsionem referenda, sed in illam obstructionem auriculæ cordis sinistræ, à qua & leipothymia & mors subita deducenda: Fidem facient exempla inferius adducenda.

Observatio LXII.

Asthma ob Pulmonem exanguem, meatus omnes pituita infarctos, vomicas parvas in parenchymate, undique costis annexo.

ANno 1646. apertum est cadaver VValonis annorum 50. qui diuturno & miserando asthmate attritus & enecatus erat: Deprehensus est pulmo plane exanguis, ejus parenchyma, omnesque spirabiles meatus infarcti, impleti & insuccati crassa viscida pituita, concurrentibus multis parvis vomicis in ipso parenchymate: Adnatus erat in utroque latere adeo pleuræ firmiter, ut vix multa manum vi posset avelli: color erat pallidus, luridus, ita ut omni robore ad excutiendam materiam destitutus fuerit, nullaque ventilationis cordis erat oportunitas: quoniam manifestę spirabiles vię asperę arterię, arteriæque venosæ, plane erant impletę & angustatę copia materię, quę causa tandem calorem vivificum cordis, retentis fuliginibus, oppressit & extinxit.

Causam tanti mali prava dięta, indeque debilitata viscera naturalia possidebant: quippe ipse ventriculus parvus languidusque existebat, ac tenuissimę substantię: Omentum plane erat extenuatum & omni pinguedine expoliatum: Hepar pallidum & satis exile; quę attestabantur nec primam nec secundam coctionem satis officio functas fuisse. *Ottho Heurnius histor. 9.*

Observatio LXIII.

Dyspnoea à Pulmonibus undique, etiam pericardio & mediastino connexis, Infinitis tuberculis obsessis, &c.

Dyspnoeæ cum atrophia seu Tabe, historia anatomica.

ANno 1676. mense Februario, adolescens ex agro Schaphusiano nostrum in xenodochium deferebatur, quem macies imbellem rusticisque imparem laboribus reddiderat. Facultates illi quidem animales integræ, sed pectoris obstabant angustiæ quo minus sese, quocunque vellet, liberè moveret. Sępe enim citatior unus alterque gressus misero suffocationem minari, ut humi postratus mox spiritum exerta lingua ægerrimè duceret. Perstitit aliquot mensibus ista calamitas, quam à pręcipiti, æstuantibus pręcordiis, frigido haustu ortam dixerat; imò respuens medelam crevit, cum tussicula ad ultimum vitę articulum molesta & irrita. Mirè varius illi, ac in singula propè momenta mutabilis, pulsus. Mox enim celer, frequens & validus is erat; mox larvâ mutatâ tardus, rarus & debilis; nunc inequalis, ac vel tertio quartove saltu intermittens; nunc tremulus, denique & nullus. Urina con-

summato jam morbo tenuis & pauca. Postremò, die 29. Maji, summa confectus tabe, intercepto ferè aëris in pulmones commeatu, vitam æger cum morte commutavit.

Defuncti cadaver aliquot horis post, adjutus Clar. amicissimique Viri *Matthæi Harderi*, Medici nostratis, operâ dissecui, in lumbis ac juxta spinam ex decubitu livescens. Mox, patefacto abdomine, Intestina flatibus distenta cum impetu eruperunt, Quibus instratum Omentum vehementer extenuatum erat & lacerum, ac imprimis glandularum atque pinguedinis loco multis hinc inde scirrhotum moleculis obsessum. Harum pleræque ciceris, aliquæ pisi, nonnullæ fabæ magnitudinem cum figura servabant. Plurimæ videbantur in acervum quasi congestæ, aliæ autem solitariæ ac à cæteris disjunctæ. Omnium casei instar antiqui dura & friabilis substantia. Præterea ex Ileo prodeuntes alicubi vasorum lacteorum surculos, chylo albo adhuc dum scatentes, deprehendimus; sed filo tenui subtiliores, ac per mesenterium ad glandulas ibidem consitas excurrentes, quo chylum digitis adactum deposuerunt. Ipsis Intestinis tenuibus præter flatus etiam lumbrici teretes inerant, massæ cuidam pultaceæ subflavescenti intestinorumque muco immersi. Ubi maxima lumbricorum vis, ibi Intestini proximus paries valde rubebat; quasi à motu & rosione illorum in procinctu jamjam inflammatio fuisset. Ventriculus inflatus erat & flaccidus, lactis pridiè oblati coagulo plicis ejus adhærente. Porrò glandularum Mesenterii plurimæ induratæ, & præter naturam tumidæ degeneraverant; utpote quarum substantia, obstructis ac deletis pororum & vasorum tractibus, callo durior evaserat atque compactior. Idem utriusque Pancreatis fatum: quanquam id, quod *Asellii* vocatur, durius altero genuino existeret. Hepar vitium magni momenti nullum presserat; nam & colore satis florido, & parenchymate laudabili se commendavit, preterquam quod, supernè. Diaphragmati paulo pertinacius accreverit; quo in loco membranam quoque Hepatis solito crassiorem, atque sero instar gelatinæ coagulato stipatam deprehendimus. Ipsa quin etiam bilis vesicula debito crassior fuit, luteo, sed tenaci viscidoque felle imbuta. Cervici ejus glandula phaseoli magnitudine & figura extrinsecus adnata hæsit, rubicunda atque vasis instructa sanguineis, Adhæc vasa lymphatica, ex hepate juxta Venam portæ, ductusque choledochos in Mesenterii glandulas determinata, notavimus hinc inde rimis patula & corrosa; adeo ut lympha ex illis profusa ad cyathi quantitatem in abdominis cavo jam contineretur, quę igni exposita in spissamentum grati odoris abiit. Lienem tubercula caseosa, albida & dura tam superficie tenus, quàm in recessu deturparunt, numero innumera, majora minoraque: quorum substantia pisorum aquâ maceratorum erat persimilis. Iisdem renes etiam obsessi, atque horum maximè sinister, qui tres in superficie moleculas, nuclei avallenæ magnitudine, geminasque altius reconditas exhibuit. Renes succenturiati sive glandulæ, ut vocant, atrabilariæ in scirrhos omnino versæ, nec cavitatem amplius, nec poros aut vasa conspicua obtinuere; colore earum ex obscuro nigricante. Paulo infra renes, juxta Musculorum ψόας confinia, gelatina plurima sive serum condensatum membranulisque interceptum apparuit, hydropis ascitis præludium. Diaphragma, qua respicit abdomen, verrucosum videbatur, ac pluribus in locis erosum inque thoracis cavitatem prorsus absconditum.

Jam in thorace præcipua vitæ organa, Cor nempe cum Pulmonibus, maximè affecta deprehendimus. Nec facile verbis expresserim, quàm miro nexu ac intricato continentes ambientesvé partes omnes cum contentis in unum quasi coaluerint. Neque enim ulla hic erat, præterquam quæ cultro fiebat, distinctio. Pericardium extrinsecus undique Pulmonibus, anterius sterno, inferius (quod quidem lege naturæ, licet non tam crasso nexu, fieri assolet) Diaphragmati arctissimè adhæserat, ut nulla ex parte liberam ægerrimè distingui ac separari potuerit. Hæc eadem cordis membrana, duplo quàm alias crassior evaserat, ut corium potius quàm tunicam repræsentaret. Nulla hic mediastini vestigia, nullum inter pulmones discrimen aut paries quasi intergerinus. Pulmones quippe tum inter se invicem, tum undiquaque cum pleura, costis, sterno, diaphragmate coaluerant, ut maximo ad eos, nulla ex parte liberos, è thoracis cavo eximendos separandœque opus labore fuerit. Enimvero ipsa visceris tunica partibus illis ceu glutine affixa hæsit, quam & multùm æquo crassiorem spissioremque observavimus. Internam Pulmonum substantiam tuberculorum crudorum agmen occupaverat, à quibus pondus ac moles eorum non parum aucta. Videbantur enim omnes lobi, horumque cellulæ seu vesiculæ membranaceæ, in quas inspiratus aër commeat, aut ejusmodi farctæ tuberculis, aut mutuo coalitæ. Pulmonibus per tracheam inflatis, aliquot duntaxat vesiculæ, non integri lobi, nedum viscus universum intumuit. Imò frustum hujus ingens aquæ injectum, embryonis pulmonum instar, fundum illico petiit. Tantus autem erat tuberculorum numerus, ut quocunque pulmones in loco dissecarentur, plurima semper in conspectum venirent. Aliqua illorum pisum, fabas alia, nonnulla denique castaneæ fructum magnitudine ac interdum figurâ æquarunt. Quædam porrò sevi aut casei

instar

instar antiqui & compacti albicabant; quædam obscurè rubebant, vasis instructa sanguineis. Reliqua nigricabant, pressu digitorum in amurcam vini fecibus analogam, absque tamen fœtore, diffluentia. Maximus omnium in pulmonis dextri infimo tractu scirrhus apparuit, nuce juglande major, subalbidus & lardo quovis aut caseo compactior. Hoc ipso in loco pulmo diaphragmati pertinacissimo coalitu jungebatur. Cæterùm nullibi pus verum, sed ichor duntaxat turbidus è compressis Pulmonum vesiculis emanavit; quo & imbutos asperæ arteriæ ramos notavimus. Cor flaccidum omnino & decolor, ablato pericardii velo, cernebatur; tristi vultu suæ miseriam sortis coram quasi deplorans ac exprimens. Sauciato eo magna è penetralibus sanguinis aquei fluidique copia manavit, quo & auriculæ plurimum turgere. Tandem Diaphragma ut infernè corrosum, ita supernè Pulmonibus, insueto nexu, devinctum atque intra thoracem adeò retractum constrictumq; invenimus; ut, antequam à vinculis liberaretur, abdomen versus nullo detrudi modo potuerit.

HUic quanquam Ilias malorum lethum exitiumque adolescenti paravit; duo sunt tamen præcipuè affectus; quorum alter vitæ organa, alter œconomiam naturalem; uterque junctis viribus prœmaturæ corpus universum internecioni dedit. Priori dyspnϾ nomen, posteriori, Atrophiæ universalis est. Illam pectoris angustia cum spirandi difficultate, ad motum corporis vel tantillum aucta, ægroque, dum viveret, molestissima, evincit. Hanc, macies omnimoda; qua, exhausto succorum & sanguinis penu, contabescentibusque musculis, utpote genio suo fraudatis, aridam præter cutem ossibus superinductam, nihil erat residui.

Ea verò his intercedit morbis necessitudo, ut alter ab altero, ceu à matre filia, infausto licet partu dependeat, atque Dyspnœam atrophia, velut umbra corpus, secuta sit. Sanguis enim, & qui ei inest succus nutritius, cùm suæ perfectionis ἀκμὴν, & nutriendi vivificandique aptitudinem, in corde & pulmonibus potissimum adipiscatur; facillimum judicatu est, istis vitio quocunque laborantibus, mox etiam illum, labe velut per traducem suscepta, corrumpi nutriendoq; ineptum evadere. Idque tanto magis, quanto inhærens præcordiis atque pulmonibus malum extiterit gravius. In nostro equidem adolescente omnem atrophiæ culpam, à solo organorum vitalium pneumaticorumque affectu derivare possemus: at fas tamen imi quoque ventris viscera in scenam & crimen vocare, quorum prava διάθεσις tabi aut juxta producendæ, aut productæ jam fovendæ, non potuit non plurimum conferre. Pancreatis intelligo scirrhos, lienis renumque moleculas, glandularum denique in omento mesenterioque induratarum tubera. Harum enim Partium commune ac naturale munus fert, ut chylo nutritio, tam generando quàm depurando atque distribuendo vacantes, nutritionis maximè saluti atq; integritati consulant. quo igitur eæ magis à crasi nativa descicunt, eò major nutritionis corruptio & detrimentum.

Quemadmodum autem affectibus hisce cognationis quasi vinculum est, ita causarum etiam affinitas. Proximè enim ab obstructione pendet uterque; nec diversa causa remotior, frigidæ nempe infelix æstuantibus præcordiis haustus. Non congeram hoc loco plurium exempla, quorum simile delictum similis excepit pœna. Iis namque auctorum scatent volumina, qui de affectibus corporis humani eorumque causis scripsere. Nec dubito, quin præclarum hoc ipsum D. *Boneti* opus plurima alia sit exhibiturum. Optandum potius, ut pauciora deinceps occurrant, mortaliumq; gula, tandem aliquando sapiens, à cibo potuque intempestivis sibi temperet. Rationes tantum expendere juvat, ob quas frigidæ ingurgitatio tantam fervido pectori noxam abdominique inferre potuit. Vetus *Hippocratis* oraculum est, V. Aphor. 24. τὰ ψυχρὰ τῷ στήθει πολέμια, *frigida pectori adversari*; cujus veritatem exemplo juxta & damno suo adolescens iste confirmat, Nec difficilis ratio, de qua *Heurnius* in notis sic: *quia vitam tuetur pectus, cujus tutela calore peragitur*: Enimvero gliscit pectore conclusus in præcordiis hominum, effervescentia & calore vitali se prodens ignis, ad cujus ceu flammulæ sustentationem blando amicoque fotu opus est, Secus idem à frigore, tanquam maximè contrario, obrui, suffocari, denique extingui periclitatur. Nec frigus hic, nisi intempestivum ac in excessu, quod & *Hippocrates*, intelligendum. A moderato enim decentique præcordia lædi tantum abest, ut tempore æstivo aura potuque frigidiusculis nihil mortalibus contingere possit acceptius. Et tempore igitur & excessu, quæ hominum est intemperies, noster peccavit adolescens, cùm frigidam sive labore sive cursu æstuans affatim ingurgitaret. Imber enim hic gelidus laryngem ac gulam mediumque thoracem perluens, turgidos fervente sanguine pulmones enormi frigore perstrinxit; quo tum cruor in membranaceis illis vesiculis & vasorum extremitatibus coagulatus, tum serum etiam in lymphæductibus superficiariis (quarum descriptionem in parte posteriore Pharmac. ration. *Th. Willis*, τοῦ μακαρίτου, videre est) profligatis repentè spiritibus densata. Jacta sic primum fuere semina morborum. Ex his pleuritidem verisimile est, aut analogam illi sucrevisse affectionem, Quæ neglecta, in dyspnœam fatalem cum atrophia degeneravit, Sanguis etenim coërcitus, & lympha stagnans, denegata expectoratione indolem adquisiverunt heterogeneam, qua omnis vastata pulmonum crasis & conformatio. Enimvero corruptus cruor, acrimonia sua vicinarum usque cellularum parietes & vascula erodendo, continui solutionem auxit: cui mederi satagens natura, callis hiatus istos è succo nutritio genitis opplevit. Verùm coalescentibus hoc modo in scirrhos pulmonum vesiculis, respiratio detrimentum cepit; aditu enim prohibebatur aër, quem vitæ tantoperè exigit necessitas. Factumq; hinc adeò, ut æger motu quantulocunq; præsentaneum suffocationis discrimen experiretur. Quo ancipiti respirandi conatu, probabile est labefactatas pulmonum tunicas alicubi rimas egisse.

Inde

Inde serum transsudans viscidum, & lympha ruptis ductibus profusa, glutinis vicem præbuit; quo Pulmones undique cum pleura, diaphragmate, pericardio & sterno coaluerunt, promovente nexum ac firmante pectoris, ob interceptum spiritum, quiete atque compressione. His itaque constrictos insuper vinculis pulmones dyspnœa immedicabilis secuta est, tabe universali, ceu comite individuo stipata. Nam sanguis cum chylo ad cor delatus, atque per venam arteriosam è dextro ventriculo expulsus, cùm vasa pulmonum tot præpedita obstaculis permeare, auræque vitalis (qua sui ad perfectionem indiget) demensum haurire nequiret, labe ex pectoris tabe concepta, mox visus est crassior factus degenerare; imò, ejurata quasi nutriendi provincia, ex obstructionibus in mesenterio, pancreate, omento, liene renibusque obstructiones serere. Donec tandem omnino degener, in diathesin hydropicam, analysi velut spontanea, devergeret. Quibus accedit, quòd ventriculus ipse cum intestinis, intempestivo illo potu valde refrigeratus, chylum deinceps aquosum & nutriendo minus idoneum generaverit; quo tum lactea vasa obstructa, tum mesenterii glandulæ induratæ, ac, ut verbo me expediam, omnis viscerum œconomia subversa fuit.

Dicendum apertius fuisset de obstructionum & scirrhorum ortu ac fiendi modis, nec non unde suum pulmonum & pericardii membranis in crassitie augmentum? Verum hæc observationibus nostris de hydrope anatomicis, ubi phænomena ista frequenter occurrunt, reservare visum est; quas aliquando, ἐὰν ὁ Κύριος θελήσῃ, publico non invidebimus. Istis librum hunc observationum Clar. *Theophili* ornasse dicam an onerasse, satis erit. Ex αὐτοψίᾳ & ratiocinio *Ioh. Conradi Peyeri, Schafousâ Helvetii.*

Observatio LXIV.

Dyspnoea à Pulmonum cum thorace & partibus aliis coalitu.

§. 1. APerui corpus cujusdam ancillæ quæ in chorea, inter saltandum subitanea morte periit: Pulmones ita arctè undique thoracis lateribus adacti inventi, ut vix separari potuerint, unde continua laborabat spirandi difficultate. *Salzmannus observ. p. 46.*

§. 2. Anno 1625. & duobus sequentibus, Pulmonum ad costas agglutinatio in plurimis cadaveribus observara eorum qui suspirio valde angebantur. *Ioh. Rhodius obs. 23.*

§. 3. Aliquando Pulmones coalescunt cum membrana succingente costas, & tunc fit asthma & orthopnœa, insanabilis: Hunc casum vidi in quadam Religiosa. *Herc. Saxonia Pral. Pract. part. 1. cap. 26.*

§ 4. Ferdinando Imperatori Pulmo thoraci adhærescebat per pituitam glutinosam, quæ gypsea postmodum fuit reddita. *Phil. Salmuth. cent. 1. observ. 22.*

§. 5. Anno 1629. dissecui cadaver militis qui fermè per integrum annum languerat fluxu ventris æruginoso, Tussi sicca & insigni Respirandi difficultate: Huic è viralibus dexter lobus Pulmonis costis & diaphragmati erat adnatus, ut invicem continui esse videtentur. Usus sæpe fuerat holothuriis & eorum speciebus, lepore marino & sepiis, quæ peculiari vi pulmonibus sunt infesti. *Iacobus Bontius med. Indor. observ. 7.*

§. 6. Anno 1599. aperui fœminam gravidam, quæ Asthmatica fuerat: Vidi in thorace Pulmonem dextro latere per valida filamenta nervea aliquot locis costis adnatum, Tum & in utroque latere non naturali colore pulmonem insignitum. *Pet Pavvius obs. Anat. 6.*

§ 7. Matrona 73. ætatis anno apoplexia subita opprimitur: Asthmate diu fatigata fuerat: Pulmones arctissimo nexu costis affixi erant, qui vix sine laceratione distrahi inde potuerunt. *Vide tit. de morte subita.*

§. 8. Domina Favre annum ætatis agens 73. morte subita extincta, diu Asthmati obnoxia vixerat.

Referatis pectoris claustris tantam pulmonum cum costis cohæsionem deprehendi, ut inde divelli absque dilaceratione non possent; quæ causa fuit quod asthmate multis annis tentata vixerit.

NOn tamen censeo ejusmodi adhæsionem ex necessitate asthma invehere, cum contrarium deprehenderim in quodam vocato *Marnasson*, cui simili modo annexi erant Pulmones, egregius tamen cursor fuerat. *Iosephus Covilliardus observat. Iatro Chirurgicar. 37.*

§. 9. Aliquando fit orthopnœa ex coalescentia Pulmonum cum costis, ut vix cultro possint separari; Secui ego monachum anno elapso & ita inveni eum.

Hæc coalescentia fit quando Pulmones in magnam excrescunt molem, ob catarrhosam materiam imbibitam, & ita vix moventur & causam præbent coalescentiæ: *Saxonia Panthei lib. 2. cap. 4.*

PUlmonem in pluribus pleuræ connexum, nunc in altero latere, nunc in utroque vidimus: atque hæc Pulmonum in nonnullis cum pleura connexio in causa plerumque est ut medici penetrantia thoracis vulnera nequaquam agnoscentes; (quippe qui hoc Chirurgorum axioma putent, omne thoracis vulnus penetrans extra spirare:) in illis quibus hæc pulmonum connexio cum membrana succingente contigit, possunt vulnere thoracem perforante labo-

laborare, neque tamen spirare vulnus cernitur. *Columbus Anatom. lib.* 15.

Coalescentia Pulmonum cum costis) per fibrosos nexus aliquando connascuntur Pulmones citra dyspnœam, cum scilicet laxa est ea connexio, neque omnium pulmonum partium: At si hæc colligatio ampla & arcta fuerit, ita ut Pulmo immediatè costis adhæreat, molestam spirandi difficultatem etiam in sanis hominibus affert. *N. massa* hanc connexionem cordi utilem censet ne Pulmonum mole prematur, aut spirandi facilitas impediatur. Circa inferiores costas eam præsertim annotavit Clar. *Thom. Bartholinus*, prope diaphragma, ne hoc premerent.

Observatio LXV.

§. 1. *Asthma ob Pulmones per filamenta nervea costis dextro latere accretos.*

ANno 1592. aperui fœminam gravidam, quæ asthmatica fuerat: Vidi in thorace Pulmonem dextro latere per valida filamenta nervea aliquot locis costis accretum: Tum & in utroque latere non naturali colore Pulmonem insignitum. *Petrus Pauvius observ. Anat.* 6.

PEr *valida filamenta nervea*) *Adrianus Spiegelius* Pulmones Diaphragmati nexibus quibusdam fibrosis à membrana, qua integuntur, ortis annecti, eorum quæ superficiem posticam ejusmodi fibris costis & pleuræ adjungi, ut eo facilius motum thoracis sequantur refert. Istæ fibræ *addit*, si breviores fuerint, dyspnœa sequitur incurabilis: *Highmorus* autem hasce fibras pulmones pleuræ annectentes bis tantum in perpetua dyspnœa laborantibus invenit: Putatque eam connexionem esse p. n. à vitiosa in utero formatione, quæ eadem quoque fieri potest à morbo: *Tulpius* l. 2. observ. 17. putat Pulmonem paucis corporibus esse omnino liberum, sed plerumque agglutinari vel huic vel illi costæ, neque tamen evidenter læsi respirationem, nisi accreverit ubique locorum: *Bartholinus* cent. 2. histor. Anatom. 35. ait sæpe pulmones costis visos esse tam firmiter adnatos ut motus reciprocus cessaverit: Avium pulmones lateribus & costis adeo affixi sunt, ut parum admodum dilatari, assurgere & contrahi possint; præ cæteris tamen animalibus non modo facillime respirant, sed vocem etiam in cantu diversimodo modulantur, teste *Harvæo* l. de gener. anim. Exercit. 9.

§. 2. Connexus Pulmonum cum Pulmone strictior per fibras, eos libere (quod vero requirebatur) moveri non sinit; anhelososque, præsertim dum se movent, reddit; Quod quibusdam ab ortu, aliis post casum vel pleuritidem evenisse sectio tandem patefecit, cum alioquin hoc non liceat nisi conjectutis assequi. *Felix Platerus Pract. lib.* 2. *cap.* 4.

Observatio LXVI.

Dyspnœa ob cohæsum pulmonum cum pleura per membranas.

PUlmoni quandoque membranas adnasci, ipsamque pleuræ annectere, ex observatione anatomica satis liquet: attamen tales membranæ, pulmonis cum pleura conjunctivæ, raro præ existunt, *Villis Pharmac. rat. part.* 2. *sect.* 1. *c.* 8.

Observatio LXVII.

Dyspnœa à Pulmonibus putridis & costis adhærentibus.

IUvenis 25. annos natus, ex Dyspnœa, marasmo, vesicæ calculo extinctus fuit: Sinister Pulmonis lobus succingenti membranę, una cum dextro, ita tenaciter adhærebat, ut ad medias putrefactus, & summa puris copia refertus: Sicut & dexter ejusdem lividus plane & ponderosus, vix avelli potuerunt &c. *Febritius Hildan. ex Petri Blandini commun. centur.* 4. *observ.* 50.

HIppocr. lib. 2. de morbis Pulmonis ad latus prolapsum vocat, *Si ait, Pulmo ad latus prolapsus sit, tussis tenet & erecta cervice spiratio, & Saliva tussi rejicitur alba, & dolor ad pectus aut dorsum emergit, & grave quid in pectore incumbere videtur, & dolores acuti pungunt, & sanguis stridet veluti pellis & spirationem prohibet, Et ad affectum quidem latus decubitum sustinet, non autem ad sanum, verum veluti grave quiddam ipsi de latere dependere videtur, & per pectus se transpirare putat*: Vide Salii commentarium in hunc locum: Fit autem hoc malum, vel à causa interna, ab ortu & mala conformatione: aut cum Pulmo, mediante pituita viscida & tenaci interjecta, membranæ thoracem vestienti adhæret: Vel à causa externa, ubi vulnerato thorace, aut facta paracentesi ob empyema, idem contingit, ut etiam à pleuritide: Non secus ac cæteræ partes ob ulcus aut vulnus invicem coalescunt: Hippocr. lib. de locis addite exficcationem à siti, *Lateralis morbus siccus citra fluxionem oritur cum ex vehementi siti Pulmo admodum resiccatus fuerit, gracilis evadit & impotens redditur, & latus præ impotentia inclinatur ipsumque contingit, eoque contactu, cùm humidum existat, ei adhærescit & morbum lateralem facit.*

Obser-

Observatio LXVIII.

Dyspnœa ab insigni Pulmonum cohæsione cum costis omnibus anterioribus.

NOvi Nob. Romanum qui a diuturna capitis destillatione in spirandi difficultatem fine stertore inciderat, atque malo progrediente eo devenerat, ut in alterutrum latus non sine labore & anxietate quadam cubare posset, in dorsum nequaquam, ob ingentissimos dolores & cruciatus quos in spinam jacendo, juxta anteriorem thoracis partem experiebatur: In ventrem autem commodior minusque molestior huic erat decubitus, sed tandem morbi sævitia obiit.

Dissecto cadavere, observatum fuit Pulmones thoracis costis omnibus anterioribus ita pertinaciter hærere, ut nonnisi cultro sejungi possent. *Zecchius consult.* I.

Observatio LXIX.

Asthmatici Principis omnes Pulmonum lobi, intus & extra nigricantes reperti sunt, sanguine nigro turgidi, Cordis sinus infarcti.

ILlustr. Princeps Sexagenarius, bis aut ter in anno catarrho tenui ad pectus fluente, & orthopnœam cum suffocationis periculo pariente, afficiebatur: In thorace omnes Pulmonum lobi, intus atque extra, nigricabant, Sanguine quoque nigro turgebant, substantia visceris æquabili, dextro tamen lobo pleuræ adnato: Cor in utroque sinu substantiam quandam continebat. *Vide tit. de cordis Palpitatione.*

Observatio LXX.

Dyspnœa à Carunculis in bronchii pulmonum exortis.

FAmula cujusdam pistoris quum die quadam lixivium ad linteamina mundanda pararet, factum est ut inter loquendum, capite in ahenum forte prono, ore hiante vapores lixivii elevatos confertim imprudentius intra præcordia receperit, à quibus mox pectoris angustiam sensit, quæ ad septennium usque duravit: Ego quum paupercula esset, experiennibus forte destillationibus hanc angustiam autumans, pilulas ex aloë rosat. lambitivum & sudoriferum præscribo, à quibus nonnihil levaminis accepit: Haud pauco interjecto intervallo, cum fortiora à me remedia quæreret, pilulas illi fortiores & alia præscripsi, à quibus nonnihil opis persensit, sed non diu. Tandem desperabunda usum remediorum omnino neglexit, hinc angustia hac magis magisque negotium facessente, contigit nocte quadam, cum bene saturata de mensa cubitum pergeret, ut tanta pectoris angustia corriperetur quæ suffocationem & interitum produceret.

Corpus aperuimus, pulmonemque colore livido, ad nigrum vergente deprehendimus, absque tamen omni labe, ipso etiam dissecto post asperam arteriam secundum longitudinem dissecuimus, & ecce, quam prope meatus Pulmonum, carunculæ quamplurimæ nigræ, in modum parvarum glandularum, fabarum & pisorum magnitudinem nunc æquantes, nunc excedentes; inventæ sunt, quæ Pulmonum meatus replendo, externo aëri introitum & fuliginibus exitum impediebant: Hæc præterea *diminuta menstruorum fluxione laboravit*, quæ forte angustiam hanc nonnihil auxit. *I. Bilgerus apud Gr. Horstium Tom.* I. *p. m.* 142.

DIminuta menstruorum fluxione) Cui jure merito ille caruncularum exortus adscribi potest: mensibus enim subsistentibus illorum ad thoracicas partes & pulmones plerumque recursus fit, ob *συμπάθειαν* quæ pectori & partes generationi dicatas, in utroque sexu intercedit. *Hippocrates* sect. 1. l. 2. Epid. meminit societatis pectoris, mammarum, & genituræ & vocis: imo observatur consensus pressior cum arteria aspera & collo; In juvenibus puberibus vox mutatur & fit gravior: Ac veneris usu aspera arteria, carotides & jugulares distenti & ampliores fieri dicuntur.

Observatio LXXI.

Dyspnœa excitata à multiplici Pulmonum affectu.

§. 1. GAspato N. Dolor pectoris & respiratio clangosa: Pulmo dexter colore nigricans ad jugulum erat retractus, pleuræ ad claviculam connexus: In sinistro tubercula tophoceam materiam continentia. *Vide lib.* 3. *Tit. de Hypoch. tumore.*

§. 2. J. Arminius, cordis palpitationi obnoxius erat, cui accessit respirationis difficultas &c. in pulmone nihil non aridum ac maculosum, cor magnum sine pericardio: Pulmo bili flavæ innatabat. *Vide tit. de cordis palpit.*

§. 3. Illustr. Marchesia febre continua affecta, cum respiratione frequenti laboriosa & stertore quodam &c. Reperti pulmones pene tabefacti & exsiccati, presertim quoad partem sinistram; dextri multa humiditate excrementitia suffusi. *Vide tit. de lateris dolore.*

§. 4. Puellus crebris anhelationibus ventris inflatione afficitur: Pulmones illi erant flaccidi, & ex una parte purulenti. *Vide lib. 3. tit. de ventris tumore.*

§. 5. Illustr. N. difficultas spirandi; Pulmones utriusque lateris thoraci accreti, ab inflammatione nigri, & integra sui parte materia purulenta undique referti. *Vide lib. 3. tit. de Ischuria.*

§. 6. Virgo biennio ante obitum altum ducebat spiritum: Pulmones illi syderati inventi sunt, maculati, qui compressi saniem & tabum eructabant. *Vide tit. de Phthisi.*

§. 7. Vir Rever. febre continua affectus cum difficili spiratione & dorsi dolore: Repetta est corruptio pulmonis in parte sinistra versus dorsum. *Vide tit. de Febribus.*

Observatio LXXII.

Asthma ab insigni seri copia in thorace.

EX dissectione novimus thoracem repleri sero sanguineo nimio usu repellentium, quod anno 1553. Mercatori cuidam evenit, qui priusquam moreretur laboravit magna anhelandi difficultate: Nihil aut parum exspuebat, tandem vita cecessit, & in thorace repertæ sunt seri amphoræ quatuor.

Id accidisse puro propter laminam plumbeam quam semper gestabat supra pectus, cancroso tumore affectum, & medicamenta fortiter refrigerantia & repellentia quibus usus est, etiam post supurationem: Argumento est sanguinem resudasse in pectus, quia tumor maximus erat, qui detumuit: & longe minor factus est post usum illorum remediorum: Et prius cum non laboraret difficultate anhelandi, ab eo tempore difficulter anhelavit, donec è vita excessit: Serum illud erat sanguineum, i. e. videbatur sanguis paucus in sero dissolutus, nec tale esse quale reperitur in peritonæo & pericardio. *Rondeletius meth. cur. morbos lib. 2. cap. 23.*

Observatio LXXIII.

Dyspnoea ab Hydrope Thoracis & Pulmonum, in quibus aqua spumosa.

HYdrops Pulmonis casus rarissimus est, cujus meminit Hippocr. 2. de morbis, Et ego hunc Hydropem vidi ante annos septem in quodam Clarissimo ex familia Marcella, cui post mortem dissecto inventæ sunt libræ multæ aquæ spumosæ in capacitate Thoracis & Pulmonibus. *H. Saxonia Prælect. Pract. part. 1. c. 26.*

Observatio LXXIV.

Dyspnæa ab Hydrope thoracis & Pulmonum vitio, dextro latere.

BEnjamin de Clerck cadaver postridie à morte, die Augusti x. 1637. apertum fuit, & deprehensum est *latus thoracis dextrum humore aquoso* subrubente, sed non fœtente, *repletum*, ita ut ℔xij: æquaret: Lobi Pulmonis ibi erant omnino flaccidi, vix dimidiam naturalem magnitudinem obtinentes: Vomicæ in iis existebant parvæ quatuor, & una magna ad asperæ arteriæ divaricationem, sed libere fluctuabant lobi, nullis villis pleuræ annexi: Sinistrum latus thoracis vix effatu dignum humorem continebat, ibique pulmo in naturali erat constitutione, sed colore paulo pallidior: Pericardium cordi erat firmiter annatum, ita ut digitis ab ipso sine dilaceratione separari non posset. Substantia ipsius erat potius carnosa quam membranosa, & sextuplo naturali crassior: Cor omniaque ejus vasa nigro liquido sanguine replera erant: In abdomine libræ duæ tantum aquę rubicundę continebantur: Viscera naturalia omnia erant integra, excepto omento, quod marcidum nigricabat, & folliculo fellis, in quo tres erant calculi, quorum major castaneæ majoris habebat magnitudinem, & figuram triquetram in pyramidale fastigium extensam: Duo reliqui phaseoli erant magnitudine, sed figura planiore, & angulosa ac triquetra fere: Omnes erant tophacei, leves, exterius nigricantes, interius lutei & mediocriter solidi, sed non adeo ac renum aut vesicæ calculi esse solent: aquę injecti non natabant, ut multi scribunt, sed subsidebant: nec dissolvebantur aut aquam colorabant: In eorum majore apparebant circuli corticales sibi insidentes, ex agglutinatione sensim facta, sicuti in vesicę calculis per agglomerationem & adhęsionem contingere solet. *O. Hurnius observ. 6.*

VT *multi. scribunt &c.*) Fernelius Pathol. lib. 6. c. 5. *Latus thoracis humore aquoso repletum)* Ex Lympha è Thoracis vasis Lymphaticis lateralibus obstructis, mox & ruptis, effusione, atque

atque per tegentem costas membranam in Thoracis cavitatem penetratione Hydropem Thoracis plerumque, si non semper ortum habete censet *Sylvius de le Boë* Pract. l. 1. c. 50. Lympham autem, duplicem facit, unam Glandulosam, aliam à musculis aliisque partibus, ex spiritibus animalibus eo delatis ac superstitibus ortum habentem: Utramque *ait* confusam per eadem vasa Lymphatica pergere ad ductum lymphæ chyloque communem, ac per universum thoracem ad dorsi spinam situm, ideoque Thoracicum vocatum, donec tandem exoneretur omnis in venam Iugularem, Axillaremvè sinistram, ubi sanguini conjuncta descendit cum ipso per cavam venam superiorem ad dextrum cordis ventriculum: Hic naturalis Lymphæ per vasa Lymphatica Ductumque Thoracicum motus lædi potest 1. quando in totum, vel quodammodo saltem impeditur. 2. Quando alia via & alio quam versus dictas venas movetur Lympha: Si unquam in totum impeditur ejus motus per Ductum Thoracicum, diu non putem superfuturum ægrum. In totum impediri potest per plura vel pauciora Lymphatica vasa Lymphæ motus, imprimis ob eorundem obstructionem, factam à pituita glutinosa per ejusdem vasa delata, inibi concrescente ac coagulata: Deferri solet pituita glutinosa per vasa Lymphatica, quoties ipsa in tenui intestino, præsertim ab aëris æstu qualicunque, corporis motu vehementiore, potu spirituoso aquosovè, imprimis tepido vel calente, copiosius ingurgitato solvitur, & primo quidem per Lact. as venas, mox & Ductum Thoracicum sanguini confunditur, ac postea cum ipso una quaquaversum, ergo ad Conglobatas quoque Glandulas, hinc & vasa Lymphatica propellitur: Coagulari solet pituita eadem in vasis Lymphaticis, frequentius ab aëre externo, pluvia, aqua frigida, sive quoque quovis modo superficiem corporis molesto frigore afficientibus, ac simul fluida quævis facile coagulabilia in ipso ubivis coagulantibus atque ad concrescendum cogentibus. Quodammodo impeditur Lymphæ motus per vasa Lymphatica, tum quando ipsa est glutinosior, adeoque ad motum lentior ac ineptior, tum quando ex parte compressa, vel quovis modo alio angustata sunt vasa ipsa: Quoties in vasis suis obstructis subsistit, & magis magisve acumulata nimium ipsa distendit, & tandem rumpit Lympha, toties eadem in loca vicina, vel cavitates propinquas effunditur, atque tunc alia via, & alio quam decebat, movetur Lympha: Ex hac Lympha è Thoracis vasis Lymphatici lateralibus obstructis, mox & ruptis effusione, atque per tegentem costas membranam in Thoracis cavitatem penetratione *Hydropem Thoracis* plerumque, si non semper ortum habere censeo: Prævenietur vasorum Lymphaticorum in Thoracis interioribus obstructio, cavendo 1. ne corpus nimium incalescat, Et hoc si caveri nequeat 2. ne Thorace denudato idem mox refrigeretur, ac per consequens pituita fusa, & quaquaversum diffusa potenter in vasis variis, ergo & Lymphaticis concrescat & coaguletur: Curabitur eadem obstructio si quanto citius, quando locum habuerunt causæ ipsius memoratæ, atque metus est ne notatum malum fuerit productum, assumatur simul ac semel, aut vicibus partitis sudorifetum attenuans & incidens, quale præbent aquæ Thericales plures: Vasa Lymphatica rupta, postquam obstructione notata fuerint medicamentis laudatis liberata, consolidabuntur sponte, sicut observamus evenire in vasis sanguineis, cum conglutinandi vi præditum sit cujusvis partis alimentum proprium, quippe plus minus tenax & glutinosum: *Hydrops Thoracis* cognitu admodum difficilis, utut satis frequens: Curabitur tutissime (post præmissam Lymphaticorum vasorum obstructorum reserationem, ac consolidationem, quo ipsius non foveatur amplius) continuato tam per laudata medicamenta, quam per stupham siccam sudore, sicque paulatim evacuatis per corporis poros aquis, p. n. in pectore stagnantibus: Quibus si nihil efficiatur, & de Thoracis hydrope satis constet, non video cur non liceat per acum argenteam cavam, in Thorace innoxiam instituere paracentesin: Ex tali namque vulnere parvo nihil periculi imminet ægro.

Lobi Pulmonis omnino flaccidi, vix dimidiam magnitudinem obtinentes, vomica in iis &c.) Indicia diminutæ & depravatæ ipsius nutritionis: Læditur enim, quando *diminuitur* vel *aboletur*, & ipse plus minusve contabescit; 2. Quando ip a *depravatur*, & substantiam consistentiamque acquirit naturali duriorem, compactioremve, aut contra molliorem flaccidioremque, aut etiam inequalem &c. 3. si id contingat, quando nimis augetur.

Observatio LXXV.

Hydrops thoracis sinistri, cum crassitie pleuræ in eo latere.

IN cadavere adulti vidimus hydropem pulmonis: erat in sinistra tantùm thoracis cavitate collecta maxima copia aquæ limpidissimæ, ad mensuram ferme situlæ unius: nec erat imbibita in aliquo membro, sed continebatur in cavitate thoracis: Etatque in ea parte thoracis pleura admodum crassa & callosa, Et similiter pulmones, mediastinum, septum transversum & Lien erant callosa fere. *Franc. Michinus observ. 7. appendicis ad Fallopii comm. in lib. Galeni de ossibus.*

PEctoris regionem Hydrope nonnunquam affici, & certo & multiplici indicio plane constat, nam[illegible] ud in vi[illegible]nibus aquarum fluctuantium sensus ac sonitus, inque defunctis [illegible] evidentissime demonstrant: Attamen circa morbi hujus causam, & fiendi modum, quibus nempe viis, & quali ritu dispositis aqua sum intra thoracis specum aggestio primo incipiat, dein sensim augeatur, & sæpenumero insensim, donec morbus deploratus evadit, continuetur, res adhuc in abstruso latet: Si quando hydropis, aut anasarcæ affectus generalis existens, & carnes & viscerum cavitates, ubique, aut plerisque in locis occupaverit, nihil mirum est si aquarum istarum illuvies etiam pectoralia occupabit: attamen propterea interdum accidit regionem thoracicam, aut primo aut solummodo inundari, cæteris interim partibus

bas ubique satis sanis, aut secundario tantum læsis: Circa morbi hujus ortum, & generationis modum valde ambigitur, undenam, & per quos ductus, aquarum illuvies uspiam intra thoracis specum reperta illuc perveniat. Authores nonnulli eam desuper, videl. à capite per tracheam descendere: aliique scatrriginem ejus ab infra derivantes, à cavitate abdominis, quandoque item ab hepate vel liene, aquas istas in pectoris cavitatem, per vias nescio quas cœcas deferri statuunt: Verum neutra ex his sententiis, aut assensum nostrum vendicat, aut elenchum meretur: nullus enim sanguinis & humorum in corpore transitus perpendens, aut hanc aut istam commeatus viam agnoscet: quin vero statuere oportet humorem serosum, hydropem pectoris excitantem, illuc pervenire aut specie vaporis, qui à præcordiis & thoracis partibus exhalatus in aquam facile condensatur: Vel 2°. serum illuc deponitur sub propria forma, quatenus nempe è vasorum, scil. arteriarum osculis reseratis, in cavitatem istam exudat: Utrum Lymphæductus, au Chylifer alicubi aperti, aut disrupti, morborum istum quandoque pariunt disquiretur: Quoad prius, in tantum probabile est hydropem pectoris à vaporibus intra specum ejus condensatis nonnunquam exoriri, ut mirum videatur quomodo uspiam secus habeat, aut quispiam à tali affectu immunis degat: Quantum enim vaporis est, quod à sanguine ebulliente decedit, cumque in præcordiis iste insignius defervet, qui fieri potest quin vapor copiosus in claustro hoc, velut sub alembico conclusus in aquam condensetur? Et quidem non facile erit determinare, cum halitus vaporosi intra pectoris specum ita perpetim aggerantur, quid de iis fiat, quomodo absumantur, aut exinde foras ablegentur: Profecto dicendum erit eos vel thoracis parietes penetrare, vel (quod potius videtur) in pulmonum poros insinuari, adeoque inter exspirandum avolare: Utraque sane via vapores thoracici exhalare possunt; & forsan si alterutra deficiat, aut præpediatur, propterea Hydrops pectoris accietur. 2. Verum insuper opinari subest morbum hunc etiam modo altero, (videl. quatenus serum serum sub propria forma è vasis exudat) interdum contingere: Enimvero in constitutione corporis cacochymica, aut valde scorbutica, ubi sanguis aquosus & subitilis serum superfluum è compage sua passim dimittit, & ab arteriarum osculis etiam laxis & patentibus ubique ejiciens circulationis filio excludit, nihil usitatius est, quam cavitates, nec viscerum, non & præcordia, imo & cerebrum ipsum illuvie aquosa inundari: Porro in tam generali ad hydropem diathesi, regionem hanc modo istam vel alteram, primo & nonnunquam fere tantum occupari: quandoque item penetralibus intactis, carnes exteriores, scil. musculos, eorumque interstiria, ab illuvie serosa inundari: 3. inter vasa materiem hydropicam in pectoris cavitatem infundentia, Lymphæductus & Tubi chyliferi merito in suspicionem veniunt; Ad priores quod spectat, autopsia anatomica constat ingens horum satellitium totos pulmones perreptare, atque ab exterioribus eorum oris citerius latos, versus ductus thoracicos tendere, iisque laticem suum, quem à sanguine arterioso superfluum ubique absorbent, maxima ex parte infundere: Si quando igitur hæc vasa obstruantur, aut quoquomodo à munere suo defungendo impediantur, necesse erit aquarum in pectore aggestionem fieri, quæ postea in pectoris cavitatem decidentes, regionis istius hydropem excitabunt: Enimvero hac lympha in compagem pulmonarem restagnante, sæpenumero accidit vesiculas hydatidas dictas, in extima hujus visceris superficie excitari, quæ postea disruptæ, & aquas in thoracis cavitatem dimittentes, ibidem Asciten producunt: *Hujusmodi affectio inovibus, quando ob tempestatem humidiorem, & pascua aquosa ab hydrope gregatim intereunt, passim cernitur*: & quidem nonnunquam in homine pectoris asciten à tali causa procedere sequens historia plane arguere videtur.

Nuper adolescens satis sanus & robustus, venationi, equitationibus improbis, aliisque corporis exercitiis quantumvis immodicis, dudum impune assuetus, tandem in thorace plenitudinem, seu velut inflationem quandam persensit: in tantum ut pulmonis latus sinistrum intumescere, & cor extra locum suum dextrorsum protrudi videretur: ea namque ex parte pulsatio ejus maxime percipiebatur: Postquam in hoc statu aliquandiu perstiterat, quodam die cujusdam quasi vasis intra thoracis cavitatem disrupti sensum habuit: indeque per semihoræ spatium in regione ista humoris velut abalto in pectoris fundum cadentis, stillicidium non tantum ab eo percipi, sed etiam ab adstantibus audiri potuit: Quanquam affectus hujus raritate primo attonitus esset, quia tamen exinde quoad vires, appetitum somnumque, aliaque naturalia satis recte valeret, mox denuo securus & medicinæ negligens evasit: postmodum vero à corporis motu, inclinatione aut agitatione quavis, in latere sinistro aquæ intus aggestæ fluctuatio ab ipso persentiebatur; quin etiam ab aliis motus & sonitus evidentissime: tum tractatu tum auditu percipiebatur: Hinc cum extra dubium fuerit Dom. insignem pectoris hydrope tunc affici, ita verisimillimum videbatur morbum istum ex eo originem duxisse, quod lymphæductus ad pulmonis latus sinistrum spectantes, prope insertiones suas in ductum chyliferum primo obstructi, ad molem insignem intumescerent, & postea disrupti humorem suum in thoracis cavitatem extillarent. Quando nunc præcordiorum, arcisque adeo vitalis inundatio immineret, randemque vit egregius sibi medendum ratus medicinam adiir, & curationis ergo pharmaca quædam turi sumpsit, sine ullo tamen fructu notabili: Deinde Londinum adveniens primo D. D. Lovvet consuluit: Hic thoracis apertionem, quasi unicum remedium proponens, me quoque in consilii partes adsciscí curavit: Dein statim communi consensu lateris sectio decernitur: itaque post factam totius provisionem, Chirurgus inter sextam & septimam vertebram cauterium applicuit, & postridie foramini in pectoris cavitatem facto canalem indidit, quo facto statim liquor crassus, ac instar chyli albescens, & quasi lacteus effluebat: Hujus prima vice

vice tantum sex circiter unciæ detrahebantur, & postridie tantundem: Die tertio, cum paulo major quantitas exire sineretur, magno statim languore affectus, & dein febricitans per diem unum aut alterum male habuit: Quapropter donec temperiem & vires recuperaret, materiæ istius exitum inhibere visum est; postea vero ejusdem evacuatione tantum parca quotidie facta, pectoris cavitas fere in totum inaniebatur: adhæc vero canalem cum epistomio in foramine gerit, quo semel nycthemeri spatio aperto, humoris usque tantillum emanat, aliaque exercitia prius assueta satis vegete obit: Pharmacia haud multa eit usus, aut opus habuit: Post sectionem cardiaca temperata sc. pulverem perlarum, lulapia & quandoque hypnotica, & postea decoctum traumaticum quotidie bis sumendum præscripsimus. Hac methodo, & medicamentorum formulis aliquandiu continuatis, Vir insignis temperiem, vires, corporis habitum, imo & pectoris immunitatem recuperare visus erat, usque tamen cannam argenteam in lateris foramine (è quo ichor quotidie effluxit) gerebat; cumque post aliquot menses hac subtracta fontanella occluderetur, intra pectoris specum ejusdem humoris, per sonitum & fluctuationem perceptibilis aggestio fiebat: deinde vero cum recurrente morbo idem recurreret remedium, proindeque lateris apertio decerneretur (forte naturta hoc Chirurgi munere defungente) ea sponte obveniens, materiæ ad erumpendum apta exitum præbebat: Iamque necesse incumbit ad præcavendam pectoris illuviem, foramen istud quasi lacunam constanter patefieri. Ex his constare arbitror pectoris Asciten, quandoque ob vasa lymphatica intra pulmonem disrupta exoriri: nec minus dubito quin idem affectus etiam à ductibus chyliferis, intra thoracis cavitatem diffractis exoriri possit, attamen tarius &c. *Villis Pharm. rat. p. 2. s. 1. cap. 13.*

Thoracis pleura admodum crassa) quod in pleuriticis cadaveribus animadvertere licet, de culpo crassiorem & syderatam in iis se vidisse ait *Riolanus Enchir. Anatom. lib. 3. c. 4.*

OBSERVATIO LXXVI.

§. 1. *Dyspnœa à thorace aqua sanguinolenta pleno.*

Fuit Ingolstadii vir doctus, qui quod incautior esset in victu, & studiorum graviorum occupationibus detineretur quotidie, raroque exerceretur, sensim in cachexiam inciderat, quæ hyposarcam in propinquo esse denuntiabat: Solicitus de salute me & plurimos consuluit: Etsi autem venter, qui prius subtumidior videbatur, factis purgationibus convenientibus humorum mole sublevaretur, tamen spiratio difficilis tam non diminuta est, ut etiam sensim augeretur. Itaque cum diu hæc affectio protracta esset, tandem hic vir optimus suffocatione periit, cujus demortui thoracem cum aperiremus, animadvertimus (quod & ante suspicabamur) thoracem aqua sanguinolenta esse omnino plenum, ita quidem ut ea exempta, libras quatuordecim exæquaret: Ex qua frequentem aparere hunc hydropem, si modo advertatur, conjici facile potest. *Ex Oethæi observationibus.*

Factis purgationibus) Mirum serum in pectus & pulmones effusum purgationibus non cedere, cum idem in habitum extra vasa illapsum remeare possit, quod in me aliquando sum expertus, cui à seri fervore & orgasmo in caput facies adeo intumuit, vix ut ejus particulæ aliqua superessent lineamenta, quæ tamen protinus, & ad primam sedem subsedit, alsumptis pulv. rad. Gialapæ ℈ij. ut eadem die in prandio assidere mensæ potuerim, nullo superstite tumoris vestigio: Sed experientiæ refragari nefas est, Testis *Crado* apud *Scholzium* consl. 4. In morbi *ait*, pectoralibus tutissimum est abstinere, à medicamentis purgantibus re ipsa comperi &c.

Cerebrum universum aqua perfusum, & thoracis dextri spatium aqua vi distentum &c.) Dyspnœa, pulmonum & thoracis vitio singulari ac socio excitatæ, causas egregie reddit *Thomas Willis Pathol cerebri cap. 12.* Dyspnœæ, *ait*, affectionem quandoque pulmonum vitio accidere facile credimus, quoniam αὐτοψία anatomica plane detexit: nam si colluvies serosa ingens, in thorace deposita, pulmones plurimum infarcit, illorumque poros omnes & meatus in tantum obstruit, ut in circuitu impeditus vasa pneumonica haud libere pertranseat, propterea quidem taliter affecti nullo non tempore anhelosi fiunt: Deinde quoties sanguis, ab exercitio aut calore lecti plus incalescens & rarefactus, pro circulatione sua intra pulmones spatium amplius requirit, tunc statim à tali occasione respiratio creberrima, sive paroxismus asthmaticus cietur: Si præter hanc morbidam diathesin pectoris, etiam massa sanguinea latice seroso abundans, subitis fluxionibus & seri effervescentis apta fuerit, hinc etiam ob violentum seri effervescentis, in pulmones prius obstructos & valde oppletos incursum, non raro istius morbi insultus graviores & pene suffocativi eveniunt. Porro interdum præter asthmatis radices, uti dictum est, circa præcordia defixas, ejusdem morbi germina quædam ab ἐγκεφάλῳ pullulantia, prioribus occurrunt, cumque iis complicata, immaniores dyspnœæ fructus producunt: Nam siquidem pulmonibus sero oppletis, ejusdem amplius in sanguine redundantis quantitas alia, particulis spasmodicis imbuta, capiti suffundatur, eadem nervos pneumonicos promptius quam alios subiens, asthma thoracicum prius simplex & moderatum, periodice vehemens & convulsivum efficit.

Thoracis dextri spatium magna vi aquæ distentum &c.) Ex Lympha è Thoracis vasis Lymphaticis latetibus obstructis, mox & ruptis, effusione, atque per tegentem costas membranam in Thoracis cavitatem penetratione, Hydropem Thoracis plerumque, si non semper ortum habere censet *Sylvius de le Boë Pract. l. 5. c. 50.*

§. 2. Quidam in Cachexiam (vide lib. 3.) cum difficili spiratione incidit, & sensu ponderis: Thorax universus aqua plenus repertus est.

Observatio LXXVII.

Dyspnœa ob Hydropem Pulmonum & Thoracis.

Sexagenatio maxima erat Dyspnoea & Pulsus inæqualitas: Pulmo & Thorax aquaplenii in venti sunt. *Cardanus de causis & signis morborum.*

Observatio LXXVIII.

Dyspnœa ab insigni Hydrope thoracis & Pulmone putri.

Thomas N. febre nocturna laborabat cum anhelitus difficultate pene suffocante: In thorace aderant serosi humoris putris libræ Parisienses decem: Pulmo totus putrilaginosus. *Vide tit. de Tussi.*

Appendix.

Thoracis Hydrops sine Dyspnœa.

Virgo brevi morbo sublata est: Dissecto thorace, ab utraque ejus cavitate confertim aquæ virosæ magna effluxit copia ad libras IV. mirum quod orthopnœam, vel saltem dyspnœam; viventi non invexerit, aut fluctuationem non prodiderit. *Vide tit. de Phthisi.*

An forte confluxus subitus lymphæ in thoracem factus fuit ob disruptum vas aliquod, aut exesum à pure? Fidem facere videtur morbi brevitas, & forte mors subita, inducta suffocatione.

Observatio LXXIX.

Orthopnœa ab hydrope pectoris dextra parte, Pulmonibus retorridis & pure prægnantibus cum defluxione a capite.

Exemplum Asthmatis convulsivi & Pneumonici.

Uxor Nobiliss. N. initio Februarii anni 16.6. eam spirandi difficultatem sensim incurrit, quæ tandem evidenter gravis, crebra sublimisque esset & cum erecta cervice, sed inæqualis; de nocte scil. plurimum, sed diversis horis ingravescens, modo prima vigilia, modo 2. aut 3. pro vario canæ prüinæ casu, at de die remittens de sua vehementia: Huic difficultati palpitatio cordis sese adjunxit, à qua pulsus non admodum depravaretur, sed increbesceret tamen & minueretur admodum, adeo ut in ἀκμῇ paroxysmi prorsus in brachio sinistro delitesceret: Quartana Nobilem mulierem magnam superioris autumni partem detinuetat satis, vehemens illa quidem, continua siti urens, & ad frigidæ potum largum & frequentem quotidie cogens: Superiores hyemes totas coryza tussisque negotium exhibuerant, sed hoc tempore acrius infestare cœperunt: Prurire quin etiam erubescereque præter modum nares partésque confines, ac sanguis ex iisdem grumosus sæpe stillare; uti & in morbi decursu pustulæ aquosæ os fœdare, & aqua ex dormientis ore continuo diffluere, denique caput gravari & sternutatione frequenti concuti: Cum igitur adeo manifesta essent capiplenii & catarrhi in pectus indicia, atque propinato medicamento phlegmagogo gravis illa dyspnoea tantum cepisset levamentum, ut ægra itare per domum, prope sui juris facta, posset; ecce de repente tertio die, sub crepusculum & primam vigiliam, dyspnoea ingravescere adeo vehementer cœpit, ut in suffocationis periculum pene venerit: Exinde dyspnœa, & præsertim de nocte gravior non destiterit opprimere, sed ita ut per insignes temporum mutationes valde semper angeret ac prope suffocaret per aliquot dies, deinde vero mitius, sed premeret tamen: Febris interea non dare quietem, etsi levis admodum, sed tamen siti vigiliisque fere perpetuis comitata, Lingua autem nigra quidem, non tamen arida, & urinæ perpetuo decolores, h. e. aqueæ, seri lactis, sed non exquisite depurati instar, & sedimento carentes, nisi quod aliquando purulentum quid in imo subsidebat; Cùm hic status rerum esset toto quadragenario, vomitus inde urgere cœpit, & de nocte fere quotidie, non solum assumptorum ciborum, sed & aquæ sinceræ, cui, quanquam non cessanti, sese post octiduum diarrhæa etiam aquosa & diuturna sese adjunxit. Notandum ab initio fere morbi universum caput cachexiam evidentem præ se tulisse, abdomenque, sed præcipue hypochondrium dextrum, disten-

tum

tum apparuisse, & maxime pedes, qui sedenti præsertim adeo immanem in modum intumescebant, ut aqua per eurem quasi tralucere videretur, nedum fluctuantem eam tactu deprehendere erat: Ad hæc accessit circa deliquium Lunæ, Maii initio, soporosa affectio & insolens, quæ apoplexiæ aut lethargi non inanem metum mihi injecit, nam vix exacto dimidiato die apoplexia gravis & lethalis ingruit.

Dissecto cadavere *Cerebrum universum aqua totum perfusum* repertum, & thoracis dextri spatium magna vi aquæ distentum: quinetiam nonnihil aquæ in imo abdomine collectum repertum: Apparuit præterea substantia Hepatis, & utriusque Renis, omnino decolor & albida: Pulmones ipsi retorridi & multo purulento tabo prægnantes reperti, alterque è pulmonibus fere torrefactus & corruptus totus inventus. *Carolus Piso de morbis à Sero sect. iij. cap. viij.*

VEhementissimæ ex se & immedicabiliis dyspnoeæ causas haud facile fuit in tanta symptomatum heterogeneorum multitudine distinctè cognoscere: Mihi tamen singula expendenti, præter catarrhum è capite satis manifestum, duo detecti alii longè graviores affectus, licet ex se obscuri, scilicet hydrops thoracis, & tumor viscerum ac præsertim dextri, phlegmonodes: phlegmonodes quidem affectus tecmiria habui febrem continuam, etsi valde mediocrem, quasi latentem, tumorémque hepatis non obscurum, & occasiones externas, terrorem scilicet vehementem & horrorem triduanum: Hisce scilicet ex causis sanguis sponte in viscera, & præsertim hepar recurrit, simúlque vehementer compulsus fuit, ut crassiore parte resistente in iis tumor non mediocris fuerit excitatus, isque brevi scirrhosus per resolutionem aquæ in eo partis, scilicet factam ab incendio febrili: nam reliqua aquosior portio magna ex parte, tum compulsa ab iisdem causis redundavit in vasa magna, despumavitque & irruit in thoracem, unde similiter hydrops quoque thoracis sequutus, sive quod natura sibi invenit vias, ut loquitur Hipp. 6. Epid. cœcáque per spiracula sibi apprime cognita, aquam redundantem refundit, ut sæpe alia recrementa, sive quod aquosus humor, una cum sanguine leviter è vasis ebulliens, resudat sub vaporis forma ex iis, imo ex membranis, sive pleuræ sive pulmonum, iisque superatis mox in amplo eo spatio, remisso calore, ad ingenium redit aquæ, non aliter atque è cute ipsa quicunque vapor aqueus abire solet. Sive quod idem serum è finibus extremorum vasorum per amplas thoracis membranas decurrentium, sub propria forma & sensibili exilit, exundátque confertim in thoracis cavum, vel in intestina ipsa, ut hydrops abdominis & diarrhœa aquosa satis indicant: Hujus autem hydropis pectoris tecmirium fuit exacerbatio dyspnoeæ, sive primo somni tempore, sive quotiescunque serum semel ibi collectum, aliquem conceperit fervorem, aut vi temporum mutationum subinde ingruentium, aut per animi pathemata & præsertim iram: nam alias sponte defervescente sero, minor erat molestia, præsertim quod dextrum tantum latus aqua scateret, ut decubitus & quies in eo uno non difficulter arguebat. Probabile igitur priorem illam difficultatem fuisse catarrhi sobolem, ex se evidentis, sed secundam longe graviorem, illi adhuc superstiti supervenisse censeo, per seri è vasorum stipitibus decubitum & confluxum in thoracem, sensim ab ambientis inclementia, toto triduo quo se crepusculo & frigori externo exposuit, illatum: accedit quod verosimile est è pulmonibus, multa aqua epota prægnantibus (cum ex Hippocr. pulmones æstuantes epotam aquam affatim imbibant) non minimam ejus partem percolasse exudasséque in inane spatium thoracis: Serosæ autem pleonexiæ, sive illius quæ defluit è capite in pulmonem; sive illius quæ è toto habitu pulmonibusque ipsis irruit in thoracem medium, causæ perevidentes fuerunt, partim error externus, partim corporis constitutio calida sicca, tum nativa, tum adscititia, ratione febris præsentis, & forte empyreumatis quartanæ: scilicet potus aquæ vel gelidæ profusissimus tota hyeme quotidianus & frequens uberem materiam illi dedit: Notum autem sanguinis massam copioso supra modum sero diffluere in calidis siccis naturis, & præsertim quartanariis, quibus perpetui quippe sudores, urinæ copiosæ sputitióque assidua: Cum igitur serum plurimum redundaret, suppressum ab hyberno frigore, & sensim ab intemperante potu auxisset, quid mirum tanta corpus pleonexia serosa corpus laborasse, quæ omnes ventres & habitum prolueret inflarétque & *cachexia* defœdaret: confirmarunt ejus præsentiam *stillicidium è naribus sanguinis*, & sanguis è vena secta eductus, tum vero *aqueus vomitus, diarrhœa, aquosa*, & imprimis dissectio cadaveris, Nam & *cerebrum universum aqua perfusum fuit*, unde Soporosi affectus supervenerunt, iique tandem lethales: Et *thoracis dextri spatium aqua vi distentum*, quin etiam ejus nonnihil in *abdomine collectum*: nam probabiliter major portio aquæ, quæ prius collecta erat in abdomine sensim depluit *in artus* singulis diebus, quod ipsa sedere potius cogeretur quam jacere: *Substantia* autem *hepatis & utriusque renis omnino decolor & albida fuit*, An quia depluvium aquæ, ejusque lentæ, assiduum, floridum viscerum colorem, una cum calore insito corrumperat extinxerátque; *Pulmones* autem ipsi *retorridi & multo purulento tabo prægnantes reperti*, scilicet verosimile est, saltem sub finem morbi, reliquias sanguinis irruisse in anhelantes pulmones & ibi putruisse tandem, unáque ab ejus inquinatione computruisse parenchyma pulmonum; nam *alter è pulmonibus fere torrefactus & corruptus totus inventus. Idem ibidem.*

Observatio LXXX.

Asthma ab aqua utramque Thoracis cavitatem replente.

NObilis N. temperamento impensè calido, & annorum aliquot supra lxxx. sensim gravi spirandi difficultate opprimi cœpit, & ea quæ de nocte potissimum negotium exhi-

exhiberet, scilicet cum primum somnus eum de more teneret, tum de subito suffocatio somno interrupto senem excitabat ut invitus è lecto surgere, & simitu ad fenestras cubiculi confugere, liberioris aëris naribus apertis captandi gratia cogeretur: Videre erat Senem inflammata facie spiritum ex alto citantem, scapulis palpitantibus & nullibi locorum consistentem placide, & vel rigidiore hyeme ab omni foco maxime aversum, imo dio sese ultro exponentem, ab ea tamen angustia sensim sine sensu, die procedente liberiorem fieri, præsertim post meridiem, sed succedente somno iterum affectio recurrebat & urgebat pariter optimum senem: Jam autem unum & alterum annum ita mire suspiriosus vixerat, ut animam in dies, aut potius in noctes agere videretur: Medicis, quos ille consuluerat, aliis Incubum, aliis Sonticum morbum opinantibus, sed tandem morte non immatura excessit è vivis.

Chirurgus mortuum dissecans reperit pulmonem præcordiàque in plurima aqua septis thoracis interclusa, innatantia. *C. Piso ibidem cap. vij.*

EGo attente anhelitum illum intuitu, multaque per una maur alteram horam apud me meditatus super causis tam pertinacis angustiæ, & quotidianum circuitum præ se ferentis, conclusi tandem humorem illum, sive bronchia ipsimque pulmonem occupantem, sive medio in pectore potius stagnantem, ejusmodi esse ut somni quidem tempore, per palindromen spiritus vitalis in præcordia refluentis, novum conciperet quendam fervorem, adeo ut cum ita effervescens, spatio veluti suo contineri ut ante non posset, pulmones comprimeret necessario, itaque motum liberum interciperet: fervore aut. m eo sensim quiescente per se, spiritu scil. è præcordiis in habitum corporis, ut fit in vigilantibus, refluente, tum pulmones spatium liberius recuperare, ægrumque sic spirare non tanta cum angustia: Eum porro humorem unum serosum esse posse, sive aqueum, qualem videram olim semel & iterum in dissectis corporibus: Quare summa rationationis meæ adducta est eo tandem, ut dyspnoeam illam singulis noctibus urgentem, & de die nonnihil remittentem, in hydropem thoracis rejiciendam esse apud me statuerim. Cum autem affectum diuturnum & gravissimum, nondum attritis adhuc viribus primo quoque tempore corrigendum esse ratio juberet, corpus statim repurgandum præscripsi, & consului ut aperiri sibi permitteret latus alterum, ut sensim aqua illa educta animam liberiorem duceret æger: Quod consilium meum tardius quam par erat cum audisset Chirurgus, nimium ægro blandiens, hic interim excessit è vivis. *Idem.*

Observatio LXXXI.

Asthma à thorace universo aqua pura & stupenda copia repleto, cum Hepatis tumore.

REverendus N. primo antumni frigore febre & catarrho in pectus decumbente correptus, exactis sex septimanis circiter utcunque revaluit, sed die natalis Domini aquilonia tempestate desubito sæviente, cùm sacri pervigilii celebrandi causa media de nocte domo exiisset, ab horrore longo in febrem rursus ac dyspnoeam gravem incidit, quæ somnum abrumperet, nec nisi sedenti & erecto spiritum ducere permitteret: Ego tum insignem in hypochondrio utroque, sed præsertim dextro, tumorem, febri vehementi conjunctum cum deprehendissem, non aliam, ut ingenue fatear, dyspnoeæ causam sum suspicatus, quàm evidentem illam diaphragmatis compressionem à distentis nimium visceribus.

Sed in demortui cadavere, ix. die à recursu febris præter *Hepar* tumidum, induratum, retorridumque, & *pumicis instar hiulcum* ac poris distinctum, universus thorax aqua pura plenus inventus & in stupenda copia. *C. Piso de morbis à sero cap. vij. sect. iij.*

VI frigoris ambientis sanguis à prægressa febre adustus, in viscera præcordiàque, ceu sanguinis fontes, impulsus, ut horror diutinus pulsusque indicauit, parvus adeo per quatriduum, ut venæ sectionem, ab urente febre alias insinuatam, prorsus dissuaserit: impulsus inquam sanguis in vasis substiterat, sed serum in thoracis medium spatium longe latèque è vasis exudarat: quam seri copiam stupendam auxisse probabile est epotam ptisanam, largius pridie mortem, ab anheloso scil. fed æstuoso pulmone attractam immodicè, ut urina tum suppressa penitus arguit, Animadversione autem digna fuit in Rev. viro resolutio utriusque brachii, jam à principio recursus manifesta: quam tamen tribui debere fluxioni à capite non improbabile tum fuit, quod catarrhus priori febri se adjunxerat, facileque is commutari potest cum stupore brachiorum: Hic, ut reliqui hydrope thoracis laborantes, pariter ægerrime respirabat circa primam vigiliam, nec se loco continere poterat, non solum ob motum febris vespere recrudescentis, sed ob fervorem aquæ thorace delitescentis: *Idem ibidem.*

Hepar pumicis instar hiulcum &c.) *Fernelius* Pathol. lib. 6. c. 8. hydropis ascitis causas inquirens, ait eum sæpe accidere quia viscerum substantia siccitate humorisque penuria, ceu rimis quibusdam dehiscit, eorumque ambiens membrana diffringuntur, ut non amplius tenue serum continere possit, sed id renum more elabi sinat, atque sensim quasi ex fissa olla stillare in vacuum abdominis spatium. Hic igitur merito quis quærat, cur cum Hepar Viro Reverendo repertum fuerit tumidum, induratum, retorridum, (febris prægressæ progenies) pumicis instar hiulcum ac poris distinctum, Cur inquam ascites non successerit præsentibus causis? Abfuisse indicio est quod in imi ventris apertione, prodeuntium vel exeuntium aquarum nulla fiat mentio: Demum Dyspnoeæ causam Clar. Piso non in solum thoracis hydropem & hepar tumidum rejecisset, Cum inter hydropis ascitis signa dyspnoea recenseatur à presso diaphragmate. Hydro-

pis rhoracis causas adscribit Vir Clar. fluxioni à capite illapsæ. An non potius seri ex abdomine in thoracem confluxus incusandus? Revera hydropis abdominis causa frequentissima & efficacissima adfuit, scilicet Jecoris siccitas & scirrhosa constitutio; Si ergo serum in imo ventre non repertum, sed plurimum in Thoracis cavo, illinc huc migrasse conjecturæ locus est, eo forsan ob febris vehementiam illectum & translatum: De viis non anxie sollicitus erit, qui præter ξυῤῥοίαν decantatam, vasorum lymphaticorum Jecoris, quod alterum eorum principium est) cum vasis lymphaticis Thoracis communionem agnoverit; quorum illa forte, nonobstante hepatis vitio, integra permansetunt: hæc vel rupta, exesa aut alio modo viriata fuere, ut hinc repletus thorax fuerit.

Observatio. LXXXII.

Orthopnoea à sero fœtido capacitatem thoracis replente, pulmonibusque sphacelatis.

HEnricus Appleton mense Julio 1664. cœpit conqueri de orthopnoea, cujus occasione somnum capessere non poterat, sed semper erectus ambulare cogebatur, nisi forte in cathedra sedens prono pectore paulisper aliquando quiesceret, ut præ nimiis vigiliis summam virium jacturam sit passus: pulsus interim satis robustus, lentus & æqualis erat, appetitus mediocris & urina laudabilis, nec omnino sitiebat, unde viscerum tum naturalium tum vitalium integritas significabatur: postquam aliquamdiu laborasset, ego vocatus cùm intellexissem illum continua quidem dyspnoea detentum, ea tamen præcipue affligi cùm ad somnum se componeret, Hydropem pectoris adesse pronuntiavit: Multa illi præscripta fuerunt alterantia & hydragoga, necnon topica pectori applicata, sed in Emeticis præcipuum experiebatur levamen, fugax tamen illud & parum permanens, nam intra unum aut alterum diem relabebatur: hidrotica, quia in lecto recumbere non poterat, non præscripsimus: Narravit autem uxor superiore hyeme illum gravi catarrho laborasse, quo sponte evanescente scrotum illi tumuisse eum tumorem topicis quibusdam applicatis, citra catharsin aut aliam totius præparationem disparuisse: Hinc conjecturam feci serosum humorem catarrhi materiam primo à pectore ad scrotum metastasi facta, tandem *à scroto ad pectus palindromen* fecisse, ut facilis & frequens partium spirabilium cum genitalibus consensus, & è contra: quare dum adhuc viscera essent incorrupta, apertionem lateris ad seri eductionem, ut in Empyemate fit, consului: Sed illo id remedii genus aversante, suasit ut saltem in utroque inguine permitteret excitari fontanellas, post cucurbitulas & vesicatoria frequenter ibidem applicata, ea spe ut serum à pectore ad scrotum, eadem qua ascenderat via remearet: Sed interea dum in levioribus tempus teritur, sitis intendi, appetitus prosterni, pedes tumere, pulsus in crebrum, debilem, intermittentem mutari, morte non ita multo post sequuta.

Cadaver apertum, capacitatem thoracis sero fœtente refertam, pulmones sphacelatos, ventriculum & hepar putria & livida conspectui exhibuit, sero ob diuturniorem in thorace moram putrescente, & putrilaginis contagium primo vicinioribus, ac tandem etiam remotioribus visceribus communicante: *Edmundus de Meara in histor. Medicis rarioribus p. 136.*

A Scroto ad pectus palindromen, &c.] Consensus Testium est magnus 1. cum hypochondriis, in intestinis, ventriculo, hepate & liene 2. cum corde, 3. cum pulmonibus, mammis & 4. thorace, cum aspera arteria & collo, 5. cum auribus, 6. cum oculis, 7. cum cerebro & nervis, inquit *Moebius* Fundam. med. Physyolog. p. 398. Eum qui cum Thoracicis partibus intercedit ostendit *Hippocr.* 2. Epid. sect. 1. Quum Testis inquit intumuit à tussi, memoriam renovat societatis pectoris, mammarum, genituræ & vocis; Id est, explicante Vallesio, instrumentorum genitalium, quæ sunt uterus, testes & virile membrum; Et vocalium, quæ sunt imprimis larynx & nervi recurrentes; deinde & thorax & omnia instrumenta respirationis: Horum consensio & communio multis significatur indiciis: Mutatione vocis ex usu veneris & ex testium defectu: Intumescentia mammarum, ex suppressione menstruorum: gracilescentia earum in abortu, & mutua passione thoracis & testium, qua scil ex tussi sicca & antiqua intumescit Testis, & ex illius intumescentia fit Tussis: Illa vocalium cum genitalibus communio est manifesta in venis, quæ de mammis descendunt per musculos rectos abdominis & committuntur cum ascendentibus ex utero; Et in nervis sextæ conjugationis, eadem enim mittit surculos quosdam in Testes & producit nervos recurrentes.

Observatio LXXXIII.

Dyspnoea à sero cruento loturam carnis referente, thoracem replente.

NOranda historia D. Briçonnet: diu laboravit, erat catarrhosus difficultas spirandi; Alii referebant ad ζύμωσιν τῦ χυμῦ μελαγχολικῦ, Alii ad pulmones: Pulsus erat inæqualis & valde inordinatus & perturbatus: Interiit repente.

In thorace magna quantitas reperta est aquæ cruentæ loturam carnis referentis: Unde hoc & quomodo factum fuerit, non est facile conjectura assequi: *Ballonius Epid. & Ephem. lib. 7. pag. 217.*

Ζυμώσιν

Ζγμώδω τῷ χυμῷ μελαγχολικῷ.) Aliquando vapores & flatus ab imis visceribus exurgunt sepeumque comprimunr, unde asthma flatulentum exoritur: Humor præsertim melancholicus, hypocondriis conceptus, uberem flatibus materiam suppeditat, hinc melancholia flatnosa κατ' ἐξοχὴν dicitur, quia ab hypochondriis est, asthmate flatulenrum vel hypochondriacum nominatur: *Aretaus* inter signa asthmatis immanentis, flatus in præcordiis, & eructationes præter rationem enumerat.

Observatio LXXXIV.

Asthma à sero cavitatem pectoris sinistram replente, lixivio simili.

Vixit in aula Imperatoris *Marchio de Finali*, Is per omnem fere ætatem prospera usus valetudine, robusto & procero corpore, circa extremum, ultra 50. annum, multis & variis affectibus conflictatus fuit, nunc catarrhis, nunc scotomia, nunc melancholia, nunc pedum inflatione, nunc hydropis suspicione, postremo etiam Dyspnoea: multa tentata remedia, sed calor naturalis actuare ea nequivit: ita respiratione intercepta, cum nequicquam expuerer, suffocatus obiit, cubans ut plurimum in sinistro latere.

Dum cadaver exenterabatur, in ventre inferiore nihil vitii conspectum fuit, sed pectoris sinistra cavitas aqua purpurea referta fuit, lixivio substantia & colore simili, qua spongia exhausta, aparuit in pulmone ulcus grande cum cineritio ichore: dextra pectoris cavitas naturali formæ per omnia respondebat. *Ex Iohannis Aicholtzii observationibus.*

Observatio LXXXV.

Asthma à pure in thoracis parte dextra contento, septum deprimente & pulmonis, ulcere, cum abdominis hydrope.

Sutor nostras anno 1586. Vir annor. 30. apertus fuit, pituitosus, *hydrope ratione asthmatis causato* periit; Is antequam tumere venter inciperet, in regione dorsi latere dextro, tumorem habuit carnosum, non recedentem à calore cutis, quem Tonsor cultello incidit, quo aperto nihil nisi aqua effluxit per aliquot dies, postmodum vulnus curatum fuit: Sed cum tussi vehementi divexaretur, pedes cum ventre tumere inciperent, dyspnœa adesset, Medicorum consilio usus, tandem & meo, exhibitis iis quæ videbantur ad morbi curationem palliativam potius facere, per certa intervalla melius habere cœpit, mox recidivam passus periit.

Abdomine aperto, quatuor vasa ænea tonsorum aqua repleta citrina effluxere: *Viscera omnia in abdomine* contenta satis commode habebant, solo omento excepto: Diaphragma verò non ab hepate sursum comprimebatur, sed à materia in thorace contenta præter modum deprimebatur: Thorace aperto *purulentæ materiæ vasa tria* ænea repleta effluxere ex latere dextro, cujus lateris pulmo totus ea pus abierat, sinistro integro persistente & satis commode se habente: Hinc asthma, hinc tussis, hinc hydrops, ex pulmonis ulcere dependentia omnia. *Gaspar Bauhinus de Observat. propriis.*

Viscera omnia in abdomine.) Hinc constat hydropem abdominis aliunde ortum quam à vitrio jecoris, quod sæpe accidere suo loco videbitur.

Solo omento excepto.) Quod in morbis longis vitiatum semper observatum.

Purulenta materia vasa tria &c.) Empyema nunquam primario & per se incipit, sed aliorum morborum haud rite judicatorum fere semper productum est: Ratio formalis, sive causa conjuncta, materia est purulenta è pleura, aut pulmone, (sicut Præsenti in casu) aut larynge in cavitatem thoracis effusa: Circa materiam morbificam quædam disceptatio est, quippe alii hanc merum pus, aliique non hoc, sed materiam purulentam esse contendunt, in qua opinione est Io. Heurnius, qui materiam purulentam pro Empyematis causa statuens, inter hanc & merum purumque pus distinguit, asserens hoc fieri, *ab humore nutritio sanguineo hoc est, ab ipso sanguine aliquatenus corrupto, sed pepasmi cepaci: materiam vero purulentam humorem excrementitium, vid. serum* aut *ichorem esse*, quia sanguine inter circulandum alicubi præpedito & obstructo provenit: Hinc observate est de abscessu, qui pus verum & laudabile exhibet, cum plerumque compactum, undique conclusum, & vel cysti, vel privatis quasi mœniis obvolutum esse, deinde postquam maturus, & disruptus humorem contentum effundit, cito ac facile sanari: verum abscessus materiam purulentam præbens nidum suum non ita constipatum & parietibus obseptum, sed plerumque inæqualem & sinuatum obtinet, atque disruptus saniem potius quam pus effundit, dein ob perennem humoris excrementitii scaturiginem ægre sanatur. Quanquam autem istam puris & materiæ purulentæ distinctionem haud improbamus, tamen nec solummodo hanc, nec semper istud Empyematis causam conjunctam esse statuimus: cum hic morbus pleuritidi simplici succedens, ab apostemate in latere suppurato & disrupto oritur sæpissime purum merumque pus est, quod in pectus decidens morbum istum parit: Sin succedat peripneumoniæ (nisi pulmonis vomica intercedat, materies ichorosa, circa plegmones locum aggesta, post coctione crassescens, pulmonis unitatem solvit, & tandem membranam investientem perforans, inque thoracem exundan

dans Empyema producit: Ista materia purulenta potius quam merum pus dicatur. *Willis pharm. rat. part. 2. sect. 1. cap. 10.*

Hydrope ratione asthmatis causato.) Ab humoribus scilicet crudis & serosis à venoso genere per arteriam pulmonarem in pulmonem translatis, qui si ad bronchiorum canales profluant, verum asthma cum sterrore inducunt: Si verò in pulmonum substantia, vel in lævibus arteriis subsistant, asthma spurium sine stercore generant.

Observatio LXXXVI.

Asthma à triplici hydrope inductum, Thoracis, Pericardii & Abdominis.

Vir temperamenti laudabilis, ann. 32. cùm aliquandiu potationibus nimiis indulsisset, præserrim vino Gallico stillatitio, paulatim in gravia incidit symptomata, Dejectus ciborum appetitus, adaucti dolores hypochondriorum, maxime sinistri, anhelitus difficulter reciprocatus, *urina* cum redderetur, *turbida & pauca*: sanguis scorburicus, superne viridis, glutinosus, serum ejus multum & quasi croco tinctum, somnus vel nullus vel parcissimus: Occursum fuit tot malis sanguinis missione repetita, emetico, catharticis, vino medicato & per epicrasin operante, diureticis, antiscorbuticis, chalybeatis, aliis. Incassum universa: invaluit violentissime asthma & dolor sinistri hypochondrii, quibus tandem succubuit, & corpus suum post fata Anatomicorum ferro obtulit.

In aperto cadavere quæsirum statim hypochondrium sinistrum, ubi mox in conspectum prodiit Lien, justa magnitudine quadruplo auctior, durior naturali temperie, & nigra quadam amurca hinc inde distentus, cui vicinissima costa suprema notha, & illa viriose distorta labem aff icuerat. Intestina superiora lividiuscula, & gangrænam minantia in aquis turbidis natabant, vero hydropis abdominis argumento: Hepar tamen cætera sanum, nisi quod justo durius esset; In pectore novus se calamitatis fons aperuit, enimvero & pulmones parvi, exsucci, flaccidi, & si ultimos margines excipias, semiputridi, aquis fœdis copiosisque innatabant, &, quod stupori proximum, pericardium ita ampliatum distentùmque, ut tres libras, & quod supe at, acris turbidique liquoris sinu suo complecteretur: Acrimoniam confirmabat non tantum astantium & degustantium lingua, sed & miseri cordis externa facies, quippe non modo membrana cordis propria absumpta erat, sed & exterior caro cordis, ab humoris illius vi profunde exesa, in lacinias & villos carneos putrescentes abierat, reliqua substantia interiori contracta, flaccida & marcescente. Idque eo magis mirum, quod de cordis dolore æger nunquam conquestus fuisset, sed tantum de Asthmate & hypochondrii sinistri dolore: Credibile ipsam cordis carnem, sublata membrana vestiente, non esse admodum sensilem: Incumbebat vivus dextro hypochondrio ægerrime? sinistro facilius, ideo haud dubiè, quia incumbens dextro lateri, pondere illo gravissimo vastissimi lienis, sentiebat intestina affecta gravari: contra sinistro incumbens, ab epate sano nullum adeo doloris sensum percipiebat: Quia autem Pulmones, & ab aqua in cavitate pectoris hærente, quæ ad iv. libras excreverat, premebantur, & ab amplissimo illo distentoque humore pericardio, hinc asthma illud intolerabile profectum: Ita in uno corpore juvenili, & hydrops abdominis deprehensus, & pectoris & pericardii, mala quæ vix ipse curasset Æsculapius. *Olaus Borrichius in Actis Medicis Th. Bartholini annor. 1671. & 1672. Observ. 89.*

Urina turbida.) Hinc Sennerti sententia confirmatur, qui Asthma interdum fieri air ab humoribus crudis & serosis à venoso genere per arteriam venosam in pulmones translatis; qui si ad bronchiorum canales profluant, verum asthma cum sterrore producunt: Si in pulmonum substantia, vel in lævibus arteriis subsistant, asthma spurium generant: Comprobatur præsertim opinio ex conditione urinarum, quæ crassæ & turbidæ esse solent, præsertim in paroxysmo, quia humorum crassorum & crudorum, in venis agitatorum portio ad renes & vesicam transfertur. Vide plura supra.

Observatio LXXXVII.

Variæ Pulmonum læsiones cum Hydrope Thoracis, Empyemate.

Nobil N. (*de quo tit. de ventris dolore lib. 3.*) In cavo thoracis habuit serum corruptum, biliosum, fœtidum, unde Respiratio difficilis: Pulmonum corpus magnum, flaccidum, conspurcarum hinc inde maculis nigris ad exrra; gangrænæ signum certum, &c. *Vide lib. 3. tit. de ventris dolore.*

Virgo ann. xiv. brevi morbo sublata est, ante biennium tamen altum ducebat spiritum: In thorace aqua repe ta, Pulmones syderari cum rabo, Pleura & musculi intercostales vitiati. *Vide tit. de phthisi.*

Puella septennis febricula irregulari, Variolis (Rossaliis dictis) affecta, cum dyspnoea, pectoris pondere, &c. Pectoris cavitas aqua citrina referta erat: Pulmones ambo lividi & gangrænosi: Sinistro dissecto apparuit abscessus, &c. *Vide l. de Febribus.*

Uxor

Uxor N. Ascitica pridie mortis dyspnoeam cum raucedine persensit. In sinistro pulmone sano lapillum reperi· Dexter quibusdam locis adhærebat succingenti tunicæ & diaphragmati. In utroque thoracis latere multum seri. *Vide lib. 3. tit de ventris tumore.*

Nob. cum febre incidit in pectoris angustiam, dyspnoeam. In pectore serum sanguinolentum copiosum: Pulmone sanguine crassiore scatebant. Extremis eorum partibus induratis & nigricantibus. *Vide tit. de Febribus.*

Nobili cœpit venter subito quandoque intumescere cum summa Dyspnoea. Pulmones erant inæqualiter colorati, & ex parte viriosi, integri tamen, è quibus sectis cruor ater & pituita prodibant; fibris costis, sinistro præsertim latere, adnexi erant. Thoracis cavo aqua quoque inerat. *Vide lib. 3. tit. de ventris tumore.*

Jac. de Vala (*de quo tit. de Hæmoptysi,*) conquerebatur de difficili respiratione: Ex mortui thoracis cavitate aqua copiosa valde effluebat: Substantia Pulmonum firmior erat, & à flatibus distenta: Multum sanguinis nigricantis & coagulati in substantia hærebat: Costis annexi erant, præsertim sinister. *Vide Tit. de Hæmoptysi.*

Sartor Asthmate diu laboraverat: In thoracis cavitate dextra aderant aquæ libræ xv. Pulmone ex ea parte consumpto. *Tit. de Phthisi.*

Sexagenarius per quadriennium initio lævi, post gravi pectoris angustia detinetur. Aperto mortui thorace, mox aqua ex viridi citrina cum impetu prosilit: Pulmo multis maculis nigris variegatus occurrit, quo dissecto sanguis nigerrimus profluit. *Vid. tit. de morte Subita.*

Nob. puer ex febre continua decubit cum difficili spiritu, sublimiori quam pro febris ratione. Reperta vomica in dextro pulmone, universam simul dextræ partis thoracis pleuram occupans. In cavitate thoracis dextri plurima aqua citrina. *Vide lib. de Febribus.*

Uxor D. N. nata patre pulmonico, concepit, peperit; à partu substiterunt lochia, febris, dolor lateris sinistri, ægre spirans, frequens spiritus. Pars sinistra pulmonis magna sui parte tabuerat; Purulenta materia continebatur illa thoracis parte. *Vide tit. de Phthisi.*

Juvenis vulneratur prope claviculam dextram, & prope scapulam sinistram. Sanguinem exspuebat, & Difficultas spirandi urgebat. In cadavere ingens inventa copia materiei purulentæ, sinistram thoracis cavitatem occupantis; quæ diaphragmati incumbens respirandi difficultatem auxit: Pulmo sinister inusitatæ erat parvitatis, sed sine manifesto vitio. *Vide lib. 4. tit. de Vulneribus.*

Observatio LXXXVIII.

Asthma ab hydrope thoracis parte dextra, Pulmonis consumptione ea parte, & vomica.

Sartor quidam Patavii asthmate diu laboraverat, tandem medicamentis utitur, sed frustra; in primis vero in sinistrum latus cubare non poterat, & pulsus semper erat formicans: De causis symptomatum cum D. Valthero varie pugno, moritur tandem subito.

Cadaver aperio, & in thoracis cavitate dextra heminas aquæ reperio ad minimum duas, h. e. libras xv. pulmone ex ea parte prorsus consumpto, ut ne tantillum de ejus substantia restaret: aderat simul vomica instar ovi gallinacei: vasa erant plane purulenta: Pulmo interim sinister integerrimus, & pericardium plenum aqua, unde Pulsus formicans exiterat. *Ph. Salmuth centur. 1. Observat. xiii.*

Observatio LXXXIX.

Dyspnoea ob varium partium thoracicarum vitium.

In φθιώδῃ corpore aderant indicia hecticę cum putrida, & Dyspnoea dextro potissimum latere: Dexter pulmo tumidus repertus, quo inciso, sanguis spumosus, crassus effluebat. Divisis bronchiis, alba materia fere tota referta erant. *Vide tit. de Phthisi.*

§. 2. Ill. matronę (*de qua lib. 4. tit de Febrib.*) Respiratio fuit difficilis, phthisicorum similis. Pulmones omnino erant aridi & scirrhosi: bronchia viscido humore obstructa: Trachea arteria arida & aspera.

§. 3. Puella cum tussi continua expiratione laborabat: utrique pulmones tenacis & spumosæ pituite glutine costis coaliti inventi sunt: superjacens Thymus plane osseus erat. *Vide tit. de Tussi.*

§. 4. Joh. le Mire querebatur de dolore ad nothas costas; Respiratio difficilis cum magnum spirare cogeretur: Pulmo illi erat amplus, thorax angustus, semiputris pulmo à medię partis inflammatione, contumaciter lateri dextro adhærens. *Vide tit. de lateris dolore.*

§. 5. Adolescens à pueritia gibbo & asthmate fuit vexatus, tandem phthisicus obiit. In dissecto cadavere reperta vitiosa spinę figura: Vertebrę quædam carie exesæ, quarum fragmenta

Pulmo-

Pulmonis substantiæ infixa erant, cum ulceribus Pulmonum callosis. *Vide tit. de Gibbositate.*

§. 6. Virgo (*Vide tit de morte repentina.*) gibbosa, ad minimum motum anhela erat: Pulmones erant lividi; pituita viscida circumfusi, cum pure multo in parenchymate: Spina dorsi contorta pulmones comprimebat.

§. 7. Diu anhelantem spiritum quidam circumtulerat: orta contentione vapulat, xiv. die moritur: Pulmo sinister computruerat totus; scatens pure fœtido: Tunica externa pleuræ adnata: Sana pars superstes ponderis ℔ v. civilium *Vide Tit. de Phthisi.*

§. 8. Vir Nob. multis annis fuit phthisicus & Asthmaticus: Pulmones dextri lateris duplo erant majores solito, sinistri pleuræ & costis accreverant, quorum interiora plena erant sanie, pure & scirrhis. *Vide lib. 1. Tit. de cap. dolore.*

§. 9. Dom. N. Phthisicæ Respiratio semper fuit difficilis: Dissecto mortuæ corpore inventi sunt Pulmones putres & costis adherentes, cum ulceribus variis. *Fernelius conf. 21.*

§. 10. Adolescenti (de quo lib. 1. Tit. de Phrenitide) in levi febre, difficilis erat respiratio, cum faciei, maxime genarum rubore, &c. Illi Pulmonis partes dextræ lateri contumaciter adhærebant, plenæ vomicis, rabo & pure.

§. 11. *Dom. Fr. Sylvius* fœminam aperuit, quæ anhelosa fuerat & asthmatica ab octo mensibus, ob menstrua ab 18. mensibus suppressa: Illi pulmo costis undique annexus, luridi coloris & distentus: Ex dextro lobo aperto sanguis profluebat copiosus, stagnans ibidem ob obstructiones. *Vide tit. de Phthisi.*

§. 12. Ill. puellus trimus febre acuta prehenditur cum gravi anhelitu: In sinistra parte abdominis occurrit magna diaphragmatis propendentia instar sacci, à torali suppuratione sinistri lobi pulmonis. *Vide lib. 4. Tit. de Febribus*

§. 13. Chirurgo renum & dorsi doloribus diu vexato, tandem Dyspnoea supervenit: In sinistro pulmonum lobo copiosissimus inerat extravasatus sanguis: Diaphragma perforatum. *Vide lib. 3. Tit. de Lumborum dolore.*

Observatio XC.

Variæ Partium thoracicarum læsiones coaffecto corde.

§. 1. Juvenis diu Dyspnoea fatigatus cum marasmo, Thorax apertus exhibuit utrumque Pulmonis lobum pleuræ tenaciter annexum, putridum, purulentum: Dextrum lividum ponderosum, cum variis cordis & partium vicinarum vitiis. *Vide Tit. de Phthisi.*

§. 2. Filia D. N. febre correpta fuit cum febre intermittente, sicca tussi, Dyspnoea. Inventus est Pulmo colore albicante, costis undique & diaphragmati adhærens, tum etiam pericardio: Cor media fere sui parte exesum atque exulceratum. *Vide Tit. de Hæmoptysi.*

§. 3. Puero trimo ferebatur ab humido capite tam frequens distillatio in pulmones, ut inde contraxerit summam spiritus difficultatem: Pectus erat aqua refertum: Pulmones flaccidi, & sinistra Cordis auricula variis ulceribus exesa. *Tit. de Syncope.*

§. 4. Mulier asthmatica tympanitica obiit: In cordis dextro ventriculo substantiam pituitosam viscidámque reperi, ovi vitello similem: Pulmo in dextro latere per valida filamenta nervea aliquot locis costis adnatus erat. In utroque non naturalis color. *Vide lib. 3. tit. de ventris tumore.*

§. 5. Quidam ita abundabat flatibus, ut superveniente orthopnoea cum strepitu per os erumperent: Inventi Pulmones flatu distenti: Inter magnæ arteriæ ramum, & venæ arterialis radicem, carnea excrescentia insignis. *Vide Tit. de Syncope.*

§. 6. Dom. S. palpitationi cordis ac paroxysmis asthmaticis diu obnoxius fuit: Asthma cum ingruebat liberiorem aërem quærere cogebatur. Pulmones erant maximi, quibus dissectis apparuit materia saniosa: lobus dexter costis cohærebat. Circa auriculas cordis adnatum erat corpus carneum vel membranaceum. Inter duas meninges collecta erat seri copia. (*Tit. de morte subita.*)

§. 7. Joh. N. crure dextro mutilus percepit obrepentem subito respirationem difficilem cum anhelatione, ut suffocationis periculum immineret. Posteriores pulmonum lobi, ad dorsum positi atro succo, atramento simili, turgidi erant ac subtumidi; Dexter cordis sinus sanguine turgebat. *Vide Tit. de Suffocatione.*

§. 8. Illustr. N. ascite detentus cum oris ventriculi dolore & respirandi difficultate: Latuere in abdomine xvi. mensuræ aquæ, In thorace quatuor. Epar erat durum, scirrhosum. Cor bovino majus erat, totam thoracis cavitatem replens. In sinistro ejus ventriculo inventi duo Polypi. *Vide lib. 3. tit. de ventriculi dolore.*

§. 9. Iohanna N. variis à nativitate morbis obnoxia fuit: aderat angustia pectoris & respirandi difficultas: Substantia pulmonis materia putulenta erat imbuta; Sinistra parte ob spinæ incur-

incurvationem compressa: Pericardium permagnum, diaphragmati in medio tenaciter annexum. *Vide Tit. de Phthisi.*

§. 10. Dom. N. palpitatione cordis laborans, tandem & Dyspnoea affectus est. Pulmo totus sanguine multo refertus erat: cordis ventriculus uterque sanguine plenus, caruncule aderant in sinistro. *Vide tit de cordis palpit.*

§. 11. Ill. N. (*l. 3. tit. de ventris tumore*) orthopnoeaum cum suffocationis periculo sepe incurrebat: Omnes pulmonum lobi, intus & extra nigricabant: Lobus dexter pleuræ adnatus, Sanguine nigro turgebat. Cor in utroque sinu substantiam quandam continebat.

Observatio XCI.

Asthma à cordis præternaturali magnitudine ortum.

Quidam difficulter spirabat, anhelus erat, macruerat, Omnes accusabant Pulmones. Aperto cadavere nil commemorabile in Pulmone repertum: *Cor*, quod admirabile, *majusculi capitis magnitudinem* æquabat: adeo increverat, *ut omnis sanguinis & spiritus eo facta sit σύῤῥοι & συνδρομὴ. Ballonius Epid. & Ephem. l. 2. p. 144.*

Omnis sanguinis & spiritus facta sit σύῤῥοι) Quod & contingit cum à nimio labore & vehementiori corporis motu respirationis actus valde intenditur, ut spiritus fere deficiat ac sæpe delinquere periclitetur. Ratio est, quoniam à validis exercitiis sanguis in cordis sinus plus nimio cogitur, qui ne ipsum suffocet, sed in pulmones exantletur, respiratio valde crebra & anhela instituitur.

Cor majusculi capitis magnitudinem) Causam assignat *Idem* consil. 2. lib. 3. Pulmo, *ait*, præ angustia thoracis corde æstuante majus refrigerium requirit & attrahit sanguinem, cum non sufficiat inspiratio exspirationi, hinc Cor dilatatur, id quod in multis observatum est: Cor enim calidius effectum aut oppressum, multi aëris indigens vehementer movetur, & inferuè aërem nequiens attrahere, sanguinem valide attrahit: sanguis vi attractus, & copiosior quam par sit, imo quodammodo cumulatus & conculcatus, opprimit & vasa distendit: Hanc affectionem veteres medendi magistri, barbaro sed apposito nomine Sanguisugum vocavere; partes enim hirudinum modo alliciunt & attrahunt: Deinde Cor vehementius & celerius movetur majoris refrigerii ergo & pene animans suffocari videtur, & veluti καρδιωγμοὶ adsunt, attracto multo sanguine, & corde perspiratum non habete, &c.

In ventre inferiore nihil vitii) Cum tamen pedum inflatio & imminens hydrops suspicionem latentis in eo vitii præbere debuerint: Sed notandum ex *Galeno* cap. 11. lib. 2. de Dyspnoea, sæpe ob difficilem respirationem, causa ipsa thoracem non egrediente, dolorem oboriri in partibus ventris, aut in ventriculo ipso: Et tunc male Medicos partibus dolentibus manum applicare, cum dolor oriatur ex eventu, quia nimirum pendentes aut agnatæ partes ventris inferioris, instrumentis respiratoriis trahantur in consortium partium superiorum: Et vice versa, Thoracem sæpe dolore ob affectum imi ventris, per meram sympathiam. Sic *Quercetanus* adnotavit Pleuritidem ortam à vermibus in intestinis: Hypochondriaci de dolotibus laterum & pectoris sæpe sunt queruli. Vide tit. l. 3. tit. de ventris dolore historiam *Capivaccii*, imi ventris viscera phlegmone laborare censeutis, quæ post obitum illæsa reperta, morbi fomite in pectore consistente.

Observatio XCII.

Respiratio difficillima & laboriosa, à Polypis ingentibus in sinubus cordis, & Pulmonibus sanguine stagnante infarctis.

Filiolus Nobiliss. Comitis, circiter decem menses natus, antea satis sanus eodem morbo obiit, postquam ille per 4. aut 5. dies tussi cum febricula laborasset, subito deterior factus, respiratione crebra & laboriosa, lingua sicca, magna inquietudine & jactatione totius corporis afficiebatur: quibus symptomatis fere continuo infestantibus, intra biduum extinctus est.

Cadavere aperto, viscera imi ventris sine culpa, Thorace inspecto pulmones sanguine stagnante infarcti, discolores, scilicet purpurei, inque multis locis nigricantes apparebant: erant tamen abscessu, tumoribus, aut ichoris suffusione satis immunes, ut illorum affectio febris productum potius quam causa videretur: Dum vero hanc, & lethi adeo subiti occasionem sedulo timamur, tandem corde dissecto, in sinubus ejus Polypi ingentes, concretionibus adiposis similes, inque omnes arterias exporrecti, earumque cavitates obstruentes reperiebantur: Novi insuper ante aliquot annos, puerum alium triennalem, propter eandem causam morbificam subito, ac fere improviso diem obiisse. Quin etiam suspicari fas sit plurimum aliorum morbos, aut mortes vulgo dentitioni, aut lumbricis imputari solitas, à tali cordis affectione procedere. *Idem ibidem.*

OBSERVATIO XCIII.

Respiratio difficillima & anxia, cum cordis oppressione, à Polypo cordis in arterias Pulmonicas illapso.

Memini in adolescentula Polypum cordis post morbillos acceptum, & in arterias Pulmonicas illapsum, eas fere in totum, (ut ex cadavere postea dissecto apparebat,) obstruxisse, ut hinc sanguis intra dextrum cordis sinum aggestus, & ultra progredi non valens, maximum illic gravamen & oppressionem, cum respiratione difficillima & maxime laboriosa intulerit: Puella autem postquam tres dies continuo hujusmodi agone conflictata jacuerat, facultate animali sensim satiscente, & demum attrita, expiravit. *Th. VVillis Tractatu de Affect. Hystericis & hypochondriacis.*

OBSERVATIO XCIV.

Difficilis respiratio ob adhæsum Pericardii cum Corde, & defectum humoris in eo.

EN habe observationem raram ac prorsus admirandam, Decessit nuper post puerperii labores Ill. Dn. D. Halincourt, Proregis in Gallia Lugdunensi conjux: cujus rimato cadavere, cordis illud involucrum quod Pericardium dicitur, cordi ipsi adhæsisse, humoréque illo naturæ providentia, ad ejus irrigationem & refrigerium instituto, vacuum fuisse repertum est: Res stupenda profecto: & nemini antea quod sciam observata: Persensit sane illa ex humoris istius inopia evidentia incommoda. Nam æstuans perpetuo aërem captabat frigidum, Siti molesta torquebatur, ne tenuissimi etiam tegumenti patiens, pectus nudabat: quinetiam à fervidiore corde concalefactis pulmonibus, in eorum bronchia attractis atque extorrefactis humoribus, Difficili Respiratione laborabat, Quæ symptomata nulli alii causæ potius quam pericardii ariditati imputanda sunt. *Philibertus Saracenus Epistola ad Hildanum, cent. 4. Observ. 32.*

OBSERVATIO XCV.

Respiratio sensim deficiens à Polypo cordis ventriculos obsidente.

D. D. Zacharias Mannagetta, in anatomia Publica Parisiis, demonstratum vidit Polypum utriusque ventriculi cordis, cujusdam hominis lenta morte, respiratione sensim ac sensim absque causa manifesta deficiente extincti: dexter major sinistro, uterque magnitudinem fabæ non excedebat, suum vero prope valvulas & orificium cordis obtinebat.

D. *Theod. Kerckringius* observ. 73. p. 145. ejusmodi de Polypos pro pseudopolypis agnoscit, Dubito, *ait*, vidisse ullos verum polypum cordis aut aliarum partium: Servo ejusmodi quos vocant Polypos ex variis partibus collectos (unde ibidem depingit pseudopolypum arteriæ venosæ, hepatis, dextri ventriculi cordis) nihil aliud sunt quam sanguis qui post animalium mortem refrigeratus & grumosus redditus, durusque ex corde, hepate, aliisque partibus, extrahitur, in varios ramos divisus, prout ubi in variis cavitatibus hæsit, qui polypo narium ita similis est, ut prima fronte prorsus appareat idem: Sed cum similes polypos in animalibus formare possim quoties libuerit, non ægre ferent docti, qui putarunt id genus morbi fuisse in vivis, cujus in mortuis orta est aliqua similitudo, ex concreto in variis cavernulis sanguine, qui concrescit ob admixtionem acidi peccantis humoris: Experimentum fieri potest si cani vive vena secetur, eique spiritus vitrioli infundatur, coagulabitur statim sanguis, & putatirios faciet Polypos.

OBSERVATIO XCVI.

Dyspnoea à materia p. n. in cordis auricula dextra, & pinguedini simili in sinu dextro.

PUella palpitationi cordis & asthmati obnoxia, tabida obiit, Huic fuit auricula cordis dextra prætumida, cui inerat materia quædam alba, membranosa, crassa, oblonga: In sinu cordis dextro materia pinguedini similis.

OBSERVATIO XCVII.

Dyspnoea ab induratione Pericardii & sinistræ cordis partis.

ILlustr. Schonbergius (*Vide tit. de Suffocatione*) à longo tempore difficultate respirandi laborabat: Illi membranea & carnea omnis pars, quæ sinistram cordis regionem tegit, & ad

& ad flabellationis assiduæ usum dilatatur ac comprimitur, ex immodico calore tota ossea evaserat.

Observatio XCVIII.

Dyspnœa à Pulmone sanguine referto carunculis in sinistro ventriculo.

DOm. N. decubuit, cum difficultate spirandi laborare inciperet, & tibiæ inflatæ apparerent: Pulmo totus sanguine multo refertus visus: In sinistro cordis ventriculo inventæ carunculæ rotundæ. *Vide tit. de cordis Palpitatione.*

Observatio XCIX.

Dyspnœa à pericardio crassiori, cordi undique adnato.

VXor N. per tres vitæ ultimos annos anhela fuit: Pulmones satis sani reperti, Sed cordi toti pericardium arcte accreverat: Porro hæc membrana veluti callosa fuit. *Vide tit. de Synope.*

Observatio C.

Respiratio læsa à Polypo cordi innato.

MOmma Baxius, repente occisus à morbo attonito, (*Tit. de Soporosis affectibus*) in sinistro cordis ventriculo Polypum gerebat, qui constabat ex alba ac concreta pituita, inclusa membraneo involucro, & inhærens suis radicibus carneis fibris cordis, assurgebat bifido trunco obturatum non minus arteriam aortam quam venosam, quarum viarum obstacula, impedimenta fuere ne deinceps vel aërem libere attraheret vel fuligines debite expelleret cor, &c. *Tulpius lib. 1. Observ. cap. 27.*

EXperientia constat vasa sanguinem deducentia adeo impleri & obturari, ut ejus hinc cursus intercipiatur aut retardetur: Id aliquando sanguinis concretiones grumosæ ac velut carneæ efficiunt cordis sinus & vasorum majorum radices opplentes, imo & nonnunquam vasa minora, ejus commeatum omnino prohibentes Ejusmodi sanguinis dispositio ad tales concretiones apparet in pleuritide & peripneumonia laborantibus, quibus sanguis emissus in superficie viscida pellicula obducitur, substantia concretionibus illis polyposis non absimilis: Imo sanguinem per phlebotomiam emissum in Typographi Genevensis nomine *Mége*, uxore carneam substantiam acquisivisse observavi anno 1668. sero innatantem, quæ exempta & aquæ calenti immersa indissolubilis permansit, musculosæ carni omnino similis.

Observatio CI.

Dyspnœa à Pericardio aqua distento.

IN corpore cujusdam palpitatione cordis & Dyspnœa laborantis, repertum Pericardium immanem in tumorem elatum, pluribus libris aquæ distentum. *Vide tit. de Palpit. cordis.*

Observatio CII.

Dyspnœa à pericardii inflammatione.

QUidam cum acuta febre thoracis erat incendium & Respiratio celerrima & frequens. Sectio à morte palam fecit adfuisse pericardii inflammationem. *Vide tit. de Lateris dolore.*

Observatio CIII.

Dyspnœa à copia adipis cor & pulmones investiente.

REver. N. corpore ob nimiam pinguedinem vasto, per aliquot annos de dyspnoea, maxime inter eundum, sæpissime conquestus est. Viscera omnia medii ventris, Cor insigni pinguedine prædirum cum pulmonibus reperimus: In abdomine adeps, octo digitorum transversorum crassitiem superans conspiciebatur. *Vide tit. de morte subita.*

Observatio CIV.

Dyspnœa à Pericardii & pulmonum phlegmone in suppuratum abeunte.

AGricola plaustri fœno onusti ruinam in se passus, de pectoris dolore conqueritur, succedente ardente febre cum Asthmate. Pericardium in defuncto scatebat pure copioso, cui velut immersum cor. Pulmo ejusdem tabis particeps. *Vide Tit. de Pectoris dolore.*

Observatio CV.

Dyspnoea ex amplo corde, firmius annexo diaphragmati & pleuræ.

Venetus quidam annorum xl. temperamenti calidi & humidi, crapulę deditus, de difficultate respirationis & hypochondriorum angustia conquerebatur, qui multis adhibitis frustra remediis, Patavium cum venisset, postera nocte morte repentina extinctus est.

Aperto cadavere, in hypochondriorum regione nihil quidem prґter naturam se prodidit, verùm in thorace cor adeo amplum observavi, ut tria naturalis magnitudinis adequaret: ventriculis itidem amplissimis, cujus capsulę ubique pressius adherebat, superiori ac lateralibus partibus pleurę etiam annexum; inferiori verò, diaphragmati, nec solum membranosæ ejusdem parti, sed ob ejus molem, carnosæ quinetiam.

Ex quibus conjicere non præter rationem fuit, præfatam gravem respirationem aliunde ortum non duxisse quam à pulmonum & diaphragmatis compressione, quæ & causa fuit doloris hypochondriorum, & potissimum distensio ejusdem. *P. de Marchettis Observ. xlix.*

Observatio CVI.

Dyspnoea ab atra bile sanguine nigro in corde concreto.

Multos difficultate spirandi laborasse cognovimus, sed inter cæteros quendam, qui nonnisi recta cervice spiritum trahens, paulatim ex angustia deficiente virtute, toto corpore pallidus ac livens efficiebatur: nullus tamen in pectore, nullus in præcordiis dolor erat; nec sibilus aliquis ob angustias, per quas evadit, percipiebatur, ex quo judicare posses ægritudinem in pectore concipi: Verum cum paucos post dies invalescente morbo, nullis conferentibus auxiliis, æger evita migrasset.

Aperto corpore, *non parum* atræ bilis & *sanguinis nigroris* in ejus corde cojisse invenimus, unde etiam per venas diffusus, non est mirum si corrumpente eo spiritum ipsum, hominem ad festinam mortem deduxerit: quod etiam, authore Galeno, alias contigisse cognovimus. *Benivenius cap. lxi. de abditis.*

Non parum sanguinis nigrioris in corde) Huc referenda Dyspnoea scorbutica, de qua Excell. *Willisius* Tract. de Scorbuto sic disserit. Respiratio difficilis, ac ad motum quemvis anhela, familiare scorbuti symptoma est, cujus cum binæ soleant esse causæ, modo ab una modo ab altera, & aliquando simul ab utraque causa, dependet: Ea dyspnoea fi valde crebra & fere constans fuerit, à sanguinis statu pauperiori & quasi effæto, qua quidem in corde stagnare & non statim accendi aptus est, provenit, quare à motu quovis, si quidem musculi vasa sanguifera comprimendo liquorem contentum prorsum urgent, sanguis aliquanto uberius in cordis ventriculos irruit, qui cum illic non statim accenditur, & foras evehitur, cor aggravat & functionis vitalis deliquium minatur: idcirco pulmones, ut suppetias ferant, celerius moventur ut sanguinem citissime exantlent: adeoque in hunc finem, nempe sanguinis effœti, & ex se pene immobilis circulationem, respiratio valde crebra & anhela instituitur: In hoc casu cum respiratione laboriosa etiam pulsus celer & parvus existit. *De altera causa quæ nervosi generis culpa contingit. Vide Scholia ad Observ. 79.*

Observatio CVIII.

Asthma ab abscessu in vena arteriosa.

Monachus asthmate brevi interiit: Dissecto repertus abscessus in vena arteriosa integris Pulmonibus. *Gul. Ballonius Paradigm. 99. Hollerius de morb. int. cap. 23.*

Observatio CIX.

Asthma à corporibus fibrosis sive pituitosis in arteria aorta contentis.

In fœmina quadam diu asthmatica, & cum cordis palpitatione conflictante, tandem cardiaca Syncope interempta, corpora, sive pituitosa, sive fibrosa, ulnæ longitudinem superantia ex aorta extraxi. *I. Iac. VVepferus Exercit. de Apoplex. p. 197.*

Caruncula longas repertas tum in arteria venosa, tum in vena arteriosa, nec non cava vena dextrum cordis ventriculum atringente, citra tamen ullam difficultatem respirationis, narrat *Ballonius Paradigm. 176.* Uterque ren tabuerat ægro, nec in utroque quicquam succi & carnis; An prædictæ carunculæ hinc eo translatæ fuerint, inquisitione dignum? quod mediante circulatione sanguinis possibile videtur.

Observatio CX.

Dyspnœa ob dilatationem primæ arteriæ ex aorta prodeuntis, sub corde.

IOh. Fabri circa 50. annum cœpit ægre Respirare cum Dyspnœa: Prima arteria sub corde, ex magna ad caput ascendente orta, maxime dilatata & dilacerata erat. *Vide tit. de Tumoribus lib. 4.*

APPENDIX.

Respirationem peragi beneficio Diaphragmatis, ejusque nervorum, experimento in cane facto probatur.

Ennarratio methodi qua Canis respirare cogitur ad instar Equi asthmatici, adinventæ & experimento confirmatæ per Richardum Lovver Medicum Oxoniensem.

HOc experimentum repetitum fuit coram Regia societate Oct. 17.1667. postquam aliquandiu ante id temporis privatim ab authore fuerit probatum: Ecce Autoris verba.

Postquam sæpe mecum perpenderam Methodum Respirationis, & ex multis observationibus collegeram præcipuum ejus organum esse Diaphragma, non alio probabiliore experimento illud probari posse arbitrabar quam rumpendo nervos quorum ope motus ejus perficitur: 1. Perfora latus animalis inter 6. & 7. costam in medio Thoracis, è regione cordis, culrello incisorio, cultro admoto in ipsam cavitatem Pectoris, deinde culrello extracto immite directorem, eumque infige ad profunditatem unius digiti, directa extremitate ejus sternum versus, compressaque ad latus interius Pectoris: Postea super eo seca ad digitis unius longitudinem musculos intercostales, ne forte acie cultelli lædas Pulmones: Hoc facto impone digitum, & unge separa Nervum qui porrigitur juxta latus pericardii Diaphragma versus; Deinde impone specillum, paulo incurvata extremitate instar hami, & apprehende nervum, eumque protrahe ad orificium pectoris, ac reseca, arcteque consue foramen; Idem operare in altero latere, & statim Canem dimitte, videbis eum respirare omnino instar Equi Asthmatici: Idipsum apertius observaveris si canem post sectionem aliquandiu ad funem agitaveris: Sed quo quis facilius hoc Experimentum perficiat, primo observer quomodo Nervi Diaphragmatis porriguntur juxta utrumque latus pericardii in animali mortuo, antequam periculum fiat in vivo.

Ex hoc Experimento promum est sequentes colligere observationes. 1. Modum Respirationis totalem penitus alterari: Nam cum sano animali, aërem trahente seu inspirante, Venter rumescat elevatione intestinorum per contractionem Diaphragmatis, Eodemque Exspirante venter subsidat per Relaxationem ejusdem, in asthmatico Cane vel Equo contrarium omnino observamus, Eo enim aërem trahente ventrem contrahi in tenuem longitudinem, Exspirante autem relaxari & rursus rumescere planissime videmus, 2. Cum constet Pulmones per se nihil omnino moveri, sed illorum motum totaliter dependere ab Expansione thoracis per musculos Intercostales & Diaphragma, ex hoc experimento liquet quantum simplex motus alterutrius illorum speciatim conferat ad Respirationem; cum enim omnis Inspiratio fiat dilatione Thoracis, illaque Dilatatio perficiatur partim per musculos Intercostales, elevantes costas, partim eodem tempore per Diaphragma, contractione sua deprimens inferiores tenues costas, quibus adheret, atque elevans viscera inferioris ventris, quibus una omne possibile spatium præparatur, quo aër admittatur & Pulmones distendantur; necessario inde sequitur Intercostalibus musculis operatione sua desistentibus, Diaphragma naturæ impulsu magis anniti quo suppleat illorum defectum, & vice versa: quando utraque, nempe & Intercostales musculi & Diaphragma duabus diversis functionibus sunt destinata (quanquam in eundem finem) & neutrum alterius munere fungi potest: Quæ res evidentissime apparet, nam Diaphragmatis usu, ex defectu ejus Nervorum sublato, musculi Intercostales solito amplius dilatant costas, vel in extremam possibilem distantiam, necessitate cogente: quemadmodum manifeste videre est ubi canem agitaveris aliquandiu post sectionem, aut Equum astmaticum in concitatissimum cursum impuleris. 3. Cum modus Respirationis in cane, cujus nervi Diaphragmatis secti sunt, idem sit qui in equo asthmatico, plusquam probabile est causam in utroque esse eandem, prout signa sunt eadem; Estque versimile admodum, quanquam alia vitia in Pulmonibus illorum animalium occurrant, ea tamen inferri ex languore Respirationis, occasione primum arrepta ex relaxatione seu ruptura nervorum diaphragmatis: quod ipsum eo credibilius videatur, quod observemus ex nimia pressione Diaphragmatis, (qua nervi plane

rumpantur, vel extra proprium tonum extendantur) ut plurimum morbum illum accidere. *Ex Actis Philosophicis Societatis Anglicæ anni 1667. pag. 231.*

Observatio CXI.

Dyspnoea à corpore sub Diaphragmate succrescente.

NE semper eclegmatis, bechicis, aliisque ad asthma & pectoris morbos conducentibus remediis operam suam ludant Medici juniores, dum iis æger abutitur respirationis difficultate pectorisque angustiis laborans, narrandum videtur quod anno 1669. mihi oblatum est rarius circa id morbi genus phenomenon: Obierat mortem post longas paulatimque auctas pectoris augustias respirandique molestias Vir quidam annorum 45. Tussis nulla, nullæ inflammationes adfuerant, omnis denique symptomatum caterva, quæ stipare solet pectorales illas ægritudines abfuerat, & tamen respirandi difficultas de medio sustulerat ægrum.

Simul atque ventrem inferiorem dissecuisset cultet Anatomicus, objecit se corpus quoddam, ea constans tunicæ spissitudine quæ solet esse eorum petasorum quibus nostrates à capite arcent cœli injurias: Continebat autem aquæ insipidæ, nisi quatenus eam fœtor corruperat, uncias circiter 40. Innatabant aquæ filamenta quædam oblonga, quę digitis contrectata etiam in latitudinem quandam diduci poterant: Locus unde corpus istud enascebatur, erant eæ lumborum vertebrę quibus bini diaphragmatis processus implantantur: Quod diaphragma tanto versus pulmones compellebatur vehementius, quanto in dies capiebat incrementa majora corpus hoc, tam importuno loco succrescens: unde respiratio reddebatur primo difficilis: deinde coarctatis nimium pulmonibus, etiam impossibilis: Ita ut mirum non sit hominem, non alia vexatum ægritudine, præclusa respirandi facilitate, reddidisse animam. *Theod. Kerkringius observat. Anat. 89.*

Observatio CXII.

Dyspnoea à pure supra Diaphragma decumbente, à quo efformatus in eo saccus, deciduo à suppurato sinistro pulmonis lobo.

ILlustr. Comitis Filiolus trimus, tumorem pone aurem sinistram, ad juncturam maxillę inferioris radicatum patitur, usque in collum protensum, cum dolore ardente: sequenti febris acuta ingruit, cum difficili anhelitu & tussi sicca constanter ad mortem usque tenentibus.

In demortui exenteratione, sinistra thoracis parte, obviabat magna diaphragmatis propendentia, instar sacci, purulentia è totali suppuratione sinistri lobi Pulmonis infarcta. *Vide lib. 4. tit. de Febribus.*

Observatio CXIII.

Dyspnoea ob materiam viscidam diaphragmati adhærentem.

COntingit non raro materiam lentam & viscidam, ad digiti crassitiem superiori Diaphragmatis parti insidere, quę nisi vomitu auferatur, ægrum jugulat: Sic obiit Lantgravius quidam Hassię, in cujus cadavere ejusmodi materia est inventa.

HInc falsum illud in omni morbo pectoris noxium esse vomitum; verum illud si pulmo laboret solutione continui, non si repletus sit crassis & viscidis humoribus. *Walæus met. med. p. 56.*

Observatio CXIV.

Dyspnoea à Steatomatis Diaphragmati adnatis.

NAta supra Diaphragma pugni magnitudine steatomata, ponderis molesti difficilisque respirationis causas præbuerunt. *I. Veslingius Syntagmatis Anat. cap. 9.*

DIaphragma liberæ respirationis organum esse apud omnes in confesso est: Istud quando tenditur, aër, ne detur vacuum, ore & naribus attrahitur, à quo attracto tum ipse thorax distenditur, tum pulmones elevantur, intestina autem deprimuntur, à quibus inferior venter intumescit & sic fit inspiratio: Diaphragmate autem remittente, concidit thorax, & simul pulmones & intestina, antea depressa, attolluntur, & fit exspiratio: hinc fit quod Paræus, & alii observarint, ut in vulneribus diaphragmatis, in exspiratione, intestina & ventriculus in thoracis cavita-

cavitatem ascendant: Diaphragma in respiratione primarium motorem esse, patet ex eo, quod sublato ejus motu, ipsa tollatur respiratio, & homo in momento suffoccetur: Barbaris hoc notum, qui umbilicalem venam, quæ in homine extra uterum constituto vinculi vicem obir, resecant, ut hepar collapsum tendat diaphragma, impediat ejus motum, & ita ipsam respirationem simul cum vita tollat. *Moebius Fundam. Physiol. c. 14.*

Observatio CXV.

Dyspnoea ob pus diaphragmati incumbens, à vulnere.

IUvenis punctim prope claviculam dextram & scapulam sinistram vulneratur: succedit Dyspnoea &c. Ingens copia materiæ purulentæ candicantis in sinistra cavitate thoracis continebatur, quæ diaphragmati incumbens respirandi difficultatem auxit. *Vide lib. 4. tit. de vulneribus.*

Observatio CXVI.

Dyspnoea exorta à cartilaginea costarum parte in osseam substantiam indurata.

CArtilagines costarum, quæ ad motum faciliorem edendum circumferentiam pectoris ex parte componunt, si induratæ in substantiam osseam, reliquis costis similem convertantur, quod senii causa aliquibus, aliis citius, idque fere in mulieribus, mammarum sustinendarum causa evenit, quia tunc thorax sufficienter dilatari non potest, suspiriosos, accedente præsertim pondere mammarum, si mammosæ mulieres dorso incumbant, efficit. *Platerus Prax. lib. 1. cap. 4.*

CArtilagines costarum &c.) Frequentior est nec satis perspecta dyspnœæ causa à costarum vitio: Anno 1675. mense Iunio, Vir Reverendus & Clarissimus Dom. Petrus Mussardus, Ecclesiæ Lugdunensis Pastor, Vir quadratus & plethoricus conquestus est de dyspnœa, sine tussi aut stertore, à sumpto cibo maxime urgente; Multos in consilium adhibuit; Medicus Pleuritide eum affici atus, quamvis omnino abesset febris, purgatione, metu periculi præsentanei & mortis interdixit, quæ tamen à Pharmacopœo exhibita auxilium attulit: Causa externa præcesserat, gestatio gravioris ponderis manu sinistra, & è terra elevatio, libri scilicet grandioris, quanquam nocumentum non illico percepisset, unde verisimile ab alio Medico existimatum in quopiam musculorum pectoralium ῥῆγμα contigisse, fibrarumve aliquam divulsionem; Accedens vero muliercula deprehendit nothæ ultimæ costæ cartilaginem depressam, qua in locum reducta illico cessavit dyspnoea: Per mulierculæ ejusdem industriam longa invaletudine liberata Nob. puella Lausannensis, difficultate spirandi, oppressione pectoris à paucissimo cibo, interdum vomitu, per 18. menses vexata, quæ omnia obstructionum & chloroseos soboles credita sunt, accedens tamen medicastra dicta, nomine Crespin, duarum costarum extremarum cartilaginum depressionem observavit, quarum inferior superiori incumbebat: quibus pristinæ sedi, manus opera, restitutis, symptomata omnia protinus desierunt.

Observatio CXVII.

Dyspnœa malam sterni conformationem sequuta & mammarum molem Thoraci incumbentium.

IN mulieribus mammosis & obæsis, detracta mole mammarum, sternum acuminatum deprehendi, & pectus angustum; quod in illis causa fuit Dyspnœæ: Eam angustiam excitaverat pondus mammarum: *Riolanus Encheir. lib. 2. c. 2.*

Observatio CXVIII.

Respiratio læsa à Pleura adipe contecta Pulmones premente, & Mediastino adiposo quatuor digitorum latitudinem obtinente.

ABt. Clef Montbelgardensis Bielæ incola, hydrocephalo olim sub cura mea liberatus, anhelosus, cachecticus, fœda crurum & pedum scabie conspurcatus, erysipelati phlegmonodi aliquando obnoxius, die 7. Januat. 1657. Nidavio bene potatus rediens, flante oriente & rigido cœlo friguit, & calidum domi ingressus hypocaustum, circiter horæ quadrantem post fornacem dormivit: Expergefactus surgit, cadit stupente lingua & latere sinistrorsum: Edormita crapula sequenti die melius habuit, sed cum à vino sibi non temperasset, vespere sensit insignia circa umbilicum tormina cum dysuria: Accessit die 39. in dextro hypochondrio dolor punctorius cum spirandi difficultate, solita majori, tussi sicca sine febre: Detractus sanguis cute flava obductus erat, circumducta aqua citrina: A die quarta ad mortem circa claviculas obaudiebatur insignis ebullitio & strepitus mare-

riæ crassæ in trachea sursum & deorsum agitatæ, non expectorandæ. Die 7. pulsus febrilis factus est, supervenit loquelæ impedimentum, tussis suppressio, inquietudo: Diei nonæ hora 5. vespertina obortus est sudor calidus, universalis, copiosissimus, & post sesquihoram mortuus est suffocatus, spumante ex ore pituita.

In aperto cadavere nullam inveni vesicam urinariam; (*Vide histor. lib. 3. tit. de urinæ difficultate*) Hepar & Lienem habebat amplissimum, Fellis vesiculam ovi anserini magnitudinis, plenam; Abdomen pinguedine refertissimum: In thorace Cor erat maximum: Pulmo sinister tertia manus palmæ parte nec major nec crassior, sed aliquanto dextrum superans, extravasati sanguis, phlegmati confusi cochlearia fere tria continens (sonitus in respiratione causam) color utriusque pulmonis diversus erat, subalbus, ruber, viridis & sublividus: Inter utrumque cernebatur Mediastinum mere adiposum, 4. digitorum transversorum latitudinis: Ipsa pleura undique tanto tegebatur adipe quantum ad implendum thoracem, imminutis pulmonibus, sufficiebat: Quæ omnia in vitæ cursu & morbis contingentium symptomatum rationem patefecerunt apertissimam, nempe conformationis vitium sola Anatome detegendam. *I. Nic. Binningerus observ. 34. cent. 2.*

Observatio CXIX.

Dyspnœa à pleuritico apostemate coaffectis pulmonibus.

STudiosus iter faciens insignem persensit rigorem in latere thoracis sinistro, subsequente febre, Dyspnœa ingenti &c. Inventum ingens in latere sinistro pleuriticum apostema, quod pulmonem simul occuparat. *Vide lib. 4. tit. de lateris dolore.*

Observatio CXX.

Dyspnœa à Pleura parte dextra pustulis obsita, Pulmonumque lobis eodem modo affectis.

JUveni oboritur erypelas in tibia, quod à medicamentis introrsum conversum est, unde summa Dyspnœa oborta est: Illi Pleuræ pars dextra pustulis miliaribus obsita reperta est; nec non pulmonum lobi antici & postici. *Vid. lib. 1. tit. de Phrenitide.*

PLeura pars dextra &c.) Coaffectis simul vicinis musculis, unde constrictionis pectoris, hinc Exspirationis præsertim difficultas: Exspirationis autem læsæ causas clare, de more tradit *Excell. Willis Pharm-rat. p. 2. sect. 1. c. 4.* Sicut Exspiratio, *ait*, multo facilius & cum minore negotio quam inspiratio peragitur, ita quoad actum suum minus inhiberi aut perverti periclitatur: Enimvero ad istum perficiendum musculorum pauciorum nixus contractivi requiruntur, in tantum ut nonnulli asserant partium morticium, à quibus pectoris dilatatio perficitur, meras relaxationes ad constrictionem ejus sufficere: hinc cum in agone mortis ultimus naturæ labor sit thoracem aperire, & spiritum ducere, quo vitæ flamma perennetur, quamprimum irritus iste conatus fuerit, nullo cum negotio animal exspirat & moritur: At vero constat ἀκτόνως haud minus quam εἰσπνοῆς pensa à musculorum peculiarium opera obiri: Quare cum Exspirationis organa lædi aut inhiberi contingit, necesse erit functionis istius difficultatem aut depravationem oriri: Partes motrices, quæ pectus constringunt, ejusque cavitatem coarctant, præcipuæ sunt musculi Pectorales interni, Lumbares quidam, aliique abdominis: insuper laryngis & tracheæ fibræ musculares; propter vitia quævis, modo has modo istas, aut singulares aut plures simul occupantia; Exspiratio diversimode inhiberi aut perverti solet: Quamquam autem hujus functionis læsio sæpenumero ab inspiratione læsa dependeat, quandoque tamen ea solitarie contingit; ita ut cum nonnisi impedite aut perverse reddamus: Quod quidem ob varias causas, & pluribus modis (quorum præcipuos hic breviter attingemus) fieri solet: Primo enim, si quando solutio continui, vel affectio spasmodica, vel paralytica in musculo (qui exspirationem facit) uno aut pluribus accidat, propterea thoracis cavitas ad aërem sive spiritum plenius efflandum, non ita libere constringi ac comprimi potest: Hinc *Pleuritide*, tumore aut vulnere in musculis intercostalibus, aut abdominis laborantes, tussire aut canere, aliosque expirationis fortioris actus non facile obire possunt: nec minus ob fibras istarum partium motrices resolutione aut spasmo affectas, thoracis constrictio debita inhibetur.

Observatio CXXI.

Dyspnœa ab abscessu inter pleuram & costas aborto.

FIliola Rever. N. tussicula continua & difficultate anhelitus vexabatur: circa 11. mensem ætatis sub axilla dextra exortus est abscessus, quo aperto pus copiose per mensem effluxit, sine magno levamine, Tandem clauso ulcere; symptomata aucta sunt, ita ut 18. circiter mense è vivis discesserit.

Inciso cadavere, ingentem abscessum sub axilla sinistra, & quidem inter pleuram & costas inveni, in quo pus copiose repertum. *Hildanus cent. 2. observ. 28.*

Observatio CXXII.

Dyspnœa à spinæ contorsione, Pulmonibus purulentis & Pericardio septo annexo.

Puella quædam laborabat tot morbis complicatis, ut ne ipse Æsculapius mederi potuisset &c. Maxima illi humiditas cerebri spinam dorsi adeò irroraverat, ut inde incurvata fuerit, præsertim circa sinistram partem pectoris, unde angustia pectoris & dyspnœa: Substantia Pulmonis materia purulenta erat imbuta: Pericardium permagnum, ac septo, & quidem in medio ubi nervosum est, tam tenaciter & mediante callosa materia annexum erat, ut illud nonnisi novacula separare potuerim. &c. *Hildanus cent. 6. obs.* 74.

Observatio CXXIII.

Asthma ob mediastinum sero sanguineo plenum, Pulmones materia purulenta infarctos.

Anno 1632. Vidua Dom. N. cum paucis induta vestibus è lecto in fenestram transilisset circa mediam noctem, illico, correpta est, dyspnœa asthmatis paroxysmum æmulante &c. Aperto cadavere, inventum est mediastinum plenum *sero sanguineo*, quod forte rupta membrana versus partem superiorem pulmonis, eamq; atq; asperam arteriam comprimens subito suffocaverat; Præterea inventa est pulmonis universa substantia referta materia purulenta & gravitate insigni prædita. *Riverius cent. 1. observ.* 60.

Sero *sanguineo &c.*) *Olaus Rudbeck* inventis vasis glandularum serosis, censet, congregari posse aquam inter sternum & mediastinum, obstructis illis vasis quæ à glandulis sterni (Tab. 2, fig. 1. 1. o. p.) ad jugulum positis orta, ductui chylifero ad insertionem ejus in vesicam axillarem inhiant: Sicut & in pulmonum parenchymate ac thoracis cavitate, illis occlusis quæ à glandulis pulmonum (Tab. 2. fig. 1. s. r. 1.) sinistro cordis lateri adnexi, ac pinguedine pericardii procedunt, & ductui chylifero inoculantur.

Mediastinum sero sanguineo plenum) Intra mediastini duplicaturam materiam aliquam colligi posse, quæque perforato sterno à sedulo Chirurgo elici possit, ait *Columbus* Anat. l. 2. c. 3. Notandum autem p. æternaturalem esse illam intercapedinem, ubi viam vi sibi faciunt flatus & humores, si verum est quod volebat *Adrianus Falcoburgius* Anatomicus Leydensis Excell. membranas mediastini antici sub sterno evidenti intervallo nequaquam dilatare, neque eam cavitatem constituere, quam credunt plurimi tam late patere quam latum est ipsum sternum: Arctissime enim adeo duæ hæ membranæ copulatæ sunt, ut nequidem arte, nisi violentia accedat; separabiles sint: Quod itaque in dissectione corporis ab Anatomico exhibeatur sub sterno cavitas, per accidens est, & fit cum is sternum magna, vi á membranis mediastini divellit: Nec est quod cavitatem e. m, quæ notabilis satis sub sterno, ubi mediastinum septo unitur sese exhibet, nobis obtrudant, Ea enim sub parte aliqua sterni tantum est, non verò sub eo toto; ut volunt authores.

Observatio CXXIV.

Dyspnœa ob Mediastinum copiosa pinguedine suffarctum, Et Pulmonis lobum superiorem costis affixum.

In corpore virili obæso, annorum 22. deprehendi Pulmonis dextri lobum superiorem costis affixum, Et Mediastinum, quod rarius, pinguedine copiosissima suffarctum. ut proprerea una cum Pulmone costis affixo Respirationem fecerit tanto difficiliorem. *l. Daniel Major Histor. Anat. cap.* 13. §. 14. & 15.

Observatio CXXV.

Orthopnœa à mediastini inflammatione.

§. 1. Quidam orthopnoicorum more cubabat, quoties enim quiescere supinus cupiebat; statim animi deliquio corripiebatur.

Mortuo ægro secto inventæ fuerunt *membranæ intersepientes maxime inflammatæ*: Maximus est morbus qui prope cor, vitæ fontem stabulatur. *Dom. Panorolus Pentec. 2. observ.* 10.

§. 2. Nob. febre acuta detinebatur cum respiratione frequenti admodum & celeri. Eo secto inventus est in membranis intersepientibus tumor inflammatorius satis notabilis magnitudinis. *Vide tit. de Pectoris dolore.*

Membranæ *intersepientes maxime inflammatæ &c.*) Inflammationi obnoxium quoque diaphragma, cujus exemplum affert Platerus in observ. p. 159. Recenset ibi Medicum quendam primarium morbo correptum, de dolore in regione ventriculi, cinguli instar ventrem supra

pra lumbos ambiente potissimum conquestum esse simulque de respiratione impedita, pulsu febrili, delirio, & de cingulo quodam suffocante Quem dolorem ipse septi transversi causa evenire judicavit, ex qua etiam brevi post mortuus est.

Observatio CXXVI.

Asthma ob Pulmonem sinistrum consumptum; dextrum dorso connexum, Empyema sinistri thoracis; Hepar, Ventriculum, Lienem Diaphragmati annexa; Ventriculum & Intestina flatu distenta.

FEbr. 13. anno 1669. Anatomico meo cultro subjecerunt amici virum 60. annorum, emaciatum omnino, qui ante 26. annos venenum aliquod assumpserat, à quo tempore variis malis affligi cœpit, Asthmate imprimis, quod etiam ultimis vitæ annis adeo grave, ut ne verbum quidem proferre valuerit cujus vis ab adstantibus intelligi posset.

In aperto cadavere *omentum* arcte adeo margini ossis pubis dextri adhærebat, ut nonnisi cultriope separationem facere liceret: *Hepar* etiam *Lienque* & peritoneo, & diaphragmati firmissime adhærebant; *Ventriculus* flatu distentus diaphragmati itidem atque hepati, multarum fibrarum membranacearum beneficio junctus erat: Intestina nonnisi flatum continebant, à quo summe erant extensa: *Ren* dexter exiguus valde pure scatebat, sinister atenuilis: *Vesica* contracta adeo ut ne nucem sua cavitate continere posset: *Pulmonis* pars dextra dorso connexa, in latere & anterius libera, sinistra vero tota consumpta, sic ut pus spatium illud totum thoracis repleret: In pure autem hocce laminæ plurimæ reperiebantur, ossis duritiem coloremque intime referentes, quarum particulam in musæo meo reservo: Quod mirum, puerpera decumbebat viri hujus uxor. *G. Blasius P. 4. observ. med. 5.*

Observatio CXXVII.

Dyspnœa hydropis pectoris soboles, Pulmonum cum costis, septo & vertebris cohæsionis; cum Pericardii absentia & Iecoris mole excedente.

ANno 1675. Junii 6. obiit D. Marcus Guillermetus Genevensis, annos natus 56. Crebtis ille hæmorrhagiis, per multos ante obitum annos obnoxius fuerat quibus tandem Asthma omnem remediorum vim eludens successit: accessit tibiæ sinistræ tumor tandem dehiscens, aquæ limpidæ & inodoræ singulis diebus libras plures fundens, superstite tamen asthmate, comitibus crebris *leipothymiis*: Decumbere nequaquam illi concessum, sedili dies & noctes affixo: Die 18. Junii anni 1674. rumorem tibiæ gangrena excipit, convenientium remediorum, balsami præsertim Saturni, usu repressa relicto tamen ulcere universam tibiam occupante; vix, & plurimum mensium intervallo, ad cicatricem mea opera deducto; nec tamen omnino, cum reliquiæ coronari argentei magnitudinem æquarent, fonticuli vicem gerentes, adeo ut ad solitum opificium redierit æger: Donec 26. Aprilis 1675. rediviva fuerit affectuum priorum cohors (asthma scil. hydrops, non unius tibiæ solum, sed & utriusque imo crurum tumor,) nullis remediis expugnabilium.

Annuentibus, imo rogantibus consanguineis, cadaver à me fuit apertum coram Clariss. D. D. le Clerc, Senatore Genev. Ablato sterno cor nudum se exhibuit, aquis innatans, Pericardio omnino destitutum, cujus ne minima extabant vestigia: Pulmones admodum erant contracti, costis, vertebris & diaphragmati tam arcto nexu cohærentes, ut nisi vi magna ab iis divelli potuerint: Coloris subcœrulei, serosum humorem intra se continentes: Jecur repertum maximum, ex parte scirrhosum: Splen admodum parvus, sed inculpatus: Renes hydatides, dextrum præsertim obsidebant, Nihil vitii cæteris in partibus: *Ex communicatione M. Stephani Dentand Chirurgi Genev. peritissimi.*

P*Ericardio destitutum*) Id defuisse in quodam suorum condiscipulorum testatur *Columbus* Anat. lib. 15. Hippol. Boscus, de Facultat. Anat. Lect. 4. ait Ant. Mariam Cananum inspexisse cadaver eo carens, cujus vices pinguedinis massa supplebat: Contestantur Galenus, Benivenins & D. D. Bartholinus. Hinc collige, si quidam sine pericardio vitam traxerint, eos errare qui putant vitam sine aqua Pericardii servari non posse; Jasolinus hanc permagni facit, credens eam, sic loquitur, transmissam esse ab ipsa natura, primigenio forsan ortu: *Carpus & Bertinus* credunt hominem consumpta hac aqua innata illico mori: Ego nonnunquam (ait Clariss. Schneiderus 2. de catarrh. c. 10.) unam atque alteram guttam duntaxat inveni in pericardio, nonnunquam fere nihil, quare hæc aqua nunc auctior nihil utilitatis fere afferet: nam in morientibus, & jam mortuis, aliquanto redundantior est: In viventibus tantum vaporis ex vasis cordis emittitur, quantum humoris ad humectarionem membranarum sufficit, hicque est usus vaporis in aquam euntis: In morientibus, invita quasi natura, plus vaporis exhalatur, isque facilius in aquam vertitur, quod membranæ natura frigidiores sint, & jam refrigescere incipiant: quo fit ut talis aqua post mortem in ea cavitate fit aggesta:

gesta: In cavitate pectoris, item abdominis, nonnihil aquæ inest, in fundo subsidet, facile conspicitur si cadaver rigidum erectumque constituitur, Illa est pauca, & si corpus longinquis morbis non fuerit maceratum, albida & limpidissima: Si corpus fuerit ægrum, aut si guttur laqueo fractum fuerit, illa aqua subcruenta est, & nonnunquam acris & copiosa: Atque hinc philosophari hoc modo licet, Cavitates pectoris, abdominis, sunt excrementorum receptacula, qui nunc clara, nunc vitiosa aqua in iis invenitur: Gignitur ille Pericardii liquor ex vaporibus, hinc naturalis ejus claritas: Simplices ac creduli fuere verustiores, qui opinabantur ejus defectu corpus tabescere: Aqua, *inquit Carpus*, Cor irrorat & prohibet ne exsiccetur à forti calore; quæ si exhausta sit, cardiacus morbus efficitur, quo animal ad tabem perducitur, ut Simia Galeni: Verum sæpe seresc it sanguis, integris visceribus, hepate & liene, quare aqua nunc in abdomen, nunc in thoracem & ejus in membra, nunc, in pulmones, nunc in pericardium effunditur; illaque vasorum exudatione hæc aqua nonnunquam augetur: Si teresc it sanguis, non potest nutrire corpus: Eo jam tabescente, serum ex osculis valorum ad viscera exudat; Ubi ergo in eo illi, qui corpora incidunt, tantam vim aquæ invenerunt, continuo credidere tabem & marasmum ex illa aquæ copia ortum fuisse: Qui putant vitam sine hac aqua servari non posse, ii meminerent quosdam sine pericardio vitam traxisse.

Observatio CXXVIII.

Dyspnœa à vitio Pulmonum ex parte purulentorum; ex alia seroso humore imbutorum, cum scirrhis per totam substantiam, plurimis calculis, & variis cordis & imi ventris affectibus.

JAc. Bagole uxor morbo admodum intricato correpta, cum difficultate spirandi: Huic post obitum Pulmo dextra parte materia purulenta ac fœtida; Sinistra vero humore seroso imbutus erat: Dein per totam substantiam scirrhi plurimi, colore lividi, in quibus materia nigra atramenti instar contenta fuerat, conspiciebantur præterea lapides plurimi &c. *Hildanus cent. 2. observ. 89.*

Observatio CXXIX.

Dyspnœa ob Pulmones consumptos, Thoracis cavitatem sanguine putrido plenam, & pericardium pure, ac hepar maximum.

CAdaver dissecuimus in quo repertus Pulmo consumptus, thoracis cavitas plena sanguine putrido & concreto; in pericardio plusquam mensura puris albi continebatur; Tota cordis superficies absumpta erat & putrida, extenuatumque admodum cor: Hepar usque adeo magnum habebat, ut infra umbilicum descenderet, totam anteriorem partem hypogastrii occupans: Symptomata, quibus vexabatur erant, Tussis, febricula, dolor in thorace, & in anteriore ventris parte, difficultas respirandi; paucis diebus ante mortem, deliquia animi; mens constabat. *Ioh. Bauhinus.*

Observatio CXXX.

Dyspnœa cum gutturis exulceratione, à Pulmonum vitio & putredine, in quorum summo vomica, cum hepatis & renis dextri vitiis.

MUlier honesta mollis & rara, annorum 30. febre, destillatione ve eri in pulmones laborabat, fœtum gestans octimestrem: contra exulceratum guttur pugnantem est in difficultate anhelitus cucurbitula alternatim scapulæ affixa; Peperit die 7, levata febris; Mortua decima hora à partu.

Apertæ uterus grumis plenus inventus, Totus venter flatibus tumens, Ren dexter purulentus, Hepar quantitate peccans, lobo uno costis adhærens, colore totum vitiatum, aridum, ac veluti frixum, aliis partibus quasi putredine mucosum: Similiter & pulmones, in quorum summo ad arteriam vomica pure plena erupit. *Hollerius in observ. ad consilie curandi* §. 8.

HIc plurium causarum concursus ad difficilem respirationem, pulmonum vitium; hepar grande diaphragma premens, lobo uno costis adhærens, venter flatibus distentus; Aura maligna à grumis in utero contentis; cum Renis dextri vitio; Renibus autem affectis dyspnœam induci, hac sectione ostenditur: Distillationi veteri in pulmones malum a scriptor author, verius deduxeris a vitiata partium naturalium œconomia, & corrupto alimento pulmonibus oblato, accedente proprio illorum vitio.

OBSER-

OBSERVATIO CXXXI.

Dyspnœa pectoris & oppressio, ob Pulmones tabo sine ulcere refertos, Hepatis & ventriculi molem, in angustias partes spiritales redigentem, Renes male constitutos.

ANno 1595. cum Serenifs. Ernestus Archidux Austriæ, Protex Belgii, vehementer frigida aëris constitutione domum reverteretur, inarthritidem, ut sæpe solebat, incidit; qua cum per aliquot dies detineretur, accessit capitis dolor, destillatio in pectus, mox febricula, cum nausea vomitu, cibi fastidio, ac dolore ad ureteres, cum mictu laborioso & stranguriolo. Visum fuit Medicis tum ratione dolorum, tum febris, tum nephritidis, cujus non obscura signa aderant, non aliud commodius ac præsentaneum remedium, nec citius ac securius esse V. S. quæ adhibita fuit; à qua levius visus fuit habere quanquam id sine ratione Medicis visum fuerit, cum urinæ albæ, perspicuæ, ac tenuissimæ forent, ac omni sui ratione calculus esse videretur, Itaque cum perseverarent ureterum dolores, vomitus ac mejendi difficultas, propinatum est oxymel cum contemperante syrupo, quo hausto per aliquot dies, calculum exclusit album, rotundum, à quo dolor absfuit, & mejendi difficultas sed non vomitus: Cum vero ex eo Medici & alios lapillos esse suspicarentur, cassiam dedere cum speciebus hieræ, à qua bis tervé, sine ullo incommodo, multa pituita tenaci levatus est, sed perstitit vomitus cum nausea, ac urinæ omnino limpidæ; nocte non bene dormire, non quiescere poterat, *anxius ac circum præcordia oppressus:* fluxit præterea sanguis ex naribus, non multus, albidus & serosus, ex quo Medici desperare cœperunt, Consilium tamen fuit clysteribus ac levibus vomitoriis, sursum deorsumque humorem peccantem ducere, revellere, retrahere, sed omnia frustra, crescente anxietate & aucta pulsus imbecillitate, ita ut intersectus videretur, myurus, mox capillaris, tandem sine pulsu; quo cum per biduum vixisset, esse desiit 20. Februarii, (*initium ægritudinis 15. Januar.*)

Quo jam vita defuncto, cum corpus dissecaretur, in conspectum venere, pulmo, cor, pleura ac septum vi retracta, ac in angustum coacta hepatis mole, & ventriculi, septum quasi superantia: Pulmones nigricantes, sine ulcere quidem, sed digitis compressi tabum quoddam reddidere; cor integrum; sed inæquali figura præditum; Hæc in superiore ventre, inferior talis erat: Mesenterium valde pingue, Hepar multo maximum in uno lobo livebat: Renum uterque magnus, durus, colore livido, in dextro pustulæ, phlyctænas esse diceres; sinister, præter dicta, in acuta cuspide, ulcus cavum habebat, nigrum & cum ἐχαρωτικόν esse videretur, non immerito cancer esse videbatur: Aderant in cavitate fragmenta calculi & majores arenulæ multæ, ut videretur aliquis calculus egressus in ureteres delituisse, Et vesica putrida, fœtens, livida &c. *Schenckius lib. 3 p. m. 449.*

OBSERVATIO CXXXII.

Dyspnœa inducta à pulmonibus costis adnatis, hydrope thoracis, & utroq; Rene calculoso.

PLumarum venditor emortuus ob Renum Pectorisq; vitia, habuit in utroque Rene insignem calculum: In thorace tres aquæ libras; Pulmonem costis adnatum, & cor non tantum pericardio suo destitutum, sed exprimens præterea extima sui parte naturam pallescentis sevi: quem colorem ipsi proculdubio impresserat aqua in thorace contenta, uti videre est in eorum musculis quos accidit vel λευκοφλεγματίᾳ vel ἀνασάρκᾳ. *Tulpius lib. 2. observ. c. 44.*

T*Res aquæ libras)* Ob vitium cordis quod primarias, secundum multorum opinionem, partes tenet in opere sanguificationis, Et Renum, qui calculo obsessi, nec sero liberam excretionem concedentes, hujus in pectoris regionem transfusionem perpererunt;

OBSERVATIO CXXXIII.

Respiratio læsa à Pulmonibus flatibus distentis, dextro costis adhærente, & abscessu tentato; Hepate & Liene insolitæ magnitudinis, septo adnexis &c.

ANno 1663. die 9. Febr. Clar. Franc. Sylvius de le Boë in Nosocomio Leydensi vetulam secuit, in cujus cadavere sequentia notabantur. Hepar solito grandius, & usque ad os coxendicis inferius protensum, in sinistro vero latere diaphragmati validissime annexum, ut separari non posset sine ruptura diaphragmatis: Lien insolitæ magnitudinis & mirabilis conformationis quasi ex pluribus lobis compositus videbatur, diaphragmati validissime adhærebat, & inferius eousque propendebat ut sinistrum renem plane comprimeret, cumque admodum parvum relinqueret; Lienis color & parenchyma plane diver-

sa

sa erant à statu naturali, color erat valde rubeus, qui naturaliter solet esse plumbeus: Parenchyma erat firmum, instar parenchymatis renum, quod naturaliter laxum esse solet & diffluens: Membrana externa crassa erat & fere cartilaginea, quæ substantia usque in profundum tendebat: Ventriculus infra umbilicum protendebatur, loco superiori amplior erat, intermedio loco angustior, loco inferiori iterum amplior: Angustiæ in medio causam esse putabat magnitudinem insolitam hepatis & lienis, à quibus coarctabatur ventriculus: Pulmo à flatibus erat distentus, ita ut cum dissecaretur flatus erumperent, variisque in partibus thoraci per fibras adhærebat in dextro latere, in sinistro plane erat liber: In dextro Pulmone, qua parte firmiter adhærebat costis, abscessus erat pus fœtidum, subviride & valde tenax continens ultra duo cochlearia. Color obscure rubens visebatur in variis intestini tenuis partibus, ipsaque vasa intestini erant turgidula: qua parte attingebat folliculum fellis, ab ejus colore tinctum erat intestinum, qui color penetrabat usque ad partes interiores. Humor fuscus & obscure nigricans continebatur in ventriculo & intestino tenui, qualem sæpe à moribundis evomi ajebat, idque pessimum esse signum, & raro ægros talia evomentes evadere: Putabat eam esse miscellam bilis & succi pancreatici valde vitiosam, ubi jam omnia à statu naturali abierunt. In rugis intestini duodeni quærendam esse ajebat insertionem ductuum bilarii & pancreatici; stylum non poterat inductum immittere, ob aliquod in illo obstaculum, idque indicium esse putabat alicujus valvulæ in ipso ductu; Transverso pollice satis grandi distabat insertio ductus pancreatici ab insertione ductus bilarii: Duplex erat insertio ductus pancreatici in intestinum tenue; alter ramus erat in loco aliquantulum superiore, & erat minor: alter, qui major erat, inserebatur eo in loco, in quo erat exitus duplex bilarii: quæ duplex insertio ut frequentissima est in brutis, canibus præsertim, ita rarissima est in homine: Ductus Pancreaticus tantæ erat capacitatis, ut stylum calami scriptorii crassitie admitteret: Immisso tubulo in ductum & inflato, attollebatur tota substantia pancreatis. Inter duplicem tunicam intestini tenuis, ad transversi pollicis latitudinem, inserebatur ductus bilarius, plane ut ureteres inter duplicem tunicam vesicæ inseruntur. Ren sinister erat valde exiguus ac mollis, & cum dissecaretur, pus aquosum emittebat, in parte superiore bona sui parte consumptus erat, nullus tamen aderat calculus. Suppurationem illam renis provenisse putabat à compressione ejus facta à liene grandiore, unde urina diutius retenta acrior facta substantiam renis erosit.

Membrana Renis interna, quæ pelvim constituit, triplo fere crassior erat quam naturaliter debebat, idque sæpius fieri ajebat in partibus purulentis, sanguinem enim affluentem partes tum magis munire adversus acrimoniam humorum: Ureter sinister satis erat grandis, ut raro tam grandis appareat: Ren dexter in parte superiore, ubi fit secretio seri à sanguine, cavitatem habebat pisi magnitudine, in quo calculum hæsisse putabat, & hinc inde per totam renis substantiam observabantur granula quædam sabulosa albicantia. Vena umbilicalis non prorsus coaluerat, reperiebat enim stylo per eam ingressum in venam portæ: Uterus totus erat contortus versus dextram, quod sibi nunquam visum ajebat: fieri quidem interdum ut fundus uteri magis declinet in alterutram partem, sed totam uteri substantiam ita contorqueri rarissimum esse putabat: Causam esse existimabat propinquitatem nimiam ossis sacri, cui uterus necessum habuisset cedere: Putabat idcirco illam partus habuisse minus felices: ob viciniam enim ossis sacri coangustatur locus perquem fœtui transeundum est: Justo quoque grandior erat uterus, & vasa in eo valde conspicua, quod in vetula mirum. Orificium vesicæ admodum erat amplum: existimabat proinde illam aliquando excrevisse calculos: Inserta tubulo in apertum aliquod vas in Tuba uteri & inflato, plurima vasa hinc inde per tubam discurrentia attollebantur; in quibus vasis sæpe stagnare putabat sanguinem, & variorum morborum in fœminis causam esse. Ductus Thoracicus valde erat exilis, ut diceret se tam exilem in corpore humano non reperisse: Dum immitteret tubulum & inflaret, tentans an partes ductus superiores intumescere vellent, obtinere id non potuit, ob aliquod quasi concretum in ipso ductu, quo remoto intumuit, ut optime pateret insertio ejus in venam axillarem sinistram, Liquore rutilo totus ductus erat plenus, quod sibi nunquam visum ajebat: Vasa cerebri à sanguine valde erant turgida, ut nunquam se adeoturgida vidisse diceret.

In sinu falcis superiore reperiebatur substantia tenax & viscida, per totum ductum falcis dispersa, quale quid frequenter reperiri, in Belgio præsertim, posseque eam a appellari Polypum cerebri aiebat: Addebat reperiri etiam in omnibus venis sæpe talem substantiam, & reperisse se in venis capillaribus: Subinde in venæ sectione in venis hærere talem materiam, ut Chirurgi aliquando cogantur abstinere à venæ sectione, nec eam administrare possint nisi emollita, & sublata hac materia: Aqua cruenta satis copiosa, modicæ salsedinis particeps reperiebatur inter utramque meningem, ut & spumæ satis multum: Cujus causam esse putabat, quod cum inspirando mortua esset, facile potuisset fieri ut in illa angustia aliquid aëris ad

cere-

brum penetrarit: Immisso tubulo in arteriam carotidem & inflato intumescebant omnes arteriæ per totam cerebri substantiam dispersæ: In cerebri ventriculis aqua copiosa salsi saporosis continebatur: Infinita vascula ab arteria carotide tendebant, usque in plexum choroidem, qui ex multis parvis rubicundis glandulis constabat, quo in loco, si quod sit, esse putabat Rete illud mirabile Galeni: Ex radice cerebri duo corpora nervosa satis conspicua utrinque ferebantur in ipsam glandulam Pinealem, quæ se primum reperisse ajebat, ipsi etiam Cartesio ignorata, quem in Anatomicis plane imperitum & inexercitatum fuisse ajebat, ex propria illius ipsi facta confessione. In glandula Pineali arenulæ grandiores reperiebantur: *Ex observat. Iohan. Henrici Brechtfeld; Medici Dani, in Actis Medicis Th. Bartholini anni 1672. observ. 14.*

Non expressit quo morbo interierit vetula, & quanquam Apoplexia interemptam esse suspicari fas sit, quod cerebri vasa sanguine essent turgida, & Sinus falcis superior obstructus esset; Aut Phthisi, ob abscessum & ulcus in Pulmone, Ac obstructionem Ductus thoracici. Si tamen conjecturæ locus, Respirationem illi difficilem fuisse credendum ob Pulmonum & Septi variam læsionem.

Observatio CXXXIV.

Pectoris oppressio & dyspnœa à Pulmonum inflammatorio affectu, & Hepatis magnitudine præternaturali.

Illud jam medicis solenne est, etiam melioris notæ, ut si dubia si morbi idea & causa, illico ad obstructiones imi ventris, Lienis præsertim, recurrant, & mala idiopathica per sympathiam excitata judicent; adeo ut morbi causa alibi quam in fonte quæratur: Junii 8. anni 1677. vocatus fui ab Illustriss. Comitibus de Savigni & Salanova, quo præessem dissectioni cadaveris Puelli, octodecim menses nati, filii dicti Comitis à Salanova: Toto vitæ decursu languidus fuerat, quod lactis & nutricis vitio adscriptum: Respiratio illi plerumque anhela, cum sibilo quodam sed sine stertore, frequens aderat cordis palpitatio, tussicula sicca, pectoris oppressio: volarum manuum squallor & calor, quæ quandoque flavescebant; vicissitudines crebræ ruboris & palloris in vultu: Hæc omnia vaporum è liene & hypochondriis elatorum soboles credita, & obstructionum partium alvinarum, Præscriptæ aliquot purgationes, potus aperientes, fotus imi ventris, à quibus pejus habuit; paucisque diebus ab eorum usu interiit:

Antequam dissectio institueretur, examinatum totum corpus: quod pluribus in locis lividum erat & ecchymosibus latis fœdatum, præsertim in dorso & externis fœmoribus: Macie confectum cum abdominis tumore & scroti latere sinistro, ob Enterocelen, qui ab incunabulis obnoxius fuerat Nobiliss. Puer: Admota novacula, illico extra prosiliere intestina tenuia, quæ cum ventriculo flatibus tumebant: hic vero ab eorum eruptione, flaccidus, mollis & extreme relaxatus apparuit, ac pro ætatis ratione major: Jecur maximum erat, substantiæ tamen & coloris laudabilis: cui adscribenda ἀδδηφαγία & edendi aviditas insignis, necnon ex parte dyspnœa, à compresso diaphragmate: Lien integertimus, Ren sinister dextro duplo fere major, intra parenchyma abscessum pure refertum, avellanæ magnitudine continebat: Dexter naturalis erat: Productio peritonæi, per quam ileon in scrotum devolvebatur, (unde crebri ventris dolores) latissima erat, digitum medium facillime admittens: In pectore vero plerorumque symptomatum & lethi causa apparuit, Pulmones enim inflammationis erysipelat ὤδης prægressæ notas gerebant, marmoris instar variegati, viridi coloris, lividi, rubri, exsucci, paucum tantum cruorem nigerrimum dissecti fundentes; ab omni connexione cum costis undiquaque liberi: Rarissimus autem occurrit casus, Auricula scil. cordis dextra ovi columbini magnitudinem æquans, pure referta, quod è ventriculis cordis manabat: Adeo ut imus venter, si renem dextrum excipias, & ventriculum laxiorem ob dictam voracitatem, culpa pene liberandus fuerit: Cum è contra Thorax, partesque in eo contentæ, nullo vitio idiopathico laborare judicatæ sint, præcipuorum tamen affectuum sedes & lethi causæ. *Ex propriis observationibus.*

Observatio CXXXV.

Boum strages epidemica à vitio Pulmonum, Hepatis, hydatidibus obsessorum, Respirationem anhelosam inducentium, Tussiculam, &c.

Quo obtusior Bilis est, eo oleosæ partes & pingues luxuriant magis, carnesque licentiosius obsident quam naturæ ex re sit: Tum alias, tum Abrahamstropii Sielandiæ 1674. id observasse contigit: Ægrotabat pæne omnis Boum familia, omni corpore languor, respiratio anhela, tussicula rata; comedebant, coibant, impregnabantur, pinguescebant:

Quædam

Quædam utriusque sexus horum animalium dissecui: Pinguedo ubique copiosissima, carnibus flaccidis, Pulmones innumerabilibus hydatidibus referti, quædam duos pugnos æquabant, In vaccæ unius Pulmonibus numeravi 17. exterius, sed copiosiores intra ipsos pulmones latentes numerum non admittebant: Non tenues pelliculæ has involvebant, sed crassæ membranæ, vulneratæ limpidum cruorem profuderunt, quædam, at pauciores, flavescentem: Omnis thoracis cavitas aqua cruenta inundabatur: In alia vacca dexter Pulmo una hydatis videbatur: Circa cordis cum vasis nexum copiosa pinguedo: Cruentus in pericardio liquor, copiosus, similis ei qui thoracem inundaverat: Cor in omnibus, si fibras spectes, flaccidum: In vaccæ alicujus cordis dextro ventriculo substantiam, parieti non septo, adnatam offendi, magnitudine gallæ, quatuor cruribus parenchymati cordis, polypi instar, se insinuantem, extrahi cum cruribus haud ægre potuit; abluto simplici aqua cruore, ceræ instar flavescebat, dissecta copiosas ostendebat fibrillas, cujus stamina sevo farcirentur, substantia concisa igni injecta & pinguedinem fudit, & crepuit; Omnium *Hepar* pessime habuit: multarum vaccarum innumeris replebatur aquosis tumoribus, pugni, pomi, juglandis, avellanæ, majoris minorisvè quantitatis, membrana crassissima corneæ oculorum nec duritie cessit, nec colore: Vulnerari tumores quidam aquam salsam, plerique vel flavescentem, vel viridiusculam amarescentem effuderunt: Rarus erat tumor magnus cui non complures minores includerentur, pari omnino tunica vestiti; nonnullis ex eadem membrana parietes erant & septa: quarum Hepar ita scatebat tumoribus, iis Hepatis color quasi adustus erat, & ex atro rubeus. Aliorum boum jecinora hydatidibus quidem destituta erant, sed passim in scirrhos induruerunt: Omnium cystes felleæ consueto longe majores erant, copiosissimo humore repletæ, qui colore pallidus, leviter amarus, fluidus instar aquæ: Quamplurimis non tantum in omnibus propemodum venæ portæ ramis, sed ductibus etiam bilariis vermes repetiebantur copiosi: Lien, Renes, Genitalia &c. nil præter naturale ostentabant.

Scilicet ubi sanguis sulphuris sui & salis legitima proportione orbatur, facilis est putredo, aut ejusmodi insectis apta corruptio, & succorum benignorum degeneratio, quæ sæpe in generationem copiosæ pinguedinis, sive ea sevum, sive lardum, sive aliud quid mentiatur, facessere potest. *Iohan. Val. VVillius in Actis Medicis T. Bartholini ann.* 1674. 75. *&* 76. *pag.* 132.

Observatio CXXXVI.

Dyspnœa à Strumis in pulmonibus, orificio Stomachi, Omento, Mesenterio &c.

Juvenis Strumis, quæ gulam asperamque arteriam oppresserant, moritur. Eo mortuo repertæ quoque Strumæ in orificio ventriculi, Pulmonibus, omento, mesenterio &c. *Vide tit. de Suffocatione.*

Observatio CXXXVII.

Respiratio læsa ob Hydropem pectoris, Pulmones sideratos, Hepar grandius & scirrhosum.

Nuper cum ex officio in cadavere fœminæ alicujus causam mortis indagarem, cum in supremo ventre nulla mortis signa apparerent, aperto Thorace tota pectoris cavitas aquis diffluebat, sterno enim remoto velut ex fonte lympha cum impetu dimanabat, Verum ergo Hydropem pectoris ibi reperi & ipsam mortis causam (Pulmones enim syderati erant & male affecti) Pergo tamen sectione ad imum ventrem, & ibi ventriculum tam pusillum, tam contractum vidimus; ut pugni magnitudinem non excederet, hepar vero justo grandius erat & scirrhosum, quam is abdomen aquis nec dum distentum esset: *Observatio D. Caspari Collichen Medici Dani, in Actis Medicis Bartholini, anni* 1673. *observ.* 118.

De Pectoris hydrope pauca apud Practicos reperimus, ita enim *Laz. Riverius* Pr. med. l. 7. c. 5. Practicorum vulgus hunc morbum non describit: *Car. Piso* tamen Tract. de morbis ex colluvie serosa, p. 214. & nuper *Sylvius* in Praxi sua l. 1. c. 50. paulo fusius & satis accurate de eo scripserunt, frequens tamen est malum in oris præsertim maritimis, ratione scorbuti, & cognitu difficile. *Idem ibidem.*

Nulla signa apparent] Ut cognitu difficilis est iste morbus, ita etiam curatu: Cognoscitur enim proprie difficultate spirandi, quod signum tamen ambiguum est: signum pathognomonicum statuere oportet, inquit C. Piso, Eam in spirando difficultatem ac crebritatem, quæ de subito somni primo tempore invadat & quiete defraudet, sed tamen procedente die sensim lentescat; quod signum tum ratio mihi dictavit, tum experientia in omnibus confirmavit: Curatu difficilis est, *pergit Piso*, Vacuatio certè contentæ materiæ in thorace tentari quidem posset sive purgantibus, sive aliis id genus, sed verendum ne ab eorum calore agitata materia dyspnœa increbescat, suffocatioque suboriatur: quo sane consultius videtur ut vacuetur illa sensibiliter thorace aperto cauterio potentiali, in aliis autem masculini animi, actuali: *Idem.*

Hepar justo grandius & scirrhosum) Sic in omni hydropis specie Hepar laborare verum est, cum enim sit colatorium sanguinis, illo male affecto etiam sangui. partur ratione seri quod vehiculum est sanguinis, unde hydrops & alia mala, prout Hepar affectum est, *Idem.*

Observatio CXXXVIII.

Dyspnœa ab Hydrope Thoracis, Diaphragmatis exulceratione, Crassitie membranæ Pulmonum, Parenchymatis eorum duritie; Glandulis in eo, vario vitio partium naturalium

ANno 1663. die 22. Junii Clariss. Pylvius in nosocomio Leydensi secuit Saram Jansen, in cujus cadavere sequentia notatu digna occurrebant; Hepar in dextro latere loco admodum profundo situm erat, & quia satis grande, partes subjectæ inferius, quam secundum naturam esse debebant, sitæ erant: Suspensorium Hepatis, quod solet esse in dextro, vel medio Thoracis, plane in sinistra parte situm erat, & tres digitos transversos minimum distabat à medio: alter lobus Hepatis occupabat totum sinistrum hypochondrium, quod eo totum replebatur: Folliculus fellis in sinistro etiam conspiciebatur latere: Tinctura ipsi peritonæo à folliculo fellis erat inducta: Ventriculus non continebatur in medio, sed totus in sinistro hypochondrio situs erat, & quodammodo convolutus: Pylorus etiam erat in sinistro latere. Ventriculi substantia inferior interius nigricabat, & vasa minima insigniter conpicua erant, & stellulas quasdam quasi repræsentabant, ex quibus alia vasa exibant: Pancreatis substantia bene se habebat, sed glandulæ conglobatæ ipsi adhærentes grandiores & duriores erant: Lien admodum exiguus erat, ut raro tam exiguus appereat: Intestinum colon situm erat loco decliviore ob hepatis magnitudinem & flatibus erat turgidulum, cumque communiter è dextro latere transversim versus sinistrum feratur, in hoc subjecto deorsum ferabatur: Vasa minima & capillaria in eo variis in locis turgidula erant, quod indicium esse putabat alicujus φλογώσεως, idque sibi nunquam in crassis intestinis visum. Tam tenuis etiam erat membrana intestini ut in nullo tenui esse soleт, quod etiam rarum: apparebat autem tenuitas illa eo potissimum in loco ubi major ejus erat distensio: Intestina tenuia aliqua sui parte distenta erant, & vasa illorum turgida & rubicunda, aliqua vero parte flaccidas & pallida: Glandulæ plures notabiles in mesenterio apparebant: Ren dexter admodum grandis erat, Sinister comprimebatur à partibus superioribus, quare etiam aliam à naturali conformatione habebat figuram. Ductus Pancrearicus satis grandis erat, ut duos stylos admitteret, ingressum ejus in intestinum cum ex pancreate non posset invenire, dissecto intestino & immisso stylo in orificium ductus bilarii, manifeste in intestino protuberantis, stylus in ipsum ductum pancreaticum penetrabat, Spatium insertionis ductuum in intestinum quatuor circiter transversos digitos distabat à pyloro. *In cavitate thoracis, potissimum in dextra ejus parte aqua fœtida copiosa continebatur, qua aliquot catinos implebat.* Ab acrimonia illius aquæ, pleura & tota superficies interior diaphragmatis exulceratæ erant & erosæ ut etiam pus durent. Membrana Pulmonis dexrri quadruplo fere crassior reddita erat ab illa aqua purulenta, Pulmo dexter plane durus erat & corrugatus, coloris lividi & fœdi. In partibus superioribus interius corrumpi cœperat Pulmo dexter & aliquid puris continebat: Pulmo sinister melius habebat, in sinistro latere aqua etiam coeperat colligi, sed limpidior, nec partes ita rubebant & excoriatæ erant: hinc inde in substantia pulmonis sinistri parvæ glandulæ erant: Pericardium plenum erat aqua limpida, quæ 6. vel 7. cochlearia implebar, cum vix naturaliter duo cochlearia adesse debeant, In orificio interno uteri materia viscida reperiebatur. In parte interna colli uteri parvi quidam musculi eleganter apparebant. *Observatio D. I. Henr. Brachtfeld in Actis M. Bartholini ann. 1673. Observ. 16.*

Observatio CXXXIX.

Dyspnoea à Pulmonum vitio, & spiritalium partium compressione ab utero elato.

MUlier quædam à partu statim expiravit: Uterus illius occupabat totam capacitatem ventris usque ad foveam pectoris, ventriculùmque compulerat versus diaphragma: Pulmo lividus atro sanguine refertus; laboraverat autem asthmate *Vide lib. 3. tit de partu difficili.*

Observatio CXL.

§. I. *Dyspnoea à multiplici viscerum vitalium & naturalium vitio.*

VIcentinus, &c. Pulmones habuit nimio vini potu debiles, hinc tussis, Respirationis difficultas: Apertum cadaver exhibuit pulmones male constitutos, siccos. Dexter costis adhærebat mediante muco: Serum aderat in thoracis cavitate, in musculis externis & visceribus; cordis auricula dextra sanguine distenta erat. *Vide Tit. de Phthisi.*

§ 2. Uxor N. affectibus tentata, tussicula, Dyspnoea, hydrope, &c. Pulmo dexter materia purulenta plenus erat; sinister humore seroso. Scirrhi per totam eorum substantiam, Lapides plurimis hinc inde sparsi: hydrops abdominis. *Vide Tit. de Phthisi.*

§. 3. N.

§. 3. N. Palpitationi cordis cum asthmare obnoxius fuit: Corrupti pulmones deprehensi sunt, Lobus dexter diaphragmati annexus: hoc sursum à colo tumido compulsum. *Vide tit. de Cordis palpitatione.*

§. 4. Dom. N. Pulmones magni, flaccidi, colore lividi, variegati & quasi gangrenatis diaphragmati arcte connexi, ut & pleuræ, Hepar diaphragmati annexum: Pinguedinis copia vestiebat omnia viscera, ob quod pondus spiritus impeditus fuit. *Vide lib. 3. Tit de ventris tumore.*

§. 5. Iuvenis (*ischuria laborans*, *Vide lib.* 3.) de difficili respiratione conqueritur: Hepar & Pulmones diaphragmati cohærebant: aderat polypus in corde, cum hydrope abdominis.

§. 6. Nutrix in difficili partu obiit; uterus ad foveam pectoris pervenerat; ventriculum compulerat versus diaphragma; aderat hydrops abdominis. Pulmo erat lividus, atto sanguine refertus: Ex thoracis capacitate aqua ichorosa effluxit; Laboraverat asthamate. *Vide lib. 3. tit. de partu difficili.*

§. 7. Fr. Chapuis, gravida à sex mensibus in continuam febrem incidit, erecta cervice spirabat, rubor erat genarum: Fœtus aperto corpore in conspectum venit grandior: intestina omnia flatibus turgebant: Pulmones erant tumentes, lividi, pure prægnantes, *Vide l. de Febribus.*

§. 8. D. N. Aliquot ante obitum septimanis, gravissimis destillationibus affatim è capite destillantibus in thoracem infestabatur, ut nonnisi recta cervice spirare fas, unde aliquando ingens impendebat suffocatienis discrimen: Aperto demortui thorace inventum pus in eo: Hepar, Pulmones & Cor, in arido & exsucco corpore admodum grandia & pallida. *Vide lib. 1. tit. de melancholia.*

§. 9. Illustr. Dom. de l'Isle (de quo tit. de Phthisi) præeunte virium languore, febre lenta & tussi à Pectoris oppressione ac dyspnoea extinctus est. Huic Pulmones tumidiusculi inventi sunt, & repleti partim humore lutulento partim flatu; Iecur in extraordinariam molem excreverat.

§. 10. Vitiosa Pectoris figura in Rachitide Respirationem facit impeditiorem ac crebriorem. Jecur quoque supra modum adauctum, cum in ventre non inveniat spatii satis, in thorace mutuatur quod ipsi deest, ac versus superiora assurgens, diaphragma longe impellit. *Vide Tit. de Gibbositate.*

§. 11. Conquestus quidam de Febricula, dyspnoea, dolore hypochondrii dextri: Ingens abcessus in Jecore inventus, Thorax pure abundabat. *Vide lib. 3 tit. de Hypochond. dolore.*

§. 12. Uxor N. diu Dyspnoea laborabat: Illius Hepar durum: Pulmo dextra parte materia purulenta; sinistra sero imbutus erat: per totam substantiam scirrhi plurimi, & lapides hinc inde dispersi. *Vide Tit. de Phthisi.*

§. 13. Puella ab ephemera febre in hecticam incidit. Illius Hepar mediante materia gypsea tenaciter diaphragmati adnatum erat, hinc anhelitus difficultas: Thorax aqua plenus, Pulmones materia purulenta & steatomatis imbuti erant. *Vide tit. de Phthisi.*

§. 14. Seren. N. febre duplici tertiana afficitur cum spirandi repentina difficultate: Intestina omnia flatibus distenta erant. Jecur tumidum cor prægrande: In cavo pectoris aquæ ℔ v. Dextra pulmonis pars flaccida, crasso & mucoso humore oppleta; Sinistra in saniem resoluta, tunica pulmonis ut in sacco concepta, &c. *Vide Tit. de Febrib.*

§. 15. Dom. N. palpitationi obnoxius fuit cum asthmate: Pulmones putridi reperri; lobus dexter diaphragmati per corpus cartilagineum connectebatur. Diaphragma sursum compulsum erat à tumido ob flatus colo. *Vide tit. de palp. cordis.*

§. 16. Uxor N. pleuritide lateris sinistri correpta interiit. Lobus dexter pulmonis parenchymate erat destitutus, membrana superstes diaphragmati arcte connexa: Sinister rotus in putrilaginem abierat: Pleura crassa erat, syderata: Cor solito majus Diaphragma solito elatius, à Jecore tumido, scirrhoso maximo sursum compulsum. *Vide tit. de Exspuitione purulenta.*

§. 17 N. fatigatus & calefactus, potui litavit, hine dolor thoracis cum Respiratione difficili, &c. Pulmo dexter totus erat scirrhosus cum fistulosis ulceribus, adnatus pleuræ, diaphragmati &, mediante hoc, hepari. In sinistro erat quoque ulcerosa colluvies, & cum pleura cohæsio. Sanguis in utroque cordis sinu nigerrimus, Hepar totum adnatum diaphragmati, &c. *Vide Tit. de Phthisi.*

§. 18 Doctor Rumoldus pluribus annis asthmate ac orthopnoea, ut nonnisi erecta cervice spirare posset, defatigatus fuit: Præter bina in pulmonibus tubercula, lxxij lapilli in vesica fellis & poris choledochis sunt repetti. *Vide lib. 3. tit. de Ictero.*

OBSERVATIO CXLI.

Respiratio in Bobus difficilis à pila conglobata in ventriculo oboriente.

COncrescunt Poma in Boum ventriculis: quę penitus examinans, interius ex meris pilis bovinis arctissime compactis constare reperi, & exterius glabra, nigra, & dura pelle regi: Unde credidim boves sibimet pruriente cute dentibus pilos evellere, qui cum ab omaso digeri nequeant, in massam coguntur rotundam, quę postea in pilę majoris magnitudinem excrescit, unde anhelosi & asthmatici diu incedunt. *Gualt. Charleton Diatriba de Lithiasi sect. 1. cap. 2.*

OBSERVATIO CXLII.

Dyspnoea à ventriculo ob pus intra membranas conclusum tumente.

REspiratio intercipi potest à diaphragmate introrsum compulso à ventriculo tumente, & pure inter duas membranas collecto prægnante; ut observavi in mattona, uxore Mag. Joh. Chavotii Pharmacopolæ. *Car. Piso de morbis à sero sect. 3. cap. 4.*

D*Iaphragmate interdum compulso à ventriculo*) Ventriculum situm naturalem interdum mutasse observatum, dum aut sursum revulsus diaphragma premit; quod à pastu dyspnœam induci; aut deorsum fertur, imo ad umbilicum usque; aut ad latera declinat: Qui plurimo utuntur alimento dyspnoeæ fiunt obnoxii, tum ex multitudine sanguis, unde major occasio ipsi pulmoni sui implendi, & oppressionis occasio major: Tum ex ventriculi tumore, hic enim ingesto alimento, ut pars membranea, facile dilatatur; & assiduitate capiendi multi alimenti, dilatatur magis; unde sive plenus, sive vacuus, ut amplificari solitus, diaphragmati, liberæ respirationis instrumento, oneri est: hoc pressum thoracem angustum reddit parte interiore; hinc pulmo, præ angustia thoracis corde æstuante, majus refrigerium requirit.

OBSERVATIO CXLIII.

Dyspnoea à ventriculo tumido diaphragma premente.

MUlieri venter in insignem molem excrevit, cum difficultate Spirandi. Ex aperto ventre xc. libræ aquæ prodierunt, quas è ventriculo miro dilatato ortum habuisse ostendebant superstites vesicæ. *Vide Tit. de ventris tumore.*

OBSERVATIO CXLIV.

Dyspnoea ob vitiosum ventriculi & omenti in thorace situm.

STudiosus graves singultus & vomitus passus, in sinistro latere thoracis omentum & ventriculum sitos habuit. Ante vivebat athletice, nisi quod asthmate paulisper laboraret. *Vide lib. 3. tit. de vomitu.*

OBSERVATIO CXLV.

Dyspnoea à ventriculi parte, cum portione duodeni & coli, in thoracem per pertusum diaphragma delata.

MIliti gladius anceps paulo infra cartilaginem xiphoidem intruditur, hinc respiratio intercipitur, &c. Invenitur ventriculi orificium & pars sinistra ejus, cum porrione duodeni & coli ad thoracem per vulnus diaphragmatis delatum, &c. *Vide lib. 6. de vuln. r.*

OBSERVATIO CXLVI.

Dyspnoea à tumente ventriculo ob serum intra ejus membranas coërcitum, Hydrope abdominis.

MUlieri gravidam se credenti abdomen in magnam molem excrevit: tandem in febrem continuam incidit cum difficultate spirandi, &c. & 7. die obiit. aperto abdomine ingens serosæ humiditatis factum est effluvium: Ventriculus prægrandis per medium dissectus ulnam Parisiensem superabat: membrana interior multis hydatidibus conspersa erat, &c. *Vide l. 3. tit. de ventris Tumor.*

OBSERVATIO CXLVII.

Asthma periodicum à flatu tumidis intestinis, & lapide insignis magnitudini in cysti fellea.

HOc anno circa finem Janu. mortua matrona quædam, vidua N. per triennium asthmato periodico detenta: hanc humi sedentem, erecta cervice respirantem, pedes & ventrem tumidum biduo ante mortem, cum ordinario alias Medico D. D. Schilpachero, visitavi. Cum adstantes vomitorum urgerent, nos vero summam virium prostrationem & extrema instare adverteremus, timendo ne in ipsa operatione medicamenti ægra deficeret, illùdque ac si eo strangulata fuisset nobiscum diffamaretur, postulatum cautè declinavimus, alia præscribendo: Avidus filius sciendi unde hæc Dyspnoea, aperiendam concessit. Dissecto itaque thorace, ubi omnes alias Medici vetam sedem figunt Asthmatis, in Pulmonibus nil neque viscosi, neque serosi, neque impacti quicquam in illorum bronchiis observavimus, sed bene constitutos ac laudabiles invenimus, præterquam quod exiguis fibrillis hinc inde, imprimis in dextro latere pleuræ adnexi hæserint: In hoc tamen non acquievimus, cum vitium illud à prima conformatione videretur, ipsa vero à triennio demum asthmatica: Continuavimus itaque sectionem, ventrémque, qui, ac si hydropica fuisset, distentus erat, aperuimus, sed remotis integumentis ne gutta effluxit aquæ, intestina vero omnia, imprimis jejunum, mire inflata, distenta & tota vacua conspecta: Lien bonus, ut & Hepar laudabile: vesica fellea magna, aperta nihil continuit bilis, sed lapidem inclusum habuit magnum, inæqualem, pondere quatuor drachmatum officinalium: *Carolus Raygerus Observ. xi. Miscell. curios. anni quarti.*

HInc conclusimus Asthma fuisse flatuosum, & flatulentiam auxisse alvi constipationem prope continuam, ortam proculdubio à defectu bilis, nam per aliquod tempus nunquam, nisi clysteriis aut aquis laxativis, sollicitata alvus fecit officium, ad omnia autem purgantia melius se habuit: Vidimus etiam frustra quod à nobis exhibitum fuisset vomitorium, si quidem materia non impacta fuit Pulmonibus, flatus vero per superiora pauci vel prorsus nulli evacuantur, *Idem.*

OBSERVATIO CXLVIII.

Dyspnoea ob tumida flatibus intestina.

MInoris ordinis D. Francisci socius, Respirationis difficultate aliquando laborans, coli dolore subito è vita discessit.

Intestina ejus adeo flatibus intumuere, ut ventre aperto in adstantes prosilirent: compresso igitur septo transverso Pulmonibus movendi atque Respirationis facultas cohibita fuit. *Ioh Rhodius Cent. 2. Observ. 26.*

OBSERVATIO CXLIX.

Dyspnoea à fæcibus exulceratis intestinis in cavum abdominis effusis, viscera versus thoracem compellentibus.

VXori N. post partum venter intumuit, &c. accessit respirandi difficultas quæ in dies increscens vitæ finem imposuit. Dissecto ventre, sordes nigræ, quales in cloacis, effluxerunt, crassæ, foetidæ quarum tanta cópia ut quatuor urnas implere potuissent, &c. Distensio ventris tam magna, ut jecur, lien & ventriculum, cedente septo, intra pectoris spatium ascenderint. *Vide lib. 3. Tit. de ventris Tumore.*

OBSERVATIO CL.

Dyspnoea à flatibus viscera omnia replentibus.

LUdovicum N. vidimus spiritus magna angustia affectum: Viscera omnia in eo vento plena conspeximus. *Vide lib. 3. Tit. de ventris doloribus.*

OBSERVATIO CLI.

Dyspnoea ab obturatâ arteria cœliaca à pituita concreta, & hujus aneurysmate.

ANna N. febrem incurrit stipatam orthopnœa, pulsatione vehementi supra ventriculum, &c. Detecta parte quę primos magnę arterię divaricatus sentit, corpuscula offendimus tria ex pituita concreta, transversim arteriæ ductum obturantia, &c. Arteria se obtulit cœliaca ita dilatata ut compressum pugnum admitteret, &c. *Vide tract. de Febrib. l. 4.*

OBSERVATIO CLII.

Asthma ab Hepate magno, materia indurata infarcto, Pancreate maximo.

VIr Nob. dolore hypochondrii dextri per plures annos conflictatus fuit, cum ventriculi & diaphragmatis compressione. Initio, cum degeret in agro Pictavienſi hic dolor pro colico, huic regioni vernaculo, à Medicis judicatus fuit. Ex remediis parum utilitatis habuit: postea Lutetiam ſe contulit, celebrioréſque urbis Medicos advocavit, quorum judicio abſceſſus in Hepate genitus dicebatur, variáque abſque emolumento exhibita: Ego ſub finem morbi & vitæ vocatus inveni ipſum gravi Dyſpnoea laborantem, & dolore hujus lateris & abdominis ita vexatum & compreſſum, ut neque in dorſum nec in latus poſſet recumbere, ſed cogeretur reſidere in lecto & pro doloris gravitate & vehementia ipſe diſrumpi ſibi videbatur tandem atrocibus hiſce doloribus confectus extremum obiit diem.

Aperto cadavere Hepar magnum multis abſceſſibus refertum inventum eſt, & materia quadam indurata, vitellóſque ovorum colore referente, repletum. Pancreas erat admodum ingens: Ren erat luxatus & è ſuo loco dimotus, propellente ſcil. ipſum paulatim deorſum Pancreate. *Cattierus Obſerv. x.*

M*Ateria vitellos ovorum colore referente*) Vitellina erat b.lis à calore exſiccata: Veriſimile eſt cum morbus ab initio pro colico habitus & curatus ſit, in uſum ducta fuiſſe remedia calefacientia, qualia ad ejuſmodi morbum, pituitæ & flatuum fere ſobolem, uſurpantur: Ab his bilem in jecore hoſpitantem incanduiſſe & dolorum maximam partem induxiſſe novam genitam; &c.

Ren erat luxatus) Fr. *Pedemontanus*, qui continuavit Grabadim, i. e. Practicam Meſuæi, mentionem facit diſſocationis Renum & veſicæ, atque remedia proponit ad curationem ejuſmodi morborum. Verum quidem eſt luxari Renem, ſed dicitur de veſica, quæ firmiter affixa eſt & incluſa duplicato peritonæo: Cauſa luxationis Renis poteſt eſſe violenta & diuturna tuſſis quæ perenniter exagitans Diaphragma, ejus extremitates, quibus incumbunt Renes, poſſunt Renem alterutrum ſua ſede dimovere. Ren dexter magis obnoxius eſt luxationi, quia macrior ob viciniam jecoris, liquata pinguedine, quæ ipſum inſtat glutinis lumbis affigit, facilius devolvitur. *Riolanus Anthropogr. lib. 2. cap. 26.*

OBSERVATIO CLIII.

Dyſpnoea ob tumorem Hepatis ſcirrhoſum, & Lienem in tabum reſolutum.

LÆdi poteſt Reſpiratio ab alterutro viſcere, aut utroq; in inſignem tumorem elato: juxta illud Hippocratis, *Orthopnoeam inferunt hydropici affectus duri.* Coacar. ſect. 2. l. 5. §. 29. ut hoc tempore vidimus in ſtudioſo quodam, Iſraele l'Alman, qui à quatuor menſibus *inſigni tumore* inflammatorio Hepatis oppreſſus, cathedræ toto eo tempore inſidere & indormire coactus, interiit nuper, cujus Parens ſimili orthopnoea triennio ante jugulatus eſt.

In cujus cadavere Hepar ſcirrhoſum valde inventum, una cum liene in tabum verſo. *C. Piſo de morbis à ſero Sect. 3. cap. 4.*

I*Nſigni tumore*) Hoc exemplo utitur Excell. Th. Bartholinus, Tract. de vaſis Lacteis cap. 15. probaturus ſuffocationem, ſive orthopnœam ſæpe induci, delato univerſo chylo ad thoracem per novos Ductus thoracicos, quia hujus commeatus ad hepar ob illius affectus p.n. intercipiatur: quo in caſu vitam & ſanguinis munia ſupplere & præſtare cor ſtatuit, ſed quia ſolum nequeat hepatis auxilio deſtitutum, perire hominem: Hujus læſæ reſpirationis cauſa vulgo aſſignatur tumido viſceri, diaphragmatis liberum motum impediente: Sed & aliis illius affectionibus, citra tumorem, ut ſcirrho, corruptioni &c. ſucceſſiſſe fidem faciunt plurima exempla: Hinc recte colligit Vir illuſtr. orthopnoeam illam irruenti affatim chylo, pulmonéſque in tranſitu afficienti, adſcribendam eſſe.

OBSERVATIO CLIV.

Aſthma ab abſceſſu juxta lienem genito.

NObilis vidua per multos annos pedem graviter ulceratum & fontanellam etiam in altero habuit, horum diuturna moleſtia defeſſa, per Chirurgum, diſſuadente me, conſolidari tamen & ad cicatricem perduci curavit, quo facto, ſtatim ſpirandi difficultas occupat, appetitu edendi non dejecto; imo ipſa dicente, jam vegetiori reddito ita ut deſiderio indulgere, ob aſthma, nunquam audeat, Tandem facies & manus extremæ, cum abdomine atque pedibus, ob humores ſtagnantes, & exitum amplius non habentes, intumuerunt, & aſthmate aucto, viribus diuturnitate fractis & attritis, vitam naturæ reddidit.

In hujus post mortem latere sinistro, ad lienis situm, abscessus, quem omnium cum admiratione, occultum habuerat, apertus inventus est, ex quo, defuncta jam ipsa, magnam fœdissimæ saniei copiam effluxisse mihi relatum: Hinc patet ulcera diuturna, aut abscessus, in quos natura se exonerat, caute tractandos esse, nisi in aliud tristius discrimen se conjicere quis velit. *Greg. Horstius Observ.) xv*) *lib. ix.*

Consolidari) Hippocr 6. Epid. sect. 3. tit. 28 vetat abscessus, qui aliorum affectuum medela sunt, curari; In quem locum commentarium Vallesii memoria ten ndu: Definitio, *ait*, horum abscessuum diuturnitas est, sicut enim diuturniquod natura jam consuetudinem eo mittendi comparaverit: Igitur in omni diuturno abscessu, sive sit cum evacuatione; ut ulcus, fistula aut hæmorrhois, Sive etiam sine ea, ut vetus podagra videndum quomodo cures, Plurimi enim eorum qui tali morbo multis jam annis laborarunt, solent in nephritidem aut asthma, aut etiam aliquam apoplecticarum passionum incidere: ut contra multis fieri vidi ex Epilepsia, aut alio cerebri morbo magno, nephritidem, & ex hac podagram. Tales igitur abscessus, cum jam sunt inveterati, etsi cum evacuatione non sint, dico esse aliorum morborum medelam, ut fistulas: quare sæpe curari prohibeo, aliquando etiam fieri suadeo, juxta præceptum *Hippocratis*, Quibus in morbis facti decubitus liberant, eosdem si ante fiunt prohibent.

Observatio CLV.

Dyspnoea à variis Hepatis & Lienis vitiis.

INstrumenta respirationis moventia aliquando impediuntur ab externo corpore, ut hepate p. n. diaphragmati agglutinato: hinc retardantur in suo motu, ut nos vidimus non semel, & nuper in Nobili juvene & Religioso ex familia de Pouly. *Car Piso de morb. à Sero sect. 3. cap. 4.*

Bimulus Princeps defunctus 26. Julii 1676. Hepar illi valde durum, albicans, inusitatæ magnitudinis. Præterea undique angustum & arcte costis spuriis & diaphragmati accretum: hinc facile colligi potuit unde difficilis Respiratio orta. *In Actis Medicis Th. Bartholini ann.* 1674. 75. 56.

§. 3. Puella in hecticam incidit cum tussicula, Anhelitus difficultate. Hepar mediante materia gypsea tam tenaciter diaphragmati adnatum erat, vix ut avelli posset *Vide Tit. de Phthisi.*

§. 4. Matrona semper conquesta de difficili respiratione. Hepar pendebat libras xxiii. Duo tumores saxei pendebant ab ejus suspensorio. *Vide lib. 3. tit. de ventris tumore,*

§. 5. Cuidam dolor & tumor in hypochondrio dextro cum Dyspnoea. Inventus ingens abscessus in Jecore unde pus venæ cavæ ramum superiorem subierat & thoracem. *Vide lib. 3. tit. de Hypoch. dolore.*

§. 6. Cuidam aderat febris, pulsus durus, Dyspnoea, & dolor in superiore parte thoracis: Vomica in Hepate, cum maxima puris coacervatione inventa. *Vide tit. de Lateris dolore*

§. 7. Dom. Penso magnus erat abdominis tumor cum anhelitus difficultate, &c. Aperto abdomine prodiit Lien maximus, latissimus, ita ut totum impleret abdomen: Jecur valde durum, obstructum, pendens libras xi. &c. *Vide lib. 3. t. de ventris Tumoribus.*

§. 8. Vir sinistri lateris tumore & dolore diu cruciatus fuit: Lien insolitæ molis adhærebat diaphragmati firmissime, unde Spirandi difficultas quam ambulaturus fuerat expertus. *Vide lib. 3. Tit. de Hypochond. dolore.*

§. 9. Latus sinistrum deciduo ex loco superiore lapsu afflixerat Th. Iohannis, &c. Extrinsecus illæsum in tumorum assurgit, &c. Accedebat anhelandi difficultas quam rebantur alterius morbis sobolem, &c. Unica tot malorum causa fuit Lien isto lapsu læsus, qui præter modum induruerat, & magnitudine diaphragma premens, dyspnoeam induxerat. *Vide l. 3. Tit. de Hypochondr. Tumoribus.*

REspirationem lædi à tumente Liene, pondere suo diaphragmatis, cui alligatur, motum impediente notat *Mœbius in Medi. Physiolog. cap.* 17. §. 17.

§. 10. Mulierem diu fatigavit Dyspnoea, cum abdominis mole: Aquarum stoffæ xv. educuntur, inventùmque Hepar xxiii. libras ponderans, scirrhosum. *Vide l. 3. tit de ventris Tumore.*

Observatio CLVI.

Dyspnoea ab insigni Mesenterii tumore, in quo plures vesiculæ, Iecore magno septo accreto, &c.

Filia N. dissecta ostendit in mesenterio insignem tumorem ponderis lib. xx. interius referto pluribus vesiculis limpida aqua distentis, &c. Integro triennio vix unquam spiritum

tum libere duxerat; sive ob copiam aquæ, sive ob jecur diaphragmati onerosum & illi firmiter accretum. *Vide lib. 3. tit. de ventris tumore.*

Observatio CLVII.

Dyspnoea producta à variis Mesenterii vitiis.

§. 1. Mesenterii glandulam offendit Fab. Bartholetus in muliere, quam plures annos gesserat; unde Dyspnoea, retracto per ventriculum diaphragmate: mirum ἀνάδοσιν haud interceptam fuisse. *Ioh Rhodius cent. 2. Observ. 25.*

Mirum ἀνάδοσιν) Ea glandula ab Asellio Pancreas vocatur, & qua venarum lactearum originem deducit, quæ ibi in unum omnes coeunt, indéque tum sursum tum deorsum ad hepar porriguntur: Revera mirum anadorsin ideo non fuisse impeditam, neque atrophiam sequutam; Sed chyli Receptaculo Ductùque chylifero illæsis, chyli distributio illac commeatum habuit.

§. 2. In Asthmatico crebra & per intervalla anhelosa respiratione affecto, tam gravi insultu ut sæpe ὀρθοπνοικῶς sederet, in paroxysmo mortuo, nullum in pulmonibus vitium, sed in Mesenterio magnarum glandularum copiam inveni, argumento evidenti non omnia asthmata à defluxionibus in pulmonem, sed sæpe vaporibus solis ex hypochondriis ascendentibus oriri. *Guern. Rolfinkius Dissert. Anat. lib. 1. cap. 13.*

§. 3. Quidam cum ventris tumore querebatur de difficili Respiratione. Aperto abdomine ingens moles, pinguedinem in superficie referens se exibuit, totum fere mesenterii spatium occupans. *Vide lib. 3. tit. de ventris tumore.*

§. 4. Isabellæ N. abdomen in tumorem sensim ac fine sensu increscere cœpit: Respiratio illi erat difficilis &c, Mesenterium totum, atque in mesenterio Pancreas, tumore miro & incredibili turgens animadvertimus &c. suberant infiniti in eo abscessus &c. Respiratio ob septi compressionem difficilis erat, &c. *Vide l. 3. tit. de ventris Tumoribus.*

Observatio CLVIII.

Dyspnoea inducta à variis Omenti affectibus.

§. 1. Dyspnoeam in muliere deprehendit Fabritius Bartoletus ab *Omenti pinguedine* septum transversum comprimente: Dissentientibus Medicis, qui pulmonum hydropem adesse cogitabant. *Rhodius cent. 2. Observ. 24.*

Omenti.) Omentum membrana est pinguedine obæsis copiose perfusa, ventriculo circa fundum conjuncta: Quousque se demittat in vivo corpore varie disceptatur; aucta que pinguedinis mole ponderosum redditum, potius infra tendit quam ascendit: hinc in mulieribus utero presso sterilitatem aliquando invehit: Si ergo adipe copioso perfusum Dyspnoeam peperit, id contigit à compresso ventriculo qui sursum compulsus diaphragma oppressit, liberumque motum impedivit.

3. *Dissentientibus Medicis.*) Difficultatem spirandi non solis spirabilibus organis affectis imputandam esse, quod quibusdam visum, sed & à partium imo ventre conclusarum vitio pendere ostendit Galenus cap. 12. lib. 2. de Difficili respir. Perspicuum est, *ait*, quod ventriculus, peritonæum, splen, hepar, alvus, superiora tenuia intestina, & musculi præcordiorum in magnis thoracis motibus dolore vexantur, minus in parvis: Ob id parvus & densus, non solum in pleuriticis, sed in ventriculi doloribus & totius ventris spiritus erit: Consimiliter respirabunt qui hepar, aut splenem, aut aliquod ex eis membrum affectum habebunt: Omnia enim talia partim appensa, partim agnata, Respirationis instrumenta ad horum motum commoventur: *Hactenus Galenus*, Quæ valde notanda sunt, fere enim omnes cum difficilem respirationem vident, accusant pulmones, cum sæpe vitium in imo ventre resideat, & tunc est adminiculandum partibus in eo contentis relicto thorace.

Ab Omenti pinguedine.) Microscopii ope detexit *Malpighius* Epiploon, ingentis instar facci constructum esse, sacculos altos innumeros intra se continentis, adipis congeriem sinu suo concludentes: Vasa plurima, adiposa ipsi dicta, ex ea membrana exilire observavit, ac per totum corpus diffundi, adipem convehentia, non secus ac arteriæ sanguinem afferunt: Ac ubicunque adeps reperitur, ibidem ejusmodi sacculorum numerum reperiri, in quibus reconditur: Eáque de causa in macilentis corporibus & extenuatis, pinguedinis vice membranulas tantum occurrere: Addit Idem, sacculorum & cystidum illarum structuram, vasorumque adiposorum, fat manifeste ostendere Adipis generationem accidentariam non esse, ex sanguinis pinguibus vaporibus, quæ communis est opinio: Sed verisimile esse potius inservire salium temperationi per sanguinis massam & serum diffusorum: Revera ideo macilentos, & quibus Epiploi portio exsecta est, præ cæteris Rheumatismo esse obnoxios, lienteriis similibusque morbis facilius tentari quorum acrimonia humorum parens est: Viceversa pingues iis minus affici, quod seri acrimonia admixtione adipis emendetur, non secus ac lixivium quodvis, utcunque acre, ab admixto oleo hebescit. *In*

Tetrade

Tetrade anatomic. Epist. M. Malpighii, & Carol. Fracassati. & thoracis, vide supra signa & causas observat. 74. & sequenti.

Pulmonum hydropem.) De hydrope pulmonum

§. 2. Ego vidi Omentum carnosum, seu potius glandulosum, semipollicati crassitie, è virgine cachectica exsectum, (*Vide lib. 3. tit. de Cachexia.*) Abdomen circa regionem umbilicalem diutiusculum & subtumidum apparebat: paulo post tussicula cum Spirandi difficultate oborta est &c.

§. 3. Uxori N. ejusmodi erat ventris tumor ut ascitem mentiretur; cum compressione pectoris ac diaphragmatis &c. Aperto abdomine intestina juxta dextrum latus ascendentia occurrebant; quibus remotis Tumor ingens, totam capacitatem infimi ventris complens, occurrit, Exemptus pendebat libras lvj. &c. *Vide l. 3. tit. de ventris Tumor.*

Observatio CLIX.

Orthopnoea à Rene purulento.

Nicolæa Honorata cum febre lenta laboravisset, & bene cœnavisset, cœpit brevi spirate & frequenter. Ista respiratio mansit donec expiraret: Retulimus ad ventrem inferiorem malum, non ad pulmonem, alii contra.

Aperto cadavere repertus est Ren dexter purulentus: unde credibile à maligno vapore hanc orthopnæam siccam inductam fuisse: Incredibile enim qualia symptomata afferat aura venenata à pure traducta: Porro huic puellæ pulmones erant integri: aliquantula pars adhærescebat costis, sed id non erat ἀξιόλογον: *Gul. Ballonius Epid. & Ephem. lib. ij. pag. 497.*

Hispanus, Nicolæa Honorata, Nicolaus Du Buisson, neptis uxoris Gilberti, interiere pene morbo consimili: Omnibus Medicis negotium dedit: imo ausim asserere morbum non intellexisse: Difficultas erat spirandi summa; spiritus frequens & parvus ad mortem usque, in sicco velut spirare videbantur: nec tussis nec sputum, spiritum ne ad momentum cohibere poterant: erecto paulum corpore ita frequens & parvum spirabant febris non erat magna nec quæ istam respirationem requireret: Medici accusabant pulmonem, alii catarrhum esse putabant, alii inflammationem, aut phlogosin pulmonis: Quod non erat credibile, cum febris non esset, saltem commemorabilis: nec phlebotomia, nec subductio alvi juvit: Nicolaus Du Buisson sicut superior, (Nicolæa Honorata) interiit: A venenata aura credibile quoque istud factum: Nam huic per annos pene 15. aut 16. familiaris erat excretio purulenta per urethram: a renibus id erat, minus æquo excretum est: Dolor colicus ortus, deinde difficultas spirandi sine tussi aut aliquo consimili symptomate, mors: An colicis doloribus & tetræ anathymiasi hæc succedere possit dyspnoea, quæri potest? Nos id deteximus & animadvertimus prædictis exemplis: Porro eam affectionem dubitamus an vocare jure possemus orthopnoeam siccam, an sanguisugum? orthopnoeam siccam, quia videbatur aliquid affine habere ei affectui quem Hippocr. vocat orthopnoeam siccam parte 21. lib. 4. acut. Galenus vocari putat eam dyspnoeam quæ sine sputis, vel eductione per tussim usque eo vehemens est, ut inclinari, citra suffocationem, qui ita affectus est non possit: hæc autem à spirituum interceptione fit: meminit autem inflammatorum hypochondriorum, quod horum affectio eam affectionem inducere possit: Vel Sanguisugum vocabamus, Gordonium imitati: Porro Sanguisugum est difficultas anhelitus, cum aliquis non potest expellere aërem pro tanto, quia pectus & cannæ non possunt constringi sufficienter, ibi retinentur fumosæ superfluitates, *Idem. Epid. lib. ij. pag. 197.*

Observatio CXL.

Orthopnoea à Calculis renes obsidentibus, & contorsione Spinæ dorsi.

Illustr. Virgo annorum circiter xxx. optimo corporis habitu, sed paululum gibbosa, ex subito in proprio conclavi igne ita perterrita fuit, ut menses ab eo tempore non amplius fluxerint; interea utcunque se habuit, nisi quod aliquando de difficultate respirandi, nec non dorsi dolore conquereretur, cujus nomine varia tentara remedia: Elapsis vero sedecim annis, computatione à retentione menstruorum facta, prædicti dolores magis magisque intenderunt, ut mors tandem subsequuta sit.

Corpus cum condiremus, spinam dorsi instar majusculæ literæ S. Binos etiam lapides in sinistro rene inveni. *Hildanus cent. vj. Obs. xliij. ex communic. Lucæ Iusti.*

Respirandi difficultatis causa non semper in pulmonibus & thorace latet, temereque & inscienter multi illuc recurrunt, cum sæpe aut hepar tumens, aut hypochondriaca affectio, aut affectus renalis, aut vitium nervorum à spinali medulla derivatorum ortum præbeat; Rationem autem reddere cur affecti renes pneumatica instrumenta in consensum trahant, dyspnoeamque inducant, etsi non adeo facile sit, Experientiæ tamen refragari nefas est, ubi corporum illi pathemati obnoxiorum apertio non aliam exhibuit causam, ut patet ex allato exemplo,

pio, Et curatio instituta per Renum meatuum εὐφραντικὰ, respirandi libertatem restituit, testibus Ballonio & Dodonao: Ille consilio xlvj. lib. I. Quidam, inquit orthopnoea laborare videbatur, unde gravissime haberet, Nonnulla erat suspicio affecti pulmonis, non tamen certa erant argumenta quibus appareret vitium in pulmonibus conceptum: tamen cum orthopnoicus ac anhelosus maneret, quæsitum quæ illius difficultatis causa esset: multis ad unguem pertractatis, in eam ventum est tandem opinionem, ut nil tale in pulmonibus consistere crederetur quod eam difficultatem inveheret: Sed ut plerique sunt aliis oculatiores, dictum est suspicionem magnam esse calculi in renibus, quod cum contingit, aliqua tum difficultatis spirandi species apparere potest: consultum renibus est, deturbatus remediis convenientibus calculus, libertas respirationis est restituta. Causam autem ejus rei esse volunt, quod nervulus est à sexta conjugatione pervadens diaphragma, & ad renes usque perreptans, qui oppressus, ut in opposito femore stuporis sensum infert, ita in partibus superis difficultatem nonnullam respirationis afferre potest, nam renes ambigunt inter partes superas atque inferas: Et nos vidimus mulieres aliquot & viros, quibus familiaris renum dolor est, gravis & pungens, qui sæpe conqueruntur de dolore lateris, ac si pleuritis aliqua nothas costas occuparet, cum tamen nil sit tale, sed ob obsidionem renis à calculo, aut ejusdem oppressionem ab aliqua re obstruente, ratione nervi implantati in renis corpus, idem fit quod & in lienis & hepatis tumore aut obstructione, nam circum claviculas dolorem sentiunt tensivum: Quærat quis, cur non id in omnibus calculosis contingit, aut quibus præpediti sunt renes? Non est necesse, nam sæpe insigniores sunt nervi in aliis atque in aliis, ac errore quodam naturæ in eam sedem partis alicujus inseruntur, in qua sensus viget magis, ac consensus major est cum partibus vicinis: Nec enim quibuscunque contentus in capacitate renis lapillus est, iis objectum oppositumque femur stupet, tametsi stuporem tanquam συμπῖον ἀπεῖρον lapidis in rene contenti constituat Hippocrates. *Hac Ballonius*: *Dodonæus* autem Observ. xx. ait mercatorem, etiam juvenem, Orthopnæa correptum, nullo fructu omnia remedia admisisse, tandem calculi inrenibus doloribus ac podagra correptum, ab effectu liberum factum, qui ante in sedili tantum somnum capere debaerat: Sed præter rationem à *Ballonio* allatam, ex nervorum consortio desumptam, altera à Renum officio afferenda, quod est serum à sanguine segregare: hoc si calculo præpediti, vel aliter non fungantur, redundans serum ad pulmones dyspnoeam facile inducit; *Vide Ioh. Rhodium cent. ij. Observ. xxvij.*

Observatio CLXI.

Dyspnoea ob Renes Iecori affixos.

Renes ambos Jecori affixos vidi: Æger de pectoris angore & spiritus impeditione subinde conquerebatur. *Vide tit. de Phthisi.* In pulmonibus, corde, thorace, nihil vitii: Valde sitiens hauserat poculum vino frigidiore plenum.

Observatio CLXII.

Orthopnoea ab immani Renis unius tumore excitata.

Intercipi potest Respiratio compresso Diaphragmate, una cum intestinis, ab immani Renis alterius tumore, ut in Elizabetha Des-Bordes, uxore Panarii Principis. *Car. Piso de morbis ab illuvie serosa sect. I. cap. 4.*

Observatio CLXIII.

Dyspnoea à massa carnea crinita & aquæ ingenti copia in abdomine.

Vxori N. abdomen in insignem protuberantiam assurgebat, adeo ut præ pondere vix incederet cum difficili anhelitu &c. Aperto abdomine ℔ xxiv. aquæ prodierunt; Innatabat dictæ aquæ folliculus crinitus admirandæ formæ & magnitudinis. *Vide l. 3. tit. de ventris Tumoribus.*

Observatio CLXIV.

Asthma convulsivum in occipite, juxta nervorum origines, causam habens, colluviem scilicet serosam.

Asthmatis convulsi causam nonnunquam in occipite juxta nervorum origines consistere, per Observationes Anatomicas plane deteximus, nimirum adverti quosdam ægrotantes, qui cum ab aliis morbis deploratis decumbentes insuper Asthmatici fierent, necessum habuerunt intra lectum aut cathedram cum capite semper erecto aut prono detineri: reclinati autem aut supinati, statim anheli, ac velut moribundi difficillime respirabant, cujus causa (*prout per dissectionem apparuit postquam obierunt*) tantum erat, quod cum intra cerebri cavitates seri acris colluvies ingens aggereretur, si ob caput reclinatum, illa in nervorum octavi paris originem recideret, illico præcordia, ac imprimis spirabilia spasmis horrendis tentaban-

tentabantur: Porro interdum ob hanc rationem videtur esse quod orthopnoici in lecto absque suffocationis periculo decumbere nequeunt; quin corpore erecto sedere coguntur.

Asthma (quod ob peculiare interdum symptoma etiam orthopnoea dicitur) describi potest quod sit Respiratio difficilis, crebra & anhelosa, cum magna pectoris agitatione, & plerumque citra febrem: Respirationis actus dependet, Tum à pulmone movendo, cujus conformatio ejusmodi esse debet, ut ductus ejus & meatus omnes, pro aëre libere inspirando & expirando semper pateseant: Tum à partibus sive organis ipsum moventibus, quæ per alternas συστολῶν & διαστολῶν vices, pectoris cavitatem, & consequenter ipsos pulmones dilatari & contrahi faciant: Cum itaque plures & diversimodæ sint afficiendi rationes quibus Respiratio læditur, ad bina hæc capita fere omnes reduci possint, nempe quod vitium sit, vel in *Pulmone movendo*, vel in *Partibus* sive instrumentis quæ ipsum movere debent; Atque hinc morbi istius differentiæ & species optime designantur, Nam juxta variam causæ morbificæ naturam & situm Asthma dicatur, vel mere *Pulmonicum*, omnino à ductibus aëriferis obstructis, aut non satis patentibus procedens: vel mere *convulsivum*, quod tantummodo ob defectum, aut culpam in organis motivis exoritur: vel *mixtum*, quando utræque partes in vitio conspirant, cujusmodi originem Asthma quodvis immane & inveteratum habere solet: Super his singulis ordine dicemus, & primo Medici veteres, & plerique adhuc moderni, primam solummodo Asthmatis speciem agnovere, morbi hujus causam usque proximam, & fere unicam, statuentes Bronchiorum angustiam: videl. quod ductuum illorum spatia vel per obstructionem, vel per compressionem coarctata, quoties respirationis usus augeatur, aërem in copia satis idonea admittunt; quare ob pleniorem aëris quantum opus erit εἰσπνοῇ respirationis organa nixibus creberrime repetitis difficillime laborant: Quod autem nonnulli, fine manifesta pulmonum labe, paroxysmis asthmaticis obnoxii reperiuntur, totum hoc vaporibus à liene, utero, mesenterio, aut alio quodam viscere satis immerito adscribi solebat: at vero pathema istud, absque bronchiorum angustia, aut viscerum istorum culpa, à partium motricium spasmis oriri alibi evicimus, & mox clare ostendetur: Bronchiorum angustia, primam Asthmatis speciem inducens, per *obstructionem* fieri supponitur, quoties aut humores crassi & viscidi, vel materies purulenta, vel sanguis extravasatus iis impinguntur, aut tubercula, scirrhi vel calculi eorum ductibus insidebant; vel denique humoris serosi catarrhus in eos confestim depluet: Porro idem affectus per *compressionem* excitari putatur, quoties ejusmodi (cujusque illorum generis) materies arteriæ aut venæ pneumonicæ ductibus innærebit: Profecto à variis hisce causis & afficiendi modis diathesis asthmatica dependet: verum morbi insultus quique, aut saltem paroxysmi majores, propter accidentia quædam, aut occasiones excitari solent: quippe dum sanguinis rivus dimissus, & leniter decurrens, respiratione modica contentus esse potest, præcordia sine magno pulmonis aut pectoris labore pertransit: Sin vero iste effervescens, & pulmones impetuosius trajiciens, pleniorem aëris inspirationem desiderat, propter hunc per vias angustas admittendum, organa pneumonica statim omnia in nixus creberrimos accientur: Quicquid igitur sanguinem effervefacit, inque orgasmum concitat, ut motus violentus corporis aut animi, frigoris aut caloris externi excessus, vini potus, venus, quinimo interdum merus lecti calor, in prædispositis insultus asthmaticos accersit: Usitatum est huic morbo obnoxiis, sæpe lectum ingredi non ausos, tantummodo in cathedra, aut super cubile vestibus indutos dormire posse: Cujus ratio est, quod corpore stragulis cooperto & concalefacto, sanguis proinde in motum paulo citatiorem concitus & fervescens, uberiorem aëris inspirationem requirit, quam per tracheæ ductus coarctatos suppleri queat: nam quo plus sanguinis quaque systoles & diastoles vice pulmones trajicit, eo propter accensionem, simulque eventilationem ejus, aër copiosius & celerius ingeri regerique debet: cui penso (cum propter impedimenta non facile absolvitur) tamen quoquomodo peragendo, partium omnium respirationi dicatarum, cum magna totius pectoris contentione, conatus ultimi exeruntur: Porro sanguis agitatus, in prædispositis non tantum asthmatis occasio, sed aliquatenus etiam causa existit, nam proinde vasa sanguifera intra pulmones magis impleta & disteata, ductus tracheales jamjam angustos comprimunt & multo arctiores reddunt.

2. Asthma Convulsivum (quod secundam hujus morbi speciem esse, & sine magna bronchiorum obstructione, aut compressione, à meris fibrarum motricium spasmis excitari statuimus) non uni loco, aut peculiari cuipiam organo limitatur, sed ἀταξίας valde diffusæ, ad partes omnes respirationi dicatas (quantum modo hæc modo illa, vel alia in culpa est) extenditur: Enimvero affectio spasmodica insultum asthmaticum ciens, ad vasorum pulmonarium fibras motrices, ad diaphragma, ad musculos pectoris, ad nervos, qui è pectoris aut pulmonis ditione sunt, quinimo ad nervorum istorum origines intra ἐγκέφαλον consistas spectat, atque singulis hisce in locis dum materies morbifica hospitatur, respirationis opus inhibens aut pervertens, morbi istius paroxysmos infert; quippe spiritus animales, ad respirationis munus destinati, si quando valde molestantur, inque motus irregulares urgentur, organorum spirabilium fibras tum nerveas tum motrices inordinate subeunt, easdemque proinde irregulariter modo contrahi, modo distendi, necnon solennes & æquabiles συστολῶν & διαστολῶν vices varie perturbari aut impediri faciunt. Causa morbifica, sive materies spiritus, operi pneumonico accinctos irritans, cum variis in locis, tum præcipue in his tribus vim suam exerere solet, videl. primò aut in ipsis fibris muscularibus, aut secundo in ramis vel propaginibus nerveis, vel tertiò denique intra ἐγκέφαλον juxta nervorum origines: 1. Quoad prius, interdum materies heterogenea, & spiritibus inimica, ab ἐγκεφάλῳ in nervorum truncos excussa, exinde per eorum ductus & propagines, si forsan in quantitate perexigua fuerit, absque noxa magna, aut multum sensibili, in fines ultimos dilabitur: Cùmque dein fibris nerveis inciderit, & sensim in dies aggesta demum in molem accreverit,

spiritus incolas molestare, inque spasmos asthmaricos concitare incipit: qui subinde infestant, & pro ratione causarum evidentium augentur, nec plane cessant, donec penus materiæ sic aggestæ discutiatur penitus & absumatur; dein quando renovatus iste ad plenitudinem assurgir, morbi istius paroxysmi repetunt, proindéque, uti observatione communi patet, sæpenumero periodici existunt: Juxta hanc afficiendi rationem, Asthmatis convulsivi causam nonnunquam in vasorum pneumonicorum tunicis muscularibus, quandoque item in septi, aut processuum ejus lumbarium fibris deliruisse merito suspicamur; Haud multum probabile est morbi istius nidum, juxta hujus aut istius musculi pectoralis fibras consistere: quanquam in scorbuticis etiam ab his materia spasmodica obsessis, dolores & spasmos leviores cum respiratione læsa oborros novimus. 2. At vero (prout alibi non tantum ratiocinio, sed per observationes ægrotantium historias plane ostendimus) Asthma convulsivum sæpius infertur quoties materies morbifica, in nervos pneumonicos delapsa, alicubi intra ductus eorum, & præcipue circa ductus hæret: unde quoties ad plenitudinem aggesta discuti & moveri incipit, propterea spiritus ibidem scarentes, & ad respirationis organa affluentes perturbati, inque anomalias adiguntur, illique mox spiritus alios, fibrarum pectoralium aut pulmonarium incolas afficiunt, inque spasmos irregulares & asthmaticos excitant: Propter hujusmodi causam, & afficiendi rationem, non tantum morbi hujus insultus, sed insuper & præcordiis proinde perturbatis, passiones cardiacas accieri declaravimus. 3. Asthmatis convulsivi causam nonnunquam in occipite, juxta nervorum origines consistere per observationes anatomicas plane deteximus &c. *Vide textum.*

3. Quamvis nonnunquam Asthma ab initio simplex, scil. vel pneumonicum mere, vel convulsivum existat, attamen postquam alteruter morbus aliquandiu increbuit, plerumque alterum sibi conciscit: hinc ut concludere liceat; Asthma quodvis inveteratarum affectionem mixtam esse, & partim pulmonis male conformati, partimque nervorum & fibrarum nervearum ad spirabilia pertinentium vitio excitari: Quippe cum ductus pneumonici à qualiber causa coarctari, vel obstructi, liberam aëris inspirationem expirationémque non admittunt, propterea etiam sanguis, quinimo & humor nerveus à cursibus suis præpediti, atque lente procedere & stagnare coacti, fæculentias suas & excrementa partibus nerveis affigunt, unde spirituum meatus obstruuntur, aut pervertuntur, ipsisque demum labes spasmodica accrescit: Porro sanguis, si quidem intra præcordia haud debite inspiratur eventilaturque, tandem in crasi sua vitiatus, cerebro & nervoso generi succum nonnisi depravatum suppeditat, cujus delicta respirationis organa, utpote prius læsa & debilitata, maxime luunt: Pariter etiam è contra reciprocatur malum, quoties hic morbus nervosi generis culpa incipit; nam quatenus pulmonum motus propter fibrarum muscularium spasmos crebro sistitur, aut impeditur; tum sanguis, tum liquor nerveus à motibus solitis coërciti, recrementa & fæculentias congerunt, eáque partibus continentibus affigunt, à quibus non tantum humores viscosi & ductuum obstructivi, sed & tumores aliáque solidiora concreta, pulmonis conformationem vitiantia, producuntur. *Willis Pharmac. ration. parte 2. sect. 1. cap. 12.*

Observatio CLXV.

Asthma ab abdita causa productum.

§. 1. Retulit mihi D. D. Gualtherus Needham se novisse lanium, qui cum diu laboraverat asthmate periodico, intra 14. vel 20. dies, ut plurimum recurrente, tandem in ipso paroxysmo extinctus est.

Cadaver apertum exhibuit viscera omnia sana, præsertim Pulmones: neque aut *excrementi in bronchiis collecti, aut sanguinis* in venis restagnantis ulla indicia prodita sunt: Hoc tantum p. n. accidit, quod vesica fellea calculos complures in se continuit: Cætera, *subdit ille*, vel generi nervoso affecto tribuenda erant, vel causæ nobis ignotæ, certè oculis non conspicuæ: *Thomas Willis Pathol. cerebri cap. xij.*

§. 2. Vir, ante hydropem, cibum sumpturus, vel cum ad somnum se componeret, summa anhelandi difficultate & suffocationi proxima concipiebatur. In nullo viscerum quicquam vitii notari potuit. *Vide lib. 2. tit. de ventris tumore.*

Neque aut excrementi in bronchiis collecti, aut sanguinis &c.) Asthmatis causam vulgares Medici nullam fere aliam præter fluxionem à capite agnoscunt: Interdum tamen induci ab humoribus crudis & serosis, a venoso genere, per arteriam venosam in pulmonum translaris substantiam, vel in læves arterias, unde asthma spurium generetur, ostendit *Piso* lib. de morbis à colluvie serosa, atque ex eo *Sennertus*: Hæc species Dyspnoeæ confirmatur primo ex stertoris absentia, secundò ex urinarum conditione, quæ in paroxysmo redditæ, turbidæ & crassæ sunt, à crassorum & crudorum humorum parte ad vasa urinaria delatione: Demum asthmaticorum nonnulli stranguriæ obnoxii sunt, qua dum urgentur, respiratio illis inculpata est; recurrente vero asthmate, vicissim urinæ libertas restituitur, pro varia humorum in venis contentorum huc vel illuc metastasi. Adde indicium à juvantibus & lædentibus, in ea enim dyspnoeæ specie quæ stertoris est expers, adeo utilis est v. s. ut ea in paroxysmo facta, ubi primum sanguis fluere incipit, respirandi libertas statim accedat, eáque peracta ægri omnino liberi conspiciantur: Comes præterea hujusmodi dyspnoeæ est cachexia, pedumque œdematosus tumor, unde colligendum materiam vasis contineri ac ab hepate proficisci; Harveanis ex principiis, deferuntur humores & vapores crudi, cum refluo sanguine, in dextrum sinum cordis,

cordis, ex eo in pulmonum vasa & parenchyma, ibique firmari bronchia asperæ arteriæ comprimunt: Qui transitum per parenchyma non admittunt, in lævium arteriarum repletione acquiescunt: Detectio vasorum lymphaticorum lucem hic forte fœneratur: Eorum usus præcipuus est. 1. Ut nutriendas partes onere inutilis sibi aquæ levent. 2. Ut aquam aliis partibus certos in fines apportent, in primis cordi, sive ad sanguinem, alioquin crassiorem, nonnihil diluendum, sive calidiorem temperandum, sive ad sanguinis concretionem promovendam: Iis obstructis in pulmonibus, coërcetur lympha, quæ compressione bronchiorum dyspnœam inducit: si præ plenitudine ea dehiscant, hujus irruptio in pulmones & cavum thoracis Hyderum inducit.

Causæ ignotæ aut oculis non conspicuæ.) Ut cum majores præsertim nervi septi, à dorsali medulla progressi, defluxionibus aut aliis morbis separatim & solitarii infestati, dyspnœam quandam pariunt; qualem in asthmaticis, nullis aliis pulmonum affectorum indiciis appatentibus, continuò ægrotos infestare observavimus. *Platerus Praxeos part. 2. lib. 1. cap. 4.* Huc refer Asthma illud Scorbuticum quod periodice ægros affligit, & nonnunquam incautos jugulat, qui accidit quia spiritus ligantur & eorum influxus in organa respirationis impeditur; Remedia ex arte exhibita sæpius eludit, sed præ cæteris valet extractum croci spissius, in aqua appropriata dissolutum & per intervalla exhibitum; ideo juvans quia crocus insigne est restaurans caloris nativi: *Thom. Bartholinus in Actis med. anni 1671.*

Generi nervoso affecto.) Dyspnœa scorbutica interdum à nervosi generis culpa procedit, postquam enim labes morbida cerebrum ac appendices ejus occupavit, particulæ heterogeneæ ab ἐγκεφάλῳ dimissæ, uti nervos alios, ita pneumonicos aliosque affines, scilicet diaphragmatis & musculorum pectoris motui inservientes crebro subeunt: proindéque juxta quod nervi illi à muniis rite defungendis aut inhibentur aut pervertuntur, respiratio difficilis varii generis producitur, estque ut plurimum aut paralytica aut convulsiva: etenim particulæ morbificæ caudices nerveos subeuntes, & circa eorundem plexus, aut extremitates uberius congestæ, spirituum copiis affiguntur: hinc aliquando accidit à tali particularum (si forsan illæ narcoticæ fuerint) cohæsione, spiritus quorundam nervorum incolas ligari prorsus, & ab actibus designatis inhiberi, unde respiratione impedita, cæteri spiritus nervorum adhuc immunium hospites, ut ipsi proprio marte pensum commune perficiant, valde exercentur, adeòque qua licet respirationem magis crebram & laboriosam edunt: quandoque vero spiritus, intra quosdam ex respirationis munere nervos scatentes, copula heterogenea explosiva, sive spasmodica afficiuntur, cujus elidendi gratia, cum illi ob plenitudinem; vel propter occasiones aliquas excitantur, motus convulsivos ineunt, proindéque pulmones cum laboriosis & crebrius repetitis, modo systoles modo diastoles vicibus, paroxysmis quasi asthmaticis detinentur: In his casibus quandoque nervi diaphragmatis, interdum pneumonici ac pectoris motus absolventes; item forsan aliquando bronchia amplectentes, ac illorum modo hi, modo isti, seorsim à reliquis, aut narcosi, aut affectionibus spasmodicis obnoxii sunt, ac proptereà respirationis anomalæ variæ differentiæ ac modi occurrunt: Eugalenus, Horstius & sennertus dyspnoeæ scorbuticæ causam à visceribus imo ventris inflaris aut tumefactis, proindéque septum comprimentibus deducunt, non secus ac in gravidis & hydropicis fieri assolet: at hæc opinio non admittenda, quia symptoma illud non raro iis evenit quibus venter & hypochondria satis mollia ac infra costas subsistentia, spatium pro septi motu satis liberum concedunt: Quod autem lienis perturbationi respiratio difficilis passim in hypochondriacis, & quandoque forsan in scorbuticis succedat, ratio est, quia nervi splenici cum pneumonicis communicant; quandoquidem igitur utrique materia morbida sc. spasmodica obsidentur, eadem in alterutris commota spasmos ciens, alteros in affectus consensum trahit, prout de passionibus hypochondriacis differens declaravi in omni dyspnœa; ob nervosi generis culpam excitata, pulsus ut plurimum satis fortis ac debito celerior, ac interdum intermittens existit. *Thomas Willis Tract. de Scorbuto capite tertio.*

Observatio CLXVI.

Dyspnœa à pulmonum defectu, & humore lacteo in cavitate thoracis.

Retulit mihi Joh. Baptista D. M. se subjectum vidisse cui deerant ambo pulmones, ut utrinque quid potius substantiæ pulmonum analogum videtetur: In cujus thorace stagnabat aqua veluti lactea, quæ tamen non erat ex empyemate pus verum. *Fabritius Bartoletus de diff. respir. p. 3. c. 3.*

Qua veluti lactea.) Chylum arbitratur fuisse Cl. *Thom. Bartholinus Specileg. 2. de vasis lymph. cap. 2.* à disrupto vel hiante Ductu chylifero thoracem pertreptante.

Observatio CLXVII.

Lobus unus pulmonum potest deficere, vita superstite.

Quia lobus pulmonis sinister major dextro est, propter sinistri ventriculi cordis non tantum eventationem, verum propter fuliginum receptionem, ob id potest animal absque lobo dextro vivere: quod bis est à me observatum in cadaveribus hominum, qui

inuncti fuerunt propter Venereum morbum, erat enim absumptus in his lobus dexter pulmonum usque ad bronchia; Et hoc à vitiis gravissimis, ut ab Excell. Brasavola fuit sancitum: *Hippolitus Boscus de Facult. Anat. Lect. 4. p. 40.*

§. 2. Anno 1623. Franc. Plazzonus secuit canem cui sinister pulmo globulo sauciatus plumbeo putruerat, illæso dextro, cujus beneficio diu superfuit. *Ioh. Rhodius cent. 2. Observat. 6.*

PLazzonus quoque nautam Patavii medicabatur in superiore dextri pulmonis ala vulneratum, qui per tres hebdomadas cum pure ipsum pulmonis parenchyma ejecit: Ex quo suspicatus ille absumptos pulmonis lobos: Sinistri tamen usu vixit, sed cum difficultate spiritus: Quid igitur mirum ulcera pulmonum sanari, si putrida ipsorum vulnera sanantur; Galenus difficultatem ostendit l. 4. c. 5. de loc. non impossibilitatem, relicto nempe callo, notante Cardano de causis, sign. loc. morborum, §. 60. *Idem.*

§. 3. Sæpe natura in formanda una corporis parte deficit, luxuriando in altera. Ita accidit cuidam Ill. Baronissæ: Ambo enim Pulmonis lobi, scil. superior atque inferior sinistri lateris defuerunt, non ex ulcere consumpti, quia cicatrices adfuissent, sed quia natura defecit in eorum productione, alio distribuendo materiam: Ventriculus magnus adfuit; Lien erat ponderis libr. vj. Intestina tantum tria apparuerunt: Natura ergo cum defecit in producendis medio pulmone, parvo epate, & brevibus intestinis, supplevit defectum in Liene.

HIc Anatomicus campum habet quærendi quomodo circulatio sanguinis in hoc corpore fieri potuerit deficiente arteria venosa, in sinistrum pulmonis lobum excurrente, cum non facile admittat septum cordis pervium à Galeno sancitum: Sed quod maxime consideratione dignum est, nunquam spirandi difficultate fuit detenta, cum pulmones obstructi eam impediant, Deficientes penitus auferant. *Antonius de Pozzis Observat. xxx. miscell. cur. ann. iv.*

APPENDIX I.

Asthma & dysuria reciproca, ut hac præsente cessaret asthma, hoc urgente illa desineret.

REfert *Zecchius* cons. 18. Cardinalem Paleottum asthmaticum, simul ardore urinæ & difficultate laborasse, & ita quidem, ut cum urinæ ardor & difficultas urgeret, spirandi difficultas urgeret, spirandi difficultas evidenter imminueretur, & rursum eum majore impetu, stranguria cessante, repeteret: Nos de his hanc ferimus sententiam, Asthma oritur ab humoribus tenuioribus qui cunctæ massæ sanguineæ insunt: ac ii de capite, cui per se plus sanguinis, pluresve venæ sunt, ut tradit Hippocr. ad pulmonum venas sæpius vehuntur: quare nulla tussis præcedit, sed nonnunquam quædam capitis gravedo: Per cavum asperæ arteriæ ille humor de capite non labitur: Quare frustra est *Zecchius*, causam explicaturus cur æger tussire non incipiat: Asthma finitur nonnunquam incipiente *stranguria*, ideo quod humor crassior ad renes feratur, renuior in pulmonibus relinquatur: Et hoc quoque est quod Asthma desinat & increscente tumore pedum, ut ego sæpius vidi, & copiosa urina, ut testatur D. Joh. Rhodius. *Schneiderus l. 3. de Catarrh. c. 6.* Vide Sennertum lib. 2. *Pract. qu. 45.*

APPENDIX II.

An Homo vivere possit sine Respiratione.

GAlenus 6. de loc. aff. cap. 5. scribit *Respirantem non vivere, & viventem non respirare, impossibile est*, Galeni sententia confirmant multæ Rationes de necessitate Respirationis, & Experientia: cum in dies videamus homines respiratione privatos illico mori: Verum eadem ipsa Experientia nonnunquam contrarium quoque docuit, cum variis exemplis demonstrari possit nonnullos homines notabili temporis spatio sine ulla respiratione vivos superfuisse: nominatim in India dicuntur Urinatores illi, qui margaritas & corallia in fundo profundissimorum fluminum quærunt, plerumque per semihoram, vel diutius, sub aquis commorari posse, sine ulla respiratione.

Hujus rei ratio inquirenda restat: Galenus passim variis firmisque rationibus & argumentis, ab experientia & sensu communi desumptis, docet cordis calorem esse causam necessitatis respirationis: Quo usque enim per suum calorem cor sanguinem attenuat, & dilatatum è dextro ventriculo in pulmonem impellit, necessario requirit refrigerium, per respirationem allatum, ut calidus attenuatus in pulmonem impulsus sanguis rursus condensari, sicque è pulmone in sinistrum ventriculum delabi possit, quo refrigerio denegato, mox halituoso sanguine replentur pulmonis vascula, & setoso vapore vesiculosa substantia,

tia, nec quicquam ad sinistrum cordis sinum descendit, sicque citissime suffocatur homo; Ex hoc fundamento jam sequitur alterum, scil. quoties cor nimis refrigeratum est, vel calor ejus à morbificis causis adeo oppressus, ut nullam sanguinis illapsi effervescentiam seu dilatationem faciat, tunc etiam nullam respirationem necessariam esse (sublata enim causa necessitatis, tollitur necessitas) atque isto tempore hominem sine respiratione aliquandiu vivere posse: In omnibus, quæ adducuntur historiis, atque etiam ab aqua frigida sola (ut in margaritarum piscatoribus) totum corpus, ipsique simul pulmones adeo refrigetati sunt, ut illa refrigeratio aliquandiu sanguinem è corde in pulmonem, sed minus calidum: & pauciore quantitate ob totius frigus) impulsum satis refrigerare ac condensare potuerit; vel à maximo terrore & frigore simul, cor, una cum toto corpore, adeo refrigeratum & contractum est, ut fere desierit pulsare: Vel à vitiosis malignisque vaporibus aut humoribus ejus calor adeo oppressus est, ut etiam plane desierit sanguinem dilatare ac pulsatione propellere: Desinente autem propulsione sanguinis in pulmonem, non est necessaria respiratio, eaque tunc homo aliquandiu carere, & tamen vivere potest, si modo ille status non diu duret, scil. donec ipsum calidum innatum penitus extinguatur: Sed tunc vivit homo immobilis, suique impos, sicut hyberno tempore vivunt muscæ, ranæ &c. quæ veluti mortuæ sine ulla respiratione latitant, eo quod calor cordis oppressus & veluti extinctus sit, neque ullo refrigerio indigeat. Galenus ipse hanc difficultatem prævidens, ut ex ea se expediat, confugit ad Transpirationem, quæ fit per universi corporis poros, eámque ponit tanquam speciem minimam respirationis, seu potius eius vicariam, quam ad vitam sustentandam sufficere posse existimat, verum hoc diverticulum non sufficit ad probationem, nam cum & humores non moventur, tunc totum Corpus illicò refrigeratur, & neque halitus calidus expellitur, neque aër frigidus usque ad cor intromittitur. Itaque dicendum potius sententiam Galeni priorem veram esse de communi modo vivendi, non vero de casibus rariis, in quibus res aliter contingere potest. *Diemerbroeck Anatom. lib. 2. cap. 13.*

Observatio CLXVIII.

Vrinatores, & animalia amphibia, diu in aqua salva respiratione subsistunt, quia foramen ovale per totam vitam apertum servatur.

Amphibia, quæ ad libitum suum modo in terris modo in aquis degunt, etsi constat hæc non semper nec perquamdiu subter aquas morari posse, attamen mirari subest quomodo interea respirant, nam si tracheam aperiant, aquæ statim irruentes pulmones inundabunt: Bartholinus hoc dubium facile solvit asserendo in his brutis per totam vitam foramen ovale, sicut in embryonibus, apertum servari: *Cornelius Consentinus* eodem ritu etiam in urinatoribus habere statuit, innuitque modum quo homines quicunque ad urinandum habiles fiant; nempe si dum infantes fuerint, ad plorandum sæpius irritati, spiritum diu cohibere sinantur, hinc ut necesse foret sanguinem subinde per foramen ovale trajici, & propterea coalitionem ejus impediri: At vero in Brutis istis, de tali præcordiorum conformatione peritissimus Anatomicus D.D. Gualthereus Needhamus, ambigit, eamque in nonnullis, post dissectionem indaginemque ocularem desiderat. *Th. VVillis Tract. de Anima Brut. p. 1. cap. 3.*

Usus septi cordis ait, ut per id sanguis tenuior ex dextro ventriculo in sinistrum transeat; ad vitalis sanguinis spiritûsque generationem, qui postea per arterias in universum corpus distribuitur: crassior vero pars & major naturali ordinariâque via per arteriosam venam arteriæ venosæ mediantibus pulmonibus communicatur: Tenuior per septum transiens illud in transitu nutrit: Hac sola via urinatores & suspensi aliquandiu vivunt & reviviscunt, motu pulmonum cessante. *Bartholinus Anat. Reform. lib. 2. cap. 7.*

Foramen Ovale. In corde aliter se habent vasa dum fœtus in utero est, aliter cùm jam in lucem editus est: Nam conjunctiones seu uniones vasorum cordis in fœtu sunt duplices: Alia fit per anastomosin, alia per canalem: Per anastomosin fit unio venæ cavæ & arteriæ venosæ, sub dextra auricula prope coronariam, antequam cava se plane in dextrum ventriculum aperiat: foramen est amplum & ovalis figuræ, cui in cavitate arteriæ venosæ apponitur membranula pendula, tenuis & dura, foramine major: Post partum aliquantulo tempore coalescit hoc foramen & exsiccatur, ut locus hic nunquam pertusus fuisse putetur: Verus ejus usus est, ut partem sanguinis in fœtu, ex cava hepatis in sinistrum ventriculum cordis transfundat, qui ordinaria per pulmones non dilatatos nec respirantes via illuc ire non potest. Ne vero sanguis in cavam relabatur, prohibet membranula apposita quando concidit. *Idem ibidem cap. 8.*

APPENDIX I.

De Respiratione Urinatorum.

Foramen ovale iis qui sub aqua vivunt hac ratione existimo conferre: sanguis qui à dextro cordis ventriculo in pulmones per arteriam pulmonariam propellitur, nequit in sinistrum ventriculum permeare, nisi aër arteriæ asperæ surculos inflet atque distendat: Hinc enim pulmonariæ arteriæ ramuli comprimuntur, & conclusus in his sanguis protruditur in surculos venæ pulmonariæ: ubi vero aër non potest distendere asperæ arteriæ surculos, sanguis per alios ductus ex dextro ventriculo in aortam, & ex vena cava in sinistrum cordis ventriculum non trajecto pulmone perlabi debet: Jam cum in infantibus recens natis & fœtibus tales ductus peculiares observemus, qui pulmonum vices supplent, quamdin in utero hærent; in submersis vero (*& Urinatoribus*) aër minime pulmones subire valeat, ideòque ut in animalibus utero conclusis, ita in his à suo munere pulmones vacent, admodum vero mihi simile fit per eosdem ductus, vel non satis coalitos, vel patulos (quales in quadrimulis & quinquennibus, imo grandioribus natu pueris observatunt Anatomici) motum istum sanguinis absolvi. *Martinus Fogelius* in miscell. curiosis annor. 1674. 75. & 76. *pag.* 161.

APPENDIX II.

Ostenditur (experimento facto in Cane, cui vita prorogata fuit per horam, jugi aeris per follem in ejus pulmones impulsu, etiam disruptis thorace & diaphragmate) mortem immediate non pendere à cessatione motus Pulmonum, aut ab inhibita sanguinis circulatione, sed à recentis aëris inopia.

Dominus Hook, experimenti author, Societati Regiæ relationem hanc exhibuit: Alias, *ait*, coram Societate experimentum à me factum in Cane, cujus vitam produxi, etiam disruptis pectoris claustris, dissectis costis & diaphragmate: imo dempto pericardio cor ambiente: Experimenti autem veritatem quod plurimi suspectam haberent, id propterea assidente Societate universa, ultimo conventu propalare volui: Privatim & publice æque ad votum successit, Effracto enim canis thorace, constrictaque aspera arteria, cujus cavo tubulus follis inditus fuerat, infra epiglottidem resecta, insufflari in pulmones aërem curavi, eos sponte demum subsidere permittens, cujus reciproci motus ope animal ultra horæ spatium vivere conspexi, Confirmaturus autem ulterius meam hypothesin, in gratiam eruditorum quorundam Medicorum, motum pulmonum ad vitam omnino esse necessarium asserentium, quod præcipuum circulationis sanguinis sint organum, ideòque animal statim suffocatum iri ac pulmonum motus desierit, existimantium, Experimentum quoque sequens addidi priori, (modo nempe intermissa in pulmones canis insufflatione,) convulsionibus correpti ubi omnino illi subsidebant & quiescebant (modo reddito illis motu inspirationis follis beneficio, unde vitæ restitui illico videbatur; hácque vicissitudine reciproca cani vita per horam integram conservata) Alterum follem priori immediate conjungi curavi, machinæ interventu eam in rem à me concinnatæ, Compuncto postmodum per acutissimum scalpellum calamarium universo pulmonum ambitu, postremum follem maxima celeritate agitari jussi, cujus interventu, dum prior aëre semper plenus erat, insufflatio in pulmones assidua fiebat, unde continuo turgidi & immobiles manebant, ab indesinenti aëris in eos impulsu, & quantum illius per facta à scalpello foramina exire concedebatur: Ejusmodi insufflatione aliquandiu protracta quietus, ut ante, mansit canis, cum oculorum nitore toto eo tempore, ac regulari cordis agitatione: Desinente vero insufflatione, pulmonibus autem concidentibus & quiescentibus, illico rediere convulsiones quasi morti proximus esset: vitæ autem restitutus est quo momento aëri recenti in pulmones regressus concessus est, ab immisso folle.

Peracto hoc experimento, lobulus pulmonum omnino resectus est, in quo liberam sanguinis circulationem deprehendere licuit, ejusque per pulmones liberum transitum, non modo quamdiu perpetuo turgidi erant, ope artificii prædicti, sed & ubi post concidentiam quiescebant. Hinc arguendum videtur, sicut simplex & solus pulmonum motus, absque novi aëris appulsu, ad animantis vitam nequicquam confert, quod æque vitæ munia obiit iis quiescentibus aut motis, Non pulmonis motu aut cessatione mortem immediate pendere, vel circulationem sanguinis inhiberi, sed à novi aëris defectu. *Ex Ephemer. Eruditorum xiij. anni* 1667.

ADDITAMENTA.

OBSERVATIO I.

Asthma diuturnum cum tussi, à materia gypsea pulmonum sinistrum occupante, cujus parenchyma absumptum erat.

§. D. *Gendrots* chirurgus Parisiensis aperuit anno 1679 cadaver puellæ triennis, post diuturnum Asthma, difficillimamque per plures menses respirationem, cum tussi sicca, in quo nullum pulmonis vestigium, sed tantum materia dura, gypsea, costis affixa, membrana obducta. *N. de Blegny Zodivet.*

OBSERVATIO II.

Asthma sequutum nimiam hydrargyri assumptionem, unde sequutæ excrescentiæ in basi cordis.

QUidam à plurimis Pilularum mercurialium dozibus assumptis, bubonum aliquot venereorum expugnandorum gratia, occubuit *spirandi difficultate* affectus cum febre, bidui tantum spatio molesta.

Cujus cadavere à D. Gante Chirurgo Regio aperto, in basi cordis excrescentia quædam reperta est, mole ovo columbino par, plurimis aliis minoribus circumdata, quarum omnium superficies æqualis & lævis erat: omnes quippe constitutæ erant ex productione membranæ propriæ cordis, nullis fibris carneis interius donatæ, at tantum materia molli, colore & consistentia crassiori vini fæci non absimili, corpusculis albis, lucidis & metallicis infarcta, omnium indicio mercurii particulis: Id quod comprobatum à Dom. Lemery, ac pluribus aliis sagaci ingenio præditis, in eorum Tractatibus Physicis & Chymicis. D. *Gante in Zodiaco med. Gallico p.* 156.

MUltam profecto gratiam initurus esset artifex qui ea polleret industria, ut secure modum hydrargyrum è corporibus quæ subingressum est, educere nosset, hoc enim pacto plurimi sanitati restituerentur, qui ab assumptis tabellis, pulveribus, ptisanis, infusionibus, pilulis, aliisque compositionibus mercurialibus, malo suo fato maligna contraxerunt ulcera, tremores passi sunt, paralyses, peripneumoniam, hæmoptysin, asthma, dolores varios, cariem ossium, abscessus, infinitaque alia accidentia molesta inde oriunda, eo quod hominis natura plaue repugnat indoli illius mineralis, nec satis roboris obtinet quo ejus actioni obluctetur, si temere & intempestive exhibitum fuerit exemplum suppeditat misellus cujus historia adducta est; At vero admirandum tria viscera defæcationi hæmatoseos destinata, eo modo disposita esse, ut eorum unumquodque unicum humorem ex massa sanguinea segregare valeat; quorum filtrationi à prima conformatione ordinata sunt: deficientibus autem mediis maxime eam in rem idoneis, impulsam fuisse naturam ad expulsionem materiæ heterogeneæ gravantis, depositione illius facta sub ipsa tunica ipsius cordis. *Idem.*

OBSERVATIO III.

Asma, cum tussi, & febre lenta, à rara Hepatis & Pulmonum constitutione; cum diaphragmatis, mediastinique unius lobi Pulomonum absentia, &c. pleuræ &c.

FIliolus Dn. Cornelii de Mirop, in vita asthmaticus, & frequenti validâque *Tussi* levissima de causa vexatus, tandem 7°. ætatis anno lenta febre extinctus fuit, ejusque cadaver sectione apertum est.

Aperto abdomine, ut & thorace, nullum inventum fuit diaphragma, quo thorax ab inferiore ventre discernitur, ut nec mediastinum in thorace, & unicus tantum repertus fuit pulmonum lobus, qui dextra parte cum hepate continuus, ei colore & substantia fere similis videbatur: nulla in isto lobo fuit fungositas, & medium hepar transiens sub cava ejus parte seu appendix prominebat: E medio hepate meatus quidam, instar bronchiorum, derivabantur in ipsam asperam arteriam: Nulla circum costas manifesta apparuit pleura, nam hepar, & dextra hujus lobi pars tam arcte costis undique adhærebant, ut nonnisi scalpello à se invicem separari possent: Pericardium in quo paucissimus liquor continebatur, involvebat solummodo medium cor, quod circa basin cum sinistra, & superiore lobi pulmonis parte tam firmiter unitum erat cum spina dorsi, quam hepar & dextra lobi pulmonis pars cum costis: In convexa & inferiore hepatis parte, circa nonam costam, latebat ulcus, pure bene cocto repletum: ventriculus, pro ratione corporis & ætatis duplo majorem habebat magnitudinem. *De Diemerbroeck Anat. lib.* 1. *c.* 13.

Observatio IV.

Asthma à pulvisculo pulmones infarciente.

§. 1. ANno 1649. in nostro Nosocomio dissecui famulum lapicidæ, Asthmate mortuum, in cujus Pulmone maximam pulveris lapidum copiam, inspiratione cum aëre attractam, atque vesiculas fere omnes infarcientem, inveni, ita ut in dissectione Pulmonis, (qui admodum durus erat) cultro meo quasi per acervum arenæ; aut per corpus aliquod arenosum scinderem, quo pulvere repletæ vesiculæ aërem inspiratum admittere non poterant, atque sic æger asthmate extinctus fuerat.

Sequenti anno duo similes casus lapicidatum, simili modo interemptorum, eodem in Nosocomio à nobis visi & demonstrati sunt.

TUnc temporis retulit nobis horum famulorum Magister Lapicida, quod dum lapides inciduntur, tam subtilis pulvis ex iis assurgat in aërem, qui poros vesicæ bubulæ inflatæ & siccæ in officina pendentis, penetrare possit, ita ut circa finem anni ad minimum hujus pulveris manipulus unus in interiori capacitate vesicæ inveniretur, atque illum esse qui tam multos lapicidas, qui sibi ab isto pulvere non satis diligenter cavent, præmatura morte interimat: Si talis tamque copiosus lapidum pulvis in pulmonis vesiculas inspiratione penetret, minime dubitandum est aërem in inspiratione illas omnes penetrare. *De Diemerbroeck Anat. l. 2. cap.* 12. confirmationem habes in miscellaneis cur. anni 1672. observ. 16. ex *G. W. Wedelio*, Fæmina, (*ait*) ancillæ vices apud calcarium per aliquot annos gerens, cum in officina calcis pulverem frequentius hausisset; calculis Pulmonum laborare cœpit, & obtulit mihi aliquot excretos cum tussi & levi hæmoptysi, pisi magnitudine aliosque majores & minores: omnes angulos habent acutos, tricuspides; Retulit quoque eadem se aliquando magnum quendam instar minoris fabæ excrevisse, nunc vero non amplius huic servitio adstricta, bene habet. Non dubito calculos hos à calcis vivæ coagulatione in Pulmonibus pronatos, cum à primis vitæ annis usque ad illud tempus, quo huic servili operæ se addicere coacta est, liberrima fuerit à phthisica dispositione, aliisvè Pulmonum symptomatibus, & alii vitæ generi post addicta, libera ab illo, vivat etiamnum sanissima, cumque pulveres omnes, illorumque subtiles atomi, facile cum aëre hauriantur, cui sunt permixtæ, & in Pulmonum bronchia didantur, cur non facilius in hoc individuo, alias teneræ educationis, duriori huic labori non ferendo concrescere potuerit? Accedit salinum in calce viva principium, coagulationi aptissimum, præsertim accedente terrestreitate: hinc cum videamus toto die incerari calce cum aqua mixta parietes, ipsamque ad lapides antiquos ferruminandos adhibitam, tantum non saxeam sæpe imitari duritiem, quidni cum spumoso pulmonis vesicularum magmate conquassata, & in ejusdem parietibus compacta concrescere possit?

§. 2. Vidimus etiam alium longo asthmate tandem extinctum, qui plumas illas, quibus lecti infarciuntur, expurgare seu à detritis sordibus emundare solebat, cui pulmonis vesiculæ à tenui plumarum pulvere penitus erant infarctæ. *Idem.*

Observatio V.

Asthma ab exsiccatis & ulcusculis obsessis Pulmonibus.

IN quodam Tabaci & spiritus vini mancipio, Asthmate longo tandem extincto, totum Pulmonem non tantum subnigrum, verum etiam ad mediocrem duritiem exsiccatum inveni, exiguis hic illic intercurrentibus ulcusculis, pure non fluido, sed crasso & sicciore repletis. *De Diemerbroeck Anat. l. 2. c.* 13.

Observatio VI.

Asthma cum Tussi valida ob Hepatis cum pulmone conjunctionem.

HIc subnectenda rarissima quædam Hepatis cum pulmone conjunctio, earumque & vicinarum partium constitutio admiranda, quam nobis communicavit D. *Wassenaer* medicus Ultrajectinus, utpote sibi visam in filiolo Dom. de Mirop, Toparchæ; qui puellus in vita *asthmaticus*, & frequenti validaque Tussi levissima de causa vexatus, tandem septimo ætatis anno *lenta febre* extinctus fuit.

Aperto, *inquit*, abdomine, ut & thorace, nullum inventum fuit diaphragma, quo thorax ab inferiore ventre discerniretur, ut nec mediastinum in thorace: Et unicus tantum repertus fuit pulmonum lobus, quo dextra parte cum hepate continuus, ei colore & substantia fere similiter videbatur: nulla in isto lobo fuit fungositas, & medium hepat transiens, sub cava ejus

ejus parte seu appendix prominebat: E medio hepate meatus quidam, instar bronchiorum, derivabantur in ipsam asperam arteriam: Nulla circum costas manifesta apparuit pleura, nam hepar, & dextra hujus lobi pars, tam arcte costis undique adhærebant, ut nonnisi scalpello à se invicem separari possent: Pericardium, in quo paucissimus liquor continebatur, involvebat solummodo medium cor, quod circa basin cum sinistra & superiore lobi pulmonis parte tam firmiter unitum erat cum spina dorsi, quam hepar & dextra lobi pulmonis pars cum costis: In convexa & inferiore heparis parte, circa nonam costam, latebat ulcus, pure bene cocto repletum: Ventriculus pro ratione corporis & ætatis, duplo majorem habebat magnitudinem. *De Diemerbroeck Anat. lib. 1 cap. 13.*

Observatio VII.

Asthma à Polypô in utroque cordis ventriculô reperto, &c.

Nos mense Novembri 1668. in theatro publico prosecuimus cadaver viri XXXV. ann. qui in vita diu multis anxietatibus atque longo *Asthmate* detentus, & sic tandem in Nosocomio nostro extinctus fuerat.

In hujus dextro cordis ventriculo invenimus corpus quoddam insolitum, album & firmum, ac vere nerveum, quod nulla digitorum frictione frangebatur, longitudine parvæ spithamæ, crassitie fere minimi digiti, membrana peculiari involutum, inter quam & ipsum corpus duo vasa sanguine turgida ab uno latere à summo ad imum deferebantur: una majore & crassiore sui parte, eaque solida, nullaque cavitate donata ipsi ventriculo inhærebat; altera vero auriculæ dextræ cavitatem transiens, venam cavam ad trium fere digitorum latitudinem ingrediebatur, eratque hæc pars cava, intus donata multis cellulis anfractuosis, sicut interior auriculæ cavitas. In sinistro ventriculo aliud simile nerveum corpus invenimus, sed paulo longius, ab uno latere etiam vasis sanguineis, sub membrana involvente latentibus donatum, dimidia solida, & crassiore sui parte ventriculo inhærens, altera parte bifurcatum ac quasi in duo crura diremptum, atque in his cruribus etiam cavum, & intus anfractuosis cellulis exculptum, quorum crurum unum extendebatur in venam pulmonarem, (quam alii arteriam venosam appellant) ad latitudinem duorum triumve digitorum; alterum in arteriam aortam. Similes fere, sed minores Polypo, in dextro sinistròque ventriculo invenimus in cadavere virili, anno 1670. mense Februario.

Hæc corpora liberum sanguinis transitum per cor & pulmones impediverant, atque inde Pulmones etiam valde turgidi erant (hinc à compressione bronchiorum *Asthma*) ex iisque incisis tenuis quidam spumosus liquor emanabat, etiam in iis venulæ, quæ in sanis vix conspicuæ sunt, variis in locis sanguine turgidæ intumuerant ad crassitiem pennæ alaudæ. *De Diemerbroeck Anat. lib. 2. cap. 9.*

Observatio VIII.

Asthma inductum à coalitu Pulmonum scirrhosorum cum latere parte sinistra, & abscessu purulento in lobo dextro, polypo in dextro ventriculo.

Puellus quinquennis, Filius Nobiliss. & Celeberr. Theologi Dom. Francisci Turretini, præmaturo fato obiit anno 1680. 20. Augusti, cum biduo ante vegetus fuisset. Si excipias anhelationem illi familiarem; subito vero febre continua prehensus, cum insigni respirandi difficultate occubuit.

Apertum cadaver exhibuit viscera naturalia optime constituta, Jecur tamen magnitudinem naturalem excedebat; In capite reserato nihil præternaturale inventum, præter paucum serum intra meninges: Sed pectus mali causam continebat. Nam Pulmonis sinister lobus lateri sinistro adeo cohærebat, ut nulla ei divelli potuerit: Summa parte lividus omnino scirrhosus: In lobo dextro abscessus, è quo sinceri puris quantum cochleare capit, eduxit D. Foubertius Chirurgus Genev. peritissimus, qui dissectionem peregit.

Observatio IX.

Respiratio læsa ob confluxum sanguinis in Pulmones, inde inflammatos.
E Iecore prius tumore tentato.

Vidi ego quosdam Jecoris tumorem annis aliquibus gessisse, deinde corde affatim molem mali sanguinis casu quopiam impulsum recipiente, illamque in pulmones rejiciente, Peripneumonicos interiisse cum multo atri sanguinis sputo. *Guarinonius consultat.* 478. Vide Capivaccii historiam. Tit. de ventris dolore Obs. 33. sect. 14. lib. 3.

OBSERVATIO X.

Respiratio difficilis ob Pulmones inflammatos, Pituitosa materia refertos, lapidem in Rene dextro.

ILlustr. Octavius Spinola angustia spiritus premebatur, cum frequentia pulsuum, cum rubore genarum insolenti. Anhelitus intensum odorem efferebat, qui à copia spiritus exibat: Sputamina partim pus referentia, partim pituitosa & livida. Cum hac difficultate spiritus febris erat & maculis toto dorso. *Tussis rara* admodum & est etiam sputum: Ipse antea crebro podagra, chiragra & gonagra laborabat, & ab ea genua, pedes & manus valde tumere consueverant, atque adeo in eis locis materia consumebatur, nunc *postquam in balneo fuit*, artus illi adeo exsiccati, adstricti ac densati fuere, ut non amplius eam copiam excipiant. Is interiit xi. à principio ipsius febris, tertia tantum à decubitu, nam quanquam infirmissimo facto jam corpore esset, non curabat tamen in lecto jacere: Suffocatione quidem periisse visus est, quoniam in lectulo ad extremam horam se movit, quanquam loqui non valebat spiritu subducto, & in latus decumbebat cum expiravit, qua hora neque strepitum respiratio retineret, neque pulsus amplius cerebri essent, neque extrema frigida, quanquam antea frigere cœperant.

Cadavere aperto, pulmo inflammatus fuit, maxime dexter, & in eo plurima materia pituitosa comprehendebatur: Ren dexter lapidem magnum habebat, ad vasa usque pertinentem, & ad eorum figuram informatum. Cujus nullum signum fuerat, nisi quod urinæ minus turbidæ ab usu balneorum fuissent. *Guarinonius consultat.* 637.

T*Ussis rara*) Id vero est, quoniam & sanguis pituitosus est, & è corpore pulmonum non exprimitur in tracheam, illo imbecilli facto, unde sæpe in asthmate tussim non videmus.

Postquam in balneo fuit) Sic vagus in corpore humor à pulmonibus tandem receptus est, quoniam laxi sunt, & perpetuo moventur. Quin dicam ego humores in cor ad ejus dilatationem valentissimam, adducti, inde in pulmones ab ejus vi & contractione expressi sunt via admodum aperta venæ arteriosæ, nec inde ad cor ab ostiolis redire permittuntur. Et certe Balnea illa corpus exterius admodum exsiccarunt, tenueque & asperum reddiderunt, in quibus ad dies xiv. fuit mane & vesperi quaternis semper horis. Neque alia major causa quærenda. Author lib. ad Pisonem cap. 15 profitetur se multos ejusmodi eventus vidisse, & multos homines suffocatos, quibus humores ferri ad pedes prohiberentur: *Idem.*

OBSERVATIO XI.

Dyspnœa à cartilagine mucronata ossea reddita.

CArtilago mucronata frequenter extrorsum, nonnunquam introrsum recurvatur, non sine multiplici ventriculi viciniarumque partium damno, unde singultus; atrophia aliisque graves affectus oriuntur. In senibus interdum assescit, quod deprehendit Pavius in quodam qui gravi Asthmate diu laboraverat: Rarissimum est quod norat Veslingius hanc cartilaginem in quodam longitudine digiti usque ad umbilicum extensam, & omnino rigidam fuisse, non sine magno incommodo in corporis flexione, ventriculi coctione & chyli distributione. *De Diemerbroeck Anatom. lib. 9. cap.* 14.

OBSERVATIO XII.

Dyspnœa insignem Hepatis molem sequuta.

HEpar si naturalem figuram retinet, mucronatam cartilaginem non transcendit; Si vero à suo naturali recedat, totum fere ventriculum occupat, & aliquando medium hypochondrium sinistrum: Num vidi Hepar cum parte superiore lieni adnecti, ut sine dilaceratione alterius visceris separari non posset, in parte inferiori ad umbilicum usque aliquando pervenit, ut observavi in muliere quadam, quæ Hepat tantæ magnitudinis habebat, quod fere totum abdomen occupabat, diaphragmàque sua magnitudine fortiter comprimebat, unde *Difficultas spirandi*, ut semper ob magnitudinem hepatis occurrere solet, oriebatur, quæ postea temporis progressu suffocata periit. *Dominicus de Marchettis Anat. cap.* 4.

OBSERVATIO XIII.

Dyspnœa ab enormi Cordis magnitudine producta.

VIdi cor tantæ molis, quod thoracem totum occupabat, & ut omnia refertam. Erat quidam qui difficultate respirandi laborabat, cum dolore infra mucronatam cartilaginem

nem medici vario sensu ducebantur, alii enim Hypochondriacum esse credebant, cui etiam multa adhibuerunt remedia: alii Empyemate laborare dixerunt: materiam enim multam exspuebat; Veneriis fuit prius curatus, sed frustra: Patavium tandem venit, ubi altera die difficultate respirandi suffocatus fuit.

Cadaver aperui: in Abdomine viscera omnia magnitudinem naturalem non excedebant, coloremque optimum obtinebant. Secto Pectore, cor tantæ magnitudinis apparuit, ut cavitatem totam occuparet, capsulæque ubique adhæreret, quoniam dilatari amplius non poterat, quæ pleuræ lateraliter alligabatur: Pulmones exiles, naturales tamen manifestabantur. Intra cavitatem materia purulenta non reperiebatur, sed substantia in superiori parte, alba & pituitosa aderat. Magnitudine tam insigni, quod tria corda naturalia unita excedebat: Ventriculi tam lati erant, & præcipue dexter, ut in ipso unum naturale cor residere posset: Magnitudo cordis difficultatem respirandi instituebat, & in respiratione fortiter comprimebatur diaphragma. A forti impulsu dolor ingens sub mucronata cartilagine & difficultas spirandi excitabatur, à qua difficultate suffocatus fuit. *Dominicus de Marchettis Anat. cap.* 10.

Observatio XIV.

Spiritus difficultas ob venam arteriosam crassa pituita infarctam.

Pulmones infirmi, & recipiendo impetui assuefacti cor sua exagitatione conversum ad interiora ab exterioribus humorum impetum facile excipit, facilius per apertam viam venæ arteriosæ in pulmones repellit, in quibus certe à natura consultum est, cum venam in eos apertam crassa tunica donavit, ne crassos humores tam facile per eam pulmones exciperent: qua de causa vena illa sæpe in cadaveribus pituita crassa valde plena invenitur, & pituita illa valde diu in vena fuisse detenta agnoscitur, quoniam è capite venæ initium retractum, omnem illam pituitam in ramos venæ ejus productam, secum educit ex omnibus venæ ramis ab illis in formam eorum redactam, ut arbor videatur, Difficultas ergo spiritus nobis eum metum confirmat &c. *Guarinonius consult.* 549.

Observatio XV.

Respiratio læsa ob pulmonum ariditatem.

Possunt pulmones difficilem habere dilatationem, nec ita facile sequi ad thoracis motum, quia sunt ficciores & duriores facti ob egestatem humidi alimenti quo nutrimur: Vidi talem difficultatem in adolescente cui Pulmones in id ariditatis inciderant, ut corpore aperto jam minui viderentur, quanquam laxi, cui febre laboranti maxime thoracem dilatare fuerat opus. *Christo Guarinonius consult.* 379.

Observatio XVI.

Difficilis spiratio in cane ob Pulmonum constrictionem & exilitatem, Hydropem Thoracis, &c.

Cum Oxonii olim studiis incumberem, quidam me admonuit de cane summa difficultate spirandi laborante, ita ut vix spatium viginti pedum motu citatiore emetiri potuit, quia illico in humum delapsus & anhelans rapidissime spiritum trahere necesse habuit.

Cum data pecunia dissecandi mihi copiam feceram, secto thorace integram ejus cavitatem aqua repletam inveni: Pulmones vero ita parvi, ac quasi sacculo inclusi, ut dimidio minus spatium præ solito occupabant, etsi aëre inflato ope follium ad maximam sui expansionem excitaveram: Tunica quippe communis Pulmonum (quæ hic crassior & albidior videbatur) ita coarctaverat ipsorum parenchyma, & constrinxerat, ut copiam aëris pro respirationis munere idoneam nonnisi repetitis nixibus admittere potuerint: Substantia pulmonum alias satis integra videbatur, & id unum vitium quod non satis libere sese explicare licuit. Aquam istam in thorace contentam multum quoque respirationi obesse facile crederem: Sed an non à contractura illa Pulmonum originem suam traxerat, cùm non alias viderim unde effluerer, in medio relinquam: Canicus hic venaticus fuit, & eo nomine Domino gratus, sed à sex fere mensibus morbo hoc detinere incepit. *Eduard Tyson in Actis Danicis anni* 1679. *Observat. xxvii.*

Observatio XVII.

Respiratio læsa ob ingens hepar ad medium fere pectus assurgens.

Puella octodecim circiter annorum recens nupta, mortua ex continua tertiana, ... cto cadavere exhibuit Jecur tantæ molis ut ad quintam pectoris costam ex o... pertigerit, ubi usque adeo Pulmones arctabat ut *respirationi liberæ* fuerit impedimento, florida alioquin substantia & omnis labis experte. *Carolus Offredus miscell. Curios. Decur.* I. *anni* ix. *observ.* 178.

Observatio XVIII.

Respiratio læsa ob impeditum sanguinis per Pulmones commeatum, à Polypo cordis in arterias pulmonicas illapsum.

§. I. Memini in adolescentula *Polypum cordis* post morbillos accretum, & in arterias pulmonicas illapsum, eas fere in totum [uti ex cadavere postea dissecto constabat] obstruxisse, ut hinc sanguis intra dextrum cordis sinum aggestus, & ultra progredi non valens, maximum illic *gravamen & oppressionem*, cum *respiratione difficillima* & maxime laboriosa intulerit. Puella autem postquam tres dies continuo hujusmodi agone afflicta jacuit, facultate animali sensim fatiscente, & demum attrita, exspiravit. *Willis Tract. de Aff. hystericis & hypochondriacis.*

Ob Pulmones sanguine stagnante infarctos, & Polypum cordis.

§. 2. Dum hæc typis mandarem, Filiolus Nob. Comitis, circiter decem menses natus, eodem morbo obivit; Postquam ille per quatuor aut quinque dies *Tussi* cum febricula laboravisset, subito deterior factus, respiratione crebra & laboriosa, lingua sicca, magna inquietudine & jactatione totius corporis afficiebatur, quibus symptomatibus fere continuo infestantibus intra biduum extinctus est.

Cadavere aperto, viscera imi ventris sine culpa, Thorace inspecto, Pulmones sanguine stagnante infarcti, discolores, scilicet purpurei, inque multis locis nigricantes apparebant; Erant tamen abscessu, tumoribus aut ichoris suffusione satis immunes: Ut illorum affectio febris productum potius quam causa videretur. Dum vero hanc & lethi adeo subiti occasionem sedulo rimamur, tandem Corde dissecto, in *sinubus ejus Polypi* ingentes, concretionibus ad ipsos similes, inque omnes arterias exporrecti, earumque cavitates obstruentes reperiebantur. *Idem ibidem.*

§. 3. Novi insuper ante aliquot annos, Puerum alium triennalem propter eandem causam morbificam subito ac fere improviso diem obiisse.

Hinc suspicari fas sit plurium aliorum mortes, aut mortes, vulgo dentitioni, aut lumbricis imputari solitas, à tali cordis affectione procedere. *Idem*, Qui insuper adnotat eos qui asthmate, peripneumonia, angina, pleuritide, horrendis aut funestis laborant, inter diros paroxysmorum cruciatus aliarum partium motus convulsivos haud facile incurrere.

Observatio XIX.

Difficilis Respiratio ob Pericardium cordi adcretum.

Decessit nuper post puerperii labores Illustr. D. D. d'Alincourt, Proregis in Gallia Lugdunensi conjux, cujus rimato cadavere, cordis illud involucrum, quod Pericardium dicitur, cordi ipsi adhæsisse, humoreque illo Naturæ providentia ad ejus irrigationem & refrigerium instituto vacuum fuisse repertum est. Res stupenda profecto & nemini antea, quod sciam, observata; Persensit sane illa ex humoris istius inopia evidentia incommoda. Nam æstuans perpetuo aërem captabat frigidum. *Siti* molesta torquebatur, ne tenuissimi etiam tegumenti patiens pectus nudabat; quin etiam à fervidiore corde concalefactis pulmonibus, in eorum bronchia attractis atque extorrefactis humoribus *difficili* respiratione laborabat; quæ symptomata nulli alii causæ quam pericardii accretioni imputanda sunt. *Observatio Philiberti Saraceni Medici Genevensis.*

Observatio XX.

Dyspnæa à Polypis ac cruore plurimo in dextro Cordis maximi ventriculo, valvulis mitralibus osseis redditis, ideòque sanguinis per pulmones commeatu prohibito, &c.

IN cadavere virginis olim ab *Henrico Glasero* Basileæ dissectæ cor vidisse memini tantæ molis, ut stateræ appensum libras civiles tres ponderaret. Dexter ejus ventriculus, cum auricula, turgidus erat & repletus Polypis ac cruore plurimo; Sinister propemodum inanis. Et valvulæ mitrales in os degeneraverant, arteriam venosam obstruens, ut sanguis per Pulmones ad cor transire prohiberetur, unde ortus *Hydrops*, mox *Respirandi difficultas*, denique subita præfocatio. *Ioh. Conr. Peierus Exerc. Anat. med. xxiij.*

Observatio XXI.

Respirationis difficilis in pleuriticis causa multiplex per anatomen deprehensa. Ubi cur horreant & difficulter respirent.

FAcile est videre cur in aliquibus Pleuriticis *sanguis* missus teter, in aliquibus valdeflavus, in aliis spumam multam flavam habeat, quoniam pro sua conditione, & pro modo putredinis tam late vagantis afficitur, quæ cum orditur, propter suum impetum *Horrores* illos toti corpori affert cum calore ad incendium confluente, tum commoto partium continentium sensu, subita illa incendii aggressione halitum acrem per corpus dimittente, tum vero etiam quoniam humor tenuis primum ad inflammandas partes confluit: Ita sequitur *Dolor*, aut una accedit, quoniam ad membranam illam pertinent, præter inflammationem, non solum plurimi humores, sed ichores & biliosi succi, qui ob tenuitatem facile è medio in circumpositas partes; & è venarum cavitate in membranas impetum habere & emanare possunt, quod crassioribus succis evenire facile nequit, qui potius in venis manentes, & per latiores earum vias à tempestatis frigore compulsi, cum putredo increverit ad pulmones derivantur, vena cava forte & Jecore valentibus, Cordéque infirmiori per putredinem & per acrem calorem facto, ad seséque humores nimium attrahente, deinde sese exonerante, & per venam arteriosam in pulmones noxiam materiam retrudente, sæpenumero in alterum, ut *in apertis cadaveribus* inspeximus Dolorem à membrana, & *spiritus* illam *difficultatem* quæ per *dolorem* inferri potest: Angustia autem à *pulmonum infarctu*, quo etiam *aspera arteria* urgentur, angustæque factæ parum spiritus accipiunt, qui exiguus etiam in corpus pulmonum ad usum tenuitatis sanguinis recipitur: unde non videmus laborem spirandi sed crebritatem, & parvitatem labore incidente, cum aut *musculi* infirmi sunt, & omnes opus aggredi cum conatu coguntur. Aut cum *cavitate thoracis repleta*, quo pulmonibus locus fiat dilatandis, & justo modo aëris recipiendo thorax amplius attoli debet, quorum neutrum hic necesse est, nisi humor è pulmonibus percolans in cavitatem labatur, *quem etiam in ejusmodi cadaveribus* vidimus sæpe liquidum & album, aliquando etiam crassum omnino & concretum: ita cum aut in pulmonibus coërcetur, aut in capsulam cordis exprimitur, ut visum est, laborem spiritus non facit, etsi ipsum angustum & crebrum reddat cum in pulmonibus est, in quos sub his malis sæpe in morbi tantum incrementum impellitur & sæpe strangulat; unde angustiam spiritus in his vidimus ad postremum vitæ diem fuisse dilatam, nihilque ejus prioribus totis etiam sex diebus sic trahente morbo apparuisse, materia in vasis interim versata. *Guarinonius consultat.* 161.

Observatio XXII.

Dyspnœa à vomica Pulmonis.

MIhi copia facta est apertiendi cadaver Infantis duos annos & sex menses natæ, à *Febre* cum *difficili respiratione*, *Tussi*, & aliis generis nervosi affectibus extinctæ. Quæ notatu maxime digna in ejus Anatome occurrebant, sic accipe.

Aperto thorace insignem ibidem in dextro latere *Pulmonis vomicam* observavimus: quippe Pulmones ibi loci & pleuræ & diaphragmati quam arctissime cohærentes, & demum suppurati cystidem intus amplissimam efformarunt, materia purulenta coloris diluto viridescentis repletam. Fere libras duas hujus puris invenimus, in eodem vero huc illuc natitantem materiam aliam coloris albidioris instar steatomatis: Vomicæ potius quam empyematis titulo eo inductus sum ut hunc affectum insigniorem, cum probe notavimus membranam quandam crassiorem semiputridam, diaphragmati & pleuræ superinductam; Potriunculæ vero isti quæ

isti quæ restabat pulmonis continuatam, maxima enim ejus pars eum in pus abiit, supra basin tamen cordis particula ejus adhuc mansit. A vulnere vero inflicto intus hic illic Abscessus parvulos alios offendimus: In sinistro latere thoracis pulmones magis integri, copiosis vero fibrarum manipulis in variis locis & diaphragmati & pleuræ affixi fuêre. In ipsam thoracis cavitatem serosus quidam liquor, non tamen multum copiose effluxerat: Nulli vero hic apostemata invenimus, & quod magis sum miratus neque glandulosas istas carunculas in male affectis Pulmonibus quam sæpissime occurrentes, & quibus suppuratis non raro succedit phthisis: nisi dicamus quod in hoc cadavere Tubercula ista jam penitus in pus fucescentia nulla sui vestigia reliquerunt. In *Abdomine* viscera omnia aliquantum albidiora, Ventriculus vero & intestina plane candida: Hepar pallidum & exsanguine, & nisi in Portæ finibus nihil sanguinis ad patuit: In pelvi utriusque Renis (quod sum plurimum miratus) pus quoque album ibidem stagnans, necnon in vesica urinaria copiam ejus satis largam offendimus, in neutris vero Apostematis seu Abscessus vel minimum tractum observare licuit, unde necesse habuit (uti credere par est circuitu sanguinis huc è vomica Pulmonis deferri, & demum vna cum urina secerni.

Quod confirmatur, & vicissim ratas habet observationes practicorum, urinas Empyicorum quandoque purulentas evadere, & narravit mihi vir ingeniosissimus D. D. Motton, se olim Empyicum quendam copiosi puris per urinas subductione in integrum restituisse: Materia hæc purulenta in sanguinem absorpta, uti fas est opinari, albidioris istius viscerum coloris causa extitit, & Epar quasi exangue reddidit: Et notatu dignum, quod cum bilem vesica fellea extraxeram, hypostasin quandam purulentam in fundum vasis præcipitatam observavi, ita quod vel balsamum sanguinis perhibetur, nequit ipse se ab ipsius noxis tutum præstare: ac Natura se ab inimico hoc hospite expedire satagens, quacumque licuit foras eum protrudere contendit, scilicet per glandulas secretrices, Renum, Epatis nec non Aurium, (aures quippe purulentas habuit) sed copia ejus demum devicta succubuit & expiravit patiens. *Eduardus Tyson in Actis Medicis Hafniensibus anni 1679. Observat. 26.*

Circuitu sanguinis huc è vomica &c.) Sicuti Thoracicæ partes vix per vomitum aut alvum vacuantur, sic ad urinæ vias eorum excrementa utplurimum rendunt: Thoracica omnia medicamenta fere sunt diuretica. Et non semel pleuritidem per lotii vias solutum vidimus, expurgato plurimo pure, nominatim in Nob. Matrona Helvetia Anna Maria Horicæa; Itali medici in morbis pectoralibus attente observant num materia eo vergat, atque illico ad diuretica confugiunt.

Hypostasin quandam purulentam) Si in cysti fellea & arenulæ & calculi crebro gignantur, quod mirandum, si hypostasis purulenta adparuerit? forte ob ætatem tenellam generationi ejusmodi materiæ minus aptam, res admirationem meretur.

Observatio XXIII.

Bos suffocatus interiit ob cavitatem Asperæ arteriæ gramine infarctam.

Familiariter tibi notum facio, duos ingeniosissimos viros *D. Clericum* & *D. Lovverum* communicasse mihi relationem miræ cujusdam observationis quorum alter mihi affirmabat se diversis vicibus in pulmonibus ovium reperisse satis magnam copiam graminis in ipsis ramis asperæ arteriæ: Et alter narrabat se ab hinc aliquot hebdomadibus, cum aliis duobus Medicis, invitatum fuisse ad conspiciendum Bovem, qui duobus tribusve diebus continuis collum suum tenuerat erectum, & interierat morbo quodam quem Professor divinare non poterat; quamobrem, partibus spectantibus ad *collum & guttur* dissectis, reperuerunt ad admirationem suam, ipsam cavitatem asperæ arteriæ repletam gramine, quam magno robore intruso, quod ipsam justam præbuerit causam admirandi & inquirendi, tam qui tanta copia graminis eo pertingere potuerit, tam qui gramine iis existente tale animal tamdiu vivere potuerit. *Actor. Philos. Angl. anno 1665. Mens. Nov. ex Rob. Boyleo.*

Interierat morbo quodam) Obstructio is fuit asperæ arteriæ quæ eam difficultatis respirandi speciem medica inducit quam orthopnoeam vocant; nam Bos duobus tribusve diebus continuis collum tenuerat erectum: Suffocatus autem tandem interiit ab omnimodo præcluso spiritus meatu: Bos autem & ovis animalia sunt quæ Tussi frequenter tentantur, forte à subsistentibus graminis particulis in pulmonum bronchiis.

Tanta copia graminis) Non ea solum reperta est quæ recens ingesta fuit, sed & ea quæ ante in bronchia pulmonum irrepsit, quam cum excutere tentaret natura in asperam arteriam eam propulit, quæ occurrens nuper ingestæ, angustiam integram intulit, adeoque suffocationem.

Divinare non poterat) Hippiatria quanquam Veterinariis commissa sit, non ignobilis tamen censenda, quia & arti hominum medicatrici, ex parte diagnoseos anteferenda, quæ non enim sagacitas in dignoscendis equorum aut boum morbis requiritur, ubi recurrere non datur ad fontes signorum in arte medica usitatis?

Sed

sed facilem reddit Veterinariam baiciturs morborum bruta affligentium, quod simplici, non ut homines multiplici utantur victu. Ex *Hippocrate* namque τὸ ποικίλον τῆς διαίτης, ταχυπαθήματα τίκτει.

Observatio XXIV.

Non omnis Pulmonum cum costis cohæsio Respirationis difficultatem inducit.

A Pleura plerumque liber pulmo reperitur: Dico *plerumque*, quia multoties etiam illi, nunc toto ambitu, nunc aliqua parte fibrosis nexibus alligatur, atque in prosectionibus invenio fere tertiæ hominum parti hanc connexionem contingere, nam valde multa cadavera occurrunt in quibus Pulmo per innumeras fibrillas pleuræ firmiter alligatur, imo multa in quibus ipsa exterior pulmonis membrana pleuræ maxima sui parte adhæret immediate: In Nosocomio nostro varia demonstravimus cadavera in quibus primo tam firmiter, toto fere ambitu pleuræ adhærebat, ut sine magna vi & dilaceratione avelli non posset, qui tamen homines & in vita de *nullo Respirationis incommodo* conquesti fuerant. Unde liquet minime verum esse quod Massa, Riolanus, Bartolinus, Lindanus aliique scribunt hac de causa Dyspnœam diuturnam & incurabilem fieri: Anno 1660. publice prosecui cadaver capitanei furum, suspensi, qui in vita bene sanus, sine ulla respirandi difficultate vixerat, in quo Pulmo in utroque latere undequaque, non solum pleuræ, sed etiam diaphragmati & mediastino tam firmiter annexus erat, & non sine magna dilaceratione avelli posset. *Diemerbroeck Anat. lib. 2. cap. 12.*

SUspensus tenetur Pulmo ex aspera arteria, se in mediam ejus substantiam insinuante, atque illa mediante collo cohæret: *Fallopius* scribit illum in solo homine naturaliter claviculis ac summis costis adnecti. Sed *Riolanus* illum à costis & claviculis prorsus sejunctum multoties observavit, idque etiam à nobis, non semel animadversum. Si costis annectatur, etsi hujusmodi connexio multis post nativitatem sponte contingat (cum ea quempiam nasci à nemine, quod scio, compertum est) & sine læsione sanitatis persistat, in brutis tamen, præcipue majoribus ut equis, bobus, ovibus, capris &c. Viscus hoc à pleura liber esse solet, eique vix unquam, nisi præcedente pleuritide, peripneumonia, aliove simili, cum exulceratione morbo adnascitur; ac proinde in quocunque mactato animali talis connexio reperitur, illud de morbo suspectum esse solet. *Idem.*

Observatio XXV.

Asthma à Vertebris dorsi cariosis, &c.

JUvenis ab incunabilis gibbo cum asthmate laborans decimo quinto ætatis anno phthisicus periit. Aperto capite, crista galli, quæ septi instar os ethmoidis in duas partes dividit, in latitudinem & altitudinem ita aucta fuit, ut totum os cribriforme obtegeret, ejusque foramina quasi obstrueret; imo post coctum cranium nulla cavitas in eo patuit. Ossicula porrò maxillæ superioris, quæ canthum oculi majorem constituunt, ita excreverant, ut nasi septum ferè attingerent. Ossa omnia præter consuetudinem tenera & propè instar cretæ mollia erant. Dorsi vertebra sexta, septima, octava, nona & decima, quæ gibbum constituebant, carie exesæ & in partes fractæ fuerunt, præsertim ab interna parte. Harum particulæ in ipsis pulmonibus à parte dorsi ulceratis, inveniebantur.

CUi non latuisset causa morbi? inest sæpe & in incredibili verum, & in verisimili mendacium; ideoque medicina ipsis Medicis nil nisi ratione utentibus conjecturalis est. Qui gibbi ex asthmate aut tussi fiunt, ante pubertatem moriuntur, inquit *Cous Hippocrates*: à præpostero partu sæpe infantibus contingit Vertebras luxari; unde, collabescente Thorace, pulmones comprimuntur, & respirandi actionem impediunt. Provectiori ætate, gibbo etiam accrescente, omnes membranæ, quibus pulmones vertebrarum regioni connectuntur, magis dilatantur, & vascula quædam interrep ntia rumpuntur: ex quibus liquor stillat, qui reduci ineptus, ibidem stagnare cogitur, & corrumpendo vicinas partes, pulmones nempè & vertebras, corrumpit. Perceptu igitur difficile non erit: juvenem illum pulmones exulceratos, vertebrasque cariosas habuisse, cùm membranarum conclusionem pus in cavitatem thoracis dilabi non potuerit; ideoque circa vertebras, quasi in nido purulentum omne conclusum fuit. Atque sic mirum non est, frustula quædam vertebrarum in ipsis pulmonibus esse inventa, cùm per se partim, partim à respirationis quasi tractu, in pulmones ceciderint.

Rogabit me quis, cur ante pubertatem, non moriebatur, secundum Hippocratis textum? Regero, adolescentem hunc fortasse pubertatis notam externam quidem habuisse, ast quoad cœundi potestatem [quæ propriè pubertatem facit] eum ad id opus ineptum fuisse, veri quidem simile

dem simile est. Ejus impotentia, non tantum ex morbi dispositione, sed ex ossium teneritudine & mollitie apparet.

Structuram cristæ Galli in osse ethmoïdis monstrosam, nihil ad morbi genesin contribuisse, credo: nam per illud cribrum vasa sanguinea & nervi quidem excurrunt, sed per illud nihil humoris ex ventriculis cerebri in nares destillar, verùm omnis humor per infundibulū ablegatur. Quod autem spectat ad maxillæ superioris officula narium cavitates respiratorias præcludentia: respirationi quidem impedimento fuerunt, ast quia per os libet in pulmonibus aëri aditus patebat, nihil aut parùm huic morbo ausam dedisse credibile est. *Steph. Blancard. in Anatom. Pract. Rational.*

Observatio XXVI.

Respiratio difficilis à Mediastino lymphâ cruentâ pleno; pulmonibus purulentis; &c.

Vidua sæpè Hysterica noctu surgens è fenestra jacuit, inde respiratio difficilis ad instar asthmatis, cum tussi, Hæmoptysi, febri ac facie rubicunda. In medio pectoris grave pondus cum ardore interno, & puncturis in variis thoracis locis. Tertio die dolorem circa claviculam dextram sentit. Hisce aderat magna cordis palpitatio, quæ etiam in Hypochondrio dextro tum in eodem latere per aliquot horas percipiebatur. Sed è regione cordis perseverabat, idque ictibus vehementibus, hæc convaluit. Sed aliquot dies post in sedili sedens repentè in pavimentum concidit exanimis.

Dissecto cadavere, mediastinum lympha cruenta plenum inventum est. Pulmones toti purulenti & fœtidi. Ovarium sinistrum, ovum columbinum facile æquabat, lividum, sphacelatum & intùs spongiosum. Intus globulus nuclei magnitudine, grumo sanguinis similis, concludebatur.

Calida fortè surrecta, refrigerii gratiâ fenestram aperuit, ut aura nimirùm vesceretur frigida; unde constipato sanguine, ac diaphoresi impedita, pulmones ab eodem obstructi, ita ut libera respiratio ei denegata fuit. Ab obstructione putredo, pus, febris similiaque symptomata, quæ super iis in aliis subjectis plus semel explicuimus. Sanguis coagulatus cordis ventriculos obstruens, eosque libere pervadere impotens, latera cordis ampliavit, ac ob majorem motum Palpitationem induxit. Hisce tamen nonnihil quietis, quasi recumvalescebat; posteà verò levi occasione vel sponte sua vascula pulmonum rupta, pus effluxit respirandique actionem impedivit.

Quoad ovarium ad ovi columbini magnitudinem auctum, fortè à prævia obstructione & inflammatione ortum habuit & passioni hystericæ ansam præbuit: est enim malum cum præcedenti nihil commune habens. Globulus iste, qui intus erat conclusus, ovum procul omni dubio fuit ab inflammatione auctum, ut in iis, quæ rabie uterina, ut vocant, laborant, observavi. Illud ovum quoque sphacelatum fuisse & corruptum est similitudine, quam cum sanguinis grumo habet, apertè liquet. *Idem ibidem.*

Observatio XXVII.

Asthmatis perpetui, icteri, alvi siccæ & atrophiæ sontica causa, per Anatomen.

Glandulas sub cute miliares in cachecticis atque leucophlegmaticis redundante succo turgidiores nobis ob oculos posuit, C. D. Imò glandulas illas in Matronâ quadragenariâ, atrophâ, exsuccâ, auriginosâ, atque suspitiosa reperit ad myriadas usque pilorum molo atque duritie, sub universâ cute, ubi integro biennio, digitis cute ductâ atque reductâ, mobiles atque ductiles erant.

Biennio illo exacto inter balnea & alia præsidia cassa suspirium cessit in orthopnæam & apnœam. Jecur detectum est mole enormi. Ejus enim acini in globulos excreverant tophaceos, tartareos atque calcarios, qui bilis ductus ita stringebant, ut bilis omnem in ἔκφυσιν effluxum interceperint, unde fæces raræ, siccissimæ atque candicantes.

Pulmonum bronchia gangliis arctabantur, seu lupiis coriaceis, innumeris atque durissimis. Tot primùm dixit Præses meus globulos esse nervosos, sed compactissimos omnes ac mirè lubricos. Attentius autem dum illis studuit veterum professus est esse tubercula cruda, quæ maturescunt nunquam, sed incubitu jugi atque compressu preduro, bronchia adeò angustant ut per ipsa elisus aër asthma perenne, nec periodicum, ingeneret. *E Thesibus Discipulorum Præclarissimi Viri Dom. Caroli Drelincurtii.*

Observatio XXVIII.

Dyspnœa & ἀσφυξία recurrens à pulmone hepatis instar compacto &c.

DOminus de l'Ezcous, ordinum ductor, juvenis, vultu pigro, flaccido, decolori, fronte sollicita, prominenti erat abdomine; cujus dimidiam partem sinistrorsum occupabat tumor ingens à costis nothis ad pubim usque protensus, durus, æqualis, circumscriptus. Languore solutus erat perpetuò. Morosus. Difficilis. Suspiriosus. Multo illi sanguine identidem nares manabant, dolebantque è tumore hæmorrhoides. Incitatiori palpitatione anxium, languidum, attonitumque cor frequenter rigebat, ipseque collapsus ἄσφυκτος, & semi animis, haud sine negotio revivisœbat. Curas & angorem animi comessationibus lenire studens, largiore vino incaluit, abeunte Martio 1692. Dyspnœa tunc gravior incubuit, cum febri rapida, ventris torminibus, vomitu, punctorio lateris dolore. Injecti clysteres, phlebotomia bis administrata, hausti potus refrigerantes, invalida præsidia. Elapso quindecim horarum spatio, confusus, delirans, pulsu carens, anxios & turbatos gressus ferens, moriebatur.

Aperto abdomine omenti membranæ & glandulæ admodum tumuere. Lienis parenchyma bellissimè constitutum. Verùm fuit ejus moles monstrosa. Suspensus lance, quatuor cum semisse libras pependit. Majori adhuc mole sese tulit jecur, vitiosus tantummodo gibbâ sui parte, in qua parvi calculi latuere. In vesicula fellea contentus liquor nigricans, incumbentem ventriculum colore suo infecerat. A liene & hepate compressus ventriculus sede sua extrudebatur. In pectore sinister pulmonis lobus hepatis instar compactus & solidus, extra livens, intus nigro cruentoque tabo squalebat, dexter lobus, substantia molli, secundum naturam constitutâ gaudens, totusque pleuræ cohærens adacti olim in latus ensis vestigium gerebat; extra etiam livens, interiora putri habens liquentia tabo. Dexter cordis ventriculus, concreto infarctus sanguine, polypum vagum habebat, cujus discusso crassamine, sanguine scilicet conglobato, membrana, illius fundamentum, sphærica, tenax, pellucensque patuit. *Ex communicatione Viri Clariss. Dom. Rivalier. Medici Nemausensis Celeberrimi Lausannæ nunc degentis.*

Observatio XXIX.

Asthma à Polypô cordis, pulmonum adhæsione &c.

LAnionis Aulici Stutgardiensis filiolus asthmate per 3. annos, hinc ascitide correptus ab utroque malo liberatus quidem, obiit tamen post asthma rediens & ascitidis initia, pedum pura tumorem & abdominis tensionem, (cui urina valdè crassa & turbida fuit, extremò clarior sed pauca;) 14. Martii 1683. sex annorum. Cadaver apertum pulmones utrinque alde affixos ostendit, quorum dexter purulenti aliquid circa superiora habuit. Cor ingens polypum aluit, & externam pinguedinem quasi granulatim per totum parenchyma dispersam, qualis & pericardio, quasi carnoso adhæsit, cui quoque cor ipsum accrevit. Mediastinum crassum & cruentatum. Hepar externe quidem boni & rubicundi coloris, sed pressum digito foveam quandam relinquens pallidam ob parenchyma pallidum & flavum & bile repletum: cum in vesicula biliaria crassa bilis quoque crassa & densa esset.

Cætera omnia sana sed prægrandia viscera in habitu robusto, quem à parentibus, matre inprimis contraxit cum facie rosea & eleganti. Pancreas etiam duriusculum: omento integro adhuc, quod aliàs in ascíticis plerumque putrescit, & solito crassiori; glandulæ in intestinis insignes; serum ex abdomine effluxit crassiusculum, quod prunis impositum instar gelatinæ concrevit: quod in pectore ut & pericardio copiosum fuit, atra bile tinctum & sordidum: pinguedo fere nulla propter colliquationem ex calore multo, extenuatis hinc superioribus corporis partibus. Sanguis venâ cavâ dissecta, niger quidem, sed fluidus & copiosissimus. Hinc asthma suum à summa angustia levari sentiebat, quando stans caput & pectus inclinabat scamno, forte quod cor oppido magnum sterno incumbens melius quieverit, quam si supinos pulmones presserit.

Circa hierniam, quam in dextro latere habuisse videbatur, glandulæ multæ & serum coagulatum, quale quoque circa pancreas & mesenterium fuit, inventæ sunt nullis prolapsus cujusdam vestigiis apparentibus. *D. Salomon. Keisel. Miscellan. Curios. Ann. 7. Decur. II.*

OBSERVATIO XXX.

Respiratio difficilis à polypô cordis &c.

STrenuus ac Generosus D. D. N. N. de Bonzelet Vice-Chiliatcha, & Commendans Cochemiensis annorum circiter 50. ante triennium in byeme, diuturna vexatus vertigine curatus est per specifica, nuper in præsidio Cochemiensi ex malè observatis sex rebus non naturalibus, imprimis animi affectibus ira & mœrore, incidit in gravem dyspnœam, in quâ respiratio difficillima, cum continuo præsentissimæ suffocationis periculo, pulsu inordinato, siti intensâ, appetitu prostratô, pedibus intumescentibus. In fine Veris Cochemii à Clariss. D. D. Wasserman p. m. adhibita sunt hydragoga, & specifica asthmatica, unde levamen quidem habuit, remanente tamen adhuc, ex causâ quacunque procatarcticâ, respiratione difficili facillime recidivante. Circa principium Augusti Cochemio descendens confluentiam incidit in idem malum, multò tamen acutioribus symptomatibus stipatum, difficiliore respiratione, proximiore suffocationis periculo, facie prius pallidâ, dein instar strangulatorum luridâ, pulsu plane inordinato, quandoque quod mirandum, per multa horæ minuta omnino cessante; adhibita sunt denuò talia, quæ ad sanguinem in pulmonibus congrumatum resolvendum, stagnantem, ad naturalem motum reducendum, & hinc præcordiorum anxietatem sublevandam, difficultatem respirationis facilitandam efficacissima semper cum sperato effectu sunt inventa, sed frustraneo conatu; quoties supinus in lecto decubuit, adfuit pectoris anxietas & respiratio difficillima, dum in sedili erectus sedit nonnihil levaminis est expertus. Agrypniæ continuæ per dies quatuordecim, ne vel ad horæ quadrantem somnum permiserunt, sed quiescendo spasmodicis quasi convulsionibus identidem expergefactus est: pedum intumescentia discutientibus sæpe tentata, nullis medicinis cessit, verum indies majus cœpit incrementum. Itum est in consilium, cui demum origini tam desperati mali pertinacia adjudicanda foret: de cordis polypo aderat suspicio, quisque tamen nervorum pulmonibus dicatorum convulsioni, & spirituum eisdem inservientium inordinato motui malum, ascribere malebat, nec tamen insignes pulmonum obstructiones à quacumque causa subortas negabat: Insistitur itaque omni conatu solvendæ in pulmonibus sive materiæ impactæ, sive congrumato sanguini, & obstructis eapropter tam admittendo aëri destinatis arteriæ asperæ ramis per pulmonum parenchyma explicatis, quàm per- & te- vehendo sanguini dicatis per pulmonum substantiam dispersis vasorum meatibus reserandis, tum animalium spirituum motui imperuoso compescendo nervorum irritationi & nimiæ sensibilitati corrigendæ, verùm itidem casso tentamine, pharmacis quidem, ut testabatur Generosus Patiens virtutem suam strenuè exerentibus, nihil tamen opis obstinatæ pectoris anxietate, sufflaminato cordis & arteriarum pulsu, inter tormentorum tonitrua, & globorum imbres infractus atque imperterritus semper Heros solius aëris denegatione, non moriendo, verum continuâ suffocatione intereundo fatis vitam, Deo animam, cultro anatomico corpus cederet ad mali fontem & fomitem examinandum. Aperuimus ad Clementissima jussa Eminentissimi Domini nostri, pectus; dissecta cute, apparuit pinguedo ad crassitiem duorum pene digitorum substratum diaphragma fuit innoxium, pulmo dexter utcunque incolumis, excepta portione ad magnitudinem palmæ ob impedimentum, & congrumatum in eadem sanguinem, instar adusti cruoris atrâ, durâ, ad dilationem pro recipiendo aëre inepta. Secto pulmone sinistro statim affluere sanguinis grumuli pisa fabasque magnitudine æquantes, hinc inde arteriæ asperæ ramis per pulmonem vagantibus affixæ, exque sanguiferis per eundem pulmonem errantibus vasis ob stagnationem in parenchyma extravasatæ, densæ, velut resina, lentæ, divulsioni vix obtemperantes; totus hic sinister lobus, decolor, durus, cum alterius unâ portione ex atro luridus, prædictis grumulis ubique infarctus: cæterum erat sine noxa aspera arteria: cor suæ inclusum pyxidi ingens satis, extus apparebat integrum, ventriculus dexter erat sine labe, sinistro verò dissecto statim in conspectum prodibat polypus duarum pene spithamarum longitudinem adæquans, ex eodem ventriculo in aortam transverso digito crassus in pyramidem acuminatus propendens: aliàs, exceptâ hepatis magni penè libras octo ponderantis unâ lobi parte omninò flaccida, & sinistro rene toto scirrhoso cum duplicatis vasis urinam deferentibus, reliqua omnia viscera erant incorrupta. Quibus ita constitutis sic mecum ratiocinabar, polypum in sinistro cordis ventriculo causam exstitisse, cur elaborandus in corde sanguis, sufflaminatâ in eodem requisitæ fermentationis effervescentiâ debitam perfectionem minus nactus, crudus, crassus, viscosus, & ad circularionem ineptus permansisset, jamque ad pulmones deductus, in iisdem ob cruditatem & viscositatem stagnasset, stagnando extravasatus balsamica sua oleosa portione depauperatus esset, atque

atque ita grumescentiam, lentorem & spissitudinem acquisivisset, taliterque constitutus cum sanguiferos pulmonum ductus, tum ejusdem parenchyma infarciendo obstruxisset, & ad dilatationem pro recipiendo aëre inseparabiliter necessariam, hac ratione infarctam pulmonum substantiam omnino inhabilem reddidisset. Porrò eædem spissæ sanguinis grumæ à nobis per pulmonis sinistri lobum in maximâ copiâ, crasso lentore, ut divelli vix possent, inventæ, asperæ arteriæ ramulis per parenchyma pulmonis explicatis adjacentes easdem in inspiratione presserunt, ut nec illæ dilatationi obsequerentur, ideoque aërem neque ad neque intromitterent, quibus positis necessarium fuit, & necessitate consequentiæ infallibile respirationem sufflaminari, non aliter ac experimur, quoties per nimbos & nebulas ambulando heterogeneo & spissiore attracto aëre pulmones infarcimus, respirationem reddi difficilem, ex infarctu pulmonum angustiam comitari, & quasi suffocationis periculum imminere, dissipato tali nebuloso aëre velut causa mali extrinsecâ, facile superabile: secus ac in nostro asthmatico experti sumus, cujus causa veluti intrinseca, quoniam nullos Medicorum consiliis, quamvis ipse sanguinis motus restitutus fuisset, sustolli, nec grumæ tam lentæ pulmonibus infarctæ resolvi, nec in læsum & induratum pulmonum parenchyma instaurari potuissent, facile hariolabitur quisque infallibilem pene dixerim & inevitabilem à talibus circumstantiis mortis præsentiam. Accedunt Spasmodicæ arteriarum & hinc annexorum nervorum à propendente polypo, quamvis aliquando insensibiles, in hujus tamen patientis inordinato pulsu nunquam non notabiles convulsiones, nisi corrigantur (quemadmodum in hoc patiente corrigi non poterant) morti ostium aperientes; ex dictis jam facile quisque colliget, ut paulò ante insinuatum est, turbarum pulsus ordinem & sæpe intermittentem, si modo consideret cordis ventriculum sinistrum, ab hoc polypo quandoque, ob quamcunque causam turgidulo, cùm ad maturam, & citam festinamque nimis effusionem inclusi sanguinis irritatum; tum ipsum aortæ arteriæ ostium infarctum; ut nec ventriculi cordis valvulæ tarescentem taliter qualiter adhuc sanguinem effundere, nec aorta recipere potuerint, unde pulsus modo festinus, modo tardus, & debilis, modo aliquot minuta intermittens. Tumor pedum admodum obscurus non est explicatu ei, qui recordatur asthma sæpe in hydropem migrare, siquidem in asthmaticis, ut ex ante allegatis rationibus patet, sanguis circulum suum non rite frequentat, sed propter obstructos meatus spissior pars impeditur, liquidiore sive sero transeunte, quo paulatim incrementum capiente & ad pedes velut à corde, unde novum aliàs vigorem & ad circulandum promptitudinem acquirit, remotissimos deducta dum in his à venis resorberi ob spissitudinem nequit, nec revehi possit, necessario pedes in tumores distenduntur. Qui exactam Polypi descriptionem desiderat, adeat Clariss. Marcelli Malpighii dissertationem de polypo cordis, ab hoc respirationem difficilem inductam & consignatam inveniet in A. N. C. Eph. Germ. anno sexto dec. 2. observ. 233. p. 528. apud Tulpium lib. 1. observ. cap. 7.

Verum novis hic difficultatibus implicabar, in alia Viri alicujus Ill. sectione deprehenso in utroque cordis ventriculo polypo, ponderante dextri ventriculi unciam unam, sinistri verò drachmas 5. nihilominus patiens hic immunis semper vixit ab asthmate & convulsionibus; cæterum patiens hic alioquin salacissimus, & à lue venereâ, quâ ante infectus fuerat, & adhuc dum vexante podagra per plures annos contractus è loco se movere non poterat, quo volebat, portandus erat, cibus potusque per famulum ejus ori admovendus, in tanta quidem quantitate, ut fatigatum per diem triturio validum rusticum saturâsset, dormiebat quietus & placidus, in miserrimo quo torquebatur vitæ statu, naturali quasi hilaritate & jucundis faceriis integrum consortium sine tædio multiloquax detinebat, ad ultimum vitæ fere terminum nunquam tetricus aut tædiosus, donec una alterave septimana ante obitum gravissimâ tussi corriperetur, cum tam copiosa serositatum acrium & fœtidarum excretione, ut nemo præ fœtore in cubiculo posset subsistere, excretorum humorum acrimonia ita fauces excoriaverat, ut neque loqui neque cibos amplius deglutire potis esset, donec fatiscens, consumptis viribus diem obierit. Cur in hoc patiente abfuerit respirationis difficultas? occupante utrumque ventriculum polypo, D. D. Collegis considerandum relinquo.

Polyporum cordis cùm aliqua sit differentia, aliis congrumarum sanguinem, quibusdam carnosum & membraneum corpus, aliis verò, & quidem utplurimum, concretum adipem referentibus, diversas etiam conjecturas circa Problema à Nob. Dn. Autore propositum instituere decet, quia ipsa observatio Polypi descripti naturâ specialius non exprimit. Uti verò eum, qui coagulatum æmulatur cruorem, post mortè demum hanc speciem induere credibile est: ita, si tales in

tales in hoc viro 3. fuissent, difficultatem respirandi in vita ipsius absuisse, mirum non foret. Sin autem substantiam adiposæ æmulam habuerint, non longe ante mortem vel in ipso agone generari potuisse, mihi dicere liceret, id quod Exc. D. D. *Ioh. Conr. Peyerus* de Polypo, cujus histo. iam in *parerg. anat. 3. cap. 6. Schol.* sistit, etiam judicat. Et sanè tales hos extitisse mihi verisimile videtur, cùm serum sanguinis in isto subjecto abundasse, copiosa ejusdem ante mortem excretio innuat; idque insuper crassius extitisse, vitæ genus, quod polyphagum fuit, inprimis persuadeat, unde eò facilius adusta ejusdem a redine vel aciditate, cujus testes se tussis, atque in ea humoris excreti acrimonia sistunt, coagulatio sive paulo ante obitum, sive etiam post eundem accidere potuit, præsertim si balsamicæ & rubicundæ sanguinis partes per morbum diminutæ fuerint. Quamvis nec carnosos & membranaceos polypos plane exclusos velim, qui respirationi impedimentum facere propterea non valuissent, si cor magnum amplioribusque præditum ventriculis pro sede invenissent, nec magna sanguinis quantitas, ejusdemve motus concitatior adfuisset; præterea solis in ventriculis latitassent, nec prolixiora crura in vasa pulmonaria emisissent. Quæ omnia tamen prudentiori Dn. Authoris decisioni subiicio. *D. Ioh. Zachar. Furst. Miscell. Curios. Ann. 10. Decur. II.*

OBSERVATIO XXXI.

Respiratio difficilis & urinæ incontinentia à nimiâ pinguedine & diversis aliis causis proveniens.

Num verum sit illud Cygni Bilbilitani:

> *Dulcia defecta modulatur carmina linguâ*
> *Cantator Cygnus funeris ipse sui:*

disputent quibus est otium, affirmat Aristoteles l. 9. c. 2. de hist. anim. negat Plinius l. 10. c. 23. alius cygnus, de quo mihi sermo, hic quem jam à longo tempore asthma nullis remediis cedens, & in retinenda urinâ difficultas torserat, à cœna vespertina, inter suaves contubernalium & fratrum sermones & teneros jocos sibi funebrem lessum accinit, cantandoque tristes, hilari læsoque animo, de morte nænias, sibi vivus parentat, cum enim circa nonam vespertinam gradus ascendere nititur, advertit spirandi difficultatem invalescere, & ab amanuensi ægrè ad cubile deductus se reclinat in sedem, acceptaque absolutione respirare desiit. Aperto postridie abdomine apparuit pinguedo totum circumcirca corpus obsidens ad trium transversorum digitorum altitudinem. Omentum facile 30. libras civiles pependit hepar grandius, lien tres quantitate æquavit, in gibba parte omnino osseus; vesica minima, quæ facile oculos elusisset ob suam exilitatem, & pinguedinis, cui immersa jacebat, crassitiem: venæ lacteæ erant apparentes, in thorace cor itidem grandius, venæ coronariæ huc illuc per illud repentes ossæ, vestiente utrimque os tenui membranulâ, duobus in locis erant contiguæ dicam an continuæ? Ut minimam acûs cuspidem eliderent; pulmones vastissimi: ceciderat ante aliquod tempus exe quo, hinc de dolore obtuso lateris sinistri, ad dorsum vergente conquerebatur.

Venam cor ingressuram interius clausam cartilaginosâ substantia, ut vix aciculam admitteret, observavit Clariss. D. D. Steph. Blaeckarr. anatom. pract. ration. p. 14. membranam lienis à pluribus osseam inventam scribit Malpighius Biblioth. anatom. p. 348. lienem osseum cartilagine incrustatum Ephemeridibus Germ. A. N. C. anno 3. decur. primæ p. 288. obs. 58. communicavit Clariss. D. D. Christianus Rudnicius. *Thomas Bartholinus in sua Anatomia cap. 16. de liene p. 159. tunicam accepit tenuem & simplicem, hepatis tamen membrana crassiorem, quæ in senescentibus plurimum sæpe induratur, ut & ossea evadat & cartilaginea.* Respirationis in hoc patiente difficilis causam fuisse arbitror nimiam & excedentem pulmonum magnitudinem & denegatum hinc sufficiens ipsis dilatandis spatium: *Francis. cus de le Boë Sylvius prax. med. l. 1. cap. 24. §. 12. augeri credendum pulmonum nutritionem, quoties iidem consistentiam & substantiæ modum naturalem servantes, nimium tamen excrescunt, atque pectoris cavitatem ita replent, ut inde impedita potius quam difficilis reddatur respiratio, cujus rei exemplum semel atque iterum post mortem in sectione habui.*

Dyspnœam à pulmone maximo in puello refert Philipp. Salmuth. cent. 1. obs. 22. si sit ul quis culpam in omentum sua mole diaphragmatis motum impediens rejecerit, per me licet, ab omenti pinguedine dyspnœam inductam recenset Rhodius cent. 2. observ. 24. sit ut sit, à quacumque ex recensitis difficilis respiratio producta fuerit, fuit immedicabilis, siquidem nec pulmones minui, nec omentum potarat atteri. Urinæ incontinentia an vesicæ angustæ (quæ tamen observante Bartholino maxima & angustissima esse debuisset, si pulmonum amuletur magnitudinem cap. 20. p. 197.) & à pinguedine penitus oppressæ imputanda, an refrigerato, vel paralysi affecto Sphincteri danda? an verò nervorum ad sphincterem claudendum resolutioni, quam casus inferre potuisset, ascribenda sit? non decerno *Idem ibidem.*

Observatio XXXII.

Difficilis respirationis causa rara in tuberculo &c.

Dominicus Bredau, unus ex Metallariorum Islebiensium numero, qui ad carbones procurandos emittuntur, 36. annos natus, puer à puero, cœteroquin optimè sanus & munia sua benè obiens, continuâ dispnœa & palpitatione cordis & Pulsûs inæqualitate laboravit, nec ab ullis medicamentis meliorem se habuit. Ante 3. præter propter annos externè inter 1. & 2. costam juxta sterni junctutam tuberculum observavit, quod sensim, sensimque adeò protubetavit, ut ad ovi gallinacei magnitudinem accederet, cum forti pulsu & renixu se magis magisque manifestaret, & spirationem indies redderet difficiliorem. Omnes, qui hoc phænomenon, manuum, oculorum & mentis indagine prosequebantur, illud ad unum, ab injuria quadam externâ illatum affirmabant, hinc Medicamenta resolventia emollientia, interna, externa & alia quævis quæ in ejusmodi casibus certa & præsentia dantur ordinabant, sed omnia irrito cum successu, usque dum miser 8. dies ante beatum discessum in medicastri cujusdam manus, & ab ejus dato vomitorio in Orthopnœam, aliaque symptomata causæ vestem induentia, incideret penitùs. Æger morti jam proximus vehementer à me petiit, ut corpus mortuum apetirem & recognoscerem: Num forsitan sua mors aliis possit esse saluti. Quam petitionem etiam uxor post obitum charissimi reperiit, & me una cum duobus chirurgis ad aperiendum corpus invitavit. Secuiitaque cadaver hora sexta matutina, die 17. Septembr. multis adspectoribus in uno hoc corpore talia phænomena, qualia celeberrimi hinc inde Anatomici in pluribus sectionibus observarunt pauca, vel planè viderunt nulla.

1. Externè illud conspicuum tuberculum glandulosa & compacta carne tam firmiter erat infarctum & repletum, ut non solum cutem externam, sed & membranam internam vel Pleuram ad ovi gallinacei magnitudinem expulerit, costasque valde distenderit.

2. Tuberculo huic intus protuberanti, vel pleuræ extensæ aliud tuberculum majus vel potiùs Apostema crassâ membrana inclusum circum circa adnatum erat, quod inferiori sua parte Asperam Arteriam, & Pulmones comprimebat, illisque ut & sterno tàm firmiter adhærebat, ut vix cultello separari posset.

3. In cavitate hujus apostematis partim ichor purulentus ultra ad ℔ ß. partim & quidem in fundo glandulosa quædam caro in diversas lamellas, l. externo tuberculo reconditâ ad ℥ 9. ß. ponderabant.

4. Lobi pulmonum in utroque latere ad latitudinem 3. digitorum transversorum pleuræ adnati erant, quorum interna cavernosa substantia purulenta materia scatebat.

5. Pericardium mediæ cordis regioni & quidem adiposæ ejus substantiæ per fibrosos nexus adhærescebat.

6. In superiori Pericardii parte, ne gutta seri, in fundo verò ejus mucro cordis innatabat lymphæ.

7. Cor copiosa pinguedine obductum videbatur; ut exinde ejus moles non parum augeretur.

8. In ventriculo cordis dextro Polypus vel excrescentia carnea reperiebatur; & denique.

9. Juxta auriculam cordis sinistram; cartilaginosa quædam excrescentia magnitudinem nucis avellanæ superans, videbatur.

Beatum nostrum à primordio usque ad finem suæ vitæ laborasse difficili respiratione in historia innuimus. Qui affectus in scholis medicis generali nomine Dyspnœa salutatur, & sub se adhuc alias species continet, quarum natura eadem est, differuntque solùm vehementia causarum, quæ nimirum si debiles sunt, faciunt Dyspnœam, fortiores Asthma, adhuc vehementiores Orthopnœam & vehementissimæ Ἄπνοιαν. Causæ Beato nostro in vita difficilem reddentes respirationem, fuerunt admodum singulares, & à vitiosa in utero formatione productæ.

1. Externè enim illud conspicuum tuberculum difficilem reddidit respirationem, pleuram & costas distendendo, & diaphragma aliasque partes in consensum trahendo. Pleura quidem per se ad respirationem nihil facit, quatenus verò thoracem mobilem succingit & diaphragmati ancillatur, respirationem juvat, hinc necessario sequax esse debet, & harum partium moribus se conformare: Nam secundùm mentem VVedelii inter has partes exquisitissima est harmonia, & nullibi ferè major in corpore, nec motus manifestus thoracis fieri, imò concipi nequit, nisi pleura dicatur diaphragma continuatum. Costas quod attinet, multum & hæ ad respirationem naturalem contribuunt. Agitatio enim costarum & diaphragmatis motus sunt causæ sociæ dilatationis & constrictionis.

2. Imprimis autem tuberculum vel apostema internum pulmonibus incumbens, & asperam arteriam mole sua comprimens causari potuit Dyspnœam. Notum enim est; Respirationis verum & proximum organon esse pulmonem, & licet modus, quo respiratio peragitur, passio potiùs quàm actio pulmonum dicatur, tamen pulmo

pulmo instat follis dilatatur & constringitur. Hinc in nostro Beato ab ingenti apostemate compressi pulmones justo modo nec expandi nec constringi potuerunt. Sic & apostema hoc, quatenus mole sua asperæ arteriæ incubuit, Respirationem sufflaminavit. Tubercula, inquit Mœbius instit. p. 164. circa leves arterias consistentia, asperamque comprimentia, respirationem lædunt, Cor in consensum trahunt, & pulsum inæqualem efficiunt. Aspera enim arteria pulmonious communicat viam, sonum, dilatationem & constrictionem. Hæc igitur si gravatur fit strepera aëris allisio & inordinatio circa ipsum respirationis actum, ut non proportione debita inspiratio & exspiratio sibi respondeant.

Sic non raro observatum à coarctata aspera arteria ortum fuisse asthma incurabile, vid. Willis. de morb. convulsiv. Kerkring. obs. anatom. 27. Taceo jam, quod à compresso pulmone ejusque aspera arteria simul fibræ musculorum & nervorum, quæ in respiratione naturali peragenda multum faciunt, comprimi, arctiusque contrahi possint, & sic varia respirationis vitia & symptomata conciliari.

3. Num adnascentia Pulmonum Dyspnœam causari possit, in scholis medicis adhuc lis sub judice. Multi inter recentiores sunt, qui hoc cum Helmont. Tract. de Asthmat. & Tuss. §. 46. Kerkring. obs. anat. 72. Diemerbroeck. anat. l. a. c. 13. &c. negant, & loco sui fundamenti producunt: Quod adnascentia ejusmodi, cum Pulmones saltem passivè sese habeant, & in inspiratione pectoris dilatati motum sequantur, cumque eo in exspiratione concidant & coarctentur, neque motui pulmonum obstare, neque respirationem impedire valeat. Mihi verò arridet magis contrariorum sententia, qui inferunt: Omnem adnascentiam pulmonum esse p. n. & semper innuere vitiosum respirationis statum. Naturam enim ubivis quærere sui conservationem, & verè pulmones esse liberos à connexu, ut liberius se movere possint.

4. Per cardium naturaliter cordi non adhæreicit, sed tantùm ab eo distat, quantùm ejus motus postulat. In nostro autem cadavere illud per fibrosos quosdam nexus mediæ cordis regioni & adiposæ ejus substantiæ firmiter adnatum erat. Concludo hinc palpitationem cordis ortam fuisse tum ab adnascentia hac pericardii, tum à copiosa pinguedine cor obducente exindeque adaucta ejus mole, tum,

5. A Polypo cordis ventriculi dextri. Prostat enim in observationibus medicis non una historia, ab ejusmodi phænomenis ortam fuisse palpitationem cordis: Cum nimirum natura molestum sibi expellere annitatur, valde hinc motus cordis interrumpitur, atque è statu naturali abit in præternaturalem.

6. Sic & excrescentia illa externa juxta auriculam cordis sinistram reperta, motum cordis legitimum sufflaminare, & palpitationem causari apta nata fuit, quia cordis motus ultimò cessat in auriculis. Cor enim & auriculæ mutuas, licet contrarias, sibi porrigunt manus. Auriculis videlicet contractis, fibræ cordis & ventriculi dilatantur, & contractis fibris & ventriculis cordis dilatantur & relaxantur auriculæ. Quod si vero Anomaliam quandam admittant hæ partes, & præternaturale quid rhythmum istum impedit, necessariò hinc cor pulsum inæqualem dare cogitur.

Num à dato vomitorio Dyspnœa in Orthopnœam mutari potuerit, Doctioribus, cum jam brevis sim, ad indagandum relinquo. Optarem verò, ut hic Medicaster, cum Agyrta illo cujus Dioscorides l. 1. c. 136. p. 146. mentionem facit, idem fatum habuisset: Agyrta nimirum quidam Asthmatico medicinam facere intendens, ingreditur officinam pharmaceuticam & ibidem alterius cujusdam Medici Schedulam, Receptam, quam vocamus, sequentia in se continentem, legit:

℞. Carnes mali medici Perterritus hic mali medici nomine se notari putans, aufugit & ægrum absque remedio derelinquit. Qui jocus sequenti Epigrammate inclusus est:

Curans anhelum planus & Chiron senem
Agyrta planus, arte Chiron maximus,
Chiron jubet de carne mali medici
Seplasiarum parare Pharmacon.
Lecta Scheda illico in pedes se conjicit
Agyrta, se peti ratus medicum malum.
Sic arguit sua quemque conscientia:
Sic ipsa sese prodit ignorantia.

D. Ambros. Stegmann. Miscellan. Curios. A. ij. Decur. iij.

Observatio XXXIII.

Difficillima respiratio à Glandulis pulmonum scirrhosis &c.

Puer 15. annorum circiter, licet exscrearet & expueret libere, vocisque usu non impedito frueretur; aërem tamen captabat semper, & *de difficillima respiratione* conquerebatur, ac si pulmones propter infarctum cujuscunque materiæ non possent distendi; frustra adhibitis remediis An. 1692. d. 12. Aprilis diem oppetit suum.

Abdomen incisum omnia s. n. ostendit; nisi quod *sub cute nihil pinguedinis*.

Intestina justâ magnitudine, justo situ: tenuia autem inflata omnia, & vacua.

Omenti membrana nuda, destituta pinguedine, curtaque à colo pendula.

Hepar specie solitâ, nihilque vitii aluit, præter *unicam glandulam cartilagineam ferè in* globo lobi majoris, quam exemtam & dissectam *cavam* observavimus.

Vesicula fellis ad fundum pinguis; liquidâ bile.

Pancreas s. n. licet duriusculum, nullibi tamen grandinosum.

Renes s. n.

In Thorace: Pulmonum dexter, tres, *sinister* duos lobos exhibuit; *hinc inde parvæ glandulæ scirrhosæ* apparebant unâ majusculâ ex dissectis Pulmonibus *spumosus & dilutus sanguis* effluebat.

Pericardium

Pericardium quinque & plura cochlearia *aquâ limpidâ, aliquantum salsâ* implebat.

Cor pugnum majusculum superabat, vasis sanguineis & auriculis insigniter turgentibus. Præcisis *Sinistri Ventriculi* vasis, multùm sanguinis erupit; interiora autem hujus Ventriculi oppleverat cruor, sub quo *polypus specie pinguedinis*, latè per omnes columellas & cancellos parenchymatis expansus internos parietes occuparat. *In dextro Ventriculo* itidem *Pinguedinis specie Polypus*, sed latior, brachia cruenta ad venam cavam per auriculam, & ad pulmones per arteriam pulmonalem extendebat, quibus arreptis integer à nobis educebatur.

1. *Cor principium respirationis*, adeoque *motus pulmonum* esse intelligi potest, partim ex difficultate respirandi propter Polypum; partim ex generatione scirrhosarum glandularum in pulmonibus quæ citra dubium ab impedito, per polypum cordis, motu, stagnante hinc inde sanguine exortæ sunt.

2. *Asthmatis aut dispnœæ causa non semper in pulmonibus quærenda*; quippe glandulas scirrhosas non in culpa fuisse constat, quum anatomiæ ostenderint, libero respirandi munere, Pulmones scirrhosis glandulis fuisse oblitos.

3. *Cor esse principium nutritionis*, itidem ex hac observatione colligi potest; qui enim factum ut pinguedo defecerit, reliquis omnibus partibus, excepto corde, rectè se habentibus? *D. Philipp. Iacob. Hartmann. Miscellan. Curios. Ann. ij. Decur iij.*

Observatio XXXIV.

In juvene Asthmatico Pericardium totam quasi thoracis capacitatem vestiebat &c.

AN. 1692. d. 27. Maji invitor ad inspiciendum corpus juvenis, qui Chirurgiæ dans operam, percussus à Domino, in lethalem morbum incidens, post paucos dies vitâ defunctus erat.

Præsente Chirurgo corpus constituitur, nullum livoris aut sugillationis, aut contusionis, vibicumve signum extus, f. in thorace, f. in abdomine, adverto.

Ad compressionem diaphragmatis & abdominis, *spuma & sanies ex naribus & ore, erupit.* Aperto *abdomine* macies ubique; *nulla* sub cute pinguedine; *Omenti* membrana lurida supererat: cætera quidem *viscera* integra, sed *minimè vivacis coloris*, quum *exanguia fermè* conspicerentur.

Thoracem patefacimus; remotuti autem sternum, *dextrum Pulmonem pericardio accretum* experimur.

Pericardium p. n. prorsus, crassâ albâ tunicâ cônstabat, expansumque ad summum os sterni usque totam thoracis cavitatem investiebat, parum aquæ continens.

Cor vastum amplitudini Pericardii respondens: *incisis Ventriculis* dilutum serum sanguineum, non vividus, nedum purpureus sanguis difflaxit.

Pulmo sinister liber erat; nisi quod à Pericardio & corde coarctatus atque ad angustias redactus esset: *Saniem & spumantem serosum sanguinem* apertus effundebat; *Saniem* potissimum *in bronchialibus vasis stagnantem* invenimus: Cohærebat tamen adhuc *Pulmo sinister*, nec ad contrectationem diffluebat.

Dexter pulmo quantus quantus *Pleuræ* non minus quàm *pericardio adnexus* erat, ut ægrè vi divelleretur. Exemtus *totus specie à sinistro differebat: compactus & densus, subrubro pallidum hepatis parenchyma repræsentabat*; nullos tamen nodos scirrhosos uspiam observavi: Atque in *dissecto magis conspicua* erat ista *species hepatis*, nisi quod *in globo supremo rarior* esset *textura*, nec tamen, uti solet f. n. prorsus spongiosa; atque in hac parte aliquid saniei stagnabat, quum in *bronchialia vasa* inquireremus, *nulla in hoc pulmone obvia* fuerint, *sed alba ligamenta* insolitò passim magno numero in variè discissis frustis animadvertimus.

1. QUod *in pulmonibus multum* sit situm *ad Nutritionem* perficiendam: undè rectè *ad coctionis ultimæ Organa* referuntur.

2. Quod *Hæmoptoici & Phthisici* sanguinem & pus *ex bronchialibus immediatè* ejiciant aut excreent; fuerat enim juvenis noster olim *Hæmoptoicus, & Phthisicus*, & postquam *ab Hæmoptoë & Phthisi* quomodocumque convaluerat, *asthmaticus* evasit, vitâ dissolutâ indulgendo ingluvici ac potibus, faciens ut Phthiseos malum recrudesceret.

3. *Spermaticas partes*, si differentur, *non regenerari nec verè uniri* posse, vulgò statuunt. DD. *Ego partium divisionem in spermaticas & sanguineas* nunquam probavi: nec asserto *illi*, *spermaticas non regenerari*, unquam fidem habui. Quin omnem concertationem tandem in λογομαχίαν futilem degenerare, animadverti. Quis negaverit in memorato dextro pulmone, quem compactum hepatis viscus haberi potuisse disserui, *aliquid regeneratum*? & quid regeneratum dixeris? & quid regeneratum dixeris? non carnem, quâ pulmones destituuntur; nec cutem quâ parenchyma ipsorum minimè constat. Ergo fibras, membranas, vasa sanguinea, regenerata concesseris, bronchialia enim *nuspiam renata* inveni, sed potius ipsorum corrupta & lacera stamino natura in ligamenta transformavit, quum organica corpora in integrum restituere nesciret.

4. *Pulmonum substantiam à Phthisicis* aliquando per os *excerni* probant Historiæ, quibus & nostra experientia fidem addit.

5. *Phthisicis qui de pulmonis substantia* vel sat magnam

nam partem *excreverunt*, *spem superesse* servandi vitam, & recuperandi qualemcunque sanitatem, & hoc documentis fide dignis confirmari potest.

6. *Phthisicis qui de pulmonum substantia*, plus minusve, *excreverunt*, nunquam perfectum respirationis usum restitui posse; quod bronchialia vasa regenerari non contingat.

7. In fidem & illustrationem harum propositionum, *ex Ephemeridibus meis practicis* unicam *Historiam* adjiciam. *Iuvenis* quidam *tredecim annorum*, *ex ditione Episcopatus Varmiensis* propè Melsaccum *Prussiæ*, me *An.* 1691. *Autumno adulto* accedit, ut curam sanitatis susciperem, quod *hæreditarium phthiseos malum* obtigerat; atque hæmoptoë non semel ipsum ferè ad incitas redegerat, quum inter deambulandum, & ad ascensum in acclivia loca, *spiritûs defectum & difficultatem respirandi*, præterea *infarctum pulmonum*, multique *crassi albi puris expuitionem* subinde pateretur. Alioquin vegeto & alacri erat animo, atque rebus suis defungi valebat, utut macies musculorum in suris, brachiis, & aliis partibus esset conspicua. Ego *curationem in vernum tempus* sequentis anni *rejicere*, atque per autumnum & hiemem hoc solum agere, ut nullum ab Hæmoptoë periculum; quod & B. C. D. præstiti, quum liberalissimo hospitio gauderet, ut diætam ex voto possem disponere: Medicamenta confecit *Syrupus laxativus*, cum ℈1. aut 2. Essent. Catharcticæ; item *pulvis* ex canct. præp. & sperm Ceti; denique *Decoctum* ex leniter abstergentibus & modicè siccantibus vulnerariis; quibus accessit *Clyster*, quando usus postulabat. Bis autem per hiemem hæmoptoë invasit, errore motûs corporis & injuria aëris frigidi; sed non istâ, quâ domi vehementiâ ipsum aggressa est, & dictis medicamentis illicò cessit.

Quum *An.* 1692. *mense Majo* curationem instituere meditabar, nec tamen tempus vernum ex animi sententia obsecundaret; evenit, ut sub finem Maji horrorem cum æstu & langore desubitò persentisceret; esus raphanorum & frigus dicebatur in causâ fuisse. *Syrupum laxativum* rursus præscripsi; sed præter solitum decies moverat alvum, ut & sequenti die flueret: Atque tunc velut aggere rupto exundare sanguis, multumque cruoris evomi add. 12. usque mensis Junii, quando inter rejectamenta parùm aut nihil sanguinis videri cœpit: quod *primo octiduo tantum sanguis* ejiceretur, bis, terve, quotidiè, ad ℔. 2. 3. 4. *Altero octiduo* purulenta, fœtida, ex viridi limosa materia una cum sanguine rejici, æquali utriusque ferè quantitate: Tertio octiduo nihil sanguinis, sed tantùm purulenta materia, absque fœtore, & mutato viridi limoso colore; in alborem vergens; *sequentibus diebus* ad 23. *Iulii* usque pus album laudabile, minore indies quantitate, ut iter ipsi ingredi, propriamque domum repetere liceret.

Verùm *Cruorem & limosam fœtidam purulentam materiam*, sæpius contuitus & accuratè perlustrans, *particulas bronchiorum avulsas & laceras* non unas conspexi: *Cruor* autem *instar hepatis* concreverat, atque divisus ligno aut ferro coibat rursus & conglutinabatur quasi.

Curatio propitio Numine istis remediis fuit peracta; quando *primis diebus maximus impetus Hæmoptoës* invaserat, tentavi coagulando sanguinem sistere, *mixturâ simplici* usus cum syrupis appropriatis: sed quum non succederet suppressio sanguinis, curavi V. S. ex qua V. S. remitior hœmoptoë obvenit; atque asperitatem & tussiculam canct. præp. & *spermate ceti* sedavi; simul quiete corporis omnimodo imperatâ: Quum verò ardor febrilis somnum excuteret, contra febrim & aliquot noctium ἀγρυπνίαν usus sum pulveribus insipidis absorbentibus, & *pilulis* semel atque iterum, neque amplius, ex Balf. Peruv. Extr. Zedoar. c. succi glycyrrhizæ q. s. & Opii c. succo cydon. præparari gr. ß. *pro potu ordinario primi octidui* erat *Emulsio* ex amygdalis sem. frig. majoribus, & ex sem. papaveris albi inprimis: Parùm *cerevisiæ Anglicæ altero octiduo* adhibere permisi, quod illa palato abblandiretur: *vinum* semel concesseram, sed hœmoptoë insecuta ejus *usum internum* prorsus interdixit; *externè* itaque largius adhibitum generosum *Rhenanum*, quum tempora, faciem, manus carpos sæpius illo humectari, non sine insigni fructu jusseram: *Cremorem lactis* cum tantillo *vini hispani* conquassatum indulsi: quum interea *lac caprillum* suppeteret, quod deinceps per vices cum *emulsione* potum subministravit: ubi calorem persentiscebat, *Cerevisiâ Anglicâ* quoque abstinere coactus est: *Aq. turionum abietis* sic cohibitam tamen, ut cum tantillo vini prius turiones sint macerati, affatim cum syrup. Papav. errat. & violarum subinde hausit, si qua alvus non obsequebatur, *Clyster* erat subsidio. Quando vires prostratæ, ardor febrilis, ἀγρυπνία hœmoptoë non intermittens, ipsum conclamatum dictitabant, *spem* mihi *fecit*, quod *sanguis rejectus* cohæreret, neque fundo scutellæ stanneæ adhæreret, sed nec pituitoso muco esset permixtus; præterquàm quod *ætas juvenilis*, *liber à curis animus*, *conclave commodum* (illud betularum & fruticum fragrantiâ temperabatur;) *diætæ accurata observatio*, spem istam augerent; Etenim *assistentium curam* nunquam satis deprædicare possum, absque qua de ipso actum fuisset. Verùm S. D. G.

Hactenus autem juvenis iste prædia suo obequitavit, atque viribus & mole corporis auctus, in rem familiarem intentus, pleraque per se administravit, bellissimè etiamnum valens, ut nec deambulando ita fatigetur, & de difficultate respirandi minus conqueratur. Faxit ipsi Deus perpetuum istud gaudium.

8. *Pericardii crassities* ex coalitione fibrarum corrupti & renati pulmonis. *Idem ibidem.*

ANATOMIÆ PRACTICÆ
LIBRI SECUNDI.
SECTIO II.
De SUFFOCATIONE.

OBSERVATIO I.

Suffocatio Anginosa à Constrictione Venarum Iugularium orta.

HAUD pridem venas jugulares, subducto iis filo in cane arcte ligaveram, & post aliquot horas partes omnes supra ligaturam mire intumescebant & intra duos dies canis quasi angina suffocatus interiit; ab impedito sanguinis ab arteriis in venas circuitu. *Richardus Louver Tract. de corde, cap. pag.* 124.

A Carotidum arteriarum simili constrictione oriri soporem, unde illis nomen, ostensum lib. 1. Tit. de soporosis affectibus. Suffocatur autem homo cum aër ventilando calori cordis necessarius non attrahitur, *ait Sennertus Pract. libro secundo, pag. capite tertio*, fuliginesque calidæ expiratione non emittuntur: sitho primo cum vix aëri attrahendo dicatæ occluduntur, quod fit interdum ore occluso seu obstructo, simulque naribus muco obturatis, unde interdum apoplecticis & epilepticis periculum suffocationis imminet: Secundò si fauces, præsertim circa laryngem occluduntur; id quod fit in tumoribus musculorum faucium, laryngis, glandularum, columellæ, sicut & in luxatione vertebrarum cervicis: Tertiò si asperæ arteriæ caput à re quacumque obstruatur: etsi enim facile hoc non fiat, sed natura ob imminens summum periculum, per tussim magno conatu omnia talia excutere conetur, tamen si res ita pertinaciter & fixè rimulæ illi inhæreant, Suffocationem inducunt. Ita Adrianum Pontificem à musca in fauces involante suffocatum esse tradunt historiæ, aliosque uvæ acinis, infantes quosdam nummis &c. suffocatos esse tradunt: De suffocatis ab aqua vide observat. 44. Quartò, ipse quidem asperæ arteriæ ductus non facile obstruitur, cum sit satis patens, à vi tamen externa collo constricto, ut fit in strangulatione, via omnis spiritui intercipi potest; *quod & à tumoribus, ut brenchocele, tracheam prementibus fieri potest.* Præterea fungorum quorundam usus, ut & alia venenata, strangulare solent: quod proculdubio fit cum ob membranam, quam œsophagus habet cum aspera arteria & larynge communem, laryngis rima contrahitur & coarctatur. Ita ex medicamento sursum ac deorsum purgante fere suffocatus Unctor apud Harpalidem, *lib. 7. Epidem*, Quintò, accidit etiam in apoplexia suffocatio, cum motu thoracis omni, & membrorum respirationi inservientium læso, nulla fit respiratio; Sextò, in catarrho etiam subito & confertim ad pulmones ruente suffocatio fieri potest, unde suffocativi nomen adipiscitur, de cujus generatione vide lib. 1. sect. 17. observation. 11. & sequ. Pertinet huc & aër, qui attrahitur, ventilando calori ineptus & suffocans, qualis est ille qui è carbonibus, cloacis, musto &c. exhalat, qui quomodo suffocationem inducat, vide infra observat. 40.

Quomodo autem à venarum constrictione suffocatio inducatur ostendit Louver loco superius adducto. Quemadmodum, *ait*, venarum alicubi dilaratio sanguinis supplementum & influxum debitum divertendo, cordis motum valde diminuit, ita ubi venæ in angustum adeo ambitum compinguntur, ut sanguini commeatum satis liberum non concedant, idem omnino incommodum cordi accedit: quippe in valde obesis animalibus, propter venas à nimia pinguedinis mole & incremento compressas, quia sanguis pro motu cordis continuando debite suppeditari non potest, proinde in vasis suis & corde stagnare & concrescere aptus est, adeoque *suffocationi* & morti repentinæ (præsertim quibus à natura cor vegetum & robustum datum non est) obnoxios reddit: ut autem venæ cujuspiam, minoris licet, compressio sanguinis motum inhibendo aliquantulum alterat, ita quo plura & majora eorum vasa obstructa aut constricta fuerint, eo præsentius cordi periculum impendet; Et sicuti aortæ paulo supra diaphragma compressio, sanguinem totum corpori debitum, & omnibus simul vasis quantitate proportionatum in partes solum superiores congerendo, caput ipsum & cor obruit & pessundat, ita si vena cava paulo supra diaphragma, in dextro pectoris latere, ubi trunco ab omnibus corporis partibus distincto & discontinuo versus cor incedit, adeo arcte ligetur, ut sanguinis per illam affluxus prorsus supprimatur, dici vix potest quanto animalis detrimento hoc fiat: quippe licet ab injecta venæ ligatura, nullum doloris aut cruciatus sensum contentione aut ejulatu fatetur, mox tamen adeo oblanguere & fatiscere incipit, ut pedibus vix stare possit, quin & non tam procumbere quam in terram ruere & concidere semel vidi ferocem molossum, non aliter quam si vita omnino destitutus

stitutus esset. Ratio autem quare tanto discrimine & tam tranquille venam cavam ligari, aortam vero adeo anxie comprimi sustulerint, alia esse non videtur, quam quod vena inibi ligata sanguis toti corpori debitus, inferiori solum parti plurimum impenditur, adeoque caput vitali ejus influxu valde orbatum, spiritus pro cordis motu sustentando impertire adeo potens non est, ut utrumque vacillare & deficere multum necesse fuerit, quod nullo utriusque dolore perficitur: compressa autem aorta supra diaphragma, sanguis qui maxima expar te inferiori corpori, & visceribus ventris debetur, totus superiori & minori suffunditur, quem cum excipere omnino incapax sit, nimia ejus copia prorsus opprimi & suffocari debet; atque ideo cum mox cerebro, & cordi ipsi; tantam molestiam afferat, ad primam compressionem animal rem tam inique patitur & summo conatu amoliri nititur.

OBSERVATIO III.

Suffocatio à miro palati Abscessu. Et auricula dextra cordis ab atro sanguine distensione & infarctu.

Villicus adolescens ex frequenti & diu producto subdialis frigidique aëris usura, provocato viscidæ pituitæ distillatu, sentiit sibi primum nescio quid ad palati forulum adhærescere, quod aliquot post diebus in tuberculi formam se prodidit, atque ex majoribus in dies incrementis ad eam magnitudinem tandem increvit, ut totas hominis fauces opplens, ne dum firmioris alimenti traductum, sed etiam potum inspiratumque præcluderet: renixu duro, colore carneo, variis aliquot plicamentis in ambitu excurrentibus præniptum. Decoctum salsæ parillæ diu potum nihil profecerat, ac neque buccarus & gargarismata varia: Ego re inspecta nova & insolenti, præfocatum hominem iri certo agnoscens, Collegis meis laryngotomiam non dubitavi proponere, qua sola velut sacra anchora, tam miserandæ sortis exitio posset occurri: Quæ nostra suasio cum admissa approbataque non fuerit, denegatis interim vitalis auræ fomentis, fato functus est miser homo.

Quo, frigente mox corpore, in anatomicam inspectionem vocato, præsectum tuberculum ostracinum intro repertum est totum, cum aliquo particulæ conformatu & quarundam quasi alarum & rostri discretu: Itaque non inepte à plerisque adstantibus, & à nobis ipsis æquiparatum est testudini terrestri parvulæ.

Sed ante hanc tuberis excisionem, *experimentum* quod fecimus *Laryngotomiæ* narrabo: dissecta enim primùm cute secundùm longitudinem corporis, ex hoc aditu facto, resoluta transversim trachea, qua bronchia per synchondrosin connectuntur, confertim & subito visus est humor prodiisse cum spuma, auditùsque fragor spiritus veluti dissilienti ab angusto conclusoque loco: Qua re sic plane cognita, præsentes censuerunt valde probabile ut viventi jam ad prorogandam spiritus usuram ejusmodi pertusio subventura singulariter fuisset. Quod autem magis optandum erat, nunc vero tantumdem dolendum est; fortassis quotidianis epidemicæ anginæ casibus conclamatis, eo exemplo Medici nostrates animati didicissent aliquando succurrere.

Sed hujus ejusdem hominis visceribus exsectis, quæ offenderimus enarrandum: Repertа dextera cordis auricula durior & cartilaginea, plurimo atro sanguine distenta sic ut pugni magnitudinem æquasset: quæ dissecta neque resedit neque repressa est, sed eodem modo fornicata perstitit, velut obfirmata huic statui & velut sigillis affabricata: sinistra quoque auricula nil à priore varians: Intestina fibris quibusdam velut laciniis aut appendiculis distincta luteis, quas & in hominis suspensi cadavere secto per nos anno 1630. observavimus. *M. Aur. Severinus de Recondita Abscessuum doctrina p. m. 192.*

Denegato vitalis auræ fomento) Quid perimit illos qui *suffocantur*? Præterquam quod (ut alii dicunt fuliginosi) vapores defectu respirationis non dissipantur, etiam spirituosus & fervidus in pulmones impulsus sanguis non refrigeratur, nec condensatur, unde tunc pulmo spiritu vaporoso copiosissimo nimium repletur ac distenditur, ita ut è dextro cordis ventriculi in eum nihil amplius propelli possit (sicut in vesicam aëre distentam ac repletam plus aëris impelli nequit) & simul etiam ob summam levitatem, nihil, aut valde parum ad sinistrum deferri seu descendere queat, unde etiam ille novo fomite seu pabulo destituitur, nec quicquam habet quod fundat in arteriam aortam, atque sic sistitur sanguinis circulatio, & cor duplici de causa citissime deficit, ejusque sanguine non propulso aut veniente ad cerebrum, etiam mox deficit cerebrum, nec sese amplius movet, nec ullos spiritus animales generat, aut ad partes impellit, hincque omnium quoque partium sensus & motus deficit. *De Diemerbroeck Anat. lib. 2. c. 13.*

Experimentum Laryngotomiæ) Bronchotomiam scribendum esse pro laringotomia, docuit Celeb. Renatus Moreau. Pauci autem hactenus extitere qui eam in usum adducere ausi fuit, idque vel periculi metu deterriti, vel agendi opportunitate destituti, vel ab ægrorum amicis propter rei novitatem revocatis. At quandoquidem, juxta *Celsum*, satius sit anceps experiri auxilium quam nullum, in casu extremæ necessitatis institui potest, præsertim cum prostent exempla eorum in quibus hæc operatio bene cessit: Nec metus est ne partes nobiles aut vasa lædantur majora; denique vulnera ejusmodi citò coalescere exemplo docet Tulpius observ. 50. lib. 1.

Observatio III.

Anatome Suffocatæ puellæ tabidæ, ob effusum copiosè cruorem è Pulmonibus, asperam arteriam replentem.

Anno 1676. Junii mensis initio, Filia Gener. Dom. de Sergy, in Præfectura Giessensi, annos xiij. nata Genevam adducta est, ob imminentem rabem, meæque curæ commissa est: habitus illius, sicut & parentis φθιώδης, perpetua tussis molesta erat, per quam purulenta copiosè, citra præcedentem hæmoptysin, excludebantur; De gravativo dolore ad sternum imum querula erat; anhela in acclivibus & productiori deambulatione, ἀνόρεκτος, medicamentis omnibus infesta; sola jufcula, eáque raro, China, rad. pimpinell. pulmonar. capillo ven. tussilagine alterata admittens: Ideoque lactis muliebris usui se disponens, eadem die qua discessum in domum paternam meditabatur, medio in prandio, quidpiam in pectore disruptum esse exclamat, suffocari se fatumque instare, & verbo emisso Dei misericordiam implorans, post excretum paucum cruorem, suffocata extinguitur.

Quarta post hora à Mag. Danello, Chirurgo peritissimo, dissecatur cadaver; reseratoque pectore, primò illius hydrops deprehenditur; plurima enim aqua cruenta in eo continebatur, parte præsertim dextra, cui pulmones innatabant: Secundò remoto sterno, glandulosum corpus se exhibet, scirrhosum, album, castaneam mediocrem adæquans, utrinque depressum, extremo uno pulmonis dextri inferiori lobo affixum; altero mediastino & diaphragmati. Tertiò, dum examini subjiciuntur pulmones, simile corpus ad dorsum, latere dextro, illis & pleuræ cohærebat: Utrumque dissectum glandulæ induratæ formam referebat: Quartò, pulmonum labes insignis non fuit, variè tamen exterius colorati; dissecti & compressi cruentam purulentiam fundentes; substantiæ quam decet densioris: parte postica leviter ulcerati: His levissime compressis spumeus cruor plurimus ex ore manabat, ante anatomen spuma alba sponte diffluente: Mirum vero nec vel tantillum illius materiæ, quam copiosè dum in vivis erat, expectorabat, in Pulmonibus animadversam esse: Quintò, Tumidum valde occurrit pericardium, è quo dissecto seri cruenti ℥xvj. effluxerunt, ejusdem conditionis cum eo quod capiebat thorax: Sextò, extima cordis superficies lanuginoso panno omnino similis, aut intimæ ruminantium animalium ventriculi tunicæ; quasi corrosa, procuìdubio à seri acrimonia intra pericardium conclusi. Septimò, trachea arteria sanguine semi concreto infarta erat, quæ Suffocationis causa fuit: Reliqua scrutari non licuit, ob Parentem in proximo cubiculo lugentem & inscium.

Ab insigni sanguinis, ejusque seri acrimonia, potius quam copia reseratum fuisse insigne quoddam pulmonum vas, idque tracheæ arteriæ proximum, verisimile est: Primò quod nullus stagnans in eorum parenchymate apparuerit; paucus in cordis ventriculis: Secundò, ex constitutione puellæ tabescentis & exanguis: Tertiò, ex conditione tunicæ cordis atque extimæ substantiæ; omnino corrosæ, acerrimi seri affectus; pericardio inclusi, ut affectum illum jure merito cum Hildano cent. 1. observat. 43. Hydrocardiam, aut Cordis hydropem vocare possis (ante tres hebdomadas à me in uxore Clariss. Dom. D. *Crameri*, observatum) Mirum vero! ænoptysin, præsentibus causis, non præcessisse, Id quoque mirum Hydropis thoracis, præter dyspnoeam, nulla alia se exhibuisse indicia, cum decubitus in omnem partem facilis fuerit, somnus prolixus & in multam lucem productus, citra suspiria, quia notæ præsertim morbus ille se profert: A tussi enim nullum indicium desumendum erat, quæ illic sicca est, puellæ vero perpetuo humida: Nec minus mirum de cordis palpitatione nullas unquam fuisse querelas, quanquam causa id opprimens, exuberans serum, adesset: An quia sensim aggesto, illi tandem assuevit, ab assuetis autem non fit passio? Jampridem vero ibi congestum fuisse palam facit cordis passio, in superficie corrosi & tunica pene destituti: Tabis autem pulmonariæ, cum duæ præsertim assignentur differentiæ, una quæ pulmonis ulceris soboles est; altera quæ insitam illius debilitatem insequitur, ab hac postrema causa ortum duxisse dubium non est: Notandum autem Nob. puellam rufo fuisse capillitio donatam, quibus autem tale obtigit, ii acerrimos plerumque humores congerunt.

Observatio IV.

Suffocatio à Struma interna abscondita circa jugulum.

Filius Marci Peresii, quinque menses natus, bene habitus, nullo præcedente alio affectu, subito cum stridore & respirationis difficultate, è medio sublatus est: quo genere mortis prius quoque cùm duos amisisset filios, causam scire cupiens, ipso rogante pectus aperuimus.

In regione juguli glandulam illius loci, in strumam quandam magnam, unciam unam cum semisse pendentem, spongiam, venisque refertam, & quæ beneficio membrana-

rum dumtaxat vasis maximis illis circa jugulum ascendentibus adhærebat, excrevisse deprehendimus, carniformi quadam materia & sanguine opplera, quo subito irruente, glandulamque illam dilatante, adeo ut vasa illius loci premeret, suffocatum fuisse infantem judicavimus. *F. Platerus observ. lib. 1. pag. 184.*

G*Landulam il'ius loci*) Thymum intelligit, de qua Warthon Adenographiæ cap. xvi. Huic quatuor genera vasorum assignat, arterias, venas, nervos & lymphæductus; quos vidit frequenter per hanc partem decurrentes. Ex quorundam judicio Glandularum totius corporis munus est lympham transcolare, quo munere nisi fungantur, crassescit lympha, glandulamque in tumorem attollit, à qua comprimitur aspera arteria. Hoc in infantibus facilius accidit, quibus Glandula illa quàm in adultis multo major est. In allato exemplo augmentum accepit à sanguine per arterias delato.

Glandulam illam dilatante) Ea rumefacta strangulationes etiam viris possunt accidere, sed in mulieribus hystericis frequentius extumescens ipsas suffocat, nisi secta vena succurratur. *Riolanus Anthrop. l. 3. c. 9.*

Observatio V.

Suffocatio à pituitæ viscidæ copia ad uvulam delata.

APerui corpusculum filioli D. D. qui die præcedenti ex improviso, post sectam & colligatam fissuram labiorum interiit.

Causam mortis tam inopinatæ scrutaturi, invenimus in palato, seu ad uvulam, satis magnam pituitæ viscidæ copiam, in qua suffocatus videbatur: quæ forte ob commotionem, ejulatum & ploratum, ex operatione causatum, delapsa à cerebro fuit: reliquæ enim omnes partes & viscera sana erant. Erat autem & palatum fissum usque ad sellam Turcicam, quemadmodum stylo percipere potui: gingivæ quoque non coibant invicem ex parte illius fissuræ. *Io. R. Saltzmannus Observ. pag. 42.*

Observatio VI.

Suffocatio à carnis frusto devorato, subsistente inter epiglottida & laryngis rimulam.

SUeno Olai, juvenis robustus, sed pallido faciei colore, annorum 19. cum in cœna convivis, jussu hospitis inserviret, linguæ frustulum bubulæ, in patina residuum, clam & festinanter ori injecit, unde statim vox sublata & respiratio, nec caro deglutira conatu ullo aut vi ulla potuit elici. Antequam advocatur Chirurgus, suffocatur.

Postridie cadaver apertum fuit, inventumque est frustulum illud linguæ bubulæ, pondere unciæ unius cum dimidia, *inter epiglottida & laryngis* rimulam se insinuasse, totámque laryngem obturasse, tam arcte ut vix manu eximi potuerit: unde mirum non est subito & vocem cessasse & periisse respirationem: Oesophagus, quanquam ex vicinia comprimentis carnis angustior fuerit, ex ventriculo tamen potum regurgitantem per os narésque defuncti admisit. Pulmones à naturali defecerant statu, colore lividiores & flaccidi, unde color lividus faciei: & dubio procul exiguum vivendi spatium superfuisset, quanquam voracitas defuisset. Hepar solidum & liene duplo majus. *Th. Bartholinus cent. 1. histor. xi.*

Observatio VII.

Suffocatio ex frusto rupti Pulmonis in Trachæa arteria subsistente.

VIr quidam 36. annorum, calidus & siccus, phthisicus, morte repentina emoritur penes suam uxorem, hujus mortis insciam, quæ nequidem tam funestum casum sibi imaginabatur. Mane ea surgens maritum suaviter quiescentem à somno excitare noluit, sed tandem impatiens longioris somni, adhibito omni conatu in eo expergefaciendo, illum mortuum invenit.

Aperitur cadaver ad causam subitæ mortis investigandam, in cujus cadavere nihil notatu dignum reperi. Ad thoracem accedens, vidi primo ictu oculi circa cartilaginem arytænoidem collum inflatum ad instar strumæ, quam inflationem vivens non habebat. Aperto thorace inveni pulmones exulceratos & pure repletos: ruptum autem erat ulcus illud, quasi per mediam partem sinistri lobi, cum deperditione substantiæ & alicujus particulæ quam ibi non inveneram: Ex hoc suffocationem mihi statim imaginabar, adeóque totam asperam arteriam, in qua illum tumorem tum temporis inveni, extraxi una cum pulmonibus & corde: his extractis volebam folle pulmones per asperam arteriam inflare, sed nullus halitus aut aër transivit: Digito causam resistentiæ indagans, inveni illud frustum rupti pulmonis in aspera arteria ita infixum, ut uncis illud nonnisi laceratum extrahere potuerim, quod transitum aëris impedivit, adeoque subito suffocari

miserum

miserum necesse fuit: Postquam autem frustum illud extractum erat, pulmonem inflabam, (dextrum tantum non sinistrum, qui erat laceratus) magna tamen cum difficultate ob copiam purulentæ & viscidæ materiæ: Sed multo mirabilius in hoc cadavere inveni, Resectis Pulmonibus Cor aperui, in cujus dextro ventriculo foliolum integrum viride sisymbrii, per modum acetarii pridie vesperi comesti (ut referebat vidua) & sapore & odore inveni. *Ex Observat. Ioh. Georg. Greiselt Med. Viennensis in miscell. cur. anni 1670.*

Observatio VIII.

Suffocatio ab alimenti sordibus asperam arteriam occupantibus.

NUper in vitulo morticino causam mortis investigans, eam inveni ubi minime suspicabar, habebat is asperam arteriam fœno permixtisque aliis sordibus ita plenam, ut animæ interclusus fuerit exitus: erat epiglottis ei parva, adeo ut vix medium tracheæ hiatum obtegeret: hinc fœno paulatim, ut ex substantia ejus semiputrida apparebat, obturandæ arteriæ fecerat copiam. Nec in brutis hoc tantum usuvenit. In pueio triennali alias tracheam corrupti alimenti sordibus oppletam reperi, cui & epiglottidem fuisse, quæ non esset opplendo arteriæ illius osculo perspexi. *Th. Kerckrengius Observ. Anatom. xlvii.*

Observatio IX.

Suffocatio à Bronchocele asperam arteriam prominente.

§. 1. FIlia quædam Bronchocele laboraverat, quæ in parte colli anteriore nata, trium circiter mensium spatio ita excreverat, ut longe ante mentum prominereт, miseramque tam præcipiti augmento enecaverat.

Nobis quomodo id factum esset post mortem inquirentibus, Tumor hic, substantiâ glandulosus, visus est ita asperam arteriam colli vertebris appressisse, ut inde *Præfocata* fuerit. Quod quia rarum videbatur, hic annotandum putavi, ne lenti nimis in similibus tumoribus, subito increscentibus, naturæ arbitrium otiosi expectent Medici: præstiterat hic humores imminuisse, reliquias eorum alio divertisse & localibus adfuisse remediis, quam permittere ut misera misere strangularetur. *Th. Kerckringius Observ. Anatom. 74.*

§. 2. Bronchocelen in theatro P. Marchettus proposuit, ubi glandulæ diversæ asperæ arteriæ adstabant, quarum quædam sero copioso turgebant; quas si ante mortem discussissent, mortem ipsam evasisse credidit *Marchett. Henr. à Moinichen in Epist. Bartholini Cent. 2. Epid. 77.*

Observatio X.

Suffocatio à lapidibus asperam arteriam prementibus.

QUidam laborabat magna dyspnoea sine tussi, Lapides varii asperæ arteriæ incumbentes immediate, ita eam oppresserant ut tandem hominem præfocaverint. *Vide tit. de Dyspnoea.*

Observatio XI.

Suffocatio à colluvie purulenta in asperam arteriam confluente à vomica Pulmonum disrupta, &c.

ANno Dom. 1574. pridie Calendas Junii, facta est dissectio corporis Caroli IX. Regis Galliorum, Cujus Pulmo, qui in partem sinistram thoracis incumbebat, à costis illegitimis ad claviculas usque totus lateri adhærebat, ita firmiter & obstinate ut avelli non potuerit sine dilaceratione & discerptione cum putredine substantiæ, in qua se prodidit vomica rupta, è qua colluvies purulenta, putrida & graveolens effluxit, cujus tanta fuit copia ut in asperam arteriam redundarit, & præclusa respiratione præcipitis & repentini interitus causam attulerit. Alter Pulmo sine adhæsu fuit, magnitudine tamen naturalem constitutionem, turgidus & distentus, superans, (ut sinister superabat in substantia, insignem corruptelam præ se ferens) parte superiore putris, refertus & conspurcatus humore pituitoso, mucoso, spumoso, puri finitimo. *Iacobus Guillemau, Operum pag. 856.*

Observatio XII.

Suffocatio à seroso humore, affatim è cysti seroso humore plena, in cerebri extima parte sita delabente.

R Barriere destillatio perpetua ad nervos linguæ loquelam quamdiu vixit, impedivit, quæ tandem aucta Suffocationem intulit: Aperto cranio, in extima cerebri parte, in conspectum venit Cystis robusta membrana contexta, undique serosum humorem continens, in fundo exiguum foramen habens. *Vide Tit. de Lingua affectibus lib. 1.*

Observatio XIII.

Suffocationis sensus à liquore p. n. cysti contento, tertiam circiter thoracis sinistri partem occupante.

PUella 18. ann. languida erat admodum obstructo thorace: domum egressa tempestate ventosa, cogebatur domum properare, parum enim abesse ajebat quin vento strangularetur. Mortuæ cavitate thoracis aperta, evaporabat fœtor olidus admodum. Dextrum tantum ejus latus erat integrum: In tertia circiter sinistri parte aderat cystis plena liquore cremori simili, ad quantitatem trium pintarum. *Vide Tit. de pectoris dolore.*

Observatio XIV.

Suffocatio excitata ab insigni Aneurismate in Arteria magna propem jugulum.

QUidam Juvenis, vix in curationem recepto Medico, derepente Suffocatus periit: Cum de causis mortis subitaneæ dubitaretur, pectus post mortem fuit apertum, ubi tumor Aneurismatis insignis, in arteria magna prope jugulum deprehendebatur, ob sanguinis ebullitionem & incandescentiam, suffocationi occasionem præbens. *Greg. Horstius Observ. 1. lib. 9.*

IN internis partibus Aneurismata sæpius incurabilia fieri, non tantum Authores, sed etiam experientia confirmat, inprimis in iis qui litus atque sudores ad curationem morbi Gallici toties sustinuerunt, ob sanguinem attenuatum & incalescentem, arterias majores in amplitudinem p. n. distendentem *quod Pareus in cadavere cujusdam vestiarii deprehendit, qui ejusmodi aneurismate arteriæ venosa repente rupto subito mortuus fuerat.* Similem observationem hic in Nosocomio Gallico quoque notavit ordinarius Medicus *in prædicto juvene*, qui vix in curationem receptus repente suffocatione perierat. *Idem.*

Prope jugulum) Partem affectam sæpissime, imo fere semper, ob arterias carotides collum esse observat: *P. Barbette prax. Med. lib. 1. cap. 3.*

Observatio XV.

Suffocatio ab aquarum copia in thorace inducta.

§. 1. NUper dissecui Nob. mulierem, quæ viginti quatuor horis à partu decessit è vivis, Aquarum copia, quibus abundabat thorax, corde suffocato. *Riolanus Anthrop. lib. 5. cap. 1.*

§ 2. Vir doctus sensim in cachexiam incidit, tandem suffocatus obiit, Thoracem aqua sanguinolenta omnino plenum reperimus. *Vide Tit. de Dyspnœa.*

§. 3. Infans variolis infectus suffocatus interiit, Thorax aqua viridi plenus cernebatur.

§. 4. Plurimæ morborum causæ, quæ continentes vocantur, ac immediate morbum producunt & fovent, plerumque sensim coacervantur. Sæpe diu in corpore delitescunt nullásque molestias exhibent, & non raro pauca sui indicia præbent. Aut si quandoque molestæ sint, nondum tamen illum morbum efficiunt quem patituræ sunt, si vel virtute validiores, vel quantitate abundantiores evadant; vel sepultæ quasi ab occasione aliqua excitentur. Tunc enim sæpe subito in actum deducuntur, morbosque gignunt: Fidem facit hydrops pectoris, in quo aqua sensim cumulata, primum parum vel nihil molesta est: hinc crescendo & acrior facta tussim siccam efficit: adhuc abundantior respirationem difficilem reddit, palpitationem cordis excitat, tandémque quantitate major quam ut pectoris cavum eam capere possit, pressis undique pulmonibus, subito hominem, nondum id timentem suffocat. Ut nuper admodum in juvene quodam *Philippo Spærlino* observavi, qui nullo in pulmonibus vitio, si compressionem excipias, apparente, subito, ab aquæ copia in pectore cumulata suffocatus obiit. *I. Iac. VVepferus Exercit. de Apoplexia pag. 286.*

Observatio XVI.

Suffocatio ab Vterino hydrope & Thoracis.

Mulier incurrit tumorem ventris Asciti vel Tympaniti similem, &c. In thoracis cavitate aqua erat copiosa, quæ potuit esse causa suffocationis, &c. Ex abdomine effluxeruntaquæ circiter libræ 73. Ista aqua omnis in uteri cavitate continebatur, &c. *Vide lib. 3. Tit. de ventris Tumoribus.*

Observatio XVII.

Suffocatio à materia purulenta bronchia oplente, Pulmone dextro tumido.

Aperto corpore Phthisici, dexter Pulmo tumidus inventus, adeò ut totam illam impleret cavitatem. Incisis bronchiis, alba materia & puriformi repleta erant, qualem ante ejecerat, quam si extussire potuisset, Suffocatus non obiisset. *Vide tit. de Phthisi.*

Observatio XVIII.

Suffocatio à caruncults in bronchiis Pulmonis obortis.

Famula N. diu pectoris angustiam persensit, tandem saturata de mensa surgens, aucta pectoris angustia, suffocata obiit. Pulmo deprehensus coloris lividi: aspera arteria dissecta, carunculæ quamplurimæ nigræ inventæ sunt. *Vide tit. de Dyspnoea.*

Observatio XIX.

Phthisici suffocati moriuntur aliquando, ob materiam viscidam bronchia obstruentem.

Modus terminationis ad mortem in Phthisi est 1°. diarrhœa, 5. aph. 12. 2°. Suffocatio; cum sputum fuerit retentum, aph. 16.17. Tamdiu vivunt, ait Galenus, quamdiu extussire, & per sputa pulmones expurgare queunt; ubi vero intus remanent, respirationis obstruuntur viæ & suffocantur. In demortuis apertis illam à purulenta, tenaci & viscida materia obstructionem bronchiorum sæpe observavimus. *Rolfinkius meth. partic. &c. lib. 1. part. 2. cap. 6.*

Observatio XX.

Suffocatio ob Pulmones variolis obsessos.

Puellus variolis obsitus suffocatus obiit, Pulmones ita undique Variolis intus & foris erant pleni, ut nil plane sani conspiceretur. *Vide Tit. de Febribus.*

Observatio XXI.

Suffocatio à Sanguine universo ad pulmones confluxo.

Ex rupta vena fuit suffocatus subito G. Ulrich. Aurifaber. Secto ejus corpore, omnis sanguis repertus est in Pulmone. Ex observat. *Ioh. Hessi Medici Norici.*

Observatio XXII.

Suffocatio à turgidis & sanguine distentis venis internis.

Ægrum morti proximum, semisopitum, sine sensu & motu xxx. circiter annorum vidi; cumque aliqua spes in phlebotomia illuxisceret, quoniam corpore esset quadrato, tamen renuente seniore medico, phlebotomiam consensu ipsius reliqui, ipsi administrando, ut calor nativus, (ut ille ajebat) excitaretur 1°. clysterem, ligaturas dolorificas, cauterium in nucha, vesicantia brachiis & tibiis, columbum per dorsum dissectum capiti applicatum, epithemata cordialia testibus, extremis partibus, cordi, quibus omnibus optime paratis, æger mortuus est.

Secto corpore, nulla in hepate, in cerebro aut corde, lethalis noxa percipiebatur, sed venæ omnes turgidæ supra modum ad immensam molem excreverant; ita ut aliquæ venæ in aliis corporibus exiles ac parvulæ, in isto cadavere crassitudinem pollicis æmularentur. *Dom. Panarolus Pentec. 1. Observ. xiii.*

Vide in hanc rem Galeni comm. in Aphor. 3. sect. de habitus athletici periculosa constitutione, & quomodo cito sit solvenda: Exemplum mihi præbuit annus 1668. Petrus Bonnetus

neton Lugdunensis, Hortulanus Sereniss. Principis de Longueville in Arce Colombiers, vir sexagenarius, quanquam vultu & alacritate corporis xl. annum vix attigisse videretur, torosus, quadratus & vere athletici habitus; Post aliquam in sole moram ἄφωνος evadit, immotis & inconniventibus oculis, cataleptico similis; venæ omnes illi ad summum turgidæ erant, pulsu vix micante, circa merinoctium accersitus fui; Chirurgum illico advocavi qui superfluum sanguinem demeret, & instantem suffocationem anteverteret; Icta vena sanguis saltu cubiculi lacunar attigit, quem ad libras duas exire permisi, hinc vox statim restituta & altera die incolumis ad officium rediit pristinum.

Observatio XXIII.

In suffocato & strangulato Pulmones Sanguine spumoso pleni reperti.

Anatomen virilis cadaveris ob furta strangulati, hominis proceri, sanguinei, habituque corporis robusto instituens, Inveni pulmones grandes, variegatos, cœruleos, rubore inspersos, marmoris instar, leves & spongiosos, sanguine spumoso tam plenos, ut non tantum externæ venæ tumidæ ubique in membrana apparerent, sed in dissectione cordis demonstrantem me fere impedirent. *Th. Bartholinus Histor. xxxii. cent.* 1. §. 31.

Observatio XXIV.

In Strangulato fistula Pulmonum Spuma repleta inventa.

Virile cadaver, hominis sanissimi, strangulatum à me dissectum est anno 1656. Fistula Pulmonum spuma copiosa erat impleta ex strangulatione, *Barthol. centur. iv. histor. vi.*

Observatio XXV.

Suffocatio à crasso nigróque succo cordis sinus infarciente ac posteriores lobos Pulmonum.

Joh. Gingk annos supra 50. natus, crure dextro paulum infra genu ante circiter xxx. annos resecto, mutilus: homo εὔσαρκος & robustus, allato in prandium pane, vinoque de more hausto; & quidem adhuc jejunus, percepit obrepentem sibi subito (citra tamen tussim, vomitum, nauseam aut leipothymiam ullam præcedentem) respirationem difficilem cum anhelatione, ut densissime, nec nisi stando spiritum ducere quiret, & suffocationis præsens periculum sibi ingruere videret mente integra. Advocatus Medicus, pectoris angustiam magis magisque augescere thoracem *collumque intumescere*, adeoque mammillarum loca in altitudinem panis domestici turgescentia conspicatus, ideoque veneni sumpti suspicionem habens, theriaces ʒi. ex aq. card. bened. liquore propinat, & simul mortem prævidens, de Medico animæ accersendo, hortatur, æger interim, & quidem paulo post horam primam pomeridianam, animo constans loquénsque, suffocati in modum exspirat.

Ante cadaveris apertionem, (quæ inter 3. & 4. horam vespertinam fiebat) utraque palpebra in altitudinem ovi gallinacei indurati, per medium in longum secti, tumebat, colore dilute flavo: tumebat & tota facies, malæ, frons, capillitium, cervix, collum, humeri, pectus, scapulæ, brachia, dorsum, venter, nates, femora, usque ad genua, in quibus turgiditas desinebat. Tumor pulsando concavum tympani sonum referebat, in velleris ovilli, à lanio ad deglubitionem faciliorem inflati modum: Tempora, cervix, scapulæ, humeri, dorsum, non solum livescebant, sed nigrescebant potius, lividum hunc nigrumque colorem ante horam IX. mane ejus diei, jam animadverterat Medicus.

Dissecto peritonæo, ventriculus, intestina, hepar, lien, culpa vacare videbantur, præterquam quod ventriculus cum intestinis pauco flatu turgebant: lien nihil livoris naturalis habebat, verum rubicundior quam pro natura existebat: Venæ ventriculo, colo aut hepati insitæ nigrescebant, fellis folliculus multa bile ac pallescente plenus, eoque colore intestinum jejunum tingebatur. Pectore recluso, anteriores pulmonum lobi, dexter atque sinister, satis sani apparebant, verum posteriores ad dorsum positi, dexter quidem, atro totus succo atramento simili, turgidus ac subdurus erat: sinister autem similiter, sed paulo minus nigrescebat; Pericardium nihil humoris continebat: At dexter cordis sinus atro, crasso & fusili sanguine scatebat, sinister verò nigricantem paulo minus habebat.

Causam dyspnœæ, orthopnoeæ & suffocationis, utriusque posterioris lobi infarctum, Subitaneæ autem mortis culpam in crassum nigrumque succum conjiciendam puto, quo uterque cordis sinus oppletus fuit, qui spiritum vitalem opprimebat, quem fibris destitutum & putridum venenatumque facultas expultrix, theriaca pauxillum quidem adjuta, cu-

tem versus amoliri conabatur; sed crassitie ejusdem, & pororum cutis densitate, calorisque vitalis imbecilitate exterminare prorsus nequibat, at in flatus convertit: Talia moliri videmus naturam per anostomosin, reseratis vasorum osculis, in hyposphagmate, utroque ictero, in oedemate, hyposarca & in schirris aliisque cutis vitiis: Niger & atrabilarius erat, ob lienis imbecillitatem, non satis validi ad extrahendum expurgandumque fœculentas ex hepate sordes, limumque melancholicum, qui in massa sanguinis relictus, illum inficiebat, refrigerabat calidumque nativum extinguebat: Exemplo famuli *Principium Bullionæorum*, Nec non illustr. Principis Friderici III. Electoris, quorum uterque atrabilarium in ventriculis cordis, veréque nigrum & crassum succum gerebat. *Henricus Smetius Miscellan.lib. x.pag.*580.

(*Ac in flatus convertit*) Atrabilarium succum uberem flatuum proventum facere omnibus notum: Testantur hypochondriaci, quorum affectui flatulenti nomen ob id impositum. Hydropem tympanitem à flatibus ex atrabile suscitatis oriri multi contendunt, ac inter hos Sennertus.

(*ollum intumescere*) In affectibus hystericis & quibusdam hypochondriacis præfocationis sensus in gutture, symptoma crebrum & familiare existit: Enimvero spasmus in nervo quopiam incipiens ejusdem ductu ulterius prorepere solet; adeoque partes modo has, modo illas successive invadere: Si quando igitur spasmus in utrovis paris vagi, aut intercostalis nervo alicubi oriatur, & exinde sursum aut deorsum tendens ad alterutrum plexum pervenerit, illico ambobus affectis, musculisque in tota vicinia contractis in gutture moles, seu tumor globi instar, cum præfocationis sensu excitatur. *Villis Anat. cerebri cap.* 29. Quoties paroxysmi convulsivi à Liene aut Ventriculo incipere videntur, ut pote quorum initia sunt partium istarum inflationes, & perturbationes insignes, verisimile est materiæ spasmodicæ nidum intra *plexus nerveos*, *ad Lienem* aut *ventriculum* pertinentes reconditum fuisse: Quin etiam ejusmodi materies, intra plexus cardiacos, gravissimos *cordis tremores* & *passiones*: Intra *plexus pneumonicos* aut *cervicales*, terribiles *asthmatis* insultus excitare videtur: Porro ab eadem causa, scilicet materia σπασμώδη intra *plexus gangliformes* aggesta, & per vices explosa, istum in *gutture præfocationis sensum*, in paroxysmis convulsivis tam crebro excitatum procedere (nec immerito arbitramur. *Idem lib. de morbis convulf. cap.* 6. Hunc *Præfocationis sensum* à succo Pancreatico austeriore deducunt *Fr. Sylvius* & *Regn. de Graaf.* Hic Tract. de *succo Pancreatico* §. 189. Unum *ait*, de ipso magis austero libet addere, ortum ab ipso habere strangulationis sensum ac metum, fœminis quidem quam maribus magis familiarem, atque fieri uteri ascensus nomine passim notum, cujus notabile in viro Clar. exemplum libet afferre. Factum anno 1663. ut oblatum mihi ab Excell. D. Sylvio succum Pancreaticum gustaverim, eumque perceperim 1°. ut videbatur, subsalsum, mutato tamen nonnihil sapore, visus est deinde esse cum levi austeritate subacidus, fœtor in ore productus tantus, ut qui mecum erant me de fœrote monerent, similisque erat ille fœtor illi qui ex aqua limosa & fœtida oritur, os & fauces non solum inde exficcabantur, sed & constringebantur ita ut suffocari viderer, &c. Erat succus ille ex cane à me præsente D. Præside eductus. Hinc non absurdum videtur dicere viros aliquando suffocatione laborare Hystericæ consimili, cujus causa proxima accedat à tenui intestino, in quo excitati, ob vitiosam concurrentium humorum effervescentiam, halitus & flatus austeri, quoties per œsophagum assurgunt, eundem ita angunt ut in strangulationis periculo se versari putent ægri. *Hæc Graaf*: Prior autem airiologia, allato exemplo accomodari potest.

Observatio XXVI.

Suffocatio ab utroque cordis ventriculo tenui sanguine distento.

Quidam ex alto decidit, &c. Ventriculus uterque cordis tenui sanguine distentus erat, unde suffocatio acciderat: Respiratio viventi magna erat & crebra *Vide lib.* 4. *Tit. de vulneribus.*

Observatio XXVII.

Suffocatio ob pericardium & cordis regionem sinistram assea reddita.

Nemauso in Septimania, dum à Confluentia inclinata jam die reditur, res nec opinato intervenit summopere tristis: ad Santantonianam urbis portam *Schombergius*, qui cum *Thuarius* mane Confluentiam venerat, in curru suo, antequam in proximum diversorium deduci posset, animam Deo reddidit, intercepro spiritu statim enectus: Is jam à longo tempore difficultate respirandi laborabat, ad quam per intervalla accedebat acutissimus circa præcordia dolor, quo cum corripiebatur, sudore per totum corpus diffluebat, adeoque debilitabatur, ut prope anima linqui videretur; Verum ut erat moderata & patienti natura, cum nihilominus quotidiana aulæ officia minime intermitteret, longa assuetudine & morbum sibi familiarem & suis minime suspectum fecerat.

Secto corpore, quod prævalidum ac vastum vivus habuerat, admiratione dignum Chirurgis ac Medicis fuit, quod membrana, & carnea omnis pars quæ sinistram cordis regionem tegit, & ad flabellationis assiduæ usum dilatatur ac comprimitur, ex immodico calore & liberaliore victu tota ossea repetta est, itaut respirandi facultatem impediret,

pediret, idque tandem repentinæ suffocationi causam dedisse creditum est; nam alioqui saluberrimo temperamento, nullaque pars in eo non maxime sana erat, nisi quatenus crebra spirituum strangulatione vexabatur. *Thuanus histor. lib. 122. p. m. 864.*

HIppocrat. lib. de corde, Cor musculum ait esse validum, non nervo, verum carnis spissamento, αὐτοκινὸν, quod substantiæ quidem soliditatem requirit ad motus perennitatem, at non eam quæ constrictioni & dilatationi, inhabilem reddat, hinc pulsificæ facultatis interceptio accidit, cujus primarius effectus est sanguinem cum spiritu vitali distribuere: secundarius finis, seu usus est σωτηρία τῆς καλαιζεως & à recrementis repurgatio: Ventilatione illa fuligines pulmonum exspiratione difflantur, quæ cohibitæ suffocationem invehunt.

Observatio XXVIII.

Suffocatio ab aneurismate aperto arteriæ magnæ sub corde.

R. P. Franc. Bettotus Metaph. Professor, ætate 56. annorum, 10. aut 12. annos pulsationem p. naturalem in sinistra thoracis parte, ubi cordis præcipue pulsus micat, passus est, quæ ab anatomes ignaris Cordis palpitatio censebatur: Ego vero accitus, conjeci ipsum laborare aneurismate; ex quo postmodum, multis incassum tentatis remediis, noctu suffocatus obiit:

Dissecto cadavere, cavitatem thoracis dexteram sanguine refertam observavi, cui copia seri superfusa erat, Pulmonis dextri substantia consumpta & sola ejusdem superstite membrana, instar sacculi: qua dissecta patuit membrana interna arteriæ magnæ, prius quidem laxata, postmodum verò, cum dissectioni nullus esset locus, disrupta: Aneurisma itaque fuit in arteria magna, extra cor duos solummodo digitos transveos: quo loco sanguis à sinistro ventriculo effusus, valido impulsu prius internam disrupit membranam interna dilatata: qui, cum nullum aliud pateret spatium, intra pulmonem dextrum sibi viam fecerat, ubi calore, motu & compressione substantiam ejusdem consumpserat. *P. de Marchettis observat. 48.*

C*Ordis palpitatio censebatur*) Quod conjecit ex affectus diuturnitate & pertinacia: Nulla enim palpitatio cordis adeo continua est, quæ inducias non concedat aliquas: alias Cor similem noxam tam diu tolerare nequit, quæ illi sit essentialis: *Galenus* enim 5. de loc. aff. 2. ait nullum eorum qui hac specie corripiuntur quinquagesimum annum superare posse: Nam ceteræ differentiæ palpitationis, quæ ex flatibus vel vaporibus facultatem irritantibus fiunt, non necessario interficiunt ante quinquagesimum.

Observatio XXIX.

Suffocatio à rupta vena in Pulmone & in eum effuso sanguine.

EX rupta vena fuit subito suffocatus Gaspar Ulrich aurifaber: secto ejus corpore omnis sanguis repertus est in Pulmone. *Observatio Ioh. Hesst, Medici Norici.*

Observatio XXX.

Suffocatio à Pulmone inflammato, sinistro latere copiosæ aquæ innatante, dextro costis adhærente.

VOcatus Chan ad Priorem. Dom. de Jaillon, laborantem defluxione in Pulmones scapulas & thoracem, tussi, tensione ingenti ventriculi, ructibus, nausea; præterea diarrhœa: à levi medicamento excrevit magnam copiam humorum biliosorum & pituitosorum fœtentium: Nephriticus ac lithiasi nonnihil quoque tum vexabatur, arthritidi obnoxius April. 13. subito suffocatus: adveni paulo ante mortem cum esset in stertore.

Aperui cadaver, Pulmo dexter undique costis adnatus cernebatur, tumebat, ac durus ab inflammatione, in sinistro latere bene habebat, innatabat tamen copiosæ aquæ sanguinolentæ, quod à me nunquam fuit visum: In rene sinistro aliquot calculi, & unus magnus, occupans ureteris principium, deprehensi, magnitudinis amygdali cum cortice: dexter totus consumptus, in abdomine aqua. *Ex observ. Iohan. Bauhini.*

Observatio XXXI.

In juvenis ab ictu in pectore repente suffocati cadavere, reperti Pulmones plurimis lividis maculis conspersi.

IUvenis temulentus, ictus vehementer in pectore, concidit repente attonitus in terram ceu fulmine consternatus, & cum spiritu gravi, vomitu frequenti, voce suppressa, & spuma

spuma tam confertim ex ore ema ante, ut intra paucas horas amitteret vitæ usuram.

Cujus inopinati eventus causa fuit, partim evidens calvariæ rima, à casu exorta: Partim vero frequens sanguis effusus ubertim cum supra tum infra cerebri membranas: Sed Pulmo habebat plurimas lividas maculas: *Tulpius lib. 1. observ. 6.*

M*Aculas*) Adscribendas forte vel repentinæ suffocationi, vel Nicotianæ crebrius assumptæ: Ad suffocationem quidem has referre suadebat cum spumæ tum livor, si natura: Spuma quippe est spiritus & humorum mixtio: fitque in morbo Attonito, vel ex distillante capitis pituitâ per aërem rarefactâ: vel ex spirituoso oppressi pulmonis vapore: Priorem spumam plane innoxiam declarat quotidianus spumosæ epilepsiæ reditus, Sed alteram lethalem repentina apoplecticorum mors, extra procul dubio ex adempto spiritu, sine quo ne momentum quidem subsistit homo: Cujus spumæ periculum propositurus Celsus, subjungit, *Neque is ad vitam redit qui ex suspendio spumante ore detractus est.* Quippe hanc spumam non producit Pulmo, nisi summe laborans, sive à resolutione humidi, sibi cordique insiti: sive à spiritibus, ob retentos vapores, impeditamque respirationem adeo effervescentibus, ut in extremo dissolutionis metu fit calidum innatum: Quam luctam cum designet hæc spuma, quid mirum eam utique præsagire ineluctabilem hanc mortem; inducitur enim post aliam partibus obsessis, loco vividi coloris, obscurus ac luridus livor, non secus ac a solis occasu tenebræ, & à flammæ suffocatione carbonis nigredo: Livor enim sequitur, vel extinctionem, vel interceptionem spiritus ac caloris vitalis; Potuit itaque hæc repentina suffocatio has quidem produxisse maculas, sed rarius, cum occurrant in eorum Pulmonibus quos occidit morbus attonitus: & contra frequentius in illis quibus Nicotiana fuit in deliciis: Lubet autem hic excutere naturam illius fumi, qui aëri permixtus & ore attractus tam bene facit ad multorum palatum. Extra omnem controversiæ aleam est, Nicotianam potui datam tantum adversari ventriculo ac intestinis, quantum prodest humido ac frigido cerebro: Sed dubitatur utrum fumus ipsius offendat Pulmones, calida quippe est planta, imo acris ac vellicans, sive naturâ, sive arte; ex pulvere, videlicet euphorbii, pyrethris, piperis aliorumve acrium aromatum, lucri causa, à fraudulentis mercatoribus clanculum contortis ipsius foliis inspersô: quorum omnium vapore verisimile est non minus offendi pulmones, quam à raphani agrestis ac piperis tritura cerebrum sternutans: immodicus namque calor, ut exhaurit humidum radicale, sic obscurat nebulosus ipsius fumus non parum illustrem nostræ vitæ spiritum, imo suffocat tam efficaciter calidum innatum, ut instar tabidorum (qui ex Gal. sententia à siccitate consumuntur) plane extenuentur, cum tussi perenni & infatigabili spiritus difficultate: quæ duo arguunt inextricabile oppressi pulmonis vitium: A quo equidem plurimos, qui dies ac noctes cum hac Helena transegerant, vidi pessundatos: Moderata certe uti nullibi, sic neque hic culpantur: sed modum in hoc fumo si excesseris, defatigaberis à tussi, vitiabitur pulmo, emarcescet animus, & tandem consumetur corpus universum: vel lente, si fueris integer ac valens; vel celeriter, si quid vitii alibi fit in visceribus; Sicut videre fuit in hoc ægro: quem eo, procul dubio, citius strangulavit morbus attonitus, quo minus potuerit reluctari, & spiritum ab interitu vendicare exsuccus ac maculosus pulmo. *Idem.*

Observatio XXXII.

Suffocatio à sanguine grumoso cor replente, & abdomine humore distento.

Virgo 48. circiter annorum, jam per sex annos ægrotans, ex ingenti corporis intumescentia, ulnas duas & quartam unam in circumferentia superante, mulris ab aliis incassum tentatis mensium accisionem respicientibus, Suffocatione expiravit:

Abdomine aperto, mensuræ 46. humoris, non serosi sed musti instar effluebant: Omentum duplicatum omni ex parte saniosum, aliis officinæ naturalis visceribus optime constitutis. Naturæ lusum circa renes & vasa emulgentia animadverti, quatuor enim venas emulgentes in latere sinistro, non confusas nec intricatas, sed levi negotio superabiles deprehendi: Aperto thorace, dexter thoracis lobus ita costis adhærebat, ut vix violenter sine dilaceratione dimoveri posset: Cordis corpus grumoso repletum sanguine, quod in Suffocatis familiare. *Zacutus Praxis admir. lib. 2. obs. 63. ex Mic. Rup. Beslero.*

Observatio XXXIII.

Suffocatio ob auriculas cordis & vasa, aqua & sanguine grumoso & nigro distenta.

Filia 17. annorum orphana paralytica, sine manifesta causa suffocatur subitò.

Secto cadavere, cor inveni duplo majus ordinario: auriculas ejus maximas, venas arteriasque aqua & sanguine nigro grumosoque admodum distentas: Ita ut diceres hanc hydrope thoracis laborasse: Res notatu digna, *nunquam animi deliquio*, cordis palpitatione laboraverit, nec unquam mœsta aut suspirabunda fuerit, neque circa cor dolorem senserit. *Nic. Fontanus, Respons. & curat. pag. 59.*

N*Unquam animi deliquio*) In corde plura eaque monstrosa innasci posse auctorum testimoniis tarum est: Ægros autem in quibus similia notantur semper ante mortem de synco-

pe, leipothymia, cardiogmo, palpitatione cordis, aut aliis thoracis affectibus, ex quibus, veluti propinquo mali fomite, in cor continuo & veluti in orbem scaturit conquerentes audiverunt: Quid ergo dicendum de hujus ægræ subitaneæ mortis causa; Eam non ad cor, sed ad pulmones, catarrhali materia refertos referendam dicerem, sic & ad resolutionem, debilitatum cerebrum & catarrhum suffocativum: Quid enim mirum hanc resolutione concussam & cerebro partibusque animalibus debilitatis, multam pituitosi sanguinis & crudi saburram progenuisse, quæ in pulmones delapsa, utpore debiles, & magnum consensum cum partibus nervosis habentes, subitam mortem (negato aëre libero cordi) introduxit: Et cum hæc in tanta copia, materia ichorosa & cruda in pulmonibus impacta esset, eam ultimo conatu, violentoque motu cum expelleret natura ad cor sibi vicinum ejusque ventriculos expulit, unde sinus cordis dilacerati, vasa disrupta, & sic magna sanguinis crudi copia in corde inventa est: Neque bonum argumentum quempiam fecisse puto, qui mortis causam in cordis affectum retulerit, quod cor duplo amplius inventum sit, & auriculæ ejus majores quam in statu naturali, neque enim existimo citra noxam ullam, ut dixi, aut affectum cordis potuisse vivere filiam, quin de eo conquereretur: Materia ergo catarrhosa in cor insiliens mortem acceleravit, non concretus niger sanguis, aut ichorosus humor, multo minus cordis moles, quam ego naturalem fuisse non dubito: *Idem ibidem.*

OBSERVATIO XXXIV.

Suffocatio à copiosiore pericardii humore inducta.

SÆpe in Pericardio copiosus humor colligitur, qui Suffocationem affert & cor obruit. *Riolanus Encheir. lib. 3. c. 4.*

AB istius aquæ augmento Cordis palpitationem oriri voluere *Galenus* 5. de loc. aff. & *Spigelius*. Verum copiam istius aquæ potius cordis motum impedituram esse non aucturam ostendit *Riolanus*, consentiente *Highmoro*.

Cor obruit) Si non possis exhaurire istud serum per hydragoga, licetne Terebra sternum aperire intervallo pollicis à cartilagine Xiphoide? quia pericardium ibi adnexum ad suspensionem cordis: Dubia salus certa desperatione potior: Satius est anceps remedium experiri quam nullum: Ubi nulla spes salutis nisi ex machina Deus affulserit. *Riolanus ibidem.*

OBSERVATIO XXXV.

Suffocatio à materia alba circa cor in sanguine contenta.

INterfui apertioni cadaveris virilis in Hospitali aulico Viennæ, in cujus dextro ventriculo cordis & vasis Pulmonicis, vena cava, portiones aliquot materiæ cujusdam albæ, teretis, tenacis ac viscosæ, spithamæ circiter longitudinis inventæ fuere: Similes quoque portiones, è cadaveris cujusdam corde ac vasis Pulmonalibus extractas, ad theatrum Anatomicum Viennense detulit D. D. *Schubert.* Ego materiam illam pro chylo crasso ac viscido habui, qui ob fermenti vitalis vitium ac debilitatem spiritualscere, volatilisari ac in sanguinem elaborari, nec ob crassitiem debite circulari poterit: unde in vasis illis stagnans, formam illam oblongam contraxisse videtur: Nec dubito materiam hanc in cordis ventriculos vi propulsam una suffocationis ac mortis causam non minimam fuisse: *Ex observ. Georgii. Sebast. Iungii Medici Viennensis in miscell. cur. anni 1670.*

OBservarunt jamdudum quoque *Erastus* concretionem in corde pituitosam flavescentem instar medullæ, quam in boum coctis ossibus reperiri, ait Th. Bartholinus Anat. reform. l. 2. c. 7. p. 262. Et in sinistro cordis ventriculo albicantem pituitam vidit concretam *Fontanus* apud D. I. Daniel, Horstium man. ad med. p. 1. c. 1. s. 2. th. 3. Et materiam crassam, compactam, albam, laridum coctum referentem in sinistra cordis auricula, *Riverius* obs. 82. l. 1. Quod autem materia crassa, alba, in sanguine reperta fuerit circa cor, comprobat eo facilius aliorum fidem, qui etiam in sanguine per V. S. educto invenerunt materiam albam egredientem, quam alii pituitam, alii Lac, alii chylum vocarunt: Sanguis ægro in Tertiana duplici extractus è salvatella, plane albus fuit & glutinosus in modum pituitæ, referente *Rhodio* cent. 1. obs. 86. videatur idem cent. 3. obs. 32. & *Borellus* cent. 1. obs. 25. Quidam chylum produsse putant in talibus venarum sectionibus: *Borellus* cent. 1. obs. 25. narrat viro febre maligna detento, vena secta sanguinem missum albedinem lactis retulisse: quod læsa vi sanguifica, chylum immutatum relinquente accidisse creditur: Refert Collegium Regium Anglicanum ex *Louvero*, Virgini, postquam largius jentaculum sumpsisset circa 7. matutinam, venam sectam fuisse 11. ejusdem diei in pede, priorem sanguinem exceptum in pelvi, brevi spatio totum album evasisse: posteriorem exceptum acetario, ex tempore albidum evasisse instar lactis gelati, post 5. vel 6. horas, eum qui erat in pelvi, partim fuisse sanguinem partim chylum, quibus serum album instar lactis supernatabat: Qui in acetario erat, merum fuisse chylum, sine minima apparentia guttæ sanguinis, & cum separatim calefierent ad ignem, utrumque induratum fuisse instar albuminis ovi cùm coquitur: aut instar seri sanguinis quando calefit, sed multo candidius: Eam virginem, addit, fuisse bonæ valetudinis, sanguinemque misisse

misisse ob menstrua suppressa: Aliud ibidem extat exemplum Tom. 1. n. 8. p. 129. *Thomæ Day* mittebatur sanguis, qui erat albus instar lactis, cum exiret è brachio dilute rubebat, sed mox, cum in vas delaberetur, erat albus: causam reddebat Medicus, quod æger multos edisset pisces: In scabioso sanguinem lacteum notavit *Borellus lib. 1. obs. 25.* Alia alibi prostant exempla.

OBSERVATIO XXXVI.

Suffocatio à nimia in toto pinguedinis redundantia.

MAcie confectum vidimus puerum biennalem, *vide tit. de Phthisi.* Examinemus nunc pinguiculum & crassiusculum, medio anno seniorem, qui nescio an alio morbo quam nimia pinguedinis copia obierit: Vidi candelam non raro nimia sua pinguedine extingui, præsertim dum flamma ellychnii exigua debilior erat quam ut affluentis sevi absumeret copiam: Idem hic factum si affirmem, omnes corporis partes sanæ & integræ, sed pinguedine undique obrutæ, meæ suffragabuntur sententiæ: Si enim pueri exterius pellem tangeres, indicem usque ad primi articuli finem imprimebas, interius autem exiles musculos pinguedo copiosa circumdabat, & abscondebat: Aperto thorace, cor abesse sacerdotum veterum quispiam, qui ea ratione populo imponebant, exclamasset, latebat enim ita pinguedine obvolutum, ut non appareret, hodieque à me asservatum sub eadem pinguedine delitescit, uti & pericardium, cujus membrana vix conspiciebatur: Inferior venter viscera omnia sana, sed omnia vix semestris pueri magnitudinem exæquantia dabat, ita erant omnia una pinguedo, Omentum & mesenterium adeps pura: cum cerebro autem flaccido ventriculis inclusa erat aqua insipida: plexus choroideus obsessus hydatidibus, quarum una ad nucis avellanæ excreverat magnitudinem: *Theod. Kerckringius obs. Anat. 66.*

SUffocatio à nimia pinguedinis mole & incremento contingit, quia sanguis pro motu cordis continuando debite suppeditari non potest, proinde in vasis suis stagnare & concrescere aptus est, adeoque morti repentinæ (præsertim quibus à natura cor vegetum & robustum non est) obnoxios reddit.

§. 2. Si viscera interna propter pinguedinis copiam comprimantur, eorum actiones læduntur: Id quam sit perniciosum vidi Coloniæ Agrippinæ in Illustri quadam fœmina, quam diuturno morbo mortuam esse nonnulli Medicorum, qui ipsi multa variaque medicamenta præscripserunt, constanter asseverarunt, sed perperam, Ego enim cum Clar. D. D. Joh. Slotano, Coloniensi Medico, vocatus ut cadaver conditemus, sancte affirmare possum viscera omnia tam integra inventa fuisse, ut saniora in corpore videri posse vix credam, pinguedine vero erant adeo onerata & compressa, ut officio suo fungi non potuerint: ut enim de monstroso omento taceam, pro certo affirmare possum è regione lineæ albæ, secundum longitudinem abdominis facta incisione, pinguedinis spissitudinem spithamas duas excessisse: Pinguedinis itaque abundantia potius quam morbi violentia extinctam fuisse matronam hancce à D. D. Slotano, aliisque multis qui dissectioni interfuerunt, statutum fuit. *Fabritius Hildanus cent. 6. obs. 97.*

APPENDIX.

Obæsitas nimia Suffocationem minitans arte curata.

§. 1. TRibunus militaris sexagenario major, abdomine tardus, & pinguedine nimia distentus aliis gravis, sibi invisus fit, cui malo cum varia quæsierit remedia, inediam, acida, exercitia, frustraneo eventu, novissime in mercurio dulci opera invenit: Progreditur enim pilulis mercurialibus ad eam paulatim dozin, ut apertis gingivarum laxitatibus Ptyalismus consequatur, nec is perfunctorius, sed qualem in adustis Veneris nepotulis efflagitant medentes ut fœdam luem exspuant: Per has vias Omasum sese exonerat & alacrem Tribunum ad munia sueta reddit expeditiorem: Ex eo triennium integrum exigit ab infesto aqualiculi pondere liberum: Tandem redit sensim malum & quinto post anno novam curam deposcit. *Bartholinus in Actis Med. anni 1671. observ. 74.*

§. 2. Scipio Vitellius, celebris in historia Belgica, cum sub mediam ferme ætatem, increscente adeo corporis mole, ut fascia è collo demissa sustinendus venter esset, immodicè projectus, videret tardiorem quotidie reddi se ad belli munia, homo ad militiam cuncta referens, vino sua sibi sponte interdicto, acetum exinde bibere ad vitæ usque finem perseveravit: effecitque ut detumescente abdomine, defluenteque ventris pello, qua ipse se thoracis instar obvolvebat, octoginta septem librarum decrevisse pondo compertus sit: *Strada 1. de bello Belgico 8.*

Observatio XXXVII.

Suffocationis sensus ab abscessu sub ala sinistra, Suppuratione septi transversi, Pleura vitiata.

VIrgo sævis doloribus sub ala sinistra cruciabatur, exporrectis ad thoracis vertebras & imum ventrem, & non raro suffocari videbatur. Inventum est septum transversum interiori parte suppuratum, pleura contaminata relaxata, cum abscessu sub ala sinistra *Vide tit. de Lateris dolore.*

Observatio XXXVIII.

Suffocatio ab hydrope thoracis, Tympanite abdominis, Pulmonum vitio, Copiosa in thorace pinguedine.

APeruimus D. D. Dinckelius & ego Puellam hydrope thoracis suffocatam: nil aquarum abdomen inundaverat, sed *tanta flatuum moles intestina distenderat*, ut vix facto per musculos foramine magno conatu contenderint foras: Thorax plenissimis aquis: Pulmones multis parvulis hydatidibus referti, pressi leniter copiosam saniem fuderant: pericardium, mediastinum, quin omnis fere thorax pinguedine obsidebatur. *Ioh. Val. VVillius in Actis med. Thomæ Barthol. ann. 1674. 75. & 76. p. 134.*

Observatio XXXIX.

§. 1. *Anatome infantis repente suffocati, cujus Pulmones lateri dextro cohærebant; cum Iecoris præternaturali magnitudine.*

ANno 1674. mensis Februar. 21. Coloniæ puellus anniculus, filius Illustr. Dom. Ezechielis Spanhemii, S. S. Electoribus Brandenburgico & Palatino à consiliis &c. post quatriduanam ægrotationem suffocatus interiit.

Aperto cadavere, Pulmo dexter vitiatus deprehenditur, costis annexus: Jecur autem, pro ætate, justam magnitudinem excedebat: Quare judicarunt Medici interitus causam, tum compressioni diaphragmatis ab hepatis mole, Tum pulmonum vitio & cohæsioni, ob quam libere explicare se non poterant, adscribendam esse.

§. 2. Vidua N. diu decubuit assidua febre affecta: percipiebatur tumor in abdomine versus umbilicum, ad dextram partem inclinans: Aperto cadavere, inventum Hepar tumoribus scirrhosis refertum: Totum pendebat 20. libras & amplius. *Vide lib. 3. Tit. de ventris tumore.*

§. 3. Adolescens Tertiana laborans subito suffocatus interiit: Hepar immani tumore distentum erat: In Pulmonibus vomica pure prægnans. *Vide lib. 4. tit. de Febribus.*

Observatio XL.

Suffocatio ab insigni abscessuum magnitudine in imo ventre, diaphragma sursum compellentium.

FIliola N. insigni ventris tumore & tensione vexabatur, &c. Dissecto abdomine à sinistro latere immensæ molis abscessus repertus, ab apophysibus transversis vertebrarum lumborum ortum ducens, deinde sub liene transiens totum id latus occupat &c. *A dextro latere duo itidem alii &c.* Abscessus illi ita sursum ad claviculas diaphragma impulerant, ut duorum digitorum spatium pulmonibus non esset reliquum ad motum, quod causa ut velut suffocata obierit. *Vide lib. 3. tit. de ventris tumoribus.*

AD *claviculas diaphragma impulerant &c.*) *Clar. Bartholinus* centur. 3. Epist. 78. dubitat an externa Hepatis compressio cor ita possit adstringere & in angustum compellere, ut statim ejus motus impediatur: Premi quidem ait in hypochondriacis, scorbuticis, hydropicis, strangulatione uteri, sed tum vel lentam mortem inducere, vel interno humorum vaporumque affluxu accedente necem accelerare, tumque copia sua vel cor vel pulmones implere: Pistorem asthmaticum, summa ingluvie copiosius ingesta, cocta sc:l. cum pane cerevisia, suffocatum obiisse existimat, non intercepto diaphragmatis, hinc cordis pulmonum motu, sed copioso chylo, celeriter propter aviditatem cocto, & cordi infuso, cujus partem pulmones obstructi nequiverunt recipere: alioqui si tardior facta fuisset coctio, vel distributio, diutiusque moram in lacteis traxisset alimentum, copia pulmo & cor obrutum non fuisset: Revera autem si ad eam altitudinem assurgat diaphragma, ob affectus inferioris ventris, ut & ipsius motus omnino prohibeatur, ut neque ipsi cordi libero motu frui concedatur, suffocationem ab ea causa posse oriri quis dubitaverit?

Observatio XLI.

Suffocatio excitata à tenuium intestinorum per vulnus diaphragmatis, in thoracem ingressu.

CUidam cultellus inter quartam & quintam costam adigitur: Inventum fuit diaphragma omnino perfectum, tenuiaque intestina in thoracis cavum irrepserunt, Pulmonemque & cor suffocarunt. *Vide lib. 4. tit. de vulneribus.*

Observatio XLII.

Suffocatio orta ab utriculo utero adnato, diaphragma opprimente.

FOemina diu ventrem tumidum gessit instar prægnantis, atque obiit præfocata brevi temporis spatio: Uteri fundo extimo adhærens erat utriculus, ventris capacitatem explens & diaphragma premens. *Vide tit. de ventris tumore.*

Observatio XLIII.

Suffocationis suspicio in infante, præsentibus illius notis, mortuo ob compressum manibus caput.

MEmini me ante aliquot annos in curiam Cassellanam vocatum, ob infantem nuperrime editum, mortuum, & in fasciculo stramineo repertum, cujus caput, humeri & pectus plane nigra erant; nares sanguine stillabant, propendulum intestinum rectum extra abdomen: Apertum corpusculum viscera omnia optime constituta repræsentabat, nisi quod pulmones flatibus turgidi erant, tumida & nigra etiam lingua, & circulus rubicundi coloris circa collum, ita ut Ego & Chirurgus judicium de suffocato infante tulerimus, licet puerpera postmodum capta nostrum errorem ipsamet detexerit, & se tenerrimum infantis cranium manibus compressisse, & ita occidisse confessa fuerit: quod nostrum erroneum judicium in eo excusationem merebatur, quod Judex apertionem capitis concedere noluerit, quoniam infans ante occasum solis adhuc erat sepeliendus, vesper appropinquabat, & ne portæ civitatis clauderentur metus erat, sufficientia satis suffocati infantis indicia adesse putans, & adhuc infelix illa meretrix tam astutè & artificiosè iterum cranium adaptaverat, ut exterius, extra cutis nigredinem, nihil vitiatæ conformationis in conspectum venerit. *Ex communicatione Excellent. & Clariss. D. D. Ludov. Hermanni Combach, aulæ Hassiacæ medici, die 17. Martii 1675.*

REvera suffocatus interiit infans, Suffocationis enim expressa indicia adfuerunt, quanquam necis causa à compressione capitis ortum duxerit: Tenella enim cranii ossa, & adhuc membranea, prementibus manibus citra fracturam cesserunt, hinc subditi cerebri sinus, per duram matrem excurrentes, cum nec sanguinem per arterias advectum, ob angustiam admittere potuerint; nec superfluum in venas jugulares, retrudere, factum est ut in vasis illis cæspitans concreverit, livoremque & nigredinem partibus superioribus induxerit: Idem libere per pulmones circulari cum nequierit, inde illorum tumor; adeo ut infans eorum more interierit, quos suffocans conficit Catarrhus.

Observatio XLIV.

In aquis qui suffocantur, moriuntur, non quod aqua multa ventriculum subeat, sed quia aër ad respirationem necessarius pulmones non subeat.

EOs qui aquis immersi moriuntur, non quod aquam affatim & nimium bibant, ut vulgo creditur, sed quia suffocantur, extingui sic probatur; Quod aqua nonnisi per deglutitionem ventriculum nostrum subire possit: deglutitio autem, cum motus sit ex arbitrio nostro pendens, cohiberi ne fiat, æque in aqua atque extra eam, nec ad eam tunc impelli possit, etsi forte aliquid deglutiatur, in hac necessitate & agitatione tamen parum illud esse liquet, quod patientem tam cito interimere minime valeret, *Sicuti in suffocatorum in aquis ventriculis observatum, à me aliquoties fuit, in quibus paululum aquæ fuit inventum.* Eamque aquam quæ inverso corpore ab illis qui ex aquis extrahuntur destillat, à vestibus potius defluere certum est: Quamobrem quod aëris per respirationem ab aqua intercedente attractio impedita sit, cum aër attrahi deberet, aqua illius loco in asperam arteriam illabatur causa suffocationis illius, illaque mortis existit. *Platerus Quæst. Patholog. 55.*

OBSERVATIO XLV.

Pueri fulmine occisi meninges sulphureis maculis tinctæ repertæ sunt, sulphuris odorem emittentes.

Puerum olim vidi fulmine occisum dum dormiret, qui nec digiti inde articulum movit: Invenimus autem cerebri panniculos in secto hujus cadavere sulphureis tam odore quam colore maculis tinctos. *Nardus Antonius Recchius.*

SUnt qui rentur eos qui noxio aëre hausto, musti ferventis, carbonum, cloacarum &c. extinguuntur, illam auram per cribriformia foramina penetrare & cerebrum lethaliter affligere; quam opinionem quidam vehementer probant, inter quos principem locum tenet D. Donatus, quem sequitur D. D. Sennertus, nam hic de vapore narcotico, unde oriatur Apoplexia, verba faciens. Maxime veritati, *inquit*, consentaneum est vapores illos, seu fumos è carbonibus accensis, musto & cerevisia exhalantes, aëri permisceri, & sic cum spiritu quem ducimus, attrahi, atque ad cerebrum penetrare, ibique spiritibus animalibus misceri, & eos à natura sua immutare & ad officium suum ineptos reddere; Addit *Recchius*, hi qui vel musto, vel fumo carbonum moriuntur, placidissime moriuntur: Quod canibus etiam in antro illo, dicto *La grotta de cani* usu venit; & in *puero* supra dicto, qui nec digiti articulum movit: Si enim horum quisque ex Pulmonum, ac cordis, & non cerebri potius atque animalium spirituum suffocatione moreretur, ne ille brachiorum jactatione, tibiarum attractione, & totius corporis denique agitatione atque labore molestaretur: *Sunt* qui rentur Cerebrum, & simul Cor & Pulmones tali vapore affligi: Quam in opinionem *Dominicus Terillus* discerit: Licet, *ait*, in universum tota animalium corpora ab aëre alterentur, quæ tamen partes principes, à quibus postea totum corpus bene & male habet, alterationem recipiunt: Aër namque inspiratus bifariam partitur, altera quidem minore sui parte per nares ad cerebrum devehitur, pro spiritus animalis generatione: Altera vero majori per asperam arteriam ad pulmones pro symmetria caloris nativi servanda, pro refrigeratione ejusdem, pro spirituum vitalium assidua regeneratione: Defertur etiam ad cor aliqua aëris portio, cum distenditur cor ut expleatur, facta fuliginum evacuatione, quod ex magnitudine distensionis sufficienter indicatur, alias daretur vacuum in cordis cavitatibus. Cùm ex dictis pateat aërem maxime necessarium vitæ & conservationi vitalis caloris, qui est vitæ instrumentum, existere & corpora nostra ex necessitate alterare, cum duas præcipuas partes ingrediatur, & contingat cor & cerebrum, facile modo erit ex dictis videre quomodo aër suffocare, & animalibus respirationem intercipere affatim possit: Nam si aër per angustas pulmonum vias, asperæque arteriæ ramulos, per substantiam ipsorum divaricatos, facile pertransire & recipi debet, rarum & impermistum necessario esse congruum est, non crassum, non fuliginosum, non à carbonum fumo contaminatum, non caliginosum; à quibus causis profecto animal suffocabitur, & derepente brevi temporis spatio morietur, *Corde* debita privato extensione, necessarioque calidi innati refrigerio: talis enim crassities angustas arteriolas permeare non potest: Si quoque nimis copiose attrahatur, vel ingrediatur, idem suffocationis discrimen affert, ut si quis per vias maximo ventorum perspiratui parentes, ore ejus apposito ambulet, aut suffocabitur, aut suffocationis periculum persentiet: Vel si quis per longum temporis spatium aërem introspiret, absque ulla expirationis interpositione, idem detrimentum experietur: Aer etiam calidus hum. eximie, ut in balneo; vel calidus siccus, ut in Laconico, maxime si sit fumus carbonum, si diutius aliquis ibi moretur, affatim suffocando interficere potest &c. *Hæc Terillus*: Apud *Parætum* quoque disputatur prolixius in utramq; partem, ad extremum autem asseritur utrumque viscus lædi: Quam opinionem & *Solenander* amplectitur, *Nos* vero arbitramur tali vapore Pulmones & Cor unice affligi, quanquam eo vitiose affecto etiam Cerebrum tandem læditur: Cum enim viscera, præsertim cor & jecur, vapore illo noxio occupata sint, iisque negetur refrigerium, membranæ ventriculi contrahuntur, & ex aestante calore spiritus suffocantur: Nobiscum quoque facit Galenus 7. de 5. part. 8. Spiritus, *ait*, qui ab asperis arteriis extrinsecus trahitur, in Pulmonis quidem carne primo conficitur, postea vero in corde atque arteriis, & iis maxime quæ in plexu sunt retiformi, ultimum ac perfectissime in cerebri ventriculis: *Hæc Galenus*: Confinia narium & cerebri hunc errorem fecerunt, *ut creditum sit aërem per eas ad cerebrum ire*: Quia enim nares à cerebro proxime absunt, continuo creditum fuit aërem ibi capi, & ad cerebrum vehi, sed longe secus est, Narium meatus unice ad meatus fert, qui dilatati eum hauriunt avide &c. *C. V. Schneiderus lib. 2. de catarrhis c. 1.*

ADDITAMENTA.

OBSERVATIO I.

Repentina Suffocatio ex inflatione ventriculi animalis ad instar Ruminantis reperti.

ANno 1663. corpus adolescentis ex sylva Hercynia, xx. circiter annorum, me inspiciente & dirigente jussu Magistratus apertum fuit, qui præterita nocte, post sumptam cœnam, prægressa prius summa pectoris angustia, ac ventris inflatione, subito extinctus fuit, quare adstantes, ac inprimis Diversorii hospes, hoc à sumpto atque exhibito veneno factum fuisse autumantes Magistratum hujus rei commonuerunt: corpore profecto statim ventriculus sese in conspectum dedit tantæ magnitudinis,

nitudinis, ut non solum, totum abdomen, ac præcipue in sinistro latere ad inguina usque propendens, sed etiam majorem partem thoracis sua occuparet amplitudine, nec œsophagi saltem, uti naturaliter fit, pervasit diaphragma, verum indistincto modo, diaphragmate in immensum dilatato, quod circumcirca vix conspici potuerat, ejusdem capacitatis continuo ductu, ex ventre inferiore per totum pectus progrediendo, sensim fauces versus acuminabatur: Pulmones putrefacti & fere nulli, cor debito longè minus, Hepar corruptum, à prægrandi hoc ventriculo prorsus ad latus depressum eique firmiter adjunctum: Lien minimus, ventriculo adnatus utrumque viscus sub hoc plane absconditum, omentum aderat nullum, nec Pancreas, intestina tenuia inflata, omnia in latus dextrum seposita, crassa omnino ubique inania; in colo sub ventriculo abdito latente, durities gemina, sugillationi similis, externe fuit deprehensa.

Ita ut hisce omnibus penitius perspectis, Juvenem hunc præ nimia inflatione ventriculi, ab immani crudorum (ut pote qui prius egenus, diu hinc inde in campis ac sylvis oberrans, ad explendam famem radicibus ac herbis nutritus, nunc in Diversorio mox una vice variis crudorum esculentorum quisquiliis se nimium infarsit) ingurgitatione profecta, derepente suffocatum fuisse, sat luculenter patuerit: Cui insuper majorem adhuc fidem tribuit, quod ex ventriculo, casu ipsius tunica dissecta materia excrementitia, ut quæ ex omaso animalium ruminantium, affatim effluxerit plane similis, nullius gravis odoris, ac si gramen aut fænum deglutitum fuisset nondum ruminatum *Mantissæ observ. Plateri pag.* 27.

Observatio II.

Suffocatio à flatibus in monoculo coërcitis; hinc ad viscera omnia diffusis.

LUdovicum Nicolinum vidimus, qui cum solo vento, viscera & stomachum impeteretur; adeo in monoculo afflictaretur, ut dum pari parte premitur, exitu negato hinc inde, non solum viscera, & pectus sed scapulæ etiam incredibili extenderentur dolore & spiritus, magna ac miserabilis fieret angustia. Tertio denique, nihil conferentibus auxiliis, è vita migravit.

Inciso cadavere, & viscera omnia vento plena conspeximus, & in sinistro cordis ventriculo obduratum callum invenimus, qui nucis magnitudinem æquaret: Quare ut ventum mortis ipsius, ita callum adversæ hominis valetudinis causam fuisse arbitrati fuimus. *Benivenius de Abditis cap.* 85.

Observatio III.

NUper dissecui nobilem mulierem quæ 24 horis à partu decessit è vivis, aquarum copia, quibus abundabat thorax corde suffocato. *Riolanus Anthropogr. lib.* 5. 8. 1.

Observatio IV.

Suffocationis rara causa à mole carneâ, costis & pleuræ pendulâ.

PUer quidam nobilis, postquam ex lapsu graviori pectoris sinistrum latus non parum læsisset, de dolore pectoris obtuso per plures menses conqueri cepit, cum aliquali saltem respirandi difficultate, appetitu interim constante, pueróque in cæteris satis alacri, adeo ut parentes eum magis morbum fingere, quàm reverà ægrotare existimarent, donec tandem de morbô indies in crescente meliùs informati varios medicos consuluerunt, medicamentisque usi selectissimis, sed frustrà & sine ullô levamine; postremo morbi occursu, somnum nisi mensæ decliviori inclinatô capite capessere potuit, cùmque aliquando uvas liberaliùs ingurgitasset, subitò suffocatus periit. Reclusô thorace, molem quandam carneam pendulam pleuræ & costis proxime adhærentem invenimus, quæ dissecta duo officula persimilia illis, quæ in corde cervi reperiri solent, primò non adeò dura, sed nunc durissima, exhibuit; ab hôc sanè corpore in pulmones incidente, eosque comprimente, & respirationem impeditam, & mortem illatam fuisse certum est. *D. Hertius Miscell. Curios. Ann.* IV. *Decur.* ij.

Observatio V.

Suffocatio in qua dexter cordis ventriculus polypo gelatinæ simili repletus &c. reperiebatur.

DIe 22. April. 1689. in sectione fabri lignarii 25. circiter annorum, postquam per aliquot menses febri quartanâ laboravit, tandem suffocatus obiit, reperimus in cerebro vasa sangui

sanguifera coagulato sanguine turgida, cum lympha admodum tenaci anfractibus cerebri infixa: in ventriculis cerebri quantitas seri satis ingens, nonnihil sanguine tincti fluctuabat. Sinus frontales ambo erant conspicui; quorum uterque per duo diversa foramina flatum ad nares permittebant. In thorace, pulmones undiquaque ita firmiter adnata erant, tam pleuræ, quam diaphragmati, ut vix absque parenchymatis dilaceratione inde separari potuerint: coloris erant subcineritii ad medium usque parenchymatis exangues, cultro verò profundiùs adacto, sanguinem instar loturæ carnis fundebant. In dextro cordis thalamo (auriculâ vacuâ existente) reperiebatur polypus satis ingens, cujus consistentia nihil aliud erat, quàm lympha coagulata, instar gelatinæ pellucidæ diversos surculos in arteriam pulmonalem satis profundè extendens: In sinistro ventriculo ejusmodi coagulum quoque videbamus, sed quantitate multò minori. In abdomine, ventriculum cum intestinis omni muco spoliatum conspiciebamus, cum nonnullâ inflammatione tunicæ interioris: pancreas erat satis induratum; ductus ejus multùm patulus, ex quo, à latere, facilis aditus erat ad ductum hepaticum, via autem ad vesiculam bilariam plane occlusa erat per corpuscula callosa extorius hinc inde circumposita. Mesenterii glandulæ passim scirrhosæ apparebant. Hepar magnitudine & substantia naturaliter constitutum, color autem erat subpallidus. Lien subniger in tantam excrevit molem, ut ultrà tres libras ponderet, & figuram fere quadratam referret, parenchymate satis solido nulla præter naturam duritie apparente. *D. Ioh. Iacob. Harderus Miscell. Cur. Ann. ix. Dec. ij.*

ANATOMIÆ PRACTICÆ
LIBRI SECUNDI
SECTIO III.
De TUSSI.

OBSERVATIO I.

Tussis excitata à vitio Pulmonis dextri, prope absumpti, sinistri inflammati, costis agglutinati, Pectoris hydrope &c.

GEORGIUS N. Tussi aliquot mensibus vexatus est, Inveni pectus plenum serosi humoris: Pulmonis dextram partem prope absumptam; Sinistram non mediocriter inflammatam. *Vide tit. de Cordis Palpitatione.*

TUssis describi potest, quod sit Expiratio vehemens, crebrior, inæqualis & sonora, propter cujusdam molesti & irritantis aut sedationem, aut è Pulmonibus, per Tracheæ ductus expulsionem, excitata: Quippe aër violenter exclusus, & in transitu ad ductuum trachealium latera allisus, quicquid iis ullibi impactum est, si facile mobile fuerit: discutit & abstergit, & non raro foras amandat. Ad Tussim excitandam, tum musculi thoracem contrahentes, tum bronchiorum fibræ motrices intima συμφωνεῖν in motu concurrunt: Quippe illi dum pectoris cavitatem coarctant, ac undique totos pulmones comprimunt, hi ductus tracheales, modo hos modo illos contrahendo, & à tergo aërem, dum foras propellitur, occludendo, expulsionem ejus citiorem & vehementiorem moliuntur: Omnem Tussis actum inspiratio subita intensior præcedit, nempe ut aër in majore copia admissus, statim violentius explodi possit: in quo nisu non tantum recens, qui modo inspiratur, sed etiam vetus, intra vesiculas tracheales antea aggestus, ad augendum spiritus exsufflatum una exploditur: cumque non p mo impetu quod molestum est, sedatur, aut movetur, hujusmodi vehemens exspiratio crebra vice usque ad magnam naturæ fatigationem iteratur.

Tussis cujuscunque causa primaria est nervorum aut fibrarum, ad pulmones pertinentium, irritatio: De nervis observare est, quod non tantum rami & propagines eorum pulmonibus inserti, verum alii è quibus oriuntur illi, aut quibuscum intime communicant, in locis à pectore dissitis lacessiti, illico tussim accienc: quam ob causam sæpe humor acris intra κεφαλὴν aggestus, indeque in capitello nervorum pectoralium decumbens, tussim molestissimam aut affectus asthmaticos inferre solet: Propter eandem rationem molestia naribus, palato aut gulæ inflicta, tussim, seu potius tussiendi nixum, licet inanem concitat; Parum insuper seri ex arteriis, in gulæ aut laryngis partes superiores extillans, absque notabili pulmonum noxa, tussim crebram & valde molestam producit: At vero hæc irritatio, nervis ac fibris in ipso pulmone distributis inflicta, crebrius & quidem immanius tussiendi nixum provocat, qui per vices iteratur, donec quod molestum est foras excernitur, aut irritatio ejus compescitur: Causæ irritativæ Tussim inducentes, & sunt multiplices & variis in locis consistunt;

consistunt: præterquam enim quod nervi, prout modo innuimus, insuper & membranæ, quibus intima cum pulmonibus communicatio est, in nare patulo, aliisque in locis irritatæ pathema istud è longinquo pulmonibus imprimunt. Sæpissime expiratio ista irregularis propter aliquid incongruum, aut aliquomodo improportionatum, pulmonibus impactum excitatur: quippe molesti hujus amovendi gratia, imprimis nervi fibræque nerveæ circa pulmones dispersæ irritantur: dein, horum consensu, musculi pectoris constrictivi, simulque tracheæ fibræ motrices in contractiones vehementes & crebro iterandas adiguntur. *VVillis Pharmaceut. p. 2. sect. 1. cap. 3.*

Observatio II.

Tussis ab humore lutulento intra Pulmones concluso.

Illustr. N. diu languidus fuit cum febre lenta & Tussi: Pulmones summe graves erant, ob humorem lutulentum in iis inclusum citra ulcus. *Vide tit. de Phthisi.*

Ob *humorem lutulentum*) Tussis omnis vel humida est vel sicca: in priore humor quidam alicubi intra ductus tracheales depositus tussiendo succutitur, sursumque in os foras excernendus ejicitur: Humor iste cum multiplex & diversimodus existat, ut plurimum dicatur vel serosus, vel nutritius, vel purulentus, vel sanguineus: Prioris plures sunt species & differentiæ, nempe, quoad consistentiam, aut tenuis, aut crassus est; sive crudus vel concoctus. Quoad colorem, aut albus, aut flavus, aut subviridis; quandoque item cæsius aut ater: Porro Tussis humida varie distinguitur, quoad loca è quibus humor extussiendus procedit: quandoque enim laryngis parietibus adhærescens, aut iis exudans, fibris motricibus per lenem tussiculam succussis, facile ac levi transitu in os ejicitur: Interdum materie excernenda paulò altius bronchiotum tubis impacta, nonnisi per expirationes magnas & crebro repetitas: Denique nonnunquam accidit recrementa ejicienda intra tracheæ vesiculas ultimas deponi, è quibus non sine vehemente & crebrius iterato tussiendi labore educitur, & dein longo per totos pulmones itinere, foras propellitur: De Tussi humoris nutritii, item sanguinei & purulenti postea cum de Phthisi agemus. *Idem ibidem.*

Observatio III.

Levis Tussicula in magno Pulmonum & Thoracis affectu, cum hydrope & empyemate &c.

Serenis. Venetorum Dux, Franciscus Contarenus, incidit in febrem typum duplicis tertianæ servans: Inter alia symptomata aderat quoque levis Tussicula, qua è faucibus videbatur aliquid pituitæ crassæ reddi: Mortui aperto cadavere, præter alia vitia, In cavitate pectoris ℔v. circiter aquosæ materiæ repertæ: Dextra Pulmonis pars flaccida videbatur, crasso & mucoso humore oppleta: Sinistra prorsus resoluta erat in saniem albicantem, quæ tunica Pulmonis tanquam in sacco continebatur. Ea dissecta effluxit in cavitatem thoracis sanies ad ℥xvj. circiter: Plane nullum pulmonis vestigium sinistro latere, præter membranæ, (quæ costis adhærebat) indicium relictum erat: Hæc quanquam ita se haberent, *Tussis nunquam fuit continua*, imo aliquando integris horis, etiam paulo ante obitum, non tussiebat, unde arguebant quidam in thorace nihil noxium contineri: multò minus in profundis partibus Pulmonum; Et potius concludebant leve faucium irritamentum, ex aliquo decubitu catarrhi, Tussiculam efficere: Illam vero, quæ aliquando cum labore fiebat, sed raro, Pulmonum siccitatem causam habere, impedientem liberam contractionem, ad expulsionem aliquarum catarrhi reliquiarum, deorsum labentis per asperam arteriam. *Vide historiam integram tit. de Febrib. lib. 4.*

Tussis *nunquam fuit continua, &c.*) Quæstio oriri potest cur, cum tanta copia materiæ purulentæ in thoracis capacitate contineretur, non multum tussiebat, & nihil illius materiæ educebatur? Solutionem vide Titulo de Phthisi ex Ballonio.

Observatio IV.

Sicca Tussis à Pulmonum vasis & substantia flatu distentis.

A B halitibus acidis per lacteas venas in cor, hinc & Pulmones pertingentibus, ibidemque hærentibus, non tantum respiratio difficilis, sed sicca quoque Tussis excitari potest ac sæpe solet: Cujus rei confirmationem habuimus non semel in Nosocomio publico, & alibi in dissectione cadaverum, repertis adhuc Pulmonum vasis & parenchymate flatu distentis. *Regn. de Graef. Exercit. de succo Pancreatico cap. 2. §. 182.*

Observatio V.

Tussis ab inflammatis, postea suppuratis Pulmonibus, & pleura latere sinistro.

FIliola Dom. Floræi, cum sub dio partim in Sole versata esset, dolere caput cœpit & Tussire: febris prehendit acute, & quæ tamen ex intervallis major esse videretur, omnes noctes plenæ molestiarum fuerunt: maxime enim ad sextam serotinam & febris & reliqua exacerbabantur: Jactabatur, nullo consistebat loco, Tussis & Tussiendi cupiditas illam perpetuo infestabat. Nil è pulmone educere poterat, tametsi esset stridula: In pulmone humoris concursatio quæ obaudiretur: Sitis erat ingens & implacabilis, frequens & brevis respiratio cum difficultate: *Postquam tussiverat statim ejulabat*: aliquando in partibus extimis febris mitescere videbatur, imo leniter perfrigerabantur ac si nova foret accessio, sed illud fallax fuit: Pugnabatur cum febre & *Tussi*, quod *eam* partim *à capite excitari* crederemus, partim à resudatione ichoris à calefacta pituita in pulmone: Octavo die symptomaticus alvi fluor, nono interiit.

Aperto cadavere, latus sinistrum purulentum erat, & pars pulmonis, quæ illud contingeret, imo & pus in cavitatem fusum erat. *G. Ballonius consil. 76. lib.* I.

P*Ostquam tussiverat statim ejulabat.*] Et hoc erat argumentum pleuritidis: Exemplum domesticum mihi præbuit anno 1662. filius meus I. Andreas, sex menses natus, ab alio morbo denatus; Acute febricitabat cum tussi valida, quam statim excipiebat ejulatus, ut & si latus sinistrum contingeretur, non item dextrum, unde suspicio nata pleuritidis: quia robustissimus erat, & bienni non inferior tum magnitudine tum obore brachio, quod erat è directo lateris affecti, duas affigi jubeo hirudines, a quibus protinus remisit dolor ac febris, ac postea sanus redditus est.

Latus sinistrum purulentum & pars Pulmonis &c.] Quod sine exulceratione fieri potest, alias Phthisis semper sequeretur: Sæpe enim sanguinem uti & alios humores, in pus abire, citra partis substantiæ suppurationem ostendunt oculi pure sordidi.

Quod eam à capite excitari crederemus) Nos valde decepti fuimus existimantes Tussim à capite esse; Sed quod tam frequens esset & sicca, & cum difficultate spirandi juncta, illud inflammationem aut in latere, aut in Pulmone, aut in utroque satis significare poterat: Tamen unum desiderabatur ut ægra de dolore lateris quereretur: hoc expectabamus, interea ignoratione rei præsidium in inflammationibus thoracis usurpari solitum magno incommodo omisimus: Et si illud usurpavissemus, certis signis nequeuntes assequi utra pars esset affecta, è latere dextro sanguinem nullo profectu detraxissemus: Itaque puellæ pervicacia & morositas maximam periculi partem creavit: Rubor genarum non erat, tamen fere perpetuo adest in inflammatione partium thoracis: Item aliquando clauso ore dormiebat, quod nos in eam adduxit opinionem, ut crederemus costas non esse obsessas, sed omnis ratio ista nos decepit valde: Tamen vix excusari possumus quin sanguinem demere debuerimus, cum inflammationis in thorace magna esset suspicio: Ad sectionem venæ & insignis febris, & inflammationis suspicio, & sitis inextinguibilis, & jactationes ob incendium natæ, & maxime difficultas illa spirandi hortari debuerant: Nam cum difficultatis differentiæ à motu ipso sumantur, ut velox tardaque respiratio dicatur, A materia calida & frigida; A thorace magna, parva: A quiete, densa, rara: quemadmodum magna & frequens incendium in corde arguit; magna & rara delirium: parva & frequens in febribus, aut œdema, aut impedimentum in thorace, ut inflammationem aut quid simile; Cum videremus ingenti præsente æstu, puellam habere frequentem admodum respirationem, & tamen parvam, veluti oppresso & coangustato thorace, de inflammatione aliqua suspicari nos oportebat: Tamen hoc asserimus sæpe nos observasse in pueris valde febrientibus frequentem parvamque respirationem, licet affectus thorax non esset: Sed nonnunquam magna intercidit respiratio in omnem dimensionem dilatato thorace: At in hac puella nihil tale observavimus, imo cum dilatare thoracem vellet, subsultabat quodammodo & vociferabatur. Hæc à nobis eo consilio scribuntur, ut cum alias, tum maxime puerorum curam suscipientes, tanto diligentiores in eorum morbis non præstemus, quanto minus certos de suarum affectionum idea reddere nos solent: Imo cum pueris, tanquam cum mutis ægris nos rem habere existimemus, ut quoniam ex relatione, quæ tamen in dignoscendis morbis plurimi facienda est, nil certi nihilque pensi habemus, aliis conjecturis, signis & symptomatum observationibus nitamur, alioqui puerorum salus valde periclitatur: Nec enim ab ista ægra puella expectandum erat ut dolorem lateris pungentem quereretur, quo secandæ venæ occasionem porrigeret, sed aliis modis res erat assequenda. *Ballonius ibidem.*

Tametsi esset stridula) Unde, & ex obaudita humoris in Pulmone concursatione; Pulmonem affici conjiciendum erat, Stertor enim ob læsum Pulmonem contingit, Tunc enim, teste *Iacotio*, oboritur stertor cum in bronchiis, aëris conceptaculis, materia fervet; *Hippocr. 5.* Epid. Peripneumonicam stertorosam fuisse ait: Et in Coacis ait Anxie stertere sputi copiam in Pulmone significare. *Idem ibidem.*

Credebamus Tussim à capite excitari) Pituitosam materiam, nunc crudam nunc purulentam, nunc tenacem & viscosam, alias sublividam, alias subnigram quæ Tussi, à senibus præsertim & hyemis tempore excreatur, non semper à cerebri excrementis à capite in pulmones destillantibus, sed ab excrementis quoque in Pulmonibus continuo congestis proficisci, illud docet, quod quemadmodum cerebrum propter vasorum copiam continuo superfluitatibus scatet, tunc maxime quando sanguis impurior est, cerebrumque imbecillius, Ita & pulmones quia

vasis innumeris constant, sanguine omnino redundant, si cacochymia fit corporis contiguo ejusmodi excrementa colligunt, eaque in minoribus vasis in majores asperæ arteriæ ramos protrudunt, è quibus dein una cum excrementis, desluxione hac delatis, tussi rejiciuntur. Huc accedit quod tanta copia pituitæ, qualis quotidie excreatur, si à capite continuò in pulmones deflueret, perpetua tussi, ob defluentem materiam asperamque arteriam titillantem, homo divexaretur, præsertim si maligna; qualis fere rejicitur, existeret: Unde magnam illius portionem in pulmonibus congeri, atque eam quæ à capite defluit tenuem, mora diuturna in pulmonibus mucosam viscosamque fieri judicamus. *Platerus quæstion. Patholog. 51.*

Pleuritis fuit] Vel potius, Pleuripneumonia; nam præterquam quod læsionis in Pulmonibus indicia fuere, symptomata eos affectos esse clarè arguebant, stertor; humoris concursatio, sitis ingens, febris acuta & alia.

Observatio VI.

Tussica Boum lues ob vitium Pulmonum, vel costis firmiter annexorum, vel tandem absumptorum & deficientium.

IN Tussientibus Bobus annò 1660 mactatis, Pulmones vel deficere observavimus, & maxima sui parte absumptos, vel costis fimitet annexos.

NE ea pestis jumenta inficiat, tabesque consumat, expertum ex veterinariis nostris remedium producam, quod raro fallere multæ anni hujus experientiæ, quarum quoque sum testis, testantur, ℞. Antimonii ℥j. sulphuris ℥j. Tere utrumque, per se & cribru percola: Tum sume polentam contritam, & cerevisiam calidam, vel fontanam, & invicem omnia subige, ut fiat massa ovi gallinacei magnitudine; vel pulmentum: Bovi hæc per os diffunde, capite bene elevato donec deglutiverit: Æger Bos vel Vacca tussica vesperi domi continenda, ut nihil illa nocte comedat: Mane vero exhibeatur jumento prædictum remedium, nec eo die & nocte sequenti quicquam pabuli concedendum: Postridie edat bibatque: Junior bos media dozi contentus sit, sed vacca imprægnata fere conceptum rejicit, Solet hæc Medicina largius ventrem movere: Potest etiam sanis animalibus injici, ut à tabe & tussi præservet; Notandum vero ut accurata lance expendantur dozes pro singulis jumentis: Sulphur ad tussientes quoque laudat *Vegetius* lib. 3. veterin. cap. 68. *Bartholinus cent. 6. histor. 97.*

Observatio VII.

Tussis excitata à Pulmonibus sanguine stagnante infarctis.

FIliolus Nobil. febricula, Dyspnœa, Tussi &c. fatigabatur: Pulmones illi *sanguine stagnante infarcti* repetti sunt. *Vide tit. de Dyspnœa.*

PUlmones sanguine stagnante infarcti] Tussis sicca interdum naturæ instinctu, velut antliæ loco excitatur, nimirum ut sanguis, vel ob propriam dyscrasiam, vel ob vasa pneumonica non satis patentia, pulmones ægre pertransiens, partium harum succussu promoveri, ac in motum rapidiorem urgeri possit: *Willis Pharm. rat. part. 2. s. 1. cap. 3.* Quod si beneficio tussis sanguinis stagnatio impeditur, cur huic puello accidit? Dic causas quæ sanguinis liberum excursum prohibent, angustiam scil. vel sanguinis copiam, validiores fuisse, quam ut Tussis illum promovere, vel urgere potuerit:

APPENDIX.

Tussim diuturnam dilatatio varicosa vasorum Pulmonum sequitur.

PUlmo sæpe Tussi vexatur, modo mediocri, modo vehementi, quæ anhela est, ac penè suffocans, à catarrho ferino, sive subita fluxione & copiosa: Inde ex Tussi molestissima quatiente Pulmones oritur Spadon vasorum, sive dilatatio varicosa, quæ species est Aneurismatis periculosa & formidabilis. *Riolanus Encheir. lib. 3. cap. 6.*

DIlatatio varicosa,) Κιρσὸν vocat Paulus lib. 6. c. 82. venæ dilatationem ab affluxu humoris copiosi & crassi cui negatur exitus: Omnis enim copiosior sanguinis in venam confluxus, cui effluxus non conceditur, varices facit: Idem Paulus quatuor earum sedes in corpore statuit, tempora, partes infra umbilicum, testes & scrotum, postremo crura, quibus palpebras adjungit Aëtius: Varicosi Pulmonis solus meminit Hippocr. 1. de morbis duobus in locis; primo ait, ex venæ foaminæ, si omnino rupta non fuerit, fieri spadonem, i. e. distensionem similem varici: Et paulo post, ait, A labore atque violentia venæ fieri distensionem, quæ si omnia rupta non fuerint, est quasi varix: Hinc collige Varicem Pulmonis ortum habere à spasmate, h. e. definiente *Glorraeo*, solutione continui in parte nervosa citra vulnerationem: Distinctio tamen adhibenda, quod vena in spasmate patitur tantum distensionem in longum, propter nervosas fibras quas habet, at in varice vena patitur distensionem in longum & latum, propter multitudinem & crassitudinem affluentis materiæ: Libro autem de morbis internis sic describitur ab codem Hippocr. textu 5. *Si in Pulmone varix fiat, Tussis sicca apprehendit, & rigor & febris in principio morbi, omnino cum impetu & vehemens: habet autem & orthopnœa: & in capite consistit (causa morbi) & supercilia videntur suspendi, & tumor pervenit ad faciem; & ad*

& ad pectus & ad pedes, sæpe etiam (tumoris materia) in caput decumbit, & videre non potest præ dolore, cum labor habet, & corpus subpallidum & venæ aut inflammata, aut nigra extensionem patiuntur in ipso corpore. Ex venis autem varicosis, quæ priores occupant sedes, quod corpus exonerent, eæ salutares esse queunt: quæ vero pulmones obsident, partem ad vitam maxime necessariam, eo in censu habendæ non sunt.

OBSERVATIO VIII.

Tussis à tuberculo Pulmoni adnato, cum sanguinis copia ad pulmones affluente.

D. N. incidit in sputum sanguinis cum Tussi &c. Inventum tuberculum crudum adnatum Pulmoni, ex materia tam acri natum, ut adjacentis costæ fere mediam partem consumpserit: Omnis etiam sanguis redibat in pulmone collectus, cum cæteræ partes viderentur exangues. *Vide tit. de Hæmoptysi.*

OBSERVATIO IX.

Tussis à tuberculis Pulmones obsidentibus.

NObil. N. variis affectibus, fatigatus, tandem dyspnœa, Tussis continua & violenta, hinc tabes supervenit, &c. Huic Pulmones utrinque numerosis tuberculis, variæ magnitudinis, instar cotyledonum vaccarum, scatebant, quorum unum uncias duas pendebat &c. *Vide tit. de Phthisi.*

OBSERVATIO X.

Tussis à Vermiculis in ipsismet Pulmonibus genitis & contentis.

TUssim aliquando fieri ex vermiculis in ipsismet Pulmonibus genitis & contentis scribit *Iohannes Serrarius in præfatione Observationum capitis.*

FIt Tussis quandoque etiam ex vermibus, quamquam de *loco* & *modo* secundum quem & per quem fiat Tussis ex Vermibus aliqua fit difficultas: *Galenus* comm. 17. & 242. 6. Epid. ubi *Hipp.* mentionem facit Tussis aridæ factæ non ferino sed spiritu, inquit quod etiamsi per ferinum intelligamus vermes, nihilominus falsam esse illorum sententiam qui putant excitari Tussim Vermibus os ventriculi vellicantibus: In qua tamen sententia video ex recentiorib. perstitisse Chr. Vegam. 3. lib. de art. medic. cap. 10. Cæterum ego quidem vidi Tusses excitatas ex vermibus, sed ascendentibus usque ad fauces; & titillationem inferentibus in ipso asperæ arteriæ initio, qui paulo post ejiciebantur. *H. Saxonia Prælect. Pract. part. 1. cap. 26.*

APPENDIX.

Tussis à nucleo in Pulmones illapso, indeque per becchica educto.

MUlier Patavina post nuclei avellanæ deglutitionem inter ridendum, in Tussim insignem incidit, quæ per bimestre spatium misere ipsam vexavit cum febre & totius emaciatione: Medicus vocatus Phthisin suspicabatur: At subacti judicii vir J. D. Sala febrem animadvertens adesse non continuam, nec sputum cruentum, aut pure inquinatum, sed respirationem liberam, à Phthisi immunem pronuntiat; Interim de causa quadam occulta, facultatem Pulmonum expultricem irritante sollicitus, post varia quæsita, tandem ex responsis ægræ, intellexit nucleum esse devoratum: Unde vomitorio ex melle rosato cum oleo communi frustra exhibito, lambitivum addidit ex oleo amygdalarum dulcium ad expultricem irritandam ampliandasque vias: Tandem nucleum olim deglutitum exspuit, pristinæque restituta est sanitati. *Bartholinus cent. 2. histor. 27.*

OBSERVATIO XI.

§. 1. *Tussis excitata à lapillis in Pulmonibus inclusis.*

G. Fallopius invenit in pulmone juvenis quatuor lapillos; querebatur hic de anhelo pectore & anhela Tussi. *Vide tit. de Phthisi.* In alio adolescente diu Tussi vexato, inventus est in sinistris pulmonibus lapillus inæqualis, asper. *Ibidem.*

§ 2. Ludo. Rochalfinger per plures annos asthmate & Tussi laboravit: In Pulmonibus substantia lapidem prædurum & undique asperum, nucis juglandis magnitudine, validissima tunica carnea inclusum inveni. *Vide tit. de Dyspnœa.*

§. 3. In miscell. cur. Anni iij. obs. iij. quidam Tussi diuturna cum macie vexabatur, irritis cæteris remediis, quòd malum expectorantibus & resolventibus egere censeret Al. Herm. Cum mcus, singulis diebus jejuno ventriculo ℈i salis mundæ in aqua fœniculi præbuit, cujus efficacia post triduum natura irritata excrevit tussi decem fragmenta materiæ cujusdam gypseæ albicantis; hinc sensim pristinum habitum recuperavit.

APPENDIX.

Tussis sicca à vesiculis sanguine, vel ichore sanguineo plenis excitata.

Rustica ex obstructione mensium in Tussim siccam incidit; qua continuata ultra annum affligebatur & ad extremam maciem redigebatur: Aliquando cum aëri plus solito rigido se exponeret, Tussis consueta adeo invalescit, ut aliquoties exinde animo linqueretur: Verum in summo hoc conatu excernere cepit vesiculas sanguine plenas diversæ magnitudinis: Sed rupto forsan magnum istum inter tussiendi conatum vase aliquo vel pulmonis, vel ventriculi, & pronitatis mensibus, vomitu sanguineo & hæmorrhagia uteri correpta; quatuor post dies purpuream animam emisit.

Aliquando pro lectione publica D. Guernerus Rolfinkius referebat, civem quendam vinariensem continua Tussi aliquot septimanarum spatio afflictum, tandem excrevisse vesicas exiles ichore sanguineo plenas plures una nocte & liberum evasisse. *Alardus Hermannus Cummenus miscell. cur. anni 3. obs. iij.*

Vesiculas Sanguine plenas) Juxta malpighium substantia Pulmonum non caro est, sed aggregatum quid ex levissimis & tenuissimis membranis, quæ extensæ & sinuatæ pene infinitas vesiculas orbiculares & sinuosas efformant, velut in apum favis alveoli: Talem habent situm & connexionem ut ex trachea in ipsas, mox ex una in alteram patens sit aditus: Ideo non mirum quasdam vesiculas à reliquis abscessisse & tussi rejectas fuisse; sinistro eventu in muliere prædicta ob accedentem vomitum sanguineum & hæmorrhagiam uterinam: prospero in cive vinariensi, quod consolidatio cita successerit, nec alii perniciosi affectus comites fuerint.

OBSERVATIO XII.

Tussis sicca ob duritiem Pulmonum lapideam.

Mulier Tussim siccam per plures annos cum dyspnœa passa est: Tres Pulmonum lobi adeo indurati erant ut tophos referrent potius quam carnem. *Vide tit. de Dyspnœa.*

OBSERVATIO XIII.

Calculorum è pectore ejectio, in pulmonibus genitorum, qui innumeris scatebant.

Calculos in omnibus ferme corporis humani partibus generari posse extra controversiam est; Hinc mirari non licet etiam in pulmonum substantia talem interdum reperiri lapidicinam qua tot lapilli eruuntur, ad corporis fabricam potius diruendam quam construendam comparati: Proinde hæc calculosa fruticatio, & calamitosa feracitas, præsertim in juvenili ætate adhuc constitutis subjectis, maxime deploranda est. Studiosus quidam annor. 26. nomine Joh. Adamus Erhartus, studiis gnaviter indulgens, nullis antea divexatus morbis, tempore hyemali de *dolore stomachi* conquestus, necnon inter lucubrationes sæpe *Tussi sicca* correptus, scabieque parum infectus, tandem patrios lares repetit: mox in consilium vocatus fui, & cum ab ægro in singula diligenter inquirerem, medicamenta quædam præscripsi, quibus affectum mitigatum iri sperabam, sed malo in dies, fatiscentibus subinde viribus, ingravescente; signa haud obscura incipientis *Phthiseos* apparuere: Quibus perspectis, curationem secundum methodum medendi instruendam, eoque dirigendam esse judicavi, ut malum si quidem in artis potestate, in prima quasi (quod dicitur) herba suffocaretur. Sed cujus curæ auspicio & initio, præter omnem spem & opinionem, patiens duos calculos inter tussiendum me præsente rejiciebat; cum materia purulenta cruore nonnihil tincta; Hisce visis & perlustratis, pulmonum substantiam hujuscemodi calculis refertam esse, haud obscure colligere porui. Quapropter cum plures subinde ejusdem farinæ per intervalla dierum rejicerentur calculi, materiaque purulenta, viridem & subflavum referente, colorem, fœtoris haud expertem, exulcerationem pulmonum innueret, in tam incipiri casu alium etiam medicum accersendum curavi, communicato invicem consilio, dubiæque spei relicto prognostico, selectissimis & pretiosissimis contra hostem hunc pugnatum est remediis; sed frustra & incassum tentatis omnibus. Quippe per octodecim septimanarum spatium durante affectu, concurrente sub finem morbi & vitæ etiam *abdominis & pedum tumore*, Hydropem ascitem

asciten præsagiente, omnémque medicamentorum vim eludente, tandem struo hac calculorum (prout oculatis inspectio docuit) oppressus, membrísque omnibus fessus, Juvenis iste diem suum obiit.

Aperto cadavere libras aliquot aquæ in abdomine fluctuantis emisimus; Demum inspectis diligenter visceribus, præsertim Pulmonibus, proh Deum! tantum calculorum diversæ magnitudinis agmen, in illis maximam quidem partem *exulceratis*, repertum est, ut aliquot centum eruere ex iisdem quis potuisset: Imo, vera scribo, in tanta copia apparuere, ac si manu seminantis injecti fuissent. *Hepar induratum & quasi elixatum* conspiciebatur. Cæteris visceribus, quantum judicare licuit, salvis & illæsis.

§. 2. Non absimilem in substantia Pulmonum germinantem calculorum prolem aluit Parens defuncti studiosi. Idcirco ex semine, morbosis hujusmodi tincturis inquinato, per hæreditatiam dispositionem in filium etiam hunc affectum derivatum & propagatum esse nemo facile negatum ibit: Huc quadrare videtur illud.

> *Qui viret in foliis venit à radicibus humor,*
> *Sic Patrum in natos veniunt cum semine morbi.*

Ioh. Frider. Huldenreichius in miscell. cur. ann. 6. & 7. p. 326.

Observatio XIV.

Tussis multiplices Pulmonum affectus sequuta.

§. 1. Puella paulatim in tabem incidens, Tussicula vexabatur continuò. In dextro Pulmonis lobo abscessus erat putridus & fœtidus; in quo continebatur pus membrana conclusum, ad libram unam & semis; Erant & steomata & multi scirrhi undique per substantiam pulmonis. *Vide Tit. de Phthisi.*

§. 2. J. Spœrlin, septuagenarius anno vitæ ultimo Tussire cœpit, & purulenta exspuit: Pulmonum superiores lobos utrinque accretos invenimus, Ambo subduri & compacti erant, nondum tamen ad illam duritiem pervenerant quam alias in phthisicis observavi. *Vide lib. 1. tit. de Paralysi.*

Observatio XV.

Tussis sicca, ob tres Pulmonum lobos induratos.

Mulierem diu Tussis sicca & dyspnœa fatigavit. Tres Pulmonum lobi adeo erant indurati, ut tophos referrent. *Vide lib. 3. tit. de Inappetentia.*

Tussis sicca; quoties pulmonum idiopathica est, pluribus modis, & ob varias causas excitatur: hanc enim ductuum quorumcumque pneumonicorum obstructio, sive per compressionem, sive oppletionem, sive contractionem ea fiat, necessario inducit: Quapropter inflammatio, tumor, tuberculum sanguinis ob plenitudinem aut depauperationem stagnatio. Item concretiones argillaceæ, lapideæ, polyposæ, vermes, quin & multa alii præternaturalia, quia fibras nerveas perpetuo irritant, Tussim siccam & inanem, sed valde molestam inducunt. Cæterum Tussis sicca interdum naturæ instinctu, velut antliæ loco excitatur, nimirum ut sanguis, vel ob propriam dyscrasiam, vel ob vasa pneumonica non satis patentia, pulmones ægre pertransiens, partium harum succussu promoveri, ac in motum rapidiorem urgeri possit. *Willis Pharmac. rat. p. 2. sect. 1. c. 3.*

Observatio XVI.

Tussicula ab impacto tracheæ arteriæ officulo.

Puer Septennis offam comedens officulum deglutit, quod in tracheam decrrans, illi affixum manet, hinc Tussis, dyspnœa, mors. Aperto cadavere repertum in asperæ arteriæ medio officulum, planum, triangulare, angulis lateribus ejus affixum. *Vide historiam Tit. de Dyspnœa.*

Observatio XVII.

Tussis diversos affectus Pulmonum sequuta.

§. 1. Quinquagenarius tabi opportunus Tussicula tres annos laboravit. Inventus Pulmo aridus, scirrhis plenus, &c. *Vide tit. de Phthisi.*

§. 2. Qui-

§. 2. Quidam febre tentatus fuit, Tussicula, sed rara, Pulmo insigniter erat tumidus, quodammodo exesus, cum humore albo tenaci, purulento. *Vide l. 4. tit. de Febribus.*

§. 3. Quidam querebatur de tumore paulo infra inguen oborto, diutissimaq; Tussi vexabatur, pulmo inventus est putris è regione ipsius mali. *Vide l. 4. tit. de Tumoribus.*

§. 4. Anno 1601. in Ducatu Urbini, totaque Piceni regione, grassabantur Tusses. Sectis cadaveribus reperti sunt Pulmonum abscessus, ex quibus multa materia foetens spumosa prodibat. *Vide tit. de Febribus lib. 4.*

§. 5. Nob. N. à suppressis lochiis incidit in Tussim molestam, cum pectoris dolore & gravitate. Pulmones toti purulenti inventi sunt; In his juxta claviculas deprehensus saccus pure refertus, exesa pulmonum substantia productus. *Vide tit. de Phthisi.*

§. 6. Nob. N. ex maxima refrigeratione crurum, ac vehementi animi consternatione Tussi fuit correptus. In pulmonibus magnus abscessus fuit inventus, in quo putrida materia fere librarum vi. pendebat. *Vide lib. 4. tit. de Tumoribus.*

§. 7. Quidam tabi opportunus Tussicula, &c. tres annos laboravit. Inventus mortui pulmo aridus, scirrhis plenus, syderata pars pleuræ. *Vide tit. de Phthisi.*

§. 8. Pictor cum valida Tussi sanguinem rejecerat. Illi Pulmonis pars quædam nigricans reperta & sphacelo correpta. *Vide tit. de Hæmoptysi.*

§. 9. Mulier destillatione veteri in pulmones laborabat. In Pulmonum summo, ad arteriam, vomica pure plena erupit, Exulceratum erat guttur. *Vide lib. 3. tit. de Partu difficili.*

§. 10. In cadavere mulieris reperi in lobo dextro pulmonum scirrhum ovi gallinacei magnitudine, laboravit hæc febricula, nec non Tussicula. *Vide tit. de Febribus.*

§. 11. Miles per annum diarrhœa, Tussi sicca, &c. affectus fuit. Dexter lobus pulmonis costis & septo erat adnatus, ut invicem continui esse viderentur, usus erat diu lepore marino, Pulmonibus infesto. *Vide tit. de Dyspnœa.*

Observatio XVIII.

Tusses à variis Pulmonum & partium thoracicarum vitiis excitatæ.

§. 1. Vidua N. cum paucis indura vestibus è lecto in fenestram transiisset circa mediam noctem, illico correpta est Tussi, dyspnœa, febre, &c. Inventum est mediastinum plenum sero sanguineo, & Pulmonis universa substantia referta materia purulenta. *Vide tit. de Pectoris dolore.*

§. 2. Quidam per multos annos Tussi, &c. laborans tandem extenuatus obiit: In Pulmonis substantia lapidem inveni; præterea tubercula plurima in scirrhos concreta: In pericardio ad libras duas aquæ: uti & multum in pectore. *Vide tit. de Dyspnœa.*

§. 3. Virgo annorum xi. cruciatur doloribus sub ala sinistra & ad costas mendosas, ad thoracis vertebras & imum ventrem exporrectos, cum Tussi, Inventum diaphragma in interiori parte suppuratum, ulcusculis refertum: Tota pleura contaminata & relaxata, cum abscessu sub ala sinistra. *Vide tit. de Lat. dolore.*

§. 4. Sereniss. N. Tussicula laborabat cum difficili in latera decubitu; Cavitas pectoris continebat libras quatuor aquosæ materiæ: Dextra pulmonis pars erat flaccida, muco oppleta. Sinistra resoluta in saniem, superstite sola membrana. *Vide lib. 4. tit. de Febribus.*

§. 5. Nobill. N. cum pectoris angustia Tussi affligitur: Pulmones secti effuderunt cruorem atrum & pituitam. In Thoracis cavo aqua inerat. *Vide lib. 3. Tit. de ventris dolore.*

§. 6. Uxor N. morbo intricato affecta, Tussicula, dyspnœa, &c. laborabat. Pulmo tabidæ mortuæ dextra parte materia purulenta ac fœtida; Sinistra humore seroso imbutus erat, per totam eorum sub stantiam scirrhi plurimi, colore lividi, in quibus materia nigra attramenti instar contenta fuerat, conspiciebantur. Lapides plurimi hinc inde per pulmonem, diversi coloris, parvi tamen. *Vide Tit. de Phthisi.*

§. 7. Uxor N. cum dyspnœa, Tussi infestata fuit Illi thoracis dextri spatium aquæ magna vi distentum erat, Pulmones reterridi & multo purulento tabo prægnantes. *Vide Tit. de Dyspnœa.*

§. 8. Filia D. N. febre correpta, non poterat in sinistrum latus decumbere, quin statim cardialgia & Tussi corriperetur, &c. Pulmo costis undique & diaphragmati adhærebat, tum etiam pericardio: Cor media sui parte fere exesum & exulceratum, &c. *Vide tit. de Hæmoptysi.*

§. 9. Virgo brevi morbo sublata, ante obitum febre continua fuit prehensa, decumbens nonnihil tussiebat sine sputo. Thorace mortuæ inciso, ab utraque cavitate aquæ virosæ magna effluxit copia. Pulmones syderati inventi sunt: In ambitu passim puncta albicantia, quæ levissimo tactu dis rupta tabum eructabant. *Vide tit. de Phthisi.*

OBSERVATIO XIX.

§. 1. *Tussis à variis Thoracis affectibus excitata.*

Puella Tussicula continua vexabatur. Ingens abscessus sub axilla sinistra, & quidem inter pleuram & costas inventus. *Vide Tit. de Dyspnœa.*

§. 2. Virgo dolebat sub ala sinistra, ad costas mendosas cum Tussi, febre, &c. Inventum est septum transversum in interiori parte suppuratum, ulcusculis refertum, Abscessus sub ala sinistra. *Vide Tit. de Lateris dolore.*

§. 3. Filiolus Nob. trimus gravi anhelitu & Tussi sicca ad obitum usque detentus fuit. In sinistra parte obviabat magna diaphragmatis propendentia instar facci, à purulentia sinistri lobi pulmonis. *Vide tit. de Dyspnœa.*

§. 4. Juvenis inter 6, & 7. costas vulneratur. Sequitur febris gravitas in parte, Tussicula sicca. Ingens inventa copia puris inter thoracem & Pulmones. *Vide l. 4. tit. de vulnere.*

OBSERVATIO XX.

Tussis à vario Thoracicarum & Naturalium vitio inducta.

§. 1. Cadaver secui cujusdam qui crebra Tussi fatigabatur. Repertus pulmo consumptus, Thoracis cavitas plena sanguine putrido & concreto, in Pericardio pus album, Hepar maximum. *Vide tit. de Dyspnœa.*

§. 2. Vitiosæ pectoris figuræ in Rachitide Tussicula sicca plerumque comes est. Jecur quoque immensè adauctum diaphragma & partes spiritales impedit. *Vide tit. de Gibbositate.*

§. 3. Puella cachectica pulmones habuit intus & extra corruptos. Hepar valde magnum. Ad abdomen scatebat materia aquosa multa. Hæc crebro tussiebat, &c. *Vide lib. 3. Tit. de Cachexia.*

§. 4. Puella hectica, Tussicula affecta est, &c. Hepar per materiam gypseam renaciter hepari adhærebat, Thoracis vacuum aqua limpida implebat, Pulmonis substantia materia purulenta imbuta, &c. *Vide tit. de Phthisi.*

§. 5. Puella in febrem ephemeram, mox in hecticam incidit cum Tussicula, &c. Hepar mediante materia gypsea tam renaciter diaphragmati adnatum erat vix ut avelli posset. Thoracis vacuum aqua limpida plenum; Pulmones substantia materia purulenta imbuta, cum steatomatis nucem æquantibus, &c. *Vide Tit. de Phthisi.*

§. 6. Pueri duo Tussi & tabe detenti obierunt. Inveni in Jecore & Pulmone pustulas. *Vide Tit. de Phthisi.*

OBSERVATIO XXI.

Tussis sequuta Pulmonum compressionem à spina incurvatione, & purulentiam eorum.

Puella Tussi gravissima per dies aliquot ante obitum affecta fuit. Substantia pulmonis materia purulenta imbuta erat, præcipue ex sinistra parte, ubi ob spinæ incurvationem compressa, ideòque magis livida quam in dextro latere conspiciebatur, & principium sphaceli ibi fuisse color ostendebat. *Vide tit. de Phthisi.*

OBSERVATIO XXII.

§. 1. *Tussis ab hydrope Thoracis cum Pulmonis & pleuræ corruptione, &c.*

Virgo 35. annor. post profusam narium hæmorrhagiam cachectica facta, 14. die ante interitum corripitur Tussi molestissima & sicca, &c. In ejus cadavere Thoracis capacitas dextra erat aqua subnigra & putrida plena, ad cantharum unum & dimidium. Pulmonis dextra pars, in ea cavitate collocata, cum pleura corrupta ac nigra fuit, &c. *Vide lib. 4. tit. de Febri.*

§. 2. Thomas Cartier Parisiensis annos natus 57. temperamento sanguineo bilioso, vergente ad atrabilarium, *laborabat Tussicula & febricula.* Vtrumque symptoma adauctum in eam magnitudinem ut coactus fuerit decumbere. Febris nocturna gravior cum anhelitus difficultate pene suffocante: dolor etiam per intervalla acutus ad latus sinistrum supra regionem lienis; Tumor pedum neque die neque nocte desinens: adauctis omnibus symptomatibus successit febris acuta, continua, maligna, quæ hominem ante septimum diem sustulit; Quatuor mensibus ante mortem, erat plane ἄσφυκτος.

In dissecto cadavere deprehensæ sunt in toto thorace fluctuantis serosi humoris, putris & graveolentis, libræ Parisienses decem, Pulmo totus putrilaginosus, præsertim in parte sinistra.

sinistra. Lien quoque majore sui parte putris & fœtido ichore plenus. Ἀσφυξίας nulla alia deprehensa fuit causa præter x. aut xii. grumos sanguinis crassi, nigri, concreti, collecti & stabulantis in ipso ductu aortæ prope Cor. *Th. Bartholinus cent. ii. Observ. vii.*

L*Aborabat Tussicula, febricula*) Commemorabilis est locus apud Ballonium lib. 2. Ephem. & Epidem. p. 175. de causis Tussis à congestione excrementorum in Pulmonibus, qui huic ægro adaptari potest: In morbis, *ait*, Medico multum est negotii sæpe, Non solum enim ei cura habenda est Mesenterii, sed Pulmonum, capitis, Etenim quod alvo contingit, idem & cæteris partibus, Alvus sæpe, quia commune est receptaculum potulentorum & esculentorum, habet evacuationes & καταῤῥήξεις. Idem aliis partibus evenit, postquam enim diu congesserunt excrementa, tandem minima occasione externa, laxatis veluti fibris, exonerare se volunt: Hinc Tussiendi diuturnæ molestiæ, defluxiones, diarrhœæ, & in febribus longis ῥευματισμοὶ: Et id valde annotandum ut reddatur ratio τῆς συμπλοκῆς ἢ μίξεως τῶν νοσημάτων.

Observatio XXIII.

Tussis ab Hydrope Thoracis excitata.

§. 1. VIdimus duos laborantes hydrope thoracis & pulmonis: in altero aperta est via, obortáque Tussi & vehemente siti, arefactis scil. pulmonibus, mortuus est. Alter non fuit sectus, sed tandem interiit, & illi inventus est Pulmo omnino corruptus. *Hollerius comment. ad Aphor. xiv. lib. vi.*

N*On fuit sectus*) Paracentesis thoracis institui debet visceribus adhuc integris, alias inutilis est, si vitium concepere: Hydropicos, inquit Hipp. 6. Epid. sect. 7. celeriter secare oportet.

§. 2. Cachecticus quidam Tussi aspera sine stertore & prorsus sicca laborabat, Thorax universus aqua cruenta repletus repertus est. *Vide lib. 3. tit. de Cachexia.*

Observatio XXIV.

Tussis à mediastino inflammato excitata.

NOb. cum febre acuta detineretur, Tussis initio sicca fatigabat, quæ postea subsequuta est humida. Secto mortuo, inventus est in membranis intersepientibus tumor inflammatorius satis notabilis magnitudinis. *Vide Tit. de Pectoris dolore.*

Observatio XXV.

Tussis excitata à pericardii inflammatione.

QUidam acuta febre prehensus est cum Tussi sicca, respiratione frequenti, &c. Sectio palam fecit adfuisse Pericardii inflammationem. *Vide tit. de Lateris dolore.*

Observatio XXVI.

Tussis à Iaculi parte in Diaphragmate latente.

PAstoris in pago Cimbriæ nostræ Hunslund, vacca tussica diu vixit, & vitio Pulmonum laborare credebatur, quod frequens hoc 1660. anno inter pecora nostra malum fuit, plurimis damnosum. At quum vertente anno ad usus culinarios mactaretur vacca, Pulmones sine vitio inventi, sed in diaphragmate repertum ferri frustulum, digiti longitudine, jaculi forma, angustum & crusta lapidea obductum, quod tubere singulari diaphragmatis carnosi crassitiem ad tres digitos extenderat. Divinare nescio qua via ferrum huc penetraverit, an deglutitum, an sagitta extrinsecus immissum? quamcumque enim eligamus viam plenis obsita erit difficultatibus: postrema tamen est verisimilior, quanquam cicatricis externæ vestigia rudior & incautior lanii manus neglexerit. Passim enim insolentiores Sarmatæ, in exercitu fœderatorum, sagittis obvia animalia quæque insectabantur, & carnosæ septi transversi parti facile infigi jaculum potuit: Naturæ vero studium admiramur, quæ quum nusquam infensam rem posset expellere, inducto quasi operculo munivetit, & annuo spatio pertulerit. *Bartholinus cent. vi. hist. xcvii.*

Observatio XXVII.

Tussis à vario partium naturalium vitio excitata

§. 1. VIrgo Cachectica tandem Tussicula, dyspnœa, febricula, &c. infestabatur; Jecur male coloratum erat, vesicula fellea liquore nigricante & frustulis sabulosis referta: Omentum incrassatum, &c. *Vide lib. 3. tit. de cachexia.*

§. 2. Cuidam diu vox rauca, Tussis, &c. In ventriculo reperta materia nigra lutulenta, &c. Fuit abscessus in ventriculo. *Vide lib. 3. Tit. de ventriculi dolore.*

§. 3. Vir quidam (*de quo lib. 1. Tit. de Paralysi.*) quotidianæ bilis vomitui obnoxius, hac repente suppressa, ventriculi dolor prehendit cum Tussi inani. Deprehensa est ab obitu bilis sincera, eâque prassina, circum jecoris cava, libræ pondo, membranis coërcita.

§. 4. Quidam tumorem durum in hepatis regione habuit, levi Tussi correptus, &c. Inventa vomica simæ parti Hepatis connata, satis magna atque aperta, reliqua satis sana. *Vide lib. 3. tit. de Hypochondr. tumore.*

§. 5. Duobus Jecur vulneratum fuit, ut post mortem videre licuit. Hi cum febre ardente Tussi continua afficiebantur. *Vide lib. 4. tit. de vulneribus.*

§. 6. Quidam in magno æstu sitiens, exhausit prægrande poculum vino frigidiore plenum: Mortui cum renes investigarem, inveni eos jecori per membranas quasi adnatos. *Vide tit. de Tabe.*

§. 7. Matrona (*de qua tit. de Ventriculi dolore*) in regione ventriculi dolebat, accedit Febris, Sitis, Tussicula arida: Pancreas magnitudinem naturalem multo excedebat, scirrhosum omnino. Pulmones erant naturales.

§. 8. Jurisconsultus sicca Tussi vexatus, tabidus tandem obiit, &c. Obviam secanti se obtulit tumor pendulus & anoexus lateris dextri musculis lumbaribus, cum plurimis adnatis cystidibus, &c. *Vide Tit. de Phthisi.*

Observatio XXVIII.

Tussis continua & sicca à gravi Ventriculi affectu, salvis Pulmonibus.

Cum sæpiuscule Friderico Slesvvici & Holsatiæ Duci, &c. valetudinis laborumque Chymicorum causa adessem, sæpe per jocum mihi Medicorum errores objiceret, hanc identidem in fidem rei exponere historiam solebat, nimirum Sereniss. Patruum, Johannem Fridericum, Episcopum Bremensem, &c. cum ex Tussi continua & sicca, eâque post somnum invalescente diu laborasset, & tandem contabesceret, à Medicis pro Phthisico fuisse habitum, adeoque omnem curam in evertendis sanandisque Pulmonibus collocatam.

Et hactenus ea quidem sederat sententia, sed cum deinde post mortem in causam mali paulo accuratius inquirerent, Pulmones præter omnem opinionem intemerata substantia salvos reperere. Ast, quod minus crediderant, *Ventriculum* tam male affectum, ut facile iis fidem fecerit omnem ab eo mali causam subortam fuisse, tantam nempe putredinem conceperat, ut etiam ad levem contrectationem in squamas & membranulas abiret. Tantum quoque is fœtorem, ut Chirurgo manum commodanti olfactum omnem abstulerit, ita ut nec medicamentis, nec mora temporis, quamdiu vixit, in integrum restitui potuerit. *Ioel Langelot in Miscellaneis curiosis anni* 1675. *Observ.* 14.

Observatio XXIX.

Tussis illæsis Pulmonibus, fervorem hepatis sequuta.

Filiola Dom. N. duos menses *febricitavit.* Inventum in defuncta hepar incanduisse præ calore. Pulmones aliquantulum adhærebant, at integri. At credo Tussiendi inane desiderium à fervore hepatis fuisse. *Vide l. 3. tit. de Diarrhœa.*

Febricitavit) Sennertus tradit Tussim quæ febris insultu oritur ex destillatione capitis pendere: Tussim, inquit ille, excitat materia quæcunque in pulmonem & asperam arteriam incidit, aut in ea p. n. continetur: Materia autem hæc varia est, catarrhus omnium à capite defluens, atque ita omnes causæ quas catarrhum excitare posse diximus, etiam tussim excitare valent: ut & humor aliquis in cerebro collectus, qui per accessiones febrium movetur & à calore febrili funditur. Equidem nos inficias non ibimus catarrhos sociari interdum febribus, ut materia de capite per venas relabi possit, quæ tussim incipiente febre ciere queat; At negamus id semper fieri, nam qui febribus renentur, ii nunquam tussiunt, nisi eo tempore quo sanguis insultu febris quasi ebullit: Credendum est igitur sanguinem de massa sanguinea, febris initio in pulmones exæstuare, ut tussis talis increscat quæ sicca aut arida in vulgus dicitur. Si à catarrho oritetur, materia ejus rejiceretur. *Schneiderus.*

Observatio XXX.

Tussicula ob Renes Iecori affixos.

Quidam in magno æstu prægrande poculum vini exhausit, hinc sensit præcordia sibi collabi, incipiens Tussire Tussicula inani, &c. In thorace & pulmonibus nihil fere vitii deprehendi, Renes vero jecori per membranas quasi adnatos, &c. *Vide tit. de Tabe.*

Renes

Renes Iecori adnatos) In consensum ducto diaphragmate; Peritonæum enim partibus omnibus in abdomine contentis circumtendi- tur, & Diaphragmati alteram tunicam largitur; inde juxta humiliorem ejus sedem membrana renum exterior ortum ducit: Hepar quoque superius diaphragmati, ac cartilagini ensiformi, per ligamentum membraneum validum à peritonæo enatum cohæret: Itaque viscerum inferiorum affectiones, eo quod cum diaphragmate connexum habent Tussim inducunt: Efficiens causa Tussis, ait *Zuuingerus in Physiol. med. p.* 650. duplex est, Princeps & instrumentalis, Princeps est tum sentiens facultas, tum movens; Sentiens quidem, quatenus tum naturali tum animali sensu percipit aliquid molestum: qui sensus diaphragmati potissimum datus est, ut ab inferiote ventre ascendentes hostes sensui suo proderet.

Iecori) An Tussis ab Hepate male affecto prodire queat, in dubium vocat *Argenterius* in Gal. artem p. Quum Tussis, *ait*, nequeat fieri nisi in aspera arteria aliquid sit quod molestet, non video quomodo Hepatis affectus Tussim inferre possint. Necesse enim esset ut humor qui ab inflammato Hepate resudat, primum transeat septum transversum, densum & solidum; deinde recipiatur in substantiam pulmonis, postea veto in ipsam aspetam arteriam, quod non fieri posse putat, quum videamus per vulnera thoracis plurimum aliquando humoris in ipsius cavitatem effundi, non ob id tamen Tussim excitari: Verum hæc valent tantum de tussi humida non sicca, ad quam vel vapores ascendentes, vel consensus partium sufficere poterit.

Observatio XXXI.

Tussis à Pulmone vitiato, costis, septo & pericardio adhærente, cum cordis ulcere.

Filia N. patiebatur dolorem in summa scapula, cum febre, Tussi sicca, cardialgia, sputo sanguinis, &c. Inventus est pulmo colore albicante, costis undique & septo adhærens, ut & pericardio: Cor etiam media parte exesum, &c. *Vide Tit. de Hæmoptysi.*

Pulmo costis adhærens) Tussis ex sanguine excrementitio, etiam citra exulcerationem, in Pulmonibus collecto, gignitur: qua ratione in pleuriticis & peripneumonicis, inflammatis Pulmonibus, potius coacervari, quam à thorace per pulmones transsudare Tussimq; concitate censet *Platerus.* Vide tit. de Pleurit.

Observatio XXXII.

Tussis illæsis pulmonibus fatigans, ob nervosum genus affectum.

Olim pro puetulo nobili consului, qui 12. citeitet menses natus, patoxysmis convulsivis, & quasi Epilepticis, à quibus brevi fatum obiit, gravissime affligebatur: Sæpius observatum quod dum spasmi partium exteriorum remitterent, Tussi immani & singultuosa corripeterut: unde suspicio fuit materiem morbificam haud minus in pectore quam in cetebro defigi.

Post obitum veto cadavere aperto, pulmones satti tecti, vitio quovis immunes apparebant, ut manifesto liqueret Tussim istam propter nervosi generis affectionem excitatam fuisse. *Thomas VVillis Pathol. cerebri cap. xij.*

Propter nervosi generis affectionem &c.) Tussim aliquando sine magno pulmonum vitio, propter materiam morbificam nervis pulmonicis illapsam excitari, clare indicat historia Nob. puellæ paroxysmis convulsivis, ac insuper vertigine gravi & continua laborantis, nam cùm ex Medici præscripto fotus ex decocto cephalico capiti adhiberetur, illico scotomia cessabat, inque vicem ejus Tussis inanis, sine ullo sputo, sed dies & noctes fere perpetuo molesta, succederet: quod proculdubio contigit ob materiem spasmodicam à cerebro in nervorum origines depulsam: Hujusmodi exempla Tussis mere convulsivæ in adultioribus tatò occurrunt, ut affectum huic similem haud sæpius viderim: Attamen usitatum est in pueris (quandoque etiam novi in viris) Tussim à collectione serosa pulmones inundante exoriri: quæ cum primo simplex & moderata fuerat, postea vehemens & convulsiva evadebat; ita nimirum ut inter tussiendum, & diaphragmate sursum contracto, ac in systole longiori aut crebertime repetitas detento, pulmones valde coarctati in motu suo plurimum inhibeantur: interim ob respirationem impeditam, & sanguinem intra præcordia cohibitum, proindéque in aliis locis stagnantem, labotantes suffocari periclitentur, & non raro vultum lividum & cadaverosum acquirant: Cæternm in hoc casu præter spasmos cum tussiendi impetu, circa præcordia excitatos, non raro etiam ventriculus in consensum adductus, quicquid suo continetur sinu vomitu rejicit: Quin & novi in quibusdam tenellulis hoc titu affectis, morbum subinde in alias excitasse, ac demum lethalem evasisse: Hujusmodi Tussis convulsiva inter pueros frequens valde est, & quibusdam annis ita plurimos corripit ut plane Epidemica videatur: ubi radices egit, difficulter admodum remediis sanatur, quin sæpius diu protracta, vix aliter nisi ab immutato anni statu curari solet: Si prædicti affectus causæ inquirantur obvium erit procatarxin ejus, a serosi humoris in massa sanguinea, & aliquatenus in toto corpore redundantiam referre: cujus materiæ portio quædam arteriarum osculis in pulmones exudans Tussim ordinariam creat: postea cum serosa colluvies, adhuc in sanguine

sanguine exuberans, & particulis spasmodicis referta, etiam intra caput aggereretur, eadem *nervos pulmonicos* subiens, Tussim simplicem in convulsivam adauget: Cùm enim hi nervi circa extremitates suas prius irritati supra modum exerceantur, illi propterea materiam spasmodicam, juxta principia sua depositam facilius imbibunt: Cùmque adeo demum binis in locis, scil. capite & cauda, atque ob duas distinctas causas, scil. à spirituum tum irritatione tum explosione, in motus irregulares adigerentur, nihil mirum est si Tussis primo communis, postea in malum morem evecta, adeo immanis & spasmodes evadat: Porro cum interdum accidit eandem materiam in capite aggestam, nervos quosdam alios subire, propterea Tussi convulsivæ, aliusmodi pathemata spasmodica non raro supervemunt. Hujusmodi affectus, pueris potissimum familiaris, curatio difficilis & nonnisi longioris temporis existit, Præcipuæ autem indicationes erunt, tum humores serosos & acres è sanguine & visceribus expurgare, ut illorum *proni* ac decubitus in cerebrum, ac aliquando forsan intra pectus præcaveatur: Tum has partes, ne seri æstuantis superfluitates facilius admittant, corroborare: In hos fines vomitoria, & cathartica leniora fere semper conducunt, & aliquatenus iterari debent: Vesicatoria sæpe proficua sunt: Quinimo si morbus sit contumacior, fontanellæ in nucha aut brachio, vel circa axillas excitentur: Potus & alimenta liquida in quantitate solito minori sumantur: Istius vice Bochetum ex sarsa, china, santalis, rasura eboris, c. c. cum ingredientibus diureticis & antispasmodicis usurpetur: In hoc casu remedia quædam velut specialia valde commendantur, cujusmodi sunt *muscus pixidatus* in pulvere exhibitus, vellacti incoctus, adeòque crebra dozi quotidie exhibitus: Decoctum vel syrupus ex castoreo & croco: decocta radicis pæoniæ, visci querni, item hyssopi multos juvatunt: Aquæ cerasorum nigror. saxifragiæ; aqua limacum cum sero lactis ac ingredientibus appropriatis distillata, sæpe cum fructu adhibentur. *Idem.*

Observatio XXXIII.

Tussis excitata ab aqua cerebri ventriculis conclusa.

Puellæ bienni caput mirum in modum intumuerat, ab aqua in dextro sinistroque cerebri ventriculis contenta ad novem fere libras: Caput illi quoties paucis ante mortem diebus etiam leviter movebatur, gravis illico Tussis molesta fuit cum difficili respiratione &c. *Vide Tit. de Hydrocephalo.*

Puella bienni.) Huc pertinet Tussis *Quinta* dicta, de cujus origine disceptat *Ballonius*, capiti an pulmonibus sit adscribenda; hæc habet de ea lib. 2. Epid. & Ephemeridum: Anno, *ait*, Domini 1578. æstas flagrans & æstuosa fuit: pueros quadrimestres, decimestres, & paulo adultiores, febres adortæ sunt quæ innumeros sustulerunt: maxime ista solennis *Tussis* quæ *Quinta* seu *Quintana* vulgo dicitur: Hujus gravia iunt symptomata: Pulmo ita irritatur, ut omni contentione nitens excutere id quod molestum est; nec admittat spiritum, nec vicissim facile reddat: Intumescere videtur, & quasi strangulabundus æger mediis faucibus hærentes spiritus habet: Cur Quinta vulgo dicatur dubio non caret, Quidam verbum fictitium esse putant per ὀνοματοποιΐαν, ab eo sono & strepitu quem edunt ita Tussientes: Alii non inde repetunt, sed vocari Latine Tussim Quintanam putant quod certis locis repetat: Id quod experientia verum probat, nam vacant ista tussi molestia aliquando horarum 4. aut 5. spatio: Deinde repetit iste tussiendi παροξυσμὸς, aliquando ram molestus, ut sanguis & per nares & per os vi excernatur, sæpissime subverso ventriculi contingat: Nondum quenquam authorem legi qui de ea Tussi verba faceret: Ac dubitant an à capite, an à corpore ipsius Pulmonis, An aliunde serum aut ichor, aut ὀῤῥὸς, aut serina destillatio manare soleat: Videtur esse à pulmone ipso: Nam plerosque vidimus ita Tussientes, quibus post inanem conatum semiputris materia incredibili quantitate excreta est: ut verisimile sit eam materiam residem & ibi collectam istius tussis causam esse: Aliis videtur esse à capite ipso, veluti liquefacto per quandam διάχυσιν, ut loquitur Hippocr. Quid si aliunde? Nam commemorabiles duo sunt loci apud Hipp. & Gal. ex quibus elici possit demonstratio horum, Gal. ad part. 12. sect. 1. lib. 1. Epid. Siccæ Tussis causas assignans, statuit primam causam esse exasperationem gutturis & faucium: Secundam Intemperiem instrumentorum respirationi inservientium, Tertiam crassitiem humoris, Quartam humoris tenuitatem: Deinde de humore tenui ita scripsit: Humor autem tenuis per guttur & asperam arteriam delabens in pulmonem, antevertit fundi ac dividi, vel ante effunditur ac dispergitur quam à spiritu per tussim concitato excludatur: quod Thasiis contigit, ut pote capite repleto ab austrino statu, & sic destillationem transmittente omnibus thoracis regionibus: Et ad part. 17. ejusdem lib. scripsit, *Quæ destillationes capitis primum homines raucos ac tussiculosos reddunt, nec tandem consistunt, ha alteram Tabis differentiam afferre solent*: Duæ enim sunt ejus differentiæ, Una est ex fluxionibus à capite, Altera ex affectibus pulmonis ipsius, maxime post exspuitionem sanguinis, potissimum vase rupto, Sæpenumero verò fluxione impleto pulmone alia de causa, ex partibus aliis non ex capite: quasi vero aliunde sit ῥεῦμα quàm ex capite: Locus meo judicio, male Latinus factus est, πολλάκις δὲ ῥευματίζοντος τοῦ πνεύμονος δι' ἄλλην αἰτίαν ἐκ μορίων ἑτέρων, οὐκ ἐκ τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ, Ego puto ῥευματίζεσθαι posse explicari, non distillatione affici, sed irrigari & repleri per quendam modum raptus à partibus internis, & per quandam ἀπόστασιν, &c. quandam colliquationem partium pulmoni vicinarum, vel etiam proprii ejus excrementi quod fundi potest ac colliquari: His conformiter idem Hipp. scripsit l. 1. de morbis. *Erysipelas in pulmone fit cum sit nimium resiccatus ab ardore,*

ardore, à febribus, labore ac intemperie. Nam tunc plurimum sanguinis ad se trahit, maxime ex magnis venis: Hæ enim ipsi sunt vicina & ipsi incumbunt, trahit enim tenuissimum ac debilissimum: cum traxis, febris ex eo fit acuta, tussis sicca, repletio in pectore, dolor acutus in anterioribus & posterioribus partibus, maxime circum spinam, nimirum magnis venis calefactis: Vomunt aliquando suberuentum, aliquando sublividum, vomunt pituitam & bilem & animo linquuntur. Quo loco explicat etiam naturam istius molestissimæ, quæ Quinta appellatur; Et Tussis siccæ occasio, non à capite est, ut plerisque videtur, sed aliquando à pulmone ipso, aliquando à subjectis partibus. Quod fit à pulmone ipso, declarat ingens copia pituitæ putris & semipurulentæ quæ extussitur: Nam si esset sola ferina destillatio causa illius Tussis permolestæ, quæ vulgo Quinta dicitur, non ea copia incredibilis materiei excluderetur: quanquam non nego à capite aliquid defluere quod irritet: Quid enim impedit quo minus eo modo se habeat materia in pulmone collecta, quo & ea materies quæ in ventre est? At quæ est in ventre, prout movetur aliquando, ita tormina, & punctiones alvi excitat, dysenteriam, diarrhœam, exulcerationes leves: Ita quoque in pulmone irritat, pungit dum movetur & tussiculosos homines reddit, tusses veras excitat & inane tussiendi desiderium: quare errant qui ad caput Tussis occasionem referunt: Vel potius ad id referetur, quod cum dormienti destillatio in pulmonem facta est, motam aliquam trahens, acrimoniam majorem acquisivit. Deinde eo modo quo in cerebro excitatur sternutamentum, materia ista in pulmone tumultuatur, movetur ac agitatur, unde facultas partis irritata, tussim istam promovet. Cæterum quod irritetur ἐμφρακτικῶς aliquis in pulmonem aliunde quam à capite, declarat ingens copia materiei quæ excernitur in suppurato à casu: Vix enim credat aliquis quanta illius materiei copia evacuetur, quam non est credibile à capite manare & tam cito ὀλιγωδήναι, sed aliis è partibus ad thoracicas affluit: Porro incredibile dictu quantæ & quales fuerint febres quæ adortæ sunt eos quos illa Tussis Quinta dicta divexarit, graves, vehementes, inordinatæ & anxiosæ fuerunt, & licet alvus fluat, vix mitigantur, imo ad quandam tabem ægros ducunt: Mirumque est quod pueris multis, qui ferinis istis destillationibus sunt conflictati, ab istis intereundum fuit, & iis exclusus est paulo ante mortem, aut post, humor terribilis visu, ac si abscessus in cerebro fuisset: Alii interiere cum summa difficultate spirandi, eâque terribili & immedicabili: Quæret quis, An pulmonis venæ possint esse focus & conceptaculum febrium istatum essentialium? Possunt esse, si credere est *Galeno* comm. in lib. Epid. 1. part. 73. sect. 2. Porro unum annotandum quod observavi mus in ejusmodi morbis, i. e. & febre assidua & tussi molesta, quæ Quinta vocatur, corpus intumescit, deinde valde extenuatur: Quod autem corpus intumescat, & coloratius reddatur in liquationibus istis & fusionibus pituitæ, docet *Hipp.* lib. 2. de morb. & cur id fiat docet: Item quod extenuatio postea contingat, *Galenus* docet in Epid. dum explicat cur Thasii tussientes & catarrho acri, ferino & maligno ad extremam extenuationem adducerentur. Filiola N. Quintana Tussi laborabat, visa est convaluisse, recruduit morbus; Ante obitum excreta est è cerebro materia latentis abscessus: Annon id ferinæ destillationis occasio esse potuit? *Hactenus Ballon.*

Dictis quia lucem afferre potest modus generationis Tussis, juxta leges circulationis sanguinis, adducam hic quæ proponit Clar. Rolfinccius habet Dissertat. Anatom. libro secundo cap. 20. Tusses non oriuntur catarrhis ex cerebro delabentibus per palatum ad fauces & pulmones: Nec semper vitio pulmonum proprio; sed ut plurimum vitiosorum, qui per narium & faucium arterias excerni debebant, humorum ad Pulmones conversione: cùm nulla alibi inveniunt emissaria, itur ad hos spongiosos folles: Non tamen negamus ex faucibus & ore, per tracheam, sæpe hæc catarrhorum ad Pulmones collimare fluenta, nulla cerebro deprehenso in culpa: *Et lib. vi. cap. lvii.* Nonnulli Tussiculosi fiunt conversa ex toto per venas in dextrum ventriculum, & ex eo in arteriosam venam cum nutritio Pulmonis, & sinistro cordis sinui destinato sanguine, excrementitia materia. Hæc cum roris modo per sensui fere impervios meatus, in arteriæ asperæ transsudat bronchia, interna irritata membrana, jussisque contrahere thoracis musculis fit efflatio illa vehementissima, quæ appellatur Tussis.

Observatio XXXII.

Tussis pertinax ob pulmones arctè & undique costis adhærentes, Seri è capite in nervos pulmonicos illapsum.

Margarita Binninger, filia mea longe dilectissima, annum ætatis tertium agens die II. Septembris anno 1661. post clamorem horrendum circa quartam matutinam, insultu correpta est Epileptico: Illucescente & protracto die viscidam pituitam copiose evomuit, inde Tussi correpta est epidemica, qua fere omnes infantes illo tempore laborabant: violenta concussione circa noctem invalescente livescebat: Successit die xiii. Auris dextræ dolor: Die xvii. antequam Tussis invaderet, de cephalalgia & frontis dolore querebatur, quam Tussis cum continua expiratione, suffocationis metu, febre lenta & marcore excipiebat, donec violentia maxima pituitam expectorasset ægra, inde repetebat adhuc semel semper cum stertore, sed minor accessio. Nullis autem nec evacuantibus, nec bechicis, nec sudorificis, nec cephalicis, nec alexipharmacis tolli potuit affectus, ut in omnibus epidemicis infantium Tussibus nuper præteritis annis observare contigerat. A pituitæ per violentam & diuturnam Tussim, inter pulmonum lobos & pleuram propulsæ, adaucto calore

calore p. n. sensim incrassatæ viscositate, pleuræ coaluisse pulmones suspicio tandem invasit, unde matutinis singulis, fricato & uncto pectore, manu dextra sinistrum apprehendi talum, & sinistra dextrum, inverso in posteriora corpore cogebam. Inde ingravescente malo, evectis jugiter crassis in cerebrum fumis, illius frigiditate resolutis, accessit comatosus affectus. Suppositoria, clysteres, hydrophlegmagogo, cephalica, vesicatoria, sternutatoria, sudorifica, corroborantia, methodice præscripsi, non neglecto affectu primario, varia: Impediri autem paterna cura & Medica arte non potuit, quin expleto semi anno 23. Martii 1662. obiret puella; Diagnoseos in cura instituta probe quidem mihi conscius eram, sed ut omnem scrupulum à mente mea amoverem, Chirurgum à prandia vocari jubeo: Huic filiolæ defunctæ tam diuturnæ & incurabilis Tussis causam, coalitos Pulmones dico, & soporis, mortis tandem, Seri vel aquæ citrinæ in basi cerebri forte cochleatia duo, sensuum nervos & animales spiritus obtuentis: corpusculumque me præsente & præmonstrante aperiret rogavi.

In abdomine omnia probe constituta inventa sunt: Aperto thorace, utrique pulmones tenacis & spumosæ pituitæ glutine, ita costis toti coaliti inventi sunt, ut ab illis avellendi à Chirurgo omnino dilacerarentur: Superjacens thymus, spongiosus alias, plane osseus repertus est: In orbem circumcisis cranii involucris & cranio serrato, duræ matris incumbentis aquæ dimidium fere cochleare erat: Ruptis meningibus & scissa transversim cerebri substantia, eo ipso in loco ubi prædixeram, eadem propemodum quantitate, stagnantes aquæ citrinæ nervorum conjugationes inundantes nobis paruerunt. Hoc ubi ex Anatome obtinuissem, & in diagnosi mea ita confirmatus fuissem, Deo M. gratias egi qui incurabilibus affectibus laborantem, nec nisi, si vitam diutius protraxisset, miserrime victuram puellam beatis sedibus donasset. *I. Nic. Binningerus Cent. iii. Observ. xxx.*

S*Tagnantes aquæ nervorum conjugationes inundantes*) De Tussi convulsiva, sive suffocativa, infantibus & pueris familiari ejusque generatione supra actum: Ad hanc pertinet Tussis Epidemica, Gallis Quintana dicta, cujus origo ex Ballonii sententia superius adducta est, Anglis *Cincouk g* de qua *Willis Pharmac. Rat. part. 2. cap. 6. sect. 1.* Ad hanc classem *ait* Ubi de Tussi, quæ nondum phthisis est, agitur referri debet Tussis puerorum convulsiva, seu suffocativa, Morbus hic pueros & infantes potissimum incessit, & quibusdam temporibus, scil. vere præsertim & autumno, Epidemicus esse solet: Ægrotantes tussiendi paroxysmos crebros ac atroces admodum habent, in quibus nimirum respirationis organa non tantum graviter laborant, sed etiam spasmodice affecta actus suos varie interrumpunt, suspendunt aut pervertunt: Plerunque vero diaphragma per se, aut partium aliarum impulsu convulsum, modo systolen, modo diastolen perquam diu obstinate ita continuat, ut inspiratione, vel expiratione pro tempore inhibita, spiritus vitalis vix ac ne vix duci queat, pro inde ut tussientes quasi præfocati ejulent, & ob sanguinem stagnantem, in vultu atredinem contrahant; si forsan istis organis non in tantum convulsivis liberius tussire possint, usque tamen vehementius & diutius, donec vires fatiscunt, tussire coguntur: Morbi hujus ratio formalis, sive causa conjuncta, in his duobus consistit, nempe quod adsit crebra & vehemens pulmonum irritatio, qua ad molestum aliquid tussi ejiciendum fere continue incitantur: ac insimul quod partes thoracis motivæ, vid. nervi ac fibræ nerveæ ad spasmos prædispositæ, quoties irritantur, tussim non regularem, sed convulsivam, & ordinario respirationis muneri oppositam aut injuriam accieant. Materies pulmonem ita crebro in tussim irritans, videtur esse serum è massa sanguinea, propter compagem ejus nimis solutam perpetuo exudans, atque pectora molestans: quatenus per arterias tum tracheales in asperæ arteriæ cavitatem destillat, tum per pneumonicas in ductus quosque parentes copiose suffunditur: Partium motricium diathesis spasmodica, ut in aliis affectibus convulsivis, procedere videtur à materia heterogenea & elastica, è cerebro per nervorum ductus una cum liquore nerveo, in fibras pectoris motrices prolapsa, quare cum spiritus fibrarum illarum incolæ, ad motus expirationis violentos edendos incitantur, motus convulsivos ineunt. *Hactenus Willis.* Ejusmodi Tussis anno 1657. tota æstate Neocomi Helveriorum epidemica fuit, ut vix puer aliquis immunis evaserit: Meus natu major, tunc quadriennis, ab ea gravissime afflictus fuit, ac pene ad rabem deductus: Cujus ea erat immanitas, ut ea correptus protinus in ventrem procumberet, humi sese volutans; ea vehementia, ut quanquam intercederet spatiosa area meum & illius cubiculum, tussi impetus tamen obandiretur: Juvatus & sanatus fuit usu crebro emulsionum ex amygdalis & seminibus frigidis, purgationibus ex manna, sed præsens levamen attulit frequens pedum in aqua repida lotio incoctis malva, violaria; & litus plantarum pedum ex lucii pinguedine, à quibus somnus placidus subsequebatur.

ADDITAMENTA.

Observatio I.

Tussis excitata ob duos claviculos in Pulmones delapsos.

VIr quidam ex occupatione cæmentarius, cum pro more in munere fungendo claviculos in ore detineret, ex forti cachinno dum sursum aspicit, duos in Pulmonis fortuito demisit:

sit: Illico ingenti *Tussi* correptus est, & *hæmoptæ*, & ab illo tempore *molestiam circa pectus* sensit, nihilominus fungebatur munere solito, & post elapsum annum uxorem duxit; A celebratis vero nuptiis Tussis magis sæviebat, an à Baccho, Venere, tripudiis, vel a suscepto frigore me latet: Post quatuor dies ingenti *dolore lateris* dextri anhelosa respiratione & febre detentus Dom. Morton ut ipsi medicinam faceret accersit: A datis medicamentis dolor ille pleuriticus evanuit, *febris* verò *vigiliæ* & importuna Tussis usque perseverabant: In tantum vero quandoque sæviebat, ut erecto corpore per longum spatium cum maxima violentia ægrum defatigaret, Incassum vero tentatis vel optimis medicamentis, & habito jam prognostico, expirans fere tandem medicum admonuit de deglutitis, ut ipsi visum est, clavis:

Dissecto corpore, dextri lateris thoracis cavitatem materia purulenta repletam offendimus: Pleura hic insigniter crassa, alba & putrida fuit, & membrana dextrum Pulmonis lobum investiens ejusdem indolis: In eodem lobo cystidem observavimus pure valde fœtente, & instar *meliceridis* repletam: Pulmones discolores fuerunt, & fere nigricantes utrique lateri adhærebant, & sanguine & piruitosa purulentia multum infarcti: Juxta trachæam ubique glandulas frequentes advertimus, viscida, nigricante materia obsitis, & in ipsis Pulmonibus alias insignes materia steatomatosa turgidas: In cavitate vero Tracheæ intra Pulmones, ubi se in bronchias seu ramificationes suas diffundit clavos istos duos juxta sitos, purulentia quadam obsitos & rubigine obductos, miseri hominis fati misericordes invenimus. *Eduard Tyson in Actis medicis anni 1679. Observ. xxix.*

OBSERVATIO II.

Tussis sicca & indesinens ob vitium Pulmonis; latere sinistro materia gypsea referti, costis affixi.

D. *Gendroti* Chirurgus Parisiensis, anno 1679. mense februar. aperuit cadaver puellæ triennis, post diuturnum asthma extinctæ, cum Tussi sicca indesinentique, plurimisque scrophulosis tumoribus, in pede dextro pus effundentibus; in quo cadavere nullum Pulmonis vestigium deprehendit latere sinistro, sed tantum materiam duram, gypseam, costis affixam, membrana obductam, nullius vero formæ definitæ. *Nic. de Blegny Zodiaci med. Gallici p. 96.*

OBSERVATIO III.

Tussis suffocativa à pituitâ crassissimâ magnitudine pisi inter secundum & tertium asperæ arteriæ annulum firmiter impactâ.

CUm repentinè præcluditur animanti aura vitalis, morsque inde subsequitur, sive id fiat stertore, tussi, aut aliis symptomatibus, quæ, respirationem concernunt, vulgus Medicorum catarrhum suffocativum culpat: verùm cùm talis vitæ terminus non semper ab impetu humorum ex capite in fauces, pectus, pulmonesque subito ruentium, proveniat, quod vulgò catarrhum vocamus, manifestè mihi innotuit ex observatione sequente. Annô 1669. die 26. Martii, puellula duorum cum dimidio annorum, proximè ædes meas altera filiola tubicinis electoralis N. Enter (præsente matre, sedente & nente) vegeta & sana cum sorore suâ natu paulùlum majore ludens in hypocaustô, improvisò tussi corripitur adeò validâ, ut crebrò & unô spiritu elisô, nullô verò per respirationem redeunte, misella, nunc in matris gremium irruens, nunc sub mensam, præ anxietate, se præcipitans, sanguine in vultum suffusô (licèt mater succurrens, ut mos est, tergum crebrò percuteret) moritur statim sub mensâ. Fit à matre ejulatus, accurrit ad me, enarrat plorans casum, obsecrat præsentiam, auxilium. Actutùm mulierem comitans, inveni puellam sub mensâ jacentem, vultu brunnô, strangulatæ simili, planè mortuam. Quô visô, matrem consolatus, quòd catarrhus suffocativus ita puellam sustulerit, abeo. Interea casum hunc abiens variis dubiis mente discutio, utrùm talis catarrhus desuper in fauces & pulmones ruens, spiritum omnem ad mortem usque præcludere possit, tussi existente tam validâ, quæ potiùs suffocationem reprimere quàm accersere potuisset, & annon potiùs ex pulmonibus sursum per tussim crassior quædam pituita tracheam occludere & spiritus attractionem pulmonibus denegare valuisset, quæ sanior videbatur ratio. Hujus rei ut certior redderer instanter rogavi matrem, ut filiolæ cadaver mihi in ædes meas transferri concederet, quo causam morbi per chirurgum vicinum sectione parvâ explorarem. Annuit mater; afferri igitur per famulum meum parvum cadaver, accerso chirurgum vicinum, & enarratô casu jubeo tracheam perfecare paulò sub laryngе, ut constaret an in eâ parte aliquid hæreat, quod tussis elidere non valens spiritum præcludere potuisset. Id cùm dextrè peregisset, inter annulum cartilagineum secundum & tertium sub larynge, & scutiformi cartilagine, ecce pituita quædam crassissima magnitudine pisi, eâ ipsâ in parte adeò impacta hærebat, ut summâ vi illa arctiùs imprimi non potuisset; unde puellam,

lam, spiritu sic intercluso, necessario suffocari & mori oportebat. Felici successu peccantem materiam cultro suô attigit, ut eam rectâ per medium secaret. Notandum autem quòd in hôc subjecto, aspera arteria adeò exilis & tenuis fuerit, ut cujuslibet anseris trachea eam facilè crassitie superârit, quæ causa forsan etiam fuit quò minùs frustulum illud pituitæ ex pulmonibus elisæ potuerit per laryngem in os ejici. *D. Christianus Mentzelius Miscellan. Curios. An. IV. Decur. ij.*

QUòd etiam in majori tracheâ suffocationem inducere valeant nimiæ pituitæ obdurate moleculæ, mihi non semel commonstravit, Nobilis quidam miles Gallus, qui in Asthmaris verè suffocativi curam apud me per menses duos commoratus, sæpius in eam strangulationis periodum deductus visus est, quæ verum agonem non aliâ ratione quàm morte repentinâ, finiturum, faceret: verùm inde semper liberatus est per exclusionem granuli unius pituitæ admodum obduratæ, milii semine multò sane minoris. Non itaque quantitas tantùm, sed præcipuè situs, imò & acrimonia materiæ peccantis, suffocationem excitare valet.

ANATOMIÆ PRACTICÆ
LIBRI SECUNDI
SECTIO IV.
De Pectoris, Laterum & Dorsi Dolore.

OBSERVATIO I.

Pectoris dolor & gravitas ob serum intra mediastinum conclusum, Materiam purulentam in pulmonibus.

VIDUA D. N. anno 1632. 8. April. cum paucis induta vestibus è lecto in fenestram transilisset circa mediam noctem, illico correpta est magna dyspnœa, asthmatis paroxysmum æmulante, cum tussi, sputo cruento, febre & faciei rubedine: Vocatus ego venam cubiti dextri aperiri jubeo, hinc statim spirandi difficultas quievit: post clyster laxans injectus, & julepus refrigerans exhibitus: Die 9. eam invenio febricitantem cum tussi & sputo sanguineo, tum pondus grave sentiebat in medio pectoris cum ardore interno & puncturis in variis locis: Impero s. m. ex brachio sinistro, clysteris ac julepi iterationem & pectoris inunctionem: A. V. S. statim levata & sensus ille ponderis cum ardoris sensu in thorace valde imminutus: hora quinta vespertina credens ab inferis partibus vapores & humores in thoracem transferri, quod orthopnœa illa indicabat, præscribo missionem sanguinis ex saphena, ex qua etiam melius habuit: Die x. mane melius habuit, febris & reliqua symptomata valde remissa: circa tertiam vespertinam levem refrigerationem extremorum passa, cum sudore levissimo, in pedibus & volis manuum, inde febris aucta, pulsus valde oppressus & gravitatis sensus in thorace plurimum actus: Vocatus in consilium *D. Ranchinus*, censuit affectum esse pleuritidem anteriorem ex inflammatione mediastini, & ex communi consensu missus sanguis ad ℥vij. ex brachio dextro, unde etiam melius habuit, reliqua remedia continuata, & frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ in partibus inferioribus: Die xj. morbi iij. commotus iis quæ observaveram in alio morbo ejusdem ægræ, in quo fluxu alvi tenesmode & catarrho in pectus vicissim affligebatur, ita ut quoties alvus restitaret, catarrhus graviter affligeret; & fluxu alvi redeunte, statim catarrhus cessaret, facta palindromie ad intestina humoris in pectus defluentis, censui purgationem ipsi fore utilissimam, à qua multa pituitosa, serosa, acria fœtidáque excrevit; nihilhominus exacerbatio circa vesperam rediit, ut die præcedenti, attamen pulsus non erat oppressus ut antea, & gravitas pectoris minor: sed dolorem percipiebat circa claviculam dextram, qui etiam tactu exasperabatur: Die 4. morbi, cum mane febris & dolor ad claviculam perseverarent, accessit maxima palpitatio cordis, quæ etiam apparuerat in hypochondrio dextro, tum etiam in latere sinistro, sed exiguo tempore: ac in regione cordis permanebat, & instar mallei violenter percutiebat: Cum suspicio esset vapores ferri ab utero, præscriptus clyster hystericus, cucurbitulæ in partibus inferioribus &c. Die 5. morbi mane eam inveni cum exigua febre, sine ulla pectoris oppressione aut dolore, & exigua cordis palpitatione &c. Die 9. alvi fluxus tenesmodes levis, quo pituitosa & pauca dejiciebat, & ante illum fluxum

fluxum per vomitum rejecit amara multa: Die 10. alvi fluxus minor, vespere omnino substitit, febris nulla, inde omnino convaluit: Die 29. ejusdem mensis, cum optime se habere videretur, & negotia domestica ageret, sedens in sellula, subito in terram concidit exanimis & vere emortua.

Aperto cadavere, inventum est mediastinum plenum sero sanguineo, quod forte rupta membrana versus partem superiorem pulmonis, eumque atque asperam arteriam comprimens, subito suffocaverat. Præterea inventa est pulmonis universa substantia referta materia purulenta & gravitate insigni prædita: Tum etiam testiculus sinister exigui ovi magnitudinem æquabat, colore nigricante, eoque aperto, substantia illius spongiosa, nigra & veluti gangræna affecta, visa est: imo vero statim ab apertione excidit à testiculi medio materia quædam nuclei instar, & grumo sanguinis putrefacto simillima: Inde oriri conjecimus affectus hystericos quibus erat valde obnoxia: Imo vero forsan cordis palpitatio inde oriebatur, à tetris nempe vaporibus ab ea elevatis. *Riverius cent. 1. Observat. lx.*

Observatio II.

Pectoris Dolor & ardor à Mediastini inflammatione.

Vidi Nobilem Januensem, qui cum febre acuta detineretur, ad quam inquietudo magna, ingensque sitis consequebatur, & cætera quæ febres ardentes comitari solent (in his spiratio frequens admodum & celer erat) in thorace maximum aderat incendium, unde & frigidum aërem inspirare desiderabat, & calidum spiritum resflare: Nullus in thorace aderat *dolor insignis, præterquam ad sternum, ubi angustiam & offendiculum* quoddam inspirando potius, quam dolorem persentiebat. Tussis initio sicca, quæ postea subsequuta est humida: quæ per tussim excernebantur, erant colorata, vel rubra vel flava, plurimum tamen flavi coloris, paucissima rubei: Pulsus qualis pleuriticorum esse solet, ut si dolorem lateris habuisset, certo pleuritide laborare judicassem: Hic, inquam, cum omnibus his symptomatibus teneretur, & ad oblata cæteraque omnia tamen belle se haberet, lotiaque admodum laudabilia essent coctionemque indicarent, quorum merito judicabatur ex morbo eum convaliturum, ex insperato præcedentibus nonnullis syncopis, nona die defunctus est.

Cum dubitaretur inter Medicos de morbo, & ejus amici suspicarentur de veneno, ob syncopas dictas, sectus est, in quo nulla alia re p.n. præsente, inventus est in membranis intersepientibus tumor inflammatorius satis notabilis magnitudinis, qui etiam in parte communicabatur pericardio. *P. Salius Diversus de affectibus particul. cap. vj.*

Enarrata symptomata considerans, videlicet febrem acutam, incendium in thorace, spirationem frequentem, offendiculum illud ad sternum, Tussim cum sputis coloratis, pulsus duritiem, non potui non induci quin crederem ægrotantes, in quibus talia animadverterem, inflammationem in partibus spiritalibus pati: quæ cum non esset Peripneumonia, quoniam nec aderat illa difficultas angustiáve anhelitus quam in peripneumonia adesse noveram, nec illa pulsus durities confirmare poterat: Et cum pleuritis similiter esse non potuisset, cum huic non assideret lateris dolor pungitivus: Nec etiam cor hoc pati judicarem, utpote quod incipientes fere vix tolerare possit inflammationes: Reliquum erat ut censerem membranas intersepientes pericardiumve hanc pati, quibus inflammatis necessario omnia superius dicta consequantur: Febris quidem acuta & vehemens accidit, tum ratione affectus, tum quia sedes affecta parum distat à corde, quod cum supercalefiat admodum à proxima flamma, non mirum est si etiam in thorace incendium persentiant, inquietudoque succedat maxima, & sitis aliquando inexhausta, hocque multo magis inflammato pericardio quam membranis illis, quorum membrorum inflammatio altera sæpius ob viciniam alteri communicatur: Cæterum an magis afficiatur pericardium vel membranæ, hoc ex subsequentibus habeatur: Affecto enim magis pericardio, urgente morbo syncopæ aliquæ nonnunquam contingunt, & æstuationes ingentes accedunt, quoniam inflammatio cor ipsum fere contingit; omniáque symptomata in hac sunt sæviora quam affectis membranis: Iisdem inflammatis, quoniam annectuntur & membranæ succingenti & thoracis sequitur anhelitus difficultas, spiratioque inde frequens; celer autem ratione necessitatis adaucta: Dolor autem, licet inflammatio sit in parte membranosa, non adest ita pungitivus sicut in pleuritide, quoniam hæ membranæ, sicut illa, non firmantur ad costam, vel ad os alterum, cujus merito compressa majorem petsentiat ab eo punctionem, sed est in parte laxa thoracis: nec hæ, sicut illa adeo sensatione vigent: sed offendiculum illud ad sternum tantum illis succedit, quoniam hæ partes ibi colligantur: quare & ibi inflammatio tanquam parti magis sensitivæ quoquo pacto communicatur: Tussis autem cum sputis coloratis adjungitur, quoniam cum in omni inflammatione, quæ operculo duriore non tegatur, semper aliquid resudet, ideo his partibus affectis, materiæ diversi apparent colores, & inde sputum coloratum: Quod profecto fuit principale signum quod me ad hoc judicandum manuduxit, cum viderim Galenum sputa colorata in acutis passionibus adscribere inflammationibus partium spiritalium, scil. vel pleuræ vel pulmonis: quorum neutrum cum in prædicto casu clara luce deprehenderem inflammatione affectum esse, conjeci hanc in membranis illis adesse communicata aliquando ipsi pericardio hac affectione.

Pulsus omnino durus in hoc eodem casu accedit, quia genita inflammatione in corpore membranoso, cujusmodi hæc duo sunt, necessario in arteriis talis durities imprimitur, qualis in pleuriticis videri solet: *vide pleura loco citato. Heurnius* comm. ad aph. 24. sect. 5. affert historiam juvenis ab ejusmodi inflammatione mortui.

Observatio III.

Dextra Thoracis partis dolor ab abscessu sub integumentis communibus, ad finem musculi Serrati minoris.

Eminentiss. Cardinalis Meltius septuagenarius, jam menses aliquot de obtuso quodam dolore in dextra thoracis parte ad claviculam conquestus, non simplices catarrhi, quamvis levioris, molestias aliquoties perpessus, aliquam capitis debilitatem advertit, quibus febris sociam se superaddens, 14. ab invasione de Ægrum è medio sustulit, quam convulsio pridie præcessit.

In dissecto abdomine nullum vitium notatu dignum se obtulit, nisi quod semiputridus Lien simplici attactu inter manus nostras colliquaretur, tunica à parenchymate sponte discedente: In thorace, sub integumentis communibus, ad finem musculi serrati minoris antici, inter primam & secundam legitimarum costarum, abscessus erat non ita magnus, pure pauco, albo, æquali & minime fœtido scatens, quod illæsa pleura primam costam corroserat ac transversim disruperat, sine ulla tamen coloris mutatione: Distabat hic abscessus duos digitos à confinio primæ sterni cartilaginis, in dextro latere: Dum vixit, in cute nullum hujus abscessus indicium, etiam diligentissime intuentibus apparuit: Pleura sana, pulmonis tunica abscessui propior fibris pleuræ adhærens, callo obducta erat: Pulmonum substantia pure referta: In superficie Cordis vesicula erat: In dextro ventriculo Polypi duo, tendinibus mitralium valvulatum implicabantur, digiti minoris crassitie, quorum unus è fundo ventriculi in venam arteriosam ramos aliquot spargebat, alter in venam cavam: E sinistro ventriculo alii duo prodibant variis fibris annexi valvulis tam tricuspidibus quam semilunaribus: major in arteriam aortam justo ampliorem ad octo digitos excurrebat: Non tam frequentes alibi ac hic Romæ vidi Polypos cordis: In arteria aorta plurima apparuerunt ossis rudimenta, qualia etiam in sigmoideis fuere valvulis: sparsa erant hæc frustula ossea hinc inde per arteriam ad distantiam trium à corde digitorum: Cranio aperto, plusquam libra seri renuioris, inter duram & tenuem meninges, diffusa videbatur, quo turgida pia mater solitam crassitiem quater superabat: Eodem sero, sed rubicundiore, ventriculi cerebri erant referti. *Henricus à Monichen Centur. ij. Epist. xxvij. Bartholinus.*

A*D sternum ubi angustiam & offendiculum*) Arn. Boeotius Tractatu de affectibus omissis cap. 11. meminit cujusdam doloris ad sternum, ab humore peculiari membrana ibi concluso, cujus affectus integram διαγραφὴν afferre libet: *Unum alterumque in Hibernia* notum habui quos in superiore sterni parte dolor vexabat, non sævus nec asper, sed pertinax ac diuturnus, & qui intermitteret quidem quotidie magnam diei partem, ita tamen ut semper aliquis molestiæ sensus superesset: Non faciebat difficilem respirationem hic dolor, nec tussim habebat comitem, magna tamen inspiratione ac profundis suspiriis aliquantulum exacerbabatur; uti & subita ac magna corporis resupinatione, capitisque ad dorsum reclinatione nec non pandiculatione, præsertim si utrumvis istorum post magnam corporis antrorsum ac deorsum inclinationem fieret; quibus rebus efficiebatur etiam ut molestiam illam, intermissionis tempore residuam persentisceret, quum alioquin ea penitus fere obliterata lateret; Fixus uno semper in loco perseverabat, interdum tamen in proximas pectoris partes ac versus axillas sese propagabat: Judicavi dolorem hunc provenire ab humore qui inter membranam peculiarem [illa enim toti thoraci communis, Pleura seu succingens dicta, à sterno longius recedit, dum mediastinum constituit] atque ipsum sterni corpus qua cavitatem thoracis intro respicit, impactus erat, haud magna copia, nec valde acris aut malignus, biliosus tamen, utpote in vigore ætatis, servidiore temperie, ictero aliisque à bile morbis admodum obnoxio, ac sæpius multumque iis infestato: Conjecturam hanc firmavit eventus atque ipsa curatio, peracta præcipue cholagogis, mitioribus quidem, (cùm corpus picrocholum ac raræ texturæ vehementiora non sustineret) sed aliquoties iteratis: quum aliquantum contulissent etiam fotus partis ex anodynis ac relaxantibus, & gestatio emplastri ex olibano, cera virginea, ac pice Brutia, quam Burgundicam vocant, cujus egregia vis est ad cujusque modi humores acres ex alto blande evocandos & sensim dissipandos: Puto humorem, qui istum dolorem fecit, non eundem semper perstitisse, sed naturali calore victum, occulta diapnoe sensim absumptum fuisse, relicta duntaxat exigua portiuncula, à qua in mediis etiam intermissionibus nonnulla vellicatio semper superesset, ac cui alius de novo humor se associans, (transmissus aliunde in partem debiliorem, ut solet, exonerante se natura) dolorem toties repararet.

Observatio IV.

Pectoris dolor à Pericardii & Pulmonum phlegmone & suppuratione.

Jacobus Ruanus agricola, annos natus 45. plaustri fœno onusti eversionem ruinamque in se passus, de Punctorio, simulque gravativo doloris sensu in pectore, nec non de quadam cordis compressione & spirandi difficultate conquestus est: Thoracis vertebræ, quæ citra ullam costarum fracturam contortæ & subluxatæ conspiciebantur, levi negotio opera Chirurgi restitutæ fuerunt, ipseque æger post quatriduum adeo levatus, ut ad consuetos labores redierit: Verum aliquot elapsis diebus ardente febre conflictari cœpit, cum asthmate, deliratione, vigiliis perennibus, siti maxima, genarumque rubore & leipothymia sibi mutuo succedentibus, ita demum 11. morbi die (cùm præsertim à vini usu, conjugis indulgentia non abstinuisset) vitam finivit.

Aperto cadavere, id inprimis rarum innotuit, Pericardium scatens pure copioso, cui velut immersum cor, magna sui parte, ad utramque potissimum auriculam, partim exesum, partim etiam marcidum visebatur, quinimo contagium supernam sinistri ventriculi regionem jam invaserat: Insuper & ab ipso corde, dum Chirurgi manibus comprimeretur, saniosa quædam materia exilit: Pulmo ejusdem labis particeps, aliis interim visceribus & statu naturali patum immutatis. *Fabritius Hild. cent. 11. observ. 27.*

Observatio V.

Agitatio & Pectoris dolor à Cysti maxima liquore cremori simili plena; à sinistro humero ad extremum lateris dextri diaphragmatis extensa &c.

Puella Rumburgo Suffolcienfis 13. circiter annorum, abhibitis medicamentis chalybeatis contra Leucophlegmatiam seu chlorosin, remissionem quidem sensit morbi, sed post multum laborabat obstructione flatuum: Ab anno 16. ad 22. semet summopere affligebat, ob obitum parentum & corruptos mores Fratris: Interea singulis annis uno duobusve morbis acutis laborabat: Anno ætatis 18. languida admodum erat, obstructo thorace & melancholica; domo fortasse egressa tempestate ventosa, cogebatur domum properare, parum enim abesse aiebat, quin vento strangularetur: Ægre admodum & lente ambulabat, magna cum difficultate ascendebat in montes, vel per scalas in contignationes superiores; Tum observabatur magnopere premi siti, cum soleret bibere cubitum itura; necnon aliquando noctu, nisi vellet, ut ipsa ajebat, siccitate suffocata perire: Inter annum 21. & 22. ætatis suæ descendens de scalis, persensit horribilem agitationem in pectore suo, quod tum aliis in eadem domo significabat, monstratoque illis modo agitationis illius motu corporis sui, secum omnes in admirationem ejus accidentis pertrahebat, qui judicabant (prout plerique omnes ex fremitu judicabant) Pectus ejus totum fere aqua esse repletum: Utebatur variis medicamentis sex circiter menses, sine sensu remissionis morbi: Dimidio post anno, initio Autumni, levi frigore affecta, tantam passa est obstipationem, ut nihil nisi mussitare valeret, nec poterat prostrata cubare, sed sedebat ad angulum obliquum suffulta cervicalibus: Ego accersitus, extemplo venam secari curabam, cum phlebotomia sit remedium procurandæ liberiori circulationi & spatio extricando quo natura semet exoneret: Intra unius horæ intervallum spiritum recipiebat, pristinamque conditionem recuperabat non multo post: Asserebat se nunquam sudasse, neque ei sudorem elici potuisse per vulgaria sudorifica: desiderio remedii empirici præscripsi pilulas Malthæi, quæ illi facile sudorem eliciebant, ultra memoriam ejus: Singulæ quotidianæ dozes pilularum Lockieri quaternarum, agitationem illam in pectore removebant, ut ajebat, deorsum magis diaphragma versus, cum metuens hypercatharsin pilularum usum ad duos tresve dies omitteret, & deinde denuo reiteraret, nulla ulteriore agitatione per illas inducta: Nunquam sinistro latere prostrata jacere poterat: Anno 23. ætatis, tempore Brumali, periculosa laborabat Febri, comitata Diarrhœa, sed convalescebat: Anno 24 hyeme rursus frigida, Gravedo illi totalem obstipationem inferebat, & post quinque sexve dies convulsionem patiebatur, antequam vena ei secta fuisset, per negligentiam familiarium ejus: Sera nimis phlebotomia statim passionem levabat, ipsa vero vesperi quidem hilaritate perfruebatur, at postridie illius diei moriebatur: Ipsa adhuc vivens, ejusque consanguinei, permiserant mihi corporis mortui sectionem, quam etiam perfeci.

Quamobrem primo os pectoris seu sternum diffindebam, à cartilagine ensiformi usque ad collum: Ibi tum cavitate thoracis exposita, evaporabat primum fœtor olidus admodum, non obstante rigido gelu temporis illius, quod erat circa Natalitium diem Salvatoris nostri: Deinde ubi viam parabam, exponendo utrique lateri sterni, cum stupore videbam,

bam, (ut præsenseram, totam fere cavitatem thoracis superius vacuam, cadavere supine jacente) & inferius nonnisi crasso lacte repletam. Sed ulterius investigando comperi tantum dextrum latus Thoracis integrum, & tertiam circiter sinistri partem ita se habere: Extendebatur in parte collum versus latitudine palmæ, & excurrebat in crassitiem digitorum trium, ad dextrum latus mediastini: Liquor cremori similis erat, vel potius glutini albi Hispanici, seu cerussæ distinctæ flavo, instar colostri: Immisso enim cochleari extrahebam ex fundo spissam, limosamque materiam, simillimam cerussæ, quæ subsidit in fundo glutinis: Quantitas erat circiter trium pintarum, continebaturque in sacculo, qui illius duplum & amplius capiebat: Sacculus porrigebatur à sinistro humero ad extremum lateris dextri diaphtagmatis, non directe in longum, nec firmiter extensus, sed ad palmæ latitudinem ab ortu directe descendebat ad diaphragma, cum quo in longitudinem occurrebat. Cutis seu pellis ejus crassior erat pelle stomachi, ejusque capacitas amplior quantum flexuræ costarum illi adjacebant, & componebant plusquam dimidium circumferentiæ: Ubi adhærebat diaphragmati, digitum fere crassa erat: & in loco quodam, in quo separare eam conabar à diaphragmate, offendebam tenuiorem sacculum, unde effluebant duo triave cochlearia aquæ puræ, quæ qua via eo penetrasset, invenire haud poteram: Mediastinum vel totaliter fuerat absumptum, vel intextum in crassitudinem Sacculi, quod observabam accidisse in pleura, quousque sacculus pertinebat. Porro sacculus ille solutus & remissus jacebat ab axillari sinistra ad Pectus, cùm ante fuerit repletus aut distentus vel vento vel liquore. Tota cavitas erat inquinata circumcirca agitatione liquoris instar algæ limosæ quæ æstui maris est subjecta: Lobus ille Pulmonum qui debuerat extitisse in latere dextro, perierat totus; dexter autem tertia fere parte mutilus erat; In ventre inferiore omnia se recte habebant.

Doctor *Brown* ait se offendisse simile quid in Authore Italico; Ipsi erat sententia fa... andi eam: Ego meditabar Paracentesin: nam ex fremitu liquoris, & eo quod non posset sinistro latere cubare, concludebam quod esset cystis in dextro: Sed si id factum fuisset, sacculo nimis crasso existente, mors forsan insequuta fuisset, Agitatio simillima erat agitationi aquæ vel lactis: Hæc femina plano pectore instar maris prædita erat: Quæstio est, an liquor pro essent ex delapsu chyli ab axillaribus, quod videtur alia ratione probabile: *Observ. Nathanaelis Fairfax in Actis Philosoph. Societatis Anglicanæ an. 1667. p. 233. & seqq.*

Observatio VI

Pectoris dolor ab angue in lævo cordis ventriculo contento.

§. 1. Nob. Anglus, nom. Joh. Pennant, annos natus 21. die 20. Nov. 1639. fato functus est Londini: Hic adolescens totis tribus ante obitum annis perpetuo conquestus fuerat de *Pectoris insigni dolore ac gravitate in sinistrum latus divergente.*

Aperto post obitum corpore, repertus est in ipsius cordis lævo ventriculo anguiculus, cætero quidem corpore apprime candidans ac lucidus, capite vero rubro: cauda bifurcata erat, singuli autem caudæ rami quadripartito rursus visebantur dirempti: *Zacutus Lusitanus Praxis admir. lib. 2. observ. 140. ex communic. Clariss. Dom. D. Caroli Sponii Med. Lugdunensis, Vice-Decani Excellent.*

§. 2. Hic producitur historia monstrosi corporis, quod in sinistro cordis ergastulo creatum ac fotum aliquandiu, mox conditorem alumnumque suum quacunque fera ferius misere perdidit, cujusque historiam ex Anglia nobis cum incone transmissam tibi B. L. ob oculos prius proponere libuit: Londini in Anglia anno 1637. Eduardus Maii, Vir in Medicinæ arte undique conspicuus, Johannis Pennant vita functi ætatis anno 21. cadaver magnis impellentibus causis aperire voluit: adscitoque sibi primi nominis Chirurgo, sectionem aggressus est à regione naturali: Vesicam ulceribus plenam &c. invenit: Tum ad vitalem regionem accedens, altius omnia scrutabatur, & in Pulmonibus quidem minus læsionis apparuit, cor vero globosum & in latitudinem magis quam in longitudinem deductum, cujus dexter ventriculus cinerei coloris, exinanitus, crispatus, contractusque ad crumenæ coriaceæ formam repertus est, absumpto penitus pericardio: Sinister vero longe altero major atque in lapidem obduratus, ex quo inciso tanta vis sanguinis effluxit, ut toto ex corpore ad sinistrum illum cordis ventriculum confluxisse credi potuerit: Verum fide majorem partis illius crassitudinem ac duritiem admiratus eximiæ vir peritiæ Eduardus, ejus orificium latius aperiri jubet: Inde (mirum dictu) carnea quædam substantia, in gyros collecta, serpentem referens, sese oculis objecit, cujus formam sequens figura repræsentat: Serpentis deinde extensi dimensiones & partes ex altera figura cognosces, monstri hujus memorandi color omnem humanorum corporum albedinem excedebat: pellis etiam nitens more imaginis recens illustratæ: caput sanguineum & serpentino simillimum; crura rami, fibræ, nervi, chordæ, vel quicquid fuerint, carnis omnia colorem referebant: In

re tam

re tam nova adeoque obstupescenda vix sibi credens Eduardus, ne vel sibi, vel aliis de ejus veritate dubitandi locum relinqueret, suspicatusque ne sanguinis concreti, aliusve alterius rei species aliqua oculos veluti præstigio caperet, rem exploratus inquirere aggressus est, quare attentissime omnia circumspexit, caput dorsum cæteraque diligentius scrutatus, omnia serpentis reperta sunt: caput densam, sanguineam, glandulosam substantiam præ se ferebat, collum (ut credidit) ex violenta à corde separatione aliquantulum contusum, corpus muliebri tenuique capillotum discerniculo tentatum solidum visum est, venam tamen vel arteriam habere videbatur, quæ ad naturæ beneficium serviret: Quæ omnia fidelissime, ut coram testibus bonæ famæ, acta sunt, ita narrantur. *M. Aurelius Severinus de Abscessibus p. m. 281.*

Compertum est, quicunque sit ortus rerum alienarum nostro corpori, in hujus sinubus præcipue non obscuris neque exilibus fieri, nimirum in quos aut affluere aut congeri facile potest, ad generationem accommodatæ: Adde quod in hisce locis scatet vagaturque plurima spirituum copia stabili naturæ lege, quam annotavit ocularius Galenus alicubi: Respondentibus igitur & subjectæ materiæ numeris & effectoris viribus in loco, præsertim congruo, & naturalibus illiciis fœto, reliquum est subinde ut prodeat existatque fœtus; vivens inquam species, non tantum vitæ expers: sic in alvo ascarides; in utero non insolenti ritu monstrosa corpora, quæ quidem procreationes sunt ferme frequentes: Cæterum infrequentioris ordinis visuntur, & quæ in cerebri latebris, & quæ in auriculis gignuntur bestiolæ, & quæ in manibus citones, & in cruribus dracunculi vocati antiquitus: Videntur autem maxime ex putri, aut ad putrem accedente materia hac exoriri: quanquam hanc subputrem affectionem adeo exilem judico sæpe, ut aut non sentiatur interdum, aut interdum etiam facile feratur à complectente particula præsertim robusta: Nota autem sunt quæ retulit Joh. Schenckius ubi de corde: notum quod protulit Hollerius de Scorpione orto in sinu cerebri: notum quod arbitrati sunt nostri scriptores de atheromatum materiebus diversis. Porro materia universa, ex qua principio mundus conflatus est, respondentes varii generis portiones, atque segmenta in uno homine studiose natura parens complexa est, nimirum & qui toto rerum ambitu nunquam intermittente visuntur nutu suo generationes & motus, hos omnes in parva universitatis imagine mentium excitandarum excolendarumque gratia, quotidianis ferme spectaculis exprimeret atque referret; ut non mireris jam, præsente semper materiæ multiplici fornice, tam varias extare vicissim novarum rerum facies in humano corpore: an enim ullo rerum apparente seminio subito creandi usu deses & otiosa, futura sit potestas, cui producendi atque nascendi libidinem & propensionem unam si detrahas, neque etiam nomen reliquum sit.

Nunc audi, M. Hougthon, quod hæc expendentibus suasit ratio nobis: Cum ad sententiam corporum genus communis omnium calculus facile referat hujusmodi καρδιόγονον fœtabulum, hoc equidem in vegetabilium categoria repono: Rationabilius autem est his accenseri quæ depressioris & inferioris sunt ordinis corpora, horum quippe tum proclivior, tum facilior est generatio quam perfectiorum, in quibus quippe procreandi & plurium & majorum requiritur vis: Deinde, naturæ pugnantius est animal dignissimo visceris throno inseri, sedatum, & immobile minus molestum: Tertio forma & figura bifida, & in plures postremo soboles diffissa, recte quidem vegetabili adæquatur, inepte angui; qui monostylos i. e. simplicis & unius est ductus: Itaque si defixeris humo caput, vel radicem, rectius meo judicio fungum sublato trunco, & assurgentibus hinc atque inde ramis, qui in surculos plurimos finiunt, sic apparebit phyteuma planum, at me ineptum futurum etiam est hoc non solum, si nos arbitrarium illum situm extra cordis systema paremus; verum etiam eundem ipsum natura inditum in cordis claustro comperies, qui adverteris radicem non alia, prætorquam basi visceris parte inhæsisse, quæ basis inferiori mundi loco, hoc est, terræ respondet, maxime si id spectes quod homo stirps est inversa: Præterea vero inani corpore conflatum sit hujusmodi concrementum (id quippe ostendit intrusa in ultimum trunci diremptum, dirigente manu, virga) haud videtur sane ista vacuitas animantis cujuspiam esse; Verum enim vero propria est plantæ, ex quo genere novimus à trunco ad ramulos inanes nonnullos, ut fœniculi, sionis, cardui cujuspiam: Denique anguis omnis stabili quadam naturæ proprietate à crassioribus & capitis & ventris initiis minoribus perpetuo momentis in exiliora tenuatur; contrario vero modo stirps quæcunque, ab exilibus exorta fibris, perpetuo in spatia latiora divaricatur, atque plantæ modo non anguis sane procedit ejusmodi germen: igitur plantæ potius quam anguis & credendum & nominandum est istud. Quas ob res pace primi observatoris, quem virum de hac edita re plurimum laudo, quod anguem indigitemus, quod φυλὸν debeamus vere? an quod magnificentius est anguis nomen quam plantæ? sed non curant, aut aspernantur potius Philosophi: Verum enimvero, sit animal, sit planta, non multa refert; dummodo τὸ λόγον ejus & ideam teneamus: hæc autem assignari latentibus sic hujus rei principiis & causis vero non potest: Verum quod divinare in tanta rerum caligine licet, amico privatim dicam, Erucatus è dextro cordis sinu, per magnam venam limus sanguinis, & mucida pituita in alterum ventriculum, atque hic satis collectus, dum putrescit, à calore vivido sinistri lateris agitatus & fotus, in eam quæ tenacitatem materiæ sequitur, formam traductus est: Neque enim in Anatome nova sunt hæc, Sed & mihi plus semel inventa in ventriculis cordis vaginæ prælongæ productio: Testes mihi Rev. Neapolitani P. N. qui à me dissecto in corde P. Menenini, ex hydrope mortui, viderunt vaginulæ subflavæ concrementum, quantum tota ascendens cava reciperet. Hæc sunt quæ mihi super hac re meditari licuit &c. *Idem.*

Serpentem referens) Sæpe vermes intra pericardium gigni tradit *Richardus Louver*, *Tract. de corde* cap. 2. Signa ait esse ejus tremorem, pulsus intermissionem, dolorem pungentem & syncopen: Remedia proponit Cataplasma è foliis cinaræ, tanaceti & absynthii vulgaris, aceto vini albi acerrimi incoctis, & cum pauco mithridatio mixtis; quod regioni cordis bis applicarum animalium carervam dissipavit. *Vide Tit. de Palpitatione cordis ex Hartmanni Praxi chimiatrica.*

Observatio VII.

§. 1. *Pectoris Pulsativus dolor ab aneurismate arteriæ venosæ.*

ANeurisma vidi arteriæ venosæ, quæ in eam amplitudinem distenta erat, ut manum in pugnum complicatam capere potuerit: Tunica autem illius interna ossea evaserat. *Pareus lib. 6. cap.* 28.

§. 2. Nos similem casum ante duos annos in hac urbe vidimus, nempe Aneurisma in pectore, ex arteriæ dilatatione, quæ pueri 15. annorum pugnum recipere poterat: Tunica vero arteriæ cartilagineam crassitiem ac duritiem acquisierat. *Lazar. Riverius Pract. lib.* 11. *cap.* 5.

Observatio VIII.

Pectoris gravitas, cum fluctuationis sensu, ob hydropem Pulmonum.

NOs binos tractavimus Pulmonum hydrope laborantes, in quorum thoracis cavitate, dum se hinc inde moverent, aqua commota sonitum edebat qualem in utre agitato fieri observamus: hæc quoque in dies sensim & sensim per universum corpus disseminata est ac dispersa, ita ut primo abdomen & facies, mox coxæ & crura pedesque in maximam molem excreverint: Altera mulier fuit B. *Lancini* uxor: alter vir F. del Reame dictus, qui ambo nullis proficientibus auxiliis interiere: *M. Donatus histor. mir. lib.* 3. *cap.* 9.

Observatio IX.

Pectoris dolor à variis Pulmonum & Thoracis affectibus.

§. 1. NOb. Mulier à suppressis lochiis in Pectoris dolorem & gravitatem incidit: Pulmones toti purulenti sunt inventi, cum sacco juxta claviculas pure referto. *Vide tit. de Phthisi.*

§. 2. Gasparus N. post multas ægritudines sensit dolorem pectoris ad pulmonem dextrum: Pulmo dexter parvus, ad jugulum erat retractus, & pleuræ ad claviculam connexus. *Vide lib.* 3. *tit. de Hypochondr. tumore.*

§. 3. Illustr. N. diu languidus fuit cum tussicula & Pectoris oppressione: Pulmones citra ulcus summe graves erant, qui stateræ impositi ℥lxxx. pondus exæquarunt, ob humorem lutulentum in iis conclusum. *Vide tit. de Phthisi.*

§. 4. Post sanguinis sputum in φθινώδει corpore, ingentis in dextro pulmone ponderis sensus animadversus: Aperto mortui thorace, dexter pulmo tumidus, adeo ut totam illam impleret cavitatem: Eo inciso sanguis crassus effluebat &c. *Vide tit. de Phthisi.*

§. 5. Illustr. N. febre affectus fuit cum tussi & Pectoris gravitate quadam: Pulmones fuerunt inventi tumentes & pravi coloris. *Vide lib.* 4. *tit. de Febribus.*

§. 6. Illustr. febre corripitur cum dyspnœa, tussicula, & Dolore universi thoracis superioris: Pulmo insigniter tumidus & quodammodo exesus repertus, in iisque unus humor albus, tenax & purulentus. *Vide tit. de Febribus.*

§. 7. Vir Rever. febre assidua prehenditur cum dolore sinistri lateris & dorsi: Reperta corruptio pulmonis in parte sinistra versus dorsum. *Vide tit. de Febribus lib.* 4.

§. 8. Vir. Illustr. febre assidua prehensus cum tussi, dolore non ita intenso ad mediam thoracis partem vergente: &c. Pars dextra pulmonum fuit inventa corrupta, Et ejusdem lateris Pleura male affecta. *Vide tit. de Febribus.*

§. 9. Nob. N. cum febre incidit in pectoris angustiam, dyspnœam: Pulmones sanguine crassiori scatebant, Extremæ eorum partes induratæ. *Vid. tit. de Febribus.*

§. 10. Rev. P. febre assidua prehenditur cum sensu gravitatis thoraci incumbentis &c. Inventa est altera pulmonum pars aucta in magnitudine, ut quadruplo major esset altera, & durior: è qua secta multa aqua fœtida exiliit. *Vide tit. de Febribus.*

§. 11. Puer Rossaliis affectus de pondere intra Pectus conquerebatur cum stertore: Tota pectoris cavitas aqua citrina referta Pulmonesque lividi erant, gangrænosi &c. *Vide ibidem.*

§. 12. N. Cursu fatigatus & calefactus, copiose bibit, hinc sensit dolorem thoracis circa sterni dextram partem, &c. Dissecto sterno, inventus pulmo dexter totus scirrhosus, adnatus diaphragmati, pleuræ &c. *Vide tit. de Phthisi.*

§. 13. Ca-

§. 13. Cadaver sectum in quo thoracis cavitas plena sanguine concreto, In pericardio plusquam mensura puris, Tota cordis superficies absumpta, Hepar maximum. *Vide tit. de Dyspnœa.*

OBSERVATIO X.

Dolor circa mammam dextram vitio jecoris lapidibus obsessi ortus.

IN Friderici Clegeri, diuturnis doloribus circa mammam dextram vexati, Hepate viginti quinque lapides deprehensi sunt, quorum minimus æquabat fabam: pondus omnium unciæ duæ & drachmæ tres, forma saxum cornutum rufum, (vulgo *rother feurstein*) referebant, duritie vero smiridem. *Turneiserus.*

SÆpe cacochymia imo ventre concepta, & obstructio hypochondriorum dolores facit, qui maxime apparent & proferuntur in pectore ob consensum diaphragmatis, & quia in thorace communis est membrana & lateribus & diaphragmati parte convexa: Sic in iis qui affectioni hypochondriacæ obnoxii sunt circum mammas & sternum & latera dolores surgunt: Sic initio paroxysmorum & in specie incubi, & contumaci obstructione viscerum, oriuntur dolores in thoracis partibus: In iis excitandis maxime valet illud quod dicitur totum corpus conspirare ac confluere, ut sæpe dolor alia in parte excitetur quam ubi causa prima sit: An statim in ejusmodi doloribus ad sanguinis missionem recurrendum, quod plerique faciunt? Nequaquam; ostendit enim experientia si vel cholera morbus succedat, vel alvi fluor, solvi ejusmodi dolores: Ergo potius de evacuatione cogitandum per purgationem, & de apertione obstructionum. *Ballonius.*

OBSERVATIO XI.

Pectoris dolor ob ventriculum fæcibus & flatibus distentum.

VIrgo febre maligna afflicta, in Pectore & hypochondrio sinistro maximum sentiebat dolorem æstum; nulli lateri incumbere potuit: mortuæ ventriculus mirum in modum copia, tum fæcum, tum flatuum inflatus erat ac tumidus. *Vide lib. 4. tit. de Febribus.*

ILlud observandum in affectibus hypochondriorum (ne similitudinis errore decipiamur) quod in thorace dolores sentiuntur, ac si pleuritidis argumenta aliqua forent: Et ignari Medici ad remedia male confugiunt pleuritidis, cum dolor iste per hypochondrii sympathiam oriatur: *V. de histor. lib. 2. consil. 9. Ballonii.*

OBSERVATIO XII.

Dolor ad Pectus ob Renum vitium.

VIdua N. sæpe nephritica erat, Dolor ad Pectus, Ren sinister obsessus erat lapide exigno; in magnam molem undique increverat: adæquabat renem bubulum magnitudine; Dexter admodum parvus. *Vide lib. 4. Tit. de Febribus.*

OBSERVATIO XIII.

Pectoris dolor & scapularum à flatu viscera extendente.

LUdov. N. viscera omnia vento plena conspeximus, quo cum in monoculo affligeretur, dum pars parte premitur, exitu negato hinc inde, non solum viscera & pectus, sed scapulæ etiam incredibili extendebantur dolore. *Vide lib. 3. tit. de ventris dolore.*

OBSERVATIO XIV.

§. 1. *Pleuritis sedem aliquando in sola pleura habet non coaffectis Pulmonibus.*

PLeuritidis (quoties morbus primarius, & solitarius existit) sedem in pleura, seu membrana interna costas succingente consistere, tum doloris sensus, tum observationes anatomicæ Pleuriticorum defunctorum habitæ plane testantur. *V. Willis Pharmac. rat. lib. 2. sect. 1. cap. 9.*

§. 2. Videmus in Pleuriticis cadaveribus Pleuram syderatam decuplo crassiorem, Ergo in se morbum continebat, Non inficior posse communicari Pulmonibus & Pleuritidem degenerare in peripneumoniam. *Riolanus Encheir. Anat. lib. 3. c. 4.*

NOn inficior posse communicari) Vulgaris observatio est Peripneumoniam sæpenumero pleuritidi succedere aut supervenire: Super hoc opinari ducor Peripneum. & Pleuritim affectus esse modo singulares & separatos, modo connaros & primitus coexistentes; & modo invicem successivos aut succedaneos esse: Enimvero causa procatarctica in actum concita, adeo ut sanguis lentescens simulque effervescens vasa minora alicubi obstruat, morbi nidus interdum in pleura, aut pulmone separatim, quandoque in utrisque simul, & nonnunquam primo in hoc, & denique in illa defigitur: plerumque vero pleura imprimis salutata, mox eadem causa morbifica etiam vasa pneumonica invadit: Porro novimus diversimodam hujus affectus metastasin, cum vid. 1. latus dextrum, vel sinistrum, mox eo relicto pulmones, & dein utrisque desertis occupasse cerebrum, & non raro sedem inde in priora loca transtulisse; Cæterum ob rationem prædictam Peripneumonia, non rantum pleuritidi, sed frequens etiam anginæ, & aliis interdum affectibus succedit: quippe dum sanguis lentescens, simulque effervescens, febrem in toto continuat, obstructionem phlegmonoden hinc illuc varie transfert: Atque hinc observationis istius, vid. quod peripneumoniæ interdum paralysis, aut hemiplegia lethalis succedat, solutio, quæ interpretes ita plurimum torsit, liquido patet, in quantum sanguis, qui lentescens modo vasa pulmonica obstruxit, postea vasorum plexus quosdam carotidas infarciens, spirituum animalium in hac aut illa ἐγκεφάλου regione genesin, indeque in partes nerveas respectivas affluxum inhiberet: *Willis ibidem.* Utriusque affectus eadem procatarxis, vid. sanguinis ad lentescendum, simulque effervescendum diathesis: quinimo eadem causa conjuncta est, nempe vasorum alicubi minorum, ob talem sanguinis dispositionem obstructio phlegmονώδης: Porro à Medicis plerisque neotericis ad utrumque morbum eadem præscribitur medendi methodus: potissima discriminis ratio, qua ab invicem distinguntur, à locis affectis, quæ nomina eorum denotant, desumitur: Enimvero sanguis, ad obstructionem inflammatoriam alicubi acciendam prædispositus, morbi nidum ideo sæpius in corpore defigit; quoniam hic propter incendii vitalis focum, immanius eflagrat, ac insimul effluviis vaporosis; aliisque recrementis, quæ circulationem præpediunt, minime liberat: Quibus accedit, quod regione hac clausa sanguinis compages, per ductus angustiores transitura, non uti in visceribus imi ventris, aut fermento quopiam reseratur, aut succo aquoso recens diluitur: itaque si forsan cruor der arterias vertebrales in membranam costas succingentem provectus, in transitu suo circa vasorum angustias aut intercapedines hærebit, affectus, de quo nunc agitur, succedet: Pariter si quando intra ductus Pulmonares obstructio contingat, Peripneumonia excitabitur. *Willis ibidem.*

§. 3. Observatum fuit in Pleuriticis post mortem apertis Pleuram adeo intumescere ut decuplo solito sit crassior, & propter νέκρωσιν hujus membranæ costæ livent: Propterea scripsit Hippocr. cadavera pleuriticorum dissecta apparere fulgurita, quod de partibus internis thoracis est intelligendum. *Riolanus Anthrop. lib. 3. cap. 5.*

PLeuram adeo intumescere) Quidam dicunt eam adeo attenuari in pleuriticis, ut vix conspici queat: Duplex autem est ubique, ut inter duplicaturam vasa ferri queant: Inter eas membranas sæpe materia pleuritica colligitur, nec tantum inter pleuram & musculos: Galenus simplicem facit, duplicemque tantum circa mediastinum admittit: Duplicaturam illam de crassitie interpretatur *Riolanus*, non sine laceratione demonstrandam: Contrarium in pleuriticorum tumido latere est manifestum. *Bartholinus Anat. Reform. lib. 2. cap. 4.*

Quod de partibus internis) Latus lividum, (vehementis pleuritidis reliquias,) vidi in viro 30. annor. Fabro Sclopetario, anno 1638. propagata phlegmone ab internis partibus ad externas: alias si exteriores partes solum inflammatæ fuissent; vix fuisset pleuritis lethalis.

Decuplo crassior) Enormis illa crassities satis ostendit solitariam posse inflammari: *Platerus* tumidam vidit à scirrhoso tumore; Callosam in hydrope pulmonis *Fallopius*: Si autem vasa habet, arterias & venas, quin & costarum periostium (quod innumera venarum serie conspersum esse ait *Riolanus*) cur phlegmone non tentabitur illæsis pulmonibus?

§. 4. Quod in plurimis ex Pleuritide interemptis pulmo affectus inveniatur, inde concludendum non est semper ita contingere; nam pleuritides vehementiores, quæ mortem inducere consueverunt in peripneumoniam ut plurimum degenerant: Sed plurimi testantur, & nobis etiam experientia compertum est, in multis pleuriticorum cadaveribus, solam pleuram corruptam & putrefactam inveniri. *Laz. Riverius Pract. lib. 7. cap. 2.*

PLeuritidis solitariæ non coaffectis Pulmonibus, indicia dant tussis absentia aut raritas, & excreationis; vehementia vero doloris insignis: Talem observavi mense Julio anno 1676. in Generosiss. Nobili, Dom. de Fetnex, Illustr. Gulielmi Budæi Pronepote: Adeo acutus urgebat dolor, lancinans pectoris partem dextram infra mammam, ut anhelus leipothymiam frequenter incurreret: Intra triduum malum desiit thermasmatum usu, fotuum scil. ex lacte vesica incluso, & cataplasmatum ex malva, alth. flor. lilior. alb. chamom. utr. melilot. sambuc. hyper. parietaria, semin. lini, fœnugr. lacti incoctis, addito croco: Iterata est potio ex oleo amygdal. dulc. syr. papav. errat. & albi; aqu. taraxac. atriplic. papav. rhæad. card. S. & Mariæ, additis pulv. ex mandibula lucii, oculis cancri & flor. ejusdem papav. Toto vero morbi decursu nulla fuit tussis neque anacatharsis: In pertinacia doloris parti dolenti siccam cucurbitulam admoveri curassem; præcesserat autem sanguinis missio, qui purus & incorruptus prodiit absque levamine. Complicatæ cum peripneumonia pleuritidis,

sed in

seu in qua extima tantum membrana pulmonum affecta fuit, recentissimum babeo exemplum: Aprilis 10. 1678. Dom. la Tour Sedanensis, insigni vomitu materiæ biliosæ corripitur, succedit immediate dolor punctorius sub mamma dextra, comite tussicula, sed sine febre; Pharmacopæus accersitus venæ sectionem imperat, quam superveniens inhibeo, ac acrem clysterem præscribo, à quo plurima exclusa bilis: Pergente dolore sanguinis missionem concedo ad ℔j. qui putris omnino; mane sequenti ad eandem quantitatem educo, paulò minus impurum: postridie rantundem, cujus pars prior exiens corruptionis notas adhuc dabat, reliqua purum sanguinem exhibuit; quo emisso julepum antipleuriticum prabui, hinc sedatus dolor, tussis cessavit; at paucissima diei spatio per anacatharsim exclusit: Interim totus, cataplasmata admora; Intra sex dies morbo omninò defunctus est.

§. 5. Scio in Archihospitali Sr. Spiritus, ad quod pauperes ex Romano agro curandi afferuntur, quotidie observari cadavera pleuriticorum, in quibus latus læsum & corruptum reperitur; cujus rei plures & ego oculati testes sumus: *Prosper Martianus comment. in versum 261. lib. Hipp. de loc. in homine.*

Zecchius in appendice ad consul. 26. ait se in sectione demortuorum eorum qui Pleuritide petiisse judicati, non membranam succingentem inflammatam, sed pulmones cum sua membrana laceratos & corrosos observasse: hac experientia nixus; & loco Hippoc. lib. de loc. in homine, *Quum ambo latera doluerint, reliqua autem similia velut in priore fuerint, hac quidem Peripneumonia, illa verò Pleuritis &c.* asserit pleuritidem omnem Pulmonis inflammationem esse: Et hæc apud ipsum tanti fuere ut cætera omnia Hippocr. loca rejicere studuerit, in quibus latus, quod costis, carne & membranis constat, in pleuritide affici testatur: Verum ei considerandum fuerat Authorem hoc in loco de Pleuritide non exquisita sermonem habere, sed de ea quæ à destillatione à capite ortum ducit, quæ à vera & exacta pleur. multum differt, & ratione materiæ, & quodammodo loci affecti: In hac enim materia pleuritidem aut peripneumoniam faciens in pulmonis cavitatibus continetur, dum à capite descendens per asperam art. fertur: Ubi quoniam inflammationem excitare non admodum est apta, nisi ex propria natura calida sit, ideo Hipp. hanc apposuit conditionem, *Si bilis fuerit*, Sic enim humor in pulmonis cavitatibus consistens caloris tantum inducere potest, ut inflammatio in eo excitetur, quod raro aliis humoribus evenit: In vera autem pleurit. aut peripneum. quia materia non à capite descendit, sed à toto, & à proximis partibus ad affectos locos procedit, ut apertè testatur Hippocr. 1. & 2. de morb. ideo hæc facile inflammationem in parte ad quam fluit inducere potest, dum à venis egressa, per carnesque & earum porositates dispersa, putrescit, indeque incalescens inflammationem inducit, hæc enim inflammationis est generatio: Ex quo altera notatur prædictarum affectionum differentia, quia ad veræ pleuritidis, aut peripneum. generationem, bilis & pituita simul concurrunt, ut locis allegatis testatur Hipp. In his verò, de quibus hoc loco tractatur, bilis sola requiritur, alioqui bilis pituitæ admixtione ità contemperaretur, ut in cavitatibus pulmonum ob aëris frigidi consortium accendi esset impossibile, & in hoc consistit differentia inter hunc affectum & veram peripneumoniam, in qua bilis & pituita, quia ut testatur Hipp. 1. de morb. à toto ad interiores pulmonum cavitates fertur, eorum pertransiens substantiam, statim incalescit, ita ut cum ad internas cavitates pervenerit, refrigerari non possit, quod evenit in hoc affectu, in quo materia à capite descendens ad pulmonis cavitates immediatè pervenit, in quibus statim refrigeratur, ut inflammationem excitare non possit, nisi bilis simplex fuerit, eaque copiosa, ut ait Hipp. in textu: cum ergo adeo inter se differant prædicti affectus; eorum essentia minime simul confundenda: Et si ab Hipp. Pleur. & Peripneum. nomine sunt denominati, id ob similitudinem symptomatum factum, cùm enim apud omnes constet Pleut. esse affectionem lateris; Peripneumoniam vero pulmonis inflammationem, Et quia pleuritis pro majori parte unum tantùm latus occupat, raro utrumque, ob distantiam dextri lateris à sinistro. E contra vero peripneumonia ob pulmonis loborum connexionem & continuitatem, raro evenit unam ejus partem inflammari, altera permanente illæsa: Hæc omnia respiciens Hippocr. qui morbos à capite oriundos describere profitebatur, ut demonstraret & pleuritidem & peripneumoniam à capite originem habere posse, Pleuritidis nomine unius tantum lateris affectionem appellavit, Peripneumoniam vero utriusque affectum: Nec Pleuritidis hæc denominatio impropria censenda, quin in Peripneumonia latus affectum esse demonstrat Hippocr. quia, *ut ipse inquit*, fluxione bilis in pulmones dilabente pulmo repletur, repletusque intumescit, adeo ut latus attingat, cui adhærens inflammationem ei impertitur, unde dolor oritur, non ratione inflammationis pulmonis, quia ob sensus exiguitatem minimum dolet, sed ratione affectionis ipsius lateris &c. Quæ omnia Vir præfatus animadvertere debuerat; nec ex hoc unico loco, & in quo de his affectibus non ex professo tractatur, cætera omnia rejicere in quibus de his peculiariter agitur: Quod si in omnibus sectis cadaveribus pulmones læsos in pleuritide semper reperiit, considerare debuerat Romæ id observasse, ubi ob cœli inconstantiam, & humiditatis excessum morbi à capite pro majori parte ortum ducunt, ut mirum non sit si pleuritides & peripneumoniæ, quæ hic vagantur, sint fere omnes de numero earum de quibus hoc in loco fit mentio: Scio quidem in Archihospitali S. Spiritus &c. (*vide supra*) Quare quoties Pleuritis est vera cujus signa generationis modum & affectum locum diligenter explicavit Hippocr. 1. de morb. sect. 2. v. 200. & quæ à rigore incipit, ut testatur idem l. c. ex communi experientia, non autem destillatione à capite, semper latus affectum invenietur, pulmone illæso apparente, nisi ubi contigerit pleuritidem in peripneumoniam transmutari. *Hactenus Martianus*: An vero Pleuritis à catarrho è capite delabente oriri possit, vide *Schneiderum* lib. 2. de catarrhis p. m. 206. Ejusdemque Theses de Pleripneumonia cap. 2. §. 3. 4. 5. 6. & seq.

§. 6. Subcostalis tunica ampla est, thoracis cavitati respondens, tenuis sed robusta, crassior tamen circa dorsum; atque in thoracis morbis quibusdam ita sæpe excrescit tumetque, ut decuplo crassior quam cum sana erat, sicut observavimus, evadat: *Platerus lib. 2. de hum. corporis fabrica. p.* 168.

Pleura ubique duplex est, ex quibus illa pars crassior est quæ thoracis cavitatem respicit, tenuior vero costis alligatur. Inter utramque vasa omnis generis excurrunt, ex quibus venæ sunt 12. utrinque, quæ partim ab intercostali ramo elatiore derivantur, ut duæ superiores: partim à vena sine pari, ut decem inferiores: Totidem quoque sunt arteriæ, quarum quatuor superiores ab intercostali superiore, costarum radicibus attensa, nascuntur: Inferiores octo à posteriore sede trunci descendentis arteriæ magnæ: Quia autem plurima hæc vasa sunt, propterea & frequens admodum hujus membranæ inflammatio nascitur; Neque tamen inter pleuram tantum, & musculos intercostales, quos una cum costis pleura succingit, si quando inflammatio hæc in abscessum versa fuerit, pus ipsum coacervatur, sed pluries fere inter duplicaturam hujus membranæ, per quam vasa incedunt, & qua stabiliuntur. *Spigelius Anat. lib. 9. cap.* 3. Duplicem cur fecerit natura hanc membranam, rationem reddit Columbus Anat. lib. 2. cap. 3. ob ossium scil. duritiem, ne interna, eximii sensus, ob pulmonis indesinentem motum læderetur.

§. 7. Hoc notavi minime veram esse, *Zecchii*, *Fel. Plateri* aliorumque doctrinam, pertinaciter defendentium in Pleuritide, quæ frequens est morbus, vel nunquam vel rarissime Pleuram, sed semper inflammari exteriorem Pulmonis membranam, in eaque propter exquisitum sensum (*hunc male* & præter omnem experientiam ei tribuunt) tam crudeles dolores excitari: in Peripneumonia vero inflammari interiorem Pulmonis substantiam, quæ obtusissimi sensus est, atque hinc tantum obtusos in ea fieri dolores: Quippe ex multijuga cadaverum pleuritide extinctorum dissectione, rem aliter se habere invenimus, & Medicinæ Studiosis non semel demonstravimus: Scilicet comperti sumus, in omnibus Pleuriticis inflammari pleuram, eamque solam si Pulmo liber esset ab ejus connexu: sed si ille pleuræ adnecteretur firmius, tunc una cum pleura etiam pulmonis adhærentem partem inflammari. *De Diemerbroeck*-Anatom. lib. 2. cap. 13.

§. 8. Anno 1656. mense Decembr. in Nosocomio prosecui cadaver mulieris Pleuritide interemptæ, qua primis 14. diebus acutissime afflicta fuerat: Postea vero inflammatione ad suppurationem deveniente, morbus per aliquot dies mitior visus, sed tandem morte finitus est:

Invenimus Pulmonem à Pleura omnino liberum, & in dextro latere totam pleuram, ab axillis usque ad diaphragma inflammatam: abscessum vero disruptum fuisse ad quintam & sextam costam, quæ duæ costæ digitorum latitudine, per ruptionem abscessus omnino erant à pleura liberatæ, & pus in thoracis capacitatem mediocri quantitate effluxerat: Pulmo autem prorsus nulla inflammatione, aliave prava affectione læsus inveniebatur. *Idem ibidem.*

§. 9. Plane similem casum etiam demonstravi anno 1657. in utro pleuritico extincto, qui media æstate in fœno colligendo occupatus, & valde sudans, cerevisiam frigidam magno haustu biberat, sicque illico morbum, & paulo post mortem contraxerat; In quo etiam tota pleura unius lateris inflammata reperiebatur, Pulmone prorsus illæso. *Idem.*

§. 10. Ex his liquet minime verum esse quod scribit *Regius* lib. 2. Instit. cap. 11. In omni pleuritide exterioris partis Pulmonis inflammationem etiam adesse, idque omnium pleuritide extinctorum corporum sectiones docere, in quibus semper Pulmones affecti inveniuntur, Pleura sæpe integra; Credo Clariss. Virum ex præconcepta opinione hæc docere: nam ut certum duco eum Pleuriticorum sectiones nunquam fecisse, ita etiam verosimile existimo: illum easdem ab aliis institutas, vel nunquam vel rarissime vidisse: Nam autopsia omnino contrarium docet, ut ex multa pleuriticorum extinctorum sectione, quam in studiosorum Medicinæ gratiam privatim institui, abunde liquet: Nunquam enim Pleuritidem illæsa pleura factam invenimus, sed in quibus pulmo pleuræ affixus adhærebat, in iis Pulmonem, qua parte pleuræ adnectebatur, simul etiam affectum vidimus: In aliis vero, quibus Pulmo liber à Pleura erat, eum nihil affectum fuisse: haeque in parte oculis nostris magis confidimus quam dictis aliorum qui forte nil tale viderunt: Si *Platerus* se quid tale aliquando observasse scribat, nihil miror, fortassis ille (quod etiam aliis contingere potest) inter plurimos variis morbis interemptos, tamen paucos Pleuriticos secuit. Et forte paucis illis quos secuit, etiam pulmo pleuræ affixus fuit, *Quemadmodum ex dissectionibus comperio illud tertiæ vel quartæ hominum parti contingere*: sed alios quibus Pulmo à pleura erat liber, secuisse non videtur: Quales tamen non semel nos spectandos exhibuimus, cum gravi pleuræ, nulla vero pulmonis inflammatione, aliave affectione. *Idem.*

Solam

Solam inflammari posse Pleuram non negaverit facile qui fabricam ejus perspectam habet, vasis enim plurimis est dotata; Arteriæ ejus amplæ sunt in ingressu, quæ in progressu exiliores & subtiliores fiunt: In vehementia affectus solam pleuram tam vehementi inflammatione affici posse, non communicata affectione vicinis partibus duabus, musculis intercostalibus internis & pulmonibus; atque hoc de musculis intercostalibus quilibet forte libenter concesserit, cum venas habeant communes, per quas influxus sanguinis in eos satis patens via parari potest: Pulmones sæpe coassiri notum est.

Observatio XV.

Lateris dolor ab abscessu in pleura & musculis interioribus thoracis.

Quondam Viri Illustr. à Pleuritide spuria & diuturna defuncti, cum Anatomen faceremus, manifesto liquebat abscessum magnum in pleura & musculis intercostalibus suppuratum; ac interius disruptum, puris copiam ingentem in thoracis cavitatem profudisse, quod diaphragma substratum corrodens, ingens in eo foramen excuderat. *VVillis cap. de Phrenitide.*

Pleuritide Spuria) Pleuritis distingui solet, quod sit vel exquisita & vera, ab inflammatione ipsius pleuræ, ex affluxu sanguinis effervescentis: vel Notha, quæ sedem habet in musculis intercostalibus, vel in eorum interstitiis, à flatu, vel humore seroso & acri ibidem aggesto: Notha ergo dupliciter talis est, vel ratione sedis affectæ, vel ratione causæ: Hoc in casu notha non fuit ratione causæ, abscessus enim aderat, è quo insignis puris copia prodiit, cujus generatio est è sanguine; Sed ratione affecti loci; sedes enim abscessus fuit in musculis intercostalibus, qui disruptus viam sibi fecit per pleuram à pure corrosam: Quanquam plurimi censeant vix possibile esse ut musculi mesopleurii non simul ob contiguitatem inflammentur cum pleura: Id vero plerumque contingit ut notha pleuritis, ratione causæ, in legitimam transeat, cum scil. flatus inter pleuram & musculos irrumpunt, vel inter pleuræ duplicitatem: sic enim via fit sanguini adapertis vasorum osculis, quod ratione doloris promptius confluat.

Observatio XVI.

Lateris dolor excitatus à tumido ea parte pulmone, cum vitio musculorum intercostalium

Rever. N. febre assidua conflictatus est cum dolore sinistri lateris: Inventa est altera pulmonum pars aucta in magnitudine, ut quadruplo major esset quam altera & durior: qua secta multa aqua fœtida exiit, Et ab eodem latere musculi intercostales læsi. *Tit. de Febribus lib. 4.*

Observatio XVII.

Anatome Pleuritici cujus Pleura supra modum erat crassa, Et pulmo vicinus valide illi adnatus.

Jac. Cobier in morbum acutum thoracis inciderat: Defuncti cadavere dissecto, Pulmo dextri lateris pleuræ validissime adnatus erat, ipsaque pleura supra modum crassa, ut facile conjicere fuerit hic morbi initium & focum fuisse: nam totus ibi Pulmo fœde consumptus erat. &c. *Vide tit. de Phthisi.*

Observatio XVIII.

Anatome Pleuritici, cujus uterque lobus Pulmonum arcte costis adhærebat.

Henricus N. in lateribus dolorem senserat: Inventa sunt fragmenta bronchiorum à substantia pulmonum avulsa, cum sanie copiosa: Et uterque pulmonum lobus arcte adnatus costis, ut sine laceratione avelli non posset: In dextro latere majorem dolorem senserat. *Vide tit. de Phthisi.*

Observatio XIX.

Sinistri lateris dolor ab abscessu sub ala sinistra, cum vitio Pleuræ relaxatæ, Diaphragmatis suppuratione.

Virgo annum agens 11. sævissimis doloribus cruciatur, qui regionem sub ala sinistra lateris, & costas mendosas occupant, & interdum ad thoracis vertebras & ad imum ventrem exporriguntur: sæpe motibus convulsivis tentatur, & non raro suffocari videtur: Tussis deliriumve aliquando coram est: assidue febricitanti lotia minguntur crassiora:

Anno

Anno præterito experta est tumorem in eodem latere, qui suppurari non potuit: Infelix juvenis vixit usque ad 44. diem.

Secto cadavere inventum est septum transversum in interiori parte suppuratum, ulcusculis refertum, quemadmodum tota Pleura contaminata & relaxata, & abscessus manifestus sub ala sinistra; in parte interiori non disruptus. *Lælius à Fonte consult.* 132.

Ex propositorum symptomatum diligenti expensione, non difficile est judicium facere affectionem referendam esse in tumorem sub ala sinistra interius suppuratum, cujus materiæ pars dum ad meninges vertebrarum vertitur, dolores efficit acerbiores: Dum ad septum transversum trajicitur, ejus naturale temperamentum & substantiam permutans, cætera accidentra accersit: Dum ad peritonæum profunditur, ventris dolorem producit: Neque mirum hujus materiæ noxiæ ad has partes facilem esse profusionem; maxima enim inter has partes reperitur consensio: Pleura namque à tenui duraque meningibus medullam spinæ obtegentibus, originem ducit, ut omnium membranarum unum sit principium: Hæ igitur meninges mox in cavum thoracis emergere incipientes, latius sese explicant, producuntque membranam pleuram dictam: quapropter dura tenuisque meninx erunt principium à quo & peritonæum & pleura reliquæque vero membranæ originem trahunt: Diaphragma verò ζώωμα Aristoteli dictum, adnectitur extremis costarum omnium notharum, atque duodecimæ dorsi vertebræ, & oris ventriculi illam perforanti, atque inferiori sui parti, interventu peritonæi; superiori autem interventu Pleuræ, utilli origo (cum musculus sit) pendeat à cartilagine omnium costarum notharum, tum ab ultima dorsi vertebra: atque ita principium illius erit circulare perfectum, à commemoratis partibus deductum. Decretum igitur sit symptomata omnia fluxioni purulentæ accepta referri debere, quæ ex consensu partium finitimarum, in principiis convenientium concitatur: ad quas dum materia noxia profunditur, earum temperatio atque continuitas alteratur, atque inflammatio suboritur, & pus, ratione cujus omnia symptomata proposita originem ducunt: Alii Medici (quorum opinio prævaluit) arbitrabantur dolores à flatibus proficisci & à vermibus. *Idem.*

Virgo] A sexu & vitæ conditione peculiares exurgere indicationes, quod morborum ideæ inde varientur, in confesso est: Observarunt cùm Nutrices fiunt pleuriticæ, graviter eas ægrotare & magna dispnœa reæri: Quod contingit, & quia mammæ attrahunt, & ad eas impetu humor fertur, ut Gal. docet in lib. de Simpl. med. facult. Sic corpora exercitata & robusta facilius à pleuritide & peripneumonia intereunt. *Hippocr.* in Coacis teste.

Abscessus manifestus.) De hoc *Hippocr.* lib. 2. de morbis, sub titulo *Tuberculi Lateris*, quod sic describit, *Ubi Tuberculum in latere soboritur tussis dura detinet, & dolor, & febris, pondus in latus incumbit, dolor acutus eundem locum semper occupat, siuis vehemens vexat, & calidum potum rejicit, decubitum in latus affectum non sustinet, sed infestum, verum ubi decumbit veluti saxum illi suspensum esse videtur, intumescit ac rubet, pedesque in tumorem sublati sunt.*

Observatio XX.

Pleuritis & Peripneumonia sæpissime complicantur, ut pleuritis solitaria raro existat.

§. 1. Semper in hac fui sententia ut Lateris dolores magna ex parte ad Pulmones pertineant, raro autem ad membranam illam costas succingentem: cum in pluribus præsertim corporibus post obitum dissectis, ægrorum qui communiter accepta pleuritide periisse judicabantur non membranam hanc affectam fuisse, sed Pulmones observaverim, una cum sua membrana laceratos & corrosos. *Zecchius appendice ad consult.* 26.

Pleuritidem nonnulli è recentioribus non putant diu perdurare solam sine propagatione humoris in Pulmones, qui sæpius adhærent pleuræ, imo transilire per metastasin humorem in pulmones & formare Peripneumoniam: Id primus proposuit *Zecchius* in consiliis, ex Hippocratis authoritate: Rationibus alii id confirmarunt, scriptis editis, ut *Vincentius Baronius* libro de Peripneumonia (*quem sequutus Schneiderus in Thesibus à Schrodiero propugnatis*) Atque istam combinationem affectuum thoracicorum *Pleuropneumoniam* appellant, quod ante ipsos monueram in mea *Anthropographia*, capite de Pulmone: Locus Hippocratis consideratione dignus est, cujus explicationem multi tentarunt: Ego vero sic interpretor: Sæpe Pulmones in utroque latere, vel alterutro, adhærent membranæ costas succingenti: vel si non adhæreant, quando latus primò fuerit affectum inflammatione, membrana pleura ex affluxu humoris inebriata & mollior facta, exudat serum glutinosum: Pulmones verò cum inspiratione totum impleant thoracem, tandem adhærescunt Pleuræ, & nexus ille firmior redditur per ardorem febrilem: Nec motus Pulmonum impedit istam adhæsionem, quia inspirationis & exspirationis, adaucto lateris dolore, motus sunt exigui ex parte ægrotantis, metu doloris vehementioris: atque sic agglutinatur Pulmo parti dolenti, tuncque pleuritis transit in peripn. Vel uterque affectus conjunctus est, ac proinde facilis expectoratio humoris, primum cruenti, ex levi exulceratione tam pleuræ quam membranæ Pulmonis: dein reliqua materia partim ex latere procedit, partim ab excremento Pulmonis nutritii, vel ab impuritate massæ sanguineæ circulatoriæ transeuntis per pulmones, inde tanta copia manat excrementi biliosi, pituitosi, quod rejicitur tussiendo: Si vero non adhæreat Pulmo Pleuræ, vel effunditur ichoroidis humor, sive saniosus in capacitatem thoracis, & difficillime resorbetur,

rumque nascetur Empyema, quod nisi sponte vacuetur, aperto latere exhauriendum erit: Itaque ex Hippocrat. doctrina, quam sequuti sunt Herophilus, authore Cœlio Aureliano, & C. Celso, vera Pleuritis est, si accesserit Peripneumonia unius lateris, Si utrumque latus doleat, vera erit Peripneumonia, quia totus Pulmo laborat, tam dexter quam sinister: atque assidue diverberans costas ichore suo, quo diffluit, imbuere & lædere potest: Itaque Pleuritis & Peripn. sunt affectus fraterni & congeneres, qui sibi mutuo tradunt operas ad perniciem vel solatium ægri: prout valida fuerit aut imbecillis constitutio Pulmonum, atque remediis, præsertim V. S. liberali sublevati fuerint; Nec potest per alias vias materia Pleuritica transferri vel propagari in Pulmones, per metastasin vel epigenesin: Videmus tamen in Pleuriticis cadaveribus pleuram syderatam decuplo crassiorem, ergo in se morbum continebat: Non inficior posse communicari Pulmonibus, & Pleuritidem degenerare in Peripn: sed eo modo quem dixi. *Riolanus Encheiridii Anatom. lib. 3. cap. 4.* Etsi vero solum contactum pro causa admittat *Riolanus*, innixus hoc fundamento quod viæ non adsint communes, cùm Pleura ramos accipiat ab ἀζύγῳ vena, Pulmo autem ab arteriosa & arteria venosa, accidere tamen potest ut inflammatio in pleura & pulmonibus simul excitetur, scilicet superior pars pleuræ afficitur, quod illa cum membrana pulmones ambiente communionem habeat, & circa partem superiorem hi cum pleura connectantur; dum sanguis p. n. in hanc influit, facile etiam in pulmones simul illabi potest: Sed vicissim concedendum solam membranam costas succingentem aliquando inflammari, & veram pleuritidem, cui ob id à pleura nomen inditum, generari posse: membranam enim hanc inflammationis capacem esse ostendit ejus constitutio; cùm enim duplex sit interior & exterior, inter quas venæ & arteriæ perreptant, fit ut à sanguine p. n. affluente, adeo intumescat excrescatque, ut decuplo sana crassior evadat, quod *Platerus* observavit: Idque contingit cùm inferior ejus pars phlegmone afficitur, quæ cum Pulmonibus non cohæret. Viæ autem per quas sanguis ad Pleuram pervenit, communiter statuuntur venæ cavæ ascendentis ramuli, & quidem venæ mammariæ, quibus nutriuntur quatuor costæ superiores; vel ἄζυγος vena, quæ ramos ad inferiores reliquas costas diffundit: Si harum capillares propagines quovis modo aperiantur, sanguis in pleuram exilit: Ex decreto circulationis sanguinis, hic per arterias transmittitur vel attrahitur: Transmittitur, cum in his congestus sponte effervescit, à toto aut parte aliqua impulsus: Attrahitur vel admittitur ab imbecilli pleura, calente vel dolore affecta; quanquam concedi potest ex arteriis per venas refluo sanguine pleuram etiam irrigari posse.

Pulmones laceros & corrosos] Quidam Medicus magni nominis, ait non esse mirum si Pulmo ita corruptus aperto cadavere reperiatur, nec propterea talem sæpe esse ante mortem qualem anatome ostendit: Probabile id quidem, sed ut concedam post obitum alterari, præsertim si corpus diu insectum servetur, sed tamen id tantopere non afficit pulmonem: Quibus Pulmo totus vitiosus est, iis sanies in pulmone est quæ falsas pleuritides infert; nec sanguinem expectorant: An his multus potus bonus? nequaquam. *Ballonius Epid. & Ephem. l. 2. p. 165.*

§. 2. Dom. de Gatinois à Pulmonia & Pleuritide complicatis convaluit beneficio *tam copiosæ excretionis cruentæ*, ut quotidie linteum unum & alterum lecto instratum tabo rejecto complueret: Sed quadriennio post simili affectu recrudescente, in interempti cadavere abscessus in Pulmone relictus post detectus. *C. Piso de morbis ab illuvie serosa sect. 3. c. 9.*

A *Pulmonia & Pleuritide complicatis*] Pleuritidem & Peripneumoniam distinguere à se invicem operæ pretium est: Sunt autem fere germani & similes affectus: quæ similitudo vel doctiores sæpe fallit, Hippocratis annotatione: Juniores itaque deinceps meminerint, non solum doloris specie distingui; Pleuriticus namque acutus est & pungit vehementer alterutrum latus aut utrumque, cùm in Peripneumonia gravis quidem, sed obtusus & parvus, ac paucos alioqui dies premat pectus fere supra mammas, sed etiam hisce notis, scilicet in Peripneumonia sputum cruentum primis statim diebus & largius diffluit, si salubris præsertim futurus sit exitus, sed diutius & 40. etiam dies, ut observavi non sine admiratione in D. de Gatinois &c. (*vide supra*) Deinde vero vomitu utrumque affectum à se distingui, quanquam nullus quod sciam Practicorum annotaverit, diuturna tamen me experientia docuit, primis initium diebus Pulmonicis vomere familiare esse; forte quod membrana communis est œsophago & bronchiis pulmonum, ideoque facile Pulmonibus ventriculus συμπάσχειν solet: *Piso loco citato.*

Excreationis cruentæ] Pro varietate sanguinis inflammationes hæ pulmonum generis sunt diversi: nam si ille purus fuerit, qualem arteria venosa continet, simplex erit phlegmone, in qua quod expuitur sanguine sincero mixtum esse apparet: Si vero tenuior fervidiorque sit, qualis in venali arteria existit, phlegmone erysipelatodes dicta, nascetur, in qua febris vehementior: uti & si sincera bile perfusus; tunc sputum cruentum & subflavum redditur: quod cum frequenter eveniat, causam præbuit, ut peripneumoniam ab erysipelate pulmonum prodire aliqui scripserint: Fit quoque ut si bilis atra sanguini commisceatur, fusca & subatra sputo cruento commixta esse videantur: Sed & à crudo, seroso, pituitosoque sanguine, si phlegmone fiat, sputum minus coloratum erit: Ab humore à sanguine separato veræ pleuritidis aut peripneumoniæ causam statuere, quod aliqui faciunt, non possumus. *Platerus Tom. 2. Prax. p. m. 343.*

§. 3. Seph. Jonam corripuit *acutissimus* lateris sinistri *dolor*: Pulmo mortui totus vitiatus deprehensus *costisque eccæ retus.* &c. *Tulpius observ. lib. 4. cap. 19.*

Offis accretus] Ab exsudante sanie glutinosa compingente pleuram & pulmones: quod facilius contingit in iis quibus à natura simul cohærent: vel quibus ex pleura, hoc vel illo latere (sed frequentius sinistro) nerveæ quædam fibræ expullulant, quarum interventu simul connectuntur; ideoque fit ut simul & semel pleuritis & peripneumonia exoriantur.

Acutissimus dolor.] Punctorium lateris dolorem soli pleuræ quidam adscribunt, pulmonis membranæ detrahunt: At quid impedit quominus pulmonis membrana, à mordacissimo humore vellicata, punctorium percipiat dolorem? Hippocr. 2. de morbis, textu 57. ubi de Pulmone ad latus prolapso, *Et dolores acuti urgent ait*; Neque etiam in Pleuritide necessarius est iste dolor Punctorius, cum Hippocr. in Coacis, in pleuritide mites dolores admittat ab initio, dicens, *Quibus Pleuriticis initio dolores sunt mites, ingravescunt autem 5. aut 6. die facile ad 12. usque diem perveniunt*: ubi *Duretus* in comm. *Initio dolores sunt mites, quia non adest efferus humor, nec tensio fortis, nec inflammatio magna*: Potest ergo contingere ut aliquando pulmo dolore punctorio afficiatur, si humor sit efferus, vel tensio valida, vel inflammatio magna: Non ergo simpliciter ex dolore valido & punctorio arguendum Pleuram esse affectam.

§. 4. Vidimus apertum cadaver *Iohannæ, Navarrorum Reginæ, Caroli Noni Gallorum Regis, Ioh. le Mire* & aliorum, qui omnes interiere à latente Peripneumonia, præcedente *dolore lateris aliquo*, sed non magno, Et his omnibus Pulmonis corpus putre erat, saniosum & fœtidissimum: *Carolus* Rex peripneumonicus erat, sed inflammatio vere eum non sustulit, quanquam dolores lateris eum sæpe fatigarent: Alii vero Peripneumonici intra sex aut septem dies periere, cum in latere dolor ortus esset qui derepente evanuit. *Ballonius Ephem. l. 2. p. 154.*

A Latente peripneumonia) Levis pleuritidis specie imponente, quia lateris dolor, aut mitis est, aut secta vena aliove remedio usurpato statim evanescit, cum tamen sæpe peripneumonia comes sit, aut succedat: Imo isti dolores lateris per accidens tantum contingunt, scil. per refudationem seri acriusculi in corpore ipsius pulmonis stabulantis: Et cum febris adest, & præsertim thoracem occupat, contingit humorum ebullitio & velut turgescentia, hinc dolor alius in sinistro latere, qui pleuritidem refert; Et tunc tamen secatur vena: hinc cessante dolore lateris, superstite tamen æstu, siti, dyspnœa, securi esse solent Medici, quod ille desierit, cum tamen in Pulmone deterius foveatur malum, scil. phlogosis, à sanie ibi concepta & fervente. *Idem.*

Dolore lateris aliquo] Dubitarit aliquis an inflammatio Pulmoni, dolores in lateribus excitet? Primum id experientia vidimus, Imò plerique vix distinguunt inflammationem Pulmonis cum febre conjunctam à febre causodes quod vera inflammatio Pulmonis raro adveniat; Sed illi fere peripneumonici intereant, quorum Pulmones infirmi natura multam saniem collegerunt, unde corruptio ipsius Pulmonis sequuta est: Id vidimus in cadavere. *Navarrorum Reginæ* &c. Et quæ inde Peripneumoniæ, & febres focum in Pulmone habentes nascuntur, decipiunt Medicos: *Hippocr. lib. de int. affect. cum Peripneumoniam describit, ait, Peripneumonia fit cum Pulmo sanguinem aut pituitam salsam in se attraxerit: ab initio & per totum morbum tussis arida & acuta, rigor, febris, dolor in pectore & in dorso incumbit, aliquando etiam in latere, erecta cervice spirat*; Maxime vero observavimus in iis dolores laterum excitari quibus aut thorax hydrope laborat, aut Pulmo duriusculus sanie multa scatet, Quod in superioribus visum est. *Ballonius Epid. & Ephem. p. 154.*

§. 5. Joh. le Mire, cum Meloduno Parisios lintre devectus petit, rigente admodum hyeme, vi frigoris ita calor intro cogitur, ut inde *horruerit valde*, deinde calorem ingentem conceperit: Media nocte cœpit queri de dolore fixo ac pungente ad nothas costas: *Magna nothæ Pleuritidis suspicio est*: Is narrabat sæpe se ea in parte dolores, quos colicos vocabat, solitum esse sentire, qui fomentorum usu non ita multo post levarentur: Ac primum ei credidimus, cum tamen apud nos potius valeret opinio ac suspicio pleuritidis per congestionem aliquam excitatæ, quàm narratio de vetere dolore, coëgimus ut alvus enemate subluceretur: Ac dolore perseverante, ut urgeretur occasio, tertia pomeridiana bolum cassiæ, addita confectionis de dactylis portiuncula, ne medicamentum ignavum maneret, exhibuimus: hujus usu multa corrupta admodum educta sunt: Sequenti die relicta sede priore, dolor ad orificium ventriculi pertinebat; Tunc nos pœnituit quod non die præcedente venam secuissemus, ut ne inflammatio ad aliam partem nobilem, uti contingit, ferperet ac oberraret; valdeque timuimus ne in ventriculo malum figeretur, gravioraque omnia nascerentur: Per dies tres continuos venam ter secuimus, *purulentus sanguis detractus est, ne guttula quidem puri sanguinis*: viribus metuebatur ob ætatem ingravescentem, Dolor non erat fixus, thoracem dilatare omnino non poterat: Respiratio alioqui erat facilis, nisi cum magnum respirare cogeremus: At tum narrabat se aliquid imis costis inhærens sentire quod respirationem eliderez: Sitis & febris erat ingens, omnia cruda, nam nec alvus nisi sollicitata ferebatur, nec quicquam ex facili è Pulmone educebatur: Dubitamus an diaphragmatis esset inflammatio, præsertim in parte concava, præsertim qua attinet nothas costas: Si inflammatio foret illius partis, cur non deliraret quærebamus: Suspicabamur collectam ibi illam materiam, & præsertim serosam (quod dolores vagi apparerent) quæ

quæ olim colicos dolores excitarat: idque evenisse arbitrabamur ob aërem ambientem frigidum impensè, unde suppressio nata foret: Ad id cogitandum situs partis dolentis incitabat: Tamen quærebatur, si ea in parte inflammatio esset, cur non ad claviculas dolor pertineret? Sed sectio corporis post mortem omnia aperuit: Ergo cùm circa finem diei quarti dubitaremus, an quarto secanda vena esset *in tanta siccitate morbi*, febre, difficultate spirandi, Ecce primarius Medicus videns nostras sectiones inutiles, ratus collectionem esse quandam, ad catharticum confugit, idque vehemens admodum, ut vi deturbaretur humor qui infra diaphragma consisteret: At cum humor nullus esset infra diaphragma morbi author, irritum medicamentum fuit, & duabus post horis hypercatharsin induxit, perturbationem tantam ut brevi ægro intereundum fuerit.

Aperto cadavere, Ren sinister plane putris & corruptus repertus est: Inventi duo in vesica calculi, qui suppressioni urinæ in progressu morbi occasionem dederant: Morbi mortisque causa hæc erat, Pulmo erat admodum amplus, thorax angustus: Semiputris erat pulmo, & ita contumaciter *ad latus dextrum adhærescebat*, ut vix avelli potuerit: Abscessus in ea parte erat: & sua mole & magnitudine ad nothas fere costas descendebat: Erat inflammatio mediæ partis pulmonis, præsertim ejus quæ abscessum fovebat: Adacto cultello Chirurgico, putris & fœtens sanies manavit, cujus portio dum decurreret per membranatum continuitatem, dolorem excitabat, & cùm effluebat, dolor cessabat, ut mirum non esset si modo pars doleret, modo non doleret: Et quoniam osculum alvi medium diaphragma transcurrit & secat, dum per gibbas diaphragmatis serum decurreret à parte putrefacta manans, attingeretque osculum ventriculi, non mirum si dolorem in ventriculo sentiret, ac si in capacitate ejus malum foret: quanquam non erat inflammatio in ventriculo, tametsi adesse videretur: Hepar erat maxime vitiatum, & præsertim pars ejus superior erat friabilis & ὑπόφαθυρος *Gulielmus Ballonius consil. 94. lib.1.*

Magna notha pleuritidis suspicio est.) in qua purgationem sanguinis missioni præfert Hippocr. part. 11. lib. 2. de Diæta acutorum, Quæ quæstio quoniam est de apicibus artis, audiendum est Ballonii loco cit. de ea judicium. *Potius*, ait, *sequendum erat Galeni consilium, cujus verba ad unguem tenenda sunt, ubi non solum acutus morbus fuerit, cujusmodi est pleuritis, verum cum febre vehementissima, multo magis vitanda purgatio, atque per sectionem venæ vacuandum magis, etiam si ad hypochondrium dolor finiatur: Nempe, etsi minus quidem auxilium quam per purgationem sequatur, securius tamen multo existit: Imo nullum periculum impendet ex eo quod fit per sectionem venæ, eo discrimen maximum subeunte quod per purgationem tentatur, maxime si laborantis naturam non fueris expertus: Si enim naturam non noveris, metus est ne plus justo vacues, aut nullo pacto naturam moveas: aut si moveris, non sufficienter vacues; quæ omnia in magnis morbis offensas pariunt, quod non facile ut in iis qui non febricitant, emendatur. Cum igitur non fuerit vehemens febris, & naturam laborantis expertus fueris, ad medicamentum purgans te conferes, iis quæ ab Hipp. dicta sunt, usus.*) Atque hoc in loco tria animadvertere oportet, dum sectionem venæ antefert purgationi, primum est, cùm meminit febris vehementissimæ, ut vehementia febris dehortari debeat purgationem, præsertim & cum adsit inflammatio: Febris autem vehemens & inflammatio purgationem dehortatur, quod medicamentum calorem sit adaucturum: Secundum quod minus auxilium à sectione venæ sequatur quàm à purgatione: Tertium quod securitas sit magna in sectione venæ, non item in purgatione. Quæ tria sunt diligenter animadvertenda, ne forte sententia Galeni male intellecta, nos valde munitos putemus cum alioqui gravissime erremus: Quod enim obest illud quod objicitur de febre ardentissima, nam in pleuritide, ea præsertim quæ occupat hypochondrium (de ea enim eo loco agit, quanquam & generaliter illud intelligi potest) non est tanta febris: Si non tanta febris, etsi minus auxilium affert venæ sectio quam catharsis, ut idem fatetur Galenus, omni ratione amplexanda est purgatio, non autem purgationi præferenda sectio, ut securius consilium & remedium: Quorsum enim ista securitas, si non prosit remedium? Præterea si non febris vehemens, possumus date medicamentum non ita eradicans, non calfaciens, non agitans; Item, quod ad eum calorem quem præbitum medicamentum afferet, jam respondit Galen. in aphor. 24. 1. medicamentum quidem calfacere, sed majus sequi commodum ex vacuatione humorum morbificorum, quàm incommodum ex ea calfactione & febris auctione: Denique, si purgatio in vehementia febris nocet, cur non & v. s. Reliquamus Arabes qui in biliosis morbis phlebotomiam reformidant, sequamur ipsum Galen. In comm. in parr. 6. prorrhet. sect. 2. ait, Reficcatos nec rigorem nec vacuationem insignem, nec simile quid ferre: ac Exficcatorum nomine & biliosos audiemus, & eos qui biliosissimis & siccis morbis tenebuntur: Pleuritides maxima ex parte biliosæ sunt ex Galeno aphor. 12. 1. cum ergo siccus sit morbus bifariam, & ratione ὑπάρξεως, & quia sæpe nihil excernitur, præsertim initio, & febris juncta est, affectus & siccus & siccans, An locus erit vacuationi per phlebotomiam? Præterea, si ex Hippocr. in mulieribus biliosis, etiam naturalis mensium eruptio formidabilia affert symptomata, ut ipse eo loco docet, frequens v. s. confert? Quanquam in comm. in aph. 23. 1. in biliosis & ardentibus febribus non reformidat v. s. etiam ad leipothymiam usque: Ad superiora uno verbo respondebimus, omnis inflammatio facile juvatur & tollitur s. m. nihil enim est quod tam refrigeret corpus & inflammationis occasionem tollat: at pleuritis inflammatio est: quod autem medicamentum daretur, illud suo calore febrem & angebit & corpus siccabit, & vix de inflammato loco quicquam educet. Cùm dicit minus auxilium à sectione afferri, sed securius, illud intelliges de inferiorum

riorum coſtarum inflammatione: nam ſi de inflammatione ſuperiorum intelligeret, hoc falſum eſſet: non enim liber eſt exitus ad excretionem materiæ per partes infernas: At cum pleuritis inferior eſt, cum fiat à congeſtione potius, & quæ infra diaphragma ſunt purgatione per inferiora, potius exigi debeant quàm alia arte, libero etiam exiſtente exitu, potius ad catharſin accedendum eſt: Sed ignoratione ejus qui purgatur, & metu incrementi febris, vult nos impediri ne tam audacter purgemus, ac venam ſecemus. Jam vero hoc loco ſtatuendum eſt purgationi potius intendendum eſſe in pleuritide, & dolore occupante nothas coſtas, ſi tria illa animo comprehenderes, ſi medicamentum non ſit perturbans & calefaciens multum, ſi febris non ſit intenſa; ſi inflammatio non ſit magna, ſed potius dolor à congeſtione quadam humoris: Unde hodie graviter peccatur ab iis qui feſtinantur nimis audito nomine doloris ad latus, (ubicunque is dolor ſit) ſtatim ad v. s. confugiunt, Imo etiam ſi nulla adſit febris, aut exigua, etiam audacter venam ſecant; perſuaſi illa ſententia Galeni ſuperius adducta, quod ſecurius ſit remedium phlebotomia, minus tamen auxilium: At noſſe debent illas conditiones quas attulimus, & quas niſi noverint, non ſunt digni Medicorum nomine: Itaque quemadmodum nimis tardos eſſe non oportet in v. s. celebranda, ita feſtinatio probro eſt: Multi enim dolores pleuritim mentiuntur, in quibus aut ſolum fomentum, aut leviuſcula purgatio abunde erit, ut ita in humano ſanguine fundendo liberaliores non ſimus: Nec nos ad ſectionem venæ iterato, imò pluries faciendam incitabit impuri ſanguinis effluxus, quod pleriſque porrexit occaſionem celebrandæ v. s. ſæpius, & virium frangendarum non ſine magno vitæ periculo.

Purulentus ſanguis detractus eſt; ne guttula quidem puri ſanguinis.) Ex purulento ſanguine educto argumentum ſumi debuit coaffectorum pulmonum, è quibus inflammatis talem effundi oſtendit experientia morbo jam progreſſo. Quod ſi ſecunda vice detractus talis appareat, nec ſinceri & puri ſanguinis ulla veſtigia, conclamati morbi indicium eſt.

In tanta ſiccitate morbi.) Sicca erat pleuritis, non eo modo quo dicitur morbus ſiccus, i. e. crudus, ſed ſicca ſine ſputo dicitur: Ac tuſſium inanium & aridarum duo ſunt genera, cum materia tenui quidem, ſed quæ tandem aliquam craſſitudinem acquirit in pulmone, cujuſmodi eſt pleuriticorum tuſſis initio; alia eſt Tuſſis inanis, quæ nihil poſtea relinquit, eſt autem ejus cauſa ſpiritus ichoroſus, aut ichor ſpirituoſus omnis pepaſmi expers. Ita Hipp. 2. prognoſt. ait, in inflammatione Hepatis, ob ſerum reſudans tuſſim fieri & inane deſiderium: tuſſis, ſi magis materiale eſt ſerum; tuſſiendi inane deſiderium, ſi magis effetum, tenue, ſpirituoſum: Apud Hippocr. duplices reperiuntur pleuritides, aliæ cum ſputo, quæ & ſiccæ & humidæ dici poſſunt: ſiccæ, initio cum nondum procedit ſputum: Aliæ ſine ſputo, ut quales hyeme ſæpe graſſantur, & quæ à calore fundente & colliquante ſunt: item quæ à ferino oriuntur, quæ omnium deterrimæ: In ſiccis autem pleuritidibus omni ratione humectare convenit, tum ad retundendam humoris acrimoniam, tum ut mitior redditus cedat naturæ expellenti.

§. 6. Quadragenarius febre ardentiſſima correptus, doluit etiam à latere: detractus mediocriter ſanguis ad vaſcula duo, perſeverant omnia, neque cedit dolor remediis: 6. die detractus iterum ſanguis ad duo vaſcula, putris & corruptus: Sudor 7. levis, tenuis & tantum in capite & thorace: nihilo melius habuit: deliria nocturna, æſtus & inquietudo magna, urinæ turbidæ, ſudavit 9. & 11. nihilo levata febre: decimo levius habere viſus eſt, nocte eadem pariter: 11. urinæ ſubſident, ſed divulſo & nigro ſedimento: Sudat ut prius; pulſus perpetuo frequens & magnus cum pauca inæqualitate: Jam tendines manuum, ſine manifeſto membri motu, revelli ſentiuntur: Urinæ bene coloratæ & comparatæ cum ſedimento nigro: 13. floccos colligit manibus, revelluntur digiti, delirium fere perpetuum 14. media nocte mortuus eſt.

Pulmonibus corruptis & nigricantibus inventus eſt. *Hollerius libello obſervationum propri. xiij.*

FEbre ardentiſſima.) Febris pleuritidis comes non ſemper ſymptomatica eſt, ſed aliquando eſſentialis, quæ illi dat originem primam: Ubi ſcil. initio febrium continuarum ſanguis in venis fervens à natura in partem ſuſceptioni maxime pronam expellitur, quales ſunt partes laterales, unde fit inflammatio: Hæc febris à ſymptomatica dignoſcitur, quod primo ægrum adoriatur, hinc ſecundo aut tertio die lateris dolor ſequitur: At ubi ſymptomatica eſt, morbi exordium eſt à dolore lateris, quod febrem paulo poſt excipit: Medici, *ait Ballonius Epid. & Ephem. lib. 2. p. 208.* Plurimum debent animadvertere ut dignoſcant an febris ſit eſſentialis an non, quoties agitur de dolore lateris. Filii *D. Poiſſe* obſervanda hiſtoria; falluntur quippe ſæpe Medici, qui audientes ῥῖγχος quoddam junctum cum dolore lateris, cum expectoratione exigua, de ſiniſtro rei eventu præſagiunt: Iſte convaluit præter ſpem, Et febris potius erat eſſentialis: In omni febre eſſentiali, cùm junctus eſt lateris dolor, febre aucta dolor augetur: at in vera pleuritide augetur febris aucto dolore.

§. 7. Pleuritide interemptum ſecui qui maximam ſaniei copiam tum in pleura, tum in pulmonibus, firmiter coſtis adhærentibus habebat: Sed cordis inſpectio maximum ſtuporem pariebat: Illud enim totum albidum & tomentoſum, inſtar pellis quæ vulgo *cerviotto* dicitur, aſpeximus: Pus enim, ut credo, cum ob craſſitiem & copiam totum per anacatharſin expui non poſſet, tunicæ cordis, ob immenſum ipſius calorem, dum aliquomodo exſiccaretur, adhærebat, unde totum tomentoſum nobis conſpicuum fuit. *Dom. Panarolus obſerv. xlviij. Pentecoſte* I.

§. 8. Studio-

§. 8. Studiosus, calidi temperamenti & sicci, erysipelate cruris eodem anno bis infestatus, Erfurto Jenam media hyeme, frigore intensissimo iter faciens, insignem *persensit rigorem in latere* thoracis sinistro: Eum excipit insignis calor, dolor, *tussis sicca, post humida*, excernitur spumosum quid sanguini permistum puro: difficultas respirationis adest ingens: Increscente morbo excernit purulenta in magna copia duarum septimanatum spatio, post sanguinem purum, Tandem per alvum nigrum grumosum sanguinem fœtidissimum: adstantes civitate donatis opinionibus imbuti, pulmonem *& jecur excerni* putaverunt.

Aperto post obitum cadavere, inventum ingens in latere sinistro pleuriticum apostema, quod pulmonem simul occuparat, *συςεοφικὴ* prægressa inflammatione, eumque totum absumpserat: ventriculus & intestina grumoso plena sanguine; qualis per alvum copiose fuerat excretus. *Rolfinccius Dissertat. Anatom. lib. vj. cap. xxvij.*

PErsensit rigorem in latere.) Qui fit ut magna pars eorum, qui in pleuritidem incidunt, horreat, cùm tamen illud non videatur esse de natura istius mali? Hippocr. 1. de morbis explicat cur laboraturum pleuritide horror occupet, sive ebrius sit sive sobrius; atque ait, *cum latus natura carne nudum sit præ omnibus corporis partibus, & non sit quicquam in ipso quod renitatur, præter ventriculi cavitatem, maxime rigorem percipit. Et cum riguerit ac perfrigeratum fuerit, tum caro quæ est in latere, tum venæ contrahuntur ac convelluntur:* Vicinia autem cum panniculo carnoso, qui horroris subjectum est, facit ut ea vel vaporibus vel humoribus acribus impedita, hic concutiatur & rigorem in toto conciter.

Tussis sicca, post humida.] Mirum quod in pleuritide, cùm inflammatio sit, sanguisque biliosus plerumque author sit, non tamen aut pus, aut sanguis excernitur, si materia conjuncta est malo, sed pituita quædam putris, & ea solvit pleuritidem: An quia membrana inflamatur, ideo sanguis quodammodo pituitescit, ut fit in inflammationibus partium nervosarum? fit enim excretio, aut seri tenuis, aut mucosæ pituitosæque materiæ.

Iecur externi &c.) Interrogati an per arterias aut venas splenicas, cœliacas & mesentericas frusta Hepatis, Lienis aut Pancrearis, imò etiam pulmonis ad intestina deferri & per inferiorem excerni queant gutturem? Respondemus contestati Aretæum lib. 1. τῶ̃ χρονίων cap. 14. in abscessus scirrhosi lienis ruptis pus incoctum, subalbidum & cinereum, quandoque fæculentum & lividum, nigrum, quandoque & succi lienis tabescentis particulam exprimi; *subjungit*, Quibusdam præterea & integræ lienis partes exierunt, si quidem natura dissolubilis lien; *Matthæus de Gradibus* in 9. *Rhasis* part. 1. cap. 7. post Hepatis ulcus multam quantitatem carnositatis hepatis excretam refert: Ουρόσκοποι nullo non die, tum per urinam fibrillas, per alvum vero frusta horum viscerum colliquatorum excerni, ceu ex tripode pronuntiant: quin etiam nemo non vulgi opinionibus imbutus, quoties per alvum grumosum crassumque videt excerni sanguinem, judicat esse pulmonis & hepatis particulas: Sed hoc modo viscera excerni posse verisimile non est *Sennertus* Paralip. ad l. 3. pract. 12. neque hepatis neque lienis substantiam frustillatim per alvum excerni posse putat, quod viæ commodæ non dentur: judicat potius frusta carnea ab hæmorrhoidibus vel mesaraicis fuisse excreta, & ante fuisse sanguinem concretum & in illis vasis condensatum. Nobis placet τὸ ἐπαμφοτερίζειν adhibita distinctione, in abscessibus Hepatis & Lienis parenchymata colliquata per vasa ad intestina deferri queunt; sine abscessibus nunquam. *Idem ibidem. Schenckius ex Zvvingero* affert historiam Hepatici (ab inflammatione ulcerata) qui carneas portiunculas, cruentatis fæcibus mixtas alvo dejecit: nec sanguinis fuisse grumos ex massa illa pertinaciter aquæ injecta sibi cohærente, fibris quoque implicita deprehendit: convaluisse tamen ægrum ait, alvo Philonii beneficio coërcita: & quid exiguas carnis partes, distentis mesaraicis non (ut fingitur) sensui vix obviis, sed commodam sui magnitudinem nactis, arceret transitu? Valere (addit) hic Columbi velim; adjectas osculis mesaraicarum inrorsum versus valvulas: novas item quorundam argutias, qui exiles dictis venis obtusas fabricant, qua in intestinorum cavum se derivant, tunicas.

§. 9. Tassinus vertigine oppressus linguáque minime continens repente concidit: Obmutuit, &c. designabat locum dolentem ad dextras lateris partes, qua septum alluit, &c. Dextum latus dolere narrabat, & sinistrum ante doluisse &c. Restitutus tandem de reliquiis doloris in latere & capite querebatur &c. Pulmonicum quid putabant, aut à puro vaporem, aut tuberculum, aut convulsionem articulorum pulmonis, aut adhæsum, &c. Post magnam purgationem convaluit, *Ballonius histor. 1. consil. lib. 2.* Exitus morbi, qui eum uno post anno prehendit, & de medio sustulit, unam ex conjecturis veram esse comprobavit: Vomicam aliquam subesse conjiciebamus à qua vapor teter efferretur vehementium symptomatum author: Nec ego unquam putassem *elatum à pure materiave purulenta vaporem* tanti esse: Ad mensem Augustum dolore capitis incredibili tentatur, febris assidua, jactationes, verebamur ne in ea incurret in quæ prius ceciderat: multum sanguinis è naribus fuderat antequam morbo prehenderetur: statim injectum enema, missus sanguis, Eodem die datum medicamentum: alvus liquidissimis excrementis fluxerat, nec quicquam compactum apparuit: Ingens erat incendium & vires naturæ dejectæ erant: Dolorem lateris *querebatur*, & *ad regionem Hepatis*: Iis locis pungentem se dolorem & lancinantem percipere ac sentire narrabat; De vomica conjectura augebatur: Sæpe vox deficiebat, ac si aut pulmo confossus, aut perforatus, aut adhærens esset: Nihil purulentum expectoravit: Non poterat multum & affatim bibere, quia deficiebat spiritus &

tus & potus velut in cavum descendere videbatur, septimo die tandem cum sudore pingui interiit.

Aperto cadavere *deprehensus est pulmo* adhærens tum in parte dextra tum sinistra costarum: membranæ utrinque sublivebant: Circum gibbum diaphragmatis, pars pulmonis tota in pus & saniem fœtentem liquefacta erat: Magna quoque puris materia transfluxerat in Hepatis regionem, & ibi conclusa erat. Nova ibi vomica conclusa videbatur, at non erat. Totum corpus internum fœtens admodum, Hepar sanum & Lien: Intestina alieno maxime colore. *Ballonius consf. 6. lib. 1.*

ANno præterito quo maxime laboraverat, purulentas habuerat dejectiones: ac credo idem hoc posteriore morbo naturam moliri voluisse, sed vias non fuisse idoneas & faciles: credo quod si ustus fuisset aut sectus, magna salutis spes affulsisset. Nec mirum si periclitatorum cæca medendi ratio sæpe methodicorum & Rationalium præceptis & ratiocinationi anteeat. Et cum summus Hippocrates passim hoc remedium in libris περὶ ἐμπύων usurper, nunquid satius est aliquo remedio cruento & ancipiti certissimam mortem, si aliter facias, & id genus remedii omittas, redimere? Humanum est & officii plenum aliqua ratione ægrorum miserorum dolores elevare, atque id magis si id cum aliqua salutis spe.

Elatum à pure aliâve materia purulenta vaporem. Verisimile est in febribus putridis, à loco & foco ipso vaporem excitari ignitum, cor appetentem & ferientem, qui donec discussa fuerit materiæ pars, à qua est elevatus, alit febrem, ut enim in ægro nostro deprehensum est, & à certo foco, nempe à vomica, suscitabatur vapor qui & aphoniam & febrem excitabat, & veluti miraculo quodam paroxysmus solvebatur, deinde redibat terrifico modo: magna est vis vaporis maligni, præsertim ubi est ἐξοχὴ τοῦ σπειδόνος, ut loquitur Galenus aliquo loco: In Coacis Hollerius multa continentur quæ ad demonstrationem hujus difficultatis bibendi, nullo existente in faucibus tumore, faciunt. *Thevartus in notis.*

Deprehensus est pulmo &c.) Huic purris erat pulmo, imminutus, semilacer & adhærescens: In tali casu oppugnare oportet putredinem per siccantia: Et tamen vulgus medicorum fere humectantia consulit: Sic dum habet rationem cujusdam extenuationis, liquida putrefactiva præscribir: Galenus multo melius lib. ult. 4. de locis affectis, in eo casu desiccantia & aromatica præscripsit: vide diligenter istum locum. *Idem ibidem.*

Querebatur ad regionem hepatis.) Saxonia Prælect. Pract. part. 1. cap. 27. propria experientia observavit pleuritides quasdam incipere ab intestinis & Jecore, ut non minus emolumenti attulerit clyster quàm venæ sectio, ut si venæ sectio præmittatur, humor fluens sursum trahatur: Itaque interrogandos vult qui dolorem sentiunt, utrum simul motum & ebullitionem quandam in ipsa Jecoris parte sentiant. Tunc enim præmitti clysterem vult: Vide quæ dicta sunt de Pleuritide descendente observat. 15. Exemplum habui anno 1662. in Nob. Neocomensi Dom. I. Iac. Triboler, annos 35. nato. Huic subito cum subortus esset vehemens dolor in regione jecoris, curat sibi venam secari, hinc facta humorum metaptosi in pulmones & pleuram; (dolor enim superiorem regionem illico occupavit) ictitis omnibus remediis quarta post die obiit.

§. 10. Ex pleuritide peripneumonicum secui in delirio mortuum, Dextro in latere pulmones sterno & costis fibrillarum plurium ope adhærebant: quarum quædam rotundæ, aliquæ latiores, tum albidæ, rum rubicundæ: In sinistro liber ab ejusmodi nexu pulmo fuit. *Pleura pars dextra* superne *purulenta* erat, ipsáque tunica discedebat corrupta, pus tenacius referens: Eadem & crassior justo observabatur: Dextræ pectoris cavitati vel integra puris mesura inerat, fœtidi, obscure flavescentis, & striis sanguineis cruentati atque acido acris: Qualis etiam intra pulmones ipsos stagnabat, Ex quibus dissectis tabes & sanies copiose dimanarunt. *Ex literis Ioh. de Muralto Medici & Chirurgi Tigurini, die vj. Aug. 1677. datis ad Clar. I. Iac. Peyer Doct. Medicum Schapusanum, cujus benevolentiæ debeo observ.*

IN Delirio mortuum] De Delirii generatione & causis. *Vide lib. 1. sect. 7.* Observ. 19. in scholiis.

Pleura pars dextra superne purulenta.) Succingentem tunicam quoque inflammari non negamus, uti & vicina illi periostia [quæ tamen separatim nonnunquam inflammari, indéque privatam aliquam pleuritidis speciem nasci, eum adeo pertinaciter succingenti, ubi costis illa obducitur, hæreat, concedere minime possumus] quod tamen cum fit, non inflammatis simul pulmonibus, pleuritis illa, quæ vera dicitur, non erit, in qua eruentæ & purulentæ fiunt per sputum excreationes, cum succingens eo se exonerare minime possit, sed illa ejus species quam peculiariter succingentis pleuritidem nominavimus; In qua, si magna præsertim sit inflammatio, sine dubio etiam presso thorace dolor nonnihil exacerbatur, & ad exteriora se aliquousque extendit, cum inflammatio tunc adeo in tenui succingente membrana, vel periostiis collecta, subsistere nequeat, quin ad musculos illi connexos quoque se dilatet: & proin extrinsecus etiam, cum thorax adeo spissus non sit (uti & peritonæo inflammato videmus accidere) tactu percipiatur: In qua insuper specie, si inflammatio suppuretur, extrorsum potius abscessus quam introrsum vergit, illicque se aperit: Vel si in interioribus persistens illic dirumpatur, pus in cavitatem pectoris potius, quam pulmones, ad quos tam cito perferri, eosque penetrare minime posset, effundit: Hoc autem ita evenire, ut hæc comprobant, sic & verisimile videtur, si succingens pulmonum inflammatorum

naturum causa simul inflammetur, & utriusque partis concurrat inflammatio, discuti tunc eam potius quæ in succingente sit quam suppurari: cum tanta copia sanguinis tunc in pulmones infusa, in tenui succingente tunica non facile colligatur: aut si illud fiat ad exteriora potius ferri, uti ostensum, musculosque illos quoque implere illicque suppurari; atque inde est, ut post pleuritidem veram, licet succingens simul inflammetur, nihilque foris appareat, rarius, uti tamen aliquando fit, empyema subsequatur.

Pleura pars dextra purulenta.) A prægressa inflammatione: Hæ vero inflammationes, tam in peripneumonia quam pleuritide vera, in pulmonum aliqua sede accidentes, uti & cæteræ, à sanguine procedunt: Quo cum universus pulmo, in vasis amplis & multis quibus intextus est, redundet, isque propter arterias & vicinum cor fervidior existat, facilius inflammatur; crebrioresque cæteris proin inflammationibus internis hæ pulmonum inflammationes existunt, Quæ à sanguine, uti & reliquæ inflammationes fiunt, quando is è vasis suis, vena arteriosa & arteriosa venosa, non in asperæ arteriæ ramos effusus, (alioquin hæmoptoica fieret passio) sed per pulmonum substantiam diffusus, eos adimplens & attollens, gravitatem pectoris & compressionem angustiamque parit, caloremque suo vicinum cor, jam prius febre ferè accensum, amplius calefacit, perque tussim, quam commovet, portione illius in asperæ arteriæ ramos impulsa, sanie primum tenuiore, mox cruore sputum imbuit, tandemque maturatus, & calore coctus suppuratusque, tamdiu donec penitus expurgatus fuerit, excreatur, illæsa tamen pulmonum substantiâ, alioquin enim ea exulcerata, phthisis, sicuti cum hæc læditur fit, illaque interdum post hos morbos relinquitur, sequeretur: Sed & evenire potest ut pulmonum inflammatorum causa, in vicino latere sanguis in succingentem quoque membranam infusus eam inflammet, quod tamen non ita frequenter, cum exigua pauca vasa eam perfundant, venáque illa cui potissimum causam attribuunt azygos dextrum tantum latus petrepet, pleuritis vero sæpe etiam sinistrum occupet, accidit; *Platerus prax. tom. 20. p. m. 341.*

§. 11. Filiolæ N. febris continua, cum dolore sinistri lateris fugaci: Totus sinister pulmo, & thoracis pars sinistra pure plena erat. *l. 4. tit. de Febribus.*

§. 12. Filia D. N. patiebatur dolorem in summa scapula sinistra & summitate brachii &c. aderat & per intervalla dolor lateris pungens, &c. Inventus est pulmo costis undique & diaphragmati adhærens &c. Cor vero media sui parte fere exesum & exulceratum &c. *vide tit. de hæmoptysi.*

§. 13. Ill. N. febre laboravit cum difficiliore spiritu quam pro febris ratione & lateris dolore ad tactum: Reperta vomica in dextro pulmone, universam simul dextræ partis thoracis pleuram occupans. *lib. 4. tit. de Febribus.*

§. 14. Filius N. quatuor annos natus febre corripitur cum dolore ad sternum & latus sinistrum: Una pars pulmonis veluti stipula ardente deflagraverat, ut & hepar. *Ibidem.*

§. 15. Uxori N. à partu substiterunt lochia, febris, dolor lateris sinistri: Pars sinistra pulmonis fere magna sui parte tabuerat & tabo infecta erat, sana reliqua substantia: *vide tit. de Phthisi.*

§. 16. Uxori N. pleuritide lateris sinistri corripitur: Lobus sinister pulmonis totus fere in putrilaginem abierat: Pleura ea parte crassa erat, syderata, cui cohærebant fragmenta membranæ pulmonis: *vide tit. de Exspuitione purulenta.*

§. 17. Puellula Cachectica. (*vide lib. 3.*) pulmones habuit intra & extra corruptos, fœtidos & purulentos: Dolore punctorio crebro afficiebatur.

§. 18. Uxor N. de dextri lateris dolore conquesta est cum aliis affectibus: Dexter pulmo quibusdam in locis adhærebat succingenti tunicæ & diaphragmati, non tamen multum tumens & inflammatus: *vide lib. 3. tit. de ventris dolore.*

§. 19. Thomas N. cum dyspnœa dolorem etiam per intervalla acutum ad latus sinistrum percipiebat. Pulmo totus putrilaginosus erat præsertim parte sinistra: *vide tit. de Tussi.*

§. 20. Rudolphus N. pleuritico simillimus, nam dolor lateris &c. pulmones toti erant putridi, purulenti, fœtidi: *vide l. 3. tit. de ventris dolore.*

§. 21. In cadavere cœnobitæ cucullati, empyemate cum tabe extincti, conspexit Bened. Silvaticus læsos ante pleuram pulmones: Æger nempe ab angina in peripneumoniam, & ex hac in pleuritidem inciderat. *Ioh. Rhodius cent. 2. observ. 11.*

§. 22. Matronam sustulit pulmo & thorax purulentus, copia autem puris erat insignis & omni superior fide: Antequam ita purulenta diem suum obiisset, per annum unum & dimidium ante querebatur de siccitate linguæ, siti & calore incredibili thoracis, omnia sicca erant, nihil expectorabat, ne tussiebat quidem: Cum postea per dies xx. continuos de dolore sinistri lateris questa fuisset, & novies φλεβοτομηθῆναι, cum spiritu frequenti, & inquietudine incredibili satis concessit. *Ballonius consil. 3. lib. 3.*

§. 23. Nos non tantum in peripneumonia, verum etiam in pleuritide, quam veram vocant, pulmones inflammatos fuisse, in mortuis aliquoties apertis spectavimus. *Platerus Pract. tom. 2. p. m. 339.*

IDem rationibus, quas certas vocat demonstrat: Quod sanguis, quem tam cito excreant pleuritici, à tunica succingente, inflammata tam cito præsertim per pulmones, illiusque vasa, ad exspuitionem penetrare, nec suppurata ea, pus ex eo loco transitum sibi per pulmones, illis non læsis aut ulceratis facere, & sic ad excretionem usque perferri minime potuisset: Sed potius si inde manaret, in thoracis cavitatem deflueret, atque ille empyema gigneret: Quæ proinde cum in pleuritide statim & copiose interdum excernantur, uti in peripneumonia, hæc à pulmonibus provenisse, nec aliunde eo pervenire potuisse satis declarant: Sicuti & accidentia reliqua utrique affectui communia, eandem sedem affectam, pulmones scilicet ambobus esse, luculenter ostendunt: Quod objiciunt, pulmones in pleuritide non inflammari, quia dolor affectio sit partium membranosarum, quales non sunt pulmones; in pleuritide autem punctorium esse, illis proprium, qui gravativus est in peripneumonia; solvit dicens, si circa interiora magis inflamentur pulmones quam circa extimam superficiem, nullas punctiones sentiri: Si circa ambitum pulmonum inflammatio sit, ipsius tunicæ causa punctiones aliquas sentiri, cum pulmo non sit omnino insensilis: Si pleura quoque coafficiatur, manifestiorem esse punctionis sensum.

§. 25. Porosa est pulmonum membrana, ut si forte quid saniei in thorace colligeretur in pleuritide & peripneumonia, in eos pateat aditus, quæ per tussim rejiciatur: In quibus tamen affectibus & pulmones affici statuimus: Sic ex pleuriticorum anatome, & remanente difficili respiratione, ejusque lateris aliquo dolore, in iis qui convaluere ad finem vitæ, edocti. *Bauhinus Anat lib. 2. cap. 26.*

§. 26. Uxor Aurifabri à parto pleuritide sinistri lateris corripitur: Ibi disrupti abscessus notæ deprehensæ, cohærebatque latus cum vicino pulmone sanie mediante. *Lib. 3. tit. de Hypochond. dolore.*

§. 27. Quinquagenarius phthisicus obiit; triennio ante pleuritide laboraverat: inventa syderata pars membranæ succingentis & costarum. *Tit. de Phthisi.*

§. 28. Quibus pulmo totus virosus est, ut *Regi Carolo* contingit, iis sanies in pulmone est quæ falsas pleuritides infert, nec sanguinem expectorant. *Gul. Ballonius Epid. l. 2. p. 165.*

§. 29. Pleuriticorum duorum sectioni adhibitus, cum examinarem costas succingentem membranam, maculam tantum lividam in ea deprehendi, illique affixos pulmones, qui ægre ab ea nonnihil lacerando avellebantur, eosque potius quam succingentem membranam affectos. *F. Platerus.*

§. 30. Ursula Pulen Frisen, (*Vide histor. lib. 1. Tract. de Soporosis affectibus*) noctu in lecto horrore concutiebatur, subsequente æstu, cum dolore lateris dextri punctorio: Pleuritidem neglexit, vinum bibit, venæ sectionem distulit ad signum zodiaci gratius, & magis ex superstitione valetudini commodum: singulis horis dolor lateris dextri incrementa sumpsit, tussiit frequenter: ob doloris vehementiam sputi subcruenti parum excrevit: dolor à latere dextro, quandoque ad collum usque pertigit, qui tamen nec continuus, nec una sede fixus permansit: Die 25. Februarii expectatus venæ sectionis dies advenerat, (quintus ab initio doloris) Verum ob virium languorem & delirium omittebatur: die 26. mortua est, &c.

Mortuæ sterno remoto, pulmo in toto dextro latere firmiter pleuræ adhæsit: quo avulso, in postica pectoris cavitate ad libras duas circiter seri pallidi compatuit: In sinistro latere fibris intermediis pulmo leviculè accretus erat: In dextro latere pulmonum lobi omnes magni, duri, tensi, utcunque rubri, vel potius ex rubro variegati: illorum membra extima densa & crassa: Incisi intus pleni ichore subcruento, subaqueo, spumeo, & in partibus profundioribus purulento adimpleti erant: Sinistri Pulmonis lobi erant molles, flaccidi, albicantes, pauxilla rubedine diluti, &c.

§. 31. In plurimis pleuritide affectis, post obitum apertis, Pulmones simul inflammati, saniosi & purulenti sunt deprehensi. *Rolfinkius conf. 3. lib. 5.*

IN pleuritide affectis Pulmones an coafficiantur dubium, facile quidem partes hæ se mutuo contingentes mutua mala participare possunt, sed viæ per quas communicatio fieri possit non adeo sunt evidentes: Per nudum tactum communicati inflammationem à pleura pulmonibus aliqui nolunt admittere: Venas etiam non habent communes, cum pleura ramos accipiat ab ἀζύγῳ & thoracica, Pulmo à vena arteriosa & arteria venosa: Potest solus contactus primas aperire fores coinflammationi 1. per fibrarum certis quibusdam in locis interventum bis in cadaveribus à nobis observata cohæsio. 2. transitus purulentæ materiæ ex pleura per pulmones complementum addit &c. *Idem.*

In pleuritide alterutrum pulmonum lobum inflammatum Platerus, pluresque Italorum hoc sæculo rationibus & sensibus permoti statuerunt, quibus quoque hæc Anatome calculum præbet. *I. Iacobus VVepferus Dissertat. de Apoplexia hist. xv.*

In partibus profundioribus &c.) Cum pulmonum partes profundiores obsidet phlegmone; tunc nullæ in latere punctiones sentiuntur: In prædicta Ursula dolor lateris dextri adfuit punctorius, quia pulmones intus & extra, necnon eorum membrana afficiebantur: Si enim adeo ad exteriora usque diffundatur inflammatio, ut ejus causa pulmones nimium distenti, præsertim

præsertim quando inspirato aëre dilatantur & exsurgunt (quo tempore solum punctionis sensus adest) accidit tunc ut ob fibras (quarum interventu succingenti tunicæ connectuntur & continuantur) adstrictas, & divulsas, punctiones in latere sentiantur, quamvis inflammatio membranam non attigerit; quod & à flaribus fieri notum est: Gravior autem affectio & si eadem succingens tunica & sympathice à pulmonibus, & idiopathice patiatur incalescens & tumens.

Observatio XXI.

Phthisicis superveniens Lateris dolor, ortum debet pulmonum cum pleura cohæsioni.

Cautio adsit ne longa à Tabe emaciatis sanguinem abducamus, cum his lateris supervenerit dolor, Etenim secari vidimus plurima talia corpora, ac deprehendimus eorum pulmones arctè, ὡς φύσιν, membranæ costis intextæ annecti: Dum enim ventosus quis vapor se inserit huic nexioni, continuum avellit. *Heurnius lib. de Aff. Pectoris.*

Observatio XXII.

Pleuritis lethalis ob succedentem pleuræ Sphacelum.

IN Pleuritide dolor adest persæpe immanis, ita ut æger de vita periclitetur: Si verò perseverantibus signis deterrimis ipse conquiescat, timendum, quia inflammatio, pestilens quandoque & maligna in corruptionem abit & sensum partis aufert: Quo cum premeretur quidam immisericorditer, ut præ doloris vehementia insomnes noctes ac dies duceret tandem cohibito sputo evanuit dolor, qui cum sanus à Medicis judicaretur, post diem subito occubuit.

Aperto cadavere, inventa est pleura in parte interna tota fere nigrore perfusta: Quod signum veneni intus sævientis & sphaceli est certissimum. *Zacutus Praxis adm l.b. 2. Observ. 6.*

§. 1. In pleuritide gangræna aliquando accidit, quod vidi in Duce Medinæ Cœli, qui ante sextum obiit; Tunc nullus dolor in parte sentitur, cum sphaceli ratione sensus deficiat: *Lazarus à Soto Comm. in lib. Hipp. de loc. in homine text. 16.*

Observatio XXIII.

Lateris dolor peripneumoniam sequutus cum hydrope Pectoris.

PArentum morbosæ dispositiones jure hæreditario in liberos transfundi apud omnes in confesso est, quanquam non eadem semper idea affectus erumpant. Id ut in plerisque partibus, sic & in thorace elucescit. Virum nobilem Dom. Jacobum Favre, Senatorem Genevensem, hydrops pectoris abstulit, sub febriculæ specie, in hypochondriis fomitem habentis imponens. Ejusdem Filium annos XL. natum, virtutum, bonorum & muneris Senatorii hæredem, idem morbus, aliis thoracicis affectibus, peripneumoniæ scil. & pleuritidi connexus, abstulit anno 1669. mense Decembri: Peripneumoniæ, 10. o mo. bi desursu indubia fuerunt argumenta, pridie vero ante obitum ingens lateris sinistri dolor obortus est, qui Medicis non parum negotii dedit, quòd virium debilitas à principe remedio, venæ sectione, dehortaretur. Pluribus ante mensibus fœdus faciei color & cachecticus, ac lividus labiorum, difficilis gressus imarumque tibiarum sub vesperam intumescentia, cum pectore anhelo, vitii paterni suspicionem apud me movebant; Vix animam trahenti suppetias, inter plurima præsidia, solum urticæ decoctum, attulit, cujus ope cruenta è pectore excludebantur.

Dissecto cadavere, Cor & Jecur nihil vitii præ se tulerunt. Pulmo dexter à constitutione naturali quodammodo deflexerat. Sinister fere consumptus, uterque planè exanguis: Pleura, qua parte dolor fatigavit, pene syderata erat. In cavitate thoracis aquæ libræ XVIII. repertæ sunt. Glans iridem plumbea, eo è summa scapula, ante aliquot annos vulnerata (quam nulla Chirurgorum industria eximere valuit) deducta. Lien parte superna viciatus & corruptus erat: Ren sinister lapillum continebat; maximum vesica, quatuor unciarum & semis pondo, extremitate acuta fundo vesicæ annexum, neque pondere neque urinæ difficultate molestum. A pueritia Nob. patiens nephritidi obnoxius fuerit, hinc calculi in vesicæ latitantis certa signa exhibuit; quamobrem in consilium adhibitus Illustr. *Dom. de Mayerne* lapidem extenentia præscribit, à quorum usu omnes molestiæ desierunt: crediditque in posterum vir Excell. efficacia medicamentorum detrusum calculum, qui se vesicæ supernæ affigens omnibus imposuit.

LAteris sinistri dolor) Notat *Fernelius* Pathol. lib. 5. cap. 10. ubi peripneumoniæ, pulmonum ulceri aut abscessui lateris dolor accedit; sitque interior, firmus & permanens, significare affectum

affectum pulmonem pleuræ jam adhærescere, interventu pituitæ aut saniei cujusdam lentæ à læso pulmone effluentis: Eo in casu non aliis remediis locus, quam iis quæ cohæsionem illam solvere valeant, saniemque aut pituitæ lentorem liquare: Fotibus ex aqua tepida, lacte & similibus, vesica inclusis: θερμάσματα siccantia nocent, saniei & pituitæ lentorem augendo. Monet idem *Ballonius* Epid. lib. 1. pag. 18. multis, *ait*, Pulmonicis levi de causa dolores lateris excitantur, pleuritidem mentientes, his ad sedationem doloris frequens venæ sectio minime, cum tantum aut flatus fit, aut febris exigua: sic sectio non confert; nam si cum dolor oritur, secueris, lædes plurimum, nam latera tandem debilitantur, & hoc nocet. Si inflammationis fit suspicio, id quidem agendum & protinus ad anodyna concurrendum. *Vide Observat. xxi. ex Heur. iio.*

Observatio XXIV.

In Peripneumonia sæpe unus aut alter lobus tantum Pulmonum inflammatur.

IN Pulmonia non est necesse totum Pulmonem inflammari, quia sæpissime unus aut alter lobus tantum id patitur, ut infinitorum Cadaverum apertio nos docuit. *Loubertus cap. 10. de affect. Thoracis.*

Observatio XXV

Pectoris dolor gravativus in Peripneumonicis contingit ubi Pulmonis viscus inflammatum est, Punctorius ubi pleura coafficitur.

IN Pulmonis inflammatione pectoris angustia adest cum dolore; Dolorque non est pungens sed gravativus, spinam attingens, ubi membranæ pleuram attingentes sustentantur, isque dolor remissior est, nisi membrana simul inflammata fuerit. Nam deprehensum est in dissectis peripneumonia mortuis sæpe membranam pulmones ambientem simul inflammari, & aliquoties simul cum pulmone pleuram quoque simul inflammatione corripi, ubi dolor acutior & punctorius est. Ubi vero ipsæ membranæ primario non afficiuntur, sed visceribus quæ ambiunt inflammatis extenduntur, dolor tantum gravis excitatur. *Sennertus Pract. lib. 2. p. 2. cap. 3.*

APPENDIX.

Varias Lateris Doloris Ideas & causas Continens.

PLeuritidum & dolorum lateris tres fere ideas in artis operibus observavimus: Alii enim dolores sunt ob phlegmonen, alii ob erysipelatoden affectionem, ut in nostris consiliis scripsimus: alii ob purum & sincerum humorem à capite labentem, & tunc non tam est pleuritis quam lateris dolor: ac fere talis dolor inflammationis non est comes, sed tantum congestionis cujusdam humoris & adhæsionis: Imo multos vidimus laborantes dolore lateris ob copiam excrementi in pulmone, cujus pars tenuior & serosior, dum ad membranas funditur, dolores excitat: Sed quod diligenter est observandum, major pars pleuritidum, & dolorum capitis, est tum à congestione cujusdam excrementi in pulmonem & thoracem, tum ob recursum tenuioris humoris per orgasmum à ventre inferiore, quam à capite & partibus superioribus, Quod diligenter videndum, quoniam plerique non audent purgare & solvere ventrem; at sæpe hoc plus confert quam phlebotomia, imo tunc sectioni venæ locus non est. *Ballonius Ephem. lib. 2. p. 79.*

Autumno anni 1570. Pleuritides grassatæ sunt: potius dolores erant laterum ob diffusionem seri à capite. Non erat magna dyspnœa; non tam in tumore & phlegmone consistebant quam in effusione quadam erysipelatode, Juvabat venæ sectio. *Idem. p. 7.*

Tempestas verna anni 1576. innumeros dolores hypochondriorum intulit, per quandam expressionem inferne sursum mali seri & ichoris à cacochymia manantis. Hi dolores falsas nothásque pleuritides retulerunt. Nec tam secanda vena cogitavimus quam de purgando, quanquam & V. S. locus fuit: dolores erant sævi, & inter cæteros adoriebantur mulieres, & quibus anxietas ægritudoque aliqua fuit. *Idem. p. 168.*

Cum dolores vagabunde tenent nothas costas, & continuatione membranarum attingunt aliquando mammas & partes sterni anteriores, caute videre oportet, an propter ventris inferioris cacochymiam, à qua propter vapores elatos dolores surgunt, sensio adsit doloris, An causa ipsa à partibus superioribus pendeat, an vero in thorace ipso sit: Vulgo enim secatur vena, undelibet dolor sit, atque id quidem male: Quis enim nescit, si dolor iste agnoscat causam in ventre inferiore, non modo non prodesse S. M. sed etiam nocere sæpe, quod attractio fiat à partibus inferis, & si nondum adsit pleuritis, ea per sectionem venæ acceleretur? *Ibidem pag. 88.* Plerique queruntur de dolore pectoris unaque ventriculi,

si, & sese animam ducere non posse dicunt: Hic nihil aut parum proficit. S. M. Declarat rerum exitus, etenim si vel cholera morbus succedat, vel alvi fluor, vel laxante alvus sollicitetur, manifesta est istorum dolorum sedatio: Sic cacochymia, obstructio hypochondriorum dolores facit, qui maxime apparent & proferuntur in pectore ob consensum diaphragmatis, & quia in thorace communis est membrana, & lateribus & diaphragmati parte convexa. Sic in iis qui melancholia flatuosa tenentur, circum mammas & sternum & latera dolores surgunt, an ideo venam secabis? Non, præsertim ad evacuandum, sed si velis & urget dolor, ad libertatem obstructionis: Sic initio paroxysmorum, & in specie incubi, & contumaci obstructione viscerum, excitantur dolores in thoracis partibus, & frustra secatur vena. Sic in talibus tentandam prius purgationem existimo, non phlebotomiam contra opinionem vulgi. In doloribus excitandis maxime valet illud quod dicitur, totum corpus conspirare ac confluere, ut sæpe dolor alia in parte excitetur quam ubi causa primaria sit. *Idem pag. 97.*

Alios & dolores laterum observavimus à *flatu*. Flatum autem excitabat ἐνδείξεσι ὑποχονδριακῆ, & præsertim cum chyli fit anadosis, aut quibus solennis est frigidæ haustus dum cubitum disceditur, aut crudorum fructuum esus. *Idem pag. 8.* Medici debent attendere ne temere affectus unus pro altero supponatur] nam novi plerisque hypochondriacis sectam esse venam ob dolorem lateris, cum is tantum esset ratione cujusdam flatus ab hypochondrio surgentis. *Idem histor. 1. lib. 2.* Dolores homoplatarum hypochondriacis familiares, & virginibus quarum faciem fœdus deturbat color, & in his non tam laxare venam quam ventrem convenit, & flatui exitum dare. Hanc flatuum copiam & imbecillitas caloris nativi, & melancholici succi ζύμωσις inducit, præsente quadam ipsorum lactium & pylori phlogosi, ex Dioclis sententia. *Idem cons. 48. lib. 2.*

Plerisque, hyeme præsertim rigente, dolores ejusmodi laterum excitantur à congestione ob ambientem frigidum: An his S. M. imperanda ad orgasmum impediendum? faciendum, aut omnino, nam purgationi tunc nullus locus. In hoc à plerisque peccatur, & ideo Hippocr. purgationi præfert S. M. *Ibidem pag. 18.*

Dum sævit hyems dolores pectoris & lateris sæpissime grassantur: imo & 3. aph. 3. inter hyemales morbos numerantur lateris dolores: qui sæpe à flatu crudo & frigido in pulmonem tho acémque ducto oriuntur, & mendax est id quicquid est: Ad id festinanter Medici phlebotomiam præscribunt, & id temere, Potius valet usus lituum & thermasmatum. Hic gravissime aberratur usu & experientia parum probanda. *Idem pag. 54.*

Ancilla subito correpta est dolore atrocissimo, Latus dextrum & lumbos tam immaniter infestante, ut illa continuo ejulare cogeretur: Cum nulla febris adesset, affectum esse hystericum existimavi; Ideo statim oxycrati cyathum exhibui, quem post horæ quadrantem vomitu rejecit cum multa pituita; Sedato vomitu alterum oxycrati cyathum hausit, & statim dolor protinus evanuit, eáque prorsus liberata est. *Laz. Riverius cent. 4. Observ. 6.*

Multis Pulmonicis levi de causa dolores lateris excitantur, pleuritidem mentientes; an his ad sedationem doloris frequens venæ sectio? minime, cum tantum aut flatus sit aut febris exigua: sic sectio non confert, nam si cum dolor oritur, secueris, lædes plurimum, nam latera tandem debilitantur, & hoc nocet: si inflammationis sit suspicio, id quidem agendum, & protinus ad anodyna concurrendum. *Ballonius Epid. l. 1. p. 18.*

Pleuritides & Peripneumoniæ siccæ, i. e. quæ non tam in humore & tumore phlegmonode consistunt quam in phlogosi & vagabunda assatione aut adustione, jugulant homines incautos & minime cogitantibus Medicis: Harum author est serum acre, subtile, malignum, efferum, eludens exclusionis ansam & pepasmi occasionem, à quo siderantur pulmones derepente. Signa sunt rubores genarum fugaces, tussis inanis, indolentia fere, jactationes, ariditas linguæ & extenuatio præter rationem dolores pungentes & fugaces: De his agit Hippocr. l. 1. de morbis. *Idem pag. 83. Vide pag. 32. & 20. ibidem.*

Dolor lateris aliquando oritur à sanguine bilioso pulmonum venas replente, ac partium inflammationem quandam suscitante: quo quidem certis quibusdam horis magis minusve ferocente, ideòque membranam pulmones ambientem distendente, dolor ille concitatur. Nam licet Pulmones non sentiant, eorum tamen membrana sensu aliquo non caret: Ejusmodi dolor non est punctorius & acutus, sed admodum mitis, non continuus, sed longo temporis intervallo leviter suscitatur; certo loco minime circumscriptus est, sed modo hanc, modo illam lateris partem invadit: nulla vel exigua tussis adest, raro admodum excitata. *Zecchius consult. 26 p. m. 273.*

OBSERVATIO XXVI.

Lateris dolor contusionem sequutus, cujus vestigia intrinsecus apparuerunt.

Rusticus ab equo calcatus dolorem protinus in latere sensit, Eo mortuo, post apertionem pectoris intrinsecus contusionis signa eo in loco apparuerunt. *Vide tit. de Hæmoptysi.*

Pleuritidis à causa externa excitatæ domesticum exemplum habui anno 1666. mense Julio in uxore charissima, Celeberrimi & Rever. Dom. Spanhemi, Theologiæ Lugduni Batavorum olim Professoris filia, &c. Hæc gravida septimestris, equo in planitie prostrato, latus sinistrum terræ graviter allisit, Illico pleuritidis signa pathognomonica oborta sunt; sed paulo post facta venæ sectione, multoque sanguine educto, quia plethorica, Postridie exhibito decocto traumatico, ex artemisia, bugula, sanicula, alchymilla, beta rubra, hedera terr. scabiosa, flor. papav. errat. ejectisque hujus ope, semel tantum assumpti, grumis sanguinis pluribus per anum, quorum quidam nucem juglandem mole æquabant, intra quatriduum omnino sana evasit, adeo ut susceptum reditum ex Helvetia in patriam, cum bono Deo, die Veneris sequenti (casus autem antecedente Dominica circa noctis horam decimam accidebat) inchoaverimus. Lateri dolenti magma earundem herbarum admotum fuit.

OBSERVATIO XXVII.

Lateris dolor à Mediastini inflammatione, costarum contusionem & confractionem sequuta.

ANno 1638. apertum est cadaver Joh. Hix Holsati, qui ex gravi contusione lateris dextri versus dorsum, in tribus primis costis spuriis (unde *flatulentus œdematosus tumor* procreatus) in musculis gangrænam, & in illis costis cariem effecerat: protendebatur hoc malum à spina dorsi, minus extensæ in longum amplitudine antrorsum. Multa puris copia profluebat, ipsaque costarum substantia, ubi spinæ apophysibus articulatur, non tantum inæqualis conspecta fuit, verum etiam aliquatenus confracta: Pleura à naturali constitutione non multum erat alterata, nec Pulmo corruptus, Cor integrum. Verum admirabile erat, quod in mediastini intercapedine, ad cartilaginem tertiæ costæ, à parte supera et meranda, vomica *existebat crasso* pure repleta; similisque etiam sterno sub pleura insidebat, eo loci ubi mediastinum connexum erat, vomica affectum, ita ut inter se duæ hæ vomicæ communem aditum haberent: Eæ autem non aliunde quam à *pleuritide mediastini* originem habuisse videntur.

Aperto abdomine nullum viscus præter naturam graviter affectum deprehendimus: Sed admirationem faciebat magna puris copia abdomini innatans, præcipuè autem ad aqualiculum collecta, cujus cum causam accurate perscrutaremur, nullam aliam oculatè deprehendere, nec ratione comprehendere potuimus, nisi quod pinguedo omenti, & quæ intestinis foris adnascitur, tabifica febre eliquata esset: nam cum residua intestinorum & omenti pinguedo attrectaretur, liquida diffluebat, similique ideam purulentæ dictæ materiæ repræsentabat. *Ottho Heurnius Observ. xii.*

HIppocr. 6. aphor. 5. Inter costarum pectorisque dolores, & partium aliarum, quantum intersit perdiscendum jubet. Hoc vult magnus Medicinæ Magister ingens esse momentum in praxi, Dolorum varias species, magnitudinem & durationem observare ac dignoscere, nam inde pars affecta, causa, effectus & eventus dignoscuntur: Quippe dolor Punctorius designat membranam affectam, Tensivus membranam copia materiæ distentam; Gravativus partem carnosam laborare; Pulsativus partem cui arteria intexitur. Ita in Reone dolor Gravis indicat carni insidere calculum, & interdum etiam abscessum: Punctorius autem designat calculum ejus pelvim lancinare. Sic in Hepate dolor gravis parenchyma affici arguit, acutus autem & pungens ejus membranam: Vult præterea Hippocr. ut ex syndrome signorum, præcipue pathognomonicorum, Medicus distinguat, in thorace an foris tantum malum sit, aut simul etiam intus, vel an tantum intus delitescat. Inde enim ducenda sunt indicationum curativarum fundamenta, ex natura partis læsæ & morbi specifica constitutione desumpta. Cum autem costarum læsiones nihil sæpe periculi portendere videantur, & postea in mortiferum affectum malum degeneret, ideo Hipp. in aphor. Costas priore loco poinit, etsi ignobiliores partibus thorace contentis: contingit ex costarum percussione mortiferum fieri apostema, dum caro musculorum costis supra costas ab iis secedit, non quidem initio, sed post aliquot dies. Etenim dolor multos humores tunc eo attrahit, qui in tumida illa, & tunc fungosa carne suscepti, ob ejus temperamenti imbecillitatem, non possunt in ejus substantiam converti, ideoque nebulo am & flatuosam crassitiem acquirunt, ita inter carnem & costas interferunt, sensimque crassæ & viscidæ pituitæ mucidæ copia ibi colligitur, quæ nisi educatur, carni infert gangrænam, & costis sphacelum: Ad hoc malum præcaveodum oportet statim initio omnia moliri Medicum, ut quæ secessit à costa caro, ei plagulis & ligamentis decenter apprimatur. Quod si medicamentis malum non cedat, ad ferri auxilium deveniendum, & apostema aperiendum, materiaque, si copiosa fit, fistula

fistula inserenda est plumbea deorsum protensa, ut quæ materia perseveranter in hoc apostema incurrit, etiam continenter inde exitum sortiatur. Si autem ea mali pravitas existat, ut etiam hæc remedia spernat, postremo ad ignem erit deveniendum, & cauterio actuali caro gangrænosa exurenda, caute vitando costæ periostium & membranam pleuram. Sin periostium exesum fuerit, tunc costæ caries cauterio erit complananda; contingit tamen raro in hoc morbi genere ut ægroti mortem vitare queant, quoniam ex tetra anathymiasi, ulcerisque evaporatione, provenit febris hectica tabifica, lente ægrum necans.

Flatulentus œdematosus tumor] In Belgii maritimis Provinciis, non raro contingit ut Pleuritici, qui multum & diu humidis fomentis utuntur, contrahant in externis thoracis musculis tumorem pugni magnitudine, à flatulenta materia eò confluente, ob aëris & diætæ humidam constitutionem, locique ex vicina pleuritica inflammatione calorem; Is curatur & dissolvitur calido siccoque fotu, qui continuari debet donec plene morbus deletus fuerit: *nam* consuevit de die evanescere & de nocte recurrere.

In mediastini intercapedine,) Post inflammationem intra duas mediastini tunicas materiam purulentam nonnunquam descendere observavit *P. Barbette* Anat. pract. l. 3. cap. ult. cum ea per pulmones ejici non possit, Trepano sternum perforare jubet, quo foramine & via facta, penicillorum, spongiæ, aliorumque instrumentorum ope, pus educi queat: Notandum autem mediastinum in homine tam magnam non habere cavitatem quam in canibus aliisque animalibus. Vide *Riolanum* Enchir. anat. lib. 3. c. 4. qui idem auxilium proponit.

Observatio XXVIII.

Pleuritis à vomica sub mamma, plena humore virescente.

INterdum malignæ & vulgares Pleuritides grassantur, qualem anno 1598. vidi, quæ generabatur ex humore tenui virescente, & omnibus qui ea corripiebantur fere lethalis erat.

In cadaveribus dissectis, sub mammis reperiebatur vomica plena virescente liquido humore: Huic Pleuritidi unicum in sectione remedium, quod humoris pravi nulla fit mitigationis & coctionis spes. *Iac. Fontanus Med. Pract. lib. 2. c. 3.*

*V*Nicum in sectione remedium) Et noxia Venæ sectio: *Ballonius* l. 1. Epid. p. 20. meminit cujusdam pleuritidis epidemiæ, erysipelatodis, à sero maligno ortæ, quod pepasmi erat incapax: Repentina erat doloris invasio, tussicula inanis: innumeris lethalis fuit S. M. cessabat dolor ea instituta, sed postliminio revertebatur: multis ad pulmones metastasis, hinc ad caput; quæ omnia orgasmum humoris tenuis, pepasmi incapacis indicant.

Unicum in sectione remedium] Ut & in ea pleuritide quæ solam pleuram obsidet inclusosque musculos, nisi vi naturæ sponte disrumpatur abscessus, aut pus ad vias urinæ deflectar. Anno 1658. curandam habui Neocomi Helvetiorum viduam Dom. Gautier Genevensis, mercatoris Gemmarii, Mariam Hoticæam. Hæc prehensa dolore lateris punctorio, comite febre, tussi, dyspnoea, pulsuque duro, nihil quicquam toto morbi decursu per anacatharsin expulit. Punctorio dolori gravativus successit & lateris intumescentia. Pyroticum, multis dissentientibus admoveri jubeo, hinc pus prosiliit rite coctum. Paucis post horis lacteas: mero pure perfusam profundit urinam, cujus exclusio promota est emulsione fructuum halicacabi & semin. frig. majorum, ex decocto ficuum, cicerum rub. summ. urticæ & liquir. Hinc integrè convaluit.

Observatio XXIX.

Anatome Pleuritici, à Pericardii inflammatione extincti.

QUidam in ætate florente acuta febre est prehensus cum siti ingenti, anxietate, respiratione celerrima & frequenti, thoracis incendio, tussi sicca, syncope, cordis tremore, levissimo in thorace dolore sternum versus, cum angustia summa, pulsu duro & inæquali. Hic pro pleuritico curatus, triduo è vita sublatus.

Sectio à morte palam fecit fuisse Pericardii inflammationem, nam tota fera tunica livida & rugosa visa est, & in multis partibus asperitudines apparuere miliaceæ, nigrore infectæ, omnia ab adurente calore profecta. *Zacutus Praxis adm. lib. 2. Observ. 138.*

DE inflammatione Diaphragmatis, Mediastini, Pericardii, speciatim non meminere Practici, quod juxta *Avicennam* eadem infestent symptomata quæ in pleuritide, communique vestiantur tunica: Hinc Galenus 4. de præsag. ex Pulsibus c. 5. *Cum omnia quæ magnis pleuritidibus accidunt respondeant symptomatibus partes nervosæ diaphragmatis, tum quod succingens costas tunica multis nervis prædita sit, tum quod adhæreat septo, membranisque thoracem intersepientibus, per quas ad cor continuatur, &c.*

Observatio XXX.

Anatome mulieris Pleuriticæ, cujus pericardium pure plenum inventum est.

Secabatur fœmina quædam Patavii, quæ pleuritide laboraverat, atque pro tali curata fuerat, cui etiam sectio respondit. Postquam vero ad cor perventum est, totum pericardium pure plenum, & quasi illo obductum, cordis substantia illæsa reperiebatur. *Phil. Salmuth. cent.* 1. *Observ.* 15.

APPENDI

Puris sputum iis Pleuriticis advenit, quibus Pulmones Pleuræ connectuntur, Empyema quibus ii liberi sunt.

IN praxi hoc notatu dignum observavi, scil. illos quibus ex aliquibus signis judicabam Pulmonem pleuræ adhærere, facilius & frequentius in pleuritidem incidere quàm alios: eáque durante suppuratio accederet, etiam pus sanguinolentum ex latere affecto facilius & citius exspuere. In aliis vero quibus Pulmo à pleura liber est pleuritidem minus frequenter contingere, eamque, si ad suppurationem deveniat, tarissime solvi per puris exspuitionem, sed plerumque mutari in empyema: Ratio hæc est, quod in priori casu pus ex pleuræ apostemate possit immediata defluere in ipsam pulmonis substantiam ei annexam, atque una cum pleura, forte ob viciniam nonnihil quoque inflammatam, & sic exspui: In posteriore vero non possit non defluere in thoracis cavitatem, è qua non facile datur introitus in Pulmonis poros. *Diemerbroeck Anatom. lib.* 2. *cap.* 12.

Observatio XXXI.

In Pleuriticis quibusdam doloris sedationi succedit cordis gravamen, ob sanguinem in sinibus cordis & vasis concrescentem.

SOlent pleuritici nonnulli, cum dolores evanuerunt, de insigni gravamine, & velut pondere circa cordis regionem defixo quæri: Cumque ex hujusmodi affectibus obeuntium cadavera aperuimus, in cordis sinubus, & vasorum circumcirca cavitaribus, sanguinem in frustula & glomeres oblongos concrevisse vidimus. *Villis lib. de Febrib. cap. xi.*

IN Pleuritide, angina, peripneumonia, & similibus affectibus, advertere licet sanguinis aptitudinem quandam ad coagulaudum, qua fit minus fluxilis, adeoque in vasis minoribus coagulari habilis, non secus ac in lacte cernitur cum acescere incipit, tunc enim sine coagulatione non coquitur, nec super foco incalescit. Pariter & in sanguine suspicari est diathesin quandam ad acescendum, cujus ratione coagulationi sit obnoxius: facile enim constat quod in Pleuritide & similibus affectibus, inflammatio, seu cruoris extravasatio, non semper dependeat à sanguinis exuberantia & vasorum plenitudine, sæpe enim cum pulsu debili, & vasorum subsidentia, sanguis in motu sistitur; & in latere, aut alibi extravasatus dolorem acutum infert. Imo ex una parte depulsus mox in alia defigitur: Quandoque in ipso corde stagnare incipit, ibidemque oppressionem sæpe lethalem inducit, Quare solent Pleuritici nonnulli, cum dolores evanuerunt; de insigni gravamine, circa cordis regionem defixo queri: *Idem.*

Cum dolores evanuerunt) Cum dolor secta vena disparet, an ideo securos de morbo esse oportet? Nequaquam, nam multos statim Peripneumonicos evasisse vidimus. Ingens erat sitis, incendii in pulmone nota, tussis non aderat nisi aliquando, Fallacia sæpe sunt signa inflammationis Pulmonis, quia exquisita rarò urget: Si inflammatio ἀκριβὴς, ingens tussis, sitis, lingua cum virore pallida, pulsus durinsculus cum mollitudine, vomitiones, circa alvum dolores, alvus facile irritatur, sic cautos & restrictos esse oportet in usu catharticorum: Animus sæpe videtur deficere tum ob phlegma contentum, quod fatuitatem quandam inducit, tum ob vaporem, tum maxime quod cordis regia accensa animus præ incendio videatur deficere. Accedit revocatio caloris & spiritus ex omnibus partibus, excitatio φυμάτων capite accenso, evocatio humorum ichorumque à partibus inferis, quod Hippocrates observavit. *Ballonius li.* 1. *Epid. & Ephem. p.* 22.

Observatio XXXII.

Anatome pleuritici in cujus thorace copia puris deprehensa est.

§. 1. PUs aliquando ex aperta vomica in pleuritide *in thoracis spatium confertim effunditur.* Sic in Dom. Danserville & de S. Ygnon cadaveribus, præ vehementia pleuritidis quarta morbi die extinctis, pus ad libras plures collectum repertum est, præter eam particulam quæ à naribus effluxit. *C. Piso de morbis à serosa illuvie sect.* 3. *c.* 4.

Pus in

Pus in thoracis spatium) Quod verisimilius quam penetrare à pleura in pulmones, ad quos tam cito transferri nequit: Si copiosum per anacatharsin educitur, proculdubio coaf-fecti fuere pulmones. Alias si succingentis ...stas membranæ ingens sit inflammatio, vix fieri potest, quin ad exteriora se non porrigat, musculosque connexos afficiat, hinc à succedente suppuratione abscessus extrorsum potius quam ad interiora verget, ibique se aperiet, vel si in interioribus consistat, ibique disrumpatur, pus in pectoris cavitatem delabi necesse est.

§. 2. Juvenis punctim gladio prope claviculam dextram, & prope scapulam sinistram vulneratur. Succedit dyspnœa, sinistri Lateris dolor, &c. Ingens copia materiæ purulentæ candicantis in sinistro thorace reperitur, *Vide lib. 4. tit. de vulneribus.*

Observatio XXXIII.

Lateris dolor aliquando excitatur, quia Hepar fibrarum ope nothis costis alligatur.

Corporibus nonnullis à natura datum est, ut Hepar fibris quibusdam ita costis inferioribus hæreat, ut hoc viscere laborante distentoque, costarum regionem dolor infestet; atque Pleuritidis speciem referat, quemadmodum multis abhinc annis observavi, & experimento comprobavi. *Zecchius consult. 26. Hollerius lib. 1. c. 26.*

Hoc viscere laborante] Omnibus Jecorariis, id est, quibus grandius hepar, amplius, tumentius & calidius, cum febribus magnis prehenduntur, maxima ex parte tempore urgentis febris, dolores in claviculis & secundum homoplatas sentiunt satis vehementes: & signa diagnostica pleuritidis superiores aut inferiores partes occupantis Hippocr. desumit ex dolore aut claviculas, aut ileos regionem occupante Hepate accenso, aut inflammato, aut per insignem febrem æstuante plurimum, dolor potest ad jugulum pertinere. *Ballonius consil. 77. lib. 1.* A Liene etiam dolores in mammis & scapulis oboriri docet Hippocr. lib. de int. affection. cap. de Hydrope & Liene.

Observatio XXXIV.

Lateris sinistri dolor, ob Diaphragma Lieni affixum.

Quidam purulenta tussiens, circa diaphragma sinistro latere vehementissime doluit: Mortui dissectio, diaphragma solito crassius lieni firmissime annexum ostendit. *Vide tit. de Phthisi.*

Observatio XXXV.

Anatome Virginis latere dextro dolentis, quod illæsum deprehensum est, irritatum à pure ex abscessibus imi ventris eructato

Virgo annorum circiter XVIII. hebetioris ingenii, boni habitus, in orphanotrophio Genevensi educata, de dolore capitis sæpe querula fuit Mense Octobri ineunte anni 1677. de gravitate pertinaci & pubis conqueritur cum mictione difficili, frequentique urinæ interceptione: Mag. D. Dantand & *Bailly* Nosodochii Chirurgis peritiss. commissa, his cathætere calculum invenit, quem ovum grande æquare asseruit: Hinc præmissis præmittendis, eodem mense exeunte, Lithotomiæ exponitur, quæ ab eodem Chirurgo suscepta est feliciter, quanquam ob magnitudinem lapidis (ovum enim anserinum æquavit,) ejusque insignem asperitatem, semihoram eductio impleverit: Operatione peracta septem dies excurrunt citra febrem aut grave symptoma, vulnere pus coctum eructante: Octava autem de dolore lateris dextri conqueritur, sed citra tussim, citra dyspnœam, *comite tamen febre*, quanquam miti. Ter missus illi ea de causa sanguis, nullum vero medicamentum (quodvis respuens) ore assumpsit: biduo ante obitum, quatriduo ab invasione lateris doloris, quinquaginta & ultra excrevit lumbricos vivos per os, unum per nares, sesquipedalis omnes longitudinis & crassissimos.

Cadaveris aperiendi facta potestate: Corpus sat bene habitum repertum est & succi plenum: Mammæ tamen flaccidæ, Pectus justa latitudine donatum, sed dimidia parte supra brevius intervallo quod mucronatam cartilaginem & umbilicum intercedit. Eo dissecto 1°. Hydrops pectoris deprehensus. 2°. Pulmones circa dorsum ad livorem vergentes: Aperto abdomine 3°. Hepar bene constitutum, sed imis lobis nigricans, à contactu puris in imo ventre fluitantis. 4°. Vesica fellis infra lobum jecoris pendula erat, pondere lapidum inclusorum detracta, è quibus tres nucem moschatam minorem æquabant: reliqui n°. xv. granis piperis similes erant, flavi omnes, & bilem colore referentes: reliquum cystis spatium occupabat amurca illi similis quam depingit in sua Praxi *Franc. de le Boë Sylvius cap de Ictero.*

5°. Omen-

5°. Omentum lacerum erat ima parte: 6°. Lien externa facie utcunque bene se habebat, extremus tamen lobus nigricabat, à pure infectus, intus omnino putris, sanguini farciminum similis: Maxima labes in mesenterio & circa id deprehensa est, ubicunque enim manus admoverentur, abscessus & pus deprehendebantur, à cujus præsentia vitiata erant omnia circa fundum abdominis: Uterus illi innatabat, cujus cavitatem portio subierat: Pars multa, ob supinum decubitum, in pectoris cavum viam sibi fecerat. 8°. Ren dexter solito major, prave conformatus & pene rotundus, abscessu quoque tentatus, pus enim inter propriam tunicam & adiposam continebatur, nec non in cavo circa pelvim, quæ dilatata erat, ut & ureteris orificium. In eo Rene lapidem è vesica eductum rudimentum accepisse verisimile est. Sinister debitæ erat magnitudinis & figuræ, intus quoque purulentus: 9. Vesica urinaria contracta erat & retracta ad ostium, citra ullas phlegmones prægressæ notas, intus rugosa & exasperata à lapidis præsentia quæ quanquam non illæsa, è partibus tamen quas continet imus venter, mincrem cladem passa est, quanquam ob vim illatam, & vicinarum partium vitium, deteriori loco res ejus esse debuissent: Mirum autem cum tanta viscerum corruptela, non infirmiori valetudine usam fuisse virginem, neque marcore confectam fuisse, quinimo succi plenam & torosam, integ âque valetudine totis sex ante operationem hebdomadis fuisse.

Lapis è vesica extractus cineritii erat coloris, ovalis formæ, sed aliquantulum depressioris, asperrimus & scaber, In lateribus rubens quasi ex sanguine in calculum concreto.

Omite tamen febre) Consideratione dignum quod observavit *Ballonius* Epid. & Ephem. lib. 2. p. 145. Quosdam laterum doloribus esse obnoxios, quibus dum febris adest, aut adesse debet, dolet tunc latus, eodem modo ac si pleuritici forent: frangente se febris calore, minui dolorem, quod arguit dolorem istum accidentarium esse: Mulier, *ait*, prægnans latus dextrum dolet: dum sana est, de eo querula est latere, fortassis quia pars hæc infirmior est aut hæret pulmo ad costam: Mirum quod contigit; cum febris inciescebat, quæ certe erat partim essentialis, partim symptomatica, rantus dolor erat, ut summam difficultatem respirandi afferret: Ergo non erat pleuritis, sed dolor lateris pro motu febris & humoris exacerbatus. An his sectio venæ conferret? sed non sæpius reperta, quia non tam fit per inflammationem, aut impactionem, quam infirmitatem, ut quæ pars infirma est salile corpori condoleat: maxime verò sese profert dolor in gravidis, ob compressionem vasorum à fœtu.

Observatio XXXVI.

Lateris dolor ab Hepatis vomica excitatus.

Cum æger temperamento bilioso, xxxv. circiter annorum, corpore squallido, inflammatione Hepatis laboraret, Medicus quidam pleuritide excruciari eum asseruit deceptus, quia aderat febris, pulsus durus, difficultas respirandi & dolor in superiore parte thoracis. Quibus signis, quasi veris pathognomonicis, calidis remediis usus est, me semper renuente, qui refrigerantia præscribi volebam ob igneitatem Hepatis; Anatomica enim sectio alias mihi annuebat indicationes: ex qualibet enim inflammatione, etiam minimi digiti, oriri potest febris. Inflammato suspensorio Hepatis, per consensum, cum sit membrana, potest fieri pulsus durus: Difficultas porro respirandi & dolor pectoris, circa claviculam dextram, non magnæ erant considerationis, cum enim Hepar communicet cum peritoneo, *indéque cum pleura*, (quæ nihil aliud est quam vitalium partium peritonæum) mirum non est si ipso accenso, dolor circa claviculam persentiatur & difficultas adsit respirandi. *Aderant alia signa*, quæ si accurate ab illo enucleata fuissent, æger forsan viveret, sicuti dolor acerbus supra regionem Hepatis, calor immodicus, vomitus biliosus cum cardialgia, diarrhœa biliosa postmodum dysenteria cum siti vigiliáque intolerabili, atque totius corporis emaciatione: tandem post xv. dierum spatium, magna puris graveolentis quantitas per alvum excreta fuit, quam paulo post mors sequuta est.

Secto cadavere vomica in Hepate cum maxima puris coacervatione inventa fuit. *Dom. Panarolus Pentecoste* 1. *Observat.* xxxvii.

Indéque cum Pleura) Quibusdam corporibus à natura datum est ut Hepar fibris quibusdam costis inferioribus copuletur. Itaque laborante Hepate imago Pleuritidis repræsentatur: Aliis materia quædam crassa & viscida in membranis pectoris colligitur, toto etiam thorace, unde dolor gravis, dyspnœa & ficta pleuritis: nam nec pungitivus dolor, nec febris incenditur, ut nec si flatus membranis aut intercostalibus musculis impactus est. Aliquando etiam musculi inflammantur, sed pulsus hic alius, nempe mollis: dolor gravis est, non pungens, & omnia fere leviora sunt: Membranæ quoque thoracem distinguentes si inflammantur, par negotium vitæ faciunt atque lateris dolorem verum. Sæpe etiam inferioribus costis infiam-

inflammatis diaphragma, atque hinc stomachus graviter laborat, magno periculo; Morbus hoc anno 1551. in vere plurimos, & eos maxime qui vel negligenter curati sunt, sustulit. *Hollerius lib. 1. cap. 26. de morb. internis.*

APPENDIX.

Lateris dolor inflammationis uteri comes.

Uteri inflammationem sequitur febris, dolor in coxis & *lateribus*, quandoque ad claviculam usque protenditur: Et quia ob septi transversi compressionem, si magna est, sequitur uteri suffocatio, si minor magna spirandi difficultas, minus exercitati medici Pleuritidem existimant, ignorantes consensum uteri cum septo transverso & cum clavicula; integitur enim peritonæo, & eo solo firmatur, ac retinetur à parte superiore: quare si distendatur assatim, & in majorem molem accrescat, distenditur peritonæum, & hyposicota, ob illam unionem quæ fit in septo transverso ex peritonæo & hyposicota. *Rondeletius meth. cap. 72. lib. I.*

OBSERVATIO XXXVII.

Lateris dolor à Pustulis duabus, una in stomacho, altera in cavo Iecoris, sobole morbi Venerei, inductus.

Fuit juvenis qui maximis tenebatur doloribus dextri lateris: Nullum ei remedium proderat: Postquam verò mortuus est, facta secandi potestate, animadversa est, cicatrix circa genua, unde facta conjectura cum morbo Gallico laborasse.

Aperto corpore, invenerunt quod morbo Gallico etiam interius totus laboraffet. In Diaphragmate videbantur maximæ pustulæ: Ubi autem fuit dolor maximus dum viveret, ibi stomachus habuit cavæ manus instar pustulam, & in superincumbente cavo hepatis, similem aliam pustulam, ut una alteram comprimeret. *Ex Schedis C. Gesneri.*

V*Nde facta conjectura eum morbo Gallico laborasse*) Vidimus, *ait Ballonius* 1. Epidem. & Ephem. p. 7. Dolores lateris perpetuos, sed qui de nocte urgerent, nullis cessere remediis: Cùm remediorum inopes essemus, de lue Venerea suspicio fuit: Tandem diæta & litu curatio procurata est. Quoties consuetis remediis morbi non profligantur, ad κατάληψιν Galeni consilio est recurrendum.

OBSERVATIO XXXVIII.

Pleuritis à vermibus in imo ventre latentibus producta.

Fuit à nobis aliàs in observationibus nostris animadversum, Pleuritidis quandam speciem esse, quæ in omnibus veram & legitimam, non autem spuriam æmuletur: Orta est à malignis & acribus vaporibus, ab inferioribus partibus sursum in pectoris regionem delatis: ex quorum virulentia & acrimonia, Pleuræ inflammatio, nec non venarum erosio excitatur, unde sanguinis exspuitio, spirandi difficultas, febris & alia symptomata, quæ veram Pleurisim comitari solent, consequuntur. Ubi purgatio sanguinis detractioni longe latéque præferenda erit. Sed hujus rei veritatem cognoscent ii qui Ferrariæ in Xenodochio aliquandiu degerunt, ubi infinita Pleuriticorum cadavera quotidie dissecantur, in quibus viscera interiora, stomachus scil. & intestina, lumbricis & vermibus tota infarcta reperiuntur: Hujusmodi Pleuritides, quæ ab iisdem quibus pestilentes, ortus sui causam ducunt, *auxilium tale exposcunt* quod facultatem habeat vermes expellendi & corruptionum incommoda tollendi: qualis est virtus & proprietas mercurii, retum mercurialium, &c. *Quercetanus Pharmacop. Restit. cap. vii.*

Puella viij. annos nata laborare cœpit tussi & febre, quibus successit lateris dolor; ita ut Pleuritica censeretur. Attamen 5°. die morbi tres aut quatuor lumbricos excrevit per clysterem, ac diebus sequentibus quamplures. Tum exhibitis medicamentis lumbricos expellentibus, tum purgante medicamento, & ita est curata. Unde patet vapores ex materia putrida (à qua lumbrici generantur) elevatos, dolores lateris & tussim, aliáque simptomata producere quæ pleuritidem mentiuntur. *Riverius centuria 1. Observat. lxxv. Firmat Gabucinus cap. 13. libelli de Lumbricis,* Nos, inquit, puellam curavimus in qua cuncta spectabantur symptomata quæ pleuritide laborantibus solent obvenire; dolor in primis aderat punctorius in thoracis dextra parte; tussicula quædam sicca, vel levi quaque occasione commota, pulsus arteriarum durus, serraque haud omnino dissimilis ac recurrens, spiritus offendens, continens febris. Hujus cùm interdum videremus totum corpus frigidum, nonnun-

quam calidum, cum malarum alrerius rubedine fieri, sumpto ad lumbricos necandos & educendos medicamento, statim plutes eduxit atque incolumis evasit. *Idem à Ballonio observatum Epid. lib. 1. pag. 21.* Puero dolor erat circum latera, detrahebatur audacter sanguis: dolores non concedebant, inopinato vermes exclusi sunt, dolores quieverunt. An vermes id facere potuerunt? Ita prorsus, imo & innumeras dolois species excitare possunt in omnibus partibus, ac præsertim si ad ventriculum repant. *Helmontius*, referente *Grembsio Arbor. vu.* lib. 2. cap. 1. §. 9. Vermes quoque Pleuritico dolori ansam præbere censet exemplo fœminæ dolore punctorio detentæ, quæ sumpta purgatione per os rejecit vermem vivum oblongum. Ille *ait*, in pectore non continebatur, sed archeus in stomacho propter vermem irritatus acorem produxerat, qui in pectore punctorium dolorem causabat; adeo stomachi archeus in omnes reliquarum partium spiritus innatos seu archeos dominatur, quasi illarum digestionibus præsit.

Ubi purgatio sanguinis missioni) Aliquando & dolores vagabunde tenent nothas costas, & continuatione membranarum attingunt aliquando mammas & partes sterni anteriores, Sed tunc videre oportet an ob ventris inferioris cacochymiam, à qua ob vapores elatos dolores surgunt, sensio adsit doloris, an causa ipsa à partibus superioribus pendeat, an vero in thorace ipso sit; Vulgo enim secatur vena undelibet dolor sit; atque id quidem male, Quis enim nescit si dolor iste agnoscat causam in ventre inferiore non modo non prodesse phlebotomiam, sed etiam nocere sæpe, quod attractin fiat à partibus inferis, & si nondum adsit pleuritis, ea per sectionem venæ acceleretur? *Ballonius Epid. p. 88.*

Auxilium tale expofcunt) Notavi in centuriis Martini Rulandi inchoatam semper fuisse ab illo Pleuritidis curationem à purgatione, quam statim initio præmittebat, dilutam aqua ejus benedicta, quæ semper vomitum aliquem levem proliciebat, ut ipse refert: hanc describit licet obscuris verbis, cujus basin constituit crocum metallorum, quem aqua ulmariæ aut cardui benedicti (unde nomen ei imponit benedictæ aquæ) diluebat. Qui quidem crocus, etsi omni sapore destitutus est, non caret tamen per inferiora purgandi viribus; levem simul atque urilem vomitum interdum excitans. Nec miror inter specifica illius remedia istud ab illo usurpatum in pleuritidum curatione, præsertim pestilentialium. Siquidem in multis pleuriticis ea jugulatis, etiam senibus, quorum corpora post obitum aperienda curavi, deprehendi magnos interdum lumbricorum cumulos in ventre collectos, ex quorum sordida & putrida materia, seu virulentis ac acribus vaporibus pectus inficiebatur ac incendebatur, unde constat quam apte purgatio potius quam venæ sectio præscribatur in illis pleuritidibus. Hinc subiit judicare crocum istum metallorum ejusmodi virulentis putrilaginibus abigendis maxime proprium & specificum esse remedium, &c. *Quercetanus cap. 5. Defens. Hermet. Med.*

OBSERVATIO XXXIX.

Pleuritidi quidam fuit obnoxius, quod in vena azygo unica esset valvula.

PRimus post Amatum valvulas venæ azygæ detexi, & in omnibus cadaveribus privatim & publice demonstravi, atque in vena intercostali valvulam adhuc sæpius observavi: Quum thorax ob respirationis necessitatem perpetuò moveatur, ne sanguis in venam azygon affatim irruens Pleuritidem inferret, benigna parens natura ut huic incommodo prospiceret, tres valvulas tanquam ostiola in caudice venæ azygæ alternatim disposuit: prima est in exortu venæ, duæ aliæ directè oppositæ in medio caudice sunt affixæ, affatim irruenti sanguini obsistunt, sed remeanti cedunt, Propterea non impediunt quominus materia pleuritica ab azygæ ramis in cavam refluat: Quod si *unica* tantum *adsit valvula*, ut semel mihi videre contigit, ejusmodi corpora Pleuriticis affectibus sæpissimè tentantur. *Riolanus Anthropogr. lib. 3. cap. 8.*

V*Nica adsit valvula, &c.)* Humorum motum sistunt valvulæ venarum: hæ si vel absint, vel quacunque de causa obstructæ sint, tunc in ea saltem vena, eâque corporis parte sanguinis motus impeditur, ubi obstaculum hujusmodi adest: Ita sanguinem inhibere valent anastomoses, si vena qualiber cuilibet venæ vel arteriæ sociæ debite orificio suo non adaptetur; id quod fieri potest ob solutæ unitatis, vel etiam cavitatis, scil. obstructionis, morbum: Si enim sanguis non in sociam venam & arteriam, ut decet, sed in habitum corporis effunditur, atque ita non solum sanguinis profusio, sed simul etiam fluxus inhibitio fit, cum nec illa mittat, nec hæc recipiat sanguinem, sed sanguis, qui ulterius venæ sanguinem impellere debebat, à debita aberrat via.

Quominus materia pleuritica, &c.) Cum venæ ἀζύγῳ non raro emulgentibus intercedit communio: *Fallopius* in Observat. Anat. scribit ut plurimum unico ramo eam inseri in emulgentem, & hanc viam esse per quam materia pleuritica faciens nonnunquam cum urina expurgatur, ita ut non amplius necesse sit credere illam per venam cavam & ventriculos cordis transmitti: contra hanc sententiam vide *Laurentium* lib. 9. Anat. qu. 12.

Si unica tantum, &c.) *Hippol. Boscus* de Facult. anat. p. 54. se nunquam in vena sine pari valvulas deprehendisse asserit, testem adducens Anatomicum peritissimum *Ioh. Baptistam Cananum.*

Pleuriticis affectibus sæpe tentantur). Clar. *Wal-leus* in sua methodo Med. causam disquirens cur in Pleuritide juvet sanguinis missio, vena è directo aperta, eam in arteriis quærendam ait, non in venis. Arteriæ quippe sanguinem in partes convehunt, revehunt venæ superfluum, ac quo celerius, eo minor inflammationis metus; celerius autem si desint valvulæ, quæ obices

obices sunt & repagula confluenti ἀθρόως sanguini. Assignetur ergo potius causa frequentis invasionis pleuritica, sanguinis qualitati, qui concretionis facilis causas intra se gerat: Nisi dicas arterias venis ampliores plus adducere quam hæ reducere valeant.

Clar. *Verzascha* observ. medic. 15. Pleuritidem periodicam se observasse, ait, in sacerdote quodam xxx. annorum, qui singulis annis, verno tempore, Pleuritidem periodicam passus fuit, æquè quinquies illum liberaverit, tandem cum sexta vice illa rediisset, tandem ægrum è medio sustulisse. In proximam, *ait*, hujus Pleuritidis periodicæ causam sedulo inquisiva, tandem apud magnum *Riolanum* legi se vidisse, quod illa corpora &c. (*vide textum*). Sed in situ & usu valvularum *Riolanus* ab *Amato* dissentit, nam hic illas foris intrò spectare voluit, ut remeanti sanguini obsisterent. Ille autem intro foras reduci demonstravit, ut impetum affluentis sanguinis sustinerent, ac refluenti cederent: Quippe natura prævidens incommoda quæ partibus ex plenitudine vasorum evenire solent, elegans artificium excogitavit; etenim in partibus declivioribus, & quæ continuo moventur, vasorum orificiis membranulas tanquam repagula apposuit, ut illis repentinus sanguinis fluxus sisteretur. Quum igitur thorax ob respirationis necessitatem perpetuo moveatur, ne sanguis in venam sine pari affatim ruens Pleuritidem inferret, benigna parens ut huic incommodo prospiceret, duas vel tres valvulas tanquam ostiola vel repagula in caudice venæ sive pari alternatim disposuit: prima est in exortu venæ, duæ aliæ directè appositæ in medio caudice sunt affixæ; quæ affatim irruenti sanguini resistunt, sed remeanti cedunt. *Rolfinckius* Dissertat. Anatom. lib. 5. cap. 29. valvulas dictas tandem admisit, non tamen tam ingentes esse ait quam sibi imaginatus est *Amatus*, Sed exiguas.

APPENDIX.

De Pleuritide ex Dorso.

PLeuritis ex Dorso affectus est ab Hippocr. nominatus, à paucis, quod sciam, observatus; à me semel; erat autem mulier gravida gerens septimestrem ferè fœtum: dolor erat punctorius paulò infra duodecimam spinæ vertebram, dolor inquam insignis pertinens ad regionem Hepatis, febris assidua, tussis inanis, cùm inflammatio ferè extra Thoracem esset, ut Pulmo serum ab inflammatione manans apprehendere nequiret, inter signa Pathognomonica erat dolor circum Dorsum: membrana affecta, non quæ costis obtenditur, sed quæ vertebras cingit: inter signa demonstrativa, erant urinæ planè vinosæ, ac si sanguis multus eas proluisset ac tinxisset, quia enim coafficitur Hepar, urinæ tales apparent. De ea Affectione ita Hippoc. lib. 3. de morbis. *In Pleuritide ad Dorsum dolet ipsum Dorsum velut ex plaga, suspirat & acervatim spirat, statim pauca tertia aut quarta die, saniem meiit subcruentam, &c.* Et secundo de morb. loquens de morbo Dorsali quem νωτάδα vocat, quid aliquid affine habet, ita scripsit; *Doles Dorsum & Inguina, tertia & quarta cruentam meiit urinam.* Inflammatio itaque pertinet ad partes Thorace inferiores: In eo ergo affectu duo symptomata comperimus, unum est mictio cruenta, vel quod præ calore & inflammatione, serum & χυμὸς urinæ appareat αἱμώδης; ob bilis mixtionem quamplurimæ; vel quod reapse sanguis remisceatur ipsi urinæ, facta translatione quadam ad vesicam. Alterum est, difficile spirare erecto corpore, quod novum est in morbis Thoracis, Hippocr. in Coacis meminit cujusdam Pleuritidis in quâ Dorsum rubet per erysipelas, à fluxu concitato per venam Thoracicam, per quam fit Pleuritis Dorsalis, de qua hic agitur, hæc à reliquis differt. Curatio mihi videtur maximè posita in sanguinis detractione, eáque tantò frequentior & major esse debet, quò magis posita est in inflammatione per collectionem, & quod spes sanitatis non sit posita (ut cæterarum Pleuritidon) in larga & facili sputorum eductione: nec enim alæ Pulmonum allidentes ad latera, exugere possunt materiam phlegmones, resudatione quadam corpus Pulmonis subeuntem: Nos isti mulieri, etiam gravidæ, sanguinem septies dempsimus, & cùm nobis religio esset toties evacuare, illa instabat precibus ut auderemus, adeo manifesta ex frequenti liberalíque sanguinis detractione allevatio consequebatur, fotibus litibusque aliquando adjuta est, aliquando ægrescebat. *Tractatu peculiari de eo morbo.*

OBSERVATIO XL.

§. 1. *Dorsi dolor à Pulmonis sinistri corruptione & Ventriculo perforato.*

VIr *maximis in Dorso doloribus* diu multúmque divexatus, tandem nigra vomuit, de 3°. vel 4°. die vomitus repetens, interdum tres mensuras id quod exiit adæquabat: primus ille vomitus membranaceam cruentam particulam secum eduxit, unde mihi de perforato prope Lienem ventriculo exorta fuit suspicio: Fuere in re Anatomica male informati apud quos irrisionem merui, posthabitis utriusque cultrivori, Bohemi unius, alterius Botussi historiis, malè de stomachi perforatione sentirent; Vitali tandem aura privati illius ægroti cadaver ubi apertum, infima corporis regio omni labe carebat: In pectore verò sinister pulmo totus corruptus & putrefactus, citra qualemcumque fœtorem apparuit: Lobus ille spinæ dorsi firmiter adhæsit, atque per œsophagum paulò supra superius ventricu-

li orificium, ruptum, liquorem illum nigricantem in ventriculum congessit, unde per intervalla vomitu ista saburra prodiit. *D. Volcamerus Med. Norbergensis Annot. ad Observ.* 229. *Miscellan. curios. ann.* 1671.

Maximis in Dorso doloribus) Viscerum internorum causa dorso accumbentium, majorum præsertim, & per ligamenta dorso appensorum, si ea distendantur, aut in tumorem eleventur, aut alioquin ponderosiora fiant, trahendo & distēdendo membranas dorsi, quibus anneсtuntur, ejus dolorem, horum morborum fomitem, procreavit. Qualis Dorsi dolor admodum frequēs, qui ponderis, aut veluti divulsionis sensum exprimit, in diversis Hepatis, Lienis, Intestinorum, Mesenterii, Uteri [adde ventriculi] morbis, &c. *Platerus Praxeos lib.* 2. *cap.* 16.

Liquorem illum nigricantem in ventriculum congessit] A ventriculo Dorsi dolores procedere ostendit *Sennertus Prax. lib.* 7. *p.* 5. *sect.* 1. *c.* 4. In hypochondriacis, *ait*, ventriculi dolores vehementes adsunt, qui nonnullis ad Dorsum usque procedunt, ut ab ægris, imo etiam incantatis medicis sæpe pro nephriticis habeantur, concoctis deinde cibis quiescunt, mox aliis cibis ingestis revertuntur eodem modo; Ita vir quidam Nob. hora à cibo 4. vel. 5. quotidie gravissimos dolores patiebatur qui à ventriculo in dextro latere versus dorsum & scapulas usque extendebantur, &c.

§. 2. Vir reverendus Febre assidua prehenditur, cui tussis accedit, difficilis respiratio, siccitas linguæ fine siti, Dolor universi corporis, præsertim Dorsi, mingendi difficultas, &c. Reperta est corruptio Pulmonis in parte sinistra versus Dorsum vergente. *Vide lib. 4. tit. de Febribus.*

Observatio XLI.

Dorsi dolor à carie vertebrarum inductus.

Nobilis vir, quia *Venerea contagione* infectus fuerat, & cum instar venenatorum humorum lues ista sæpe de instituto adoriatur hanc aut illam partem, dolores sentit implacabiles in tertio & quarto metaphreni spondylis. Nullis superantur remediis, præ dolore interiit.

Reperti sunt duo isti spondyli carie ac tabo confecti, hinc dolores, hinc mors: Avicenna Fen. 22. tract. 1. cap. 12. eam corruptionem Spinæ vocat *Ventositatem spinæ*, quod talis corruptio fit ab ichore: ichor vero & flatus malignus consimilis fere affectus afferunt, diximus enim ichores & flatus dolorum maxime causas esse. *Ballonius Ephemer. & Epid. lib.* 1. *p.* 83.

Venerea contagione infectus) Memorabile est præceptum *Ballonii* cons. 28. lib. 1. ubi proponit casum cujusdam doloribus atrocibus ad sternum & spinalem medullam divexati à lue venerea obortis: Cùm querelas, ait, ægrorum audimus de morbis intercutaneis, quod nil aut parum levati videntur à remediis, recurramus ad occultum aliquod; non quod à cœlo repetamus, sed ad internas occultásque causas. Nam quoties de fugacibus morbis, aut doloribus potius, conqueruntur ægri, aut de fixis circum ..., suspicari oportet aut latens venenum, aut reliquias ejus luis, sive ab hydrargyri, sive à morbi ipsius maligna vi ortum dicatur. In plurimis enim id nobis contigit videre, quos sævi admodum dolores sursum deorsum, in omnémque partem errantes.

Ventositatem spinæ) Ad mentem Arabum Ventus seu flatus spineus dicendus, quem affectum vulgus voce inversa Spinam ventosam vocat: Severinus novo nomine Pædarthrocacer; non spinam solam, sed & cætera ossa invadens & carie exedens, quanquam id nominis primario gerat, si spina affecta sit. Vide de hoc morbo librum ultimum.

Observatio XLII.

§. 1. Dorsi dolor à Pulmonibus Dorso annexis, Vitiatis, &c.

Viduus melancholicus diu conquestus est de dolore ventriculi, necnon renum & Dorsi. Pulmonum lobus dexter inferior versus Dorsum annexus repertus est. *Vide lib. 3. tit. de Inappetentia.*

§. 2. Georgius N. dolore continuo capitis, tum circa Homoplatam dextram affectus est, cum destillatione ad pulmones, &c. Pulmonis dextra pars propemodum absumpta erat. *Vide Tit. de cordis Palpit.*

Observatio XLIII.

Dorsi & Gulæ dolor à pulmonibus in vicinia utriusque inflammatis.

Auriga subito in curru extinguitur: Illi prope gulam & Dorsum inflammati erant pulmones, sicut & ipsa Gula. Unde vivus post cibum sumptum de dolore ibidem loci ingenti non immerito conquerebatur. *Vide lib. 2. tit. de morte subita.*

Observatio XLIV.

Dolor Dorsi aneurismate interno.

Mercatori dolor summus ad spinam dorsi, annum integrum laborabat. Quod aliquando lue venerea infectus esset, id attribuebant veteri morbo. Ter aut quater litus est, nihil malum quievit, tandem sursum deorsum ingens sanguinis copia est excreta.

Aperto cadavere, Aneurisma compertum est in divisione magnæ arteriæ ad ilia, qua parte spinæ incumberet. *G. Ballonius Paradigm. xiii.*

Quod aliquando lue venerea, &c.) Cui familiares ejusmodi dolores, præsertim quartæ ejus speciei. Cum jam invalescens lues, *ait Fernelius*, solidas partes, ossa, vincula, membranas ac nervos adoritur. In his jam vitiatis excrementa multa; crassa quidem ac glutinosa pro partis conditione, sed tamen maligna congestione accumulantur; quæ nonnunquam in tendones, sæpius inter ossa ac periostica confluunt; hæc cum vel membranam ab osse divellunt, vel cum maligna acrimonia feriunt, cruciatus cient implacabiles. Circa regionem ossibus proximam, ut notat *Platerus prax. lib. 1. cap. de Habitus corporis dolore*, in media fere ipsorum latitudinis vel longitudinis potissimum excarnis ut in tibiarum maxime interiore nuda sedis longitudine, & juxta scapulas, homoplatam, & cubitum, in sterni item anteriore ossea sede, quæ in hoc solo affectu, cum aliter vix ab internis causis dolere possit, dolet; & proin hæc lues etiam solo hoc signo quandoque cognoscitur.

Observatio XLV.

Omoplatarum dolor à putri materia in thorace contenta.

Dominæ du Plessis ab acri sero dolores excitati sunt in Omoplatis: ardoris & acrimoniæ sensus erat, & nil juvabant remedia, imò ne opium: talis dolor viginti menses perseveravit.

Tandem cùm interiisset reperta est collectio putris & olidæ materiæ in thorace, cujus serum eos dolores faciebat in partibus vicinis, & *id Pulmonicis est familiare. Ballonius lib. 1. consil. 114. Jac. Thevart annot. 3.*

Id Pulmonicis est familiare] Nec iis solum, sed & Hepaticis, notante *Ballonio* consil. 77. lib. 1. Unum, *ait*, animadvertere oportet, quod ad therapiam & diagnosin facit inprimis. Omnibus Jecorariis, i. e. quibus grandius Hepar, amplius, tumentius & calidius, cum febribus magnis prehenduntur, maxima ex parte, tempore urgentis febris, dolores in claviculis & secundum omoplatas oboriuntur satis vehementes: nam quemadmodum ineuntibus paroxysmis intumescit & expanditur Hepar, contingens diaphragma, unde difficilis spiratio contingit, ita quoque dum æstuat Jecur, intumescentia est quædam, hinc tractui similis contentio, quo fit ut per communicationem vasa superiora afficiantur.

Observatio XLVI.

Dorsi dolor à vena cava inflammatione & dilatatione.

Aretæus venam cavam inflammari scripsit, atque inde ruptionem pati; quod accidisse vidi. Non potest dilatari truncus venæ cavæ quandiu libera est sanguinis circulatio. *Riolanus Encherid. Anat. lib. 2. cap. 27.*

Observatio XLVII.

Nob. N. ex saltu & concussione Equi ferocientis, incidit in vehementissimum dolorem Dorsi, cui successit Tumor cum pulsatione. In ipsa Aortæ cavitate Tumor prægrandis repertus, ex arteriali sanguine concretus. *Vide lib. 4. Tit. de Tumoribus.*

Observatio XLVIII.

Dorsi dolor à Liene calculis referto, Rene dextro lapide obsesso, Utero lapideo.

Vidua gravi dolore Dorsi vexatur, post fit hydropica: Lien quasi convolutus calculis plenus conspicitur. In Rene dextro aderat quadrangularis lapis: Uterus cartilagineæ duritiei. *Vide lib. 3. tit. de ventris tumore.*

OBSERVATIO XLIX.

In virginis diuturno Dorsi dolore vexatæ, bini lapides in sinistro rene reperti.

NOb. virgo Dorsi diu vexata est, cujus nomine varia tentata remedia, binos lapides in sinistro rene inveni. *Vide Tit. de Dyspnoea.*

OBSERVATIO L.

Dorsi dolor à sero pingui infarciente musculos humerales.

INcredibiles circum scopula operta & rachitidem dolores oriuntur à *delapsu crudi ac serosi humoris per partes posticas capitis*, Et ii mulieres maxime exercent. In Domina du Plessis per viginti menses perseverarunt, nulli cedentes remedio. Johanni Bellicanto (qui laqueo vitam finivit, calamitoso supplicio infinitatem, ut verbo Tulliano utar, suorum scelerum expiaturus) eos dolores sæpe perpesso, cum corpus mortuum secaretur, omnes nervi & ligamenta musculorum humeralium erant oppleta sero pingui. Idem observatum in aliis similes dolores passis, quos nulla fere ars levaverat. *Quid hic capias consilii*, quæ medendi methodus? *Gal. Ballonius Ephemerid. & Epidem. lib. 1. pag. 46. & cons. 14. lib. 1.*

A *Delapsu humoris per partes posticas capitis)* Quæritur hoc loco quo modo generetur iste humor in capite, & unde effluat, Qualis sit, an ratione caloris, an ratione frigoris, Et si acer nitrosusque est, cur tam facile horreant. Hippocr. lib. de locis in homine duplicem mucum facit à capite orientem & dolorem excitantem, unum ab interno cerebri corpore, per infundibulum defluentem; alterum à transsudatione sub pericranio in partes externas sese proripientem; Si ab interno capite est, mordet & dolorem facit; Si ab externa parte, non mordet: Hoc tantum probabile est, sicut & illud quod scribit, Si fluxus muliebris mordet, à corpore est, id est, ventre ipso in quo pravus humor latitet; Si non mordet, à capite est: Nam in Maria Berthier (quæ jam annos aliquot capitis anteriora dolet; frigus se sentire in sutura coronaria narrat, Et uno ab hinc anno manifestè sentit fluxionem à capite in scopula operta per collum, in metaphrenum & lumbos, Et eo humore fluente dolores sentit vehementes, & sensus caloris & acrimoniæ adest: Si hic humor subeat artus & membrorum articulationes, illam arthriticam reddet, sed dum subtus cutem fluit, nec in interiores capacitates sese insinuat ac infert, nondum profundos dolores & arthriticos infert) dolores capitis, & vicinitas locorum qui primum dolent, deinde transfundunt eundem dolorem in partes contingentes, & significant à capite humorem manare, qui nitrosus est, malus, efferus, & qui quamcumque in partem irruerit, suæ malitiæ virus expandet: Tabem enim inferet, & ea omnia quæ ab Hippocr. lib. de Glandulis explicantur. Hujusmodi humoris & generationem, & fontem, & effectus Hippocrates l. c. explicat, & sæpe experientia patent; Si enim constat partes omnes internas sæpe labefieri ob nitrosum salsumque humorem à capite manantem, cur humor qui in partes externas refunditur, aut liquatus subit, aut expellitur vi pellentis naturæ; & qui cum eo qui interiora subit habet affinitatem, similia symptomata non progignet? Generatur autem peculiariter tale serum in quibusdam, & eo facilius quo magis tempus & aër est idoneus ad talem generationem, ut austrina constitutione, per corruptionem acquisita salsedine & nitrositate, Et ad id facit si calor corporis est acer, corrumpens, squalidus, talis enim calor non actionem facit, sed corrumpit potius: Atque primum ejus malignitatis prima labes ab hepate est: alimentum enim, id est, sanguis aliquando acrior est & serosior, & tractu temporis, dum majorem malitiam acquirit, tum virulentus fit quodammodo: Ac præter vitium in sanguine, potest esse peculiaris dispositio in capite, quæ efficiat ut alimentum in capite ipso corrumpatur: Et cum non videamus ullum fluxionibus malignis opportunum (nisi forte per totum corporis habitum diffusus sit calor acer, & corrumpens) qui non doloribus capitis frequenter exerceatur, fit ut propter impressionem à dolore, & vim factam parti, facultas partis debilitetur, calor infirmetur, & pro nativo extraneus inducatur, imo & febris quædam capitalis inducatur, id est, calor extraneus, siccus, malus, corruptor ac alimenti depravator: Et sic perennis fit generatio humoris, fit & perenne effluvium, & tum cum extra caput ille humor non educitur, tum vertigines, epilepsiæ, apoplexiæ quoque fiunt ipsæ: Et illa est vere διάθεσις quam morborum stata rataque periodo reducum causam constituit Galenus 2. de diff. febrium. *Idem ibidem.*

Ex Lymphæ, per vasa sua, in corporis habitu distributa, & obstructa, hinc rupta, effusione in partes vicinas, produci censet ejusmodi dolores *Fran. Sylvius de le Boë* praxeos lib. 1. c. 50. Et tumores quoque catarrhis vulgo adscriptos, eos præsertim qui partem brachii superiorem usque ad humerum ipsum occupant, & quandoque collum ipsum affligunt: Ad quos refert eos qui dolorem Ischiadicum mentiuntur, atque incessum impediunt, in natibus hærentes: Curat *priores*, præmissis hydragogis & sudoriferis, hoc litu, ℞. ung. *martiati*, olei lumbric. ana ℥ß. succini ℈j. m. Quod si inde vel solis integumentis augeantur, isto utitur ℞. ungu. populei, nervini, ol. lumbric. ana ℥ij. olei lilior. alb. ℥iij. m. *Posteriores*, scil. coxendicis, sedat Balsamo sulphuris terebintinato, paucis ejus guttis partem illinendo.

Crudi ac serosi humoris.) De natura, effectis variis, & noxa quas infert partibus in quas defertur, sic sentit *Bennettus* Theatri tabidorum Exercit. xix. Non insipidarum, *ait*, aquarum indigus microcosmus,

crocosmus, quarum mediocri proportione ad sanguinis contemperationem utitur, quandoque supervacaneum, si intra vascula coërceatur, totum gravat, ut & extravasatum partes, præsertim spirabiles, si in eas ἀθρόως aut copiose congerantur; cæterum parum refert, quod ad rem nostram attinet, an lymphæ mites à vasculis suis designatis oriantur, vel an illis peracto opere destinato reductæ fuerint, modo eas cum sanguine circulationem subiisse, & in majores cavitates per expressionem elutriatas inspissari comprobavimus, &c. In plerisque lymphæ tenuiores è sanguine emergentes primo tracheam copiosius alluebant, unde evanuit algor, suboriebantur sputa tenaciora, pellucida, cum screatu laboriosissimo, à quorum congerie pectoralia pertinaciter infarciri annotavimus; Omnibus pleuritide correptis postquam purulenta expurgata fuere, successit per dies aliquot hujus ideæ ejectamentum, à quo cum premuntur viscera vasáve naturalia, minus obturantur spiritalia; minime vero si ejus muco oblinita fuerint intestina: Quem mucum in infundibulo ureterum stagnantem obturare, seriique meatum præcludere, atque in ventriculum & intestina regurgitare Dorsi dolores, vomitiones, tormina & ischuriam notham procreare pro certo habeo: Imò talem viscositatem vasis majoribus adhærentem, non raro sanguinis reciprocationem præpedire videre est; quod semel in arteria, venosa dicta, infante ternario subsultu è vivis erepto observavi. In partes denique extimas particulares, si inæqualiter diffusæ fuerint aquæ densabiles, tumores œdematosos constituunt: si vero in universas, leucophlegmatiam & anasarcam curatu difficillimam: In sexu fœmineo, vel frigidioris temperaturæ maribus, ut & in convalescentiæ statu collocatis, quibus scilicet sanguinis calor minus viget, increvit in toto hæc mucositas, obturationis vasorum radix pertinacissima.

Et ii mulieres maxime exercent.) Id observavimus, ait, *Ballonius*, loco proxime citato in *Maria Berthier*, & in uxore N. quæ utraque doloribus capitis est obnoxia, & in uxore N. Et in iis quibus corpora sunt macilenta & θερμόκοιλα, juxta illud, *Qui ventre sunt calido, carnes habent frigidas.* Et quod notandum, istæ mulieres tres, cum calorem habeant acrem, mordacem, multum, & tali humore abundent, tamen se ne minimum frigus perferre posse dicunt, & sibi perpetuo in rachitide, & in occipite, quod parte anteriore est frigidius, sensum quendam frigoris, & catarrhi fontem, perennitatemque constitutam dicunt: ac si ab ea parte defluat humor, tantas in partibus remotis molestias excitaturus: Causam ejus rei evolvemus; Cum cerebrum peculiari morbo laborans, & veluti quadam febre sibi propria impeditum, non capit eum fructum ex alimento quem capere debet, illud corrumpit; unde pars aliqua jam sequestrata est, quæ continuos dolores, aut parùm intermittentes committat, pars alia à cerebro valente pellitur foras: Si nitrosum salsumque quid habet ῥεῦμα per putredinem, sensum caloris & acrimoniæ infert, & sic putant sibi partes deuri; Si qua pars mixta frigidior & crassior, dum confunditur massæ sanguinis, dum nervosum genus ferit & imbuit, sensum quoque frigoris infert, sic paret & surgit ea inæqualitas & vicissitudo caloris & frigoris: Imò si initio paroxismorum minimus appulsus externi aëris frigidi, aut sparsio humoris etiam calidi & biliosi, sensum horroris & frigoris infert, quantò magis id præstabit humor à capite labens, qui tametsi & salsedinem & nitrositatem habens, caliditatem intrinsecam habet, tamen quia omne excrementum retinet aliquid de ea parte cujus est excrementum, cum cerebrum natura sit frigidum, non mirum si in isto humore sit aliquid ἐπίψυχρον: Ac de rigoribus & horroribus locus est apud Hipp. 1. de morb. *Rigor*, ait, *in morbis fit ab externis &c. maxime verò fit cum bilis & pituita remista fuerit sanguini, aut altera ex his aut utraque &c.* ut mirum non sit si catarrhosi sæpe horreant aut rigeant: Humor autem à capite refunditur ob διάχυσιν; nam instar spongiarum madefactarum, quæ manu premuntur, cerebrum oppletum ab ambiente aëre exprimitur, aliàs atque alias, in has aut illas partes, quod fit ob calorem aut frigus: Alia causa est vis expultricis quam irritat humor, qualitate aut quantitate peccans: Accedit quod omne serum & humor nitrosus sua mala qualitate præditus facile sibi viam quærat atque paret: *Idem ibidem*, Ubi plura lectu dignissima: confirmat exemplo *Bennettus* l. c. Matrona, *ait*, ætatis 47. eusarca, at verò valetudinaria, cui vascula omnia in hepate, liene & mesatæo desinentia obturata fuere, horrorem inæqualem aliquoties, infrigidationem vero partis alicujus semper perpessa est, qualem infrigidationem aquæ gelidæ affluxuræ superfusionem assimilasse asseverabat: Et licet saburram subducendo insudavimus, adhæsit hoc symptoma: quoties vero ptyalismus aut diarrhœa supervenerint, ad tempus destitit; Præmissis demum aliquot catharticis, quibus viscosa copiose seclusa postquam sudores in stupha sicca multoties excitati fuerunt, diæta parva & sicciori convaluit.

Omnes nervi & ligamenta.) Notandum quod ait *Galenus* ad partem 66. lib. 3. de artic. *Frequenter in ossibus, membranis aut nervis, mucaginosus humor colligitur; carnosa autem pars propria sua ratione mucosa non fit*: Pituitosus & mucaginosus humor collectus ægre exinanitur, cum nec perfusione, nec cataplasmatibus, nec medicamento attrahatur aut discutiatur; nisi prius attenuatus & in vaporem resolutus: Et quoniam lentus humor ægre quoque evacuatur, & hæc humoris illius glutinosi contumacia dolorem semel obortum fovet diutius atque alit: *Iac. Thevart Annot. 6. in consil. 3. lib. 2. Ballonii.*

Quid hic capias consilii, qua medendi methodus? Tum ex Celio, tum ex Hippocr. eruenda est harum fluxionum medela: Primum quantùm spectat ad usum rerum humidarum (quoniam vulgo dicunt liquidiora non convenire catarrhis) convellenda est ista opinio: Quanquam ex Hippocr. 4. de morbis, quo plus humidi sumitur, plus quoque pituitæ videtur in cerebro (quod pituitæ fontem facit) accumulari, & sic occasio fluxionum suppeditari: Sic hoc expediemus: Pituitosis & præpinguibus frequens rerum liquidarum usus non quadrat, ut nec iis in quibus humiditas multa, præsertim excrementitia: Ideo Hippocr. aph. 19. 7. scribit, famem convenire iis qui humidas carnes habent, quia fames siccat ex eventu, ait Galenus: At catarrhosi maximam partem humiditate multa abundant: Imò cum catarrhus nullius morbi peculiare nomen sit; sed morbidam excretionem

nem significet; quæ prout in has aut illius partes procumbit, ita varias morbus qui inde sequitur appellationes sortitur: si excessus sit humiditatis, quis dubitat quin siccandum sit? At contra aliter faciendum est: Si excessus multus sit humiditatis, si cerebrum sit humidius, nemo dubitat quin siccare non sit bonum, contratio contrarium opponendo: At quoniam nitrosæ, acres, salsæ, subtiles quoque sunt defluxiones & catarrhi; vel quia à partibus infestis surgunt vapores in cerebrum talem naturam habebunt, vel quia ob peculiarem in cerebro constitutionem, & malam diathesin talem nanciscuntur naturam; vel quia hepar calidius proventum facit istius humiditatis per modum effumationis & sublimationis, in hoc casu ab humectantibus (etsi corpus videatur humidiusculum (& ὡς τῷ ὑπνεαστικῷ abstinere non oportet: sed an in fluxionibus istis & ῥευματισμοῖς nitrosis tuto Balnea præscribuntur universalia? Præscribuntur ad contemperandum non ad evacuandum; nam cum Balnea evacuent, authore Galeno, aph. 2. 4. si tantum in aquam egelidam æger mittitur, nec elicitur sudor; temperatur quodammodo humor nitrosus per catim fusus, saltem sub cutim diffluens, & dolores excitans partesque labefactans: Quod consilium est Hippocr. 1. de morb. mul. dum loquitur de fluore muliebri ab humoribus salsis & acribus ac nitrosis: Si ea quæ effluunt bilis fuerint & salsugo, & non solum internas sed & externas partes exulcerent, diætam transmutabis & humectabis ut fluxiones quam æquissimè fiant, & minime mordaces, balneis multis calidis uteris &c. *Et Aëtius* in fluxionibus & congestionibus humorum acrium & mordacium utitur epicerasticis, ideft, iis quæ affusa aut circumfusa, aut applicita vim habent mitificandi & moderandi humoris & ejus impetum sistendi: Atque hæc omnia ad unguem tenenda sunt, ne temere, quod alias magno ægrorum incommodo factitatum videmus, quoties quis de defluxionibus conqueritur, ad hydrotica recurtamus, præsertim valenria, ut est lignum Indicum; nam ejus usu sæpe eam augemus intemperiem quæ tam pravarum fluxionum author existit: Et ut concedam eliciris sudoribus adjumenti aliquid afferri, plus tamen incommodi affertur augendo intemperiem omnium malorum causam: Si simplex esset & absoluta humiditas, quæque solum sua quantitate molesta foret, discussione ejusmodi humoris sanitas comparaterur.

De rumpendis crustis ferro candente *Hippocratis* locus est præclarus lib. de loc. in hom. ubi de fluxione quæ terrorsum fit, *Cum retro in carnem juxta vertebras fluxus illapsus, hydropem fecerit, sic medeberis, Caro in collo inter venas crustis uratur, cicatrices quam tenuissimæ inducantur, & quam pituitosissimis utatur.* Hoc autem fit ut fiant emissaria, per quæ educatur serum nitrosum quod perreptando corpus totum, & sese sensim insinuando dolores intolerabiles facit, imo & maciem tori corpori conciliat, *Ballonius ibid.*

Observatio LI.

Dorsi dolor à mole pingui mesenterii principio adhærente.

VIrgini à casu tumor in lienis regione succrevit: accessit præter appetitum prostratum & virium imbecillitatem, circa Dorsi medium dolor. Reperta pinguis quædam moles in sinistro præcipue latere latitans & intestinis incubans, xl. ℔ pondo æquans: Circa mesenterii principium alia quædam pinguis portio, hinc ille in dorso dolor. *Vide lib. 3. tit. de Hypochond. tumore.*

Observatio LII.

Dorsi dolor pungitivus à trunco aortæ descendente osseo in regione diaphragmatis.

NOb. juvenis pugnacissimus diu de ardore cordis & Dolore quodam pungitivo ad Dorsi spinam conquerebatur, præcipue à leviori aliqua commotione: Illi truncus aortæ descendens, circa septum transversum, ad minimi digiti longitudinem, totus osseus erat, Cor autem pilosum. *Vide lib. 4. in miscellaneis.*

ADDITAMENTA.

Observatio I.

Pectoris dolor circa mammam dextram Pulsatorius, ob Tumorem oblungum inter ipsos Pulmones descendentem, arterias prementem.

ALexander Dielaitus Bononiensis conquerebatur de dolore ad mammam dextram cum pulsatione & *orthopnœa*; Consultus *Iul. Cæsar Claudinus* (vide consult. 43.) statuit quoniam dolor erat aliquo modo punctorius, & ob id vehemens, non attinere ad Pulmones, qui insignem dolorem non patiuntur, ob exiguum quem habent sensum. Sed potius ad partes pulmonibus suppositas, pleuram scilicet & musculos, non quidem externos sed internos, alias decubitum facilem super latus affectum ægrum non habiturum. Quantum ad Pulsationem certum esse credidit affici arterias, non quidem sparsas per patris thoracis & pectoris, quæ cum sint exiles, non possunt tam magnum motum efficere: Necessario igitur concludit Arterias istas pulsantes esse illas Pulmonum secundum partem dextram, quæ cum sint

fiat grandioris, motum etiam manifestum facere possunt: Quoad respirationem difficilem, qua misere laborat æger, Pulmones ipsos affici secundum bronchia & asperas arterias, Principia generationis ponit Doloris, quidem Intemperiem à prædominio frigidam cum præsentia materiæ piruitosæ & melancholicæ, ob diuturnitatem affectus à septem mensibus molesti, ætate inclinante, tempestate autumnali & anteacta vita concurrentibus; Præter intemperiem adjungit Tumorem de genere scirrhorum, nam cum intemperies sit inseparabilis à quolibet tumore, & constitutum sit intemperiem esse frigidam cum præsentia humoris pituitosi & melancholici, jure colligendum Tumorem esse frigidum & scirrhosum. Quod autem tumor adsit, conjicit, ex pondere maximo, ægro molesto ubi decumbit in latus sanum, & quanquam insignis dolor in ea parte sentiatur, inferendum non esse Tumorem ex ejusmodi consistere, Tumore, quia in partibus adjacentibus sentitur, tum quia partes hæ intemperie laborant, tum quia ab eodem tumore continui solutionem patiuntur: Quoad Pulsationem, putat arterias illas nimis quam par sit pulsare, quia plusquam convenit premuntur, à Tumore scilicet, in parte dextra pleuræ existente, pulmones comprimente; qui quidem Tumor sit oblongus descendens, inter ipsos Pulmones, sed potissimum partem eorundem dextram occupet, ea tamen ratione ut hanc eandem versus latus thoracis pariter dextrum pellat & comprimat, sicque Pulsationem, ob arteriarum compressionem ibidem factam ad partem dextram fieri contingat: Id quod fieri posse sibi ipsi persuadet, *ob dissectionem potissimum factam in cadavere quod tale quid patiebatur.*

Observatio II.

Vehemens Pleuritis non solam pleuram sed & pulmones, imò aliquando afficit pericardium.

§. 1. RAro in cadaveribus pleurisi extinctorum non Pulmones plenos & duros, & sua membrana crassissima facta, detersos, ac si erysipelate fuerint affecti, invenias: Raro ego humorem vitiosum in capsula cordis non fuisse transfusum vidi, qui etiam sæpe sit albus, & cor alba quasi lanugine, aut calce cœperit, cavitatem etiam thoracis sæpissimè aquosi, albi tamen humoris plenam conspexi. *Guarinonius consultat.* 161.

PRoponitur *Guarinonio* matrona optimi habitus, ætate florente, sanguinea admodum, cui facies præter modum rubebat, cum pulsa crebro, inæquali penitus & parvo, respiratione angusta ac crebra urinis flavis cum sordibus per totam narantibus: Narrat se dolorem costarum sentire ad humerum summum pertinentem: ante hunc primo horrorem concutientem habuisse, dolorem verò sequutum & febrem, quæ vehemens est, non sine capitis dolore: pleuriticam hanc esse judicarunt alii medici, ille vero ex febre tam subito orta, quæ postea minor fieri consuevit, ut in multis observavit, solam tenuis membranæ inflammationem non adesse judicavit: quomodo, *addit*, utinæ tam crassæ & flavæ ea sola fient? quomodo duobus aut tribus, aut sex ad summum diebus, febris, ut solet, necaret, ob membranulæ tam tenuis inflammationem? Una ergo cum ea sit peripneumonia, quod verum est maxime cum necat; Raro enim in cadaveribus &c. Ex notis ergo, præsertim febre tanta, & tam citæ magnitudinis, necessatio infertur putredinem loca majora, & humoris copiam plurem comprehendisse quam quanta in tenui membranula, & exiguo ejus inflammationis orientis loco possit contineri: Conspicitur ergo genus hoc febris materiam putrescentem primo in omni corpore medio habere, naturaque oppressa sequi tanquam symptomata, & membranæ dolorem, & pulmonis tumorem, & utriusque corruptionem, *qua videmus mirabilitur pulmones cum succingente coaluisse, adeo ut cultro secari aut aut lacerari oporteret si distrahere eos à succingente vellemus, membrana tam Pulmonum quam succingente lutea, & lentore luteo affectis*: Indicio etiam sunt urinæ quæ primo flavæ, paulo post turbidæ, crassæ, quia fere permiscentur varii liquores sanguinis, à putredine suis creditoribus, nempe ichorosis partibus colliquari, quia putredo per omnes majores venas pervagatur: Pulsus præterea non invenitur ferrinus, quia potius mollis, quia partes vicinæ molliores, maxime pulmonis affectæ, & ille quidem amplioris corporis quam membranæ sit, pars contaminata ejus vim durandi pulsus superat laxando.

In capsulam cordis transfusum) Illius eventus mirabilis causa dicenda est, quo visi sunt multi qui levati sunt penitus à febre, & dolore lateris, toto fere trium dierum spatio, subito tamen recidentes in febrem circiter duobus diebus interierunt: Nam cum materia alba facta est, & in capsulam cordis sic concocta confluit, non videtur cordi aliquam molestiam afferre dum sic mitigata, & alimento similis conservatur; Imo quæ prius in vasis pulmonis inæquabilem penitus pulsum faceret, in pulmonibus vero spiritus angustiam, tunc nihil horum facere idonea est, ibi vero putum diu esse sine novo fervoris, & putredinis genere potest, quin & febrem & mortem etiam afferat: *Idem ibidem.* Idem maleficium metuendum à materia in vasis post febres concocta, cujus si comperendinetur purgatio, residua illa & sanguini iterum confusa, vel recidivæ vel alteri morbo, priori pejori dat ansam; id quod observavi mense Augusto 1679. In vidua quadam quæ post febrem tertianam, cum urina perfectæ coctionis notas ex urinis, fæce multa saburratis exhiberet, purgatione neglecta, in morbum intricatissimum & pene lethalem procedit.

§. 2. Vidi ego plerosque lateris dolore & peripneumonia oppressos & extinctos, in quibus con-

cocta materia & alba facta, in speciemque lactis conversa ad cor depulsa sit, inque ejus capsula versaretur, & cordi loricam albam afficeret, quibus febris ad xi. ad xiv. quievisset, deinde ea reversa, duobus aut tribus diebus consumptis essent. *Idem consult.* 425.

Hinc colligit medico colligendum, non solum quid mali subsit, sed quid praeterea futurum metuendum: E medio enim corpore in reliquas partes humorum impetus fieri potest, maxime in caput, & praesertim in pueris, quibus caput suapte natura infirmum, viscera vero & maxime jecur firmiora, viis vero naturalium excretionum impeditis in partem infirmiorem facile mittant, eoque facilius, si vias laxiores habuerint, ut sunt quae caput tendunt.

§ Metuendum ne materia quae jam in pleuram & pulmones confluxit, retenta & occupatis aliis viis in capsulam cordis destillet, & exinde excerni non valens ibi cor corrumpat, ut vidi in aliis; quare avertenda est materia à medio ad extrema, & vias excretionum remotiores. *Idem consultat.* 441.

Observatio III.

Lateris unius dolor non punctorius, à Pulmonis lobo ea parte inflammata.

Habuimus bis terve cadavera, quae Peripneumonia fuerunt extincta in quibus *unius lateris totus Pulmonis* lobus, una cum exteriore membrana, inflammatus reperiebatur, & tamen isti, dum viverent aegri, de nullo acuto dolore conquesti fuerant, qui tamen necessario adfuisse debuisset, si modo verum foret quod asserit *Regius*, scil. ab inflammatione membranae Pulmonem investientis acutissimum dolorem excitari. *Diemerbroek Anatom. lib.* 2. *cap.* 2.

De nullo acuto dolore &c.] Nervi admodum exiles à sexto pari ad pulmonem progrediuntur, quos plerique per solam membranam externam dispergi, *Riolanus* vero etiam versus interiora tendere, & *Bartholinus* fere semper à postica parte bronchia comitari observavit, praeter ramulum qui antica parte membranam externam perreptat: *Willis* Anat. cerebri cap. 23. dicit nervulos istos etiam una cum vasis sanguiferis per rotum pulmonem distribui, & cum bronchiorum ductus, tum arterias & venas assequi, propaginibus quaquaversum emissis. Verum ego mihi minime persuaderi patior tantam esse nervulorum per pulmonem disseminatorum copiam, cum ratio potius doceat magnam esse paucitatem & parvitatem, utpote quarum ratione, ob spirituum animalium influentium paucitatem, obscurissimi sensus est hoc viscus ut patet in ejus vulneribus, ulceribus, peripneumonia, quibus multo plus molestiae & periculi quam doloris adest: Riolanus quidem exquisitissimum sensum exteriori tunicae tribuit, tanquam à pleura, exquisito sensu praedita derivatae, sed repugnantibus experientia & ratione. Illa, quia per inflammationem & vulnera vix ullus dolor in ea sentitur. Haec quia non à pleura, sed ab externa tunica vasorum viscus ingredientium derivatur quae est obscurissimi sensus. *Idem.*

Unius lateris totus Pulmo) Dividitur Pulmo in partem dextram & sinistram, beneficio intercedentis mediastini: Has partes quidam vocant magnos Lobos Pulmonis, Harum partium quaelibet rursus in Lobum superiorem, qui brevior; & inferiorem, qui major dispescitur. Praeter eam divisionem *Malpighius* accurata inspectione invenit adhuc aliam scil. totum Pulmonem ex multis lobulis sibi invicem junctis constare *mirabiliorem* inquit epist. 1. ad Borellium *& altiorem observavi* divisionem: Pulmonum enim moles lobulis pene infinitis, propria membrana circumseptis, communibus vasis donaris propaginibus asperae arteriae adnatis conflatur, Attingi autem possunt Robuli, si semi inflatus Pulmo Solis radiis vel luminis objiciatur, interstitia enim quaedam quasi diaphana emergunt, quae si leni incisione prosequaris, lobulos utrinque asperae arteriae & vasis adhaerentes, sejunctos reddes, & propria involutos membrana inspirato aëre per tracheam experieris: illa & diligenti sectione sejungi potest, & luci opposita splendescit. Clarius tamen hoc tibi continget videre facta levi pulmonum elixatione & elaborata interstitiorum sectione.

Observatio IV.

Pectoris ardor ab humore acri copioso tenuique in cavitate pectoris sinistra. Cordis tunicam, ejus capsulam ipsamque substantiam afficiente.

Anno 1655. 26. mensis Aprilis, praesentibus Medicis Clarissimis Dn. Samuele Coftero, & D. Joh. Decimano, ac M. Dan. Fiotiario, jussu Magistratus, in valetudinario publico aperuimus cadaver Joh. Roelofzen, ex vulnere demortui. In cavitatis pectoris parte sinistra aquae acrioris tenuiorisque copiam insignem reperiebamus, unde capsula cordis, tunica ejus, imo ipsa substantia corrugata, adeo, ut pyro aestu ignis exsiccato simile cor ad pareret. Hujus conditionis cor in *Casimiro* Comite Brandeburgensi adparuit. *Ioh. Meckeren.*

Observatio V.

Dolor lateris lethalis ab inflammatione pleuræ sinistræ & pulmonis vicini, per viscidum humorem cohærentium.

Haut ita pridem. (April. 1678.) Pleuritis in peripneumoniam mutata horti Regii præfectum, reique herbariæ peritissimum, *Nicol. Marschandum*, sexagenarium, attamen robustum è vivis sustulit, cujus cadaver dissecai.

Sinistro lateri, ubi viguerat dolor, pulmo adhæsit conglutinante muco tenaci & viscido, qualis ferme pleuriticorum missum sanguinem obducit, diverso tamen à pure: Ibidem Pulmo etiam lividus adparuit, à restagnante & accenso sanguine, quo ipsa quoque thoracis membrana pleura hinc inde turgebat: *Cordi* inerant utrinque magni & tenaces *Polypi*, adips frusta mentientes, quos ægro adhuc vivente genitos fuisse judico, quia ultimis diebus *pulsus* admodum *debilis* & *inæqualis* subeirasse dicitur. Nam *Kerkringio* nondum assentior, neganti Polypos vivente & pulsante corde generari. *Ioh. Conr. Peierus Exerc. Anat. med. XV.*

Evacet Polypi.) Cum Polypi fiant acescente sanguine, uti aliis experimentis id probari potest, morbis istis non adhibenda erunt à medicis medicamenta acida, sed penitus contraria, h. e. ea quæ sanguinem ab acore & concretione liberent. *Idem.*

Observatio VI.

Pulmonis inflammatio dolorem thoracis non semper invehit, quoniam pleuram non attingit.

Non semper una cum pulmone, ejusque membranis succingens quoque, & intersepiens Thoracem membrana inflammatur, ichoremque inflammationis recipit; quod sæpe factum vidimus, ubi conglutinatos quoque pulmones ipsi succingenti in apertis cadaveribus inspeximus: Possunt enim ipsi pulmones tumere inflammatione, & tunica eorum erysipelate corrumpi, & ab illis separari, succingente tamen minime attingente inflammationis vim. *Guarinonius consultat. 210.*

Observatio VII.

In Pleuritide pulmones suppurati.

Perillustris Dom. N. annos 70. natus gravissimo & acerbissimo lateris dolore cum ardentissima febre correptus, foribus & liribus sanitatem consequutus est. Cum autem jam elapsum incolumis vixisset, & ab omni mali pernicie tutus esset, nova Pleuritis prima vehementior eum adoritur, & mox quinto die, remediis etsi opportune factis cedere coactus, è vivis recessit.

Ejus cadavere aperto, sinistri lateris, ubi dolor eum magis vexabat, pulmones suppuratos comperimus. *Poterius cent. 2. Observat. 51.*

Observatio VIII.

Pectoris dolor ob Pulmones pleuræ adnexos.

Cum Pulmo ipse inflammationis aliquo genere intumescit. Si thorax ab ea afficitur, dolore afficitur, Quem vidi etiam sæpe à pulmonis tumore affectum, & tunicam pulmonum adeo succingenti membranæ agglutinatam inflammatione, & ejus exsudante glutine, ut sine dilaceratione disjungi ab ea non posset. *Guarinonius consult. 637.*

Observatio IX.

Lateris dolor lethalis ob Pulmonem sinistrum semi-corruptum, diaphragmati, costis & pleuræ adnatum.

Iuvenis annorum xxv. die 5. Martii 1676. horrore afficitur, subsequitur mox calor & dolor lateris sinistri pungitivus, cum tussi & *respiratione difficili*, ac capitis quoque dolore: Die 9. 10. & 11. sanguinem extussiebat: Die 12. præscriptum Sudorificum: Die 17. anhelus erat æger, æstuans, tussiens, non tamen sanguinem eructabat amplius: Præscriptum est Decoctum Pectorale: Die 19. omnino raucus erat æger, nec tamen adeo difficulter anhelabat, sed cruentum sputum extussiebat. Pulsus parvus erat & quam ante tardior, sitis tamen urgebat:

gebat: Die 20. à medicamentorum usu erat in meliore statu dolor lateris paulatim cessabat, ast sputum cum tussi projectum, purulentum erat ac cruore tinctum: Die 21. melius habere visus est, febris enim omnino remisit, ast tussis, raucedo, cruentum sputum urgebant adhuc: Die 22. sputum non amplius fuit cruentum, attamen copiosum & purulentum cum tussi molesta: Die 25. è lecto surrexit & aliquot horas extra lectum permanere potuit, sputum adhuc copiosum, raucedo urget: Die 26. deterius habuit, facies summe livida, oculi obscuriores: Die 28. ex vini & ciborum usu immodico in lectum coactus, respirat difficulter: pulsus celer & debilis, tussis pauca, expiratio fere nulla, Pectoris angustia & anxietas, oculi obscuri & lethi fere indices, sitis magna, appetitus nullus, pedes tumere incipiunt: Die 1. Apr. in eodem statu, imo pejori fuit, φθινώδης omnino est. Die 2. melius habere visus est, multa expectoravit eaque purulenta & viscida, Die 3. Apr. melius aliquantum se habere videbatur, ast empyematicus ferme est: respiratio licet liberior sputum tamen parcius: Die 5 sputum remittit, pedes tument: Die 6. sputum copiosius, purulentum, & in grumos velut conglobatum, ejicitur, Appetitus omnino dejicitur. Die 7. deterius habet, dolorem sentit punctorium in latere sinistro *si in hoc decumbat*, nullum si supinè aut in dextra: Sæpius anxietate præcordiorum & spiritus interceptione premitur, facies horrida, contabescit; Sitis ingens, Die 9 debilis omnino fuit, pulsus imperceptibilis, thorax tensus, sermo ac respiratio difficilis: Die 10. Apr. mane, inter horam 4. & 5. respiratione intercepta suffocatus est.

Sub meridiem cadaver apertum hæc exhibuit notatu digna; externe totum quantum pediculis varii generis scatebat: In *Abdomine* aliqualem aquarum copiam invenimus: *Lien* tres pendens libras, corruptum penitus, longitudine spithamam, latitudine fere spithamam, crassitie tres digitos æquabat: membrana parenchyma involvens crassa erat, colore cœrulea, superius diaphragmati firmiter adnata: Parenchyma haud solidum, sed instar semicoagulati Sanguinis atri friabile: Hepar pallidius solito conspiciebatur: *Glandulæ mesenterii* tumidæ & duriusculæ: In *Thorace Pulmo dexter* naturalis erat, à costis liber: In cavitate hac dextra aquarum cyathorum fere mensura continebatur: *Pulmo sinister* inferius diaphragmati, à latere costis & pleuræ indique firmiter adnatus; exemptus semicorruptus apparebat, cujus plurimæ vesiculæ pure adhuc oppletæ erant: aliquot quoque in locis cavitates à vomicis excretis relictæ cernebantur: In *corde* & arteriis sanguis omnino fluidus: Ex *schedis Clar. D. D. Theodori Zuvingeri medici Basileensis amice mihi communicatis.*

Observatio X.

Pleuro peripneumonia, ab affectâ pleurâ lateris dextri, cum Pulmone ejusdem lateris illi cohærente.

DUx Rupefoucaultius ante triennium sub mea cura fuit, eodem morbo laborans, quo nuper interiit, scilicet Peripneumonia, cujus comes erat dolor lateris cum tussi & hæmoptysi Sanguinem multum detrahi jussi in morbi primordiis, quo pacto humorum in pectus influxum prohibui postmodum usu lactis, aliorumque præsidiorum pulmones consolidati fuere qua parte erosi fuerant, aut anastomoses vim passæ, e quibus cruentæ expectorationes prodierant: verisimile est particulam illam pulmonis fuisse consolidatam, ibi cicatricem scirrhosam exortam, cujus ope constricta sunt vasa. Unde patet verum non esse extimas partes labem passas, cæteris defluxionis magis patere: Nec desunt aut ratio aut experientia quibus id comprobem: Podagra affecit quædam pedum loca, quæ remediorum usu per me adeo confirmata, illorum vasis ope adstringentium tam valide constrictis, aut consumptis, ut nulli deinceps in illos decumbant humores: Dicto Dom. Duci Rupefoucaultio quinque aut sex diebus ante obitum oborta est orthopnœa molesta, Pulsus ex illis triduo priusquam excederet è vivis, qui initio affectus magnus & plenus fuit *plethoræ index*, comite ab initio febre, ægro funesta, *ab exuperante sanguine* per triennii decursum congesto; vel ab æstu & fermentatione ejusdem, qui in morbi primordiis arteriam ad crassitiem pollicis expandere videbatur, quæ e dura & plena unoquoque pulsu adparebat: apud me quoque illud ratum serum quoddam acre & malignum, arthriticum quid forte sapiens fermenti vicem obtinuisse erga sanguinem, qui non timide per crebras & largas venæ sectiones educendus fuerat, in brachiis & pedibus instituendas, quo præsidio insignis ille sanguinis fervor repressus fuisset: at nec mihi, nec Dom. *Lisotio* & *Quercetano* quisquam aures præbuit: Objiciebant Ægri consanguinei provectam ætatem, arthriticis noxiam esse venæ sectionem, medicum Anglum (*Talbutium*) aliosque ea prætermissa sanare febres: Interea Pulmonibus sanguine magis magisque distentis pulsus minor evadit, arteria pro more se non expandente, Tussis ægrum urget, sputa prius cruenta postea livida & virida excernuntur, præsertim exacerbationum tempore, anhelus fit æger, adeo ut erecta tantum cervice aërem adduceret, quod

abesset spatium aëri intromittendo, symptomate hoc ad obitum usque perseverante: Septem vero vel octo ante obitum horis mentis stupor Ægrum invasit: Dominus *Morellius*, cui demandata dissecandi cura observavit cutem latere dextro, infra mammillam, omnino lividam: Aperto thorace, pleuram ibidem loci itidem lividam, ad gangrænam vergentem; Pulmones porro, qui nigricabant, sanguine adeo turgidos & infarctos ut inflicto ictu statim e capacitate thoracis exilierint, Ictos quibusdam in locis falcato scalpello affatim sanguinem rupisse liquidum, fuscum & tabo similem, pus autem sub finem prorupisse: Id autem singulare adnotare mihi licuit, portionem pulmonis, tres quatuorve transversos digitos latam, saturato rubore suffusam se exhibuisse, gangræna tamen minime affectam, quæ scalpello divisa dura & scirrhodes adparuit, exilibus vasculis prædita sanguine rubicundo & naturali prædita *Ex Epistola Dom. Abbatis Bourdelotii & Responsione Dom. Fagonii Reginæ medici primarii.*

Mortis causa aliunde non deducenda quam à partis affectæ suffocatione: Ansam forte præbuit serum quoddam acre, aut ichoris portiuncula massæ sanguineæ remixta, quæ pleuræ communicata vitium aliquod aut labem illi intulit: Proxima autem lethi causa adscribenda insigni Sanguinis copiæ in pulmones exundantis, à qua oppressi, quibus ad expansionem cum sufficiens denegaretur spatium, occasio inde orthopnoeæ data. Mors ergo supervenit ob non depleta vasa: Non diffiteor equidem malignum aliquod serum, sanguini remixtum, hunc in motum incitasse: Utinam verum illius & genuinum correctivum innotesceret, illud è sexcentis eruere admodum difficile est, atque hic aberrare admodum proclive, sæpe enim contigit, ut quod salis cujuspiam correctivum est & sedativum, idem aliud exasperet & irritet Interim simili in casu à prisca methodo non recedendum, quæ eo solummodo inclinat ut majora vasa depleantur; hoc fundamento innixa, quod illa ob ebullientem & febrilem sanguinem turgida, in pulmones onus excutiunt, à quo opprimuntur & suffocantur. *Dom. Bourdelotius.*

Ab exuperante Sanguine) Apud me dubium est soli ne vasorum plenitudini ac impetui sanguinis in pulmones exundantis & suffocantis obitus Illustr. Ducis adscribendus sit, cum septem vel octo ante obitum horis mentis stupor illum invaserit, cerebrum autem in exercitio functionum principum defecisse verisimile sit (ut ex multorum signorum concursu liquet) a seri maligni affluxu id obvenientis, cujus pars statim in morbi primordiis pectus invaserat. Conjectuæ etiam locus est, nervis motui organorum pneumaticorum dicatis, non minus aliis eodem humore imbutis, ac proinde ad perseverandum in functione solita inhabilibus, Ægrum, qui paulo ante melius se habere videbatur, à metastasi seri prædicti in caput, quo pulmones liberati fuere, uno impetu suffocatum interiisse, inducta paralysi nervorum ad pulmones & diaphragma pertinentium: Eo in rerum statu, cum sanguis in instituto itinere versus cor pergeret, neque in pulmones influens ex iis more solito propelleretur, etiamsi sanguinea massa media sui parte imminuta fuisset, nihilominus Pulmones plenitudinem excipere necesse habuerunt, id quod ab obitu conspicuum fuit, quia in iis pene totus corporis cruor continebatur *Dom. Fagonius.*

Cutem omnino lividam) Ex mea quoque sententia, dispositio illa necrosi proxima, pleuræ & cutis, ortum debuit copiæ æstuantis sanguinis, impetu delati in loca quæ serum acre & causticum, unde mali primordia, corrodebat: Solitariamque illam affectionem, etiamsi non accessisset prædicta in caput metastasis, certissimam mortis causam fuisse: Cui forte obviam ire licuisset, subita & larga vasorum exinanitione facta. *Idem.*

Portionem scil. Pulmonis &c.) Densitas illius particulæ, vasorumque exilitas, in causa, ut existimo, fuere quod æstuantem sanguinem, febris fomitem, non exceperit, ideoque ab eo obruta non fuerit, qui in reliquo pulmone, spongiosa substantia donato, absque impedimento exceptus fuerat *Dom. Bourdelotius.*

Dura illa fuit & scirrhodes) Observatio facta constitutionis partis superioris Pulmonis Ill. Dom. Ducis, ut omnino extra naturam est, ita summo judicio tradita, In Pulmonibus cicatrices raro admodum conspicuæ sunt, Sagacitati autem Tuæ debetur ejusmodi observatio, qua convellere licet axioma generale de debilitate partis cujuspiam male affectæ; aut saltem opinionem facere, (dummodo animum omnino non occuparint antiquorum sententiæ) si partes carneæ, unitatis divortium passæ quam ante debiliores ideo evaserint, quia fibræ nerveæ, ad texturæ robur datæ, si consumptæ fuerint, pristino statui nunquam restituantur, idem judicium ferendum de partibus membraneis, quæ si aliquando ad pristinam unitatem redeunt, in illis cicatrix & densior & solidior excitatur quam in reliquis partibus quibus nulla illata est injuria; quare, ex mea sententia, pars scirrhosa reddita, immunitatem obtinuit adversus erosionem quæ contigit in reliquis Ægri Pulmonis partibus. *Dom. Fagonius.*

Quæstio à me proposita circa partem Pulmonis integram & rubram, in ejus parte superiori & dextra animadversam, in quam ante postremum & funestum morbum fluxio decubuerat insignis, sputi cruenti author, singulari examine digna est: Chirurgos quosdam eapropter in consilium adhibui: apud illos ratum est si os fractum consolidationem adeptum fuerit, tantam duritiem ipsi comparari ut nunquam qua parte effractum est rumpi queat: Novi Suecum podagræ obnoxium, ab hac immunem redditum gestatione per plures annos ocrearum quibus aquam infundebar: ab hujus insigni frigore extincta intemperies, constrictaque pedum & tibiarum vasa: Fluxio alio propterea, attamen succus à Podagra immunis factus: ab intercluso humoribus commeatui causticum temporibus admotum firmam & solidam inducit cicatricem, doloris dentium in postremum profligatricem; Reveta, si quæ fibræ

fibræ aut villi partim relaxantur & robore exuuntur, transituro humori via patens fit, unde origo morborum contumacium: Teri- pancreas Defuncti Dom. Marescalchi Cletum- bant humorum sarcina levari, quorum copia adeo turgebat, ut magni cucumeris specie ten- sum & durum se exhiberet; at hujus fibræ plus nimio dissolutæ erant quam ut advenientes ite- tum humores respuerant: ideoque non diu post in novum tumorem pars se efferebat: Medici nunquam in id incumbunt ut relaxati villi con- trahantur, inde humorum congeries ortum ducunt; & infarctus, quæ intemperiei visurum adscribi solent; novæ humorum congestionis causæ fictitiæ: Non pauci Pulmonici & anti-Phthi- sici à me in integrum testituti, sanguinem & pus excludentes: quos inter Dom. *Penotius*, catapultarius satelles regius, phthisicus, ad ex- tremum marasmum deductus, perpetuis vigi- liis vexatus; pus viride & cruentum continuo excernebat, pruritus cutis perpetuus, excide- bantque furfures: Nulli dubium quin Pulmo- nes, ulcere affecti essent, hinc à Dom. *Saraceno* pro deplorato habitus, aliisque medicis: atta- men lucis usura adhuc fruitur, nec ulla pristini mali adsunt vestigia: Idem contigisse memini Dom. Marchioni à Larré, illi mea opera Pul- mones adeo solide coaluere, ut itinera nunc citatis equis perficiat, quascunque belli mole- stias & injurias impune ferat, spura excernebat viridia & fœtida, hectica febris ipsum occu- paverat, totum corpus in anteriora inclinave- tat, &c *Dom. Bourdelotius.*

OBSERVATIO XI.

Dolor pleuriticus in quô pulmones livebant & incisi pus fundebant.

ANno 1687. die 24. Decembris decessit in Nosocomio Cæmentatius viginti & aliquot an- notum, qui tribus ante obitum septimanis febre continuâ cum dolore pleuriticô cor- reptus fuit, quibus dolor capitis, sitis, vigiliæ, deliria, pulsus inæqualis, & biduô ultimô sopor supervenit, quem mors excepit. Cadavere cultro anatomico subjectô, prava detecta fuit viscerum constitutio, omento existente putridô, quod eâ regione quâ ventriculo adhæ- rebat, scirthum ingentem, materiam caseosam continentem fovebat. Peritonæum, ventri- culus, intestina, atque vesica, frequentibus atris maculis erant consita, glandulæque in- numeræ vix aliàs conspicuæ horrorem nigrore suô ferè incutiebant. Hepar parte gibbâ, te- naciter adhæsit diaphragmati, & parte concavâ membranâ tenaci erat obductum, inque parti- bus penitioribus aliquot fovebat vomicas. Lien ventriculo arctè adeò adhærebat, ut unum cum eo viscus constituere videretur, satis aliàs sanus, licèt ferè globosus. Intestinum cæcum incisum, totum erat glandulosum; reliqua etiam intestinorum interior facies glandulas suas facile prodebat. Venæ cavæ truncus descendens eâ erat amplitudine, ut imperito intestini specie facilè imposuisset. Venæ spermaticæ admodum luxuriabant; in sinistrô quidem late- re ramos tres emittebat emulgens; in dextrô autem rami duo ex emulgente, & spatiô duo- rum digitorum transversorum sub hac, ramus insignis è cavâ prodibat. In thorace, pulmo- nes ob crebertimas maculas omnino ferè livebant, atque incisi nigricabant, pressi pus visci- dum emittentes, cæterùm utrinque adnati: intra pleuram & dextri lateris costas lympha gelatinam referens copiosè erat congesta: Pericardium & cor erant monstrosa: Illud crassum, & diaphragmati ubique ferebat hærens, intus hispidum & velut holosericô obductum: Hoc cum auriculis suis, lymphâ quoque corruptâ & crassâ erat circumdatum, quâ corticis in motem illud ambientis dettactâ, auriculæ & vasa cordis admodum ampla conspiciebantur: Mucro cordis admodum erat latus, inque ventriculô utroque continebatur polypus: Fora- men ovale ut in infantibus patebat. Præ primis etiam attentionem nostram meruit ductus pancreaticus cum biliosô junctus, ejus papillâ inferiore, præ aliquali duritie, stylum non admittente. *D. Ioh. Iacob. Harderus Miscellan. curiosor. Ann. IX. Decur. ij.*

ANA-

ANATOMIÆ PRACTICÆ
LIBRI SECUNDI.
SECTIO V.
De Sputo Sanguinis.

OBSERVATIO I.

Hæmoptysis à Pulmonibus Sanguine nigro, liquido, cum sanie refertis.

ILLUSTR. Comes sanguinem tussiendo exspuerat: Dissecto corpore, ut an recte de abscessu sensissem judicium fieret, Inventi sunt pulmones sanguine nigerrimo, liquido, cum aliqua sanie, citra propriam suppurationem redundantes. *Hier. Cardanus Art. Curat. p. 294.*

CIrca Hæmoptoen considerare oportet primò, è quibus vasis, & quali eorundem affectione sanguis erumpat, secundò, in quibus locis sæpissime deponatur: tertiò quot modis, ut per os excernatur, sursum duci aut ejici soleat.

Quoad prius, ex circulationis lege supponendum erit sanguinem, sponte erumpentem, omnino ex arteriis prodire: nam venæ, donec integræ manent, eum versus cor reducunt, ac minime effundunt: quamvis inficias non eamus illas interdum à vulnere, casu, contusione, alioque accidente violento, quod unitatem solutas, sanguinem extra sinus suos dimittere: Verum tamen sæpissime sanguis, Hæmoptoen faciens, ab arteriarum osculis, reseratis aut disruptis procedit, & tunc in culpa esse solet, aut ipsius sanguinis dyscrasia, aut vasorum mala conformatio.

Utriusque horum variæ sunt differentiæ aut species, quæ item ad sanguinis sputum excitandum diversimode concurrunt: Enimvero sanguis quandoque tenuior, simulque acris existens, arteriarum oscula reserat aut exedit; quandoque item crassior, & ad coagulandum aptus, cùm à venis satis prompte excipi nequeat, extravasatur: Propter hujusmodi sanguinis vitia, scorbuto aut febre pestilente laborantes, etiam qui venena quædam biberunt, frequenter in hæmoptoën cadunt; Nec minus ex vasorum culpa hic affectus exoriri solet, quatenus nimirum ista, vel tenera nimis. vel gracilia, nonnunquam à motu violentiore, uti à tussi, vociferatione, saltu, alioque exercitio vehementi disrumpuntur: vel in quantum ea laxa nimis & humida, quoad oscula sua dehiscunt, & sanguinem è circuitu erumpere sinunt: porro interdum quatenus venæ à frigore constrictæ & corrugatæ cruorem non prompte trajiciunt, iste restagnans arteriolas distendit, & ex earum osculis erumpit.

Circa arterias, è quibus sanguis Hæmoptoën faciens erumpit, multum interest cujusmodi illæ, ac ubinam loci consitæ fuerint, præterquam enim quod sputi cruenti differentiæ insignes oriantur, juxta quod cruor vase perexili, aut magno; ac alterutro aut in pulmonis summitate prope laryngem, aut in regione ejus media inter vasorum ramos majores, aut denique in extrema inter vesiculas orbiculares consito erumpit? insuper advertimus arterias sanguinem expuere solitas, vel ex earum numero esse, quæ e stirpe pulmonari oriundæ tracheæ ramos ubique comitantur; vel quasdam ex illis esse, quæ originem suam aortæ debentes, tracheæ tunicam densa ramificatione obducant.

Quippe manifesto liquet ex harum, uti & glandularum, osculis humorem unctuosum ad tracheæ superficiem interiorem lubricandum exudare: porro quatenus ex iisdem humor serosus affatim in asperæ arteriæ cavitatem destillat, catarrhum exoriri: quapropter minime dubitamus asserere, etiam ex harum osculis reseratis, merum cruorem in ductus tracheales quandoque exudantem, in perexigua licet quantitate sputum cruentum parere: observavi plures sine tussi, aut pulmonum indispositione quavis, semel aut bis in die, sputum unum, forsan & alterum cruentum excrevisse quod quoties ingruit, patientes in imo gutture, aut summitate pectoris, quandam quasi destillationem percipiunt: unde statim mera fibrarum trachealium contractione, sive motu velut cochleari, parum sanguinis fluidi, pituita permixti, ac minime spumosi exspuitur, Cumque interdum per plures menses talis affectio perdurasset, exinde nihil incommodi, aut quod phthisin inferret, aut minaretur, insequutum est, quod minime fieret si quædam ex vasis pulmonicis aperta fuissent.

2. Hæc de vasis Hæmoptoicis, eorùmque in sputo cruento affectione diversimoda: Quod spectat ad loca in quibus sanguis extravasatus deponitur, hæc præcipue & fere tantum sunt asperæ artériæ, ejùsque partium cavitas interna: Quippe in hanc velut in cloacam, ductuum quorumcunque cæterorum recrementa quæque, aut superfluitates, per ultimos, qua licet, naturæ nixus, foras statim amandanda derivantur: quod si in lobulorum interstitia sanguis extravasatus impingetur, vel membrana ultima exudans in thoracis cavitatem decidet, hic empyema, & illic frequenter abscessum creat: ut plurimum vero cruor, à circuitu pulmonari deciduus, varias sputi cruenti differentias producit, juxta quod nidum suum, vel superius intra laryngis cavitatem:

vel paulo inferius circa intermedios ductus tracheales, vel denique ulterius intra vesiculas orbiculares nanciscitur: Prior affectus solummodo procedit ab arteriæ cujusdam, quæ tracheæ truncum obducit, osculis reseratis; proximus quandoque forsan ab hac causa, sæpius tamen ab ipsis arteriis pneumonicis apertis, aut disruptis: quæ vasa cum majora fuerint, sanguinis quantitatem sæpe horrendam profundunt, cujus item exspuitio, & totius pectoris musculis, simulque ipsis tracheæ fibris multum irritatis & valde contractis, copiosa & violenta existit: Sin vero sputi cruenti scaturigo in ultimis vesiculis consistat, sanguis in minore quidem copia, sed cum tussi profunda, sæpius iterata & valde molesta rejicitur.

3. Atque hinc [quod tertio erat propositum] excretionis è pulmonibus sanguineæ differentiæ: & multiplices sputi cruenti ritus sive modi innotescunt: Nam cruor in laryngem exudans, post levem in gutture titillationem, sine tussi hujusmodi cruoris extravasatio in somnis continget evigilantibus hæmoptoes vix consciis statim ore effluit: quatenus nimirum tracheæ fibræ motrices, etiam inter dormiendum contractæ, sanguinem recens exstillatum jamjam in fauces extillarunt: Sin vero è vase majori, circa medios pulmones dehiscente, aut disrupto, sanguis [qui semper spumosus est] affatim in ductus tracheales erumpat, iste mox tussi concitata, exinde sursum cum impetu & copia ingenti ejicitur, ut videantur affecti cruorem evomere potius quam extussire: Quod si denique cruor ex vasorum plexibus, quibus vesiculæ orbiculares cinguntur, erumpens in cellulas istas deciderit, inde per vices in quantitate minore, nonnisi per tussim profundam & sæpius repetitam excernitur. *Willis operis posthumi sect. 1. cap. 7.*

Observatio II.

Anatome hæmoptoica mulieris, cujus pars interna pulmonum pure referta inventa est, Mediastinum plenum sero sanguineo.

Vidua D.N. cum paucis induta vestibus e lecto in fenestram transilisset circa mediam noctem, illico correpta est magna respirandi difficultate, cum tussi, Sputo cruento, febre & faciei rubedine, &c. Aperto cadavere, inventum est mediastinum plenum sero sanguineo: Præterea inventa est pulmonis uiversa substantia referta materia putulenta & gravitate insigni prædita. *Vide tit. de Pectoris dolore.*

E Lecto in fenestram transilisset, &c.) Hæmoptoes causæ procatarcticæ & evidentes multiplices & variæ existunt: In priore censu habentur imprimis pulmonum indispositio hæreditaria, uti cum ipsi debiles & teneri, cum pectoris angustia, originaliter fuerint: Porro illorum à tussi, empyemate aut pleuritide prægressis mala affectio, & præsertim obstructio, aut mala conformatio, ad hæmoptoen valde disponunt: ac ita potius, si tali diathesi sanguinis acrimonia, sive dyscrasia, à mala victus ratione, aëre insalubri, aut aliis modis contracta, accesserit: Fluxus menstrualis, hæmorrhoidalis, aut è naribus effluentis suppressio, quosvis fere ad sputum sanguineum inclinat: Secundo inter causas evidentes referri debent, imprimis caloris aut frigoris excessus, quippe cum sanguis supra modum æstuat; aut transpiratio ejus per poros cutis impeditur, immaniter exinde turgescens, frequenter è vasis pneumonicis erumpit: hinc notavit olim Hippocrates, & etiamnum vulgi observatio est, hæmoptyses sæpissime in hyeme flante Borea accidere: Nec minus raro Thermarum usus multis, antea satis sanis, hoc malum intulit: Quinimo hoc plures à vini, aut aquarum ardentium potu, ab ictu, lapsu, exclamatione, vomitu, aliàque violenta totius corporis aut pulmonum agitatione passim contrahunt: Porro venena quædam, & juxta *Heurnium*, radii Lunares (cujus ratio non facile pateat, nec usque fides constat) hunc affectum excitare perhibentur. *Willis l. c.*

Pulmonis substantia referta materia purulenta.) A prægressa eorum inflammatione, cujus testes febris, dyspnœa, vultus rubor, tussis: Observatum est, *ait Heurnius*, ex pulmonis phlegmone aperiri ac erodi etiam vasa, maxime si cor ac hepar incendio incanduerint, sed hoc omnino funestum est.

Observatio III.

Sanguinis sputum ab Aneurismate Aortæ circa dorsum, & rupta Cava.

Anno 1557. Vir Nobil. Leonardus Welserus ex Aneurismate interno obiit: Secto cadavere vena cava maxima reperta est: Ea rupta erat qua parte aneurisma ipsam attigit: Cor magnum, sanum, plurimo sanguine abundans: In ipsa aorta dilatatio non modica, ad palmæ magnitudinem, costis & dorsi vertebris adnata, qua divulsa dimanavit sanguis tenuis, tuber, qualis esse solet arteriosus: Pulmonum nulla læsio, licet æger copiosum sanguinem ante obitum exspuerit. *Vide libro quarto, tit. de Tumoribus p. n.*

Observatio IV.

Hemoptysis ab inflammatione Pulmonum & Lateris dependens.

Vir sanguineæ & biliosæ temperationis in febrem assiduam delabitur, cujus cum diuturno rigore fuit initium, tussi, dolore pungente, Sputis cruentis &c. 7. die alba ea visa

ea visa sunt; quæ transacta rursus febris invadit cum rigore & Spuitione cruenta nigricante uberrima &c. Mortui xiv. die secto cadavere, pars dextra pulmonum fuit inventa corrupta, nigricans, tanquam sanguis concretus, & ejusdem lateris etiam pleura male affecta. *L. à Fonte consult. 9.*

Spuitiones copiosæ & nigricantes ipsorum pulmonum caloris naturalis corruptionem confertim factam non mediocre indicium præ se ferunt: Cujus affectionis causa proxima est biliosi sanguinis ad pulmones defluxio, prava qualitate affecti; Remotiores vero jecoris intemperatio fervidior, mala dispositio pulmonum & errores exteriores: Neque arbitrandum est, ut alter Medicus, quod materia noxia à capite prolaberetur) tam uberi sanguinis corrupti copiam inde prolabi; nam necesse fuisset aliquam gravem affectionem in capite præcessisse, in quo nulla est offensio. *Idem.*

Observatio V.

Hæmoptysis ob lobum Pulmonis sinistrum schirrhosum redditum, trajectionem liberam sanguinis impedientem.

INsignis Theologus &c. *Vide hanc observationem lib. 1. Sect. 21. Observat. 7. illuc errore translatam.*

Observatio VI.

Sectio Cadaveris Hæmoptoici. A. Clar. Sylvio in Nosocomio Leidensi administrata 1664. Cujus pulmones multum sanguinis nigri & concreti continebant &c.

NOv. ij. die ante sex circiter hebdomadas cœpit male habere Jacobus de Vala: Tussi correptus est & Sanguinem spuit, maxime lecto decumbens: Conqueritur de difficili respiratione: Quando plus potat magis etiam sanguinem spuit: Urina cruda: Sedimentum pituitosum: heri sensit dolorem circa lumbos; qui adhuc adeo continuat ut erigere corpus non possit: Comprimum inciperet male habere, per totum diem à laboribus incaluerat, noctu vero domum rediens à frigore læsus fuerat, unde primum tussis, quam post duas hebdomadas sanguinis sputum consequutum est: jam tabescit & debilis fit: pro consolidatione vulneris, quæ promovenda cito, ne in ulcus evadat, utatur sequenti medicamento ℞. *aq. plantag.* ℥ij. *fœnic.* ℥j. *acet. stillat.* ʒij. *sangu. drac.* ℈j. *laud. opiat. gr. ij. syr. myrth.* ʒj. assumet subinde cochlear: Nov. 12. melius in omnibus habet: dolores enim lumbares non sentit & paucum quoque sanguinis dejecit: Perget ulterius eo uti: *Nov.* 13. heri vesperi edit lac dulce, unde noctu summis anxietatibus fuit pressus: secunda nocturna sensit frigus; forsan paroxysmum febrilem habuit: Tum vehementissime (durante frigore) sitivit, cerevisiamque frigidam bibit, quam tamen præ nimia linguæ & faucium siccitate non gustare, neque sitim illa extinguere potuit: A frigido sumpto adhuc magis anxius factus, vehementem cordis palpitationem passus est: Malum hoc, unaque frigus fere per 5. horas duravit. *Die* 14. sitis non tanta fuit, ob usum posterioris misturæ, (vide infra scholia) Pauciorem sanguinem exspuit: *Die* 17. melius habet: Iteretur mistura 13. Nov. præscripta: *Nov.* 19. Hodie hora tertia pomeridiana assidens foco luculento habuit paroxysmum febrilem: Somnolentus tum fuit, sensitque gravitatem per universum corpus: & frigus, simulque tremorem, nec frigus, nec dolorem speciatim sentit in lumbis, sed tantum in ventre circa umbilicum, partibusque extremis inferioribus; duravit circiter per horam, nullusque calor subsequutus: Multum jam sitit, sumpsit misturæ aliquid, non quiescit, semel dejecit: *Die* 20. iterum habuit paroxysmum post prandium: Frigus iterum in abdomine & artubus, sed & in regione lumbari, vehementius quoque fuit hesterno, perque duas horas duravit: Insequutus calor per horam permanens: Valde sitivit, utque sitim levaret comedit integrum malum citrium: Nondum alvus hodie suo munere functa ℞. *massæ pil. cochiar.* ℈ß. *troch. alhand. gr. v. resin. Gial. gr. 4. ol. garyoph. gutt. ij. m^e. f. Pil. n.* 5. assumet cras summo mane: Iteretur simul mistura 13. Nov. Præscriptæ adde *laud. op. gr.* 1. *Die* 21. pessime habet, doloresque habet in hypochondrio sinistro, Non potest respirare graviterque anhelat: Nullum frigus sentit: A pilulis hodie mane assumptis, à meridie tantum semel, sed parum dejecit: ℞. *aqu hyssop. petros. fœnic. aa* ℥j. *tinct. cinnam* ℥ß. *spir.* ⊖ *gtt. viij syr. fœnic.* ℥j *m^e.* assumet subinde cochlear: *Die* 24. *Nov.* valde statim ab usu misturæ ab angustiis & anhelationibus, à quibus videbatur suffocari, levatus est: continuabit usum ejusdem misturæ: *Die* 25. conqueritur de tussi sicca, quæ per biduum illum jam afflixit, unde non quiescit, Item crura tument & quasi di-

ftenduntur, non dejicit; habet adhuc misturam, Pro Tussi ♃. *massæ pil. de cynogl.* ℈j. *f. Pil. n. viij.* sumat æger subinde unam: *Die* 26. Ante octo annos erysipelate laboravit in utraque tibia, à qua quidem nullam huc usque amplius molestiam sensit, rubor tamen permansit. Occupaverat rubor ille pedem quoque, sed ille colorem & cutim mutavit: Nunc iterum pes dolet, supraque & infra ruborem illum pedes valde tument & splendidi fiunt: Non dolores tantos in pectore expertus est minusque tussivit, commodius quoque quievit: continuabit in usu misturæ & pilul. de cynogl. Pro Erysipelate ♃. *aq. plantag. fumar. aa.* ℥. *iv. acet. sam. buc. spir. vini vulg. aa.* ℥j. m. lintea liquore illo tepido madefacta circumponet pedibus & loco affecto. *Die* 27. heri vesperi lac dulce comedit, & hodie mane, à quo & noctu & hodie pessime habuit: Non dejecit, unde abdomen valde tenditur; Rubor ille pedum sensim minuitur & in livorem abit; Perget uti medicamentis præscriptis: *Die* 28. *Novembr.* iterum pessime habet, difficulter respirat & graviter anhelat, inprimis si incurvet corpus, tum videntur ipsi partes interiores quasi infringi: Ter dejecit crassa excrementa cum torminibus in parte superiore abdominis: sanguinem rursus excrevit, hodie octies, sed parum singulis vicibus: Abdomen jam non distentum neque flatus emisit: Conqueritur se jam nihil commodi à mistura sentire: Iteretur mistura 21. d. præscripta, adde sangu. draconis ℈ß. Obiit.

In Cadavere ejus dissecto 2. Dec. Liquor tenuis & serosus repebat in corporis habitu sub cute inter musculos & pinguedinem, unde ipsa pinguedo mollior & laxior erat: Omentum non tegebat intestina, sed ad latera deflectebat: Intestinum crassum inflexum infra umbilicum erat: Calor intestinorum carneus & solito rubicundior: Intestina crassa flatibus turgebant, tenuia non item: Tenuium tamen vascula turgebant, *quod fieri solet à doloribus*: Aqua in abdominis cavitate continebatur subflava & subsalsa; initium nempe hydropis; cui aliqua purulenta materia juncta erat: *Iecinoris* color subpallidus, *qui color fere ab aquis præsentibus* provenit: *Folliculus fellis* externe instar membranæ albicabat, nihilque omnino fellis continete ob tenuitatem videbatur: *Lien* satis grandis, & parti posticæ & vicinis annexus: color ejus pallidior justo, substantia firmior erat: *Pancreatis* substantia satis elegans: Ductus illius magnus: Immissus in ductum liquor variis in locis pancreas non tingebat: *Ex thoracis* cavitate aqua copiosa valde effluebat, clara, limpida, nec tam salsa quam quæ in abdomine erat: *Pulmones* costis annexi, inprimis sinister: Aqua illa ex dextro pectore promanabat: In sinistro pectore aliqua quidem aqua, sed pauca conspicienda erat: Color Pulmonum solito erat obscurior, lividior, substantia firmior & à flatibus distenta, Multum sanguinis in ipsa Pulmonum substantia hærebat interiore, qui nigricans & coagulatus illam distendebat, occurrentibus passim particulis durioribus, quæ sensim in apostema abire solent: *Die* 3. *Dec.* aperto capite cerebrum vidimus copiosum ac firmum, quod Cl. *Sylvius* post meridiem accuratissime demonstravit: *Die* 4. *Dec.* Cum absente Cl. Sylvio, ipsius permissu ulterius scrutaremur cadaver, deprehendimus in utroque cordis ventriculo materiam crassam, fibrosam, quasi carneam, Polypum vulgo dicunt, quæ in omnia vasa extendebatur in cor excuntia: præcipue vero ex jugulari sinistra eduximus tres spithamas longitudine superantem: Erat autem illa materia in ipsis cordis ventriculis crassitie insigni, cui multum grumosi sanguinis adhærebat, annexa cordis carneis fibris, easque suis fibrillis amplectens: In medio continebat sanguinem grumosum, videbaturque minuscula vasa habere: In aspera arteria aperta materiam spumosam, pituitosam, cumque pauco sanguine mixtam, qualem vivens sæpe excrevit: Humorem in pericardio copiosum, similem illi qui in abdomine repertus fuerat: in folliculo fellis bilem & substantia & colore vere vitellinam, paucissimam, eamdemque aperto per incisionem variam ipso hepatis parenchymate, in plurimis ductus Hepatici ramis hærentem vidimus; *Renis* sinistri pelvis erat magna, extra ipsum renem propendens, ureter naturali longe amplior: Facta incisione in tibia Erysipelate affecta, vidimus substratam carnem integram, cute tantum læsa, à qua cuticula facillimè separabatur: *Matthias Paisenius in miscell. cur. ann. 4. & 5. observ. 193.*

Durante frigore sitivit &c.) Durante frigore paroxysmum facit; præstat ergo si tum summa sitis urgeat, sitim fallere & subinde cochlear liquoris alicujus, in quo parva quantitate lapis prunellæ solutus sit, capere, sed parce. Ubi ægro tales anxietates obveniunt, utatur subinde sequenti medicamento ♃. aq. perros. fœnic. aa. ℥j. theriac. simpl. ʒß. lap. prunell. ℈j. syr. fœnic. ℥j. capiet subinde cochlear. *Iecinoris color suppallidus*) Qui color fere ab aquis præsentibus provenit. *Sylvius*.

Observatio VII.

Sanguinis sputum Pulmone sphacelo infecto manans.

Cum tussi sanguinem excerni, modo pulchrè rubentem, aliàs pituitæ, puri aut sputo permixtum haud infrequens est: Nigrum verò atque spumosum ejici, ut concretus & unde-

undequaque porosus spongiam aut pumicem referre videatur, tarissimum, hujusmodi autem à nonnullis cum tussi rejectum, non ex vase aliquo rupto, huc ex pulmonis ulcere, sed ab ipsa pulmonis substantia ac parenchymate profusum suspicati fuimus, nec fefellit nos conjectura: Nam pictoris cujusdam, qui cum valida tussi hujusmodi sanguinem rejecerat, pulmonis pars quædam nigricans reperta sphacelo correpta, in qua magnus & profundus sinus, nulla interim sanie, nullo pure vel hanc vel reliquam partem occupante: atque ex hoc sinu sanguis corruptus, nigricans, atque cum eo siderata parenchymatis pars cum tussi rejecta: Similem & Ichtyopola quidam sanguinem expuit, cujus & pulmo eodem modo affectus fuit. Cerevisiæ coctor ejusmodi sanguinem cum valida tussi rer reddidit: in hujus autem Pulmone, plurima parte nigro, tres patuerunt sinus: Semper autem *talem affectum incurabilem* judicavimus; vitam tamen produci ad aliquod tempus posse, bona beneque instituta victus ratione, haud alienum est: Pictor plusquam mensem supervixit: Cerevisiæ coctor bis evaserat, sed & in tertia exspuitione subito periit, veluti & Ichthyopola qui in sanguinis sputo defecit. *Dodonæus observ. medic. cap.* 24.

DE hujusmodi sanguinis sputo sensisse videtur Hippocr. aph. 13. 5. Quicunque, *ait*, spumosum sanguinem exspuunt, iis è Pulmone sit eductio: Nam qui ex vase disrupto, aut ulcere profunditur, haudquaquam spumosus apparet: fatetur ipse Galenus in comm. sæpius se vidisse sanguinem plurimum bene coloratum exspui, quem, ait, ratio dictat ex aliquo Pulmonis vase prodire, sed hunc spumosum fuisse non addit: Spumosus sanguis, vel ut Hippocrates, ἀφρώδης εἴρα, naturam ac figuram ejus retinet unde abscessit, Pulmonis substantia laxa & porosa est, talis & sanguinis quem cum tussi profusum scripsimus, cui parenchymatis partem conjunctam & commixtam fuisse satis apparet. *Idem*.

Talem affectum incurabilem) Hunc morbum semper curatu difficilem existere, communis observatio est; Cujus item ratio liquido patet, in quantum scilicet pulmonum munus in motu perpetuo consistens, continui soluti therapeiæ, ad quam inprimis sedatio & quies requirunrur, omnino contrarium est: Cui etiam medelæ impedimentum hoc majus accedit, quod moles pulmonaria non (uti putabatur) parenchyma est, sed vasorum innumerabilium textura, sive tela admodum subtilis, cujus unitas si quando solvatur, impossibile prorsus erit vasculorum disjunctorum fines rursus coire, aut spatium, uti in aliis partibus, carne aut callo adimpleti: At vero unicum hoc superest, ut dum vasorum extremitates incongrue semper & imperforate coalescant, sanguinis circulatio in parte affecta cessans, per aliam vicinam suppleatur; quod quidem raro sine totius pulmonis noxa aut incommodo succedit. *Willis l. c.*

Cum tussi sanguinem excerni &c.) Contradictio in adjecto esse apparet, Dysenteria & Pleuritis indolens: Hæmoptysis sine tussi, attamen revera dari interdum talia observate novum non est illis qui praxin solicite exercent: Anno 1669. fœmina 54. annor. hic loci Hæmoptysin patiebatur, ἀβῆχως excernens sanguinem spumosum & floridum, sine dolore, cum respiratione aliquomodo difficili, sed, quod singulare est, semper absque Tussi: Eadem ante decennium eodem modo aliquoties excrevit sanguinem ad aliquot uncias, curata tunc à Medicis ordinariis, qui miro hoc affectu moti vix credere sustinuerunt, posse absque tussi è pulmone ita sanguinem mitti, donec αὐτοψία frequentior eos convicit: curata à me est binis medicamentis 1. semine hyoscyami cum lap. Canc. aliisque resolventibus & adstringentibus mixto: 2º Tinctura catechu ad 60. guttas pro dozi propinata. Eodem anno vidua 48. ann. veniebat consilium petitura, cumque quid peteretur ex ea quærerem, loco responsi floridum excernebat per os sanguinem & spumosum sine Tussi, sentiebat cum impetu quasi sanguinem urgere exitum & ascendere: Curabatur Tinctura antiphthisica Michaelis, Opiatis aliisque, semper interpositis illis quæ sanguinem coagulatum solvunt: Circa curationem enim methodicam hujus morbi, notanda est cautela Pergameni 4. m. m. & 7. de comp. m. *κατ. τοπ.* scil. sanguinem exspuentibus quæ adhibentur medicamentis, miscenda esse tum calida, tum tenuium partium existentia, ut medicamenta adstringentia distribui melius possint, hinc v. g. mel admiscendum monet: Innuere vult, non adhibenda esse pro sistenda hac excretione terrestris crassioris substantiæ medicamenta quæ solum constipant, anxietatem præcordiorum & respirationem difficilem pariunt, sed quæ simul liberum aëri relinquant motum, & quæ simul sanguinem effervescentem refrænent: Deinde illud maxime observandum, ut vel misceantur, vel interponantur provide sanguinem coagulatum dissolventia, ne ex intempestivo & solo adstringentium usu sanguis retineatur, putrescat, & in ulcus phthisicum degeneret hæmoptysis, quo de conqueritur Rondeletius m. cur. morbos: Ad observationem superiorem addi potest distinctio: hæmoptysis duplici contingit modo, vel ἀθρόως ἢ βιαίως, simul & semel, unica irruptione, extravasante & quasi effervescente sanguine, ubi sæpe ad uncias aliquot vel libram excerni potest, & in hac specie rarior observatur Tussis, tantum enim non adest irritatio, sed sanguis lubricat sibi ipsi viam, per superius guttur affectans exitum: vel excernitur & quasi extussitur pedetentim ab erosis in pulmone vasis, & ob salinas particulas teneras Pulmonum Vesiculas stimulat, & inde irritatione facta Tussim producit cruentam. *G. Wolfgang Wedelt in miscell. curiosis anni 1671. obs.* 43.

OBSERVATIO VIII.

Hæmoptysis ab aneurismate in Pectore, aperto per exesionem.

IOh. Pauli homo ebriosus, circa 50. ætatis annum in aneurisma incurabile incidit: Anno 1640. circa Autumnum, cum supra modum inebriatus fuisset, postridie anxietate quadam pectoris

pectoris correptus fuit, quam primo negligebat consueto more vivens. Circa initium sequentis anni, Tumor cum valida pulsatione, circa claviculæ sinistræ & sterni conjunctionem subortus est, qui ab omnibus judicatum est aneurisma insanabile, eo quod ab internis initium sumpserat: Medicina ea tantùm adhibita fuit quæ sanguinis calorem mitigaret, & quantum possibile tumoris augmentum prohiberet: Sed omnia frustra, nam tumor in tantum increvit, ut exterius pugni magnitudinem multùm superaret, & interius respirationi non leve impedimentum afferret: 12. Novembr. circa vesperam, per tussim incepit rejicere grumos nigri & concreti sanguinis, unde tumor multum imminutus fuit: Sed cum continua ea esset sanguinis excretio, summo mane vitam finiit.

Cadavere aperto, in Thorace statim sese conspectui dedit dilatata aorta arteria descendens, cujus paulo supra divaricationem tanta erat amplitudo, ut duas libras sanguinis & ultra capere posset adeoque iste tumor ad latus asperæ arteriæ increverat antrorsum, ut cuti proxima esset ipsa arteria: Sed ea ipsa in loco sub aspera arteria exesa esse videbatur, simul & postica pars asperæ arteriæ, unde suprema ipsi nocte ea sanguinis evacuatio: Quæ tamen non confertim processit, uti plerumque in ruptione aneurismatis fieri consuevit: Ideoque videtur verisimile ob summam ægri debilitatem, sanguinem in tumore contentum refrigeratum atque concretum fuisse. *Ottho Heurnius observat.* 27.

OBSERVATIO IX.

Hæmoptysis à percussione Pectoris & contusione interna.

Rusticum Eques quidam ebrius in campo adortus, in thorace sclopeto percussit, & interram dejectum equo calcavit; unde dolorem protinus in latere sentiens, sanguinemque excreans, post septimanas aliquot exspiravit. Judice criminali Medicorum judicium, an ab hac vi illata mortuus sit, inquirenti? Corpore aperto, internisque diligenter inspectis atque examinatis, talis ab illis sententia lata est.

Cùm prius ante hunc casum minime ægrotarit, sed tunc primum cum læsus fuit, dolorem vehementem & perseverantem in illo latere senserit, sanguinemque exspuerit; atque post apertionem pectoris intrinsecus contusionis signa eo in loco apparuerint, sine dubio percussionem illam atque ictum ex calce equi, mortis causam fuisse. *F. Platerus obs. p. m.* 785.

OBSERVATIO X.

Anatome Hæmoptoici, cujus Pulmones summa parte obsidebat tuberculum crudum, è quo acris materia prodibat eos erodens.

D. Christ. Halletus, homo proceræ staturæ, ætatis 45. cholericus, laborabat destillatione tenui, aliquando salsa ad pectus & ad fauces, ita ut cum fluxus ille inciperet, aliquando per os ad pondus dimidiæ libræ effluebat, tandem incidit in sputum sanguinis copiosum cum tussi: Habebat etiam à multis annis Tuberculum circa furculam, in latere dextro pectoris, quod aliquando crescebat, aliquando decrescebat, & mutabat interdum colorem: interdum enim album, interdum rubrum apparebat: Tandem tussiens in momento aperta denuo vena, vel potius rupta, in momento suffocatus est.

Secto ejus corpore, invenimus tuberculum crudum spongiæ haud dissimile, adnatum pulmoni circa furculam, in latere dextro, quod ex materia tam acri erat natum, ut fere adjacentis costæ mediam partem consumpserat, omnis etiam sanguis redibat in pulmone collectus, cum cæteræ partes viderentur exangues. *Ex Ioh. Hessi observ.*

Huc pertinet morbus de quo *Hippocr.* lib. 2. de morbis *si pectus aut dorsum ruptum fuerit, dolores pectus & dorsum per totum detinent, calor subinde invadit, & sputum subcruentum tussi rejicit, per quod capillus velut cruentus intercurrit. Eaque maxime contingunt si manibus laborarit, aut in currum, aut equum conscenderit. Hunc anteriore & posteriore parte inurito, ita ut utrinque dividas, sicque convalescit.* Interitus autem rustici causa fuit affectus magnitudo non præsidii omissio.

OBSERVATIO XI.

Hæmoptoici dexter Pulmo tumidus à sanguine illic subsistente repertus.

Post sanguinis sputum in φθινάδει corpore, ad duarum librarum mensuram, ingentis in dextro Pulmone sensus ponderis aliquot septimanarum decursu animadversus: rejecta materia flava, crassa, viscida, tenax, frustillatim tenui aqueæ copiosæ innatans: Adaperto iterum vasculo hæmoptysis urgebat: Ea sine negotio sedata, continuabat excretio priori similis: Aderant indicia Hecticæ non levia, puttidæ intermista, & Dyspnœa, dextro potissimum in latere:

in latere: Sanguis nullus excreabatur, sed alba solum, tenax, viscida materia, viribus exhaustis anni quadrante elapso, suffocatus abibat ad plures:

Aperto thorace, dexter pulmo tumidus, adeo ut totam illam impleret cavitatem: Inciso Pulmone, in circumferentia sanguis spumosus crassus effluebat: Incisis & divisis bronchiis, alba ut materia fere tota referta erant, Ita illa effluebat puris speciem præ se ferens plurimam, qualem multis ante septimanis ejecerat: quam si extussire potuisset, nondum vitæ terminus adpropinquasset.

Alius Hæmoptysi correptus, & ab ea fine negotio liberatus, statim gravitatem pectoris sensit, & tensionem in brachio dextro, circa axillas molestam; Aliquoties sputo sanguinis suppresso, de eadem gravitate conquerebatur: Tandem illa gravitate pectoris vires sumente, dyspnœa febrique hectica superveniente, suffocatus ultimum mundo vale dixit: Nullum dubium si cadaver apertum fuisset, eundem deprehensum fuisse statum. *Rolfinckius Dissertat. Anat. lib. 1. cap. 13.*

D*Exter Pulmo tumidus*) Dubium est an omnis sanguis per dictas anastomoses (*vide Scholia ad observ. 1.*) transeat, an non etiam multi vasculorum sanguiferorum fines desinant in ipsam Pulmonum substantiam, in eamque arteriolæ sanguinem effundant, venulæ vero ex ea rursus exsorbeant, sicuti sanguinis circulationem in plerisque aliis partibus fieri diximus: Rem ita se habere videntur docere rationes citatis locis allatæ, Sed in pulmone repugnat autopsia, qua ipsum parenchyma fere penitus exsangue apparet, nec unquam quicquam cruoris effatu dignum in ejus substantia reperitur (etsi horæ spatio sanguinis octo vel novem libras transmittat) secus atque contingit in hepate, musculis aliisve partibus, multum sanguinis transmittentibus, in quibus copiosus sanguis extra vasa repetitur: Præterea iste sanguis extra vasa in vesicularum substantiam effusus, partim vesiculas aëri recipiendo destinatas repleret, sicque respirationi plurimum obesset, partim Hæmoptyses frequentissimas pareret, quæ tamen valde raræ sunt, & manifestissime contingunt cum ruptis aut erosis vasis sanguis in vesiculosam substantiam & bronchia profunditur, nec unquam fine hujusmodi vasorum apertione evenisse visæ sunt:

Forte aliquibus mirum videbitur quod parenchymatis substantiam exsanguem esse, h.e. sanguinem notabili quantitate in eo conspici, dicam, cum tamen sanguine, sicut aliæ partes, nutriatur: cum etiam Hippocr. 5. aph. 13. scribat, *Qui spumantem sanguinem extussiunt, iis ex pulmone educitur*, cum denique in suffocatis multum sanguinis in pulmonibus sæpe reperiatur? Respondeo ad 1. Nutriri pulmonem sanguine sicut arteriæ, venæ & nervi, qui ex transeunte sanguine & spiritibus assumunt quod sibi conveniens est nutrimentum, atque etiam per invisibiles vias & arteriolas tantum recipiunt quantum ipsis necessarium est, sicut de nervis docebimus: Ad hæc pulmonem etiam, & quidem præcipue nutriri eo sanguine qui per arteriam bronchialem, à *Frid. Ruycsh* repertam, advehitur: Præterea distinguendum esse inter sanguinem paucissimum, quo nutritio pulmonis perficitur, & copiosissimum qui toti corpori inservit, illum per invisibiles vias ad vesiculosam substantiam posse infundi, & vix uspiam conspici; Hunc vero, propter singularem copiam, nonnisi per manifestum conspectum transire, & Anatomicos, cum de transitu sanguinis per pulmones loquuntur, de hoc, non vero de illo intelligendos esse; Ad 2. regero Hipp. citato aphor. loqui de pulmone in genere, quatenus ex propria substantia, vasis & membranis construitur, non vero speciatim de solius parenchymatis propria substantia: atque sic, cum dicit sanguinem è pulmone educi, illum intelligere istum sanguinem, non ex propria substantia, sed ex erosis vel ruptis aliquibus vasis sanguiferis, per substantiam decurrentibus erumpere: Ad 3. dico, qui in suffocatorum pulmonibus reperitur sanguis, eum non ex propria substantia, sed è vasis, propter impeditum circularem transitum ruptis effluxisse in vesiculas. *Dremerbreck Anatom. lib. 2. cap. 12.*

Observatio XII.

Hæmoptysis à fluxione acri, tracheæ partem cum Pulmonibus erodente & lævem arteriam.

LObum pulmonis sinistrum cujusdam erodebat ulcus, è tussi inveterata & fluxione salina Hæmoptysin inducente oriundum; quod levis arteriæ divaricationem lobo insertam una perferat; Dissecto cadavere tracheæ pars erosa, cui cicatrix inducta fuerat varicosa: lobo vero pars adnata callosa conspiciebatur. *Bennettus Theatri Tabid. p. 95.*

Observatio XIII.

Exspuitio cruenta Vomicæ in Pulmone disruptionem fere præcedit.

NOn pauci subito è vivis erepti sunt, in quibus non alia mortis causa comparuit quam repentina Vomicæ disruptio in Pulmonibus: Omnibus sic affectis, multo tempore antequam vomica rumperetur, cruenta excreatio præcessit è Pulmonibus, eaque cum tussi &c. *Fernelius Pathol. l. 5. cap. 10.*

Observatio XIV.

Anatome Hæmoptoici, qui Phthisicus interiit.

HEnricus N. Phthisicus obiit: In dextro thoracis latere, ubi majorem dolorem senserat, inventa sunt fragmenta bronchiorum à substantia Pulmonum avulsa, cum sanie copiosa: Laboraverat longo tempore antea sputo sanguinis, unde hujus miserandi mali principium. Bronchiorum fragmenta & saniem copiosam, dum viveret, in magna quantitate ejicere consueverat. *Vide tit de Phthisi.*

S*Puto sanguinis, saniem copiosam, phthisicus obiit:*) Ex sanguinis sputo puris sputum: Ex puris sputo, Tabes. *Aphor.* 15. *&* 16. *sect.* 7.

Observatio XV.

Exspuitio cruenta, nigricans, ab inflammatione pulmonis dextri, cum pleura affectione.

VIr Illustr. febre affectus cum tussi, dyspnœa, dolore levi ad medium thoracem, cruenta exspuit nigra, uberrima. Pars dextra Pulmonum fuit inventa corrupta, nigricans; Ejusdem lateris pleura male affecta. *Vide tit. de lateris dolore.*

Observatio XVI.

Sanguinis & puris sputum sine Pulmonum offensa aliquando contingit.

EXspuunt non semel statis temporibus quidam cum pure sanguinem, nec tamen Phthisici sunt, nec ulcus ullum in Pulmonibus habent: Hujus census tres novit Sala, quorum duo exspuerunt statis vicibus pus & sanguinem sine pulmonis ulcere, quippe sanati sunt & bene valuerunt, tertius adhuc vivit sanus: nam ex rupto abscessu inter thoracem per Pulmones quidem expurgata est materia, sed sine ejus læsione; quod in cadaveribus duorum dissectis eidem apparuit: Adest quidem in hujusmodi impedita respiratio, febrisque lenta, sed abstersо pure & exsiccato ista signa disparent. *Bartholinus cent.* 4. *histor.* 17.

E*Xpuunt non semel*] Hæmoptysis affectus satis frequens, & mirum quod non frequentior existit: Cum enim conceptacula sanguinis, seu Pulmonum vasa, varie diducantur & implicentur, ab æstuante in illis sanguine rapidiorique motu concitato, vix fieri potest, quin per illas ambages & perplexos meatus non difficillime fiat commeatus, hincque vasorum disruptioni aut apertioni occasio præbeatur: In viventibus sanguinis excursum impedimentis variis interturbari conjicere est, quia in mortuis liquores injecti ægre meant & ubique fere cæspitant.

Sine Pulmonis ulcere] Vide Scholia ad observ. 1.

Observatio XVII.

Hæmoptysis ob Pulmones putres, corruptos, ulceratos.

§. 1. DOmina N. quæ phthisica obiit, cœpit derepente sanguinem exspuere & de pectore educere: Dissecto cadavere, inventi sunt pulmones putres cum ulceribus variis. *Vide tit. de Phthisi.*

§. 2. Binos secui dyspnœa affectos: Uterque sanguinem cum pauco pure & frustulis Pulmonum exspuit: In utroque dexter Pulmo interius prorsus corruptus est. *Vide tit. de Dyspnœa.*

Observatio XVIII.

Hæmoptysis à Pulmonibus induratis, nigricantibus.

NObilis N. cum febre incidit in pectoris angustiam, sequente sputo cruento: Cadavere aperto, in pectoris cavitate serum sanguineum copiosum aderat: Pulmones sanguine crassiore scatebant externis eorum partibus induratis. *Vide tit. de Febribus lib.* 4.

E*Xtremis partibus induratis*) Ideo male peracto iis in locis sanguinis circuitu, hic ad alias pulmonum partes refluus, male regitur. *Vide Scholia ad observat.* 1.

Observatio XIX.

Hæmoptysis ab acri cruore quo cor infarctum repertum est.

ILlustr. Vir juvenis prævijs cordis palpitationibus, in nonnullas sanguinis sputationes, & denique in syncopen lethalem incidit: Quid autem venarum anastomosin causavit quam hujusmodi producta ex vitiata cordis digestione obnata, vim corrosivam corrosivam habentia, instar salium corrosivorum, ad quorum tyrannicam vim obtundendam archeus cordis cruorem copiosiorem alliciebat: hinc grandius redditum, & cruore infarctum secto cadavere in conspectum venit. *Vide tit. de cordis palpitatione.*

Observatio XX.

Sputum sanguinis nigri à Pulmonibus & cordis ventriculis eo refertis.

DOm. N. de Palpitatione cordis conquestus, cum dyspnœa, tandem per sputum excrevit sanguinem nigerrimum, crassum & conglomeratum, cum tussi molesta, unde respiratio facta levior; sed eo sputo plurimum aucto interiit: In eo inventus fuit cordis ventriculus uterque sanguine concreto distentus: Pulmo etiam totus sanguine multo refertus visus est. *Vide tit. de palpitatione cordis.*

Observatio XXI.

Hæmoptysis à cordis ulcere orta.

DIe 3. Januar. 1634. vocatus sum ad filiam D. N. annos 14. natam, quæ antea per multos dies laboraverat vomitu pituitoso semel aut bis in die invadente, horis præcipue matutinis, cum cardialgia per intervalla affligente: Item patiebatur dolorem in summa scapula sinistra & summitate brachii qua humero committitur; Nocte insequente, quæ erat quinta à prima invasione, correpta est alvi fluxu & febre quæ tota die eam detinuerunt. 6. Sumpsit rhei pulveris. ℥j. cum jusculo, & pluries dejecit, febris perseverat, nocte bis tantùm dejecit, per duas horas dormivit: 7. alvi fluxus perseverat, sed minus frequens, ut locum dederit venæ sectioni, qua missus fuit sanguis ad ℥iv.: Hæc duo peculiariter à febris invasione notavimus, quod Pulsus fere semper erat intermittens, Et cùm dolor prædictus in eadem partefixus permaneret, neque ad thoracem ullo modo pertingeret, ægra tamen non poterat in illud latus, quod erat sinistrum, decumbere, quin statim cardialgia & tussi corriperetur; itaut perpetuo super latus dextrum decumbere cogeretur: Tussis sicca eam infestabat per intervalla; flatus emittebat interdum supernè & infernè: 8. Eadem symptomata perseverant, præcipue cardialgia per intervalla recurrens, & pulsus intermittens inæqualiter: Somnus paucus: continuabantur cardiaca, sumpta & admota, tum vermes enecantia ac ventriculum roborantia: Urgente admodum cardialgia, exhibitus est Salis absynthii ℈j. cum succi limon. cochleari, unde optime habuit per horas aliquot, sed symptomata redierunt, noctu urinæ erant crassæ & satis pallidæ. 9. Admotum fuit vesicans cervici, quo tussis cessavit: antea dolor humeri imminutus fuerat, & supra latus sinistrum melius decumbebat: Eadem die sumpsit medicamentum ex infusione ℥j. Rhei cum hieræ pictæ ℥j. & syrup. de cichor. comp. ℥j. quo valde purgata est cum fructu, & alvi fluxus perseveravit per aliquot dies, unde prorsus convalescere visa est, cùm tamen pulsus continuo intermitteret in 3. 4. vel 5. pulsatione: Postquam à lecto surrexit, intermissio pulsus desiit, manente tamen frequentia & ægra tussi premebatur, noctu præcipue cum difficultate spirandi: Quæ symptomata per longum tempus perseverarunt, ac præter difficultatem spirandi aderat per intervalla dolor lateris pungens, qui magis urgebat cum ægra in latus sanum decumberet, & contra gravior erat difficultas spirandi quando supra latus dolens decumbebat: febris perpetuo erat intensa, quæ omnia magnam suspicionem faciebant abscessus in sinistra pulmonis parte latitantis. Tandem die 34. morbi subito correpta est *Sanguinis Sputo*, quem per tussim excrevit ad ℥viij. circa meridiem; is autem sanguis erat satis crassus & non spumosus, quem ægra ipsa dicebat à capite descendisse: seque ante illius exclusionem, in faucibus percepisse titillationem, tum aliquid ejus mungendo per nares eductum fuerat: Attamen vespertinis horis sanguinis sputo redeunte, satis apparuit eum è pulmone ferri, erat enim totus spumosus, ejusque quantitas fuit ad ℔j. Tum missus fuit de basilica sinistra, exhibitus julepus ex aqua plantaginis & papav. rhœad. cum sale prunellæ & syrupo de rosis siccis: utebatur tota nocte syrupis violaceo, de rosis siccis & de papavere simul mixtis, quibus Tussis sedabatur, excretionis reditus impediebatur & per intervalla dormiebat: Postridie mane iterata fuit s. m. ex brachio dextro, iteratus

ratus julepus, & multa alia remedia in hæmoptysi usitata, præscripta fuere in communi consilio habito cum D. D. Ranchino & de Lort: Sputum sanguinis rediit ad ℥viij. circa horam II. ante meridiem, continuabantur remedia & V.S. malleoli usurpata: Hora 4. vespertina redeunte spuro sanguinis copioso subito extincta est.

Dissecto cadavere, inventus est Pulmo colore albicante, costis undique & diaphragmati adhærens, tum etiam pericardio undique adhærebat, ut unum corpus continuum efficeret: Cor vero albicans visum est, & media sui parte fere, qua diaphragma respicit, exesum atque exulceratum, ut fibræ carnosæ semiputridæ summis digitis avellerentur. Et animadversum fuerat frustula quædam carnea, hujusmodi fibris simillima cum sanguine per sputum rejecta fuisse: Ita ut verissimum sit istam ægram cordis substantiam sputum rejecisse, quod est valde mirum. Cum autem in capsula cordis nullus humor repertus fuerit, existimandum est materiam hujusmodi abscessum, seu ulcus, efficientem cum sanguine permixtam fuisse & per tussim excretam. *Lazarus Riverius centur.* I. *observ.* 87.

Observatio XXII.

Hæmoptysis ab inflammatis Pulmonibus, subsequente abscessu.

Pleuritis à Peripneumonia hac præsertim nota distinguitur quod in hac sputum cruentum primis statim diebus & largius diffluit, si salubris præsertim futurus sit morbus, sed diutius & 40. etiam dies, ut observavi in Nob. A. de Gatinois, qui à pulmonia & pleuritide complicatis convaluit beneficio tam copiosæ excreationis cruentæ, ut quotidie linteum unum & alterum lecto instratum tabo rejecto compleueret: Præterquam quod enim è pleura tanta cruenti sputi copia rejectari nequit, abscessus in Pulmone relictus, sed detectus quadriennio post in cadavere magni viri, à simili affectu recrudescente interempti, repertus satis docuit. *C. Piso de morbis à colluvie serosa sect.* 3. *c. ultimo.*

Observatio XXIII.

Hæmoptysis à sanguine melancholico è Liene & vasis mesaraicis transmisso.

Vir 49. annorum constitutionis melancholicæ, hypochondriaca affectione per aliquot annos mire divexabatur, maxime tamen *de dolore hypochondrii sinistri* conquestus est, tandem prægressa suppressione fluxus hæmorrhoidalis, quo aliàs cum levamine fovebatur, hæmoptysi bis intra semestre spatium corripitur, qua etiam tertium redeunte purpuream *cum sanguine vomit animam.*

Impetrata licentia aperiendi cadaver, infimus venter I. ad examen vocatus, in quo Lien quidem sat magnus, colore lividus & flaccidus: mesaraicæ, tam venæ quam arteriæ, tum & vasa gastro epiploica, atro sanguine turgescentia & quasi varicosa conspiciebantur: Ad Renes vero cum deventum erat, eorum sinister flaccidior multò & magnitudine inferior dextro reperiebatur: hic vero dexter in parte superiori extrorsum, cysti donabatur ad magnitudinem pilæ lusoriæ, sero subflavescente turgida, qua dissecta, ac cum impetu proruente humore, nulla via conspicua erat perquam vel excretio vel ingressus sero pateret: quantum conjectura assequi licuit, videbatur dicta cystis ex membrana communi Renis conflata. Ad medium ventrem ubi deventum, in eo Pulmones sanguine nigro fermentescente turgescentes ac inflati comparebant: Talis etiam sanguis in Liene, & confinio venæ portæ ac dextro cordis ventriculo conspiciebatur.

Hinc conjectari licuit ex fermentatione nimia humoris melancholici, massam sanguineam orgasmo concitatam, cum per consuetas vias evacuatio non pateret, per ramum splenicum in Hepar, inde in cavam ac dextrum cordis ventriculum, exindeque per venam arteriosam seu arteriam pulmonalem facta vel anastomosi, vel ruptura ad superiora regurgitasse, ibique ob copiam & viarum angustiam circulationem sanguinis impeditam, indeque huic viro flammam vitalem extinctam fuisse. *Ex observ. Laur. Wolffsrigel Medici Viennensis, in miscellan. curiosis anni* 1670.

De dolore hypochondrii sinistri &c.) Bifariam dicemus è Pulmone sanguinem rejici posse, uno modo loco hæmorrhagiæ, altero ad exonerationem partis alicujus, in qua grave aliquod periculum crearetur: Inveniuntur quibus occluduntur viæ ad nares: Si sanguis non absumitur in incrementum, loco hæmorrhagiæ, è pulmone educitur sanguis innocue, Item & in quibusdam sanguineis, aut in mutilis, hæmorrhoidon loco: Altero modo sanguis expectoratur in Hepaticis & Lienosis; Lienosis per coeliacam, ut contigit filio Præsidis Parisiensis, Is sanguinem affatim expectorabat, omnia pene pulmonum vasa rupta putabantur, & periculum tabis adesse putabant: Tandem dum forte contingitur hypochondrium sinistrum, percipitur pulsus in ea parte & palpitatio: tunc hic latere fontem mali putant, & tractum ductumque sanguinis manu percipiunt: consultum est lieni, multum & valide repurgatus, cessavit palpitatio & pulsus, item sanguinis rejectio: Credidere sanguinem & spiritum ibi compressum & conculcatum fuisse, & ob cruditates cacochymiam-

que

que veluti obsessum, unde successisset necessario aneurisma. *Ballonius consil.* 1. *l.* 2. Quod de filio illo Consulis dictum est, idem huic ægro evenire potuit, ut illa sanguinis rejectio (suppressionem hæmorrhoidum sequuta) non tam vitium pulmonum sequeretur quam copiam & orgasmum sanguinis in præcordiis turgentis & propter affectiones melancholicas: Huc pertinet locus Hippocr. 2. Prorrhet. Inter Hæmoproicos evadunt quicunque dolores habent melancholicos & in dorso & in pectore: Quasi hi minus laborent & periclitentur quàm alii: Rejectio enim à Pulmone si fit tantum per anastomosin aut diapedesin non ita mala est, per diabrosin omnino suspecta esse debet.

Cum sanguine vomit animam) Dubitandi ansam præbet Hippocrates, an excretio illa ventriculo tantum propria sit, non item Pulmonibus? Ille enim Coacar. Prænot. sect. 9. v. 36. *Qui spumosum sanguinem vomunt, dolore infra septum transversum non existente, de Pulmonibus vomunt*: Sed adnotante *Martiano* comment. ad aph. 37. verbum vomere ad omnem copiosam excretionem ab ore usurpat Hippocr. ad distinctionem Spuitionis, quæ fit in pauca quantitate; illud accommodando tam excretioni quæ fit per gulam, quam quæ fit per asperam arteriam: Qui sanguinem vomunt, i. e. pleno ore profundunt, interpretatur *Duretus* comm. in prædictam Coacem prænotionem. Id tamen consideratione dignum quod monet *VValæus* in sua medendi methodo, Tenacem pituitam pertinaciter diaphragmati aliquando adhærere, quæ nisi emetici ope exturbetur, hominem suffocat: Empyematicorum pus ejusdem beneficio feliciter excludi asserit etiamnum *Franc. Sylvius de le Boë in sua Idea Med. Pract.*

OBSERVATIO XXIV.

Hæmoptysis à Iecore per fibras costis nothis annexo.

Vidi in hac Civitate Senatorem Clarissimum, qui cum ardenti febre correptus spumantem sanguinem spueret, falsò judicatus est Pleuriticus, quia non à thorace, sed ab hepate inflammato sanguinem spuebat, cum hypochondrii dextri dolore, & sine dolore lateris; tandem interiit:

Dissecto hujus cadavere, inventum est fibris quibusdam connexum hepar cum nothis costis, ut inde vix avelli potuerit: *Duretus annot. in Hollerii lib.* 1. *cap.* 26. *de morbis Int.*

Juvenis 18. annorum Ictero flavo per trimestre spatium antea laborans, demum curatis incidit in Hæmoptysin cum purulenta excretione, dolore item à jugulo ad costas nothas in latere dextro acuto sese extendente, febrique continua symptomatica conjuncta, cujus vehementia inflammationis magnitudinem sequebatur, & noctu inprimis cum delirio & agrypnia exacerbabatur: Tussis etiam sicca cum dyspnœa aderat; Pulsus modo vehemens, durus, modo debilis: urina rubra, crassa, cum sedimento rubro: Hunc affectum Heparis inflammatorium, cum hæmoptysi ex ruptione alicujus vasis in latere dextro, suspensorii hepatis, monstrabat locus affectus & cruoris per sputum excretio: At miretur quispiam, quomodo per sputum & excreationem materia cruenta & purulenta potuerit evacuari: Sciendum per vasa suspensorii Heparis ad thoracem hanc materiam fuisse transmissam, cum dolor sese extenderet ad costas nothas lateris dextri: similis ferme est historia à Durero superiùs narrata. *Frid. Hofmannus m. m. p. m.* 313.

Hepate inflammato) Si vis explorare utrum in parte quadam inflammatio adsit, an non, applica topica calida: Si ista pars ferat, nulla adest inflammatio: Sin autem non ferat, certo credas inflammationem adesse, & inde subsequuturum abscessum; Id quod multoties sui expertus cum *Lazar. Riverio* centur. 1. observat. 51. *Idem ibidem pag.* 336.

OBSERVATIO XXV.

Hæmoptysis ob Sanguinem è Iecore in Pulmones transfusum, eo per totum distentos.

R. P. Hieronymus Griffius, ordinis Prædicatorum, Juvenis optimo habitu præditus, in sanguinis sputum copiosum incidit, spumosum valde secundum totam substantiam, ita ut post concretionem totus cavernosus instar spongiæ appareret, ad differentiam sanguinis cum spuma, quam in superficie tantummodo conservat, una cum hypochondrii dextri dolore, Et dum sputi sanguinis curationi incumberetur, idem fluxus repetiit sæpius, concomitabatur etiam tussis vehemens, cum sputi pituitosi copia non mediocri, ita ut dum alii Medici huic curationi adhibiti, timentes tabem, humectare corpus, jam sanguinis fluxu sedato, tentarent, à sputi copia suffocaretur: Quapropter ego Coacæ 360. sect. 2. authoritate permotus, ad Hepatis curationem me contuli *remediis communibus*, quæ hepatica medicamenta dicuntur, & inter ea Trochiscis cypheos, quos singulo mane exhibui, à qua curatione adeo sublevatus est ut sibi sanus videretur: Quia tamen ante perfectam sanitatem frigidiori vento se exponens à febre magna correptus est, eaque continua cum siti, spirandi difficultate, tussi, aliisque symptomatis gravioribus, à qua 25. dierum spatio extinctus est.

Cumque aperto cadavere partes læsas inspicere procurarem, unum primo occurrit mirabile, quia ventriculus omnino vacuus est inventus, etiamsi antequàm moreretur, spatio non ultra 4. horarum plurimum comedisset, videlicet ferculum ex pane contrito, tria ova, panem & carnes (erat enim per totum morbum vorax multi cibi, nec ab eo se continere poterat) sed & intestina fere penitus inanita erant: Hepar satis magnum erat, alioqui sanum; Pulmo totus sanguine repletus mirum in modum tumidus apparuit, ita ut non vasa tantummodo turgerent, sed per totam substantiam sanguis conglobatus scirrhi duritiem æmulare-

tur; Nulla tamen alia læsio in eo apparebat: Cor & circumsitæ venæ sanguine mirum in modum repletæ inventæ sunt, & in latitudinem immodicam distentæ, imo & sinister cordis ventriculus sanguine repletus erat: Turgebant pariter venæ omnes, quæ per costas disseminantur; *Prosper Martianus comm. in aph. 12. sect. 5.*

IN summa totum malum in sanguinis plenitudine consistere videbatur, Ex quo in eam conjecturam deveni, Hepar attractricem omnino validam habuisse cum sanguificatricis robore, cujus gratia sanguinis copiam majorem producebat quam ei conveniret; Quem cum natura per pulmones ut antea excernere frustra tentaverit, in ipsis pulmonibus conglobatus & constipatus, putredinem sive fervorem contraxit, & febrem illam ingentem induxit, Ex qua forte servari potuisset si sanguinem denuo exspuisset, aut sanguis in larga copia missus fuisset: verum morbi causa ignorata, nemo sanguinem mittere copiosum in emaciato corpore ausus fuisset: Hæc adnotare volui, ut constet ab Hepate per medios pulmones sanguinem educi posse, cujus indicium erat & spuma & dolor in hypochondrio dextro, nec ob id falsum erit dicere eductionem à Pulmonibus fieri ut ab aphor. 13. sect. 5. docemur, *Qui sanguinem spumantem tussiendo exereant, iis ex Pulmone talis exclusio fit*, Quem male interpretantur illi qui in sanguinis spumosi excretione Pulmones semper affectos esse exponunt: Eo enim aphor. docemur tantummodo cognoscere in universum per quam regionem sanguis excernatur, non quæ pars afficiatur quando sanguinis spumosi fit excretio: Particulatim vero id explicavit sect. 2. Coacar. Prænot. 360. ubi ita legitur. Qui spumosum sanguinem vomunt, dolore infra septum transversum non existente, de Pulmonibus vomunt: Et quibus quidem magna vena in eo rumpitur, multum vomunt & in periculo versantur, &c. Et paulo inferius, Qui sanguinem spumosum spuunt, præcordium dextrum dolentes, de hepate spuunt & moriuntur: Casus quidem à me bis observatus in praxi &c. *Idem ibidem.*

Remediis communibus &c.) Inter quæ recensentur Ligaturæ, quæ modo sanguinem compescant quæritur; quidam eas attrahendo id præstare volunt, eo quod pars ligatura intercepta tumeat, adeo ut etiam à copia irruentis sanguinis inflammetur, imo subsequatur gangræna; Item, quod si collum deligetur fascia, venæ capitis intumescant: Si humerus ligetur, cubitus & manus valde tumeant, hinc dolor à vinculo excitatus attrahere creditur: Modus attractionis à veteribus tribuitur dolori, calori, fugæ vacui dolori, quatenus pendet à suis causis, intemperie calida & solutione continui: hæc partem debilitat & repellendis à se humoribus imparem reddit, inde tumor partis constrictæ: At aliunde petenda intumescentiæ ratio: Ex priori causa deduci non potest cur ligato brachio, infra ligaturam intumescant cubitus, manus & digiti: Non oritur ille tumor à sanguine, à corde in partes trans ligaturam copiosius per venas irruente, sed ab impedito motu sanguinis refluí per venas in cor: detentus sanguis ibi tumorem excitat: Ligaturæ sanguinis è naribus, ore fluentis motum sistunt brachiis injectæ, non quod ratione doloris aut caloris trahant, sed quod sanguinem ex arteriis resumptum, ad cor per venas tendentem, quo minus tam cito ad dextrum ventriculum perveniat, retardent: hoc in fundamento jacet vis ligaturarum, dum injiciuntur parti sanæ, sanguinem per venas ad affectam refluere in copia prohibent, & sic pars affecta ab influxu liberatur.

ADDITAMENTA.

Observatio I.

Exenteratio Ancillæ Hæmoptysi subitò extinctæ, propter disruptam venam cavam &c.

HÆmoptysin in ancilla 18. annorum temperamenti cholerici hac in civitate Hanoviensi servitiis addicta observavi, quæ tempore matutino surgens, patre familias adhuc dormiente, valvulas fenestrarum aperit, hoc peracto, illa ad hypocaustum alta voce, ejulans accurrit, à quo clamore ejulatuque herus domus expergefactus ancillam in terra prostratam, sanguineque fere obrutam stupens aspexit; Ego vocatus puellam in sanguine quasi natantem, exanimatamque offendi. Cadaver ad secandum ab hospite petii, hospes annuit: aperto cadavere sequentia notatu digna, multis viris spectatissimis præsentibus, reperi. Abdomen dissectum exhibebat cuncta viscera optimè constituta ovarium multis ovis tenuissimis membranulis præditis refertum, siphone intruso lacteque per ductum Fallopianum emisso, evanuere ova, quæ illustrant nostram conceptam opinionem, quam de conceptu fovemus. Hepar justæ erat magnitudinis sine vitio, folliculus fellis totus bile vacuus reperiebatur, nullam enim (vera dico) guttulam bilis exprimere poteram: thorax pulmones exhibebat ad nigredinem vergentes, inflammatosque in iisdem venam cavam disruptam, sanguineque multo spumoso refertam. Cor sanguinis fons albescebat, ventriculi cordis, arteriaque magna grumescentem continebant sanguinem, & vix uncia sanguinis in toto restitabat cadavere. Hisce perpensis, si causam mortis in bilem in sanguinem effusam eundemque nimis fermentantem conjicias, fortasse haud à scopo aberrabis. *Iohannes Dolæus Miscell. Curios. Ann. IX. Decur.*

Observatio II.

Hæmoptoici post obitum dissectio.

ADvocatus longo tempore sæpe sanguinolenta, deinde putulenta expuit. Queritur de magno dextri lateris dolore. Tandem è vivis excessit.

Libuit

Libuit post mortem pulmones indagare.
Utrinque costis fitmiter non tantum adnati, sed & interius diaphragmati.
In latere dextro fragmenta quædam bronchiorum, cum pulmonum membranosa substantia erant avulsa & putrida: pus cruentum copiosum. Vox clangosa fuit.

A Sanguinis sputo puris sputum malum: atque in nostro causarum patrono manifestum, ab incunabulis ei pulmones diaphragmati conoexos fuisse facile fidem meretur. A quavis occasione; idque à longo tempore, forte nimio corporis motu, aut alias, sanguis, quàm potuit celeriter, per pulmones ruebat, unde vasorum pulmones perreptantium ῥῆξις, sanguinique effusio; cujus putredine adjacentes partes corruptæ, imò & tracheæ ramulus unus aut alter, qua via materia sanguinolenta exrussiri debuit. Interim cum plaga in principio neglecta fuit, randem & purulenta ejecit; quia vascula lymphatica à sanguinis effusi compressione obstructa lympham effundebant, quæ post aliquid temporis moram in pus versa est.

Haud mirum eum de dextri lateris dolore conqueri, cùm ob diaphragmatis & pulmonum connexionem respiratio libera denegata fuerit, nam respirando membrana connectens jugi fibrarum elongatione læsa fuit.

Porrò cùm pulmones perforati sint, aut alio modo læsi, vox ipsa variatur, hinc clangosa facta est. Pro varia enim pulmonis & laryngis dispositione, etiam vocum efflatio mutatur, quod unicuique obvium, *Stephan. Blancardus in Anatomia Practica.*

Observatio III.

Hæmoptysis à sero acriori vasa pulmonum &c. erodente.

Mulier apud nos obstetricatoriam exercens artem & 75. annos nata, jam dudum hæmoptysi obnoxia vixerat, cui ultimis vitæ temporibus tantus se adjunxerat dolor radices mammæ dextræ occupans, ut ibi cancri malignioris semina delitescere crederent quidam; Baccho interim non parum litabat merumque largius ebibebat, unde tandem, in inflammatorium quid incidens, ac sanguinem pleno quasi alveo tussi rejiciens, animam efflavit.

Aperto thorace pulmones in universum malè affecti visebantur ac præcipuè dexter major lobus, is enim per totam suam investientem membranam costis adhærebat, ad latera scilicet, anterius & posterius; imo cùm aperiretur cochlearia aliquot puris fœtidioris ex abscessu contento fundebat. Notandum autem quod pars pleuræ abscessui memorato apposita, non parum livebat, unde procul dubio dolor ille qui cùm in ima persentirctur dextra mamma, cancri suspicionem faciebat. Scilicet ichor ex hoc foco continuò transudans, pleuram salinis suis aculeis, causticum quid redolentibus, perterebrans, ejusque texturam sensim destruens, gangrænosam induxerat dispositionem, unde non mediocris dolor enatus fuerat, in parte exquisito prædita sensu; cujus cùm sedes non ita accuratè perciperetur, non mirum si ipsi musculi pectorales mammis suppositi accusarentur. Cor erat flaccidum, in ventriculo suo sinistro polypum duos transversos digitos cum dimidio longum, octo vero lineas crassum complectens.

Reserato dein abdomine vidimus ventriculum omnino flaccidum ac rugis prorsus destitutum; magnitudinis naturalem non parum excedentis. Jecur erat albidum ac siccum intus & extus, non absimile jecori quod aquæ per aliquod tempus incoctum fuisset. Lien aderat naturali duplo major ac per sui substantiam & membranas prorsus dissolubilis, ita ut sub digitis ad instar luti tenuioris diffiueret. Renes reperiebantur flaccidi, sed minimè ulcerati, quamvis in eorundem pelvi sanguinolentum contineretur lotium &c.

Hinc inhæsitanter asserimus serum acrius tot malorum causam extitisse, ac non tantum pulmonum vasa erosisse, sicque sanguini imperuosius per illa exilienti, viam aperuisse; sed etiam fibroso ac ex parte glanduloso renum corpori vim fecisse, & cum cruore admisto in ejus pelvim visum esse, imò totam lienis compagem ac texturam destruxisse & in purulentum quid convertisse.

Observatio IV.

Hæmoptoë in quâ auricula cordis monstrosa cum arteriæ Pulmonalis aneurismate reperta est.

Affinis meus Juvenis propter raram in commerciis Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Italiæ experientiam vitâ longiore dignus, post varios in exteris regionibus terræ marique in rebus non naturalibus commissos errores, ad nos redux, in melancholiam ob adversum negotiorum quorumdam successum incidit, ex quâ cùm nullo modo relevari posset, tandem terribili hæmoptoë, in quâ sæpius libras aliquot sinceri sanguinis rejiciebat, corripiebatur; qui affectus, licèt aliquoties curatus videbatur, toties tamen recruduit, quoties novo cruore vasa sanguifera turgescere incipiebant. Patientem eousque deduxit, ut accedente violentâ tussi, & phthisi, tandem tabe consumptus, postquam integro ferè anno remediis exquisitissimis contra hunc hostem colluctatus fuisset, libitinæ cesserit in victimam. Cadavere apertò, mali tam obstinati

obstinati causam in ipso vitæ thalamo reperiisse videbar, dextra enim cordis auricula tantæ erat molis, tamque insolitæ figuræ, ut galli junioris Indici caput, dum œstro venereo rubescit, colorem & magnitudinem referre videretur, formam verò fungi arbori accrescentis non ineptè repræsentabat. Arteria pulmonalis tam copioso sanguine turgescebat, ut quasi ancurismate affecta præter propriam magnitudinem præternaturalem, hinc inde facculos cruore coagulato turgidos habuerit appensos. Uterque cordis ventriculus sanguinis ætorridi & nigerrimi incredibilem continebat quantitatem. Pulmones copiosissima materia argillacea per totum obsiti, ad dorsi, costarum & sterni latera arctissimè accreverant. *D. Alard. Mauritius Eggerdes Miscellan. Curios. Anno vj. Decur. ij.*

ANATOMIÆ PRACTICÆ
LIBRI SECUNDI.
SECTIO VI.
De Expuitione Purulenta, Sordida, Empyemate.

OBSERVATIO I.

Expuitio varia à Pulmonum abscessibus educta.

ANNO 1601. in tota Piceni regione &c. grassabantur anginæ, pleuritides, tusses, thoracis dolores &c. cum sputo viscido, spumoso, crasso, raro, subflavo, subcruento, subnigro; rarissime purulento, &c. Sectis cadaveribus reperti sunt Pulmonum abscessus ex quibus multa materia fœtens exibat. *Vide lib. 4. Tit. de Febribus.*

CUm sputo viscido, spumoso, crasso &c.) Quanquam Pulmones ut plurimum inflammatione, abscessu &c. tentari sint, ubi ejusmodi sputa apparent, observatum tamen aliquando ubi vitiosa sputa exeunt, nulla labe infectos fuisse Pulmones, nullamque in iis aut thorace inflammationem adfuisse: Quare *Duretus* Coac. lib. 2. cap. 16. tit. 14. quando sputa sincera, glutinosa, alba atque rotunda &c. expuuntur, docet quod necessario hæc pravitas & sputi conditio, opinionem facit perusti humoris ab æstu & ardore quo pars ipsa, unde sputum venit, conflagrat; Quæ causa est cur alibi de sputo rotundo ita scripserit Hippoc. *Sputa rotunda delirium indicant*, Ad quem locum scripsit Gal. 6. Epid. *Talium sputorum causam materialem esse crassitudinem & lentorem humoris in bronchiis pulmonum cumulate collecti: efficientem vero immodicum calorem:* Quæ omnia ut non nego ex decreto veterum & ipsius *Hippocr.* accidere pleuriticis & peripneumonicis, ita simillima his exspuere sputa prava febre essentiali laborantes, citra ullam pleuritidis aut peripn. suspicionem docet experientia: Ita Pythion. l. 3. Epid. p. 4. sect. 1. sexto die varia & cruenta sputa exspectoravit, cum nec peripneumonicus, nec pleuriticus foret; nec à capite malum esset, sed à defluxu tantum materiæ, quæ non erat tanta ut inflammationem pareret: aut forte in pulmone congesta, sed quæ incendium non conceperat: Hinc *Hippocr.* aph. 47. l. 4. In febribus quæ non intermittunt, excreationes sanguinolentæ, lventes, graveolentes, biliosæ, omnes malæ sunt: nomine τῆς ἀποχρέμψιος volens notare non tam esse materiam thoracis morbificam quæ excernitur, quàm excrementum aliarum partium in pulmonem transmissum, cui per moram alienus color inductus fit: Sic cum inopinato in febre essentiali talis apparet mala apocrempsis, non tam generatio est, quam veteris excrementi collectio: Ideo dixit, in febribus non intermittentibus, ut declaret ratione præsentis cacochymiæ, & vi caloris humores fundentis, & per modum attractionis ipsius pulmonis à partibus inferis; aut per modum transumptionis & diapedesis, colligi in pulmone materiam alienam, quæ aut tussi, aut alio modo expectoratur. Errant ergo Medici qui cum talia sputa vident statim pronunciant aut pleuritin esse peripneumoniam: An forte hic incusandus Thymus, ob varia quæ ad hanc glandulam distribui Eruditissimus *VVhartonus* Adenogr. cap. 16. ostendit? nam ex ejus sententia, ubicunque vas excretorium peculiare reperitur, non putandum est frustra conditum fuisse, sed speciali cuidam excretioni destinatum: Idem etiamnum observat. c. 21. de Glandulis maxill. majorem esse quantitatem materiæ salivalis per has glandulas excretæ, quam ab exiguis illis arteriis & venis, quæ ad has distribuuntur, afferri possit; Notum vero eundem Thymum ex quorundam lue venerea infestatorum cadaverum sectionibus, instar spongiæ ab excrementitiis corruptis humoribus intumescere: Hinc ratio patet cur ptyalismus artificialis cieatur, collo circumdato emplastro de ranis cum Mercurio, facilius quam per Zonam mercurialem.

Observatio II.

Expuitio materiæ flavæ purulentæ à Pulmone fistulosis ulceribus scatente.

Quidam thoracis dolore laborans excernebat *materiam flavam purulentam*: Illi Pulmo dexter totus scirrhosus inventus, fistulosis ulceribus scatens, In sinistro quoque erat ulcerosa colluvies. *Vide tit. de Phthisi.*

Materiam flavam purulentam] Plurimi putant causam materialem puris solum esse massam sanguineam, cæteros vero humores extra venas existentes esse adeo rebelles ut alteratrici resistant: Dicimus autem nos ex Galeno, non solum sanguineos humores in pus converti posse, verum etiam cætera recrementa corporis, quamvis majori cum difficultate: Galenus 7. aph. 38. ait quod fluit à capite in thoracem, 20. diebus suppurari, at id phlegma est purum: Præterea Hippocr. & Galenus 1. Prorrh. 35. dicunt humores frigidos tractu 60. dierum suppurari si locus calidus sit: In pedibus enim & brachiis, ob distantiam à fonte caloris nunquam in pus abeunt: Galenus 3. Præsag. 29. docet quando expectanda sit conversio humorum in pus, Si vires sunt robustæ, & humores calidi, per excretionem fit judicium: Si frigidi & vires robustæ per abscessum: Si calidi & vires debiles, per abscessum quoque judicantur: Ubi vero vires debiles & humores frigidi, ii vel moriuntur, vel vix longo temporis intervallo humores concoquunt: Hinc colligere licet quando fieri possit pus, & quando non, 1°. enim si fuerint humores calidi, & vires robustæ non fiet pus; ratio est, quia humores calidi transpirant, & vires fortes expellunt insensibiliter: Hic eorum error notetur qui *tumoribus biliosis*, robusta existente virtute, adjungunt suppurantia ex lacte, farinis &c. quibus occluduntur pori, detinenturque aeres vapores, qui ideo effrænes evadunt ut partem exedant & gangrænam inducant: Si vero fuerint frigidi humores, & virtus robusta, per abscessum expectanda erit crisis: Ex quibus quoque colligimus ex frigidis humoribus fieri pus: Non ergo solum ex sanguine fit pus, quia sanguinea massa non est sola & adæquata causa materialis puris, ostensum enim ex Galeno pituitam in cavo thoracis posse suppurari: *Ex Sanctorii meth. vit. Err. l. 8. cap. ult.*

Materiam flavam.) Quæ non erat mera bilis; hæc enim in verum pus non abit, sed sanguis biliosus; aut bilis pituitæ remixta, qua ut plurimum scatent Pulmones.

Materiam purulentam] Empyematis materiam alii merum pus esse volunt, alii purulentam; qua in opinione est J. *Heurnius*, qui inter hanc & merum purumque pus distinguit, asserens hoc fieri, *Ab humore nutritio sanguineo, h. e. ab ipso sanguine aliquatenus corrupto, sed pepasmi capaci: Illam vero humorem excrementitium, videlicet serum aut ichorem esse*, qui à sanguine inter circulandum alicubi præpedito & obstructo provenit: Hinc observare est de abscessu, qui *pus verum* & laudabile exhibet, eum plerumque compactum, undique conclusum, & vel cysti, vel privatis quasi mœniis obvolutum esse: dein postquam maturatus & disruptus humorem contentum effudit, cito ac facile sanari: Verum abscessus *purulentam materiam* præbens, nidum suum non ita constipatum, & parietibus circumseptum, sed plerumque inæqualem & sinuatum obtinet, atque disruptus saniem potius quam pus effundit, dein ob perennem humoris excrementitii scaturiginem ægre sanatur. Quanquam autem istam puris & materiæ purulentæ distinctionem haud multum improbamus, attamen nec solummodo hanc, nec semper istud Empyematis per causam conjunctam esse statuimus: Quando hic morbus pleuritidi simplici succedens, ab apostemate in latere suppurato & disrupto oritur, sæpissime purum merumque pus est, quod in pectoris cavitatem decidens morbum istum parit: Sin vero Empyema Peripneumoniæ soboles sit (nisi Pulmonis vomica intercedat) materies ichorosa, circa phlegmones locum aggesta & postea mota, coctione crassescens, pulmonis unitatem solvit, & randem membranam investienrem perforans, inque thoracem exundans, Empyema producit: Ista materia purulenta potius quam pus merum dicatur: *Willis Oper. posthumi sect. 1. cap. 10.*

Observatio III.

Expuitio purulenta à Pulmonibus pure infarctis.

Virgini fœtens erat anima cum Purulenta expuitione, citra tabem; hæc inopinata morte prehenditur: Pulmones illi pure scatebant, & nigrore erant tincti. *Vide lib. 3. tit. de ventris dolore.*

Fœtens anima cum purulenta expuitione) Advertere est utrumque humorem, scil. tum pus tum materiem purulentam interdum insigniter fœtere quandoque tum odore quovis tetro prorsus immunem esse: Quædam apostemata maturata & disrupta pus fœtidum, alia inodorum effundunt: Pulmonum vomicas, quin & partium aliarum phlegmonas ita diversim habuisse sæpius notavi: Materies purulenta è plerisque ulceribus effluens grave olet, phthisicorum sputa, quæ multo magis exstant, ut plurimum inodora sunt: Usitatum est è latere propter empyema perforato, materiam primo haud insuavem exundare, dein post duos aut tres dies, aëre orificium sæpius subingressum, tum horrende potuisse: quæ tamen putiditas post injectionem spiritus cujusvis vinosi, aut aromatici, evanuit brevi: Sed multi rædii res esset singulorum hujusmodi accidentium, & alterationum rationes particulares designare, in quantum perexigua tantum puris, aut materiæ purulentæ alteratio iis fœtorem inducit admitque: Cum particulæ sulphureæ æqualiter coctæ, & salinis subjugatæ in mixto conti-

continentur, graveolentia abest; quamptimum vero illæ solutæ avolare incipiunt, secumque salinas, à quibus aculeantur) auferunt, odorem valde tetrum quaquaversus dispergunt Quod autem ulceri putido, aut Empyematis nido, lotio vel injectio, cum liquore vinoso aut aromatico aliquoties adhibita, sæpè fœtorem tollit, in causa est quoniam ulceris, haud secus ac testæ putearis, latera quodam quasi fermento liquorem contentum inquinant, adeoque fœtorem imprimunt; cumque adeo à liquore bene temperato & potente, illud vasis aut viscetis fermentum eluitur, aut subigitur, deinceps fœtoris ista propagatio cessat: Hinc sequitur indicium non semper malum, nec itaque valde bonum esse, si quando phthisicorum sputa, & empyematicorum abscessus, cum vel sine graveolentia excernuntur, quoniam utriusque generis casus quosdam salubres, aliosque funestos extitisse cognovi: Adhæc non certius indicium inde sumitur, quod phthisicorum quorundam sputa aquæ injecta supernatant, aliorumque submerguntur. *Willis l. c.*

Observatio IV.

Expuitio purulenta à pulmone sinistro omnino in pus resoluto.

Pleuritide quidam laborans, post 14. diem cum expueret sanguinem, in Xenodochium receptus est: ibi cum omnia incassum remedia tentarentur, *vix post dies 40. saniem ad dimidiam mensuram fere expuit*:

Cum secaretur, *nullum* apparuit *vestigium Pulmonum in sinistro latere*, verum ad 28. bocalia sanici deprehensa: Diaphragma totum in illa parte conversum in saniem, una cum musculis intercostalibus inventum est: Si tres adhuc supervixisset dies, crepuisset per costas: mediastinum vero non erat læsum, & alter dexter Pulmo sanus & integer, colore & substantia conspectus est, *Observatio G. VVolphii Medici Tigurini.*

Saniem ad dimidiam mensuram fere expuit) Quæri potest qua ratione, etiam ab exiguo ulcere, tam multa in thoracem confluant, ut & suppurati ægri evadant, & ingentem puris copiam in dies expectorent, quàm nulla fere alleviatio insequatur; Causæ multæ sunt, 1. locus ipse vulneris depressus, si lateribus conferatur, ad quem humores suapte natura graves delabuntur, & ex circumpositis gravia omnia. 2. Infirma partis affectæ retentrix, tum ob fibratum quæ in retentione contrahuntur solutionem: tum propter ambientis contactum, quo membri temperies evertitur; Quo fit ut quæ humida utrinque contineri non possunt, in locum medium defluant: 3°. concoctio vitio solutionis oblæsa, cum alimentum assimilare non possit, excrementi auget copiam: Postremo; ad imbecillum ex solutione locum, tum ob dolorem, tum ob calorem, confluxio fit, & ex ipsa propter vacuum ab universo corpore colliquatio: Ea ratione accidit, ut si quis per singulos dies rejecti puris quantitatem in quibusdam suppuratis collegerit, interdum sex aut octo heminas, *ait Galenus*, interdum decem, atque etiam plures totam summam æquare inveniat. Cum ergo uncias decem hemina fere contineat, heminæ decem puris, quod singulis diebus rejicitur, uncias centum perficient: ex quibus partium affectarum summa imbecillitas, & è toto corpore colliquatio arguitur: Refert quoque *Nicolaus*, vidisse suppuratam ex ulcere, quæ quotidie libras octo puris expueret, perseverasse in ea copia sex dies *Iacotius comm. 1. ad aph. 5. sect. 2. lib. 6. Coacar. Hippoc.* Adde rationibus adductis, pus, ut sic dicam, sui multiplicativum esse, atque vicina quæque, tum carnem, tum sanguinem, in sibi similem substantiam transmutare: Ideo *Sanctorius* in meth. vitandorum Errorum, monet Chirurgos ne totum ex abscessu, adhuc immaturo, pus profundant, quia inquit, id quod relinquitur, abscessus partem crudam concoquit, incidit; illique puris formam inducit; Materiam autem plurimam suppeditant Pulmones, ob vasorum & sanguinis copiam illos permeantis, qui ab attactu virulentæ materiæ, ejus naturam promptè induit; hinc infecta massa sanguinea, circulationis ope totum corpus alimento defraudatur.

Vix post dies 40.) Diuturnum ac confirmatum Empyema significant febris lenta continuo infestans, quæ partim putrida, partim hectica videtur; interdiu mitior, noctu vero vehementior: sudores multi, noctu præsertim advenientes: tussis frequens & molesta, temporis vero processu maxillæ ruborem contrahunt, oculi concavi redduntur, ungues incurvantur, pedes intumescunt, & pustulæ circa pectus erumpunt, acriore puris parte ad extremam usque cutem penetrante.

Nullum vestigium Pulmonum in sinistro latere) Plazzonus nautam Patavii medicabatur, inferiore dextri Pulmonis ala vulneratum, qui per tres hebdomadas cum pure ipsum pulmonis parenchyma ejecit: Ex quo suspicatus ille absumptos dextros Pulmonis lobos: sinistri tamen usu vixit, sed cum difficultate spiritus: Dextro etiam lue venerea corrupto hominem vixisse tradit *Hippolitus Boscus* lect. 1. de fac. Anat. Idem *Plazzonus* secuit canem cui Pulmo globulo sauciatus plumbeo puttuerat, illæso dextro, cujus beneficio diu superfuit: Quid igitur mirum Pulmonis ulcera sanari, si putrida ipsorum vulnera curantur? *Rhodius cent. 2. observat. 6. & 7.*

Observatio V.

Exspuitio purulenta ab Empyemate pleuritidis succedaneo, & corrupto utroque Pulmonum lobo, in pus conversorum.

Uxor Limbolarii Textoris, nomine Cezeau, 36. annos nata, Genevæ obiit 7. Junii 1675. A sex mensibus utero gestans Pleuritide lateris sinistri corripitur, multaque purulenta

lenta exspuit, nec tamen morbo defungitur, sed maxima materiæ abscessus latus occupantis parte in cavum thoracis decumbente, Empyema congeritur; si enim de latere in latus se convolveret, fluctuationem manifestam & ipsa & assidentes animadvertebant: quamobrem instituta, sed serius, paracentesis, prodiitque *puris fœtidi* ingens copia, quam effusionem sequutum levamen, remittente pectoris gravitate, febre, dyspnœa, & aliis symptomatis, sed tandem ægra tabe conficitur. Triduo ante obitum brachium dextrum miro œdemate totum intumuit, quod admota candela pellucidum transpatens erat; Humeri partem sylvestrem, juxta cubitum gangræna quoque invasit, è qua tabum cruentum effluebat.

Apertum fuit, me præsente, cadaver à Magistro Bailly Chirurgo peritissimo, facta per maritum secandi potestate: Reserato Thorace, Primo occurrit Tunica lobi dextri Pulmonis plurimis maculis variegata, ranæ cutem & colorem referens, parenchymate destituta, & diaphragmati arcte connexa: Lobus sinister totus pene in putrilaginem abierat, per paracentesim eductam: particula enim solum superioris lobi superstes erat, & membranæ, cujus aliquot fimbriæ exinde dependebant: 2. Pleura ea parte crassa erat, syderata, cui cohærebant fragmenta membranæ pulmones investientis, ut & diaphragmati, quæ adnascentia naturalis videbatur, non per fibrosos nexus, sed membraneos: 3. Cor solito majus erat, cujus vasa paucum sanguinem atrum, & exustum continebant: 4. Pericardium pustulis plurimis erat exasparatum ab acrimonia puris, à quo exesum fuisset, nisi paracentesis prævertisset corrosionem. 5. Diaphragma duobus digitis solito elatius erat, in cavitatem thoracis à Jecore tumido, scirrhoso maxime, & utrumque hypocondrium occupante, compulsum; glandulis præterea plurimis per extimam superficiem obsitum: Parenchyma dissectum aridum se exhibuit, sub fusci & cineritii coloris: 6. Pancreas pene totum consumptum erat, cujus Ductus solum cum membrana apparebat: 7. Adacta in brachii *partem sphacelo infectam* novacula, caro putris & nigricans, tabo diffluens apparuit: Ulna & manus extrema, œdemate tumentes, lympham plurimam, limpidam dissectæ emiserunt. *Ex Observationibus propriis.*

P*uris fœtidi*) Hippocrates inter signa Empyematis funesti prænuntia, recenset specillum à pure velut ab igne coloratum, sive, quod sæpe advertimus & nonnunquam absque malo eventu, si specillum argenteum, lateris aperti orificio inditum, statim colore tanquam aureo aut cupreo tingeretur: Quod certe nihil aliud significat, nisi quod puris, aut materiæ purulentæ particulæ sulphureæ adeo exalrantur, & à mixtionis vinculo laxantur, ut facile abscedentes, corpori cuilibet alteri, & inprimis argenteo (cui affines sunt) affigantur: *Willis.*

Brachii partem sphacelo infectam) A transmisso è Pulmonibus putri & virulento ichore: dissectio enim secundum longitudinem humero, indagatisque vasis ad subclaviâ, illa, necnon pulmonum, scil. rum vena arteriosa, tum arteria venosa, atro & corrupto sanguine distenta reperta sunt: Cujus portio in summam brachii partem delata, sphacelum illi induxit.

Lympham plurimam) Lymphæ ductus plurimi pulmonum superficiem ambiunt, qui humorem in iis superabundantem continuo amandant, quem tortum venæ revehere nequeunt; plurimus autem congeritur, quia nihil exterius per diapnœn exhalat: His vasis disruptis, aut obstructis ut pulmonum & pectoris hydrops, aliique affectus enascuntur, sic brachii œdema illorum vitiis debuit originem, eo corrivata lympha, quam vasa pulmonum lacera emiserunt.

Observatio VI.

Expuitio alba, rotunda, à Pulmone tumente & viscido albo humore infarcto.

VIrum Illustr. insolita adorta est dyspnœa, cum dolore gravi universi thoracis, & sputis toto morbi tempore albis, viscidis, spumosis, prorsus *rotundis*: Pulmo insigniter tumidus repertus, in iisque unus humor viscidus, albus, tenax ac purulentus delitescens: *Vide lib. 4. tit. de Febribus.*

P*Rrorsus rotundis*) Ubi sputa illa eam figuram adipiscantur, explicat Clariss. Diemerbroeck. Anat. lib. 2. cap. 11. Præter autopsiam, ait, pulmonis substantiam totam vesiculosam esse, docet etiam ratio, nam multoties sputa rotunda, crassa & fœtida, vomicæ, folliculi, vermes (sic ante paucos annos vermem vivum, magnitudine & forma bombycem majusculum referentem, sed subrubrum, cum valida tussi à muliere quadam excussum vidimus) calculi, aliæque res p.n. in pulmonibus gignuntur, ut observationum scriptores exemplis testantur, & nos quoque multoties in praxi vidimus, & cùm tussi rejectas, & post mortem in pulmone reperras: Quæ certe, non in vasis sanguiferis, nec etiam in bronchiis (suffocationem enim, asthma violentum perpetuamque tussim induxissent) sed necessario in hisce vesiculis gigni, ac longo tempore detineri debuerunt & poruerunt.

Observatio VII.

Expuitio purulenta manans à bronchiis pure infarctis.

Corpus φθιώδες albam, tenacem, viscidam materiam excreabat: Incisis & divisis mortui bronchiis, alba ut materia fere tota referta erant, ita illa effluebat puris speciem præ se ferens planissimam, qualem multis ante septimanis ejecerat. *Vide tit. de Tabe.*

Observatio VIII.

Expuitio purulenta à pulmonibus muco obsitis, sinistro latere purulentis.

Nobilis diarrhœa laborans, febre etiam affectus fuit lenta & continua, ac per tussim purulenta ejiciebantur: Pulmones muco tenaci plane erant obducti: In latere sinistro purulenti. *Vide lib. 4. tit. de Febribus.*

Observatio IX.

Expuitio purulenta ab apostemate in latere, cum pulmonis vicini inflammatione.

Studiosus sensit rigorem in latere sinistro thoracis, sequitur calor, tussis, &c. increscente morbo excernit copiosa purulenta; Inventum ingens in latere sinistro apostema, quod pulmonem simul occuparat prægressa inflammatione. *Vide tit. de lateris dolore.*

Magna disquisitio orta est, Quo transitu, vel quibus viis materies sputo rejecta à pleura ad ductus tracheales feratur: Alii hanc in cavitatem thoracis delapsam, à pulmonibus tanquam à spongia imbibi, atque alii per membranas adnatas, quibus sæpe pulmo pleuræ cohæret, eum exinde sæpe transferri putant: Verum uterque modus valde improbabilis, si non impossibilis videtur: primo enim pulmones specus thoracici contenta non exsugere inde constat, quoniam in hydrope, aut vulnere pectoris, neque quando pulmone intacto contingunt, neque aqua neque sanguis omnino per tussim rejicitur, tametsi humoris hujus aut illius copia sæpe magna subeat, quæ è thorace per sectionem aperto statim sponte effluit: Cæterum pulmoni membranas quandoque adnasci, ipsumque pleuræ annectere, ex observatione anatomica satis liquet; quinimo hac commearus via materiem puruleutam, in latus translatam, ibidèmque per foutanellam ab arte vel natura excitatam, cum crisi salutari evacuatam fuisse, aliquoties novi: attamen tales membranæ, pulmonis cum pleura conjunctivæ, raro præexistunt: inque pleuritide, qui morbus peracutus est, haud tubetis instar unius aut alterius diei proles esse possunt: Insuper, licet interdum præsto sint cœci illi ductus, qui forsan admirabili naturæ instinctu quiddam è pulmonibus versus thoracis pomœria exportant, attamen contra naturæ œconomiam videtur ut corruptelam, quamvis exterius genitam, intus ad nobilissimam hanc partem, quæ revera vitæ & caloris fons est, derivent. Dubium vero diluit Clariss. *Daniel Wincler* miscell. curios. anni sexti, Observat 41. Miles, *ait*, vulneratur gladio acuto, vulnerato, vulnere penetrante per veras costas in cavitatem pectoris, non effluit sanguis multus, vulnus à Chirurgo consolidatur brevi tempore: Consolidato vulnere æger incidit in febrem cum summa respirandi difficultate, vocatus sanguinem in cavitatem pectoris confluxisse suspicor: v. s. primo omnium injungo, mitigatus calor, melior respiratio: adjungo roborantia, refrigerantia, pectoralia; lateri dextro emplastrum maturativum applico, per noctem augetur tussis, expectorat dimidiam pelvim plenam materiæ purulentæ: Sanum se affirmat dextro latere, de sinistro conqueritur: Inspicio vulnus, tumorem animadverto, locum tenui quasi membrana clausum, qua aperta, exsilit tanquam à vena secta purulenta materia: Æger sanitati restituitur: Cum materia expectorata in cavitate pectoris inhæserit, per quas vias expectoratio materiæ facta sit? inquisitione dignum: Torsit hæc quæstio multos, præcipue cum non saltem materiam purulentam, sed & tutum, referente *Tulpio* lib. 2. observar. 15. è cavitate pectoris rejectam fuisse certum sit: M. A. *Severinus* lib. de Abscessibus diligentissime in has vias inquisivit: idèmque prosequutus est in Epistol. *Bartholinus* centur. 1. Epist. 68. ubi illi placuit hoc, tum ad motus perennis vim, tum ad pulmonis superni; tum diaphragmatis inferni complosum referre, sed hæc, quod ingenue fateor, captum meum superant: Quæ vero de amaritiei sensu in ore, ab injectione amara percepto ex *Paræo* affert, saltem à vaporibus, quibus pervia sunt omnia, provenisse quis affirmare posset: In luto itaque ignorantiæ rantopere hærentibus, auxiliares manus nobis porrigit Clariss. & ingeniosissimus *Harvæus* lib. de Generat. Anim. 3. p. m. 43. his verbis, *Perforatio pulmonum à me inventa, haud obscura & cœcaest, sed, in pennatis præsertim, patula admodum, adeo ut in structiocamelo meatus plurimos repererim, qui digitorum meorum apices exciperent*, Et paulo post, *Imo vero dubitare liceat, an non in homine, etiam dum vivit aër per dictos meatus in thoracis cavitatem penetret: Quomodo enim aliter Empyicorum pus, & pleuriticorum extravenatus sanguis, illuc effluant? In vulneribus pectoris (illæsis etiam pulmonibus) aër per vulnus foras erumpat? aut liquores in cavitatem pectoris injecti, cum sputo redduntur?* Harveo adstipulatur Clariss. *Bartholinus* Anat. Reform. lib. 2. cap. 9. *Membrana cingitur pulmo tenui, lævi, poris multis insignita, qui poris, inflato pulmone follibus, satis conspicuis: quos aliquoties Ioh. Walæus pisi majusculi magnitudine in vivorum dissectionibus observavit: hinc sanies thoracis*

penetrare potest, & per tussim exire: Huic sententiæ calculum adjicit Clar. Lindenius Med. Physiolog. lib. 2. cap. 6. §. 286. *Perforationem talem membranæ pulmonariæ peculiare quid esse, & ea cognita nulli jam mirum videri debere posse, qua, quæ præter naturam collecta sunt in cavitate thoracis, inde absorberi, & per arteriam asperam expui, esse tamen istum abusum potius dictorum meatuum, & in casu extremæ necessitatis tantum: usum vero esse perspirandi aërem in eandem cavitatem, quo circumfusis pulmonibus hos refrigeret:* Et ita lux tenebris nostris tandem affulsit: Etsi enim in mortuis, subsidentibus omnibus, pori isti non admodum sint conspicui, tamen cum alibi (ut in pennatis certo constat (oculis pateant, non video qua causa commotus quis dubitare velit eosdem in homine existere, & naturam in extremis iis uti posse, cum sæpe meatus obscuriores necessitate adacta sibi inquirat, ut è doctrina de abscessibus luculentum evadit, ubi natura oppressa sæpius vias plane invias invenit, per quas materiam ceu sarcinam deponit: *Hactenus Clariss. Winclerus*: Superest tamen scrupulus, Si adeo patulæ sunt viæ, ac poris pervia est pulmones ambiens membrana, quidni semper, vel saltem ut plurimum, Empyicorum pus illac traducitur, sed ad paracentesin confugiendum: An à natura concessi quibusdam illi pori, aliis denegari? An quibusdam laxior ea, aliis adstrictior? An puris crassities aut viscidi tas, etiamnum copia, trajectioni obstat, adeo ut pulmones exsugere illud non valeant? An facilius permeat pus in iis quibus pulmones lateribus propius cohærent? An densius aut ratius illorum parenchyma difficilius aut facilius pus absorbet? An forte membrana, è pure prognata ab assante calore, poros illos obducit, non secus ac pleuram ab eadem aliquando circumvestiri quandoque compertum est, ac aperto ad puris eductionem latere, nihil prodiisse; obstante spuria illa membrana, quod in milite, de quo supra, contigit?

Rigor, calor, tussis] Inter Empyematis signa illud est, quod eo affecti nocturnas potius quam diurnas exacerbationes patiantur: Causa verisimilis istius perturbationis & exacerbationis nocturnæ à *Ballonio* cons. 3. lib. 3. assignatur: In omnibus, *ait*, suppurationibus dolores ad noctem incidunt, id quod non tantum audiendum dum pus fit, sed dum continetur aliqua parte fovens febrem lentam: cum autem Empyicis, & propterea hectica febre implicitis, partes solidæ sint ignitæ, non mirum si noctu calor increscat ratione ipsius diarhesis, & quia nox humectat (ideo calor hecticus calci non dissimilis se prodit) revocatur calor & spiritus intro, sic calor increscit, non solum qualitate sed & quantitate: Et ita dum revocatur calor ad centrum, difflatioque prohibetur ob noctis dominatum; calor iste maleficus est, malignus, squallidus, non ἀτμώδης, nec nanciscitur, ἑστίαν, id est, focum, locum, domicilium aptum, & conveniens, & calor fixus non accipit fluentem istum calorem febrilem tanquam amicum & ἐπικρατεῦντα, contemperantem modetantémque, sic non bene convenit isti calori fluenti cum fixo, licet uterque in ægrum conspiret. Sic cum recurrit calor maleficus, & nanciscitur æque malum & perniciosum, dum augetur calor & dolor, non fiunt novæ accessiones febriles; sed ἀυξήσεις caloris & exacerbationes quædam, non ob novi humoris motum, sed ob ignitam naturam partium solidarum, seipsa factam πυρετωδεστέραν, i. e. ignitiorem; quomodo Galen. comm. in aph. 1. lib. 2. docet somnum aliquando obesse, ut cum humores, calor & spiritus revocantur intro, & augentur inflammationes & dolores, ita in Empyicis fieri solet: Quærat autem quis, an pus suos habeat motus nocturnos potius quam diurnos? nam & in inflammationibus internis paroxysmus est nocturnus: & id non est proprium nec necticis, nec empyicis ut nocturnas molestias potius experiantur, quam qui aliis morbis implicantur: Unde mirati sumus cur antiquitas peculiari quodam privilegio & prærogativa exacerbationem nocturnam puri & purulentis assignaverit, Nec enim id novum est, nam & venerea lue affecti, præsertim ubi solidas partes invasit & conspurcavit, nocte dolent magis, Et arthritici, & ὀδονταλγέες, & κεφαλαλγικοὶ & καχαφρώδεις, denique multo maxima pars ægrotantium: Præter rationes adductas, & hæ probabiles sunt, 1°. quia omnes ferme morbi sub tempus noctis ingravescunt, multis de causis; partim quia ob adveniens tempus nocturnum fit admirabilis quidam motus & revocatio intro, isque contrarius motui vigiliarum: deinde coctio fit noctu, nec solum humorum naturalium, sed & contrariorum & febrilium: at dum pus fit, febris augetur & dolor: quæ ratio & analogia de pure in abscessibus, in aliis morbis & febribus audiri potest, maxime autem id apparet in empyicis: dolent enim partes solidæ, & augetur calor febrilis, qui interdiu in partes omnes expansus erat: Accedat quod inter vigilandum animus occupatur, & vigiliarum motus sequitur, Et mens ipsa sese noctu recolligens tota in morbi & doloris cogitationem incumbit; interdiu sensus ab innumeris objectis pelliciuntur, & ista irritamenta & illecebræ retinent animum: Vide *Alex. Aphrodisæum Probl.* 116. *lib.* 1.

Observatio X.

Empyema Pleuritidi succedens ante decimam quartam diem.

ADvertant juniores, quanquam Hippocr. observatione pleuritis non ante xiv. diem ad suppurationem tendit, Nostra tamen observatione; non solum in juvenibus, sed etiam viris constantis ætatis, 7. vel etiam 4. id evenire, & evidenter *id detegi rigore* & subsequente febre, ab illis diebus invadentibus & singulis diebus recurrentibus: Sic sane in Nob. adolescente *rigor febrisque*, 4. 5. 6. 7. usque repetentes *prænuntiarunt suppurationem.*

Dissectio autem cadaveris secundum intra septenarium morbi, in illo factam suppurationem ante perfectam fuisse demonstravit, cum universus thorax pure prægnans repertus esset: Quin memini me vidisse pus in thorace cujusdam Sacerdotis, qui 9. die extinctus obiit, quod præpostero consilio purgante medicamento usus esset, neglecta v. s. & dilata in sextum, quo sum advocatus, *Carolus Piso de morbis ab illuvie serosa sect. iij. cap. ix.*

Obser-

OBSERVATIO XI.

Empyema insigne Sinistri lateris thoracis, nulla sui signa exhibens.

S*Uppuratum mortuum* secuimus in quo nulla pulmonis sinistri pars adeat, sed tota cavitas aqua & pure replera erat: cùm tamen per duorum mensium spatium, quo tempore ab hoc morbo vexatus fuit, *nullam respirandi difficultatem*, & paucam tussim, sine ulla materiæ morbificæ ejectione habuisset, Attamen secto corpore tota thoracis sinistri cavitas aqua purulenta referta erat. *Dom. Panarolus Pentec. 1. Observat. xlvj.*

N*Ullam respirandi difficultatem &c.*) Incipientis suppurationis tria proponuntur signa ab Hipp. 1. Prognost. 1. Si pleuritide vel peripneumonia non expurgata, febris intensior evadat, dum enim pus conficitur, febris intenditur. *Hippocr. aphor.* 47 2. ij. *Rigor.* qui fit dum puris acrimonia partes vellicat membranosas. iij. *Pondus* & sensus gravitaris in parte; humor enim in cavitate contentus magis gravat quam dum in partis substantiam effusus est; Addit Galen. 4. de loc. aff. cap. 9. fluctuationem, Nam ubi quis, *inquit*, affatim à decubitu transmutatur, idque maxime si ab uno latere in aliud se convertens defluere aliquid sentiat, puris multitudinem ibi contineri haud dubia conjectura est. *Hæc Galenus*: Quin etiam in his fluctuatio sæpenumero haud obscure auditur, nisi puris crassities aut copia quæ totam thoracis cavitatem impleat, fluctuationem impediat: His etiam accedit Respiratio difficilior: quamvis enim rupto abscessu dolor lateris sedetur, & hinc diaphragma, & thoracis musculi liberius moveri possint, quia tamen pulmo à circumfuso pure gravatur, ut libere moveri non possit, & præterea quædam puris portio in spongiosa pulmonis substantia imbibitur, inde pulmo gravior redditur, bronchiaque à pute imbibito obstruuntur, respiratio redditur difficilior: Ex illa etiam puris in pulmonem & bronchia transmissione sputum purulentum exoritur, quod etiam factum Empyema significat: non semper tamen puris excretio fit propter illius crassitiem, ob quam ad bronchia pervenire non potest. *Riverius pract. lib.* 7. *c.* 4. Aliquod dictorum signorum in isto Empyematico defuisse nihil absurdi erit, at præcipua & pathognomonica desiderari, historia admirationem parit: An authoris suspecta fides? An illud Averrois *Monstra in morbis fiunt*, à curatione ad diagnosin transferendum? Paucæ Tussis rationem reddere non adeo difficile est, quia vel humoris non insignis erat acrimonia, qui aqueo purulentus ferebatur? vel quia à bronchiis maxime sensibilibus, procul aberat, vel quia pulmonis pars sinistra destructa erat & corrupta: Nullæ expuitionis causa quoque non est obscura, Tum ob defectum sinistri pulmonis, ac viarum, bronchiorum nempe simul absumptorum, per quas humor extruderetur, absentiam, Tum ob humoris conditionem, qui aqueus, ac proinde expulsioni ineptus, quod in thoracis hydrope manifestum: At unde respirationis libertas deducenda? forsan ab integritate pulmonis dextri, qui necessitatem ventilationis supplere potuit: A compresso tamen diaphragmate, incumbentéque illi gravi pondere, quin dyspnœa aliqua vel gravitatis sensus adfuerit, vix fieri potest, alioquin laborabit scribentis fides: Fluctuationis sensus abest ubi cavitas plena est, qualis refertur pectoris cavitas sinistra, percipitur si pars tantum occupatur.

Thoracis sinistri cavitas) Locus affectus distinguitur ex iis quæ habentur apud Hippocr. 2. Prognost. 21. Si Empyema, *inquit*, in altetatantum parte existat, hos convertere ac discere oportet doleantne in alteto latere, & an alterum altero sit calidius, atque cubantem supra sanum latus interrogare, an videatur sibi onus aliquod desuper suspendi, si enim ita est, in quodcunque latus pondus sit, in alteto suppuratio existit: Quemadmodum si utrinque calor & pondus sentiatur, in tota thoracis cavitate pus continetur: Addit Avicennas etiam conjecturam, quam deprompsit ex Hipp. 3. de morbis, Applicetur, *inquit*, linteum thotaci madefactum, secundum utramque partem, dextram & sinistram, citius exsiccabitur illud quod supra partem, pus continenrem, appositum est: Aliud denique signum, ab experientia nostra desumptum proponete licet, quod ab authoribus non fuit animadversum, Quod nimirum in latere affecto tumor ut plurimum œdematosus appaper, ex tenuiote materiæ collectæ portione in thoracis musculos resudante: Et quando in suspicione empyematis, hujusmodi tumor, aut inflatio cutis in alterutro latere apparet, certo pronuntiare licet Empyema intus latitare, & apertio latetis tuto fieri potest, *Riverius.*

OBSERVATIO XII.

Empyema pulmonum exulcerationem frequenter sequitur in Phthisicis.

PUs in Pulmonum exulceratione genitum, non solùm asperæ arteriæ ramis illapsum exspuitur, sed & tandem quando ex corruptione Pulmonum substantia dividitur, in pectoris cavitatem influens, illicque sensim coacervatum, atque interdum magna copia congestum, Empyema producit, Quod ab exulceratione hac in phrhisicis eo modo prodire Sectio patefacit, per quam in corruptione pulmonum puris semper aliquam saltem portionem, si non magnam, pectoris adhærere vel innatare deprehendimus. *Platerus pract. lib.* 3. *cap.* 5.

Observatio XIII.

Expuitio purulenta à fractura ossis cuneiformis, & sanguine circa id suppurato.

Vir delapsus ex altiore loco, die 4. exscreatis prius sputis purulentis, obiit. Prope ossis cuneiformis medium sejugatum erat ejus fragmentum, & circumcirca multum sanguinis coagulati, è cujus putredine, pus prodiit. *Vide lib. 4. tit. de Vulneribus.*

Observatio XIV.

Expuitio frustulorum carneorum à cordis substantia ulcerata.

Filiæ D. N. (*vide tit. de Hæmoptysi*) mortuæ cor albicans visum est, & media sui parte fere exesum, ut fibræ carnosæ semiputridæ avellerentur: Frustula quædam carnea, hujusmodi fibris simillima, per sputum rejecerat.

Observatio XV.

Supparati pericardium totum fere corruptum repertum est, & cordis major pars exesa.

INsuppurato, qui post diuturnam affectionem obierat, observatum est ferme pericardium totum corruptum fuisse, majorémque ipsius cordis, quod adhuc quidem, ob diutius scil. putredinalem in eo asservatum calorem, palpitabat, partem exesam extitisse, ut quidem ulcus diutius tulisse facile credi possit: *Franc. Rota cap. 23. de Tormentar. vulnerum curatione.*

Observatio XVI.

Empyema lethale Pleuritidem sequutum, ob neglectam per paracentesin, abscessus apertionem.

NOvi duos lateris sectionem à Medicis præscriptam admittere nolentes, fatum obiisse, eorumque cadavera dissecui: Item binis aliis operationem istam adhibitam vidi; quorum unus convaluit, alter tabidus interiit: Cujus tamen ratio erat, quod pulmone insigniter vitiato, & viribus prostratis, lateris apertio serius facta nullum juvamen isti contulit; sed spiritus prius imbecilles depressit valde, eorumque corpus absumpsit: Iste, cujus aperiebatur latus, pulmonem satis firmum habuit; sed à Lateris abscessu intus rupto, materies in thoracis cavitatem decidens, septum adeo comprimebat ut vix respirare potuerit. Chirurgus sine caustico, inter terebram sextam & septimam scalpellum intrusit, & carne penitus perforata cannulam indidit: Ichor cruentus primò effluxit, & dein per vices in modica copia exemptus, per triduum sine fœtore quovis effluxit; postea vero quoties fotamen apteretur, odor teterrimus expirabat per plures dies persistens, donec per injectiones ex myrrha & herbis amaricantibus, aqua & vino incoctis factas, & sæpius quotidie adhibitas, tandem extinguerêtur: quorum usu diuturno materia morbifica, & sorditie omni demum abluta, effluxus omnis cessavit; & denique foramine clauso, patiens integre convaluit: Illorum qui, cum Lateris apertionem admittere nollent, interibant, cadavera dissecui, In uno pus ab apostemate in pleura & musculis intercostalibus excitato, intusque disrupto emanans, loci affecti & pulmonis contigui partem sphacelo affecerat, indéque diaphragma corrodens, & foramine in dextro ejus latere facto, in viscera imi ventris descenderat, ibidémque toto ductu ventriculi & intestinorum tunicæ exteriores, in quas materies purulenta descenderat corrosæ & discolores apparebant: Et demum materies purulenta intestinum rectum corrodens & perforans, una cum excrementis per anum foras prodibat, Ægrotans robustus & medicinæ cujusque impatiens, morbi hujus tyrannidem per duos circiter menses sustinuit, sed interim *febricula, Siti, Inquietudine, ventriculi molestia, & crebra subversione*, ἀγρυπνίᾳ fere continua miserrime affectus degebat.

Cadavere post obitum aperto, odor fœtidissimus cloacam omnem superans per totam cameram diffundebatur.

Alterius ab Empyemate defuncti anatome, non ita vastam materiæ purulentæ diffusionem exhibebat: Illa quidem in latere nidum habuerat, unde in thoracis cavitatem decidens, ibidémque congesti ingesta, & continue pulmones immersos polluens, *febrem lentam*; & quasi hecticam, à qua æger valde senex interiit, excitabat. *Willis Pharmac. rat. p. 2. sect. 1. c. 10.*

Febricula, Siti &c.) Morbi hujus prognosis Prior determinat utrum latus aperiri debeat tum ante, tum post sectionem instituitur: necne; Item prædicit cujusmodi, cum vel fine aper-

apertione, morbi eventus futurus fit: Si Empyema tardius post primarium affectum, scil. non ante xxx. aut xl. diem, quando vires plurimum attritæ, atque pulmones vitiati sunt, eorumque conformatio læsa, succedet, ac insimul si febris velut hectica persistet, respiratio brevis ac laboriosa, pulsus debilis & celer, cum sudore frigido, cumque diarrhœa velut colliquativa, & crebris spirituum deliquiis, tunc empyici status plane deploratus sectionem minime admittit: Medicus eum sinat incruente mori, ne videatur occidere: Sin vero è contra, post manifesta empyematis maturius facti judicia, pulmonum aut lateris molestia, nec non febris aliæque symptomata remittent, atque pulsus & virium robur constabunt, licebit tuto ad sectionem procedere, indéque successum felicem sperare: Sectione facta, si pus album, verum, bene coctum, aut alias laudabile cum euphoria exilit, & exinde pectoris gravitas & dyspnœa remittit, & ægrotans quoad alia pathemata habet melius, de therapia minime dubitandum erit: Sin vero pus nullum aut malum, si tenue, subcruentum aut fœtidum ex latere aperto effluet, perexiguam inde salutis spem concipere licebit.

ADDITAMENTA.

OBSERVATIO I.

Empyematicorum pus anacatharsi non expellitur, quia ad bronchia non vergit.

§. 1. INtegra apparente aspera arteria pulmonis ipsius substantiæ suppurationem satis magnam contigisse observavi in dissectis cadaveribus, quæ nullam sui dederat significationem per sputa, quia scil. non in bronchia sed in vasa sanguinea vergebat. *Franciscus Bayle Problem. Phys. & medicor.* 86.

§. 2. Mense Januario anni 1674. in Nosocomio Tolosano. Juvenis sexdecim circiter annorum instar *asthmatici* ægre respirabat, querebatur de *dolore assiduo & gravitate lateris sinistri* cum *tussi sicca* admodum molesta, tandem *febre lenta*, qua jampridem laborabat, interiit.

Aperto thorace, sinister pulmonis lobus omnino consumptus apparuit: Cavitas sinistra thoracis erat plena sero purulento, tamen ægrotans nec pus nec serum expuebat. *Idem ibidem.*

QUæ *nullam dederat sui significationem per sputa*) videtur nullum posse liquidum in thoracis cavitate contineri, quin sensim tandem per tussim rejiciatur: ea enim est pulmonum structura, ut quicquid liquidum in thoracis cavitatem diffluit, sensim in capillares bronchiorum ramulos rapiatur, inde in majores, ac tandem eo, qui fit in tussi, thoracis conatu foras ejiciatur: sic pus suppuratorum, & quæ fiunt in thoracis vulnera injectiones per tussim ejiciuntur, nihilominus potest pus aut serum in thoracis cavitate contineri, nullo apparente eorum indicio in sputis, ut patet ex observatione de juvene allata. Idem.

Cavitas thoracis erat plena &c.) cum quotidiana experientia comprobetur, qui in thoracis cavitate continentur humores per tussim in pulmones impelli ac tandem exspui, incredibile videtur tantam seri ac puris copiam in thorace fuisse collectam, pulmonum lobum alterum fuisse consumptum, sine ulla puris aut seri ejectione, Id mihi videtur ita potuisse contingere, seu lobi consumpti corruptio initium duxerit à tuberculis suppuratis, & vergentibus in vasa sanguinea, seu à sero in cavitatem thoracis decifluente, vasa sanguinea & extimæ pulmonum partes, ob imbecillitatem à quacunque causa contractam, prius labem suscepere, sicque factum est ut deficiente membrana, quæ pulmonem ambit, extrema bronchiorum capillamenta facile à circumfluo humore compressa in se conciderent, & prohiberent ejus ingressum in propriam cavitatem; Progressu temporis bronchiorum capillamenta computruerunt, majoresque bronchiorum ductus serpente putredine emolliebantur, concidebantque, suosque ductus occludebant, nec attractus per respirationem aër ductus illos dilatabat nec aperiebat, quia non dabatur ipsi locus in sinistra thoracis cavitate, quam totum serum purulentum occupabat, toraque respiratio dextra thoracis cavitate perficiebatur: Et quamvis aër bronchia distendisset aperuissetque, ejusmodi ductuum latera concidentia ejus regressum impedivissent. *Idem.*

OBSERVATIO II.

Empyema thoracis caseosum.

PUer annorum novem, circa Monspelium, brumæ rigore vestimentis haud decenter munitus, in Pleuro peripneumoniam incidit, quæ medicamentis aliisque neglecta, ingnem eumque universalem pectoris tumorem progenuit; unde oppressione pectoris magnâ, cum extremorum frigore & pulsu penè ablato, sic tamen ut nihilominus cantharum tisanâ plenum ori applicare potuerit; Puer in Nosodochio inibi obiit. Antequam cadaver à me & D. *Isser* Medicô ordinariô cum Clar. *Vieussentiô* aperiretur, tumor pectoris summe protuberans leviter prius punctus mox magnam humoris purulenti sero commixti transfudantis exhibuit copiam; pectore verò adapertô, totum illud inundatum materiâ ejusmodi purulentâ incras-

incrassatâ, grumorum casei adinstar apparuit, maximè circa pleuram & sternum; quæ hinc priusquam pergeremus igni superposita, simile, crassamentum caseosum exhibuit. Evacuatô pectore, pulmones folle priùs insufflati, in dextris propè spinam adnati fuere; quâ in parte pleura quadruplò crassior quàm in parte sinistrâ comparuit, ubi nihilominus etiam pulmones diaphragmati firmiter connexi conspiciebantur. In corde nulli polypi, uti nec in venâ cavâ infrà hepar apertâ visi, nisi in dextrô ventriculô cordis sanguinis grumus oblongus; id quod ferè in quibusvis dissectis reperitur. Sanguis in venis dissolutus magis quàm crassus visus, collectâ sc. in pectore omni materiâ lacte-onutritiâ. In abdomine intestina vermibus erant plena, ventriculusque in parte infimâ compressus omentum inflare fecit, & in vesicas elevavit, repletus nonnihil materiâ viscosâ albicante. Renes dissecti & compressi, materiam itidem reddidere viscosam albidam; alias hepar & lien sana fuere, inque hoc incisuræ plures visæ, prout & renum substantia exterior, in plures velut lobos divisa apparuit. Cum bile varia fecimus experimenta, ei nunc effundendo spiritum vitrioli, qui eam mox præcipitavit, & colorem viridescentem induxit; quibus superaffusus spiritus satis armoniaci vehementer effervescere fecit; cum spiritu nitri mox quoque insigniter fermentavit vaporesque elevare fecit. Prius experimentum cum spiritu vitrioli modum explicat quomodo in intestinis bilis viridis emergat, illa in vesicula sua contenta naturali colore dotatâ. Unde verò materia illa caseiformis prodierit, & in cavitate pectoris collecta sit, disquisitionem meretur, nobis, quia in prædicto verè Empyematici cadavere ductus thoracicus in parte dextra eleganter usque integer minime disruptus apparuit, videtur quòd materia illa taliter thoracem replens non ex eô prodierit, sed potiùs transudarit ex pleura summe intumefacta in superiori thoracis parte dextra, & inferiori ubi pulmones diaphragmati adnati erant, quâ etiam in parte pulmo vestigia inflammationis ex fixatione sanguinis exhibuit, ubi tamen non adeo durus & diathesi inflammatoria infectus erat, ut in sinistra. *D. Emanuel Konig. Miscel. Curios. decur. ij. Ann. 5.*

QUomodo tumores, & inflammationes in pleurâ enascantur; Quomodo itidem stillicidia materiæ serosæ inde in cavum pectoris, ruant, omnino patet ex demonstratione Illustriss. Malpighii, quâ scilicet membrana hæc glandulis innumeris vesicularibus quasi consita deprehenditur: Nam eadem ratione quâ serum vehementius commotum per glandulas salivales, palatinas, æsophagicas, tracheales, nasales &c. Earumque vascula excretoria, in catarrhis abundantius, & quandoque torrentis adinstar ad suffocationem usque prorûit ac elabitur; pari quoque passu illud in glandulas pleuræ properans inibique pro tempore ab inspiratô frigido coërcitus postquam distentionem inflammatoriam in ipsis peperit, musculis incumbentibus non parùm sanè molestiam, inspirationemque per eosdem peragendam, interturbantem, quandoque perruptis glandularum concludentium membranis, per sui dilatationem jam tenuioribus factis, non humorem tantùm per leviorem sufficit transudationem, pulmonum motui facilitando, totique pectoris cavo quasi obliniendo naturaliter aptum, sed in copiosum materiæ peccantis imbrem abit, respirationis organa viscera-que inundans vitalia. De consistentia autem illius materiæ, ut & de ejusdem coloribus non est quòd magis perplexi simus, quam de variis muci, tum per nasum, tum per os excreti coloribus itidem ac consistentiâ.

OBSERVATIO III.

Empyema ex intermissa paracenthesi lethale.

ANno 1688. Secunda feria Paschatis, Murarius quidam triginta circiter annorum in diversorio quodam vino indulgebat, per ostentationem vitra dentibus masticans & comminuens, interque potandum cum aliis verba odiosa faciens rixasque movens, tandem eò deventum est ut pugnis acerrimè dimicarent, dictusque murarius grandioribus verberibus exciperetur pedibusque calcaretur; hinc non solùm asthmate cum dolore lateris punctorio correptus est, sed etiam sanguinem per os & alvum copiosè egessit. Ego post aliquot dies vocatus venam medianam aperire curavi, ac remedia externa & interna necessaria ordinavi quibus aliqualiter melius habuit, ac rursus in publico ambulavit, sed paucis præterlapsis diebus, ob maximum recurrens asthma viriumque imbecillitatem se rursus in lectum recipere coactus fuit, cui requisitus dixi quòd materia copiosissima extravasata purulenta in cavitate pectoris contenta sit, quæ (quia exscreando rejici non possit) nisi per paracentesin via interclusa aperiatur, funestus exitus expectandus videatur; quô auditô, à dicta operatione valdè abhorruit, simulque hujus operationis permissionem recusavit. Hinc factum est ut 22. die Maji, nocturno tempore vitam cum morte commutaret.

Sequenti die, ex jussu Amplissimi Magistratus, cadaver ultrò Anatomicô apertum, & in causam mortis proximam fuit inquisitum; quam sectionem, ego & Chirurgus Rei-

publ. nostræ ordinatius Joh. Barthol. Heckingius sequenti modo instituimus. Ante omnia abdomen fuit apertum, ubi singulari studiô ventriculum, intestina, hepar, lienem, renes, mesenterium, omentum, vesicam &c. perlustravimus, nec ullam eorum læsionem, multò minùs vestigia in ventriculo & intestinis vitri alicujus devorati (Cujus rei ab adversariis suis inculparetur) deprehendimus. Postea verò venter medius cavitasque pectoris fuit aperta, quam, præsertim versus dextram partem, copiosissimâ materiâ acri ac purulentâ, usque ad diaphragma tendente, repletam invenimus, illamque spongiis ac vasculis exhausimus. Hoc factô, non solùm pleuram, sed totum pericardium circum circa corrosum, lobumque pulmonum dextrum (cujus substantia secundùm diligentissimam Neotericorum Anatomicorum perscrutationem ac investigationem, ex innumeris vesiculis, spiritu vivificô vitalique turgidis, inflatis ac repletis, instar retis mirificè & artificiosissimè contexti ac connexi, composita est) ita flaccidum, tabidum, atque collapsum vidimus, ut nil nisi exigua residua substantia membranacea, cum aliquot vasis adhuc restare, reliquam verò substantiæ partem corrosam, ac consumptam, esse videbatur. Ex quibus recensitis liquet, dictum Patientem, non solum ob copiosam materiam purulentam in cavitate pectoris contentam, sed & ob rejectionis impossibilitatem, & paracentesis intermissionem, nullum exitum habentem, & hinc insequutam corrosionem & corruptionem dictarum partium, sed præcipuè etiam propter dictarum vesicularum, pulmonis substantiam constituentium subsidentiam & flacciditatem ac consequenter inspirationis ac expirationis defectum, liberæque respirationis impedimentum, atque frustrationem, mortis aleam subiisse, mundoque valedixisse. *D. Eberhard. Gockelius Miscellan. Curios. Decur. ij. Ann. 7.*

Observatio IV.

De Empyemate ex Pleuritide, Paracentesi curatô, Patienteque tandem hydrope mortuô.

Annis, ni fallor, ab hinc sex à pleuritide prostratus Aulæ nostræ pedissequus meam implorat operam, actutum adsum, & venæsectionem, cùm ratione pleuritidis, tum ratione plethoræ, luculenter indicatam in brachio affecti lateris celebrandam jubeo. Propinantur præterea quæ in simili malô, & ratio, & longus usus edocuerat medicamina. At nihilominus cùm æger, nullô aut hypocaustô, aut benigniori conclavi vacante, loco acerbitati frigoris iniquiùs exposito collocatus, per octiduum ferè decumberet, priusquam sive caminô, sive fornace instructum cubile nancisceretur, ob inspiratum aërem frigidiorem, & impeditam hinc anacatharsin, malô selectioribus pharmacis insultante, in empyema id degenerat. Hic pluribus in cassum adhibitis, quibus requisitas evacuationes excitatum iri sperabam, ne æger angustiæ pectoris & copiosissimæ à multis diebus collectæ materiæ peccanti paulatim succumbens, deficiente in & expirationis negotiô suffocaretur, instituî jubeo paracentesin, ratus ad Chirurgiam confugiendum. Hanc noster Empyicus, nondum dolorum injuriis debilitatus aut satiscens, æquis utcunque viribus, inter quintam & sextam costam lateris dextri, naturâ locum per tumorem præmonstrante à peritiore Chirurgi nostri Aulici operatione perpessus; per patulum vulnus materiam ut primum egessit instar cremoris lactei albicantem, quæ quoties vulnus detegebatur, tantâ rebellione ad aliquod tempus erumpebat, ut sisti vix posset summâ Chirurgi renitentia. Successit pedetentim perfectior puris substantia fœtidissima, demùm crescentibus morbi diebus & fœtore vix tolerabili, continuò sanies exactiùs elaborata & cocta, usque dum exhaustô pure, corpore molesti hospitis præsentia libero, & ope siphonis injectis per vulnus in thoracis cavitatem decoctis ex myrrha & aloë &c. conflatis, bene purgatô vulnus ad consolidationem dirigeretur. Jam itaque morbonæ jugo ereptus æger sua rite munia exequitur, nihil in pectore peregrini, aut in respiratione molesti, nihil in exspuitione purulenti observat, donec exactô unius anni cyclô, fistula per paracentesin causata ad cicatricem olim consolidata, eodem tempore & præter propter die, quô aperta fuerat, reaperiretur. Hic denuò Empyicus per hoc foramen materiam plus minus olentem, illi quam fontanellæ sudant congenerem, derivare capit, fistulam, veluti fontanellam, quà manè, quà vesperi; pure quod vomit liberat; sua interim munia, sic permittente fistula, inculpatus obit, foramine, ne aliud ex consolidatione malum emergat, hactenus patulô, anno circiter ante obitum, ex diætæ erroribus, maximè poculorum certamine, cùm ii passim ubique mores invalescant qui tritum illud verificent: more palatino bibitur ne gutta supersit unde suam possit musca levare sitim, & cantores, quorum albo inscriptus erat, ament humores; ex his, inquam, in hydropem incidit, à quô, licèt semel sibi restitutus respirarit, in eundem iteratò lapsus fatalem. Ineunte Decembr. 1691. aperto cadavere, nulla in abdomine materies inventa est; fuerat enim paucis diebus ante obitum copiosè suâ sponte evacuata. Viscera omnia, si ventriculum materiam subflavescentem complexum exceperis, flaccida Pulmonum lobus dexter deerat, sinistrô sanô existente.

Interitum suum natura sic amolitur nihil relinquit intentatum, in humana fabrica, priusquam ejusdem structuram dissolvi patiatur, quicquid nocivi, aut peregrim invenit per insolitas sæpe vias, nobis à priori incognitas solita evacuare; via sursum intercepta festinat deorsum, hinc repulsa transversim non rarò deflectit, invia facit sibi pervia, ut quicquid est molestum exturbet, sic pus empyematicum Eph. German. ann. 2. Decur. 1. observ. 146. sub forma fœdæ scabiei, & per secessum anno sexto & septimo ejusdem decur. observ. 147. per foramen cutaneum à vena incisa eliminavit; per abscessum sub alis & umbilico non sine præsentissimo empyematicæ solatio, pus ejectum legere est apud Tulpium lib. 2. observ. c. 6. p. 108. per os verò, sedes, urinas & uterum successivè apud Binningerum Cent. 5. obs. 58. Cùm autem compendiosiore, & pleuriticis, nonnunquam etiam empyicis, magis familiari via, per anacatharsin scil. pus expurgari soleat, liceat mihi in hanc viam inquirere, seu potiùs quorundam autorum afferre opiniones. Galenus lib. 5. de loc. affect. cap. 3. Erasistrari sententiam per venas pectoris mediante corde ad pulmones pervenire autumantis ceu incongruam rejicit, afferens materiam eam per pulmonum tunicas transudare, additque quòd si in fracturis, cùm cutis ossibus superimposita adhuc est integra, sanguis, aliquando per cutim, membranam crassissimam, transmitti potest & fascias circumvolutas cruentare, quidni pleuriticorum & empyicorum pus per subtilissimam pulmonum membranulam transudare possit? Andreas Laurentius lib. 9. p. 362. distento thorace, pus à pulmone instaro vult sugi instar spongiæ, contracto autem thorace in asperam arteriam protrudi: idem penè modernorum Anatomicorum inventiones approbant, nisi quis vellet nodum in scirpo quærere, & verbis immorari & immori, iisque dissentire, dum idem aliis terminis effertur. Pulmonum enim substantia, tenuis, lævis, & poris multis insignita, qui quandoque tam patentes reperti sunt, ut pisi majusculi æquarent quantitatem, quemadmodum in vivorum dissectionibus observavit VValeus. Barth. Anat. Reform. lib. 2. cap. 9. Malpighius eam esse pulmonum structuram qualem referunt apum favi, ex tenuissimis scilicet & levissimis vesiculis orbicularibus & sinuosis, conflatam detexit. Harvæus lib. de gener. anim. 3. p. 43. perforationem pulmonum, cujus se venditat inventorem, maximè in pennatis, scribit tam patulam, ut in struthiocamelo se meatus reperisse asserat apicum digitorum suorum capaces, & paulò post subjungit: *Imò verò dubitare liceat, annon in homine, etiam dum vivit, aër per dictos meatus in thoracis cavitatem penetret: quomodo enim aliter empyicorum pus, & pleuriticorum extravenatus sanguis illuc affluant? In vulneribus pectoris (illæsis etiam pulmonibus) aer per vulnus foras erumpat? Aut liquores in cavitatem pectoris injecti cum sputo reddantur?* Idem sentit Lindecnius Medic. Physiolog. l. 2. c. 6. §. 286. asserens tamen dictotum meatuum esse abusum non usum. Via reserata est, nunc restat quærendum, cur pus semper, vel saltem ut plurimùm hac mediante via non evacuetur? Erit ne cum Lucâ Tozzi dicendum, illud solummodo elutriari quod est fluxilius, & per septi transversi propulsionem pulmonum lobos proximiùs attingit? Hæc de anacatharsi. Jam ad paracentesin progredior: Hæc quàm tutò, si sat citò, instituatur, docet hic noster empyicus certo certiùs suffocandus, ni eadem suppetias tulisset. Quàm perperam omittatur, docet VVillisius Pharm. ration. part. 2. sect. 1. cap. 10. causamque ferè insinuat: quod materiam primò inodoram, postmodum tantopere fætidam reddiderit; non debebat scilic. monenre Hippocr. Sect. 6. aph. 27. unâ vice copiosissima materia evacuari, hinc reperita ad evacuandum foraminis denudatione aër inter operandum ingressus, materiæ albicanti hanc alterationem sive fætorem induxit, quæ decoctis suprà insinuata ablata sunt, & pedissequus hac operarione è mortis faucibus ereptus. Attamen non paucis est religio, quos fortè minùs solidè authopsia fundavit in experientia, ad hanc, ut ajunt, lanienam ægros gemebundos cogere, namque quas vis hostiles contentæ evacuationes naturæ beneficio per vias ei patulas peragi posse contendunt, tali crudelitate in corpore vivo neutiquam sæviendum esse asserentes, scilicet meticulosi tales artis inexperti ignorantiæ suæ tegmen salutare à misericordia mutuantur, ut miseros exundantis materiæ copiâ strangulare, quàm in libertatem asserere malint. Absit tamen omnem onustæ hujusmodi operationis culpam velle in Medicos derivare, in ægros, in consanguineos insanè misericordes crebrò jacienda venit. Eôdem annô æquo serius ad Domicellam pleuritide ob insciriam Chirurgi Medicastri empyematicam factam vocatus, exhibitis ei à materiæ copiâ penè suffocatæ exhibendis, suadebam sedulò paracentesin, naturâ locum inter quartam & quintam costam per tumorem designante at reluctantibus tam ægrâ quàm consanguineis, misera post aliquod tempus, ut prædixeram, juxta Hippocr. sect. 5. aphot. 15. tabida interiit. Periodica consolidari foraminis per paracentesin causari reaperrio, nullatenus in operationem, sed in materiam viriô diætæ per annum collectam redundat: quam natura per eandem viam, quâ olim hoc onus rejecerat, egerere est molita; & quin ab inordinatâ diætâ hydrops promanarit nullus dubito, nullius enim visceris in abdomine, præter atoniam, insignior labes affuit, quæ inundationem hanc intulisset. Bene itaque Ermüllerus in suâ Praxi part. 2. pag. 30. *Imò fieri potest ut sine vitiô alicujus visceris hydrops nascatur, quando ab errore externo, à potu frigido confertim ingesto aqua colligitur, atque adeo non solius hepatis, sed & aliorum viscerum culpa, imò interdum visceribus penitùs illæsis hydropem generari posse constat.* Ibique notat pectoris pathematibus hydropem succedere. In Empyematicô sinistri lobi pulmonaris absentiam, ejusque loco viginti pocula saniei vide apud Schenckium observar. Medic. lib. 2. p. 249. Quòd lobus hic possit deficere stante respirationis negotio, habet Hippolitus Boscus de facult. anat. lect. 4. p. 40. seque bis in cadaveribus ob morbum venereum inundtotum observasse scribit. Utriusque lobi defectum absque respirationis læsione invenies anno 4. Decur. 1. Ephem. German. observ. 30. p. 31. *D. Ioh. Zacharias Fürstius Miscellan. Curiosor. Decur. ij. Ann. x.*

ANATOMIÆ PRACTICÆ

LIBRI SECUNDI

SECTIO VII.

De Labe in genere & Pulmonari.

Observatio I.

Tabes non ob solum Pulmonum vitium excitatur, sed sæpe Viscerum aliorum & Sanguinis sequitur.

QUOTIES vidimus à scirrho in Liene, Hepate, Pancreate aut Mesenterio excitato: ab Intestini cujusdam, aut etiam Renis, Uteri aut Vesicæ ulcere, vel tumore cancroso, aut alias cacoethe, absque notabili pectoris aut pulmonis vitio, Atrophiam lethalem successisse?

PHthiseos & Tabis vocabula propria significatione solummodo denotanr Atrophiam, sive contabescentiam solidarum partium cum debilitare virium: Cujusmodi affectio quamvis sæpenumero à Pulmouum unitate soluta sive ulcere procedat, quandoquè tamen sine horum vitio, aut mera sanguinis, aut præcipue succi nervei culpa, totius corporis extenuatio sive contabescentia exoritur: Generales igitur hujus morbi rationes exponendæ sunt, & ostendendum quot modis, & quibus de causis humorum dyscrasiæ torius corporis arrophiam quasi tabidam inducere solent: Enimvero ipsa Tabes pulmonaris non proximè ac immediate à visceris istius ulcere aut corruptione procedit; verum oritur quatenus sanguis inde labem contrahens, & summe inquinatus, propterea virtutem suam nutritivam prorsus amittit: Porro tum *Hic*, tum insuper *Liquor nerveus* ob multas alias causas diathesin talem ἀτρόφιμον acquirit: Et primò quoad *Sanguinem*, sæpenumero advertere est quosdam sine tussi, & citra apparens in pulmone aut pectore vitium emarcescere; & in dies solitæ carnium molis dispendium pari: interea ut circa appetitum, digestionem, somnum, & fere totius functionis naturalis, imo & animalis œconomiam mediocriter habeant: attamen quasi alimentum receptaculo usque perforato infunderetur, minime nutriuntur; verum invitis omnibus diæteticis regulis sensim contabescunt. Cujusmodi affectus ratio formalis, sive conjuncta, sæpenumero rantum in eo consistit, quod sanguis insigniter depravatus succum alibilem sibi jugiter suffusum, assimilare nequit, quare ipsum non modo protinus amandat, sed etiam solidarum partium particulas delibat, quas in se rapiens statim foras profundit, vel in diverticula cogit, vel evaporando absumit. Sanguinis depravationes, sive status degeneres, Atrophiam inducere solitæ, vel in propria ipsius dyscrasia consistunt; vel ipsi aliunde, & quidem præcipue, aut à Visceribus, aut à liquore Nerveo etiam degeneri, communicantur. Propria ejus ipsius dyscrasia ἀτρόφιμος duplex existit, juxta quod particulas Salino acidas, aur Sulphureas & summe acres, supra modum exaltari & præpollere cæteris contingit: Enimvero cruor interdum ab indole sua genuina, scil. dulci ac volatili, in acidam facessit: prout in Scorburicis quibusdam, melancholicis & cachecticis passim cernitur: Quapropter succus nutritius, perperim in massam sanguineam suffusus, siquidem assimilari & parribus solidis apponi nequir, rursus brevi relegatur, atque vel protinus per urinam, aur sudorem aut diarrhœam amandatur; vel intra carnes aut viscerum cavirates aggestus, hydropem infert, cujusmodi Affectus in malum statum evecti, effectus ordinarius solet esse, quod cum aliquæ partes valde intumescunt, aliæ plurimum extenuantur: 2°. Porro subest alter sanguinis status ἀτρόφιμος, huic plane contrarius, quando nimirum iste supra modum calidus & sulphureus, proindéque immaniter semper efflagrans, effervescentia sive accensione sua succum nutritium absumit & nimis evaporari facit, adeo ut partes solidæ debito ejus penu defraudatæ emarcescant: Diathesi huic obnoxii vasa habent ampla & cruore plurimum distenta, carnes vero emarcidas & præ calore induratas: quamvis taliter affecti raro ad mortemusque intabescant, attamen citius consenescunt & plerumque brevius vitam finiunt. 2. Sanguis non tantum ex propria indole, sed insuper ob tabem aliunde, & præcipuè à visceribus, vel succo nerveo communicatam non raro tabificus existit: Et 1°. hoc viscerum culpa crebro accidit: hæc enim male affecta chymum, sanguini convehendum, interdum haud rite coquunt; sæpe item pervertunt, ac fermentis extraneis & heterogeneis inquinant, in tantum ut hæmaroseas & nutritionis munera frustrentur. Porro interdum ob vasa chylifera in iis obstructa, etsi multum comedant, parum

parum tamen aut debito minus, in massam sanguineam convehitur: Insuper in coctionis visceribus nonnunquam rumores, abscessus aut ulcera contingunt, à quorum putrilagine sanguis inter transeundum infectus, reliquam ipsius massam contaminat ac operi nutritio ineptum reddit; Quinimo tumores, abscessus, aut ulcera strumosa vel cancrosa in partibus externis, & præcipue in dorso contingentia, frequenter exitialem tabem afferunt. Quorum ratio facile patet; quatenus nimirum in ejusmodi affectibus, tum succi nutritii copia ingens ad partem affectam per arterias advecta, ibidem vel tota impenditur, vel inde foras profunditur, in tantum ut cæteræ quæque totius corporis partes debito penu defraudentur: tum insuper quod materies virulenta, aut valde incongrua, illic genita & aggesta in venas resorbetur: quæ sanguinem tabo impuro inquinat, proindéque ad nutritionis munus obeundum prorsus inhabilem reddit. Nec solum à visceribus & partibus solidis, sed insuper à succo Nerveo sanguini labes, (ob quam ἀτροφίμος existit) non raro communicatur. Si quando enim hic latex à crasi genuina, scil. dulci ac volatili, in acidam degeneret, subinde è fibris ac partibus nerveis exundans, inque sanguinem refluens, liquorem ejus præcipitat, iuque fluores cogit, quibus omnis materies nutritiva ejicitur, & modo per urinam aut sudorem, modo per vomitum aut diarrhœam profunditur. Cæterum ipse liquor Nerveus interdum per se, ab indole sua desciscens, & in crasi vitiarus, atrophiæ causa existit, quod item binis afficiendi modis fieri contingit: Enimveró succus iste plurimum vitiatus & degener, qua vapidus & effœrus evadit, proinde ut fibras tum nerveas tum carneas non satis actuet & spiritu animali irradiet: quapropter ubique in solidis partibus, uti virtus motiva, sic etiam nutritiva deficit: Hinc aut totum corpus, aut membra quæpiam, vel partes ejus, paralysi aliquandiu affecta tandem emarcescunt. 2. Porro item notavimus plures febre lenta (sive νωχρώδη à nobis dicta) laborantes, statim oblanguescere, & dein brevi tempore plurimum emaciari. In utroque casu ratio eadem aut analogia assignari debet: quippe ostenso alibi quod spiritus animales, una cum liquore nerveo, eorum vehiculo, (qui seminis instar masculini est) humorem nutritivum ubique juxta partes solidas aggestum, quasi semen fœmineum actuant, inque opus nutritivum quasi fœcundum reddunt: id propter, si quando Liquor iste Nerveus, ant vapidus, aut depravarus fiat, partium solidarum moles quasi sterilis facta emarcescet. *Willis Pharm. rat. p. 2. sect. 1. cap. 5.*

Observatio II.

Phthisis à pluribus pulmonum ulcusculis, Vomica in eorum dextra parte, &c.

Affectus de quo Sereniss. Princeps Carolus Fridericus Marchio Badensis, &c. Præcipue conquerirur, est *Dyspnœa* quædam cum molestissima *Tussi*, quæ tum inprimis evenit quando corpus aliquot passibus ambulando & acclivia scandendo movetur: Causa hujus mali proxima, seu morbus à quo pendet, tum nomen affectui impertiet, tum omnem curam & sollicitudinem Medicorum ad se trahet. Quoniam habitus corporis consumitur, Pulsus frequentior & celerior est, nec non manifeste purulenta tussi ejiciuntur, supervacuum erit inquirere num Tubercula cruda vel Lapilli in pulmonibus? Anne vero catarrhi ab bronchia ruentes hujus mali authores forent? etsi forte negari non possit Tubercula cruda hanc calamitatem præcessisse, & nunc catarrhos purulentæ per tussim ejectioni accedere: sæpe enim pauxillum puris, multo sputo pituitoso pellucido involutum, conspicitur: imo his diebus vidimus uvulam elongaram, & fauces rubicundas à sero acri hæc loca alluente & exasperante: Potius operæ pretium erit indagare unde pus hoc proveniat, an ab Empyemate? num à vomica Pulmonum peculiari folliculo vestita? An veró à substantia eorundem primum indurata & tandem suppurata? Empyematis latentis suspicionem movere posset pleuritis S.P. mense Aug. anni 1673. affligens, quæ nec sputi ejectione, nec sudore nec aliter judicabatur, nam ab illo tempore tussis & dyspnœa inceperunt, magis magisque increverunt, & huc usque perdurarunt, verum licet hæc indicia suspicionem Empyematis probabilem reddant, neutiquam tamen illud evincunt: nam S.P. à mense Augusto prædicti anni, usque ad principium Aprilis anni 1675. obambulavit, equitavit, castra sequutus est & præliis interfuit, imo utcunque dyspnœa cum tussi post motum molestaret, illa tamen protinus cessavit, quando humi decubuit; adde quod in pectore nullus unquam tumor apparuerit, & utrique lateri, situ etiam humili incumbere valuerit, quæ tum præstare tanto temporis intervallo impossibile fuisset: quamprimum enim pus in cavitatem pectoris ex abscessu rupto stillare incipit, in dies augetur, & sæpe brevi ad insignem copiam cumulatur, nisi exitus alicubi pateat: nam à congesta puris colluvie pulmonum distensio impeditur, & diaphragma deprimitur, unde summa respirandi difficultas vel orthopnœa subsequitur, & sæpe in pectore, ubi empyema est, tumor excitatur. Vomicam apud S.P. intra pulmones potius latuisse, multa sunt quæ fidem indubiam faciunt, nam à Septembri prædicti anni, usque ad Aprilem anni 1675. semper difficulter post motum respiravit, & quamvis multum ac vehementer tussiret, ne guttulam quidem puris ejecit, quod signum erat tum obstaculi cujusdam in Pulmonibus, ob quod usus respirationis à motu aucto non sufficiens aër pulmones subire potuit, tum alicujus irritaminis ad tussim inanem impellentis: hoc autem omnino vomicam fuisse inde manifestum evasit, posteaquam S.P. thermas Aquisgranenses prædicto mense Aprili bibere incepit, nam vomica hæc per aquam calidam, atomis sulphureis imbutam, copiosius

haustam, emollita, atque post in itinere rupta, pus tam copiose & affatim exspuit, ut uno atque altero quasi rivulo propulso, protinus non novum puris effluvium è Pulmonum bronchiis fauces impleret, illudque sine magna tussi, vel leviculo impulsu, aut simplici screatu ejiceret: Insuper S. P. Vomica hac maximam partem depleta, nondum finita cura facillime respiravit, adeo ut scalam concitato cursu scandere voluerit, quod ad hunc usque diem nondum licuit: unde firmiter credit, si post potum aquarum quieti vacasset, aut aliter valetudini suæ consuluisset, quin integram sanitatem recuperasset: Vomicæ exordium præcipue adscribi potest potui frigidæ, æstuante, cui S. P. nimium indulsit: nam à potu frigido superfluo sanguis subito coagulatur, unde portiuncula sanguinis grumosi intra vesiculas Pulmonum subsistit: adde quod natura sanguinem coagulatum & grumosum, præsertim, in partibus principibus, peculiari folliculo quasi circumvallare soleat, ne gravius damnum inferat: interim cum iste sanguis non moveatur, ille in pus convertitur, quod sensim augetur: cum autem folliculi vasis peculiaribus dotentur, ex illis perpetim aliquid stillat, ut ex indole omnium tumorum cum folliculis constat, qui sæpe à minutissimis exordiis ad insignem magnitudinem excrescunt: An vero à mense Aprili 1675. usque ad diem quintum Novembris, substantia pulmonum indurata, & cavernosa seu sinuosa evaserit? vel ut uno verbo dicamus, Num Pulmones cum labiis duris exulcerati sint, indagationem seriam postulat, atque in hujus notitia rei cardo verti videtur. Tale vitium Pulmonibus minantur inesse, dyspnœa post absolutum thermarum potum rediens, tussis vehementissima, veri puris ejectio, febris lenta pulsu se prodens, habitus macilentus & lassitudo spontanea universalis. Confirmant idem compages corporis valde gracilis, scapulæ alarum instar prominulæ, proclivitas ad febres intermittentes, continuas & malignas, quarum omnium vehementiam non semel S. P. expertus est: Licet autem in pulmonibus talis adsit labes, illa tamen nondum magna observatur: nam C. P. placide dormit, citra ullum stertorem aut sibilum inter respirandum, humili situ utrique lateri pro lubitu incumbit, expergefactus mane parum puris absque labore excernit, nec ad copiosiorem ejectionem post somnum stimulatur quod alias phthisicis solemne est, postquam scil. somni indultum aliquandiu à tussiendo quieverunt: insuper color faciei vividus est, bene appetit, non sitit, nec sudat, urina prorsus naturalis est cum laudabili sedimento, habitus non valde emaciatus, cutis nondum squallida & scabra, nec capilli defluunt, vel à pastu corpus æstuat: Quæ cum ita sint apud S. P. ulcus detergendum ac consolidandum, & quoniam à pure inquinamenta sanguini commiscentur, quæ febrim consumentem efficiunt, ipsis occurrendum & tabes diligenter præcavenda erit; His indicationibus Deo Benedicente, congruis auxiliorum remediis satisfieri posse spem faciunt ætas juvenilis, temperantiæ amor, & labes pulmonum nondum ad supremum gradum deducta, &c. *Hæc consulebant Viri Excell. Dn. D. Ioh. Iacobus VVepferus & Bernardus Verzascha.*

Posteaquam S. P. per aliquot septimanas remediis cum maximo emolumento usus fuisset, mihi demandavit ut de valetudinis suæ statu & medicamentorum effectu Dn. D. VVepferum certiorem reddam, quod sequenti epistola à me præstitum est.

S. P. Ampl. & Exc. Domine, Unanimi consensu inchoata cum S. P. medendi methodus feliciter succedere videtur, nam febris lenta, hecticæ prodromus, decrementum sumit, tussis molesta imminuitur, materia per exscreationem ejecta raro purulenta observatur, per duas noctes cum levamine nihil exscreavit, blande dormit, bene appetit ac concoquit, urina semper laudabilis conspicitur, imo in brachiis carnem generari nuper animadvertimus, &c. *Dom. D. Verzascha. 22. Novembris 1675.*

Plurima in literis Tuis occurrunt quæ optima quæque de valetudine S. P. in integrum reditura pollicentur: plenius apud me gaudium evaderet, si quoque acclivia scandentem facilius respirare intelligerem: hæc enim ratione persuaderet nullum imperscrutabile vitium in Pulmonibus latere, &c. *Dn. D. I. Iac. VVepferus 30. Novembris 1675.*

Post transmissam Epistolam statim subsequente die S. P. catarrhus corripuit, unde majori cum difficultate respiravit, molestius tussivit, copiosius, sed sine ulli puris notabili quantitate excreavit, & aliquoties capite doluit; Hæc omnia animum meum vehementer discruciarent, nisi apud nos, isto hyemali tempore, catarrhi essent malum epidemicum, Erigit animum meum quod prædicta symptomatica remittere incipiant, &c. *Dn. D. Verzascha. 3. Decembr. 1675.*

Catharros ab anomalia aëris ubique locorum plurimis infestos esse undiquaque auditur: Symptomata remittentia apud S. P. bona quæque prænuntiant, eoque magis quia sputum, tussi molestissima copiose rejectum, purulenti inquinamenti expers erat: Majus gaudium tvad:ret si intellexero respirationem liberiorem existere, &c. *Dn. D. VVepferus 6. Dec. 1675.*

Quatuordecim dierum spatio aliquoties autumavit S. P. se circa horam nocturnam nonam paroxysmo febris tertianæ corripi, hac prædicta hora sexies illum invisi, sed nullam febrem tertianam observare potui, pulsus enim raro febrilis, urináque semper laudabilis

erat; Quæ per tussim adhuc molestam & exsereationem rejicit, pauca sunt & illis similia quorum in consilio mentionem fecimus, imo aliquot noctes transegit in quibus nihil exscreavit: Excrementa alvina sanorum similia semper apparent, si quando fluida redduntur, biliosa, sed nullo chylo commixta observantur, &c. *D. D. VerZascha 22. Decemb. 1675.*

S. P. febri tertiana immunem esse confido, cum hactenus nullæ febriles accessiones à te deprehensæ sint, pulsusque & urina naturaliter se habuerint; quoniam vero in suspicionem paroxysmi febrilis venit, proculdubio aliquod symptoma passus erat quod illam primo movit: forte horrorem aliquem expertus fuit, qui sæpe evenit quando pus generatur, quod in virgine nobili hoc ipso tempore animadverto: aliquot enim noctibus, ferme circa horam IX. horrores perpessa est, nunc purulenta exspuit cum manifesto phthisis incremento: meliora tamen sperabo, quia pulsus est naturalis, purulenta ejectio non augetur, & S. P. aliquot noctes citra tussim transegit. *Dns. D. VVepferus. 29. Dec. 1675.*

Necessarium esse duco cursum morbi describere qualem post ultimas meas in S. P. observavi: Decem sunt dies elapsi quod S. C. cum in conclavi Principis Sybillæ commoraretur, circa horam secundam pomeridianam inopinato dolorem, fere per horas duas, pungentem in parte lateris dextri passus fuerit, qui ex præscripto julepo cum aqua scabiosæ, farfaræ & syrupo papav. rhoeados parato, & ungu. Resumptivo Fernelii, cum spermate ceti mixto eadem die disparuit: verum tussis molestissima mox supervenit, excrementaque purulenta, compacta & subviridia, non sine aliqua virium jactura rejecit. Ad promovendum novæ hujus materiæ exitum, syrup. pectoralem *Zvvelferi*: hederæ terr. *Quercetani*: de althæa *Fernelii*, & erysimo *Lobelii* præscripsi, ex quorum syrup. usu facillime exspuit, unde cum illis pergendum esse censeo: An autem nova ista materia ex nuper aperta vomica, vel ex collectione recenti in veteri sinu vomicæ, cum per XIV. dies S. P. fere nihil exscreaverit, ortum trahat, judicio Tuo accuratiori examinandum relinquo: cæterum intra prædictos x. dies, per duos dies excrementa alvi liquida, biliosa & setosa reddidit, quæ fœtorem intolerabilem sparserunt, &c. *D. VerZascha. ultimo Dec. 1675.*

Sputum purulentum S. P. fœtidum, tenuissimum, & consistentia prorsus compactum, non nuper natum esse his indiciis manifeste apparet; quod etiam confirmat dolor punctorius sævissimus excretionem præcedens, ipse excretionis modus cum vehementia junctus, & debilitas illam consequens: An vero ex vomica recenter rupta prodierit, vel in sinu antiquo delituerit, & tussis violentia ex latibulo tali productum fuerit? certo definiri non potest. Ex vomica rupta illud credidissem si sputum cruore tinctum fuisset: vix enim vomica est cujus folliculus vasis capillaribus non donetur, &c. *I. Iac. VVepferus. 29. Ianuar. 1676.*

Prima continuatio Historiæ morbi. V. E. D. D. VVepfero Authore.

S. P. habitum corporis macilentum die XV. Febru. præsens observavi, non tamen multo macilentiorem quam post abitum meum ultimum erat: ante meridiem inveni pulsum minus frequentem, celerem & durum; post pastum vero frequentem, celerem, parvum; Tussis adhuc perdurat, & à pastu, corporis motu, extensione subita brachiorum, & diutius continuato sermone frequentior evenit quam mane & noctu: nonnunquam noctu post tussim statim indormiscit, ut mane se tussivisse ignoret. Sputum crassum mane, & quandoque interdiu, post unum alterumve tussis actum facile succedit; verum si ob titillationem quandam in faucibus ad tussim irritetur, ut post pastum & sermonem accidit, diu nihil & tantum mucus tenuis, spumeus cum magna violentia exploditur: Sputum hoc crassum, quod ex pulmonibus procedit, est consistentia crassius, viscidum, tenax, & in fila trahi potest, ac si in bronchiorum ramulis diversis portiones quædam condensatæ, & deinde in caverna collectæ fuissent, quæ postmodum ceu in unum bolum conglobatæ ejiciuntur: color est subviride, lividum & turbidum, non fœtet, at nescio quem dulcorem odoratui adversum spirat: hoc sputum quantitate non semper æquale existit, notavit D. *VerZascha* illud ab aliquo tempore XXIV. horarum spatio ad ad ℥iii. ℥vi. ℥i. ac ℥ß. ejectum & ego observavi ad ℥i. ultraque quotidie excretum fuisse: Quod sputum ob titillationem majore tussis violentia explodit, spumeum, tenuius & pellucidum est. S. P. etiam mucum viscidum, turbidum, crassum, album & copiosum crebro per nares emungit ac screatu ejicit: Quando se movet, quod taro amplius fit, difficulter respirat. Ab aliquot septimanis semper in hypocausto manet, plerumque decumbit & quidem in dorsum, si in latus sinistrum recubet, magis tussire cogitur: dolet frequenter in latere sinistro, maxime inter costam quintam & sextam, quandoque etiam in dextro, sed parte altiore; dolor iste ab attactu exasperatur, quamvis locus affectus nec tumeat nec rubescat: profunde dormit ad plures horas noctu, & mane in multam diem, licet quandoque à tussi excitetur atque exspuat, mox tamen iterum indormiscit, ut plerumque se tussiisse aut exspuisse mane non amplius recordaretur, nisi sputum in vasculo conspiceret. Appetitus mediocris, quandoque satis laudabilis est: à cibo non gravatur, nec sitit ex quo lac sugit, nunquam diarrhœam

diarrhœam passus fuit: Fæces alvi sunt compactæ, subfuscæ & subflavæ: urina crassior nunc est quam pridem, & coloratior cum satis laudabili sedamento: Sudavit nuper frequentius, nunc autem rarius sine notabili virium prosternatione: capilli plane non defluunt: Attractu non amplius tam calidus est quam fuit, nihilominus calor p. n. adhuc circa regionem arteriæ in carpo observatur: die 18. Febru. cum noctu ob dolorem capitis inquietè dormisset, mane nares sanguinem laudabilem stillarunt.

Secunda continuatio historiæ morbi Eodem Authore.

S. P. die x°. Maii rursus conveni, Facies erat pallida, subcineritia, macilentior, labia rubicunda, non tamen tam rutila ac nuper: habitus corporis tam macilentus apparuit ut vertebræ valde prominuerint, & quemadmodum in proverbio dicitur, costæ omnes numerari potuerint: Pulsus fuit frequens, celer, subdurus, attractui renitens: Respiratio decubuo non difficilis, anhelosa, aut interrupta est; In dextro latere inter costam 4. ac 5. à contactu doluit, tussis frequenter interdiu & noctu; sputum ejecit ab aliquot diebus copiosum ad uncias duas, est rotundum, turbidum, subflavum, subviride, aliquando subfuscum, tenax & viscidum, non quidem summopere fœtet, nihilominus tamen quendam adversum odorem spirat, qui tum inprimis animadvertitur quando repente ex loco liberiori aëri exposito aditur, sæpe demum post iteratos tussiendi nixus, & tunc quidem pleno ore succedit: Jam ab aliquot dieb us non sine molestia erant nares obstructæ, circa os sacrum exulceratur, perpetuò decumbit, extra lectum diu persistere nequit: quando erectus in sella sedet, amplius ad tussim quam decubuus stimulatur, appetitus ab aliquot diebus prostratus rediit, impensè non sitit, diarrhœa ab aliquot diebus valde molesta fuit: die IX. Maii, vesperi alvum exonerans, ob diarrhœam prope in leipothymiam incidit: die x. fæces adhuc liquidæ & aliquomodo pultaceæ erant, quibus frustula alba ceu fragmenta amygdalarum contusarum immixta erant: die XI. nunquam dejecir: die XII. fæces naturales compactas, sed flavas absque molestia reddidit: urina ab aliquot diebus ciro turbatur, clarificata crassum sedimentum retinet, quod etiam statim post emissionem observatur, dum adhuc clara est. Ob tussis vehementiam, statim post pastum invadentem, nonnunquam assumpta evomuit: Sudor nocturnus aliquoties molestus fuit, non sine virium dispendio: die XI. & XII. Maii sudor fere nullus apparuit, posteaquam mane & vesperi spina dorsi sequente linimento inuncta fuerit, *℞. Vngu. rosat. Mesues, refrigerant. Gal. ana ℥ß. ol. violar. q. s.* Capillorum nullum defluvium advertitur: Naribus attracto *lacte, cum succo sempervivi & syr. violar. mixto* plurimum muci pellucidi è naso & faucibus prolectum fuit: Post pastum animadverti æstum pungentem, præsertim in vola manus. Jam diu *dextro lateri soli aut dorso incumbere* valet. Si in sinistro cubet magis tussire cogitur, nuper hæmorrhoidibus dolebat: XII. Maii toto die & noctu capitis dolorem sensit, inde XIII. multum sanguinis emunxit: Dum ad alvum solvendam surrexisset, ejecit citra tussim solo screatu sputum purulentum, ac si bronchia pulmonum pure plena, & sursum unico hoc motu protrusum fuisset, quamvis nec vox rauca, nec respiratio cum sibilo observetur, nisi sinistro lateri incumbat, tota nocte dormivit & nihil tussi rejecit: die XIV. Maii, demum post lactis suctionem tussire & sputum purulentum excernere cœpit, cui parum cruoris admixtum fuit.

Tertia continuatio historiæ morbi Eodem Autore.

S. P. die XVIII. Aug. denuo conveni, & non plus emaciatum observavi quam erat ultima vice qua ipsum reliqueram: Labra fuerunt rubra, pulsus frequens, celer & parvus, respiratio satis libera erat dum decubuit, unde clara & mascula voce loquebatur instar sani absque ulla raucedine: decumbere potest humiliter, non alte, facilius tamen in sinistrum quam in dextrum latus, sputum adhuc est turbidum, subflavum, crassum, aliquando fluidum & nonnunquam cruore tinctum. Urina habet sedimentum copiosum naturale: apperit egregie, ut duos pullos in pastu comedat, non multum sitit, fauces tamen quandoque exarescunt, quas aquæ pauxillo facile humectat: nares obstruuntur frequenter ab exsiccato muco, alvus non est fluida, corpus non sudat: A decubitu non amplius excoriatur, quod inprimis emplastro de spermate ranarum præcavetur: nares nonnunquam irritatæ sanguinem stillant: insuper observavi S. P. largiter comedere, nam in quolibet pastu assumit jusculi, contuso carnium & pane trito impraegnari, libram dimidiam: deinde edit pullum assum integrum & elixum fere totum; quandoque simul cancros elixos, pulpam pomorum & pyrorum pasta farinacea inclusam, placentulas & frustum panis quatuor unciarum pondere: bibit suum decoctum in pastu mediocriter, quandoque extra pastum sumit unum alterumve haustum: comesta retinet, & licet ob vehementiam tussis quandoque portionem evomat, illa tamen centesima vix assumptorum pars est, eadem exacte concoquit, ut ex fæcibus & urinis laudabilibus colligitur: ut-

cunque

cunque autem strenue comedat, habitus tamen corporis nulla incrementa sumit, & post pastum sempernunc plus nunc minus invalescit. Denique adverti spatio XXIV. horarum insignem quantitatem puris in pectore cumulatam fuisse, qua per validam tussim excreta, nunc cum dolore lateris punctorio, nunc immixtis striis cruentis induciæ concedebantur, & per horas plures, etiam XII. à tussi liberius respirabat, ac mascula, clara & sonora voce, nonnunquam etiam cum quodam impetu loquebatur, sæpe citra ullum ad tussim irritamen, quod ante sputum purulentum rejectum non licuit: imo illo adhuc copiosiore existente, animadverti levicula ex causa tussim concitare, intra asperam arteriam stridere, respirationem difficilem efficere, vocem aliquomodo raucam reddere, & si nimis fluidum fit, suffocationem intentare, inprimis paulo post pastum, quo tempore semper pus fluidius comperi, nam longius post pastum maxime somnum protractiorem, crassum est, & uni alterive impulsui à tussi promptius cedit, ac fine magna vi portio in globum compacta expellitur.

Superest ardua quæstio decidenda, num liceat S. P. Basilea Rheinhovium proficisci: Iter hoc summopere dissuadere videntur 1°. vires debiles, quas inprimis prodit difficilis tolerantia brevioris etiam motæ extra lectum, pulsus frequens, celer, parvus & habitus corporis valde attenuatus, inde ob motum & successionem vix evitabilem spiritus magis dissiparentur, ut facile leipothymia, aut ob spirituum vitalium paupertatem periculosa syncope accersiri posset: deinde magna adest in sinubus Pulmonum post vomicam relictis, copia puris, quæ ab eadem corporis & pectoris concussione commoveri, & uno impetu ad præcipuos bronchiorum ramos præcipitari & suffocationem intentare valeret, denique aër in via varius non parum pulmones turbabit varieque sputum immutabit, inprimis hoc tempore autumnali, in quo semper anomalus est, cum è contra S. P. hactenus aëri sicco, phthisicis utilissimo assueverit, adeo ut vix sine manifesta noxa toleraturus sit aërem humidum & nebulosum, pulmonibus aliàs aggravaris nocentissimum, &c.

Sapientissimi Regum effatum & omnibus Christianis diligenter perpendendum Prover. 16. 9. reperitur, *Animus hominis excogitat viam suam, sed Iehova statuit gressum ejus*: Hujus veritatem proprio suo exemplo comprobavit S. P. nam universo apparatu itineris absoluto, excogitavit viam suam proxime *Rheinhovium* ingredi, sed præpotens Jehova statuit gressum ejus, cum enim 5. Octobris die circa horam 3. matutinam irritus tussiendi conatus longum durasset, & rupto vase pulmonico *inopinata lethalis hæmorrhagia* successit, quippe uncias duas sanguinis floridi & spumosi per pulmonis fistulam tussi ejecit, unde ex præsentanea suffocatione S. P. huic mundo vale dixit.

Impetrata Superiorum venia, mane, ad causam morbi & mortis plenius & planius indagandam corpus eviscerarum fuit: Aperto thorace, Pulmo cum impetu quasi prosiliens, stupendum in modum inflatus, universam pectoris cavitatem implevit, cujus tota pars dextra à lobo superiore usque ad inferiorem; sinistra pars autem ratione inferioris lobi tam firmiter pleuræ & costis annata erat, ut non sine labore illas separaverimus, quod factum S. P. cum Divo Ferdinando Imperatore, & Francisco primo Rege Galliarum commune fuit. Exempta Pulmonis compage, observavimus fere ubivis istam naturali sua textura, spongiosa nempe & rara, orbatam fuisse: Etenim tota illius superficies innumeris ulcusculis, instar acinorum, quos pro Marcelli Malpighii vesiculis orbicularibus dilatatis agnovimus, obsessa fuit, intermedia saltem sinistra parte Pulmonis sana: In quibusdam cavernulis saniem recentem invenimus, in aliis plurimis pus fœtidum colligebatur, unde dubio procul contigit quod S. P. aliquando à duabus vel tribus septimanis, citra ullam respirationis difficultatem, & tussis molestiam, parum puris ejecerit, séque tunc temporis extra jactum lethiferi teli positum esse sibi firmiter persuaserit. Porro cum multæ cavernulæ in bronchia, sive fistulæ Pulmonum, aut asperæ arteriæ ramulos, manifestum aditum habuerint, mirum non erat aliquando post mediam noctem, sæpius autem summo mane, pus compactum & globosum ad uncias usque duas à S. P. ejectum fuisse, Etenim tale in prædictis asperæ arteriæ propaginibus nimium dilatatis perspicue apparuit. Insuper in dextra pulmonis parte Vomicam, nuci moschatæ æqualem, pure fœtidissimo refertam, nec non vasa Pulmonica ampliora & turgentiora, sanguinémque per pulmonem hinc inde dispersum notavimus, ut de vasis pulmonici ruptura dubitandum non sit: Fistula Pulmonis tum sanguine florido, tum grumoso repleta erat, unde causa elucescit cur ultimus naturæ agon nec per dimidium horæ quadrantem duravit: Cor nectaris vivifici fontem deprehendimus nulla singulari labe infectum, nisi quod parenchyma illius non ita solidum, sed propter morbi diuturnitatem paulo laxum fuerit: humor serosus in pericardio copiosus erat: unde manifestum perpetuæ veritatis non esse sententiam illorum, qui statuunt humorem hunc pericardii in hecticorum cadaveribus exiguum reperiri. Aperto abdomine viscera principaliora, ventriculus, mesenterium, hepar, splen, renes reliquæque infimi ventris partes, ab omni morbo liberæ inventæ sunt.

Quapropter ex prædictis elucescit clarius, quam radii Solis esse solent cum sudum est, stupendum istum coalitum cum pleura in dextro latere mortem S. P. acceleravisse, quum in istis validis accretionibus Pulmones rite se constringere, ac materiam purulentam in bronchia exprimere nequeant: virtutem enim constringentem ope nervorum Pulmonibus inesse accurate, ut omnia, demonstrat accuratissimus Anatomicus *Thomas Willisius* in sua cerebri Anatomia cap. 24. cujus verba, lectu dignissima, utramque de vero Pulmonum motu paginam absolventia huic subnectere non ingratum erit. *E cordis regione truncus nervi paris vagi plures ramos insignes utrinque dimittit, qui in omnes quaquaversus Pulmonum lobos, tracheæ bronchia ac œsophagi juxta descendentis tunicam disseminantur, qui rami in pulmones abeunt, ubique per totas illorum compages, arteriarum & venarum ramificationes, atque bronchiorum ductus assequuntur: quos equidem sanguinis ac aëris canales in toto illorum tractu varie superscandunt ac circumligant: Quandoquidem tot insignes nervorum ramificationes pulmonibus impenduntur, mirum est ipsos à nonnullis insensiles ac per se immobiles statui: Quippe recepta opinio est istam Pulmonum reciprocationem à thoracis motu omnino procedere, ejusque dilatationi & constrictioni necessaria quadam dependentia obsequi, nempe pectus dilatatum follium ritu aërem ambientem in tracheam cogere, qui in pulmones irruens ipsos inflat ac distendit, dein eodem pectore ultro subsidente, Pulmones ipsius pondere compressos aërem prius intrusum denuo exspirare: Revera utrumque existimem, diaphragma ac pectoris musculos respirationi multum conducere, tamen partes istas hoc munus solitarie perficere, & pulmones mere passivos esse minime concedo: nam respiratio sanguinis ac cordis gratia præcipue instituitur, ejusque actus pro varia horum crasi determinari, & pro multiplici pulsus necessitate fere quavis hora minuta alterari solet: at verò ipsi pulmones sunt (ac minime diaphragma aut thoracis musculi) quos sanguis corde ebulliens pertransit, & juxta temperiem suam & pulsus tenorem continuo afficit: quare hinc concludere licet ipsos pulmones primos motuum suorum instinctus concipere & pedissequos nervorum ope sese aliquatenus exerere, atque systolen & diastolen moliri, easque juxta propriæ necessitatis sensum designare: cum verò his fibra pro motu locali designata desint, ideo diaphragma & thoracis musculi pulmonum ineptiis è vestigio succenturiantur, atque horum connexu respiratio completa efficitur: cumque adeo nervi duplicis generis nempe quidam à spina diaphragmati & thoracis musculis inserti, aliique à pari vago in pulmones distributi organa respirationis actuant, proinde fit ut ipse respirationis actus per se ἀβίαστος & involuntarius, pro libitu nostro aliquantum cohiberi, interrumpi ac diversimode alterari possit.*

Humorem hunc pericardii, &c.) Vir. Clariss. Dn. Victor Schneiderus lib. 2. de catarrhis cap. 9. asserit se contrarium semper offendisse, pluribusque experimentis hoc verum cognovisse: Idem confirmant Viri Clariss. Christophorus Majus, & Joh. Daniel Horstius: Ille quidem literis, ad ipsum datis, hic observ. Anatom. 7. hoc idem confirmarunt. *B. Verzascha centur. I. Observat.* 100.

Resolutio prima continuationis morbi) In Pulmonibus ulcus latuisse vix amplius dubitare sinebant sputum purulentum, quod tussi rejiciebatur, respiratio difficilis à motu quocunque, dolor lateris, præcipue sinistri, decubitus in latera, maxime sinistrum, difficilior, pulsus febrilis, inprimis post pastum, calor circa arteriam in carpo, & habitus universi corporis macilentus: Ulcus hoc sordidum fuisse demonstrant pus satis copiosum (nam per plures septimanas quotidie ejiciebatur à ℥iii. ad ℥ß. idque non raro) turbidum, obscurum, virescens, viscidum, crassum & globosum, non quidem fœtidum, at nescio quem dulcorem redolens: hoc porro confirmant respiratio difficilis post motum quemcunque, dolorque usque ad costarum interstitia pertingens, qui ab attactu exacerbabatur, & denique febris lentæ signa. Quomodo pus in Pulmone generetur, non fingendus est Archeus pulmonum imbecillis, seu Vulcanus corruptor, ut illum vocat Helmontius de *asthmate & tussi* §. 10. aut nescio quod peregrinum fermentum alimenta depravans, cum ejus generatio commode explicari possit, si ulcerum, maxime in partibus membranosis constitutio recte attendatur: Nimirum in ulcere pulmonum, prout etiam in aliorum partium ulceribus fieri solet, textura parenchymatis pervertitur, Vesiculatum, ex quibus Pulmo componitur, membranæ tenuissimæ, aranearum telis similes partim crassescunt, & vel decuplo crassiores fiunt, partim perrumpuntur, ut ex plurimis vesiculis minutis una vel plures amplæ cavernæ resultent: capillamenta extrema arteriolarum exeduntur & magis patula redduntur, ut plus succi nutritii in cavernas effundant; extrema venarum capillarium & vasorum lymphaticorum oscula, vel obliterantur, vel non cohærent amplius cum capillamentis vasorum alimentum afferentium, unde superfluum non resorbetur, sed in cavernis stagnat, & quoniam pars exulcerata semper inflammata & calore p. n. prædita est, illud quod stagnat facile inspissatur ac lentorem contrahit, simulque rubidum, subviride & globosum existit, quia diutius intra pulmones calidiores, plurimoque sanguine turgentes in cavernis detinetur, quod etiam fœteret si longiori mora his in locis subsisteret. Idem quia pulmonibus molestum est, tussim excitat, & quia tum ob illius copiam & lentorem, tum ob vesicularum crassitiem; & ductulos abolitos aër sufficiens pulmones subintrare nequit, respiratio difficilior redditur, inprimis si usus auctus plus aëris postulet: Insuper quo pravior est succus nutritius, eo pejus & copiosius pus producitur: Pravus evadit in hoc affectu, non solum propter errores externos, sed etiam ob febrem lentam semper ejus comitem, imo ab ipso ulcere pulmonum: nam sæpe experimur à cancro, scrophulis exulceratis, pædarthrocace, & aliis ulceribus chronicis ac dysepulotis, totam massam sanguineam ita inquinari, ut quamvis cancer extirpetur, & hæc ulcera consolidentur, nihilominus alibi ulcera pessimæ notæ, aut alii morbi graviores emergant, unde quo diuturnius pulmonum ulcus afflixerit, eo difficilius curatu redditur: Hanc succi nutritii depravationem ipsimet Helmontiani agnoscere coguntur, dum in hoc, & similibus morbis, aurum horizontale suum aliasque panacæas commendant, quæ si laudem merentur, illam inde consequentur, quia universam sanguinis massam emendant: quis enim persuadebit hæc decantata arcana instinctu quodam ad locum affectum proficisci, & ibidem particulare hoc vitium propellere. An vero omne sputum, quod S. P. tussi rejiciebat, ex ulcere transsudabat, intraque illius cavitatem colligebatur? dubium mihi videtur; Valde probabile est tempore somni multum ex faucibus per laryngem

ad

ad pulmones delapsum fuisse, nam mucum crassum, album, turbidum, aliquando cruore mixtum. C. S. tunc emungebat, tunc screatu prohibebat, & insuper profunde dormiebat, ut etiam excreationis noctu factæ sæpius obliviscerétur. Quia ulcus sordidum erat, & insuper tanto temporis intervallo massa sanguinea non mediocriter inquinata erat, unde habitus corporis etiam in ipsa lactis cura adhuc nullum incrementum sumpserat, inde curatio difficilior reddita est &c. *Ioh. Iac. Wepferus.*

Resolutio continuationis secundæ historiæ morbi.) Quamvis S. P. à principio Martii usque ad finem Aprilis parum, & quandoque per unum alterumve diem nihil purulenti exspuerit, nihilominus tamen pus intra pectus latuisse obscurum esse non potuit, quia semper adhuc febris lenta continuavit, cum totius habitus emaciatione & imbecillitate quadam, ob quam extra lectum diu persistere nequiit. Pus tamen hoc non detinebatur in cavo pectoris, nec in ulceribus in bronchia apertis, nam post retentionem sputi à tot septimanis, respiratio non difficilior reddebatur, nec cum stertore aliquo fiebat. Potius credibile est vomicam aliquam derepente ruptam fuisse, nam cōpinsiot rejectio puris subito evenit cum raucedine, forti & vehemente tussi: non fœtuit, quia undique membrana coercebatur, fœtor autem non emansisset, si vi quadam fuisset detentum, & liber aëris aditus ad illud patuisset. Interea oportet labem in pulmonibus insignem fuisse, nam 1°. pus turbidum, luridum & crassum copiose ejecit, cum in habitu corporis emaciato; laudatissimis alimentis hactenus refecto, minus rejicere debuisset. Deinde febris lenta continuabat, ut ex pulsu, emaciatione & languore virium apparet, ob quem extra lectum permanere nequibat. Color vividus faciei magis perierat, nam fere cineritius erat; & versus livorem aliquem vergens, imo febris nuper incrementa sumpsisse videbatur, uti hoc probant sudores fere colliquativi. Diarrhœa biliosa, cui pinguedo innatavit, cum urina tincta & turbida, & post sudores, qui in hoc affectu plerumque funesti sunt, adhuc continuassent, nisi inunctione spinæ provisum fuissent. Narium obstructio à muco exsiccato, debetur etiam calori p. n. quum ille à vapore calido è pulmonibus emisso induretur. Cessante diarrhœa ventriculus rursum bene concoxit: viscera sanguificantia etiam suum officium præstitere; quippe sanguinem laudabilem generabant, ut ex narium hæmorrhagia patet; quamvis negari nequeat illum calidiorem fuisse. Tandem cum omnes sensus vigerent, cerebro nulla noxa adscribenda erat, &c. *Idem pagina 298.*

Tertia Resolutio continuationis historiæ morbi.) Ex omnibus istis satis superque colligitur Sinus Pulmonum exulceratos quotidie multum puris cumulasse & produxisse, tum ex chylo recenter sanguini advecto, tum ex sanguine ipso: Insuper elucescit sputum purulentum collectum pulmonibus molestum fuisse, & ad tussim valide stimulasse, nec quietem concessisse, donec ad maximam partem rejectum fuisset. Num autem portiones purulentæ ex sinubus pulmonum ulcerosis resorbetentur? valde mihi probabile videtur ex totius habitus consumptione, incalescentia post pastum & virium languore, ob quem diu moram extra lectum tolerare non poterat, multo minus incedere valeret: non tamen sanguini multum de pure permistum fuisse credibile est, cum S. P. egregie appeteret, bene in ventriculo & intestinis concoqueret, vegete in lecto appareret, & naturalia vesicæ & alvi excrementa redderet &c. *Idem. pag. 289.*

Observatio III.

Phthisis à Pulmonum putredine, costis adhærentium, cum ulceribus variis.

Mense Augusti 1553. cum Domina de l'Aubespine gravida esset sexto mense dimidio, citra vim ullam, citra destillationem, aut tussim antecedentem, cœpit derepente sanguinem exspuere & educere de pectore cum stertore, sed sine magno conatu: Tum temporis cœpit & sanguis è naribus profluere ac interdum relabi in fauces, quum hac impraegnatione nondum fluxisset, licet venæ supra modum turgerent, essetque aliis impraegnationibus fluere consuetus: Exactis diebus quinque desiit & constitit exspuitio cruenta, tussis tamen sicca derelicta est sine stertore, sine difficultate spirandi: In partu nullæ aut paucæ purgationes eruperunt, quæ postea syrupo de hyssopo proritatæ sunt, Quinto die à partu febris ardentissima exercuit biduum, cujus vi leviusculus lateris dolor obortus est: Hinc lenta febris non admodum manifesta perseveravit & in dextrum latus decubitus. Paucis hinc diebus gravis destillatio è capite procubuit in scapulam sinistram, simulque in extremum omoplatæ dextræ, & in eam sedem lateris quæ jam ante laborabat: Secta tertio vena à medicamento, scapulæ & omoplatæ dolor desiit; Perstitit vero in latere altero conjunctus, qualis etiam nunc perseverat, ab hinc semper difficilis fuit dexter decubitus & respiratio etiam sinihil sanguinis emanet: Ex his constare potest primam sanguinis eruptionem, neque ex rupta, neque ex erosa, sed duntaxat ex aperta vena factam, ob immoderatam sanguinis copiam, Idque in solo dextro Pulmone, è quo in dextro decubitu sanguis stillare percipiebatur: Accessisse postea destillationem, quæ dextrum latus occupans facta est doloris causa: ut idcirco complexus sit duorum affectuum, quorum unus est in Pulmone, alter in dextro latere; Præter hos affectus Jecur etiam calidius est & obstructum, cum levi dolore & tenitentia: Ren etiam dexter interdum nephritico dolore fatigatur.

Supra descriptus affectus Dominam de l'Aubespine jugulavit, nam Febris lenta illam recidavit, repetiitque lateris dolor, sputum cruentum, cum majore respirandi difficultate: Desfecto corpore inventi sunt Pulmones putres & costis adhærentes, cum ulceribus variis. *Fernelius, consilio 21.*

Seu responsum ejusdem Fernelii ad dictam historiam morbi, ab eo scriptam dum differendum illi esset cum aliis Medicis.

Sanguinem fervidum atque floridum jam aliquoties ex intervallis tussi rejectum, recte profecto æstimarum est è Pulmonibus prodiisse; Quoniam vero Generosissima Domina laborans, molli tenelloque corpore & Pulmonibus est imbecillis, atque jamdudum destillationi & tussi est obnoxia, vehementer est metuendum ne non modo reserata, sed etiam exesa vena sit, (Nam vi tuptam fuisse nulla conjectura assequi possum) Imo etiam cum posteriore rejectarione à parte non obscurus dextri lateris fit exortus dolor, cum anhelatione & asperiore tussi, cumque sensu quodam gravitatis atque ponderis prementis, si præsertim in adversum latus ea devolveretur, nisi tum vera pleuritis erat, non levis suspicio esse debuit & ulcerati Pulmonis & collectionis quæ vomicam minaretur: His tamen malis ita pridem accurate ac sedulo adhibita accommodataque sunt artis præsidia, ut jam Domina laborans in tuto posita esse credatur, citra metum cursuri mali: Itaque in his persistendum esse duco remediis quorum usu & ope convaluit, maximeque in lactis & cremoris hordei usu: At nihilominus quoniam & periculosissima & fallacissima solent hujusmodi esse mala, & diu plerumque latere, simulata quadam specie bonæ valetudinis, dum aliquando occasione levi, aut etiam nulla recrudescant, observandum circumspectius nunquid pristinæ malignitatis sit in thorace relictum? Num etiam tussis aliquando fatiget, aut lenta febris sollicitet, aut aliquantum difficilior sit respiratio, qua mulrus spiritus duci nequeat: Horum quippe animadversione, præter lac matutinum, & vitæ rationem idoneam, ex usu fortasse videbuntur quæ blande leniant & quodam robore pulmones expurgent.

Pulmones putres costis adhærentes] *Bennettus* Theatri Tabidorum Exerc. 16. adnotat Phthisin plerunque lethalem esse ubi Pulmones pleuræ accreverint: indncta scilicet graviori respiratione & transpitatione pulmonum difficiliori reddita.

Observatio IV.

Phthisis à Pulmone exeso, in quo sanies alba cruda, aquæ multæ mista.

PUer ex Casalium familia, cum ob opes magnas de veneno suspicio esset, Dissectus habuit Pulmonem exesum, cum sanie alba, cruda, mista aquæ multæ: Perierat in 14. diebus ex febre: Symptomata non scio, quia non adfui curationi: Constat tam longo morbo absumptum: ut existimaretur, (sed falso) obiisse ex recidiva: *Cardanus lib. de causis, signis & locis morbor. P. 3. n. 68.*

MIsta aqua multa) Exesis aut disruptis vasis lymphaticis, quæ multiplici serie Pulmonum superficiem ambiunt.

Obiisse ex recidiva) Aliquando enim Pulmo exulceratus callum contrahit medicamentorum beneficio: Sed sæpe arescens sanies, cicatricis speciem imponit & inducias concedit, qua decidua affectus iterum recrudescit.

Observatio V.

Phthisis grande & multiplex Pulmonum ulcus sequuta.

SAnguinem à pure liberabunt, præ aliis forsan medicamentis omnibus, quævis Antimonialia, tum diaphoretica tum purgantia & vomitoria: quæ non semel observavi, etiam in phthisi ac inveterato Pulmonum ulcere grandi, per alvum & urinas bonam puris quantitatem eduxisse, adeo ut ad plures tunc dies nullum tussi pus excerneretur: *Vlcus autem in Pulmonibus grande, ac subinde multiplex fuisse, manifestavit post obitum cadaveris à me facta dissectio. Fr. Sylvius* Pract. lib. 1. cap. 24. §. 10.

RAtione causæ ulcus efficientis, ut plurimum catarrhi ferini, purgantia, etiam validiora plerique præscribunt: Provecto vero ulcere vomitoria proscribantur, quod ab his illud irritetur amplificeturque, quanquam ratione copiæ puris depascentis, utilia forte esse possint.

Observatio VI.

Phthisis orta à scabie repercussa, ob quam Pulmones omnino corrupti, magnaque ex parte in scirrhum indurati sunt.

IOh. *Georgius Virsungius* adnotavit Monachum quendam Patavii neglectis universalibus, scabiem unctionibus intempestive depulisse, unde mox supervenientibus salsi humoris defluxionibus ad Pulmones delapsi, sanguinem per intervalla tussi rejecerit, tandemque accedente Hectica abierit.

In dissecto autem cadavere à se repertos Pulmones omnino corruptos, magnaque ex parte in scirrhum induratos. *Georgius Hieron. Velschius observ. Episagm.* 85.

SCabiem intempestive depulisse.) Ejusmodi præcipitem & inconsideratam scabiei curationem in palpitationes brachii & Epilepsiam terminatam vidit *Trincavellius* l. 2. cur. cap. 6. Corticum frangulæ

frangulæ usu asthma subortum notavit *Salomon Albertus* apud *Brendelium* consf. 73. & hydropem *G. Schwenfeldius* lib. 1. de Stirp. Silesiæ p. 75. convulsionem *Zacutus* 6. Prax. hist. obs. 19. Dolores articulorum *Chiffletius* observ. 59. Febrem continuam, cœcitatem &c. *Sennertus* ad 5. Pract. Paralip. 1. Quod vero *Conringius* Epst. 28. de juvene recenset, qui contra scabiem diebus canicularibus lithargyrio rubro inunctus, in spasmum, dolores nocturnos, nauseam, sitim, alvique & vesicæ segnitiem cum perfrigeratione totius & gingivarum inciderat, ad malignitatem noxii cujusdam lithargyri, haud dubie hydrargyro & cinnabari, aut etiam arsenico permixti, referri debet. *Idem ibidem.*

Magna ex parte in scirrhum induratos] Clar. *I. Iacobus Wepferus* Exercit. de Apoplexia p. 374. ait se in Phthisicis observasse Pulmones induratos; Pectore, inquit, Jacob. Spœrlin recluso, pulmones ambo subduri & compacti erant, nondum tamen ad illam duritiem pervenerant quam alias in phthisicis observavi: Caro autem Pulmonis naturaliter levis est, rara, spongiæ similis & velut à spumoso sanguine concreta: Levis est, ut facile collabi attollique possit, atque in thoracis motibus promptissime obsequatur: Rara ac spongiosa est, ut tollis instar aëre inspirato cito & affatim repleatur, fumidoque vapori pariter viam muniat ad efflandum & exspirandum: Ubi ergo in scirrhum indurantur, aut duri & compacti evadunt, neque facile collabi & attolli possunt, neque thoracis motum consequi; hinc difficultas respirationis, hinc rite calor & incendium cordis & sanguinis refrigerari nequit, neque fuligines rite excludi: hinc circulatio sanguinis à corde ad pulmones, & ex iis iterum ad cor interrumpitur: hinc juxta *Pecquetum* imperfecte chylus cum è ventriculo ad intestina, tum ex iis in lacteas detruditur: Hunc enim & Respirationis usum adducit Vir Clariss. in suis Exper. Anat. ut hujus beneficio chylus ad intestina, & ex his in lacteas trudatur, mediante scil. diaphragmate, cujus beneficio tota commoventur hypochondria: Inde totius Tabes, febris hectica, propriæ pulmonis substantiæ corruptio &c.

Salsi humoris defluxionibus ad Pulmones) Morbis facile afficitur Pulmo, & ut vult *Helmont.* membrorum primum est senescens: Mollis cum sit substantia, materiam rodentem diu sine læsione sustinere nequit: Notavit hoc olim *Hippocr. Quicunque à pleuritide empyici redduntur, si intra redduntur, si intra 40. dies à quo rupta fuit pleuritidis vomica, tota materia non expuatur, in Phthisin degenerant*, Item l. 1. de morbis, *Si pulmonis inflammatione detentus, diebus qui talia decernere creduntur, non purgetur, sed sputum & pituita in Pulmone remaneat, suppuratus fit*; Acres à capite destillationes facile ob eandem causam tusses, asthma, erosionem & ulcus pulmonum excitant; *Helmontius lib. de catarrh. deliramentis*, hic est contrarius, *Tusses & Asthmata primo incipiunt, & continuato fermento perseverant, non quidem à capite defluo muco, sed intra pulmonem genito per violatum loci fermentum.* Verum revera destillationes ad pectus à capite fieri facile credet qui vel semel exinde tussim expertus est: Materia autem vitiosa non solum à capite destillat, sed & è venoso genere interdum communicatur, ubi ab aëre condensata subsistit variorum symptomatum mater: *Belga* quidam, teste Cratone in Consil. topico curabat dolores podagricos, sed Baro quidam eo usus incidebat in asthma constante podagra: Dubio procul materia vitiosa ex articulis venoso generi fuit communicata, & ex eo demum Pulmonibus: Ita etiam Phthisin *Bartholinus* cent. 2. hist. 35. à toto subinde venoso genere induci putat: Sanguinis enim vitium non tantum corpus emaciat, sed & pulmones, quos circulatione transit omnis, sive aut horum culpa, aut cerebri, sua acrimonia irritat & corrumpit: Nimirum cum pulmones molle habeant parenchyma, citius præ cæteris visceribus corrumpi queunt: *Mœbius Medicina Physiolog. pag.* 245.

Observatio VII.

Phthisis à media parte Pulmonum consumpta & pure soluta.

§. I. Quidam longo tempore decumbens in Nosocomio Delphensi, ob vulnus in pulmone, eo tandem puttefacto à *febre Typhode* contabuit: cujus sectio post obitum facile causam mortis aperuit, nam media pars pulmonis consumpta ac pure soluta spectabatur: *P. Forestus lib. 2. observatione* 37.

§. 2. In altero vulnetato in eodem Nosocomio, qui ultra annum cum dimidio ibidem decubuerat, in sectione ipsa tota substantia pulmonis adeo cum pure longo tempore excreta videbatur, ut cor denudatum sine pulmone (dictu mirum) spectaretur. *Idem Ibidem.*

Febre Typhode) *Aëtius* febres symptomaticas quæ fiunt in visceribus ex erysipelate hoc modo distinguit, ut Leipyria dicatur quæ ventriculo affecto oboritur, Typhodes, quæ hepate: Si verò in pulmone erysipelas consistat, Crymodem vocat: *Forestus* Typhodem veram nominat quæ Hepate erysipelate obsesso oritur: Notham, quæ ex visceris alicujus corruptione putredineque emergit, Jecoris, Lienis, Cerebri, Pulmonis, interdum etiam Renis: Typhoden *Galenus* cap. 2. lib. adversus *Lycum*, eandem cum Helode facit seu Humida, cum à prima statim die ægri sudant sudoreque ipso aut nihil aut parum juvantur: Ejusmodi febris symptomatica est, cujus proxima materia & continens causa, non est in venis majoribus, sed in parte aliquapiam, è qua aut putredinis quiddam, aut teter putridusque vapor in cor obrepit: Cujus duo genera, unum inflammationes sequitur, quod & ipsum est multiplex: alterum, juxta *Fernelium*, ortum ducit è latente obstructione & putredine, quæ visceri contumaciter adhærescit impacta que est, adeo ut & ipsa visceris substantia labefactetur; putredinis que portio nonnunquam in venas effusa sanguini permisceatur: Juxta leges circulationis sanguinis Phthisicorum febris sic excitatur, Sanguis dum Pulmones in circulatione sua totus pertransit, huic visceri plurium morborum ideas sæpe imprimit, & vice versa, ab eodem male affecto

affecto easdem recipit, quicquid impurum in cruoris massa continetur, arteriarum extremitatibus velut musti efflorescentia ejicitur; quare cum natura debilior facta in superficiem corporis recrementa sua nequit transferre, propiore lustratione eadem in pulmones deponit: hinc insignis cacochymia & morbi plerique chronici frequenter in phthisin desinunt: pariter cum pulmonum caro contabescit, aut ichores ulcetoso scatens semiputrida evaserit, sanguis pertransiens materia purulenta, aut tabido inquinamento inficitur, & proinde in continuam effervescentiam, ob rei non miscibilis confusionem concitatur, quare & febrem assiduam inducit & succum alibilem omnino pervertit. Par ratio est de febribus ab ulcere aut abscessu in aliis partibus concitato, hæc enim non secus ac tabida Pulmonum constitutio sæpe phthisin & febrem hecticam accersunt.

Observatio VIII.

Phthisis à parenchymate sinistri Pulmonis fere omnino consumpto, &c.

HAnoviæ miles præsidiarius, quadragenario major, purulenta tussiens, circa diaphragma sinistrum vehementissime doluit: levatus est expectorantibus, & diuscule se solatus pauper succo nasturtii aquatici & hederæ terrestris; accusavit quoque simul renum dolores, ardorem & cruentationem urinæ: Tandem nonnisi spumosum sputum rejiciens, ventre primum inflato & sonante, ut Tympaniticum judicasses, dein & pedibus tumentibus, superiora consumptus, summa sæpe & tantum non suffocante angustia, ob ascensum muci aut seri in jugulum, sanguinea interim sæpe meiens, post 22. septimanas quibus decubuit, sceleto faciem simillimus, vero Ascitide obiit 1671. 16. Julii.

Aperto cadavere, parenchyma sinistri Pulmonis fere totum consumptum, bronchia vero relicta cum pauco parenchymate, & ipso pericardio firmissima cicatrice, ceu callo, costis adnata coaluere, ita ut propter diuturnum dolorem hoc latere compresso depressoque gibbosus altero latere factus fuerit miser. Diaphragma quoque solito crassius lienem firmissime affixum ostendit: In abdomine & thorace seri meraci & citrini multæ mensuræ latuere, quæ adacto scalpello instar salientis fontis projectæ: Qui coalitus Pulmonum, post vulneraria multa, altero latere fere adhuc integro, forte meretur observationem. *Salomon Reiselius in miscell. curiosis anni* 1673. *observat.* 191.

Observatio IX.

Phthisis à Pulmonibus subduris & compactis, suprema parte exulceratis, & lateri annexis, &c.

JAc. Spoerlin septuagenarius, ad carceres damnatus, in iis ultra 12. annos vixit; hinc cachecticus factus, anno vitæ ultimo, mane inprimis, tussire cœpit & purulenta exspuit, Tussis magis magisque crevit, eaque diu noctuque misere excruciabatur: sputum subviride, turbidum, lentum, viscidum, rotundum, plane non fœtidum, quandoque cruore tinctum ejecit: Paucis septimanis ante obitum, conquestus est de catharro mane impetuose ad pectus ruente & suffocationem intentante: febricitavit lente, emaciabatur, non tamen ita corpus contabuerat prout in plerisque phthisicis observatur.

Pectore mortui recluso, pulmonum lobos superiores utrinque, maxime sinistrum, accretos invenimus; ambo subduti & compacti erant, nondum tamen ad illam duritiem pervenerant quam alias in phthisicis observavi: Discissi in suprema parte exulcerati erant, ac cavernulas avellanæ capaces obtinuerant, non tamen exacte rotundas aut æqualiter cavas, sed quasi laceras, ac si à mustela vel à glire frustulatim portiuncula avulsa, pulmones excesi fuissent: Pressa hac pulmonum parte, ex bronchiis sputum viride, minus tamen viscidum ac tussi rejecerat, prodiit: Lobi pulmonum inferiores, nec pleuræ accreverunt nec quicquam puris continuerunt: In cavo pectoris serum subcruentum copiose redundavit.

PHthisis quæ tandem prostravit atque lecto affixit, sero acri & mordaci etiam suam originem aliquomodo debere videtur: variis enim modis pulmones ad tussim vehementem & diu inanem stimulavit; scil. in pectoris cavitate effusum, non secus ac alias in pectoris hydrope fieri solet, externam tunicam continue vellicavit, cum sanguine arterioso per arterias pulmonicas in vesiculas & extremos bronchiorum ramulos exsudans, aut per glottidem in asperam arteriam stillans, acrimonia sua internam bronchiorum tunicam, omnino sensu exquisito præditam, titillavit atque ad tussim provocavit, unde pulmones post multas succussiones tandem pleuræ accreverunt: & quoniam accreti non amplius rite se contrahere, & liquorem imbibitum exprimere valuerunt, inprimis superiores lobi induruerunt, inflammationem aliquam conceperunt, ac suppurari veræ phthisis causa proxima evaserunt. *I. Iacobus Wepferus Exercit. de Apoplex. pag.* 374. & 380. Vide lib. 1. sect. 15. observ. 3.

Cavernulas avellanæ capaces.] Interdum accidit foveam unicam, aut forte binas in pulmones efformari, monente *Willis cap. de Phthisi*, parietibus callosis circumcirca obductas, ita ut materies ibi collecta in massam sanguineam minime transferatur, sed quotidie tota copia, licet ingenti, expectoretur. Taliter affecti, quasi tantummodo fontanellam in pulmone haberent, sputum etsi multum & crassum, imo flavum & quasi purulentum omni mane, & aliquantulum in toto die rejiciunt, tamen alias satis sani degunt, bene respirant, comedunt & dormiunt, *Scaptræ*, aut

aut saltem in modico corporis habitu perstant, & non raro persenescunt: hinc nonnulli dicuntur Phthisin per 30. aut 40. annos habuisse: atque interim alii cum minus tussiant aut exspuant, intra paucos menses in febrem hecticam incidunt; ac brevi in sepulchrum præcipitantur.

OBSERVATIO X.

Phthisis ab ulceratione parenchymatis pulmonis, ejusque bronchiorum obstructione.

CRebrior cadaverum perlustratio ulceris in pulmonibus Phthisicorum genuinam, non solum in parenchymate, sed & ipsis bronchiis ulceris sedem docuit, adeo ut hominem febre hectica consumptum, non citius de statione vitæ decedere, sed ejus miseriam tamdiu supervivere miraculi instar sit: Post sanguinis sputum *in φθινώδει corpore* ad librarum duarum mensuram, ingentis in dextro pulmone sensus, ponderis aliquot septimanarum decursu animadversus: rejecta materia flava, crassa, viscida, tenax, frustillatim, tenui aqueæ copiosæ innatans: Adaperto iterum vasculo hæmoptysis urgebat: Ea sine negotio sedata continuabat excretio priori similis: Aderant hecticæ indicia non levia, putridæ intermista & dyspnœa dextro præsertim in latere: Sanguis nullus excreabatur, sed alba solum, tenax, viscida materia: Viribus exhaustis, anni quadrante elapso, suffocatus abibat ad plures.

Aperto thorace dexter Pulmo tumidus, adeo ut totam illam impleret cavitatem. Inciso Pulmone in circumferentia sanguis spumosus crassus, effluebat; incisis & divisis bronchiis, alba ut materia fere tota referta erant, ita illa effluebat puris speciem præ se ferens planissimam, qualem multis ante septimanis ejecerat, quam si extussire potuisset, nondum vitæ terminus appropinquasset. *Rolfinkius.*

IN *φθινώδει corpore)* Homines dicuntur φθίνοντες καὶ φθινικοὶ quorum valetudo penes est phthisin, & φθινώδεις etiam, quorum natura vergit ἐπὶ τὸ φθινῶδες: hujusmodi sunt πτερυγώδεις 1: alati scapulis, quorum scapulæ dorso exacte non adjacent, quia non habent dorsum, ut decet, ἰθύκυφοι, sed paulum inclinans ad ἰθυλωρδὲς, & contra cervicem ad ἰθύκυφον, quam tamen natura voluit esse ἰθυλόρδη: Talium vitiosam conformationem referendam esse docet Hippocr. 6. Epid. p. 3. ad imbecillam vim efformandi: cujus imbecillam vim ponit in paupertate caloris nativi; ex parvitate cordis, quæ facit thoracis angustiam, sicut amplificatio amplitudinem: *Duretus in Coacas p. m. 292. & 310.*

OBSERVATIO XI.

Phthisis à tracheæ parte erosa; Lobo Pulmonum altero calloso.

LObum Pulmonis sinistrum cujusdam Mercatoris Londinensis erodebat ulcus, è tussi inveterata & fluxione salina hæmoptysin inducente oriundum, quod levis arteriæ divaricationem lobo insertam una perederat: Cui symptomata omnia, quibus phthisis consociata est, ingruebant, in pejus in dies ruitura: halituum denique *& suffituum methodica intermiscela* sanus evasit: Qua integritate permansit per sex annos, quo temporis curriculo, meque annuente, *Hispaniæ*, ubi commercium fecerat, *vitam degebat incolumem*: sub initium tamen autumni oras nostras petenti, ab impedita pororum usuali ἐνδιαπνοῇ fluxus concitatior totum lobum, ut lateri adhæserat, replevit: cujus exæstuationis sanies pulmonem ita perfudit, ut spiritus transitum brevi denegarit.

Dissecto cadavere, *tracheæ pars erosa*, cui cicatrix inducta fuerat varicosa: lobo vero pars adnata callosa conspiciebatur, reliquum pulmonis parenchyma computruit.

TRachea pars erosa] Internam arteriæ vocalis membranam, per salinos affluxus derasam, tussique non raro ejectam animadverti: Halituum tamen & suffituum usu regeneratam, ex quo convalescentes aliqui supersunt, binosque nuperrime à phthisis diuturnioris corruptela, pulmones frustulatim rejectantes hisce, aliis non prætermissis, redintegravi: Quorum unus ex febre hectica per triennium emarcuit, cui derelicta tussis & durities quædam in media parte dextri lobi (quantum è narratis conjicere valui) avellanæ magnitudinem æquans, nova verumtamen carne vestitus & robore pristino vigens: Alter jam superstes, obesus, cui tussis horis diei diacriticis non admodum molesta, sed in cæteris omnibus inculpatus. *Chr. Bennettus Theatri Tabid. Exercit. 28.*

Tracheæ pars erosa) Hippocr. 1. de morb. intern. cap. 1. Tabem constituit ab ulcere asperæ arteriæ, cum humor nitrosus & salsus, à capite defluens, arteriæ affigitur, nec tussi excreari potest: *Idem* 2. de morb. contendit fervida quædam ulcuscula in bronchiis asperæ arteriæ posse reperiri: *Aëtius* tetrab. 2. serm. 4. cap. 64. profitetur se multa ejusmodi ulcuscula juxta laryngem curavisse: Objicitur Hippocrat. 4. de morbis, docuisse pulmonem, qui rarus & mollis, facile à catarrho capitis ulcerari posse; ventriculum autem, quod sit robustus & instar cutis, à pharmaco ulcerari non posse: Arteriæ autem asperæ membrana, cùm crassa sit pari ratione ulcerari non posse, ob siccitatem & duritiem Resp. Ventriculum habere motum concussionis ad expellendum quod nocet, quo fit ut humor noxius in eo diu hærere non possit, sed vel vomitu vel singultu excutiatur: Arteria autem eo motu caret, cum nec dilatetur, soloque

ſpiritu vehementiore per tuſſim excitato ad expulſionem rei nocuæ utatur. Hippoc. autem l. c. de Phthiſi ab arteria aſpera agens, hæc ſigna tradit, Tuſſim initio ſiccam; hinc ſputum ſubcruentum, poſtea purum; Progreſſu temporis ſanguinis multi expuitionem, interdum puri, interdum ſubputris, adeo ut ſæpe fauces conſpicuæ non ſint, ſanguine repletæ, deinde grumorum ſanguinis frequentem expulſionem: ſucceſſionem rigoris & febris, dolorem ad ſternum & infimam partem dorſi ac in coſtis: puris liquidi ſputum deſinente hæmoptyſi: Exactis 14. diebus, ſquamarum ab arteria avulſionem: Cauſas & curationem vide l. c. & apud Gal. l. 1. c. 1. de loc. aff.

Suffituum methodica intermiſcela &c.) Inter præſidia Evaporationes & ſuffitus tanquam nobiliora, & quibus unice in extremis anguſtiis confidamus, penſitanda: Quæ ſine circumſtantiarum debita comparatione ſummota obſunt vel incaſſum adhibentur: Non tamen inficior ſi craſin partis ſpectes, nulla impedit hujus generis indicatio; pulmones etenim aridiores & tenſiores horum madore intenerantur: humentes nimiſque laxati illorum ſiccitate indurantur: putredine & viſcoſitate obliniti levantur; amborum denique conſortio ulcera ſordeſcentia deterguntur, necnon novæ affluxuræ materiæ & in partes inſurgentis vis moleſque reprimuntur, ſimili ſemper in aſſumptis ſervato ſcopo: Si vero intemperiem totius contempleris, nec ipſa febris huic medelæ contraindicaſſe videatur: ſuffitus quippe tenuiſſimæ eſſentiæ caliditatem ultra ſpiritalia haud exercent, utut propter varias liquoris ſuffarcientis diſpoſituras, propter ſuperfuſi genium proportionem & motum: propter partis ſuſcipientis habilitatem & totius tolerantiam, varia hujus generis remedia conficere & in uſum proferre neceſſario coactus fuerim. *Idem ibidem: Has autem adminiſtrationis eorundem regulas, ponit p. m.* 143. Suffitus & evaporationes magis familiares ſunt detergentes, qui vicibus intermediis in uſum ducendi: deinde nobiliores & ſicciores, tandem colletica ſenſim uſurpanda: poſtea mitioribus vice communis aëris attracti res abſolvenda: Evaporationes potiſſimum ſiccioris temperaturæ pulmonariis accommodantur, & in ipſo ſuffuſionum diurnarum adventu maxime prodeſſe cognovimus: Cujuſcunque ſint generis ſuffumigationes & halitus, penitius viceque ipſius aëris in partes ſpirabiles ſuſcipiantur, in conclavi aut cubiculo, clauſis feneſtris, ut vitetur omnis aëris frigidioris afflatus, ibique diu perduret æger, ſecus enim incaſſum exercentur: Prima ſuffituum in pulmones ſuſceptio eſt laborioſiſſima: peracta verum tamen deterſione (quod cito fit) facilius peragitur. Suffitus non ſtatim ab eroſo vaſculo aut viſceris parenchymate, ſubmoveantur, ſed poſt dies 14. ad minimum à ſedata hæmoptyſi, nec ante ſuffuſionem periodicam qualemcunque majori, circuitus præſertim, ſed elapſo ad minimum biduo à peracta fluxione. Dum extraneis ſuccis perfunduntur & replentur pulmonum parenchymata, ſuffitus fortiores neutiquam uſurpandi: leniorum vero uſus eo temporis inſtanti non prætermittendus: *Evaporationum autem materiam & ſuffituum vide p. 181. & ſequentibus.*

Hiſpania vitam degebat incolumem) Huic conſentiens Nobiliſſ. & Excell. Dom. de Mayerne, Conſ. 2. adnexorum Tractatui de Arthritide, cura noſtra edit, Adi Volcas, *ait*, Aurantium, Monſpelium, Lunellum, Biterras: Paucis, fruere aëre ſicco, cujus calorem facile erit temperare domi, pro commoditatibus quas regio concedit: Galenus, Medicorum Magiſter, Phthiſicos Tabias mittebat, non eorum curam reſpuens, ſed ad deſiccationem ulceris & fluxionis, inſpirato aëre puro, vi ſiccandi prædito, ac balſamica vi plantarum illic naſcentium imbuto: Ante aliquot annos Nobilis noſtras, phthiſicus deſperatus, me jubente illuc conceſſit: pus cum ſanguine ſpuebat, ſceleton membrana Pergamena veſtitum macie referens: Is incolumis redux nuptias contraxit, plurimorum liberorum pater. Vidi, quo tibi efficacia aëris ad Pulmonis morbos innoteſcat, Nobilem (qui ab accepto profundo in thorace vulnere bis ſanatus eſt, fiſtula ſuccedente paracenteſi in oppoſita parte factæ, quæ neceſſario intra coſtas inſtituenda fuit;) in Hiſpaniam is migravit, ubi poſt quinquennii moram occluſa fuit fiſtula: Patriæ redditus, climati frigido & humido, illa ſponte recluſa eſt, Hiſpaniam vero repetens, exactaque ibi æquali mora, reſtitutus eſt: Hinc tibi clarum eſſe debet aërem omnia Pulmonis bronchia permeantem, tacta cor impetentem, efficacius quovis alio remedio, qualitatibus nativis vel adſcititiis, vim ſuam exerere.

Fluxione ſalina) Sputum ſalſugine refertum, ſanguinis ſale perfuſi progeniem, licet fluidorum ſit incentivum, raro tamen ſubitanea vi ſua inciſiva viſcerum membranas, vel vaſorum tunicas tranſilire ratus ſum: poſtquam vero ſanguinis ſerum ſuum ſalinum, per tunicas aut membranas pectoris proturbatum, roris inſtar percolaverit, ſtimulando motum pulmonis contractivum, tuſſim progenuit, à qua concuſſione & coarctatione ſubitanea frequenter invadente & perſeverante, partes tenellulæ, per quas pars ſanguinis ſubtiliſſima, ſalis aſportatrix, ſalſedinem depoſuerat, magis infirmatæ citius corruunt: utut ſalſa particula viſceri illata, non illico quaſi acus aut terebellum partem compungit & confodit, ſed cum ei diu inſederit, demolitur ſecumque rapit: cujus vis potius diſſolutoria quam incidens & compunctoria æſtimanda eſt; parti quippe nimis profunde ſeſe inſinuans, quodammodo per minima commiſcet ac conjungitur, & ſic ſubſtantiam ejus in quandam conditionem, inter miſtionem & confuſionem mediam perducit: in qua neutralitate cum aliquamdiu remanſerit, tandem diſſolvitur & inducta friabilitate deſtruitur: Tali modo præcipitata, & ſubſtantiæ partis adunita liquoris ſalini, per halitum forſan extravaſati, acrimonia eroſionis & diſſolutionis periculum minatur: Imo ſi ſola aciditate, vel tantillo ſale perfuſa, ſcaturierit ſanguis, licet in partes ſingulas exteriores ſeparata diffundatur, ægrotus exinde patitur & periclitatur: Non paucos obſervavimus, quorum vaſorum pectoralium ora à ſanguine turgeſcente (in quo forſan ſalis momentum delituerat) reſerata fuere; quos unica aut altera venæ ſectio perſanavit: Neminem quidem cui Pulmo eroſus fuerit; ſine ſanguinis totius edulcoratione & reductione curatum memini. *Idem Exercitatione* 22. Clarius hæc ex legibus circulationis ſanguinis demonſtrantur: Cauſa exulcerationis ſubſtantiæ Pulmonum eſt ſanguis biliofus, acrimonia præditus, Saliniſque atomis prægnans, erodendi vi donatis: hic à toto, mediante circulatione, ad pulmones delatus è vaſis per orificiorum reſerationem, eorum apertionem aut

rarefa-

rarefactionem, illos erodit & exulcerat: inde calor nativus infirmior redditus, allatum succum nutritium in alimentum non transmutat, sed in pus, hinc continua puris ejectio: hinc torius macies, huic sanguinem surripientibus Pulmonibus, cordique, sanguificationis organo malam diathesim communicantibus.

Observatio XII.

In Phthisico fragmenta bronchiorum Pulmonum, ab eorum substantia avulsa reperta sunt in dextro latere, cum plurima sanie.

HEnricus N. post mortem dissectus fuit: uterque lobus Pulmonum non tantum arcte costis *adnatus* erat, sed etiam inferius *diaphragmati*, ut sine laceratione inde avelli non posset: In dextro latere, ubi majorem dolorem senserat, inventa sunt fragmenta bronchiorum ab substantia pulmonum avulsa, *cum sanie copiosa*, qualia dum viveret *in magna quantitate excreare consueverat: Vox illi* erat *clangosa*, qualis Gallorum Africanorum aut Calecutensium: Laboraverat longo tempore antea sputo sanguinis, unde hujus miseri mali initium, quo etiam extreme extenuatus obiit. *Iacobus Bontius observ. 2.*

VOx illi erat clangosa) affecta aspera arteria: Phthisis autem ab ulcerata aspera arteria meminit Hipp. lib. 2. de morbis text. 119. *Si vulnerata fuerit arteria, tussim habet & sanguinem tussiendo rejicit, & fauces latenter sanguine implentur, & grumos ejicit, & dolor fit acutus ex pectore ad dorsum, & saliva viscosa ac multa, & fauces sicca, & febris ac rigor corripit, & strident fauces velut à pinguedine, atque hac ad dies 15. patitur: Postea vero spuit pus, & velut ulceris ricinos bronchia in Pulmone cartilaginosa, & rursus tussit, & sane sanguis erumpit, & postea pus crassum spuit, & febris fortior fit, & in pulmonem desinit, & vocatur Pulmonis ruptio.*

Adnatus diaphragmati) Quod & observavit *Panarolus* observ. 41. Pentecoste 4. in suffocato per laqueum homine, cui pulmones septo adhærentes invenit, & simul costis per villos: credit id ex diuturna incarceratione contigisse, ob quam valetudinarius redditus sit reus, Afferens vix ullum reperiri, qui postmodum suffocatus membra recte in se habeat disposita, sed omnes in aliqua corporis parte morbum contrahere: Cum reliqui qui brevi tempore carcerati strangulantur, membra sana & sine labe in Anatomia exhibeant: Morbosæ autem dispositionis in carceribus contractæ, causam rejicit in aëris corruptionem, vitam otiosam, pravam diætam, animi mœrores, vigilias continuas, quæ spatio temporis infirmitatem pariunt.

Saniem in magna quantitate excreare consueverat.] In φθινώδει dispositione sæpe per venæ arteriosæ surculos, ingens vitiosorum humorum colluvies in pulmones deponitur, & adeo insigni copia ejicitur, ut admirationi sit, & opinionem det esculenta & poculenta omnia in ejusmodi impuritates facessere.

Cum sanie copiosa in dextro latere) Pus in pulmonum exulceratione genitum, non solum in asperæ arteriæ ramos delatum expuitur, sed & tandem, quando ex corruptione substantia pulmonum, dividitur, in pectoris cavitatem influens, illicque sensim coacervatum & interdum magna copia congestum, Empyema producit: Quod ab exulceratione hac in phthisicis eo potissimum modo prodire sectio patefacit, per quam in corruptione pulmonum puris semper aliquam portionem, si non magnam, pectori adhærere vel innatare deprehendimus: *Platerus cap. de consumpt. lib. 3.*

Observatio XIII.

Phthisis à Pulmonis parte consumpta, vomicis plurimis in residua.

SAta Mente virgo obiit anno 1639. Aperto thorace & abdomine, in Pulmone omnem mali causam deprehendimus, quippe in sinistro latere, magna ex parte, & potissimum versus costas & pleuram, consumptus videbatur, & nihil ejus reliquum videre erat præter putridas quasdam fibras, & puris teterrimi & virescentis magnam copiam, qualem & ante per tussim ejicere solebat; Pleura autem eodem loco (quacum una concreverat Pulmonis membrana) solito multo erat crassior, sed passim inæqualis: lobus autem alius ejusdem lateris, qui pericardium & mediastinum respicit, adhuc restabat, sed naturali contractior, & dictis particulis adnatus: intus autem multas vomicas continebat, alias pisi magnitudine, alias paulo majores: & præter eas unam magnam, anserinum ovum dimensione æquantem, fœtido ichore plenam, & membrana à virulentia nigrescente tectam: Pericardium autem, ut & dextrum latus thoracis, aquam aliquam continebat, subrubram & loturæ carnium æmulam, qualem etiam inferior venter continebat, mediocri quantitate: In reliquis quoad viscera naturali modo se visui offerebat: Abdomen, nisi solummodo quod Hepar ut & Cor, substantiæ essent flaccidioris paulo, colorisque pallidioris: Dexter vero lobus pulmonis passim duris tuberculis inæqualis erat, & parenchyma purulenta sanie infarctum, non leves incipientis putredinis notas exhibebat: Dextrum vero ctus tumore œdematoso & aquoso, sinistrum (quod tamen etiam nequaquam ejusdem expers erat) duplo fere superabat. *O Heurnius observ. 17.*

Observatio XIV.

Phthisis à Pulmonibus ulcerosis & scirrhosis.

OLim petitum est meum consilium pro adolescente Phthisi laborante & plane desperato: Præter tussim & dyspnœam, non poterat supinus decumbere &c.

Post obitum cadavere dissecto, pulmones fere per totum scirrhosi, & in quibusdam locis ulcerosi apparebant: *Vide tit. de convulsione lib.* I.

Observatio XV.

Phthisis à Pulmone sinistro intus repleto pure, sanie & scirrhis.

VIr Nob. multis annis phthisicus fuit & asthmaticus: Illi sinistri pulmones pleuræ & costis adnati, interiora habebat plena sanie, pure & scirrhis. *Vide l.* I. *tit. de cap. dolore.*

Observatio XVI.

Phthisis à Pulmonibus fœtida, copiosa aqua plenis.

PHthisici aperto cadavere Pulmones tum consumi cœptos, tum copiosa, serosa, fœtida aqua repletos distentosque deprehendi. *Vide lib.* 3. *tit. de ventris tumore.*

Observatio XVII.

Phthisis à crudis Tuberculis totum Pulmonis parenchyma obsidentibus.

CUm tandem post multas miseras afflictiones, humanis miseriis exemptus fuisset David Garvis, cadavere aperto deprehendimus Tabificam mortis causam in Pulmone resedisse, quippe totum parenchyma minimis tuberculis, ex cruda viscida materia oppletum erat: Ex quibus tenuior portio quod subinde resudasset, & evacuata fuisset per urinas, quod oculari fide deprehendimus: Nam inde respirabiles pulmonum meatus, partim infarcti, partim compressi liberam ventilationem calori vitali cordis denegaverat: concurrente simul maligna putrida qualitate, ulcerum Pulmonum semper comite: Etenim cum nullum viscus sit adeo calidum humidumque & flaccidum, quoties putredinem concipit, ea insignem & peculiarem malignitatis gradum induit ob cordis æstum, tunc ab intercepta ventilatione increscentem; quæ præcipua atrophiæ causa est, quia bonus sanguis ab Hepate genitus, prava illa qualitate infectus, in alimentum partium converti nequit, &c. Erat etiam Pulmo diaphragmati & pleuræ in latere dextro adnexus arctè: Lien præterea figura triangulari, tribus scissuris sive crenis in margine divisum erat. *Ottho Heurnius histor.* 21.

Observatio XVIII.

Phthisis à variis abscessibus purulentis in utraque pulmonis parte, ac pituita in iis concreta & lapidescente.

IUvenem dissecui in Nosocomio, cui in utraque Pulmonis parte varii abscessus purulenti; quin & variis locis pituita adeo in pulmone concreta cernebatur, ut calculi tangenti esse viderentur, imo perfectam calculosam duritiem non paucis locis obtinebat, Hic Tabe quamvis consumptus, vixque hæreret ossibus, copiosam tamen aquam pericardio continebat. *P. Pavvius observat. anat.* 19.

Copiosam tamen aquam) De aqua Pericardii vide multa tit. de Palpitatione cordis & Syncope.

Observatio XIX.

Phthisis à corruptis penitus Pulmonibus & in pus conversis, vasisque cordis in eos insertis, absumptis.

PUer quidam annos 8. natus de scala delapsus, sanguinem expuit sensimque cœpit contabescere, tussi perpetua eum molestante, per quam purulentam expuebat materiam: ex pulsu febris deprehendebatur hectica, absque calore magno, appetitu cibi nihilominus persistente: his sic menses aliquot durantibus, ad extremum marcorem redactus, ut sceleti, cute saltem obtecti, formam exprimeret, in thorace ipsius, inter costas distentas

& ex-

& excarnes, cœpit prominentia quædam, in intervallo juxta septi regionem, in latere sinistro, sese proferre, tuberculi instar mollis, concoloris, quod pressum in thoracis spatium retrocedebat, remissum redibat, pectore interim admodum distento, unde illud pure repletum, ex corruptione pulmonum post phthisim, quam rupta ex casu vena pepererat, genitum, illicque exitum quærere ubi tumor se offerebat, judicavimus; eoque magis cùm & in dorso talis eminentia, inter costas appareret, costæque admodum ab invicem essent diductæ. Et cum nulla alia spes convalescentiæ superesset, extremum remedium sectionem judicavimus: Cumque & parentes consentirent, statimque à Chirurgo in tumorem, qui in pectore erat, scalpello impresso, inde pus copiosum prosiliit, adeo ut nisi fuisset inhibitum, pelvim Chirurgorum implevisset. Verum ne vires conciderent, immissa turunda effluxus puris fuit cohibitus, & per vices, ad dies aliquot, postea pus emissum: cæterum cum prominentia altera in dorso non subsideret, è medio tantum thorace pus effluxisse conjecimus, cùm & tumor ille non in sinistro, sed dextro dorsi latere sese offerret: qua de causa illic quoque eum aperiendum esse censuimus, quo facto non minor quam è priore sectione puris effluxit copia, tamdiu donec penitus fere è thorace repurgato pure, fluxus minueretur, viribus interim vitalibus sensim deficientibus.

Cum pectus post obitum sectione pateferet, Pulmones penitus fere putredine absumtos, & in pus conversos, vasaque cordis, quæ pulmonibus inserta fuerant, simul deperdita, & circa radicem veluti callo obducta occlusaque, succingentemque membranam prætumidam, atque undique pure, veluti pulte oryzacea subviridi, conspersam deprehendimus. *F. Platerus observ. lib. 3. pag. 733.*

Sanguinem exspuit) Post Sanguinis sputum Phthisis producitur, quatenus aliquid sanguinis effusi, & continue allabentis, vasis rupturæ adhærens, & acrimoniam acquirens partes vicinas sensim rodit, donec ulcus evadat, quo in dies aucto, & sordidiore facto phthisis necessario consequitur, dum puris aliqua pars sanguini commissa eundem inficit, & tum ad partes omnino nutriendas, tum ad humores alios omnes producendos ineptos reddit.

Observatio XX.

Phthisis à corruptis Pulmonibus, pure thoracem & abdomen implente.

Quidam diuturno morbo è medio sublatus, cujus venter, qui in immensum excreverat, cum aperiretur, pure cadaverosi odoris in altum prosiliente, aliquot pelves æneas, quibus Chirurgi utuntur, implevit: quod & non minori copia, imperumque è thorace dissecto promanavit: in quo pulmones unius lateris, uti in aliis phthisicis, penitus absumpti & in pus conversi, non solum thoracem, sed & universum abdomen repleverunt: quod ex thorace eo profluxisse, illud maxime quod nulla viscerum corruptio in ventre inferiore deprehendebatur, sed lobi hepatis, intestina, musculique epigastrii, cum mesenterio & omento, duntaxat denigrata nonnihil infectaque cernerentur, sufficienter comprobat. *Idem ibidem pag. 734.*

Observatio XXI.

Phthisis à Pulmonum corruptela & in empyema conversione, ob male fluentia lochia genita.

Nobiliss. Domina N. à partu non fluentibus, ut antea lochiis, nec rerum non naturalium usu rectè adhibito, incidit in tussim molestam, quæ sensim in dies cum pectoris dolore & gravitate exacerbata est, febrisque per intervalla vehemens eam invadebat: Ipsi aliquoties fuit detractus sanguis & purgatio instituta, sed cum ab urbe remota esset, non potuit medicorum consilio commode frui. In pejus sensim cum ruerent omnia, Lutetiam se contulit, sed morbus adeo invalescebat ut hectica brevi comitaretur, etsi variis usa remediis, postque decem mensium spatium interiit.

Aperto cadavere, pulmones toti purulenti inventi; adeo ut ne minima eorum particula scalpello divideretur, quin ex eorum substantia foraminulenta efflueret puris fœtidi insignis copia: In his, juxta claviculas, deprehensus fuit saccus pure refertus, exesa Pulmonum substantia productus: Ad costas utrinque adhærescebant Pulmones: Hepar amplum erat, æqualiter utriusque hypochondrii cavitatem replens, subalbido colore præditum: Renes quoad situm sibi invicem ex æquo respondebant, nec dexter sinistro depressior erat. *Cattierus observ. 11.*

Lochiis à partu non fluentibus) Sanguis in utero retentus, corruptionis & acrimoniæ particeps, per moram in utero, lege circulationis ad cor refluus, in pulmonum parenchyma depositus, ulcus & purulentiam induxit; Adde *κοινωνίαν* quæ partes genitales & spiritales intercedit, de qua *Hippocr.* 2. Epidem. ob quam sanguis ab utero ad pulmones viam affectavit.

OBSERVATIO XXII.

Phthisis ab exulceratione Pulmonis producta per rupturam & erosionem vasorum, cum duabus conclusis vomicis.

Hubert Pomble ann. 19. temperamenti sanguinei adusti, lanæ adornatione victum quæritans, militiæ incommoda perpessus, atque humi cubare coactus, unde digiti in pede utroque gangræna affecti computruerant, ita ut in dextro omnes, pollice excepto, resciffi essent, & in sinistro omnes: Ab ea intemperie toto corpore concepta postea perpetuo cachecticus, cacochymus, querulus, & valetudinarius fuerat, & diuturna diarrhœa affectus, à viscerum cacopragia, indeque orta cacochymia: Anno 1636. in Julio, magno dolore lumborum dorsique correptus fuit, & paulo post febre continua ac *tussi molestissima, à viscida pituita* contumaci irritamento, quam postea sanguinis sputum comitabatur, erosis & disruptis pulmonis vasis, ab acrimonia & copia sanguinis ex vena cava exundantis, ac sursum protuentis, idque per dies septem, sed intercalates, ad ℥vij. qualibet vice sanguine effuso: Postea autem sanguinem pituitæ commistum expectorabat; Tandem omnia in pejus abiere in fine Septembris, & Novembris 20. rursum continua diarrhœa supervenit, ex resolutione facultatis naturalis in coquendo & retinendo, quæ ad mortem miseri usque perseveravit: *purulenta tunc materia viscida complicata exspuebat:* genæ macilentæ & per se pallidæ perpetuo purpureo rubore suffusæ erant, etiam cum ab igne remotus esset: febris hectica marasmodes universum vitale nectar consumebat: pulsus durus, celer, creber; Decembris 30: durissimus, vermiculans, celerrimus, creberrimus: diarrhœa increscebat & perseveranter inquietabat; adeo ut miser noctu & interdiu vix unquam somno frueretur: facies Hippocr. cadaverosa, genæ lutidæ; ita miserrimus ægrotus omni vitali vigore expoliatus fuit, hecticæ incendio, ulceris pulmonis edacitate & pravitate, nutritium humorem absumente, & qualitate maligna vitali vigori adversa, humores partesque omnes imbuente, accomitante perenni diarrhœa & contumacibus vigiliis, mens semper ad finem constavit: Obiit Januat. 9. 1637.

Postridie cadaver dissectum, miserandum consummatæ ariditatis spectaculum: Pulmo arcte erat adnatus pleuræ undique latere sinistro, & toti pericardio ac mediastino in latere dextro, quatuor superis costis firmiter coaluerat, & quoque omnium reliquarum costarum cartilagineis apophysibus, sed ab osseis earum partibus ibi prorsus erat liber: membrana pulmonis ubique integra, & vasa per ejus parenchyma distributa admodum tenacia erant, plurimis robustis membranulis connexa: ipsum autem parenchyma in toto utroque lobo sive ala lateris sinistri, totum fere erat in pus crassum commutatum, & quantum de parenchymatis carne restabat, id erat induratum, coloris fusci instar carnis infumatæ, cineritii coloris, & ubique ei carni, sicut & vasis, inhærebat crassum viscidumque pus, ita ut quasi guttis lividis pallidisque marmorata videretur: In latere dextro thoracis, lobi utriusque parenchyma valde erat exsiccatum, non tamen valde contractum aut immutatum ob substantiæ soliditatem: at ubi ala supera 4. costis supremis in latere dextro arctissime coaluerat, ut separari non posset, pulmo erat suppuratus sicut in latere dextro: Existebat & in eadem ala, loco mediastino viciniore, vomica conclusa, qua discissa tetrum pus manabat: & ibidem in ala infera, vomica alia priore minor, è qua pus crassum effluxit: Multa aquosa substantia in pericardio & thoracis cavitate fluctuabat: Cor flaccidius erat, ac in ventriculis aliquot nigri sanguinis striæ: Abdominis cavitati plurimus aqueus sanguineus humor innatabat: Hepar magnum usque in latus sinistrum exporrectum, coloris pallidi, exangue; sed in profundo dissectum, ubi majora vasa resident, crassum nigrum sanguinem emittebat: Lien manus magnitudinis, scissus paucum tenuem sanguinem emittebat; Renum parenchyma exangue: Vasa ventriculo & colo intexta valde conspicua, & per omentum excurrentia, cujus sola membranea substantia restabat, ejus pinguedine plane à febre & vi tabifica absumpta. *Otth. Heurnius Observ. 4.*

Tussi à viscida pituita irritamento) Sputi ac Tussis quodammodo catarrhalis causa perraro solitaria existit, quia dum sanguis tracheam irrigans, fluorem passus, serositates suas glandulis (unde mox in cavitates ejus exudent,) ingerit, insimul & reliqua massa sanguinea pariter fusa, serum intra arterias pneumonicas secretum, partim in sinus tracheales, partimque in lymphæ ductus insinuat, cujus diluvio pulmones quasi inundati, & valde irritati, in tussim & expuitionem fere continuam cientur: Cujusmodi tussis & expuitio dummodo moderate habent, & tantum sanguinis serositates superfluas excernunt, sæpe in commodum potius quam nocumentum cedunt: quoniam massa sanguinea, ipsisque pulmonibus hoc ritu expurgatis, symptomata ista ut plurimum cessant, & valetudo integrior exinde sequitur; Sin vero affectibus istis diu protractis, serosus humor utrobique in ductus tracheales depositus, & in dies uberius aggestus, tandem versus putredinem alterari incipiet, propterea tum libera aëris reciprocatio præpeditur, tum sanguinis & motus & crasis pervertuntur, hinc tussis immanior, & respiratio

piratio fit difficilior: quinimo tota massa sanguinea, quatenus à rabo (quod venæ à pulmonibus excipiunt) polluitur, ab indole sua benigna paulatim decisens & depravatus, non modo serum superfluum, sed & succum nutritium (quem assimilare nequit) ex arteriis pneumonicis in ductus tracheales continue profundit, adeoque materiæ rabificæ moles in dies augetur, donec pulmonibus magis usque & magis oppletis & obstructis, atque sanguine plus inquinato, & ad quæcunque munia sua præstanda inhabili facto, tussis & sputum ingravescunt, & cito mali moris evadunt: insuper respiratio impedita, totius corporis languor & emarcentia, functionum omnium debilitas, & demum febris hectica, & festina ad mortem declinatio succedunt *Willis*.

Observatio XXIII.

Pulmones in Phthisico pene consumpti, assiduo usu nasturtii aquatici restituti.

HOc à Viro fide dignissimo acceptum habeo, ab aliis confirmatum; Ante plures annos rusticus, pus & sanguinem exspuens, omnino tabidus, Chirurgum Bruxellensem consilii gratia adit: hic conspecto homine desperatæ salutis & tenuissimæ fortunæ, fine consolatione & ope non dimissurus, nescio quo instinctu suadet usum nasturtii aquatici; Discedit rusticus, qui mandato parens plantam illam coctam, crudam comedit; paucis, obsonii vicem semper tenuit: hinc tussis ac expuitio purulenta desinit, corpusque habitius evadit: Anno revertente Chirurgum sospes gratiarum actionis causa adit, qui ab ignoto quid a se velit quærit. Rusticus præteritorum memoriam refricat, mandato se sedulo paruisse ait, anum in usu nasturtii ulterius pergendum sit, inquirit. In stuporem actus Chirurgus, ædes intrare rusticum jubet, ac in secretiora deducit, vestesque exuere persuadet, exploraturus num habitus corporis vultui responderet. Paret rusticus, cujus pectus acuto gladiolo, (stiletum vocant) perfodit: Exanimis thoracem aperit, naturæ miraculum contemplaturus: Reperit ille veteris pulmonis reliquias paucissimas & quasi vestigia; quæ deficiebant (per anacatharsin expulsa) restaurata & reparata, ac novum parenchyma regenitum: Moræ pertæsa uxor, præ foribus (inscio Chirurgo) maritum præstolans, pulsat, illum requirens: Negat Chirurgus quenquam admissum: facinus aliquod illa suspicata adit Judicem, qui explorari jubet ædes, in quibus cadaver repertum: Chirurgus tamen criminis remissionem obtinet, ob artis præstantiam & utilem finem sibi propositum, &c. *De Nasturtio aquat. vide supra observationem* 8.

VSu *Nasturtii* (Etsi plurimis dubia possit esse fides historiæ, vel eo nomine quod morbus remediis fere insuperabilis nasturtii solius esui cesserit, si tamen ejus nasturtii vires, & morbi causa ad examen revocentur eventus omnino verisimilitudine non carent: Phthisis tum Pulmonaris, tum ab aliis causis inducta, ortum sæpe ducit à Lympha crassiore reddita, infarciente tum Pulmonum vesiculas, tum glandulas in mesenterio sitas, quamobrem illis oppletis pulmones, officio male funguntur, corruptio illos invadit, à lymphæ scil. putredine: His scil. glandulis, obstructis à crassiore lympha, chylus non permear venas lacteas, hinc destitutæ alimento partes tabescunt. At vero inter plantas quæ lympham crassescentem & concoctam solvere &c. liquefacere valent, non infimas, tenet partes Nasturtium sale multo volatili pollens, qui diuturno usu Tabem, ab ejusmodi causa indicatam superare valuit.

Observatio XXIV.

Phthisis à Pulmonibus lutulento humore scatentibus, unde insignis eorum gravitas.

PHthisis hæreditariæ insigne exemplum præbet Illustr. Chabotiorum familia, in valle Equestrium, Bernensium ditione: Generosissimus Dom. de Chabotes, prægresso diuturno languore, febre lenta, tussi, pectoris oppressione, obiit 27. Martii anni 1647. Exenterato cadavere, viscera imi ventris non multum à naturali statu aberant, quanquam ob morbum protractum aliquanto sicciora & contracta: Pulmones autem admodum vitiati erant, insignis molis & ponderis, qui stateræ impositi octoginta unciarum pondus superarunt; humore lutulento, candicante cum aliquali flavedine, citra ullam exulcerationis notam, undique referti. *Ex communicatione Generosissimi Dom. de l'Isle defuncti Filii, qui & ipse Tabidus anno 1675. interiit.*

Observatio XXV.

Phthisis à Pulmone interius omnino purulento.

ANno 1597. fœminæ pectus aperui cui totus Pulmo intus purulentus erat, ita ut quacunque cum tangeres parte, seu novacula pungeres, pus album erumperet: Hæc lenta macie ac atrophia consumpta, sceleton plane referebat: Referebant malum illud familiæ hæreditarium, ex quo fratres etiam obierunt. *Petrus Pavvius observ. Anatom.* 25.

OBSERVATIO XXVI.

Anatome Phthisici infantis, cujus sinister pulmo in pus resolutus est, unde thorax eodem latere pure refertus: Cum insigni abscessu supernæ illius regioni affixo.

AVi externa Tabem induci, etiam in corporibus ad eam minime vergentibus, luculento hoc exemplo ostenditur: Decimestris puellus, robustissimus, optime conformatus, filius Nobilis D. Henrici Favarger Neocomensis, fidei nutricis committitur cum tota familia plaustro imposita, in villam paternam deferendus: quia aspera erat via scopulis obsita, metus fuit ne conquassaretur puellus, quamobrem equo hunc cum nutrice convehi visum est, illa vero equitationis pertæsa, plaustro quoque cum alumno se imponit. Eadem die querulus evadit infans, spiritum vix trahit, cum febricula tussit ac ad tabem deducitur: Quod vero mirum, per tres circiter ante obitum hebdomadas, manifesta cordis pulsatio in dextro latere percipiebatur: Aderat tunc temporis Medicus Vezontinus *d'Auxiron*, quem puellum invisere rogo, abscessum in thorace gerentem adeo insignem, ut cor propria dimotum sede in adversam propulerit: (Hæc enim fuit mea conjectura, allisione lateris ad plaustrum omnem morbi historiam, quæ decimestris fuit, deberi): Ridet ille, pulsum esse afferens arteriæ alicujus: Sed domum procedentibus occurrit famulus, puelli mortis nuntius, Ex parentum arbitrio cadaver dissectioni esse destinatum, solamque meam præsentiam desiderari; omnia esse parata.

Aperto ergo thorace, è sinistro latere fœtidissimi puris & viridis, insignis profluxit copia: Pulmonis sinistri vix reliquiæ aut vestigia, imo ne membranæ ejusgenris: Mediam pectoris sinistri partem occupabat ingens abscessus, superiori ejus parti annexus, qui præ magnitudine mediastinum, pericardium ipsumque proinde cor in adversam partem compulerat, quod me prior animadvertit dictus Medicus: Abscessus tunica densissima, crassissima, durissima, adeo ut novaculæ dissecantis Chirurgi acies retusa fuerit: Reliqua thoracis & abdominis naturaliter se habebant, si Intestina flatu distenta excipias, ob exhibita me inscio à matre frequentia cathartica.

COrdis Pulsatio in dextro latere.) Situm est Cor, quoad basin, exacte in medio, motus tamen magis in sinistro latere persentitur, 1°. quia in sinistro ejus ventriculo spiritus viralis continetur, & à sinistris est arteria magna: 2°. quia mucro sinistram spectat, ut diaphragmati cedat; ad dextram vero declinare non potuit ob venam cavam, ibi per medium thoracem ascendentem: Post diaphragmatis vulnus, ventriculum rotum ascendisse in sinistrum thoracis latus, refert *Sennertus* pract. l. 2. parte 2. cap. 15. Et cor cum capsula depulsum in dextrum latus, ubi vivus post acceptum vulnus jubebat observare pulsum cordis.

OBSERVATIO XXVII.

Phthisis ab abscessibus in utroque lobo Pulmonis parte superiore genitis, Sinus ingentes relinquentibus.

RUfotum morbos pravæ esse indolis notat *Ballonius* libro 2. Epidem. & Ephem. atque cautum esse medicum jubet in eorum curatione: Revera quidam eo capillitio donati humores gignunt virus quoddam redolentes, quos cum putredo aggreditur, veneni naturam ii resipiunt, adeo ut commorsi à rufis ira percitis, eadem patiantur symptomata quæ toxico infecti: Saltem in eorum moribus aliquid singulare reperitur quod cautelam requirit, hinc natura hoc veluti signo eos insignire voluit, quasi, Noli me tangere: Hircinus odor à quibusdam emissus virulentiæ humorum index est: Meæ curæ commisit filium suum sexennem Dom. Gras mercator Genevensis, eo capillitio insignem, vividi ingenii puerum, cui ab incunabulis volæ manuum & plantæ pedum æstu perpetuo cum squallore pruriebant: Phthisicum habitum gerebat, non secus ac mater, quæ qua nocte puellus obiit, gravi hæmoptysi laboravit, quam sanguine illico emisso liberavi: Sui juris erat infans, diæta qualem optabat, semper usus; Si parentes probam urgerent in spasmos agebatur: Sexto ætatis anno hecticæ indicia se produnt, cui se putrida, horis vespertinis exsurgens, & ad matutinas se porrigens, adjunxit: Quæ indoles fuit puelli ad alimenta, eadem & ad medicamenta, ad quæ male se habebat, solida solum appetens, panem domesticum & fructus; unde facilius tabem contraxit, vel maxime quod lac, ratione putridæ, concoquere non posset, prompte enim in nidorem abibat: Balneum, imo ne semicupium, ne pedum quidem lavacrum unquam admittere potuit: Bimestri ante obitum purulenta manifeste expuere cœpit, tum parens auscultare mihi cœpit, accedere malum in pulmonibus hospirari: Hectica, quæ aliarum more, mitis esse debuit, temperiei ratione ardentem æmulabatur, contrectati enim attus, etiam extra putridæ invasionem, titionis instar candentis manus urebant: Quinde-

cim

cim ante obitum diebus *singulares* effudit *urinas*, *quarum superficiem* obducebat cremor colore variegatus, Iridis multiplices colores referens, ac paucis post diebus, prægressa per aliquot horas insigni jectigatione, pus merum & copiosum affatim, quasi per vomitum effudit, quod bonis ægri rebus factum credidit parens; revera facilior fuit respiratio: Interrogatus respondi abscessum, quem latere jampridem prædixeram, disruptum esse, superstes esse ulcus, sui natura incurabile & ob infantis morositatem; Tandem marasmo torrido consumptus, pedibus tamen œdemate tumidis, 27. Julii anni 1677. interiit.

Concessa secandi venia, imus venter sat bene constitutus apparuit: Jecur pro ætate magnum, cystis fellea omnino inanis: Ren sinister insignis molis, sed extraordinariæ figuræ, quatuor enim constabat lobis, quorum qui superior cæteris extabat: Dexter totidem constabat, sed leviter scirrhosus parte convexa: Apertus thorax mali mineram detexit: Putres enim erant omnino Pulmones, costis & dorso annexi: Uterque lobus, parte superna, ulcus immane ostentabat, pugnum utrinque admittens: Cavitas cruore, sanie & pure grandinoso, tophi æmulo referta erat: Aqua plurima limpida pericardium implebat, Cor magnum sed flaccidum; cujus sinus atertimo, crasso & multo sanguine referti erant. Sectio à perito Chirurgo M. *Mauris*, facta est.

Puelli mater Martio sequente Phthisica obiit, lethum accelerante partu qui in procinctu erat: In malum incidit, tum ob συγγενικὸν φθινῶδες, tum ob contagium à puello, quem in ulnis perpetuo habebat, semper accubuum.

V*Rinas quarum superficiem &c.*) Colliquationem solidarum partium indicare voluñt plerique crustam illam summæ urinæ innatantem: De generatione ejusmodi cremoris sic statuit Eruditissimus *Willis*: Interdum urinis, cum aliquandiu steterint, cremor quidam supernatat, veluti cum Tartarus aquæ incoquitur: hujusmodi crusta albicans, in superficie lotii concrescens, vulgo pinguis & adiposa creditur, ac pro solidarum partium colliquamento habetur: quare talem urinam excernere soliti statim tabidi & quasi deplorati pronuntiantur: Verum tamen ista concretio tantum salina est, quæ si igni admoveatur, minime liquatur, sed in substantiam crustaceam indurescit: Quinimo & hoc, & reliquarum urinarum incrustamenta, sunt veluti Tartarus coagulatione quadam in iis productus: talis autem concretio omnino dependet à particulis salis fluidi, sive acetosi, cum aliis salis fixi, aut alkalisati combinatis: etenim in quovis subjecto, ubi salium utriusque generis commistio, seu sponte Naturæ, seu ἐγχειρήσει artificiali procuratur, crystallisationes & coagulationes diversimodæ excitantur, quare lotium ejusmodi, cui cremor iste innatat, aut crystalli in lateribus vasis concrescunt, indicat sanguinem à natura dulci & balsamica (qualis à sale volatilisato dependet) in acidam & corrosivam & principii salini fluorem & fixitatem desciscere: Affectus in quibus reperiri solet (uti sæpius observavi) sunt sputum sanguineum, atrophia & dispositio hypochondriaca.

Observatio XXVIII.

Phthisis à Suppuratione Pulmonis post peripneumoniam Pleuritidem sequutam.

JOh. de Neef annorum ætatis 35. cœlebs, admodum teneræ nativæ constitutionis, gracilis ac glabræ cutis superficiei, temperamento sanguineo in bilem proclivi, anno 1636. in Maio pleuritis in latere sinistro apprehendit. Venæ sectio, dum vigeret occasio, neglecta fuit, ideoque humor ferociens ex pleura in pulmonem metastasin fecerat, in eo peripneumoniam faciens, ad quam in hoc corpore magna erat opportunitas, ob arctum utriusque partis connexum: Causam tanti mali judicamus fuisse pestilentem malignam qualitatem, quæ in illis ædibus locisque vicinis adhuc nidulabatur: unde humores furiata violentia inflammati his partibus impacti erant, quippe pestilentem aculeum cum haberent, pro indole ejus veneni cor impetebant, cujus robore repulsi in locis proximis imbecillioribus consederunt, ibi violentam peripneumoniam, cum larga sanguinis expectoratione efficientes. Tandem transiit morbus in Pulmonis empyema, & postea in miserabilem expurationem, nam ipsam pulmonis substantiam exspuebat. Ingenti hoc tabifico pulmonis morbo, comitante symptomatica hectica marasmode febri, & ante mortem bimestri spatio, perennibus vigiliis, ac perseverante diarrhœa, omnes vires expolientibus, tandem Dec. 20. ejusdem anni placide exspiravit, nullo eorum qui in eodem conclavi aderant, mortis ejus agonem animadvertente: Mens perpetuo usque ad fatalem horam constabat. Erat totum corpus aridum & exuctum, musculi plane exhausti & arefacti.

Dissecto cadavere, in pectoris latere sinistro deprehendimus pleuram inviolatam, pulmonem autem undique firmiter adnatum pleuræ costisque ac pericardio: Membrana pulmonem ibi vestiens integra erat, qua dissecta, magna cavitas & cloaca se ostentabat, nam in singulis illis sinistris pulmonis alis, sive lobis, una continua empyematis vomica existebat: parenchyma totum erat eliquatum, in pus crassum, album marcidum, cujus majorem partem æger tussi acerba ejecerat, nam noctu & interdiu irrequiebili ea vexatione exagitabatur: Sola va-

sorum majorum & membranularum ea connectentium, arida & exanguis substantia supererat, quæ ad similitudinem rarioris retis & texturæ conformata spectabatur, quibus inviscata hærebat crassa ea purulenta materia, tenaci pituitæ commixta, sicuti in lacubus videmus interdum algam retibus piscatoriis hærere: In latere dextro thoracis, uterque pulmonis lobus plane liber natabat, nullis membranularum retinaculis ulli parti annexus, foris integer & naturalis constitutionis, sed cum eum attrectaremus, ut exploraremus an non alicubi vomica aliqua delitesceret, duritiem in profunditate lobi ejus superi animadverrimus: ideo facta sectione, deprehendimus in parenchymatis meditullio vomicam conclusam, eamque non exiguam, qua dissecta multa purulenta materia profluebat: Ab ingenti hac pulmonis corruptela, spiritibus vitalibus & toto sanguine depravatis, indeque partium totius corporis labefactato temperamento, earum vitali vigore consumpto, ipsarumque substantia colliquata; & tum inde, tum ex defectu naturalis facultatis in alibili succo coquendo & retinendo, perenni alvi fluore comitante, adeo omnia viscera exaruerant, ut dissecto hepate, liene, renibus, nulla sanguinis gutta deprehenderetur: Dura ab ariditate erant omnia, sed hepar præcipue, quod valde erat magnum & æquabilis siccæ constitutionis, sine ulla scirrhi saxea duritie: Pericardii substantia & color, sicuti & membranarum mediastini, naturalis constitutionis erant, sed nulla prorsus pinguedine vestita: Dissecto pericardio, copiosior aqua sublutea spectabatur quam naturaliter consuevit. Cor per transversum dissectum nullum prorsus sanguinem profudit, nisi postea paucissimum cum instrumentis insertis vasorum procursum scrutaremur, nam tunc ex aorta & cava parum sanguinis in cor defluebat: substantia autem cordis satis bonæ erat constitutionis, vasaque ejus coronaria sanguine distendebantur. Omentum omni pinguedine destituebatur, ita ut tantum nuda esset membrana vasis intertexta, idque etiam auxerat ventriculi & intestinorum coctionis infirmitatem: Ventriculus parvus erat, totoque ejus fundo, seriatim secundum longitudinem, plurimi à portæ vena rami gastrici & gastroepiploici inserti manifesto conspiciebantur, qui per omentum eo prorenduntur & intestino colo quoque implantantur: quippe omentum colon ventriculi fundo annectit, unde earum partium summa est sympathia, tum ob eam connexionem, tum vel præcipue ob eorum vasorum communionem, unde fœcibus in colo restagnantibus ventriculi appetitus & coctio destruuntur. *Ottho Heurnius Observ.* 1.

V*Omicam conclusam*) Empyemati & peripneumoniæ nonnihil affinis est *Pulmonis vomica*, utpote cujus materies morbifica semper pus merum est: quod tamen fine febre aut phlegmone, imo fine tussi immani, aut sputo, tacite ac velut improviso in pulmone generatur, & non raro malum hoc non prius se prodit quam patientem interimit: Galenus hujus meminit 1. de locis aff. Apud authores qui medicinæ systemata & praxes scripserunt, mentio ejus raro aut vix omnino occurrit. *Tulpius* lib. 2. cap. 10. affectum hunc ita describit. *Vitium hoc latet inter initia ita clanculum ut vix ullà sui proferat indicia, præter tussiculam primo siccam, mox humidam: qua aliquandiu continuante, trahitur difficulter spiritus, deficit anima & emarcescit paulatim corpus, licet interim nec pus nec sanguinem præ se ferant sputa: sed si rumpatur nec opinanti vomica, occiditur dictum ac factum homo.* Ita interdum solet contingere, verum novi plures qui ex pulmonis vomica, insensim orta, maturata, & demum rupta, pus copiosum & fœtidum exspuisse: cumque tale sputum per multas hebdomadas, imo menses quotidie excernentes, debiles adeo & velut tabidi evaserint, tandem medicamentorum ope, cum ulcus detergeretur & siccaretur, integre convaluisse: Hic morbus, si ratio formalis & causa ejus conjuncta inquirantur, revera est Abscessus alicubi in pulmone genitus: cujus materies, etsi heterogenea, & naturæ inimica, hand tamen ab initio nimis acris aut irritativa existit: Quippe cum primum hæc à sanguine secreta, alicubi in pulmonis sinu, forsan intra cellulam quandam vesicularem deponitur, nec tussim excitat, nec inducit febrem: postea vero cum sensim aucta, vasa sanguifera vicina comprimit, quin & ipsi sanguini juxta transeunti effluvia incongrua insinuat, proinde febricula, cum inquietudine quadam & marcore succedit, & tandem illa ad plenitudinem aggesta, & diuturna coctione in pus sincerum maturata, cystin, sive nidum suum prius valde distentum rumpens, quaquaversus exundat. Quod si ad puris exitum viæ non patent, sta:im sanguini se immiscet, ipsumque aut venenat, aut à circuitu præpedit, vel in ductus tracheales confertim irruens, simul plurimos eorum implet, adeòque infarcit, ut aëri pro sanguine inspirando aditus sufficiens denegetur, & illico flamma vitalis exspiret: sin vero materies ista exitum inveniens, & paulatim in tracheam influens, inde sursum continenter ferri & exspui possit, propterea vitæ induciæ, & therapeiæ opportunitas & spes conceduntur. Vomicæ Pulmonaris materies proxima merum pus est, quod sæpissime insigniter fœtet, eoque differt à sputo quod in peripneumonia aut phthisi ejicitur: Undenam vero materies ista ab initio provenit, & cujusmodi indolis, antequam in pus maturetur, fuit, determinare non licet: quoniam morbi hujus semina secreto jacta, & clanculum adulta, originem prorsus occultam ducunt: quapropter causæ ejus procatarcticæ sive remotiores latent: quinimo dum incipit & accrescit, neque per signa ulla pathognomonica dignosci, neque prognosis institui potest, antequam ictu ferali se prodit, sed tota ejus res in insidiis est. *VVillis pharmac. rat. p. 2. sect. 1. cap. 10.*

OBSER-

Observatio XXIX.

Phthisis à vomica totius Pulmonis.

Pulmonem exulcerari novum non est, inquit Fernelius, sed totam ejus substantiam in pus converti, & nihil aliud quam pus esse, & sola membrana Pulmonem succingente contineri, ut in cavitatem, ea minime rupta defluxerit, id rarum esse existimo: Idem tamen mihi, præter exemplum à Foresto propositum, in Nobil. Juvene D. Joh. Bampfield. xxij. annos egresso, procera statura, gracili corporis habitu, temperamento sanguineo, Nobil. matre Phthisi jugulatæ, sato: Hic ex erroribus in victu commissis, inprimis vero violentis exercitiis, & nocturnis comessationibus, à gravi *catarrho neglectim habito*, incidit in violentam & diuturnam tussim, noctu maxime affligentem, cum *sputo rotundo*, postea etiam virulento, ex albo virescente, subsequente sanguinis sputo copioso, cum anorexia, & febri continua lenta, putrida, circa vesperam excandescente, accedente totius corporis extenuatione, atque carnium omnium. In hoc curando varie pugnavi, sed frustra scil. ægri quibus desperata salus est, ut Galenus ait, nullum neque auxilium neque tempus est opportunum: Siquidem extremis & pedibus calore languescente tumentibus, superveniente etiam diarrhœa, miser hic juvenis morte præmatura, magnum sui desiderium reliquit.

Aperto post mortem corpore, visi sunt Pulmones, non tantum cum membrana, costas succingente, sed & ipsi pericardio undique adnati, & toti suppurati, manente intra tunicam ipsius Pulmonis pure, ad ipsam usque mortis horam. Qua pellicula perrupta, magna copia puris effluere incipiebat, adeo quidem olidi & fœtentis, ut vix in conclavi, in quo sectio instituta, utut suffitibus factis, permanere potuerimus, De cætero nihil notatu dignum invenimus. *Frid. Lossius lib. ii. Observ. xi.*

Catarrho neglectim habito] Ab humore salso vel alioquin acri à cerebro defluente, pulmonésque erodente vel exedente eos exulcerari, eámque potissimam phthisis causam esse plerique censent, quod tamen tam facile vix fieri posse hoc comprobare videtur quod innumeri, quibus ejusmodi defluxiones multis temporibus molestæ sunt, tussimque concitant, tamen minime fiant phthisici, juvenésque frequentius quam senes, quibus defluxiones magis consuetæ sunt, in hoc malum incurrant. A defluxionibus tamen, tum quia tussim promovent, hæque aliquando venæ rupturam pariunt, tum quia multoties pulmonum interiora irritando, eos successu temporis lædere potest, phthisin interdum suboriri posse existimat *Platerus prax. lib. 3. cap. de consumptione: Bennettus Theatri tabidorum p.m.79.* multos marcore fere confectos vidisse se ait, quorum sanguinis universi systema sale scaturiit, quique fluxione periodica mitiori, sputum muria conditum per biennium aut triennium effudere per extremos arteriæ pulmonicæ, venosæ dictæ, surculos, quibus tamen pulmonis erosio non accessit; Et inter eos Londinensem mercatorem in sceleron propemodum mutatum, cui liquor salinus tandem à pulmone refluus tam efferus, ut chirones volis manuum turpissimos, ulceraque exedentia pedibus & talis inusserit, salva adhuc nativa pulmonum integritate.

Observatio XXX.

Phthisis à Pulmonis duritie, plurimis parvis steatomatis consiti, Tuberculis pure scatentibus, Ulcere in sinistro lobo, Vomicis plurimis, &c.

Anno 1663. d. 7. Junii. *Joh. van Horne* secuit cadaver masculum Phthisi defunctum in Nosodochio Academico Lugdunensi. Pinguedo abdominis prorsus erat consumpta, & nil nisi membrana carnosa apparebat, Omentum magna sui parte erat consumptum, Ejus usum, præter communem & vulgarem, esse putabat, quod sit suspensorium sive mesenterium coli, quod sua gravitate deorsum tenderet, nisi suspenderetur ab omenti tabula inferiore. In cavitate abdominis aqua cruenta copiosa reperiebatur. Plurimæ glandulæ in mesenterio conspiciebantur, aliæ pisi magnitudine, aliæ ad magnitudinem fabarum. Pulmo valide annectebatur pleuræ: Aqua subcruenta copiosa in cavitate thoracis continebatur. Ductus Pancreaticus & Bilarius intervallo duorum transversorum digitorum distabant ab invicem, ubi fiebat insertio in intestinum tenue, quod à multis annis in homine se non vidisse ajebat. Lien erat exiguus, & naturalem habebat figuram instar plantæ pedis, colore erat satis sano, ad hepatis colorem accedente: Hepar quoque moderatum erat nec in magnitudine excedens. Vesicula fellis flaccida erat & bile fere inanita. Capsulæ atrabilariæ egregie apparebant, quia alias pinguedine valde obducuntur: semel tantum in illis reperit humorem nigricantem instar atramenti. In pericardio aqua subcruenta satis copiosa continebatur, cui purulenti quid erat permixtum. Sinister cordis ventriculus valde erat flaccidus, & pauca carne constabat: Membrana pulmonis exterior insignis erat crassitiei & veluti concreta pituita. Pulmonum parenchyma, quod alias flaccidum & spongiosum esse solet, duriusculum erat, & multis quasi gra-

nulis instar steatomatum, quæ aliquid sebacei continebant, refertum: Tuberculis pure scatentibus totus Pulmo obsitus erat, & in sinistro lobo ulcus manifesta cavitate sese prodebat. In dextro etiam lobo *vomica erat* longe majori cavitate, *& minores plurimæ per totum pulmonem*. Passus fuerat aliquando fractutam costæ, quæ per callum iterum coaluerat: Serosus humor subcruentus & subsalsus in ventriculis cerebri continebatur. *Ex observationibus D. Ioh. Henr. Brechtfeld, In Actis Medicis Bartholini anni* 1673. *Observ. xv.*

V*Omica erat insignis & minores plurimæ per totum, &c.*] Pulmonis vomicarum causas & generationem, curandique methodum hanc tradit *P. I. Faber* Univers. sapient. lib. 3. cap. 3. Vomica est Pulmonis abscessus, seu Tumor parvulus & exiguus, ab excrementis virulentis & malignis ipsius Pulmonis ortum ducens, quæ ad partem aliquam pulmonis detruduntur & separantur, ibique, ne cordi & vitæ spiritui noceant, membranula tenui obducuntur, sub cujus tegumento putrescunt & virulentiam adeo magnam & malignam qualitatem acquirunt, ut tandem rumpatur membranula, virulentum illud pus & malignum per totum pectoris spatium diffundatur, & cor petat & inficiat, vitámque suam & calorem insitum obtuat & extinguat, unde sequitur repentina mors: (*Signa ex Fernelio desumpta*) Signis apparentibus sic succurrendum est, Purgandum inprimis est corpus nostra purgatione antimoniali: nec existimo tutiori & meliori medicamento posse uti adversus crudelem & tantum hostem quam solo hoc medicamento; quo ter aut quater est utendum per tres aut quatuor dies: summo mane, jejuno ventriculo danda sunt grana 6. aut 8. antimonii nostri præparati cum vino pauco, & post tres horas propinandum est jusculum optimum butyro alteratum ut melius fluat alvus. Purgato deinde corpore utendum est oleo vitrioli vel sulph. cum pauco spir. Terebinth. ad guttulas x. vel xii. unusculusque propinatis & cum syrupo violac. permixtis. Et sic curatur vomica, vel enim evanescit, vel rumpitur sine læsione, quia malignitas majori ex parte purgatione nostra evacuatur, quæ nullo alio medicamento evacuari potest nisi solo antimonio purgativo vel sudorifico, quo sudoribus elicitis, in tuto est æger: Oleum etiam antimonii rubrum mirum est in curatione vomicæ &c.

Præparatio Antimonii P. I. Fabri.

℞. Antimonii & Mercurii sublim. ana. reducantur in Alkool, & imponantur retortæ vitreæ ad destillandum levissimo calore: Gummi seu liquor crassus egressus rectificetur ter aut quater. Deinde permisceatur aqua communis, clara & munda; Pulvis qui præcipitatur in fundo albissimus, lotionibus multis aquæ communis edulcoretur, donec, nullam habeat acrimoniam, sed dulcis penitus & insipidus fit: Hic pulvis erit Carholicum Chymicum summum, quo uti poteris, ad curationem omnium morborum: supra & infra purgat sine ulla læsione, Dosis ad gr. xv. in vino aut jusculo: Pulvis hic alabus si permisceatur æquali quantitati salis petræ, in tigilloque forti ambo comburantur, ter aut quater iterata combustione simili, postquam lotione aquæ communis salis petræ sublata fuerit acrimonia, & iterum edulcoratus pulvis, tunc fiet expurganti sudorificum; cujus dozis ʒi. ex aqua cardui bened.

Multis quasi granulis &c.) De vomicarum generatione ex mente Fernelii supra actum, alium modum affert *Sylvius de le Boë Append. Tr.* 4. §. 50. Aliqui, *ait*, per vomicam intelligunt sanguinem, non in Pulmonum substantiam, sed in membtaneam capsulam sensim effusum, ibidem collectum, & tandem in pus abeuntem: Hoc quidem non ausim negare posse fieri, etsi non meminerim metale quid unquam in sectionibus observare; At vero vidi non semel glandulosa in pulmonibus Tubercula, *minora* vel *majora*, in quibus aliquando pus varium contineri, sectio manifestavit, hæc proinde sensim in pus abeuntia, & membrana sua tenui conclusa pro vomicis habenda, existimo, ab illis, saltem non infrequenter Phthisin ottum habere deprehendi: Quinimo in hisce Tuberculis, si in re ulla alia sensibus externis parente, dispositionem illam ad Phthisin, familiis certis hæreditariam constituere non verebor, solent enim illa Tubercula cum ætate augeri, atque ad suppurationem sensim pergere: Ex his enim similibusque observationibus investigans continentium æque ac contentarum partium usum & noxas, veni tandem in varias suspiciones de Glandulis, secundum naturam minimis, & oculorum aciem tunc fugientibus, nec nisi ubi p. n. aliquanto factæ sunt grandiores, visui se offerentibus, per universa corporis nostri viscera & carnes distributis: Sic observavi glandulas in plexu choroeide nonnisi in statu p. n. notari, tunc ad pisi majusculi magnitudinem nonnunquam ascendentes: 2. Glandulas in variis corporis partibus manifestas, in strumosa vel scrophulosa constitutione, in mesenterio, colli lateribus &c. Quod si tales sint ubique forsan, h. e. in omnibus omnino corporis partibus, & patenchymatibus, sive carnibus Glandulæ conglobatæ exiles, nonne ab illis producetur lympha, quæ in statu præternaturali, ob diætæ errata evadat vel actior vel viscidior, sicque multorum affectuum, dolorum lassitudinum &c. existat causa, quam ignoramus plerumque unde illam deducere oporteat, &c.

Observatio XXXI.

Phthisis à parte sinistra Pulmonis Tabida, incolumi dextra; Puris ingenti copia in thorace.

VXor præsidis Carmelii annos nata xxix. nata Patre pulmonico, qui Tabidus interiit, eo ferè anno extincta est quo & Pater, adeo magna est vis morborum congenitorum. Fuit tempus cum suppressi fuissent menses ob causam manifestam (nam ægre mariti morbum ferebat) ubi cœperunt fluere bella satis habebat; Tandem questa est de linguæ rubore & siccitate, juncta siti insigni. Pulmonum ardor erat & ἐρυσιπελατῶδες aliquid, concepit, peperit; A partu substiterunt lochia, *Febris*, *dolores lateris sinistri*: *circa vesperam febris recrudescebat*, jactabunda, ægre spirans, frequens spiritus: animam actura videbatur; febris mane (ut in morbis fere omnibus accidit, favente quodammodo aurora) remittebatur, *Inæqualitas*

qualitas erat caloris & frigoris: Iste status dies pene xxx. perstitit: nullo juvabatur remedio, licet decies aperta vena fuerit: tandem mors: Non erat gravis spiritus, *Non multum tussiebat, & nihil materiæ sputo excernebatur. Facies ejus fere index erat affectionis* pulmonicæ, nam tota sæpe erat velut subalbida, & iis, quos Hippocr. ἐκφλέβους vocat, latine Excoctos dices similis. Et hæc facies aliquando turgidula est, & familiaris iis qui sunt aut suppurati, aut quibus pituita putri scatent Pulmones. Sed & genarum alias erat rubor fugax, & sæpissimè *ignes sacri in faciem involabant.*

Aperto cadavere omnia sana occurrerunt præter pulmonem; Pars sinistra Pulmonis fere magna sui parte tabuerat & tabo infecta erat, sana reliqua substantia; *Purulenta materia* continebatur illa thoracis parte, æquans sua quantitate tantum quantum duæ pintæ Parisienses complecti possent: Tamen fœtor non erat. *Ballonius consil. iij. lib. iij.*

F*Ebris*) Cùm olim igni sylvatico (qui herpes dicitur) partes faciei occupante laboraret ægra, quæ sequuta est febris, non putris & erysipelatodes dicenda: Ut enim tumores contra naturam differunt, ita & febres, quarum quædam sunt sanguineæ, ut synochi imputres: aliæ biliosæ, in quibus potius alterationi quam vacuationi locus esse debet.

(*Circa vesperam febris recrudescebat*) Hippocr. p. 60. lib. 2. progn. inter Empyematicorum signa ponit febrem non remittentem, quæ interdiu mitior, noctu vehementior est. Id nos in nostra ægra vidimus & in Lucio Equite (uterque enim consimili morbo consumptus est & cum iisdem symptomatis) exacerbationes maxime nocturnas, dyspnœam, merum præsentis suffocationis, denique desperationem: ut in singulis accessionibus nocturnis de exequiis potius cogitarent quàm de exequendis Medicorum præceptis: Et tamen singulo quoque mane, ubi materia defervuerat, & calor remissus erat pene uterque restitutus videbatur: causa autem verisimilis istius perturbationis & exacerbationis nocturnæ esse videtur: In omnibus suppurationibus, (agitur enim de Empyicis) dolores ad noctem incidunt, id quod non tantum audiendum dum pus fit, sed dum pus continetur aliqua parte fovens febrem lentam: Cum autem Empyicis, & propterea hectica febre implicitis partes solidæ ignitæ sint, non mirum si noctu calor increscat (non ob alimentum, ut vult Galenus,) sed ratione ipsius ἐξάψεως, quod tamen non vult Galenus, & quia nox humectat, (ideo calor hecticus calci non dissimilis se prodit) revocatur calor & spiritus intro, sic calor increscit, non solum qualitate, sed & quantitate: Et ita dum revocatur calor ad centrum difflationéque prohibetur ob noctis dominatum, calor iste maleficus est, malignus, squallidus, non ἀτμώδης, nec nanciscitur ἑστίαν, i. e. focum, locum, domicilium aptum & convenient, & calor fixus non accipit fluentem istum calorem febrilem tanquam amicum, & συγκρατοῦντα, moderantem contemperantémque, sic non bene convenit isti calori fluenti cum fixo, licet uterque in ægrum conspiret. Sic cum recurrit calor maleficus, & nanciscitur æque malum & perniciosum, dum augetur calor & dolor, non fiunt accessiones novæ febriles, sed αὐξήσεις caloris & exacerbationes quædam, non ob novi humoris motum, sed ob ignitam naturam solidarum partium seipsa factam ignitiorem; quomodo *Gal.* in aph. 1. lib. 2. docet somnum aliquando obesse, ut cum humores, calor & spiritus revocantur intro, & augentur inflammationes & dolores, ita in Empyicis fieri solet. Quærat autem quis, an pus suos motus habeat nocturnos potius quàm diurnos? nam & in inflammationibus internis paroxysmus est nocturnus, & id non est proprium nec hecticis, nec empyicis, ut nocturnas molestias potius experiantur quàm, qui aliis morbis implicantur? Unde mirari sumus cur antiquitas peculiari quodam privilegio exacerbationem nocturnam puri & purulentis assignaverit, nec enim id novum est, Nam & venerea lue affecti, præsertim ubi solidas partes invasit & conspurcavit, noctè dolent magis, & arthritici, & ὀδονταλγίᾳ, & κεφαλαλγίᾳ, & catarrhosi, denique multo magna pars ægrotantium. Præter dictas rationes sunt & hæ probabiles 1. quia omnes ferme morbi sub tempus noctis ingravescunt, partim quia ob adveniens tempus nocturnum fit admirabilis quidam motus & revocatio intrò, motus quidem plane contrarius motui ipsarum vigiliarum; (Calor enim naturalis verum Solis heliotropium est) 2. Coctio fit noctu, non solum humorum naturalium, sed & contrariorum & febrilium, at dum pus fit febris augetur & dolor. Quæ ratio & analogia de pure in abscessibus, in aliis morbis & febribus audiri potest, maxime autem id apparet in Empyicis: dolent enim partes solidæ, & augetur calor febrilis, qui interdiu in partes omnes expansus erat. Accedat ad eas rationes, quod inter vigilandum animus occupatur, & vigiliarum motus sequitur, & mens ipsa sese noctu recolligens tota in morbi & doloris cogitationem incumbit, admirabilis enim motus est intro inter dormiendum.

Non multum tussiebat & nihil materiæ sputo excernebatur] Cur cum tanta materiæ purulentæ in thoracis capacitate contineretur, non multum tussiebat, & nihil materiæ istius πυώδους excreatione educebatur? *Galenus* part. 60. lib. 2. progn. tres omnino assignat causas ob quas pus in thorace contentum non excernitur, Puris lentorem & crassitudinem, membranæ pulmonem ambientis densitatem, facultatis in ægrotante infirmitatem: Addendum unum puto: pars pulmonis sinistri exesa & corrupta erat, quare illud pus tanta collectum copia non sollicitabat facultatem ad excretionem sui: facultas enim valida erat, membranæ densitas non impediebat, (nulla enim ca in parte erat, ut pote consumpta) pus non erat adeo spissum crassumque. Dicam meas conjecturas, Pulmo non sentit, habet enim corpus ἀναίσθητον, si aliquis sensus inest, ob membranam inest, at hæc tabuerat, ideo non poterat esse sensus instrumentum, ideo vellicatio & punctio non sentiebatur, nisi in membrana costis subtenta & succincta, unde dolor percipiebatur acutus, sed pulmoni non erat reciprocus: pars enim pulmonis effœta, pus in latere sinistro contentum non exigebat, ideo non expectorabatur, nec tussis erat quæ irrita-

menti & calcaris instar esse posset. Alia conjecta, crassior pars istius puris, aut putris pituitæ, obducta erat parietibus & thoracis & pulmonis reliqui, & sic impediebat quominus materia collecta in capacitate thoracis pungeret & irritaret, ut inde Tussis moveretur. Quomodo videmus plerosque cum tussi (quæ est calcaris instar ad repurgandum corpus pulmonis) quantitatem aut puris, aut pituitæ πυώδους, omni majorem fide excrevisse, & postea sani satis vixerunt, & cum tabuissent pene, bonum corporis habitum & εὐσαρκίαν recuperarunt.

Ignes Sacri in faciem involabant) Ex doctrina Hipp. didicimus & maculas, & φύμους, & ignes sacros iis oriri quibus Pulmonum corpus intemperie laborat.

Purulenta materia continebatur] Cur toties dictum est puris, aut Pituitæ putris & πυώδους? Quid illud est pus aut pituita πυωδής? An idem sunt, an longe distinguuntur? Dico ego pituitam putrem recoctam, & præsertim admixto sero putri & bilioso, ut id quod excernitur virulentum quodammodo fit & subviride, idem facere fere quod & pus: Sed in hoc differunt quod pus est malum ut signum & ut causa: ut signum, quoniam abscessum & inflammationem systrophicam præcessisse declarat, unde consumptio partis pulmonis sequuta est: ut causa, quia nisi exeat febrem lentam fovet, rigores inæquales affert, & corrumpit partem, & in qua manet & contagio vicinam. Ista vero pituita putris, & æqualitatem nacta & lævorem, mala est ut causa, quoniam afficit pulmonem ipsum mora, nisi exitum habeat: sic in tussibus cum pituita excernitur, & sputum album & semiputre, & ὅμοιον τοῖς πυώδεσι: hæc materia initio bona erat, pituita enim & proprium erat capitis excrementum, sed per moram, & putredinem quandam & virorem acquisivit, dum cumulata in parte non haberet suam εὐπνοίαν, contra erat quædam κατάπνιξις, ut loquitur Theophrastus, quæ putredinis & gravis odoris est causa: Ac præter moram istam, & κατάπνιξιν, & difflationis carentiam, observari debet quoque esse quosdam, quibus ob proprietatem quandam pituita omnis fere quæ in eorum corporibus gignitur, haber aliquid κακοήθες unde quancumque in partem incurrit, sævitiam suam manifestat, dentes todit & è suis alveolis radicibus erosis disturbat, chæradicos tumores movet: eadem si in pulmones irruit, exulcerat, afficit, denique in putredinem eosdem pulmones resolvit: excreta è Pulmone eadem materia habet aliquid insuave & aspectu horrendum: Vulgus putat esse pus, saltem pene eosdem habet effectus quos & pus ipsum: In ista ægra, tanta materia quæ aperto cadavere inventa est, pus non erat meo judicio, sed pituita πυώδης, quæ speciem abscessus præ se ferebat: Si enim verum pus fuisset, unde tanta copia, cum argumenta apostematis non præcessissent: Sed uno fere anno antequam excessisset, erat illi ingens sitis, lingua sicca, febris nocturna, calor acutus & mordax, inappetentia, facies colore subalbido, (vulgo *de couleur comme de pomme cuite*) nisi quod malæ fugaci quodam rubore suffunderentur, in facie crebro ignes sacri & volatiles, quæ omnia male affectorum Pulmonum signa erant: Sic à longo tempore fovebat illud malum & collectionem malignæ pituitæ, quam si tussi irritante excrevisset, ab eo periculo fuisset asserta, at tussis nou erat: Et ne cui mirum videatur hoc de ista putri pituita commentum, adducendus est *Hipp.* tanquam pro nobis fidejussutus, Fiunt, *inquit lib. 1. de morbis*, suppurati nonnulli si pituita de capite delapsa ad latus agglutinata fuerit & putruerit: tunc enim latus ut plurimum inflammatur, & paritur eadem quæ & ex pleuritide suppuratur: Id quod si alias alicui ægro accomodari potest, huic nostræ ægræ accommodandum est: licet enim suppressa fuissent lochia, & dolor lateris sequutus fuisset, non tamen credo per anadromen sanguinem id tanti mali pepetisse; sed data occasione, & ob partum, & ob suppressum sanguinem, malum quod ante signa aliquot sui dederat, nunc sævit, & sæviendo seipso fit deterius.

Addam hic differentiam puris & purulenti, Græcè τὸ πύον καὶ τὸ πυῶδες. Hipp. lib. de alimento eam distinctionem assignat, πύον τὸ ἐκ σαρκός, πυῶδες τὸ ἐξ αἵματος καὶ ἐξ ἄλλης ὑγρασίης, Ile. pus ex carne; purulentum & puri simile, ex sanguine & alio humido: Ex carne autem pus fieri ait, quod suppuratio non videatur fieri sine erosione partium carnosarum capacitatis in qua pus sit, unde ex carne erosa pus fit: unde in contusione est procuranda suppuratio, quia nulla caro nova generari possit antequam contusa caro in pus vertatur. Et *Celsus* ait Pus exire ex vulnere senescente, quod corruptæ carnis in pus conversionem sequatur novæ carnis generatio. Contra *Hipp.* stare *Galenus* videtur, ex Sanguine pus fieri rarus, quod in phlegmone in abscessum abeunte, sanguis extra vasa effusus in pus vertatur; At *Hipp.* ex carne pus verum ait fieri, materiam vero putiformem ex sanguine & alia quadam humiditate: Et vix in phlegmone suppuratio fit sine carnis erosione, id sinus indicat post puris evacuationem: & sanguis extra vasa fusus & calfactus, humidam & calidam carnem quam attingit, corrumpit, ex qua carne, si natura robusta fuerit, verum pus nascitur, cui non raro admiscetur aliquid πυῶδες, ex humoribus & sanguine extra vasa effusis: Notandum autem est etiam ex *Hippocr.* humores sæpe κακοήθεις esse, ut in pus non vertantur, unde p. 24. sect. 3. 3. Epidem. dicebat, *fluxio non erat puri similis, sed alia putredo*, I.e. non verum pus fiebat, nec ab humoribus, nec liquatis carnibus, nam corrumpebantur ossa, nervique decidebant. Ergo *Hippocr.* distinctio περὶ πύου καὶ πυώδεος, de pure & purulento statui debet. Nos autem distinctionem à duobus fontibus derivari docuimus, A priore quidem, ex sententia *Hippocr.* A posteriore fonte ex parte humorum, nam quidam sunt qui facile suppurant & à natura reguntur: alii non suppurant, sed aut in corruptum quid, aut ichorem, tabum & saniem convertuntur: nam cum sanguis laudabilis ad partem affluit tumorémque facit, suppuratum laudabile procuratur: si humor malignus, gratiam naturæ non admittit; sed ut humor est eterogeneus, ita pus quodam ἑτερογενὲς & ὁμώνυμως dictum gignit, unde variolæ, exanthemata, carbones, ecthymata, herpetes à maligno sunt humore, unde in iis pus verum gigni non potest: qui enim humores toto genere contra naturam sunt, sunt coctionis incapaces, corruptio enim in parte fit. Ut ad ægtam reditus fiat, ista eluvies & copia purulentæ materiei, pus non erat, nec erat consumptio (saltem magna & æqualis copiæ humoris) corporis ipsius pulmonis: nam si pus fuisset verum, & præcessisset ulcus pulmonis, oportuisset præcessisse magnum ulcus, magnamque consumptionem corporis ipsius pulmonis. Ergo à sanguine erat

καὶ ἐξ ἄλλων ὑγρασίας, ut Hippocr. loquitur. Unde videmus ex thorace vulnerato, aut non vulnerato, (idque post cadaveris sectionem) ingentem copiam alias pituitæ purulentæ, alias saniei cruentæ, in conspectum venire; quæ materia propterea non est pus verum; aliquando excernuntur quædam σαρκώδεα; & id fit dum discerpitur & colliquatur caro ipsius Pulmonis.

Inæqualitas caloris & frigoris) Vicissitudinem caloris & frigoris malam esse non dubium est; præsertim in acutis, nam significat hoc extinctionem caloris naturalis, qui ejusmodi cum sit, partibus omnibus blande assitat, & dominium febrilis caloris, qui cum expenditur ad partes, eas calefacit: cum ad centrum revocatur per modum inflammationis, easdem partes deserens, ex eventu refrigerat. In acutis itaque malum hoc, Nec mirum si in acutis tantum meminero, ac si quis velit in omni morbo eam refrigerandi & calfaciendi vicissitudinem perniciosam esse, quod non ita est, nam ex Hippocr. 4 aph. 40. *Ubi in toto corpore mutationes, ut si corpus refrigeretur & modo calfiat, aut caloris mutatio fiat, longitudinem morbi significat.* Aliud enim est ista vicissitudine longitudinem morbi significari, aliud periculum: nam in acutis periculo non vacat; in minoribus morbis longum fore morbum significat, nam & focum multiplicem significat, & materiam ἀπεπτον: Sed dubitatur an malum quoque sit modo calorem acerrimum sentiri, modo temperatum? Solemne est in multis febribus, præsertim phlegmaticis, calorem acrem apparere, & eundem temperatum præsente febre, hoc tamen malum non est, nam aut varietatem tantum materiæ declarat, aut caloris in materia viridi oppressionem, nequeuntis emicare: Nec malum quoque significat in febribus cum catarrho junctis, in quibus sæpe observavimus modo emicationem caloris, modo ejus teporem: Item fieri potest ut calor naturalis modo superet febrilem, & contra fiat, hinc acrimoniæ perceptio, hinc teporis, & tamen hoc vacat periculo, sed his sic satisfiet: Cum de vicissitudine agitur, videndum quod corpus, quis morbus & qualis vicissitudo, an frequens an non. Nam in biliosis corporibus, in quibus calor totus acer est, non est expectanda vicissitudo caloris acris & moderati. Sed si morbus perniciosus est, pro moderati caloris perceptione frigoris sensio percipitur; brevi enim calor blandus, si quis est, extinguitur: Sed in corpore ὑγρῷ quadrato, subfrigido, muliebri, frigidis aut temperatis humoribus scatente, non est quod expectemus extimas partes refrigerari, ut in aliis corporibus biliosis fit, nisi forte diutius ægrotent, tunc enim refrigerium apparet; Itaque quod apparet vicissitudo frigoris in biliosis & extenuatis, idem esse potest moderati tepidique caloris sensio: A materia enim vapor effertur, qui cum putris fit, sensum acrimoniæ affert: cum calidus, caloris sensum: quod autem absolute & per se frigus non appareat, id facit continuitas febris: At continua est, dices, in biliosis? Verum, sed duo consideranda sunt: Unum quod in biliosis incendium internum facile revocat calorem diffusum ad suum centrum: Item, non sunt humores moderati in quibus fovetur perpetuo febris. Sic videmus quadratos semper calere hyeme, nec multum calere æstate: Siccos macilentosque hyeme algere in extimis, æstate ardere, algent autem in his extima, quoniam caro multa non est quæ sit pro velamine & præsidio adversus frigus ambientis: In iis qui pituitosi sunt & funesto morbo corripiuntur, sensio frigoris non apparet, sed tepor quidam, ut modo incalescant, brevi tepescant, quod satis malum est signum, in iis, præsertim si vicissitudo ista sit frequens, inanem conatum naturæ declarat, putris materiæ copiam, a qua modo effertur vapor, modo non effertur, idemque contingit quod in fimo putrente, nam dum teter malignusque vapor effertur, sensio fit acrimoniæ, cum non effertur, febrilis calor tantum restat, qui partes calidas reddit: Ergo dictum est de corporum varietate & de vicissitudine, Nunc de morbo: Cum acutissima & maligna est febris in corpore calido sicco, brevi perfrigerationem extimarum partium affert: cum autem maligna est febris, id partium imbecillitate summa posita & humorum pravitate, nec acuta ita est, acutiei vim habens in calore, sed toto genere maligna, minitans aut parotides, aut abscessum alium morbo imparem, aut pustulas, (quod contingit 8°. die Sileno & tamen 11°. interiit) non ita partes extimæ algent, præsertim si corpus carnosum sit (quod impressio caloris a sanguine & spiritu facile in carne remaneat) sed febris perseverans, teporis & acrimoniæ sensum exhibens, tandem cum calido sudore corpus tollit: Ita enim videmus quosdam interire cum perfrigeratione partium & sudore frigido, (ut contingit siccis & extenuatis) alios, cum toto febris tempore non sudaverint, aut leviter tantum, sine ulla perfrigeratione, cum universali sudore, multo, calido, occidere; Atque ita minime opinantibus nobis multi moriuntur: quoniam non vident ullam partium perfrigerationem, quam in aliis quondam observaverunt, Nos autem observavimus istam partium perfrictionem in morituris, cum corpus siccum calidumque est, calore igneo & acri: Item in iis observatum est quibus in partibus internis conceptum est incendium, nam & cum sudore frigidissimo moriuntur, & cum summa partium refrictione. *Idem conf. 45. lib. 1.*

Facies ejus turgidula] Phthisicorum alii summe extenuantur, quibus scilicet partium solidarum alimentum corrumpitur; aliis tument aut pedes, aut facies, aliquando totus habitus: Ab eadem corruptione id fit, sed diversa ratione. Nobili viro tabido & phthisica stirpe ortundo; paucis antequam moreretur diebus, totus fere habitus intumuit ac si hyposarcidio laboraret, sed quod mirum fuit, tumor erat fugax, unde hoc loco sanguinis Hepar tabescens halitus m[...] lignos generabat. *Idem lib. 1. Epid. pag. 15.* An causa potius referenda in halitus e jecore elevatos? annotat enim in historia, faciem subalbidam & turgidulam familiarem esse iis qui sunt aut suppurati, aut quibus pituita putri scatent pulmones. Sic in iis quibus impense calent, malatum rubor apparet.

Dolor lateris sinistri) multis Pulmonicis levi de causa dolores lateris excitantur pleuritidem mentientes, An his ad sedationem doloris frequens V. S.? minime, cum tantum aut flatus sit, aut febris exigua, sic sectio non confert; nam si cum dolor oritur secueris, lædes plurimum, nam latera tandem debilitabitur, & hoc nocet: Si inflammationis sit suspicio, id quidem agendum, & protinus ad anodyna confugiendum. *Idem lib. 1. Ephem. pag. 18.*

OBSERVATIO XXXII.

Phthisis à pulmonibus scirrhosis, ulcerosis, &c.

A Mulletus 24. ann. cum 1666. mense Decembr. cursu fatigatus & calefactus fuisset, cerevisiam absynthio medicatam bibit homo biliosissimus; diebus sequentibus strenue potui litans, sensit dolorem thoracis circa sterni dextram partem, qui ad caput extendebatur, cum tussi & exeretione materiæ flavæ, purulentæ & respiratione difficili: Vi morbi vere anni sequentis obiit, irritis medicamentis.

Inveni, dissecto sterno, Pulmonem dextrum totum scirrhosum fistulosisque ulceribus scatentem, adnatum pleuræ, diaphragmati, & mediante hoc, hepati. Sinister quidem aliquanto erat integrior & spongiosior, nihilominus communicata & cum ipso erat ulcerosa colluvies (fœtor vero omnis aberat) & adnatus quoque erat hic lobus Pleuræ: cor erat flacidum, & venæ ejus exteriores turgebant sanguine: Aqua in pericardio flavescens & pauca: sanguis in utroque ventriculo nigerrimus. Hepar totum adnatum diaphragmati, ex pallore flavo rubescens, nigris interstinctum maculis, ex parte etiam adnexum costis. Lien pariter adnatus, colore quidem probo, magnitudine eximia in rotundum declinante: Vesicula fellis parva, quod, qui hominem noveramus, mirabamur: Ventriculus & intestina integriorem constitutionem præ se ferebant: Totum denique corpus exsuccum, exangue, aridum, σκελετώδες. *D. G. VVolf. VVedel. in miscell. curiosis anni* 1671. *Observ.* 233.

OBSERVATIO XXXIII.

Phthisici Pulmo inteneratus repertus est, visceribus naturalibus illæsis.

CUm apud Bristollienses Medicinam facerem, *qua urbe* pensili *Tabes frequenter grassatur*, nonnullos spurum subdulce levi conatu expectorantes, spatio trimestri tabescentes & totaliter enervatos vidi. Horum vero quosdam, non omnes, tussis vehementior aliquoties corripuerat: ex profuso tamen vitali nectare deflorescentes & arescentes strigosi periere.

In quorum unico, detectionis causa dissecto cadavere, licet sanguinem aliquoties, peracto salino ptyalismo, extussierat, & Pulmo ubique inteneratus tonum amiserat, universa spirabilia, necnon viscera omnia naturalia, quoad sensum sana comperta sunt: *Bennettus Theatri Tabidorum Exercit.* 23.

NE à quovis inter mirabilia dignum censeatur, qui ineptitudinem sanguinis nimis attenuati ad nutricationem animadvertit, aut sanguinem totius, nimis à calore intenso liquarum & subtilizatum, per lævium arteriarum oscula, æque ac per narium exiliora vascula in earum hæmorrhagia ad λειποψυχίαν exinanitum conspexerit: Deficiente quippe sero condiente & contemperante, glutinosiorέque ac magis roscido succo moderate calido, dulcedinem ac unionem conciliante, ut tota naturæ œconomia corruat necesse est. Sputum hoc subdulce in omnibus quos vidisse memini, ptyalismo diuturniori, & ut plurimum salino, præcedenti, fuit consectarium. Idem sputum igni admotum, sicut succus omnis nutritius, in gelatinæ albicantis consistentiam percoquitur.

Subdulce Sputum, &c.) Sputorum omnium materia pro continentis, ex quo scaturit, varietate, diversificatur, larvisque diversis induta emergit: Nec solum sanguinis serum, ejus magis fusile ejectamentum, cum redundaverit, aut divortium fecerit, in pulmonum capacitates translatum perfluit, sed rorida aliquoties substantia, adhæsioni & nutricationi partium designata in os effertur: Sanguis tamen prius aquoso suo contemperante defraudatur, unde incalescit, cujus caloris excessus glutinosam ejus substantiam aliquando in pulmones, aquarum inundantium irrigatione laxatos & nimis inteneratos deponit: illisque duntaxat accidisse credidi quibus spes salutis in angusto sita fuerat: Natura enim avide hunc succum amplectitur, donec perfecte soluta ejus compage vis allectrix & assimilatrix prorsus deperierint. *Idem ibidem.*

Sputum) Sputi Tabidorum naturam & differentias persequitur Idem ab Exercit. 16. ad 24. Sputi naturam, *ait Exercit.* 15. à quo pectoralia suam contraxere perniciem, ejusque motum venari consultum est: Quod nihil aliud est nisi liquoris particula à sanguinis massa, per vascula præsertim arteriaca pectoralia, in pulmonis capacitatem per suffusionem translata, per motu pulmonum contractivo, Tussi dicto, in tracheam, screatu tandem, amborum vel cujusvis adminiculo in os, ejectionis ergo deducta est: Sanguis itaque se habet pro ratione nutrimenti, sputum vero pro ratione sanguinis. *Sputum album spumans Exercit.* 18. aquositatis magis fluxilis, in pulmonum aut faucium capacitates exudatæ & ibidem agitatæ productum judicat: Quod vero à capite per cerebri infrigidationem inspissatur, nisi in faucibus elaboratum diuque retentum, minus candidum, magisque mucaginosum, nec in bulliculas abire, unde raro aut nunquam læditur pulmo: Si tamen spumescat, partium motum, æstum, & aëris insufflationem contulisse retur: Si sincerum prodierit hujusce generis sputum, internæ solummodo sudatiunculæ effectum videri, spirituum aut partium motu frequentiori concitatum. Idem, inter exercitia multiplicari spurum spumans, in illis præsertim qui ad corporis peripheriam nihil aut parum propellunt, observat.

servat. *De sputo Subalbido pellucido densabili. Vide Exerc.* 19.

Luteorum Sputorum materiam à latice forsan bilescente *Exerc.* 20. deducit; sed sanguine ante secretionem vita delibatum ut sapore saltem eminentiori spoliata sit: Bile enim, seu particulis amariusculis omnis sanguis perfunditur, quæ pro condimento ei assignantur: quod vero saporem amittant, causam reddit, quod non solùm massâ sanguineâ universim perfusæ fuerint, sed per partium parenchymata & membranarum poros percolentur: per hos enim meatus angustissimos non transit illa substantia in qua amator habitaverat: *Sputa subcærulea, ferruginea & subnigra, Exercit.* 21. Non ab illis quæ spiritu narium orisve attrahuntur, ortum ducere ait, sed ab allatis, & aliquoties à proprio visceris aut vasis succo inquilino, à liene forsan tanquam in peculiari ergasterio primario profecta & fabricata, quorum quæ in sanguinem recepta circulationis beneficio extrusionem subeant: Sputi ejusmodi à liene manantis historiam affert, Mulier *ait*, cum impluente catarrho, cujus lien tetris vaporibus ita sufficit cerebrum, ut inde quavis aurora destillaverit sputi ferruginei copia, faucium æstu ad eam consistentiam cocti, ut telarum aranearum speciem adumbraverit, cujus portiunculam catarrhus calidus in arteriæ partem superiorem aliquoties detruserat, Reseratis tandem & detersis lienis vasculis, pacata est tumultuatio, desiit catarrhus & sputi commemorati præventis, *De sputo Salino vide supra* §. 2. cap. 9.

De Sputo cœnoso & cinereo seu purulento, Vide alibi.

Qua urbe Tabes frequenter grassatur) Ad phthisin inducendam sanguinis & pulmonum vitium concurrere, seorsim aut conjunctim, ostensum est: His causis meritò accensetur altera utrique communis, & tametsi prorsus extrinseca, cum utraque maximam necessitatem habens, quæ nimirum est Aëris inspirati conditio sive temperies: Enimvero nonnullis phthisis tanta est hujus influentia, ut morbi causa aëris in quo degunt incongruitati quandoque fere in totum adscribatur, & pro curatione cœli aut soli mutatio certis quibusque remediis præferatur: Hinc nostratium plures tussientes, aut tabidi, australes Galliæ regiones gregarim petunt: aliique interim, quibus trans mare currere non libet, aut licet, è fumosis urbibus statim in rus, tanquam ad certissimum refugium festinant: propterea quidem villæ omnes prope Londinum, quæ aëre claro & perflato gaudent, phthisicorum quasi totidem nosocomia habentur: Verum tamen à tali locorum mutatione haud ex æquo juvamen recipiunt, multi enim aut Galliam, aut villas rusticas petentes, ibi sepulchra potius quam sanitatem inveniunt: quinimo Londinum haud statim à phthisicis omnibus relinquendum est: novi enim plures tussi ac phthisi obnoxios, multo melius in hoc aëre fumoso quam ruri valuisse, Ita propter ejusdem morbi sanationem, dum alii hanc urbem quasi barathrum vitant, alii huc tanquam ad asylum confugiunt.

Horum rationes ex Respirationis doctrina elucescunt, nimirum ostendimus sanguinem pulmones pertransseuntem, & quoad accensionem seu vitalitatem, & quoad morum suum ab aëre nitroso inspirato plurimum pendere: unde sequitur hujus tenorem ad illius crasin ita proportionari debere, ut sanguis intra præcordia modicè accensus, clare & vegete, tum sine fumo & fuligine, tum sine flamma nimis intensa efflagret: proindeque vasa pneumonica satis libere, absque remora aut recrementorum depositione trajiciat: quam ob rem aër humidus palustris ac minime perflatus cum nulli salubris, ita tussientibus plurimum infestus existit: E contra aër serenus ac mitis, sole ac vento moderatis gaudens, uti cunctis salubris, ita phthisicis quibusque amicus deprehenditur: Quoad alias aëris inspirandi conditiones, nonnulli tussim evitant, aut amittunt, degendo in locis montanis ac apricis, ubi Atmosphæra impendens, vaporum quorumcunque crassiorum fumosorum & fæculentorum expers, particulis nitrosis abundat: nam quorum sanguis crassus & fæculentus sulphure impuro scatet, ad hunc rite accendendum, & ad fæculentias accensione absumendas, aëre pertenui & maxime nitroso opus est: Si modo pulmones haud nimis teneri fiunt, sed firmi satis & robusti, asperiores ejusmodi particularum appulsus ferunt: E contra qui sanguinem tenuem & subtilem, facile dissolubilem, atque sulphure puriore, sed perexiguo præditum, simulque pulmones teneros, molles & texturæ rarioris valde sensiles obtinent, aëris nitrosi & asperioris impatientes, crasso ac inprimis sulphureo maxime gaudent: Quare his utile est urbis fumosæ auram pinguem & hebetiorem haurire, quæ nimirum sanguini jejuno & tenuiori sulphur (quod aliquatenus deficit) æque ac nitrum præbeat, ejusque consistentiam subtilem ac nimis difflabilem nonnihil incrasset ac figat; insuper & pulmonis substantiam, sive texturam nimis sensilem & rariorem haberet, & contra aëris acrioris & improportionati occursus muniat: Profecto crebra experientia satis liquet aërem crassiorem, modo etiam sulphureus fuerit, phthisicis quibusdam (ne dicam omnibus) valde benignum existere: communis observatio est regiones istas, ubi ignes cespite nutriuntur, & odorem valde sulphureum spirant, Tabem rarius infestare, quinimo loca ista phthisi obnoxiis, aut ea laborantibus maxime salubria, & non raro sanativa existere. *Willis Pharm. rat. cap. de phthisi.*

OBSERVATIO XXXIV.

Phthisis ab Abscessu, scirrhosa duritie & corruptela pulmonum dependens.

JUvenis strenuus, annos natus 29. Nobilis Jacobus d'Andrion, Genevensis, militari cohorti in Gallia Præfectus, cui venatio in delitiis, illi adeo addictus ut cibi sumendi oblivio caperet, omnem aëris inclementiam ejus gratia sustinens, anno 1676. hyeme rigidissima, dum planitiem glacie obductam transgreditur supinus cadit, occiputque graviter offendit; hinc hæmorrhagia ex ore & naribus bihorii spatio tam effusa, ut pene exanimis deduceretur: Enormem sanguinis profusionem capitis debilitas consequitur frequenti in subditas partes

tes distillatione, præsertim in oculos, se prodens, ubi excitata primo ophthalmia, postea deforme palpebrarum ἐκτρόπιον consequitur, quamobrem cervix setaceo, me jubente, transfixa est: cujus beneficio levior factus affectus, omnino delendus, si sibi consueto exercitio temperare, aut insignes aëris injurias declinare valuisset: Sed continui in diæta errores, & gestandi setacei tædium, defluxionem in pulmones præterea accersivere, quam tussis, salina hæmoptysis puris sputum, ac Tabes tandem lethalis anno 1673. excipiunt.

In defuncti cadavere sequentia annotata à Castrensi Chirurgo, ad mœstissimum parentem, ob primogeniti Filii jacturam Nobil. Dom. d'Andrion, Senatorem Genevensem & Exconsulem integerrimum transmissa: Ego subsignatus, Ex mandato Generosissimi Dom. Colonelli d'Andrion (*Defuncti Patruelis*) aperui corpus Domini Jac. d'Andrion, cohortis militaris Ducis, ut pareret certa obitus causa, Et primò in cavitate Thoracis seri copia salsissimi reperta est. Secundò, Abscessus insignis in pulmonibus. Tertiò, Iidem indurati, sicci, ubique pene putridi: Adeo ut, me judice, phthisicus obierit, morbo jampridem obfirmato: Cæteræ partes integræ & illæsæ erant: Dabam Bommelii, v. Maii mensis, anno 1673. *Succus Chirurgus.*

Observatio XXXIV.

Phthisis à Suppuratione omnimodâ pulmonum.

Pulmonem exulcerati novum non est, sed totam ejus substantiam in pus converti, & nihil aliud quam pus esse, & sola membrana succingente pulmonem contineri, ut in cavitatem ea minime rupta defluxerit, id rarum esse existimo: Id equidem *evenit D. de Abbenbrouck*, qui cum longo tempore catarrho acri in pulmonem illapso, Tabe consumptus decubuisset, variis afflictus symptomatibus, potissimum arthritide & gonagra, renum calculo & pulmonis vomica, varia sunt præscripta, dum & hectica consumeretur, Ego quoque accitus, sed tunc nihil nisi ossa pelle obducta restabant, unde facto prognostico quod moreretur discessi.

Eo annum 38. agente mortuo, invenimus pulmonem nihil aliud quàm vomicam esse, & renes calculo infarctos: Hepar quidem integrum, sed flaccidum, nullo abscessu corruptum (quod conjecerat Medicus, ad quem ægri lotium delatum fuerat, quia per unum aut alterum diem sanguinem per alvum ejecerat) ita ut forte ante mortem organum sanguificationis ex debilitate sanguinem retinere non potuerit: Pulmo enim plane suppuratus & putrefactus membrana integra existente, maculis tamen plumbeis & cœruleis interstincta: quam ipsemet digitis cum attingerem, perrupta membrana, tanquam vomica magna, pus instar olei amurcæ erumpebat, valde fœtidum & corruptum: adeo ut totus Pulmo nihil aliud quam purulentia esset, quæ & mortis causa censenda erat: *P. Forestus Observat. 51. lib. xv.*

Eadem historia fusius exarata.

Illustr. Dom. de Abbenbrouk, Oeconomi Regis Hispaniæ, cum x. die Febru. anni 1655. 38. ætatis suæ anno è vita discessisset, xi. die sequenti in aliud cubiculum gratia incidendi corpus ejus delatum est: Cùmque omnia ad condituram parata forent, præsentibus multis, cum incisio fieret, prius à me facta adhortatio est ad omnes ut diligenter omnia inspicerent, mihique testes forent de membris læsis & illæsis, & palam protestatus sum quod occasio mortis non ex genu tantum, seu arthritide fuerit, sed potius provenerit ex catarrho prolapso ad pectus, deinde ad pulmonem procedente: Et ideo nos inventuros pulmonem vomica infectum, ulceratum corruptumque, ventriculum vero ratione longitudinis morbi flaccidum: Renes calculis obstructos, cum & ipsos longo tempore per urinam reddidisset: Inventuros quoque nos Hepar illæsum, ita & Lienem, Neque in ejusdem visceribus aliquod apostema: Cerebrum quoque illæsum deprehensuros, cum Ill. Dominus omni tempore morbi mente constiterit, interim tamen humidum nonnihil, catarrhi ratione.

Hæc cum protestabundus dixissem, singularim ostendo omnia viscera nutritionis, scil. Hepar, quod membrum erat illæsum, sic etiam Lien, tum intestina belle se habebant & ventriculus similiter, nisi quod is parum flaccidus erat, ut de eo prædixeram: Renes dein inspexi, & ut per medium inciderentur mandavi, & invenimus, omnibus spectantibus, repletos fragmentis lapillorum, quos Chirurgus in copia extrahebat: Deinde jussi ut Chirurgus transiret ad membra spiritualia, ossa pectoris perscindens, quo facto statim fœtor horribilis apparuit, ex ipso pulmone corrupto prodiens, ut in cubiculo præ fœtore permanere non potuerimus; at ego sudariolum aceto insuccatum ad nares cum ligassem, manuque arriperem ipsum pulmonem, ac omnibus spectandum præberem, adeo putrefactus erat ut levi compressione per digitos diffueret, exeunte materia corrupta, adeo purulenta & fœtida ut

ex

ex odore ipse suffocati viderer. Antequam autem comprimerem ipsum pulmonem, membrana sua totus cohærebat vomicæ instar: Erat tamen tota membrana maculis plumbeis cœruleisque interstincta: Sed cum manu attigissem, perrupta membrana & vomica, materia corrupta & fœtida ac fœculenta exibat, quæ præcipua mortis causa erat, ut prædixeram: nam pulmo ita ulceratus in continuo motu, incurabilis erat: Cor autem ejus magnum erat, Cor autem ejus magnum erat, multa adhuc pinguedine obsitum, quod Viri magnanimitatem declarabat; robustus enim erat, unde etiam ad extremum consumptus, tunc prius è vita discessit cum vix sanguinis exiguum in corpore permaneret: Unde minus admiratu dignum videbatur Illustrem hunc Dominum in morbo chronico, tamdiu vitam protraxisse, corde semper resistente, adeo magno minimeque consumpto: Quoad cerebrum, albissimum illud invenimus, lactis instar, omnino illæsum, humidum tamen ut prædixeramus, ex catarrho: Ultimo apertum est genu, quod inflatum erat; nullo tamen pure exeunte, sed sanguine crasso bilioso, adusto, cum multa nigredine sub finem affluente &c. *Forestus Observat. lib. xxix. observ. xxiv.*

I*Nstar olei amurcæ*] De ejusmodi purulentia per sputum exclusa sic judicat *C. Bennetius* Theatri Tabidorum Exercit. xxiv. Inter omnia, *ait*, ejectamenta sputum minus spirituosum, magisque fœculentum est cinereum & cœnosum argillæ cujusdam liquidioris speciem præ se ferens; verum phthisicorum pus minime tenax, caloris deficientis seu cadaverationis ineuntis indicium & symptoma: Cætera omnia aliquatenus per calorem subiguntur, figurantur & alterationes subeunt: hoc solummodo in suo quasi stagno copioso stabulans, nisi mole sua presserit, vix expectoratur, extremæ sane sorditiei & naturalis dissolutionis productum: Deploratæ sortis invalidis, quos ultima symptomatum syndrome ad sepulturam fere perduxit, tantum advenit argillosum hoc ejectamentum: Quorum etiam cadaverum pulmones inter dissecandum in amurcam sordescentem mutati conspiciuntur.

Invenimus pulmonem nihil aliud quam vomicam esse &c.) Hæc vomica totum pulmonem occupabat, differens à vomica de qua *Fernelius* pathol. lib. 5. cap. 10. quod neque cystin habeat; neque tam exigua sit, neque sine tabe; nam hic æger phthisicus erat, non sine ulcere ipsius pulmonis, cum etiam pus cum pituita quotidie exscrearet; quod quidem ulcus suppurationem totius pulmonis induxit, manente intra pelliculam ipsius pulmonis pure, sed dissecto corpore pellicula perrupta nil nisi pus effluxit olidum, ut quis in loco, in quo sectio fiebat vix permanere potuerit. *Idem ibidem.*

Nulla medicamenta juvarent) Inter hæc usitata emplastra cephalica; quæ in phthisi operam insignem præstant, non quod feri in pulmones defluentis catarrhum sistant) uti vulgus opinatur) verum quia cerebrum corroborando succi nervosi crasin prius vitiatam restituunt: *VVillisius Anat. cerebri cap.* 20. De ejusmodi *succo vide plura ibid.*

§. 2. In pectore Christophori Richteri purulentia adeo copiosa inventa, ut pulmonum corruptorum & exulceratorum residuæ particulæ in pure quasi natarent: *I. Dan. Horstius observat. anat. vij.*

Observatio XXXV.

Phthisis à consumptione maxima pulmonum partis & in pus resolutione.

NOs Patavii aperuimus matronam quandam, diu tussi & angustia pectoris, ut & phthisi divexatam, in cujus sinistra thoracis capacitate ingentem copiam purulentæ, nec non admodum fæculentæ materiæ, pultis instar liquescentis reperimus, exigua saltem pulmonum substantia superstite. *Georgius Grasseccius Exam. theatri microcosm. tract. de pulmonum vitiis.*

Observatio XXXVI.

Phthisis à menstruis restagnantibus & in pulmones refluentibus, unde illorum corruptela, cum multiplici viscerum naturalium vitio.

VIrgo annorum 33. cum ante septem menses delassata ex ædium suarum repurgatione vehementius incaluisset, ad sitim caloremque mitigandum, affatim potaverat lac frigidum ebutyratum, idque ipso tempore solemni profluvii menstrualis, ac deinceps sæpe potavit: Inde lethalis morbi origo exorta est, quippe cum vasa omnia sanguinem ad uterum menstrualem deferentia tunc laxata & aperta essent, largiter recepere frigus illius lactis, indeque adeo fuere constricta, ut postea nunquam menstrua fluxerint: Restagnans igitur materia menstruis temporibus, cum agitaretur à partibus omnibus, partim in vasis subsistebat, partim pulmoni impingebatur, & denegata ventilatione corrumpebatur, adeo ut parenchyma pulmonis inde corruptum fuerit, multaque materia purulenta, crassa, viscosa, ibi in vasis & foraminulentis parenchymatis meatibus sensim erat collecta: Ab illa pulmonis pravitate vapor putridus per cor communicatus fuit omnibus abdominis visceribus; eorumque tonus & temperamentum destructa: Attestabantur hepar pallidius, lien minor ad hepatis propor-

proportionem: Pancreas non suffusum colore rubicundo, sed pallido admodum: Testis sinister totus aqua impletus, dexter autem propemodum scirrhosus: uterus admodum contractus & siccus, adeo ut vola manus comprehendi posset: Febris Tabifica aderat, & sæpe etiam pus exspuebat: *Ottho Heurnius observat. viij.*

PHthisin in mulieribus ob menses suppressos, vel saltem imminutos, sæpius se animadvertisse ait *P. Salius* comm. in lib. 1. Hippocr. de morbis §. 34. qui ad partes superiores repentes, thoracisque aliquod latus occupantes, primùm dolorem diuturnum in eo excitarunt, postmodum putrescentes eas suppuratas reddiderunt, unde & puris sputum & phthisis tandem successit: Hoc ea ratione est factum quod thoraci cum utero maximus est consensus ob vasorum communionem, de quo Hipp. & Galenus 2. Epid. 1. Eam suppurationis & phthisis speciem non cito terminari, sed per annos quandoque perseverasse observavit, hasque omnes ex hisce morbis periisse novit, nisi vel à principio ex arte curatæ, vel naturæ beneficio ob copiosam mensium eruptionem ab his vindicatæ fuerint: A lochiorum imminuta vacuatione idem contigisse observavi anno 1672. mense Novembri in vidua quadam nomine *Chavane*, quæ phthisi jam provecta opera mea usa est, ac intra semestre obiit, Ab eadem lochiorum suppressione peripneumoniam, cum thoracis sinistri hydrope, obortam observavi anno 1673. in Aurifabri uxore, *Pistor* vocati; Instituta fuit paracentesis, sed aliore loco quam decuit, unde aqua non illico, sed tertio demum die affatim exiliit, fermentatione scilicet & ebullitione fero inducta, à paroxysmo terrianæ, continuæ sociæ: unde 8. die à sectione intereundum illi fuit. Hinc *Κοινωνία* genitalium cum thoracis partibus elucescit.

Foraminulentis parenchymatis meatibus) Galenus Aristotelem damnat quod tunicam pulmonum statuat foraminibus perviam: revera in mortuo animali, ubi frigiditate omnia contrahuntur, pori illi visum effugiunt: at illi in pulmone felis, si folle attollitur, facile deprehenduntur. In homine quoque levibus foraminibus pleni: Si arefiant, cutis universa arefacta patentibus poris cernitur. Vide de hac pulmonum membrana Scholia ad observ. 9. sect. 6. de Exquisitione purulenta.

Profluvii menstrualis] Primos puellarum menses natura malgniores esse, atque exitiales magis fieri ubi circa primos typos impediuntur, nec expedire excernuntur, probant Catelli Meliræi, virginibus in deliciis, qui iis degustatis sæpe in rabiem aguntur: Proinde non mirum si à mensium cohibitione, eorumque in pulmones anadrome, ob virulentiam pulmones erodantur & corrumpantur, hinc phthisis incurabilis sequatur, quod nidum ibi sibi familiarem deinceps constituat sanguis menstruus.

OBSERVATIO XXXVII.

Tabes à pulmonis totali fere putredine, costis adnati sinistro latere &c.

IN renibus Ferdinandi Imperat. calculos multos compererunt Medici, sicut & in vesica, & dum viveret interdum xxx. sine dolore ullo, cum ardore exiguo emingebat: Non tamen hoc morbo consumptus obiit, sed majoribus causis, Nam dum Medici, postridie à morte, intestina atque viscera eximerent, Omentum aliqua ex parte corruptum, ac sine omni adipe, sicut & intestina & stomachum deprehenderunt; & pulmonem magna parte putridum ac graviter fœtentem, cum pituita & sanie, ita membranis pectoris in sinistro latere adhærente, ut difficulter avelli possent. *Gesnerus cap. 12. Fossilium.*

CErebrum omnino illæsum) Quod tamen læsionis notas exhibere debuisset, cum catarrhis frequentibus obnoxia fuerit ea matrona: Hinc collige phthiseos causam non semper è cerebro esse arcessendam, nec copiosum sputum ex eo fonte manare; quod ex Anatomica luce ostenderunt viri Clariss. *Schneiderus*, *Rolfinccius*, *VVepferus*, *VVillisius & alii*: Nec obstat Hipp. authoritas, qui lib. 1. de morbis pituitam à capite defluentem copiosi, quod expellitur, sputi, & diarrhœæ succedentis, originem esse vult: Satius est ex pulmonibus uberis illius expectorationis causam repetere, atque læsæ illorum concoctrici adscribere, quæ male commissum alimentum conficiar, ac in purulentam illam materiam convertat: Idem illis contingit quod intestinis in dysenteria, in qua profunditur multus humor mucosus & albus, qui nihil aliud est quàm excrementum eorum præternaturale, læsæ facultatis commutatricis soboles: Sic ulceratis articulis ichor plurimus effluit, qui non aliunde quam à parte affecta, vitiose alimentum proprium subigente, proficiscitur: Hippocrati cerebrum fons & metropolis est pituitæ, at dubium an quod phthisici ex pectore extundunt sit pituita; Ii ipsi qui ab eo fonte salsæ pituitæ originem deducunt, pulmonis erosionis causæ, salsedinem aliunde quam à cerebro repetunt: Ea porins in massa sanguinea quærenda, aromis salinis inquinata, qui pulmonum molle parenchyma facile altetant corrodunt; Sputum, salsugine refertum, sanguinis sale perfusi progeniem agnoscit *Bennettus* theatri Tabidor. Exercit. xxij. negans quempiam cui pulmo erosus fuerit, sine sanguinis totius edulcoratione & reductione curatum fuisse.

OBSERVATIO XXXVIII.

Phthisici pulmones intus purulenti, externa facie sani apparebant.

ANno 1629. aperuimus cadaver Nautici socii, ex phthisi mortui, cujus pulmones substantia & colore externe sani apparebant, quibus tamen dissectis exiit pus copiosum

sum, viride ac fœtidissimum, & dexter pulmonum lobus costis adnatus erat. *Bontius Med. Indom. Observat.* 4.

Dexter pulmonum lobus costis adnatus) Id notandum in plurimis quos aperuimus, nunquam sinistrum lobum solum adnatum vidimus, sed vel utrumque, vel dextrum. Ratio, ut ingenue fateat, me latet, nisi forte quia in dextro latere tantum vena azygos, sine pari est, quæ in pleuritide tussi valida rupta, hanc amurcam à se rejicit, unde etiam in dextro latere plenitides exquisitæ magis oriuntur. *Idem.*

Observatio XXXIX.

Phthisis à vomicis in sinistro pulmone, Hydrope sinistri thoracis &c.

Franc. Minningen juvenis cadaver examinavimus. In abdomine nihil non naturale deprehensum: In thoracis autem sinistra parte omnis mali causa latebat; quippe in sinistra ejus parte totus fere pulmo aquæ innatabat: qua exhausta vesicæ aliquot insignes, simili aqua turgentes, ad pleuram & diaphragma se offerebant: Similem & aquam citrinam pericardium continebat. Dexter autem pulmonis lobus totus diaphragmati, pleuræ & mediastino adnatus erat, aliquot habens vomicas parvas, lento ichore turgidas: In thoracis autem dextri cavitate humorum nihil reperiebatur, ut quæ tota pulmone replebatur. *O. Heurnius observat. xviij.*

Observatio XL.

Phthisis à pulmonum corruptela cum Thoracis hydrope.

Diversi sunt morbi quos pectoris hydrops comitatur, ut pote catarrhi, peripneumoniæ, pleuritides, tabes & hydropes: quare hujus aquæ collectionis in pectore non una semper est causa, sed multæ variæque esse videntur: ut ex sequentibus intelliges: Anno 1563. autumno, cùm per totam fere Italiam tusses, peripneumoniæ, & malignæ pleuritides, epidemialium morborum instar grassabantur, atque multos occidebant, inveni in omnibus quos secui, quasi totos pulmones sanguine media ex parte putrido repletos, turgidos, atque mirum in modum induratos: id spatii quod pulmones non replebant, aqua loturæ sanguinis non dissimili plenum fuit, capita etiam magna aquæ limpidæ copia referta erant: Alio tempore deprehendi in phthisicorum thoracis capacitate dextra, quæ majori ex parte his malis obnoxia est, pulmonem vel corruptum vel absumptum, eumque in ea capacitate aqua plena natantem: Haud dubio in his enarratis casibus, partim humiditas ex cerebro defluxa thoracem replet, partim per substantiam vasáque pulmonum tenuior in pulmonibus collecta transsudat, atque hanc hydropis speciem excitat. *Coiter libello observ. Anat. & Chirurg.*

Humiditas ex cerebro defluxa thoracem replet) Illustr. *Bartholinus* cap. vij. Tractatus de vasis lymphaticis, multorum in corpore accidentium causam reddi ait expeditiorem ex notitia illorum vasorum, atque illustrem plane in hydropis generatione nobis usum præstare: Iis obstructis, quando liquor tenuis à partibus non separatur, oriri vult anasarcam vel leucophlegmatiam: Quando impedito per hæc transitu ad venas ire cogitur, Ascitidem excitare; vel quando ob tenuitatem tunicæ, à copia vel liquoris acrimonia, vel incumbentibus gravioribus rumpuntur, corrumpunturque, in cavitates vicinas, seu abdomen, seu thoracem effluere aquam, maximi morbi causam: *Bartholinum* sequutus *P. Barbette* in praxi, Hydropem definit per collectionem præternaturalem lymphæ serosioris in abdomen, sæpe totam corpus, omnésque ejus partes, quod lympha tenellula sua vasa erodens & sic extravasata gravissimum hunc morbum inferat: Atque in hydropicæ cadavere jucundo spectaculo deprehendisse se in abdomine 1. lympham tenuem & fluidam, deinde gelatinam, tertio concretam, tandem duram & steatomaticam: Huius Hydropis generationem sic describit *Cl. Sylvius in praxi lib. 1. cap.* 50. Glandulosam, *ait*, lympham inprimis ab ea, quam à musculis aliisque partibus, ex spiritibus animalibus eò delatis & superstitibus ortum habere credo, distinguo; cum qua tamen confusa, per eadem vasa lymphatica pergit ad ductum lymphæ chyloque communem, ac per universum thoracem delatum, ideoque thoracicum dictum, donec tandem exoneretur tota in venam jugularem axillarémque sinistram, ubi sanguini conjuncta descendit cum ipso per venam cavam ad dextrum cordis ventriculum: Hic lymphæ, per vasa lymphatica ductumque thoracicum motus læditur, quoties 1. in totum tollitur aut impeditur quodammodo. 2. alio defertur: Tollitur in totum ob vasa lymphatica obstructa ab ipsa lympha viscidiore, in ipsis coagulata à frigore externo, postquam prius calore magis fuerit soluta & forsan pituita aucta, unde stagnabit tunc in vasis suis lympha: Aliò defertur, quoties ex obstructis iis vasis stagnat & magis magísque cumulatur, ita ut tandem vasa rumpantur, hinc ipsa effunditur aut in partes vicinas, aut in cavitates adjacentes, nec amplius per vias usitatas debitasve defertur: Ex hac lymphæ per laterales thoracis lymphaticas ab externo frigore, ut dictum, obstructas, hinc ruptas, effusione, nonnunquam *Hydropem thoracis* ortum habere arbitror.

Humiditas ex cerebro defluxa) Ex aquæ limpidæ

dæ copia in cerebro reperta, dubium an rectè deducatur causa hydropis thoracis, uti nec inde repetenda est causa hydropis abdominis: Seri tantùm, vel lymphæ redundantiam in toto vel vasis exinde inferre licet: Qua via enim è capite in rhotacem migret serum non ita pronum est ostendere, atque supponere facilius est quam probare Lævium arteriarum obstructioni, & languenti calido nativo; ac Jecori in consensum tracto adscribit Salius de affect. partic. cap. 20. vel pulmonibus & Jecori refrigeratis: Probabilius *Sennertus* lib. 2. prax. primam mali causam statuit sanguinem serosum, à Jecore dextro Cordis ventriculo & pulmonibus communicato.

Observatio XLIII.

Phthisici pars sinistra pulmonis cava ad instar fistulæ inventa, Substantia autem conglobata & arida, cum empyemate thoracis & aliis vitiis viscerum naturalium.

Quidam annor. 46. ex phthisi diuturna obiit, Secto cadavere invenimus sinistram pulmonis partem cavam ad instar fistulæ, Substantiam autem ipsam conglobatam quasi & penitus arefactam: Cavitas pectoris tota purulenta erat, Hepar ex parte exsangue & asseris instar durum: Lien totus contractus & vix unius digiti longitudine: Testiculorum alter in magnam molem excreverat, durus, qui incisus aquam fundebat citrinam, ut in hernia aquosa: Membrana, quæ aquam continebat, erat plane cartilaginea & quasi carnea; ipse enim testiculus sua propria ab hac diversa cingebatur: In ventriculi interna parte apostema copiosum pus continebat, intestina felle perfusa: Omentum totum membranosum & pellucidum fine ulla pinguedine: Mesaraicæ nigro sanguine turgidæ: cordis dexter ventriculus, ob sanguinis copiam, cui humor viscidus & albicans admixtus erat, una cum auricula, sua solito duplo major conspiciebatur. *Ioannes Vdalricus Rumlerus observ. med. lib.* 1.

Observatio XLIV.

Phthisis pulmones omnino absumpti à puris acrimonia reperti.

§. 1. Puer xvij. annorum phthisi triennio oppressus, consumptus obiit: In thoracis dissecta regione pulmones non sunt inventi, quoniam forte præ tabo laceri, suppurati, à purisque acrimonia laniari, & ab adurenti calore absumpti sunt, ita ut præter mucilaginem quandam asperæ arteriæ adnatam, nihil amplius pulmonum loco conspiceretur. *Zacutus prax. admir. lib. 1. observat. cix.*

§. 2. Non semel pulmonis parenchyma æquali attritione ita dissolutum conspexi, ut in putrilaginem, limi quandam speciem præ se ferentem redactum videbatur. *Bennettus Theatr. Tabid. Exercit. xxij.*

Observatio XLV.

Phthisici pulmones dextro latere omnino absumpti.

Laborabat quidam vera phthisi, ac pus copiosissimum rejiciebat. Tandem multis frustra adhibitis moriebatur, Agnata ipsius pro muliercularum more, hoc & illud prætendere: Ego indignabundus me cadaver adaperturum, & sedem morbi investigaturum recipio, si qui in dextro latere pulmo fuerit repertus, malam à me fuisse institutam curam confessurum: Consentiunt tandem agnati, & in illorum præsentia thoracem primum aperio, atque *dextrum pulmonem plane consumptum invenio*, exiguo saltem quopiam, instar minutissimæ spongiolæ exsiccatæ, residuo, sinistro prorsus illæso: Abdomine hinc secto, hepar lividum quodammodo apparebat, & aqua, sed non admodum copiosa, circa hypochondrium dextrum reperiebatur. *Phil. Salmuth. cent. j. Obs. xiv.*

Pulmonem consumi facile conjiciebam ex copioso pure, & dextrum quidem, ex denegato in sinistrum latus decubitu: Cùm enim ratione decubitus illius, comprimeretur quasi pulmo sinister sanus, atque sic thorax minus dilatari posset, pulmo autem dexter tanquam affectus, officium non faceret, difficultas respirandi aderat summa, & quasi suffocatio imminens: E contrà si in dextrum cubaret latus, sicque pulmonem affectum, sinister pulmo, utpote sanus, munere suo fungebatur libere, unde & libera respiratio: *Idem.*

Dextrum pulmonem plane consumptum invenio &c.] Non arbitror illi pulmonem dextrum plane fuisse consumptum, sed spongiolam illam fuisse integrum pulmonem, sanguine secluso quo aliàs intumescit: Nec vi hujus exsiccationis mors subsequuta, quia sinister pulmo prorsus dicitur illæsus: Ad illam quoque siccitatem pulmo Jac. Galli, de quo *Rhodius* cent. 2. observ. 21. ut aspera arteria cum pulmonum vasis fidium instar conspiceretur, & dubio procul ad nativam faciem proxime accessit, si texturam prope consideremus, quæ tamen ut actioni subserviat commodius, moderate lubricanda est, & irriganda sanguine è vasis, & aëre vel liquore è bronchiis: ut spongia per naturam sicca imbibit aquam pro usu commodo, ita spongiæ similis

lis pulmo, rarus & foraminulentus humorem haud molestè fert, sed aliam post aliam inanitatem eo usque permutare solet, donec ad asperam arteriam deveniat. Certè quicunque partis compositionem pressius novisse vult, ab alienis & heterogeneis liberare eam debet, quæ visum efficiunt. Ita ex hepate & liene, vel bacillo vel alia arte sanguinem exprimimus, ut rectius utriusque visceris textura eluceat: Idem per morbos exsiccantes tabificos efficitur, ut non injuria Hippocr. l. 1. de Diæta, ad animæ sapientiam exoptet attenuationem & arefactionem pulmonis: Quo enim pulmo augetur magis, sive aëre crasso attracto, sive sanguine transeunte sive stagnante, eo majus detrimentum homines capiunt animo & corpore, ut prima texturæ pulmonariæ simplicitas obscuretur: hinc fibræ laxantur, vesicæ implentur & omnia vasa distenduntur, unde inflatio pulmonis, corruptio, inflammatio & illas morborum. Quanto verò vel origini propiores sunt pulmones, vel sicciores, tanto facilius textura artificii plena innotescit: *Thomas Bartholinus Tract. de pulmonibus Sect. 2. pag. 37.*

Observatio XLVI.

Phthisis à consumpto pulmone parte dextra, vomica & hydrope thoracis eodem latere, vasis omnino purulentis &c.

Sartor quidam Patavii asthmate diu laboraverat, tandem medicamentis utitur, sed frustrà: inprimis verò in sinistrum latus cubare non poterat, & pulsus semper erat formicans: De causis symptomatum cum Dom. Valthero variè pugno: moritur tandem subitò.

Cadavere aperto, & in thoracis cavitate dextra heminas aquæ reperio, ad minimum duas, h. e. lib. xv. pulmone ex ea parte prorsus consumpto, ut ne tantum de ejus substantia restaret. Aderat simul vomica instar ovi gallinacei: Vasa erant planè purulenta: pulmo interim sinister integerrimus, & pericardium plenum aqua, unde pulsus formicans extiterat. *Salmuth. cent. 1. obs. 13.*

De causis variè pugno) Crucius de quæst. cent. iv. pag. 403. meminit Tabis cujusdam asthmaticæ, quæ oritur absque ullo pulmonum ulcere; cum infarctis asperæ arteriæ ramis à glutinosissima pituita, respiratio læditur, sequiturque totius consumptio: cujusmodi Tabem se curasse ait in virgine purgationibus blandis, ac decocto ex salsa, china, visco querno mo. dico sassafras, cum simplicibus thoracicis & cephalicis, aliisque præsidiis: In allato exemplo suspicio ejusmodi Tabis potuit oboriri, sed decubitus in sinistrum latus impeditus, affectorum una parte pulmonum signum certum exhibebat, ut patet ex scholiis ad superiorem historiam.

Observatio XLVII.

Phthisis à Pulmonibus pure & flatu, citra ulcus, tumentibus, maculosis, Iecore impensè magno & scirrhoso, Liene vitiato, &c.

Anno 1675. 23. Januar. obiit Vir Geneross. & Nobiliss. Dom. de l'Isle, ex Illustri Chabotiorum familia natus, Patre satus phthisico, expressam propensionis in Tabem ideam & characterem gerens: assidua tussi fatigatus, phlegmata crassa creberrime expuens, macilentus, strigosus, acerrimi vir ingenii & judicii, gratiorum musarum felix alumnus, diætæ regulis nequaquam adstrictus, Tandem ætatis annum agens lv. è vivis excessit in Dominio suo *de la Chaux*, bihorio Lausanna dissito; ubi apertum cadaver, quæque in eo reperta à Chirurgo, ad me transmissa sunt. Quandoquidem sic visum superis ad cœlum evocare Dominum de l'Isle, die Sabbathi 23. Jan. anni 1675. præeunte magno virium languore, febre lenta comite, tussi & pectoris oppressione, consanguineis gravibus de causis, cadaver dissecari placuit, quod postridie ab obitu factum est: Pulmones tumidiusculi inventi sunt & repleti partim humore lutulento, è parenchymate vel leviter compresso exeunte, partim flatibus: Exteriores eorum membranæ distinctæ quasi maculis sublivescentibus, assis magnitudinem æquantibus: Lobus dexter præ aliis erat viriatus, nulla interim præsente ulceris nota: In dextro Thoracis latere seri unciæ citciter duodecim fluitabant, ac verisimile est multo majorem copiam repertum iri, ipsosque pulmones adhuc magis turgidos, nisi paucis ante obitum diebus ejusmodi humores in pedes, tibias & *brachium dextrum, quod ideo intumuit*, natura excussisset: Aperto autem imo ventre, ventriculus, Renes & Cystis fellea nullam insignem labem præ se tulerunt: At verò Iecur in extraordinariam molem excreverat; parte præsertim dextra, qua costas attingit, nigra omnino erat, dura imò scirrhosa: Insolitam quoque figuram exhibuit Lien, deerat enim illi naturalis longitudo, quæ in crassitiem & magnitudinem abierat, cæterum substantiæ durissimæ & scirrhosæ: Intestina ad livorem aliquatenus tendebant: Nulla penè erant Epiploi vestigia: Pancreas duas membranas sibi incumbentes referebat; seri præterea in imo ventre jampridem conclusi mediocris copia inventa.

B*Rachium dextrum quod intumuit.*) Ex quorundam frequenti observatione, si tabidis, hecticis, longo morbo maceratis, brachium alterutrum, aut crus intumescat; vel macula aliqua fœdetur, instantis fati hoc est præsagium: Id à me annotatum anno 1677. mense Iulio in Nobili matrona: quæ tabida ob vitium pulmonum, lienis & uteri) in quo cancrosæ dispositionis multa argumenta) xv. ante obitum diebus, quem procul abesse sibi fingebat, insignem habuit maculam in femoris dextri parte domestica, cum malleoli utriusque tumore œdematoso: Octo ante mensibus Ascitica fuerar, me accurante liberata; sed integræ sanitatis avida Empirico se commisit, qui lethum acceleravit.

Observatio XLVIII.

Phthisis à vitio Pulmonum pure in sinistro latere scatentium; sanguine congesto in dextro lobo; post suppreßionem mensium: Ventriculi glandulis serosis circumsepti &c.

ANno 1666. Maii 15. aperiebat Dom. *Franc. Sylvius* fœminam trium & viginti annorum, quæ phthisica præcedente vesperi cum vomitu sanguineo ipsam effuderat animam. Hæc 10. Maii in Nosocomium Leidense delata conquerebatur se ab 18. mensibus menstruis carere purgationibus, quæ ipsi à terrore fuerunt suppressæ: Anhelosa jam fuerat ab octo mensibus & asthmatica; tussiebat etiam valde, & per tussim ejiciebat phlegmata crassa & purulenta: Pro temperandis humoribus sequens præscribebat decoctum D. Sylvius frequenter sumendum ℞. *rad. apii, levistici ãã ℥j. ras. ligni gaiaci ℥iij. passularum mai. mund. ℥iv. coq. s. a. ex aqua pura; ♃. colat. ℥xxx. in qua dissolve syr. de 5. rad. ℥ij. aq. theriac. simpl. ℥j. m.* cum autem de amarore decocti quereretur, jubebatur sæpius lambere saccharum altheæ; Sed sequenti mane etiam ab hoc, ut & ab omnibus medicamentis, abhorrebat, quò ipsam pro signo funesto habebat Sylvius: nihilominus tamen hoc confortans alterans, præscribebatur decoctum creberrime assumendum, ℞. *rad. apii fœnic. ãã. ℥j. scorzon. ℥ij. passul. mai. mund. ℥iij. f. decoctum cum aq. pura, in colat. ℥xxv. dissolve syr. jujubini, de hyssopo ana ℥j. m.* Ab hujus decocti usu phlegmata quidem commodius dejiciebantur, valde tamen purulenta erant, unde exigua spes salutis: Usa fuit hoc decocto per triduum, ex quo fatis concessit.

In cadavere sequentia notabantur: 1. Omentum peritonæo ubique fortiter adhærebat. 2. Hydatides plurimæ circa omentum, quarum una ex pluribus compacta erat, materiam continebant subacidam. 3. Circa ventriculum glandulæ conglobatæ quasi scrophulosæ erant, circa quas multæ hydatides. 4. Bilis flavescebat, unde minus acris erat: Pulsum debilem hinc derivabat Sylvius. 5. Hepar flaccidius & fracidum peritonæo annexum: hydatides quoque plurimæ hic erant. 6. Intestinorum exterior membrana abrasa erat. 7. Colon versus pubem descenderat, contenta satis erant liquida. 8. Testiculi plane æquales erant. 9. Pulmo costis undique annexus, luridi coloris & distentus, quod causa respirationis difficilis: 10. Dexter lobus durior & firmior, sinister mollior erat. 11. Ex dextro lobo aperto sanguis profluebat copiosus, stagnans ibidem propter obstructiones: Causa hæc fuit Asthmatis & vomitus sanguinei, quo animam ipsam effuderat. 12. Dextra cordis auricula duplo major sinistra. 13. Sinistro in latere pulmo purulenta materia & fœtida repletus erat, simillima illi quam cum phlegmate ægra excernebat. 14. In parte pulmonis superiore cavitas apparebat satis ampla: Tales cavitates in omnibus Phthisicis se reperisse referebat Sylvius 15. Glandulæ pulmonis pus continebant. *Alardus Hermannus Cummenus in miscell. curiosis anni 1673. Observ. 116.*

Observatio XLIX.

Phthisis à corruptione omnimoda pulmonum lateris sinistri, purulentia dextrorum, cum Lienis scirrho.

NOb. matrona ob hecticam ab ulcere pulmonum, Lienisque scirrhum cum moreretur anno xxxviij. Pectus incisum aqua repletum inveni, pulmonésque in sinistro latere fere absumptos: dextra eorum portio superstes purulenta conspiciebatur: Cor nimia quantitate excedebat, ut tam magnum adstantes summe admirarentur: In pericardio erant ℥v. aquæ, quod memoriam mihi refricavit simiæ Galeni, v. de loc. affect. & illius quam phthisi mortuam ante annos xvj. Marpurgi secui: In phthisicis scil. magna copia aquæ hic se colligit, cum tamen in naturali statu vix drachmam unam aut alteram continere soleat pericardium: *Bartholinus* in hecticis exiguam credit, contra *P. Vascus Castellus* nostram observationem confirmans, hanc aquam per æstum febris hecticæ in tantum adaugeri scribit, ut ea distentum pericardium totam cavitatem occupet; forsan ob bonorum corporis humorum atque adipis cordis consumptionem: Adipe cor pene erat destitutum,

tutum, quod ob calorem p. n. nec colligi nec coire ibi poterat, Quoad venam cavam, venam arteriosam, aortam, & arteriam venosam, ante cordis dissectionem nihil notatu dignum occurrebat: decenter quoque habebant nervuli, vasa coronaria & lymphatica à frequenti potu adhuc serique copia ex parte conspicua: Sinistra auricula major apparebat dextra: Inciso corde, deprehendimus valvularum semilunarium circumferentiam osseam, quam pro ossiculo extraximus: In sinistro ventriculo papillæ carneæ tres eminebant: Septum foveis videbatur instructum, sed non perviis, ut ut sedulus inquisiverim: Lien erat scirrhosus, appendice ovum columbinum æquante instructus: Hepar contra magnum & floridum: Ventriculus & intestina omni fere humore destituebantur, mesenterium vero atro succo refertum erat: ipsa defuncta siccioris fuit constitutionis & calidæ, corporis habitus macilenti, crebris capitis distillationibus obnoxia, nec semel febribus tentata: Ante tria lustra à petechiis liberata, hypochondriacas molestias & lienis tensiones non raro postea passa: Suppetias his tulit spuriæ penultimæ costæ, in dextro latere è casu ante biennium læsio, succedénsque tussis vehemens, cum catarrhis prolixis, pulmonumque calida intemperie; quæ mala tamen, cum obviam ivissem appropriatis, remiserunt ad tempus, donec thermis Wisadensibus, me non suadente adhibitis, catarrhi, tussis, anorexia, & hypochondriorum tensiones reverterentur, hecticáque superveniens finem vitæ imponeret. *I. Daniel Horstius observat. Anatom. vij.*

Observatio L.

Anatome Phthisici, cujus pulmones lividi, flaccidi, exsucci: cordis auricula dextra sanguine nigro distenta, necnon ventriculi: præter alia vitia Thoracis, Iecoris & Renum.

VIcentinus Architectonicæ militaris magister, pulmones habuit nimio vini potu debiles, unde Tussis & suffocationis metus: accedebat hydrops pedum non abdominis, qui digiti imprimentis vestigia servabant: Varia tentata ad pectoris expurgationem serique evacuationem, sed operam lusimus: Aucta enim respirationis difficultate, scarificatisque pedibus lividis, tertia inde hebdomada ad plures abiit.

Apertum cadaver affectos locos nobis prodidit manifeste: 1. Cordis auricula dextra adeo sanguine fuit distenta, ut capacitate neutri ventriculorum cederet, sanguis ipse niger erat, crassus & grumosus, qualis in utroque ventriculo repertus, quanquam in sinistro rubicundior 2. Pulmones lividi, flaccidi, sine sanguine, sicci magis quam humidi 3. Dexter pulmo arctissimo nexu costis adhærens 4. Inter membranas pulmonum, pleuræ, &c. mucus quidam albus inventus: Serum quoque copiosum in thoracis cavitate, in musculis externis & visceribus: 5. Jecur lividum & scirrhosum parco sanguine conspersum: Lien major solito, flaccidior, sanguine nigro plenus, magísque quam hepar sanguificationi idoneus 6. Ren dexter in ureterum orificio grandem calculum continebat acutum, sed glabrum, pollicis magnitudine & crassitie, aliosque alibi minores & arenulas infinitas: quæ causa est quod in dextro latere æger fuerit decubitus: Nullam tamen urinæ difficultatem experiebatur, sed dolorem tantum in inguinibus: Dolor à calculo magno: Urina prompte fluxit, quia sana vesica & sinister Ren sanus. *Thomas Bartholinus cent. ij. hist. xxxij.*

Observatio LI.

Phthisici pulmones spongiosi, & levissimi, cum pure copioso in vasis eorum &c.

JAnus Laurentii ann. 30. *habitu pinguiusculo* & athletico, temperamento calidiore, annis ab hinc binis in phthisin venit, tractuque annorum in tantam totius maciem ut vix ossibus hæreret: A primo vero morbi tabifici insultu vox intercepta fuit, ut præter affirmantis particulam effari nihil posset, nutuque solo necessaria peteret: Ante semestre spatium obortus illi tumor infra mentum, durus, quo impedita fuit solidorum deglutitio: hinc solis potulentis vitam protraxit, donec penitus interceptis loquendi reliquiis è vita migraret.

Emaciatum corpus dissecuimus, ac in aperto thorace pulmones spongiosi, pluma leviores, ex parte costis connati, extrema facie colore nativo tincti, dissecti vero per medium parum sanguinis continebant, cujus vice putulenta materia, alba sincera expressis vasis exstillabat: In aspera arteria nihil heterogeneum visum, nec ullum istius tumoris vestigium apparuit, unde verosimile est à flatibus excitatum fuisse: Cor magnum satis, sanum & sanguine abundans, vasis coronariis tumentibus: In pericardio copia aquæ natabat, fusca, quali colore venæ quoque cordis cernebantur: Pinguedo sub universa cute parcior, sed flavescens: In abdomine viscera sana pleraque & parum à naturalibus deflectentia: Omentum fere consumptum: Intestina flatibus repleta & vacua: Ileum hinc inde nigricabat, qualis esse solet color illorum quos malignitas aliqua jugulavit: Hepar, si colorem fuscum

excipimus; nihil monstri alebat: Vesicula fellis plena, sed obscurior; ventriculus sanus capaxque; Lien luridus, Pancreas incorruptum, sed pinguedine obsitum, in quo duo vasa Lymphatica se produnt: *Thomas Bartholinus cent. iij. hist. ij.*

H*Abitu pinguiusculo*) Clar. Bartholinus cent. 2. hist. 14. meminit phthisicos sine tabe, in juvene, temperiei corporis calidæ & humidæ, qui pleuritide ante annos sex defunctus, solura per suppurationem inflammatione membranæ, sputum expuit purulentum & tam foetens ut adstantes posset inficere, cum tussi vehementi, sed sine dolore, cui periodicus miscetur sanguis: febris adest, à prandio & cœna ingravescens: Cæterum, quod communem phthisicorum sortem excedit, corporis habitus invalescit & carnosior in dies evadit: Consultus super hoc affectu J. Dom. Sala, duas dabat rationes, cur morbo phthisicorum non contabuerit corpus, quod 1. naturalia viscera optime sint constituta, ut nutrimentum copiosum corpori subministrent, largiorem enim cibum potumque & appetit & facile concoquit: 2. Firmior corporis constitutio tam cito aut cedere phthisi aut dissolvi nescit: hinc interdum cibo & potu per annos plusculos abstinentes, ob robur corporis non contabescunt, imo animalia pinguescunt.

OBSERVATIO LII.

Phthisis à consumptione omnimoda partis sinistræ pulmonis, cum cordis vitiis.

DIu lassam animam anhelantémque spiritum circumtulerat bajulus Hafniensis: Orta nuper contentione à socio vapulat: Decumbit, sed sine vulnere, Redit ad onera 14. die, & sub onere deficiente spiritu occumbit, Alter, à quo vapularat in jus trahitur.

Cadaver exenteratur, nullumque in eo vulnus, contusio nulla observatur: Hinc phthisi consumptum verosimili conjectura divinavimus: Pulmo enim sinister corruptus erat totus, scatebárque pure fœtidissimo, Tunica externa pleuræ adnata: Sana pars superstes pendebat libras quinque civiles: in corde adiposa frustula oblonga lumbricorum instar cernebantur: Auricula cordis dextra sex digitos transversos longa diaphragmati accreverat: Hepar sine lobis rotundum magnæ molis diaphragmati adhærebat: Lien ponderosior solito: Omentum vesiculæ fellis arcto nexu implicabatur: *Th. Barthol. centur. v. observ. vij.*

OBSERVATIO LIII.

Phthisis à vitio pulmonum exsanguium, siccorum, constrictorum, cordis flacciditate & partium naturalium affectibus.

THomas Gualther Anglus cum Tabifico morbo extinctus esset, in ejus cadavere deprehendimus nullam prorsus in visceribus vitalibus & naturalibus structuræ mutationem; nisi tantùm in pluribus flaccidiorem constitutionem, & in nonnullis densiorem ac sicciorem: Multa aqua citrina thoracem & abdomen implebat, ex dyscrasia ventriculi hepatisque genita, pulmones exangues, sicci & constricti, & in dextro latere arctè adnati, cor flaccidum & exangue; sed in auricula dextra deprehendimus viscidam tenacem sanguinis pituitosi & adusti copiam, quæ ultra naturalem magnitudinem eum distenderat: In abdomine omentum invenimus prorsus extenuatum & omni pinguedine spoliatum à febre tabifica, ac manifestissime divulsæ duæ ejus membranæ cavitatem mediam ostentabant: Conspeximus & manifeste vasa per omentum decurrentia, ex gastrica vena, fundo ventriculi inserta, & ab ejus venæ origine multa, etiam vasa colo inserta: unde ex autopsia colligi poterat quam facilis & quam opportuna, validáque esset inter colon & ventriculum sympathia: quod attestatur prostratus appetitus, dum fæces in colo restagnant, & per eorum vasorum commercium, vapores in ventriculum prorumpunt: Lien densissimæ erat complexionis, coloris valde nigricantis & prorsus exanguis: Attamen vas breve ventriculi lateri sinistro insertum evidenter conspiciebatur: Hoc supra naturam lieni aderat, quod ovi columbini magnitudine appendix ipsi subtus adhæreret, exiguis simul quibusdam excrescentiis ei ad latera assidentibus: Hepar exangue erat, valde densæ & compactæ structuræ, in sua substantia omni colore rubro destitutum: certum indicium ex temperamenti defectu enata atonia hæmatosin prorsus labefactatam fuisse: Pancreas densum & compactum erat, coloris cinericii, cæterum in figura & magnitudine naturaliter comparatum. *O. Heurnius observat. xiij. Bartholinus hist. 76. cent. ij.*

OBSERVATIO LIV.

Pthisicorum quorundam pulmones frustillatim discerpti ab humore acri fuerunt.

QUos phthisicorum acris & inæqualis perdiderat deprædatio, horum pulmones, præsertim lobos, frustulatim laceratos, & quasi soricę demorsos aperto cadavere deprehendi: Acor in sanguine redundans (quod melancholicis maxime solenne) non tantum totius intenerationem, unde facile ab externis injuria, sed carnis omnis musculosæ innutricationem efficit. *Bennettus Theatri Tabidorum Exercit. xxij.*

ACor in sanguine redundans) Sanguis secundum naturam gustatur subdulcis, & ipsius serum insipidum: Quoties autem *sanguinis*, ac præsertim *seri* ipsius sapor mutatur, toties ac frequentius quidem salsus aliquando Acidus, vel Austerus, aliquando Amarus deprehenditur, plures namque sapores in ipso non memini me deprehendere: *Salsus sanguinis*, ac præsertim *seri*, sapor significat nimis purum existere in corpore salem lixivum, ideoque cum spiritu Acido confluentem, patere liquorem salso muriatico sapore notabi em corporique noxium, cum talis sapor, sed blandior, in sola urina sit ferendus, non item in sanguinis sero, aut inde productis lympha, succo pancreatico, aut Saliva: Sapor autem ille salsus muriaticus indicat sui temperationem ac correctionem: Ubi autem *Acidus*, vel Austerus est sanguis, & inprimis ejus serum, significatur Acidum & Austerum redundate in corpore: Ubi denique amaricat tum sanguis, tum ejus sanguis, significatur Bilis valde amara & copiosa sanguini admista &c. *Sylvius de le Boë m. m. lib. 1. cap. 6. §. 11.*

OBSERVATIO LV.

Phthisicis pulmones non solum suppurantur, sed etiam alterutro latere penitus absumuntur, diu vita superstite.

PHthisicis non tantum pulmones suppurari, sed penitus quoque in affecto latere absumi, & in pus liquidum, subviride, fœtidum, aliquando inodorum converti, in omnibus quotquot ego secui, deprehendi: In quorum numero cum aliquibus viventibus adhuc (quibus tuberculum in costarum intervallis prominens, indicium empyematis præbebat) pectus aperiri curarem, purisque maxima copia efflueret, tandem illis è medio sublatis pectoreque patefacto, nihil penitus de pulmonibus illius loci superesse, sed omnino deperditos calloque aliquo vasa cordis, quæ huc pertinebant, & arteriæ ramos obturata, succingentemque illius lateris membranam tumidam, puteque crassiore hinc inde, veluti pulte oryzacea, subviridi conspersam invenimus: Quod & in aliis multis post obitum exploratis eodem modo se habere invenimus: In quo casu hoc præsertim admiratione dignum, multos qui hoc affectu laborabant, præter marcorem corporis & tussim, nullis aliis gravioribus accidentibus divexatos, nihilominus tamen, pauco etiam ante obitum tempore, libere adhuc respirare potuisse, nihilque ipsis in functionibus naturalibus atque vitalibus edendis, nisi quod omnia etant imbecilliora, decessisse. *Ex Felicis Plateri Observationibus.*

OBSERVATIO LVI.

Tabes à putrefactione sinistri lobi Pulmonis Dextri vitio, Ventriculi extenuatione & contractione, Epatis siccitate, Grandi calculo in vesica, Rene uno corrupto, Altero seri copia distento, Cordis vitio, &c.

JUvenis cujusdam annos 25. nati, arte dulciarii, cum fato debita persolvisset; post diutinam, eamque valde molestam illius quod præ se ferebat corpusculi conflictationem, ex dyspnœa, marasmo & vesicæ calculo, cadaver ex jussu affinium dissecari curavimus: quo in multa supra naturæ modum admirabilia conspeximus: Primo, thoracis in cavitate sinister Pulmonis lobus succingenti membranæ una cum dextro ita tenaciter adhærebat, ut ad medias putrefactus & summa puris quantitate refertus: sicut & dexter esset lividus planè & ponderosus, vix & summa cum δυσκολίᾳ avelli possent: Duplo majorem solito substantiæ molem Cor nactum erat: media quinimo in sua substantia, alba glandula digiti pollicis magnitudinem excedente vitiatum. Quod vero mirum visu, ita *extenuatum* & in se contractum præ cibi ἀνοξίᾳ ventriculum conspeximus, ut cyathi unius haud admittere posset mensuram: is vero mera bile porracea, cui pituita juncta, & parietibus ventriculi tenacissime adhærente, plane refertus erat, ut cavitas adimpleretur: Ulterius, erat Hepat exangue & retorridum; debitam quantitatem excedens, cui intestinum colōn firmiter annectebatur per ligamenta quædam, sicut & reliqua intestina peritonæo. Ad corruptionem Renem dextrum plane vergere dixisses, ita ex livido albicabat & carnis mollioris erat; ut ex

attractione in frusta abiret, plus justo naturalem magnitudinem superabat, arenulis, iisque tenuibus, sicut & sero multo refertus erat: *Peram aut sacculum* atte fabrefactum *sinistrum renem judicasses*, hujus enim situs & figura valebant, sed ob ureteres inde oriundos & vesicæ implantatos, ob valvulas in interna cavitate magnopere dilatatas, & naturales quodammodo referentes, ob copiam seri ibi contentam (possum enim & absque veritatis fuco asserere ultra mensuram Genevensem cum dimidia ichoris adfuisse, h. e. ad uncias xlvi. aut l. ad minimum) renem stabiliisses. Ultimo tandem in vesica urinaria repertus fuit calculus immensæ magnitudinis, cujus moles in extractione circiter pondus novem unciarum æquabat, jam cum per quatuor menses exaruerit, uncias sex adimplet. *Ex observationibus Petri Blandini Medici Genevensis apud Fabritium Hildanum centur. iv. Observat. L.*

ITa extenuatum ventriculum, &c.) Ventriculum hoc modo contractum fuisse rarissimum est, præcipue in calculosis, qui ut plurimum continuo sitibundi sunt multumque potus ingurgitant, ex quo ventriculus labefactatus & relaxatus, potius dilatatur quam ut possit retrahi. *Hildanus ibidem.* Summam vero ventriculi tunicarum extenuationem observavimus in Dom. Rubatti Pharmacopæo Genevensi peritissimo, qui ex ejus Erysipelate obiit anno 1654. Cùm enim Chirurgus qui anatomen instituit, in gratiam Medicinæ Candidati novaculam ventriculo admovisset, parum adfuit quin substratos digitos simul discinderet. Similem tenuitatem notare licuit in ventriculo Dom. Girard Neocomensis, qui ex vomitu atræ bilis diuturno obiit, tenues enim adeo erant tunicæ ut vix chartæ empoteticæ crassitiem æquarent.

Peram aut sacculum sinistrum renem judicasses) Renem sinistrum in formam peræ aut sacculi dilatatum fuisse, admiratione non vacat; Id tamen ratione calculi qui procul dubio valvulæ ureteris sinistri adjacebat; aut, quod magis rationi consentaneum est, adnatus erat, viamque urinæ obstruebat; accidisse arbitror: ad renem enim & ureterem cum continuo urina deflueret, nec ulterius progredi posset; paulatim & substantia renis, & ipsius membrana una cum uretere, in formam sacculi aut peræ extensa atque dilatata fuerunt. Si enim nonnunquam in hydrocephalis, non solum ipsa substantia cerebri una cum membranis, verum etiam cranium ipsum mirum extendirur dilaraturque, quanto quæso magis id in rene fieri poterit? *Hildanus ibidem.*

Observatio LVII.

Phthisis orta à pulmonibus putridis, materia ichorosa per totum infarctis, Renum vitio, &c.

VIr Ill. Convulsivis motibus admirandis diu fatigatus, tandem Phthisi extinctus est: Illius Pulmones sterno, costis & septo undequaque adnati erant, sine ulla fere distinctione loborum, una tantum compages carnis spongiosæ, putridæ, & materia ichorosa per totum infarctæ videbantur: Intestinis majoribus excrescentiæ quædam carneæ, instar auriculatum muris adnascebantur: hujusmodi cum plurimæ fuerint, ex utroque intestinorum coli & recti latere, ad certa quasi stadia, instar ramorum arboris, gemellæ prodibant. Simile quiddam in Tabido olim reperi: Renes culpa non vacabant, nam in medio dextri cavitas ingens, à pelvi distincta, aqua limpida impleta conspiciebantur: Sinister valde extenuatus & absumptus. *Vide lib. 1. Tit. de spasmo.*

PHthisi) Causas vide in historia l. 1. Sect. 13. Observ. 1.

Excrescentiæ quædam, &c.) Vide causas ibidem.

Observatio LVIII.

Phthisis pleuritidem sequuta, à Pulmonis dextri parenchymatis consumptione, Sinistri putrilagine, Pericardio pustulis exasperato, Iecore scirrhoso, &c.

VXor N. post pleuritidem lateris sinistri Tabida interiit; Tunica lobi dextri pulmonis sola superstes erat, parenchymate consumpto: Sinister totus fere in putrilaginem abierat: Pericardium pustulis plurimis erat exasperatum. Jecur tumidum & scirrhosum, Pancreas consumptum, &c. *Vide tit. de Exspuitione purulenta.*

Observatio LIX.

Pthisis à Pulmonum corruptione, Vasorum Cordis consumptione, Pericardii & mediastini exulceratione.

TAbis causa est Pulmonum exulceratio, eo usque progressa ut putredo inde sequatur, qua corruptos pulmones ex parte aliqua, vel etiam penitus in uno latere, & in pus controversos deprehendimus. Vasis cordis, quæ illi cum pulmonibus sunt communia, similiter cum pulmone illius lateris deperditis, & circa cor veluti abjectis, & callo illic juxta radices occlusis & obliteratis.

obliteratis. Tantamque sæpe corruptionem fuisse, ut & mediastinum pulmones dividens, ipsumque pericardium cor obvolvens, ea infecta fuerint. *Platerus Pract. Tomo 3. cap. 5.*

Observatio LX.

Phthisis à Pulmonum ulcere & eorundem flacciditate.

IAm nos consultatione pro Ill. Com. unanimes decrevimus ipsam phthisi non solum, sed & Phthoe, h. e. cum pulmionum exulceratione, affectam fuisse, ex ea interitum illi ominati, prout certe contigit; Neque hæsitationi locus dari potest de idiopathica pulmonum affectione; cum eosdem duplici nomine, nimirum & prima, ex phthisi ulcere, ob prægressam sanguinis excretionem; & secunda, ex flacciditate eorundem laborasse deprehensum fuerit: licet de primaria hæserit scriptor, aut secundaria affectione, quod uteri tumor præcesserit, à cujus suppuratione cum dolores, & proinde febres obliterint, illum propterea Ill. Adstantes neglexerunt. Attamen Pulmones non ab utero, sed à capitis distillatione, Sanguinis sputo, nec non à venoso genere labem contraxisse putamus: uteri namque tumores, abscessus & ulcera, licet nonnunquam Tabem inducere possint, non tamen pulmones facile adeo inficiunt; quod num hoc casu forte contingere potuerit, inquirendi locus foret, nisi alia manifesta causa pulmones afficiens prægressa fuisset. Mala autem naturalis conformatio & immedicabilis, à nobis in aliis observata, defunctam prædictis Pulmonis affectionibus idoneam facilius & obnoxiam reddidit. Caveant interim Consanguinei superstites à domestica, & præsertim cubiculi ejusdem suppellectili, ne à Phthisi infectis miasmatibus labem ducant. Raymundus *Io. Fortis cent. 2. consult. 36.*

EX *flacciditate eorundem*) Quæ secunda species Phthisis Hippoc. ubi Pulmonum caro laxa, ob jugem catarrhi humiditatem flaccescit; à cujus corruptela facile corrumpitur.

Observatio LXI.

Anatome puellæ cujus Pulmo sinister consumptus, cum insigni Iecoris magnitudine; ventriculum ad inferiora deprimente.

FIlia Sexennis post lentam Tabem, doloribus hypochondriorum & prostrato appetitu viribus fracta expiravit.

In dissectæ cadavere Hepar fere universum occupabat abdomen, ventriculumque adeo ad inferiora depresserat, ut quasi ab œsophago videretur separatus. Pulmo sinister consumptus.

TAbi dederat occasionem Pulmo sinister consumptus: Neque enim ex salute hepatis dependet nutritio, sed à cordis Pulmonumque sano statu. Cor sanguinis officina, per Pulmones vero universus sanguis circulatur, ex quorum vitio hoc detrimentum capit. Pondere igitur hepatis increscentis, ob impeditam circulationem depressus ventriculus, cibos vitæ necessarios respuit. *Th. Bartholinus Histor. Anat. 71. Cent. 6.*

Observatio LXII.

Phthisis à Pulmonum lobo utroque, sinistro præsertim, corrupto, Præcedente vitio ventriculi, Intestinorum & Pancreatis.

VVilhelmus Leychli, Luis Wallensis, quindecim circiter annorum, ex orphanotrophio, ubi quotidiano vacabat labori, morbo periculose decumbens, mense Junio anni currentis 1677. in νοσοκομεῖον, sanitatis, si ita Deo ἰσχῷ ὑψίσῳ placuerit, recuperandæ ergo adductus fuit. Ego, tunc temporis, cum adhuc curæ ægrotum inhiarem, vocatus, vidi hominem *facie ex subatra pallescentem*, *Siti* vexatum intensa, Pulsu præditum celeri, debili & inæquali, *difficultate spirandi* pressum, de *sputo sanguineo* purulento & magna *appetitus prostratione* conquerentem: Anxius tum hærebam cum meliora edoceri neque ab ægro, neque ab adstantibus potuerim, utrum pleuritidem præcedentem æger passus fuerit, necne: Tandem vero cum doloris pungitivi in latere se vestigia nulla unquam sensisse, asseruerit; verum sputo sanguineo cum tussi, quod jam purulentum evadat, ab aliquo tempore vexari confessus fuerit, eum ex Peripneumonia Phthisicum jure arbitratus fui: hinc præscriptis primo potionibus vulneratiis, addendo croci essentiam cum *balsamo sulphuris anisato*, & aliquot guttis spiritus urinæ, vel salis armoniaci, post decoctum pectorale antiphthisicum, confectam roborantem & adstringentem, addendo ea quæ putredini resistunt, in usum vocavi: verum cum & hic, quod alibi fieri solet, docta prævaluerit arte malum, æger vitæ hujus misellæ afflictionibus fessus, spiritum creatori suo reddidit.

Ante-

Antequam occasionem cadaver hujus ægri lustrandi mihi exhibitam ariperem, placuit, prius ab Excell. DD. *Rothio*, Orphanotrophii Medico ordinario, sciscitari quonam morbo primitus affectus fuerit, vel quænam symptomata ipsi in Orphanotrophio adhuc degenti præcipue infesta esse cœperint? Qui per alium me certiorem reddidit, se in misello hoc corpore jamdudum affectionem scorbuticam metuisse, & jam ab aliquot septimanis phthisicum eundem augurátum esse: Quibus ita exploratis operi me sectionis accinxi.

Linteamentis, quibus demortuos obvolvi & honestas suadet, & Scriptura jubet, ablatis, ecce *Ventrem infimum tumidum* omnino, de quo nec æger conquestus unquam, neque nos talem ullatenus vidimus vel observavimus: unde statim ingentis seri copiæ suspicio mentem nostram, neque frustra, cœpit. Involucris hinc infimi ventris dissectis, cum Epiploo, quod putridum erat, deprehendimus *hepar præternaturalis* omnino *magnitudinis*, *parte cava corruptum & putrescens*, una cum vesicula fellea, quæ, uti in cæteris, gelatinam referebat: Succus tamen effluens subater erat & viscidiusculus, parum spumosus: In hypochondrio sinistro *Lienem* invenimus *tumidum*, *flaccidum*, corruptum & quoad interiorem substantiam nigricantem: *Pancreas* sub ventriculo vidimus *maximum*, *glandulis insignibus* & *duriusculis* superbiens: *Mesenterium* observavimus *gelatinosum* omnino, maxime quoad extremitates, quibus intestina cingit: Gelatinosus hic humor fere *intestinalium cellularum externam faciem* plane *cingebat*, ipsámque Mesenterii substantiam tantopere occupabat, ut difficile fuerit omnino, vel vasa vulgo dicta mesenterica, vel, quod plus est, glandulas detegere. In ipsa hujus *ventris capacitate ingens* extitit *seri copia*, quæ, integumentis discissis, qua data porta fugam dare cœpit, non tamen ita fœtidum, uti in nupero, cujus Tibi historiam scripsi, spirantis odorem: Cætera hujus ventris satis rite habebant: Thoracis examen aggressus, diaphragmate superato, *multum aquei humoris è thorace* erupit, neque facile fuit *Pericardium à sterno*, *cui firmiter cohærebat*, absque ruptione separare. In Pericardio aquam adhuc copiosam reperimus, quæ autem, ruptione facta, per viam thoracis apertam, ad inferiora vergebat: *Pulmonum lobus uterque putridus* erat & corruptus, magis tamen sinister quam dexter: Uterque pressus materiam reddebat purulentam. *Ex literis D. D. Ioh. Iacobi Harderi Philosophi & Medici Basileensis. d. 15. Sept. anno 1677. datis ad Clar. DD. Ioh. Conradum Peyer Medicum Schaphusanum.*

Rem jam pensitem prout cunque velim, in aitiologia hujus casus instituenda, videtur in hoc ægro primitus peccasse Ventriculus, Intestina cum suis glandulis & Pancreas: post hæc Cor præcipue cum suis partibus ancillantibus: Phthisin vero demum ex copia seri acris & corrupti in thorace stagnantis provenisse autumo. Cumque æger nec de rumore ventris ullo unquam querelas moverit, neque Medico orphanotrophii ordinario, neque mihi quicquam horum observare licuerit, œconomiam vitalem principaliter in hoc laborasse constat, cujus vitio hydrops pectoris suam videbatur sumpsisse originem, copiáque seri aggesta, & ad inferiora regurgitante Ascitem produxisse; Taceo quod hic multum conduxerit lymphæ acrioris copiosa in glandulis accumulatio, ob sanguinis ritam exaltationem, œconomia vitali turbata, læsum. *Idem.*

Balsamo sulphuris anisato) Ulcerum, apostemata consequentium, mundationem ac consolidationem consistere ait *Franc. Sylvius* Prax. l. v. cap. 40. in correctione puris acidi rodentisque ulceratæ parti adhærentis, atque sanguinem ipsi nutriendæ dicatum, ea parte saltem corrumpentis ac in novum pus vertentis: Quem in finem laudat Balsamum sulphuris terebinthinatum, anisatum, &c. inprimis ratione olei aromatici, adeoque sale volatili oleoso abundantis, à quo spiritus acidus in pure luxurians, quin sanguinem in pus indies corrumpens, non tantum obtunditur, sed insuper mitigatur emendaturque ita, ut affluens sanguis partes prius consumptas reparet brevi, consolidationémque ultimam expediat.

Observatio LXIII.

Phthisis à putredine Pulmonum intra 24. dies interimens, cum intestinorum vitio.

IN Hieremia Tonsoris servo multa observanda fuerunt, Primum est lentiginosus & *rufus.* Ea corpora terra quadam bile abundant, & qui humor dominatur & morbum facit, vix coctionem admittit. Sedari non potuit febris, hemicraniæ erat obnoxius: ejus ergo guajaco usus fuerat, & decoctum hoc siccitatem & squallorem summum induxerat, febris assidua, xi. die dysenteria à prava bile, Non est allevatus, Macruit omnino, & tandem in maciem adductus ad diem xxv. interiit.

Pulmones sunt deprehensi putres. Intestinorum corpus vitiatum erat. *G. Ballonius Epid. & Ephem. lib. ii pag. 245.*

Rufus] Idem ibid. p. 205. observat Rufos morbis vix liberari, eo quod humor in iis abundans habet aliquid virulenti: Atque morbos quicunque eos adoriuntur, magis formidolosos esse, circa quos medici prudentiores cautioresque esse debent.

Observatio LXIV.

Phthisis à Pulmonis dextri consumptione, integra sinistri inchoata, Empyemate thoracis, &c.

IAcobus Cobiet, lanificio victum quæritans, initio hujus anni in morbum acutum thoracis inciderat, cui medicinam non fecit, ex quo materia morbifica retenta Pulmonem labefactavit. In tussim, dyspnœam & cachexiam incidit; Et quia pauper erat, in nosocomium delatus est: ibi malis gravescentibus in ista miseria ultra tres menses decubuit, & licet adhibita essent commoda medicamenta, tamen in Phthisin & summum gradum hectices incidit.

Defuncti cadaver dissecui: Pulmo dextri lateris pleuræ validissime erat adnatus, ipsaque pleura supramodum crassa, ut facile conjicere fuerit hic morbi initium & focum fuisse: Nam totus ibi Pulmo fœde consumptus erat, & vix præter vasa & filamenta quid restabat: Totam cavitatem *fœdissima sanies* implebat, cui similem aliquot septimanas ante obitum rejecerat. Sinister Pulmo etiam aliquantulum corruptus, aqua spumosa impactus, & exiguis aliquot vomicis refertus erat. Cor simul cum suis vasis exangue & pericardio firmissime passim adnatus erat, adeo nihil prorsus ibi liquoris residuum: viscera naturalia non aliter à statu naturali declinaverant, nisi quod omnia flaccida, pallida & sanguine destituta, & Omentum fere consumptum. Totius vero corporis extrema cernebatur macies, adeo ut de carnibus nihil præter filamenta testaretur, ipse & ante obitum vivus χήλετος appareret. *Ottho Heurnius histor.* XXVII.

Observatio LXV.

Phthisici infantis pulmo dexter & hepar sphacelo affecta reperta, ventriculus corruptus, &c.

PRæcipuæ notæ infans maximo cum parturientis conatu in lucem editur, ita ut tertia hora post puerpera moreretur: Summo quoque ipsius conatu, ut circa futuram coronalem, quamdiu viveret, cranium elevatum magis appareret; Licet vero optime lac sugeret, prorsus tamen non accrescebat, unde & pro hectico curabatur.

Sed septima septimana extinctus est, secabatur, atque pulmonis lobus dexter, ad axillam vergens, niger plane reperiebatur, per quinque tubercula nigra. Hepatis quoque lobus superior lividus & nigricans. Ventriculum, cum paululum propter sectionem instituendam distenderent, rumpebatur ille cum maximo fœtore. *Ph. Salmuth. cent.* I. *Observ.* IV.

NUtritionis vitiatæ causa facile apparuerunt hinc: Totum quoque corpus conspiciebatur lividum; ob contusionis forsan reliquias: Causæ hinc patent cur fœtus difficulter editi ferme moriantur, quod nimirum omnia per compressionem quasi contenduntur; contusa autem necessario corrumpuntur. Vide Hipp. de vulneribus. Non abs re ergo forsan foret si infantibus ejusmodi sperma ceti exhiberetur, itémque nutricibus.

Observatio LXVI.

Tabes à Pulmone purulento, Pancreate scirrhoso, aliisque partium naturalium vitiis.

ANte annum Magistratus in mandatis mihi dedit, ut pauperculam Joh. Pfeiffer curandam susciperem, in qua tot erant morbi complicati, ut ne quidem Æsculapius ipsam à morbo liberare potens fuisset. Corpore demortuo viscera sic constituta reperi. Agebat autem octavum annum, & ab ipsis incunabulis morbis obnoxia fuit: Quod ipsi partim ob pravam victus rationem accidisse credo, cum mater vinolenta fuerit, quotidie se vino onerans, & infantes à teneris solo pane & vino ut plurimum alens: hinc viscera tum in ipso utero, tum etiam post partum labefactata & velut tosta fuerunt, inprimis hepar, quod præcipua fuit causa malorum, ut parebit ex sequentibus.

1. Hepar, etsi color externus utcunque laudabilis esset, interius tamen siccum, aridum & velut semicoctum erat, quod arguebat maximam calidam intemperiem adfuisse: Hinc sitis illa inexhausta, qua à teneris affecta fuit.

2. Ex hac porro intemperie calida Hepatis sequutum fuisse cerebrum humidissimum verisimile est, ob vaporum multorum ascensum ad caput, Ita quidem ut cranium à teneris, copia vaporum & humorum frigidorum paularim aliquomodo extensum fuerit, & proinde caput proportionem corporis aliquantum excesserit. Maxima illa humiditas cerebri insuper Spinam dorsi, omnésque ex ipsa prodeuntes nervos, contriruo adeo irroraverat, totumque corpus tam lubricum effecerat, ut à quatuor ab hinc annis ne suffulcris quidem incedere, imo

vix

vix in sella sedere potuerit. Articuli omnes, uti & ipsa ossa, adeo erant mollia ut nonnulla ad instar ceræ tractarentur, inprimis claviculæ & costæ, ubi ossi pectoris annectuntur. Spina dorsi à continua ista defluxione humorum ex capite, adeo erat emollita & lubrica facta, adeoque vertebræ erant relaxatæ, ut figuram hic adjunctam repræsentaret. Prima incurvatio sinistram partem pectoris occupabat, hinc *angustia pectoris & respirandi difficultas.* Altera incurvatio è regione hepatis erat, & ita quidem ut ren dexter incurvationem aut angulum spinæ occuparet, sinister vero nonnihil versus musculos abdominis deprimeretur: Ex hac porro incurvatione spinæ omnes corporis partes velut in globum ita contrahebantur, ut vix puerum trium annorum adæquaret.

3. Cœterum ob maximam illam humiditatem cerebri, & defluxionem humorum frigidorum ad nervos, præcipue ossis sacri, non tantum sequuta fuerat imbecillitas crurum, sed & sphincter vesicæ adeo relaxatus fuerat, ut à quatuor ab hinc annis urinam retinere non potuerit, sed continuo urinæ stillicidio laboraverit: quare vesica, cum à tanto tempore urinam non colligeret, retinerétque, & proinde velut inutilis esset, plane in se contracta, rugosa & velut scirrhosa inventa fuit, præcipue circa ipsius fundum. Non tantum autem ab aliquo tempore incontinentia urinæ laboraverat, sed & plerumque excrementa alvi involuntarie effluxerant: imo & ipsum intestinum rectum frequenter simul prolapsum fuerat, & ita quidem ut difficultet reponi posset.

4. Lien plane erat sanus: Splenica quidem vena maxima: hinc appetitum illum continuum & comedendi aviditatem provenisse credo: Lien enim cum crassiorem chyli partem sine ullo impedimento ex venis mesaràicis continuo traheret, & proinde humores acidos copiosè ad ventriculum mitteret, facile bulimia sequi potuit: Etsi autem cibum multum appeteret, plurimùmque comederet, *exigua* tamen *sequuta est Nutritio*, quin potius de die in diem magis fuit *Extenuatum corpus.* Quæris causam? in promptu est. Corpus enim illud carnosum quod venæ portæ substratum est, *Pancreas* vocant, adeo erat *glandulosum ac durum*, ut chylus in venis mesaraicis alteratus ad hepar pervenire non potuerit: Est & alia causa hujus Atrophiæ, videlicet cacochymia maxima, juxta aphor. 10. 2. Impura corpora, &c.

5. Ventriculum quoque imbecillem habuisse arguit flatuum copia: quatuor enim ab hinc annis abdomen in modum tympani extensum fuerat, idque à flatuum in intestinis retentorum copia, qui illis adeo tenaciter adhærebant, ut purgationi nequicquam cederent, Et post mortem acie scalpelli perfossis intestinis vix efflarent. Nec solum intestina flatu distenta erant, sed & ipse quoque ventriculus.

6. Renes secundum naturam erant: uterer verò dexter magnitudine naturæ modum multum excedebat, & crassitie minorem digitum fere adæquabat: E contrario vero sinister valde exilis repertus fuit, Neque ad vesicam descendebat, sed sub emulgente dextra venam cavam ingrediebatur. Ren itaque dexter ut amborum rerum officium faceret necesse fuit.

7. Substantia Pulmonis materia purulenta erat imbuta, præcipue ex sinistra parte, ubi ob spinæ incurvationem compressa, ideoque magis livida quam in dextro latere conspiciebatur, & initium sphaceli ibi fuisse color præ se ferebat: Hinc *anhelitus* fœtidus, hinc *Tussis* gravissima, qua per dies aliquot ante obitum affecta fuerat: Putredinem porro hanc *quod tam placide expiraverit* causam fuisse certus sum.

8. Pericardium permagnum & aqua turbida repletum fuit: hinc palpitationes cordis quibus frequenter laboraverat: Sed, quod annotatione dignum est, diaphragmati, & quidem in medio ubi nervosum est, tam tenaciter & mediante callosa materia annexum erat, ut illud nonnisi novacula separare potuerim: Hinc pectoris angustia & respirandi difficultas, qua à teneris annis affecta fuerat, provenisse paret: præternaturalis enim connexio illa, pericardii dilatationem pectoris non admittebat.

9. Ab incunabulis autem lotium sine difficultate & conatu reddere non potuerat, quia scil. nervi ossis sacri adeo relaxati fuerunt, ut etiam sphincter vesicæ officio non fungeretur & urina involuntarie effluerer: Hujus difficultatis causam in excretione urinæ connexionem illam præternaturalem pericardii cum diaphragmate fuisse non est quod dubitemus. Ad facilio-rem enim excretionem excrementorum haud parum facere diaphragma Anatomici testantur: In excretione enim excrementorum, cùm anhelitum retinemus, diaphragma viscera, quæ sub ipso sunt deprimit, excrementáque propellit. *Fabritius Hildanus cent. vi. Observ. lxxiv.*

Pancreas erat glandulosum ac durum) Ab hac duritie atrophiæ causam deducit, ob interceptam chyli *d iddem*, *Richardus Louver* Tract. de corde c. 5. p. 214. ac verisimiliter censet ab humore è Pancreate in duodenum secreto, chylum pro faciliore transitu magis dilui & attenuari: quippe cum glandula illa reliquis omnibus affinis sit, ejusdem cum iis substantiæ & texturæ; atque humor omnis è glandulis quibuscumque separatus similis omnino, & velut lympha tenuis sit, eisdem usibus inservire censendum esse: Quocirca uti glandulæ circa os &

os & fauces consitæ lympham suam inter masticandum exstillant, qua cibos perfundant & emolliant, quo facilius in ore volutentur, & deglutitioni aptiores reddantur, sic absurdum non videtur existimare magnam illam glandulam eo loci consitam esse, atque ductum, Wirsungianum dictum, in intestina aperiri, ut lympha inibi secreta descendenti chylo misceatur, quo angustos lactearum canales promptius ineat, & magis libere & expedire transeat. Et si quidem chylus in vasis lacteis, aut ob crassitiem, aut liquoris porulenti inopiam (qui pro vehiculo esset) aliquando stagnare & concrescere, & proinde illa vasa penitus opplere & infarcire aptus sit, prout in Cane, cujus Pancreas obduratum semel observavit Clar. *Louver*, ideo glandulæ in mesenterio passim quoque constitutæ videntur, ut similem prætcrlabenti chylo lympham affundant, quo tenuior & dilutior) qualis semper ultra glandulas mesenterii apparet) continuo evadat: & licet in alios præterea usus lympha hæc inservire possit, cum tamen tantum periculum sit ne chylus intra minutos & capillares istos ductus subsistere, & crassitie sua sibi ipsi viam obstruere, aut longiore mora concrescere possit, ideo præcipue à summo conditore cautum esse videtur, tum ut lympha è Pancreate in intestina transmissa perfunderetur, quo facilius in lacteas transeat, tum ut in media inter intestina & receptaculum via, eadem tenuissima lympha iterum in glandulis mesenterii separata dilueretur, quo reliquum cursus sui stadium versus commune receptaculum absolveret.

Quod tam placidè exspiraverit, &c.) Id sæpissime in iis qui ex inflammationibus imi ac medii ventris (quoties in sphacelum abeunt) moriuntur, observare est: Cum primum enim putredo majores arterias ingreditur, statim veluti syncope corripitur homo, statimque & sine violentia extinguitur, non secus ac lumen oleo deficiente: Putridus enim ac malignus ille vapor spiritum vitalem suffocat, temperamentumque cordis destruit: Quibus à partu secundina in utero putrescit hoc modo moriuntur: imo & qui ob gangrænas externarum partium vivere desinunt. Qui sphacelo crurum laborant, ut plurimum moriuntur quam primum putredo genu prætergressa fuerit: ac sphacelo scroti affecti diu superstites vivunt, quia crus circa genu longe majores habet arterias quam scrotum, ideo per eas citius vapor malignus ad cor ascendit quam ex scroto, etsi cordi magis propinquo. *Idem ibidem.*

Pericardium diaphragmati adnexum] Præternaturalis hæc cohæsio fuit, ob callosam materiam utrumque conjungentem, alias ex Anatomicorum consensu pericardium in homine septo transverso semper accrescit, cum idem in quadrupedum genere liberum & aliquanto spatio ab ipso remotum fuerit: Finalem causam statuit R. *Louver* lib. de corde, quod cum erectus sit hominis incessus atque figura, eoque facilius abdominis viscera suo pondere descendant, minore diaphragmatis nixu atque systole ad inspirationem opus esse: Porro cum in exspiratione pariter necesse sit idem diaphragma relaxari & tensionem suam remittere, cum capsula cordis omnino connectendum fuisse in homine, forte quamdiu erectus incedit, ab hepatis aliorumque viscerum appensorum pondere deorsum adeo deprimeretur, ut neque pulmo satis concidere, neque exspiratio debito modo peragi potuerit: quocirca in quadrupedibus ubi abdominis viscera in ipsum diaphragma incumbunt, ipsumque in pectoris cavitatem suo pondere impellunt, ista partium accretio expirationi quidem inutilis, inspirationi autem, debitam diaphragmatis tensionem impediendo prorsus incommoda fuisset: Ideoque pericardium in brutis liberum relinquitur ne diaphragmatis systolæ officeret: in homine autem septo alligatur, ut ejusdem inter exspirandum diastolen adjuvaret.

Observatio LXVII.

Tabes à multiplici vitio partium imi ventris & thoracicarum.

Puella annorum circiter sex secta fuit: Cum toto vitæ curriculo morbis fuisset obnoxia, præsertim vero tumoribus œdematosis circa articulos manuum, quibus apertis ossa corrupta inveni, nulla tamen fere materia aderat: Dein palpitatione cordis & asthmate divexata, tandem *Atrophia* periit.

Abdomine aperto, Omenti pinguedo absumpta erat, Intestinum cœcum, non lumbrici instar sed crassum, ex meris glandulis rubentibus compositum, duorum scil. digitorum latum, in quo nihil nisi muci aliquid: Mesenterii glandulæ scirrhosæ, Hepar à naturali magnitudine recedebat, ut quod plus justo magnum esset, Ren sinister dextro multo major & durior: Ventriculus chylo vacuus, sed flatibus distentus. In thorace verò Pulmones à convenienti colore recedebant, Pericardium distentum aqua refertum, Cordis auricula dextra prætumida, cui inerat materia quædam alba, membranosa, crassa, oblonga, In ipso autem dextro cordis ventriculo, materia pinguedini similis. *Ex observ. Casp. Bauhini.*

Observatio LXVIII.

Tabes à vitio Pulmonum flaccidorum, Hepatis scirrhosi tumidi; Omenti glandulosi ex parte corrupti, Renis dextri putridis, sinistri glandulis obsiti &c.

In cadavere exenterato Nobil. C. A. B. hæc reperta, 1. Omentum glandulosum & adenibus undique refertum, adeo ut nulla ex parte membranosum appareret, crassum valde & tumidum: in parte dextra, circa regionem hepatis, putrefactum & lividum. 2. Hepatis parenchyma scirrhosum, tumidum variisque maculis nigricantibus & griseis distinctum. 3. Vesicula

cula fellis humore nigerrimo & bile atra, materiaque quadam tartarea, sabulosa & friabili turgescebat: 4. Ren dexter totus erat corruptus & putridus; sinister glandulis ovi columbini magnitudinem adæquantibus undique obsitus & quasi obvolutus: Pulmones toti flaccidi & variegati. 5. Partes circumjacentes proxime Hepatis gibbam partem, ut & renem dextrum putridum, plane erant corruptæ. 6. Cor, Lien, Uterus, Intestina & reliquæ partes naturales. *Timæus lib. 6. Epist. 8.*

Observatio LXIX.

Phthisis à Pulmonibus corruptis, ulceratis, Hepate torrefacto, Liene pene absumpto &c.

IN Anatomia Chr. Richteri, cui mense Aprili, anno 1637. præfui, notavi sequentia, Omentum & Mesenterium penitus fere erant absumpta: Lienis quoque exigua portio aderat nigra, sanguinis congelati instar: Hepar insolitæ magnitudinis conspiciebatur, coloris tamen ex parte plumbei, & in sinistra parte nigricantis, atque insuper assatum & torrefactum quasi. Vesicula bilis continebat nigricantem materiam, grumosam, atque aliquot lapillos lentium quantitate: In abdomine collectam videbamus aquam citrinam: In utero vero purulentam, adeo copiosam, ut Pulmonum corruptorum & exulceratorum particulæ in pure quasi natarent: Venæ phrenicæ pure instructæ, Cor flaccidum erat; In pericardio drachmæ tres aquæ. *I. Daniel Horstius obs. 7.*

Observatio LXX.

Phthisis à vitio Pulmonum corruptorum & in tabem solutorum, Mesenterii glandulis obsiti &c.

IN cadavere Illustr. Comitissæ de Hodis &c. ad condituram exenterato hæc reperta 1. Totus corporis habitus excarnis, musculique omnino macie confecti. 2. Omentum humore bilioso per totum suffusum & tinctum. 3. Ventriculus & intestina flatibus distenta, cum multo seroso humore, unde pridie ante obitum de abdominis tensione conquerebatur: 4. Mesenterium glandulis maximis & nigris obsitum, è quibus quædam avellanas mole superabant: dissectæ quædam serum flavum continebant, aliæ humorem nigrum & fœtidum. 5. Jecur coloris quidem erat naturalis, concava autem pars bile obducta: substantia laxior & mollis, vasa nequaquam obstructa; Cystis fellea & porus bilarius bile intense flava referta, quanquam non omnino obstruerentur: 6. Lien naturali multo major, longior, crassior, maculis variis flavis, viridibus, nigris conspersus, durus, qui dissectus profudit humorem melancholicum fœtidissimum, acidum spirantem. 7. Renes maximi: in dextro erat calculus oblongus, uno extremo reni infixus, alteri ureteris orificio: ureter uterque sabulo crasso scatebat: Sinister quoque Ren lapide avellanam æquante occupatus erat: Color utriusque ad nigredinem vergebat: 8. Vesica urinaria parva erat, nucem moschatam vix superans, paucum lotium sed fœtidissimum continens. 9. Uterus angustus, durus nigricans, sero cruento refertus: vasa ejus exilia, complicata & intorta: 10. Pulmones pene omnino putres, consumpti, quorum superstites erant solum summi lobi, adeo ut amplius respirationis munus obire non valerent; quæ potissima videtur obitus causa. 11. Cor admodum parvum, flaccidum & tabidum: In vasis & ventriculis ejus nihil p. n. repertum. 12. Collum erat durum & scirrhosum, ut & lingua, quæ nigra: In capite omnes partes, tam continentes quam contentæ, sanæ. *Balth. Timæus lib. 6. Epist. 7.*

Observatio LXXI.

Tabes à Pulmonum insigni corruptela, Omenti putredine, Mesenterii & Pancreatis obstructione, Hepate scirrhoso, Liene duro, Rene dextro calculoso, insigniter tumido & ad gangrænam vergente &c.

CEls. Princeps melancholicus, gibbosus, scorbuticus, octo diebus ante mortem correptus febricula lenta, cum virium resolutione, ob defectum probi sanguinis & spirituum carentiam: Omentum fœtidissimum & putridum sese obtulit: Mesenterium nigris varicibus undique circumseptum, cum Pancreate, induratis multis magnisque glandulis, impervio: Hepar parvum, nigrum, scirrhosum, Ren dexter major capite puelli duorum annorum, in quo calculus ℥iiß repertus: Infra hunc abscessus magnus, pure plenus, In medio ventre duæ hydatides ab humero usque ad septum transversum: Pulmonum erat insignis corruptela: (lib. 1. tit. de melancholia.)

OBSERVATIO LXXII.

Phthisis, à Mesenterio scirrhosis tumoribus obsesso, Abscessu in Pulmone dextro, cum scirrhis & steatomatis per totam eorum substantiam.

SOlent nausea & cibi fastidium comitari Tabem; vidimus tamen puellam 14. annorum, quæ circa 10. annum paulatim in Tabem incidens, 4. sequentium annorum spatio ita laboravit ut penitus extabefacta fuerit, appetitu tamen vix unquam imminuto; nam comedebat & bibebat non parcius quam si sana fuisset: exercitia puerilia non dimittens, nec decumbens, nisi ante 4. aut 5. septimanas ante obitum.

Cadaver dissecans, reperi mesenterium undique refertum steatomatibus, tumoribus duris atque scirrhosis, præcipue autem circa vasa & venas quæ ad portam protendunt: Circumcirca venam Portam tumores scirrhosi inveniebantur multi, quorum alii ovi gallinacei, alii nucis & castaneæ magnitudinem æquabant; Hinc chylum per mesenterium & Portam ad hepar pervenire, & per reliquum corpus distribui non potuisse, indeque Tabem ortam fuisse certum est; hanc quoque ob causam excrementa, quotidie bis terve, liquida & chylo mista excernebat. In Rene dextro lapis erat magnitudinis & figuræ hic depictæ: Hepar undique sanum erat, stomachus & splen s. n. plane se habebant, quæ causa fuit appetitus integri: In dextro lobo Pulmonis abscessus erat putridus & fœtidus; in quo continebatur pus membrana conclusum, ad libram unam & semis: & erant steatomata multa & scirrhi undique per substantiam Pulmonis, Cor flaccidum & plane extenuatum erat. *Fabritius Hildanus cent. 1. observ. 70.*

OBservat prudenter *Hildanus* in puella Tabe extenuata Mesenterium repertum fuisse undique tumoribus duris scirrhosis, atque steatomatibus refertum, præcipue circa vasa & venas, quæ ad venam Portam protenduntur; adde & lacteas, tum adhuc *Hildano* ignotas: ut appareat Tabem fere imputandam esse vasis mesenterii compressis, potius quam mesenterii substantiæ, in qua glandulosi tumores exorti carnei magis sunt quam humorales, quemadmodum in Vallengeri anatome animadvertit *Warthonus* cap. 11. Adenographiæ. *Bartholinus Tract. de Hepatis exequiis pag. 666.* Fateor in Mesenterio scirrhos, tumores, lapides natos, Atrophiæ occasionem præbuisse; sed in glandulis præsertim hæsisse, & vasa chylifera compressa illorum injuriis fuisse: Quod si alienus à sanguine nutriente humor, substantiam mesenterii ipsam inter membranas occupet, natura id sit repugnante; unde variæ illæ vesicæ *Elsenmingero* memoratæ apud *Horstium* lib. 1. observat. poster. p. 2. aqua plenæ: vel lapidosa duritiés apud *Panarolum* Pent. 5. obs. 19. à tartarea materia; vel purulentæ materiæ ac fœtidæ collectio, quam inter duas mesenterii tunicas in hypochondriaco observavit V. Coiter observ. Anatom. Chirurg. misc. p. 121. *Idem ibidem.*

OBSERVATIO LXXIII.

Phthisis à Pulmonis grandi vomica in latere dextro, pure viscido totum Parenchyma obsidente, Vomicis plurimis in sinistro, & Pericardio aquâ distento, Cordis, Hepatis vitio &c.

HErman Stas annor. 22. diu de anxia asthmatica constitutione querulus cum fuisset, tandem ipsi finem vitæ fecit febris tabifica, symptomatica: Postridie cadaver apertum, in quo miserandam Pulmonis constitutionem deprehendimus: nam lateris dextri ala, superior & inferior, empyemate infecta erat, ita ut in superiore *ingens vomica*, pugni capacitate existeret: circumcirca autem undequaque, ipsum pulmonis parenchyma pure viscido, tenaci erat obsitum; ita ut vasa, quæ multiplicia per pulmonem decurrunt, viscida ejusmodi purulenta materia impleta essent, haud secus ac videmus rete piscatorium, in locis palustribus impuris, interdum totum algâ impleri: Sed præterea multa tenuis puris copia aderat teterrimi odoris, qua aperta vomica diffluebat: Exterius autem *arctissime Pulmo adnatus* erat costis, ipsæque alæ inter se firmissime copulatæ, adeo ut Chirurgi manu multo conamine avulsio facienda esset: Sinistri autem lateris alæ liberæ erant ab omni annexu, sed intus etiam exiguæ quædam vomicæ passim dispersæ erant pure impletæ: foris *autem color hic prope naturalis* erat, sed latere opposito luridus: Pericardium aqua valde distentum erat, & cordis auricula dextra ad magnitudinem ovi anserini intumuerat, oppleta sanguine nigro crasso, & valde tenaci lenta pituita, quantum vola manus comprehendi poterat: Hepar coloris erat valde pallidi, & consistentiæ flaccidioris paulo quam naturalis: Lien infra magnitudinem naturalem erat, flaccidus, & in inferiore superficie luridus: Multa aqua citrina, coloris pallidioris in abdomine innatabat: *O. Heurnius obs. II.*

A *Rctissime Pulmo adnatus*] Hoc frequens est in asthmaticis à pituita viscida, quoniam illa per poros pulmonis foras protrusa ibi in membranularum tenacissimarum consistentiam à loci calore excoquitur.

Observatio LXXIV.

Phthisis ab apostemate in infimo sinistri Pulmonis lobo consistente.

PHthisicus Leidæ secabatur, ventre concidente, emaciatis artubus, prorsus tabidus: Viscera interiora, lien, hepar, cor, à naturali facie nihil recesserant, ut sani esse hominis jurasses: Pulmo sinister integer, sed costis adhærens: Dexter vero pulmo contrectatus fœtorem emisit & materiam purulentam: prope diaphragma enim ingens latebat apostema in pulmonis infimo lobo, quo manu sectoris disrupto, maxima puris fœtidi effluxit copia: Vivum qui inviserant, pus quidem per sputum observaverant expuisse, sed parcius & sine insigni graveolentia, nondum enim ruptum fuerat apostema. *Th. Bartholinus centur. 5. observ. 76.*

Observatio LXXV.

Phthisis à Pulmone dextro corrugato, flaccido, cum puris ac seri albi collectione in thorace eodem latere.

ANno 1662. in dextri lateris Empyemate aquoso, ex pure ac sero albicante simul collectis constante, reperimus in Nosocomio Academico Pulmonem dextrum corrugatum, lividum, flaccidumque, ac meo quidem judicio Tabe confectum; quod ambienti aquæ purulentæ adscribendum censebam malum. *Franc. Sylvius Praxeos med. l. 1. c. 24. §. 8.*

COntabescunt Pulmones vel sui, vel sanguinis purisve culpa: Et sanguinis quidem culpa, quando idem purulentus evadit, maxime in pleuritide in abscessum abeunte, atque pus suum, vel immediate, vel sanguine mediante Pulmonibus communicante; unde tamen non Pulmonum tantum, sed universi corporis subsequi solet Tabes: Pulmonum vero culpa contingit Tabes, quoties à causa ipsis externa vel interna, inepti redduntur assimilando sibi debite sanguini affluenti, quod non semel observavi evenire Interne ab ulcere, Externe ab Empyemate: utrobique à pure corrumpente, non tantum sanguinem qualemcumque ad ipsos delatum, sed ipsam eorum substantiam, ut amplius ullo nequeant nutriri. *Idem §. 5. 6. & 7.*

Observatio LXXVI.

Phthisis ob ariditatem Pulmonum, inductam à fistula thoracis.

VIdi ex fistula thoracis Pulmonem summam ariditatem contraxisse, adeo ut in exactum marasmum exaruerit: Hoc evenit Illustri Virgini Franciscæ Egmondianæ Comitissæ: Præcesserat sputum fœdi puris cum exiguo sanguine. *Heurnius de morbis Pectoris cap. 7.*

Observatio LXXVII.

Plurimorum purulenta expuentium Pulmones aridi reperti.

EX communicatione Viri Excell. Dom. Stoffelii, D. Medici & Celsissimorum Principum Wirtembergensium Ephori habeo, Chirurgum qui Suecica Castra anno 1634. secutus est, quamplurima cadavera conditur æ gratia exenterasse, hominum qui dum viverent purulenta & pus copiosum expuebant, atque in omnibus pulmones aridos & exsuccos invenisse, defraudatos scil. alimento, quod totum in putrilaginem illam abiit, Ex ipsius autem Chirurgi ore didicit.

Observatio LXXVIII.

Tabes à Pulmonum squallore, costis & diaphragmati adnatorum, Caruncula in cordis sinu sinistro, &c.

IUnii die 13. anni 1676. dissecui cadaver filii D. de Villes Machæropœi, qui Tabidus obiit præsentibus aliquot Medicis & Chirurgis, Pulmones nativum colorem servaverant, sed sanguine & omni humore destituti, costis maxime cohærentes, vertebris & diaphragmati præsertim, quod vi. divellendum fuit quo ab iis abscederet: Cor exsuccum cujus uterque sinus sanguinis expers, Sinistro innata erat caruncula majorem fabam æquans: Jecur sat rite constitutum, nisi tunica ambiens incipientis corruptionis notas dedisset, alias naturali majus: Vesica fellis concludebat humorem oleosum & nigricantem: Lien erat exilis & aridus: Pancreas Virsungi, glandulis atheromatibus similibus scatebat:

Univer-

Universum mesenterium iisdem infarctum, sed cartilagineæ duritiei: Ileo quoque intestino adnatæ erant plurimæ exiguæ glandulæ pisis similes: Colon fæcibus admodum adustis infarctum, glandulis quoque aspersis coopertum: Pridie ante obitum colicus dolor graviter vexavit cum ischuria omnimoda; ideoque vesica ad molem capitis infantis intumuerat, lotio distenta, odoris & coloris experte, quod compressa pubis regione totum per colem exiit. *Ex communicatione mag. Stephani Dentand Chirurgi Genev. peritissimi.*

Ileo adnatæ &c.) De similibus adnascentiis in Phthisicorum intestinis vide Scholia ad observ. 1, sect. 13. lib. 1.

Observatio LXXIX.

Tabes Rachitidis comes, à Pulmonibus quasi tartaro gypseo refertis excitata, lividis, exsuccis &c.

Generosiss. D. Thomas Maoore, Anglus, ternam prolem habuit, quos altero mox à nativitate anno, vix vitali aura hausta, abstulit atra dies & funere mersit acerbo, uno eodemque mortis genere jugulatos: Hi omnes in lucem editi, videbantur vegeti, vivaces & bono corporis habitu prædici: Instante vero dentitionis tempore, languescere incipiebant: apprehendebantur in principio molesta tussi & spirandi difficultate, incrementum in dies sumentibus; Caput paulatim in majorem molem accrescebat: membra externa flaccida & quasi pendula apparebant: Ossium epiphyses in carpis & talis protuberabant; in costarum cartilaginibus nodi conspiciebantur: Venter turgescebat, pectus extenuabatur, totumque corpusculum atrophia contabescebat: ut facile ex his colligere potueris, eos novo & veteribus incognito morbo, quem Neoterici *Rachitidem*, seu morbum spinalem vocant, quod spina dorsi maxime in hoc morbo afficiatur, laborasse: His ab interitu redimendis, si fieri posset, parentes nullis parcebant sumptibus, sed inexorabiles erant Parcæ; secundo post primum, & tertio post utrosque vitam abscindentes. Parentes de futura prole præservanda solliciti, ut in causam morbi diligentius inquirerent, ultimo defunctum aperiri curarunt.

Quo à me dissecto, Hepar justo majus, ut & pleraque in abdomine, viscera, non tamen male colorata; intestina vero flatibus turgida & multum distenta apparebant: In Thorace vero, sterno sursum flexo, Pulmones conspiciebantur lividi & exsucci, membrana vero eos ambiens admodum erat aspera & inæqualis, innumeris protuberantiis seu tuberculis, verrucis perquam similibus, ubique respersa; quibus apertis, inveni in iis tartarum quendam gypseum, calcis instar friabilem, per totam Pulmonum substantiam sparsum: In capite nihil culpabile occurrebat, nisi quod cerebrum videbatur aquosius: Placuit Deo pluribus liberis hunc generosissimum Virum postea ditare, qui emissariis impressis, & aliis Pulmonibus dicatis præservati, optima fruuntur valetudine. *Quod si frequentiores essent demortuorum dissectiones, forsan non tanta hominum multitudo à Libitina absorberetur. Fridericus Losæus observ. 3. lib. 1.*

Rachitidem &c.) De hoc morbo vide Section. ultimam hujus libri.

Observatio LXXX.

Anatome Phthisici, in quo Pulmonum tunicæ maxima crassities reperta est, hepar, lien, diaphragma, intestina invicem cohærentia.

In Phthisico dissecto à Clar. *Francisco Sylvio*, observavimus summam Pulmonum tunicæ crassitiem, digitum medium æquantem: Hepar vero, lienem, diaphragma & intestina inter se arctius cohærentia, omentum denique penitus carnosum. *Thomas Bartholinus cent. 2. observ. 76.*

Summam tunicæ crassitiem) Quæ naturaliter tenuis est, lævis, poris multis insignita, inflato follibus Pulmone satis conspicuis, atque notante *Johanne Walæo*, pisi majusculi magnitudine in vivorum dissectione; per quos sanies thoracis penetrare potest & per tussim exire. Ejusmodi crassities in Pleura observata est à Riolano in iis quibus inflammatione fuit affecta.

Observatio LXXXI.

Phthisis à Pulmone innumeris pustulis scatente, mediastino putrefacto, Et vitiis variis viscerum naturalium.

Anno 1666. puer 12. annorum, post plurimarum hebdomadarum decubitum Phthisi extinguitur: Aperto thorace mediastinum putrefactum frustulatim apparuit: Pulmo albicans innumeris pustulis undique scatebat; quæ discissæ crassum pus fundebant: In

Pericardio ultra decem cochlearia aquæ cittinæ fluctuabant: Cor flaccidum, omnique sanguine vacuum conspiciebatur: Reserato abdomine, in Hepate & Liene, præter insuerum pallorem, etiam plurimæ pustulæ albicantes observatæ, quæ discissæ glandularum substantiam æmulabantur: Intestina solis flatibus distenta innumeras habebant maculas lividas & luridas. *Observat. Georgii Segeri.*

IN *Hepate pustulæ quæ glandularum substantiam æmulabantur*) Marcellus Malpighius Tractatu de Hepate, Totum Jecur docet multiplicibus constare Lobulis, qui Glandulosis coagmententur globulis, ad quos terminentur omnium vasorum afferentium ac efferentium, venarum Portæ atque Cavæ, Arteriæ hepaticæ, Nervorum, Ductusque bilarii hepatici, quin & radicum ex Folliculo fellis propagatarum extrema. Quibus positis aut concessis, Pustularum ejusmodi glandiformium generatio adscribenda videtur interceptioni alicujus liquoris in dictis glandulis, sanguinis, lymphæ, bilis aut succi nervei, ob vasorum quotumpiam dictorum obstructionem; qui detentus in pustulatum formam eas intumescere fecit.

Observatio LXXXII.

Phthisicis, à sputo sanguinis, Pulmones dextra vel sinistra parte tument, cum viscido humore in vesiculis eorum contento &c.

ILli qui Tabe moriuntur ex sputo sanguinis copioso, monstrarunt molem vel dextri vel sinistri Pulmonis insignem: quæ etsi primo intuitu nigricans apparebat, penitius tamen cultro dissecta, omnes istas vesiculas non dilatatas, sed mucilagineo humore, viscido & albo refertas exhibuit, quæ causa ut nonnisi λεπτὰ ægri toto decubitus tempore exspuant: unde de transmeatu istarum vesicularum hæreo nonnihil. In ulcerosis autem, cum ad suppurationem & corruptionem devenitur, cavitas oritur quæ ex plutibus absumptis cellulis amplior redditur: Et hæc si exsiccati posset sufficienter, è vita non tollerentur tot Phthisici: *Bartholinus centur.* 4. *observ.* 73.

BOnoniæ diligenti sectione animalium deprehendit *Marcellus Malpighius*, Professor, Pulmonum substantiam neutiquam esse carnosam, sed aggregatum quid ex levissimis & tenuissimis membranis, quæ extensæ & sinuatæ pene infinitas vesiculas orbiculares & sinuosas efformant, quæ talem habeant situm & connexionem, ut ex trachea in ipsas, mox ex una in alteram parteni sit aditus, & tandem desinant in continentem mebranam, quæ & ipsa retis formam habeat, fibris variis tetium instar distinctæ: quas deprehendit esse anastomoses vasorum pulmonatiorum. *Idem centur.* 3. *Epist.* 82. Non dubito quin vatiæ in Pulmonibus demonstrari possint vesicæ, & quidem modo non uno: in exsiccatis enim (si prius *Malpighii* exemplo omnis eluatur sanguis quam exponuntur siccandi) plurimæ, ubi dissecti fuerint lobi, conspiciendæ veniunt cavitates sine omni controversia: dissecantur enim simul plurimi rami venæ tum arteriusque arteriæ ramuli, quos omnes manifestis cavitatibus donatos nulli non manifestum: Quod si vero etiam antequam siccentur, aëre pulmonum distendantur bronchia, quot quantasque in dissectis videre licebit cavernulas? Sane cùm asperæ arteriæ extremitates sine numero per totam pulmonum substantiam dispergantur, flatu easdem violentet distendente, innumerarum vesicularum, si dividantur, speciem exhibebunt: Sed ideo statuendum Pulmonum parenchyma ex puris vesiculis constare non videtur necessarium: Quid quod ne quidem inde sequatur vel solius asperæ arteriæ extremitates in vesiculas desinere, ut de extremitatibus venæ, arteriæ, lymphaticorum nihil addam: Quantum in arido canis pulmone microscopium mihi revelavit, præter rotunda dissectorum vasorum foramina, & minutissimorum filamentorum sine lege currentes myriadas, nihil omnino conspiciebatur; nullæ rotundæ membrana undique vestitæ cavernulæ, nihil plane vesiculæ nomine salutandum: Nec ipsa siccati Pulmonis illæsa superficies vesicularum sub microscopio ulla exhibuit indicia, adeo tanr protuberantiæ, sed illæ nr magnæ, ita & inæquales, nec in medio tumentes, nec in ambitu orbiculares, adeoque vesicularum nomen minime tuentes: Absit tamen ideo ingeniosissimi viri experimento fidem derrahetem, quod mihi semel iterumve idem rentanti non successerit, viam forte non eandem ingredienti: *Nicolaus Steno Epist. ad Bartholinum* 55. *centur.* 4. Recte monuisti plurimam lymphaticorum caterevam hic spectari: Ita enim res se habet, ideo humidissimus Pulmo: Accedit faucium & gutturis consensus, quæ multum humiditatis Pulmonibus affundunt: Non membrana interior modo spongiosa est asperæ arteriæ, sed in extremis cartilaginibus vesicularum more expanditur, suntque quadrangulares & sexangulares earum figuræ, ad sustinendas vesiculas ordinatæ. *Barthol. cent.* 4. *observat.* 57.

Observatio LXXXIII.

Phthisici utraque Pulmonum pars liventibus maculis variegata, & pleura annexa inventa est, cum hydrope dextri thoracis, osse in corde, aliisque vitiis viscerum naturalium.

RUsticum valetudinarium & toto corpore emaciatum, revera phthisicum aperui: In aperto cadavere hæc observata, 1. In Epigastrio aperto prope lineam albam, heterogenea

genea inter peritonæum & musculos livescens excrescentia erumpebat: dissecto vero peritonæo satis valido, mediocris seri copia, non graveolentis effundebatur. 2. Omentum usque adeo tenerum & contractum, destitutum omni propemodum pinguedine; nullis refertum glandulis, ut duriuscule tractatum fatisceret illico. 3. Hepar prægrande & florido nonnihil colore: vesicula fellis distenta seroso magis quam bilioso ichore: 4. Lien pugni in modum contractus, prætumidus, fæculentissimo sanguine refertus, oppido scirrhosus; Pari constitutione Pancreas, sed subalbicans adhuc. 5. Ventriculus valde contractus, vix duarum librarum potulentæ materiæ capax: Intestina explorata, pellucida, nihil præter aquosa continebant. 6. Thorace aperto; non minor serosorum vis, imo major quam ex aqualiculo uberrim scaturiebat, sed non ex utroque latere: observabatur enim dextram thoracis partem, & sinistram abdominis pejus habere: Nam quamvis tam dextra quàm sinistra pulmonum pars hinc inde livescentibus maculis variegata pictaque esset: tamen sinistra horum libera, libero motu moveri potuit, dextra vero penitus dextræ pleuræ annata firmiter erat, ita ut vix digitorum manuumque opera à pleura divelli posset. 7. Spatium quod inter pulmones & diaphragma vacuum interjacet, in sinistra quoque thoracis parte vacuum; sed in dextra serosis limpidis liquoribus scatebat. 8. Cor tam erat vastum ut sæpe in bobus non majus sit aut ponderosius, cujus dextra auricula pyris, volemis longe major: Sinister ventriculus nondum dissectus insolito durior ad tactum erat, hinc suspicio nata istic loci cartilaginem delitescere, similem iis quæ in cervorum cordibus reperiuntur: Nec spes fefellit, nam ad radicem aortæ cartilago triquetra, & propemodum cordis picti figuram repræsentans, vel literæ Y inventa fuit: Spongiosum vero nonnihil est os & friabile, calculis nonnullis per urinam excretis haud absimile: 9. Pericardium ne guttulam quidem serosi humoris continebat: *T. Bartholinus histor. 50. centur. 1.*

Observatio LXXXIV.

Anatome Phthisici cujus Pulmo & Iecur pustulis obsita erant.

§. 1. Contigit anno 1546. ut duo filii Laurentii Gadii morerentur ex simili fere morbo: ad tertium autem adolescentulum vocatus, qui & ipse eodem morbo laborare videbatur judicio parentum & domesticorum, cum jam fluxu ventris & tussi, & summa Tabe detineretur, judicavi celerrime moriturum, Itaque cum alii quatuor filii & ipsi eodem morbo detineri viderentur, tertius pater, quasi de veneno suspicabatur: Ar ego verecunde petii ut cum mortuus esset, qui jam graviter laborabat, liceret corpus dissecare, ut aliis prospiceretur: Annuit pater dissecuimusque.

Inveni in Jecore pustulas, sicut ciceris grana, candida rotunda; In Pulmone quoque alias, & partem oblongam, lividam atque fuscam: Ex quibus conjectura assequuti sumus non esse venenum, curæque modum: Itaque hac ratione servati sunt omnes qui superstites erant filii, & nunc etiam vivunt, curatio autem fuit cum refrigerantibus & humectantibus, & usu sacchari rosacei assiduo. *Hieron. Cardanus curat. admir. n. 10.*

Conjectura assequuti sumus curæ modum] Ejusmodi enim pustulæ æstuantis interius bilis erant soboles, quarum generationem Plato in Timæo sic exprimit, *Quæcunque in corpore inflammantur ardentque, à bile flava id habent: Cum enim foras exhalat, refervens omnis generis tumores, φλυκταινία* emittit: Inclusa gignit morbos exurentes plurimos: Bilis ideo, ubi cum sanguine fervet, bullæ & tenues vesiculæ excitantur: ac quod in habitu corporis contingit, idem quoque visceribus accidere plurimi adnotarunt: Hinc in lic atio emergit æstum viscerum compescendi, temperandi, proventumque bilis præcavendi, genitam educendi &c.

§. 2. Nobis contigit ut in Filio Gadii dissecto, cum ut phthisicus haberetur, si quidem & tabidus, cum maxima tussi & febre lenta obierat, In eo tamen nullum ulcus in Pulmone fuit, sed in ejus superficie Tubercula quinque, ni fallor, saniosa, & porrio livida, fusca, velut igne exusta, Et in Jecore alia tubercula illis similia. *Idem lib. de signis, causis & locis morbor. pag. 3. num. 67.*

Observatio LXXXV.

Tabes à Pulmonibus lividis & pituitosis humoribus imbutis, post hydrargyrosin.

Mercurio crudo in lue venerea, aliisque affectibus externis, exterius applicato utor cum fructu: Interim tamen caute cum ipso agendum esse hoc exemplo patebit: Quidam dolore articulorum, propter defatigationem corporis ex longo itinere, fame & inopia laborans, quum Lausannæ ab Empirico unguento ex Mercurio inunctus fuisset, paulo post plane extenuatus naturæ concessit:

Ego cadaver præsente Medico dissecui, & ipsius Pulmones lividos, & pituitosis humoribus imbutos; cor vero molle, flaccidum & exangue inveni. *Fabritius Hildanus Operum pag. m. 914.*

Observatio LXXXVI.

Phthisicorum quorundam Pulmones lapides & calculos continentes.

Anno 1591. *G. Fallopius* juvenis cujusdam viri corpus secuit, qui adversa valetudine diuturna usus, Tabe paulatim consumebatur, de anhelo pectore & quotidiana tussi præcipue querens, donec tandem placide ex hac vita migravit:

In ejus Pulmone quatuor lapides offendit, nullum faba majuscula minorem, latos nonnihil & tuberosos, cinereos & subduros. *Kentmannus lib. de Calculis.*

§. 2. Habet adhuc meus collega lapillum fabæ magnitudinis, à se exemptum ex sinistris Pulmonibus cujusdam adolescentis phthisi demortui, qui jam diu Tussi vexatus, prope annos tres inceperat Tabe marcessere, qui tandem interiit: lapillus est inæqualis, asper, non admodum gravis, pallescens atque ovalis. *VVierus lib. 3. de præstig. Dæmon. cap. 2.*

§. 3. Ego lapidem in Pulmonibus genitum vidi, atque meis manibus exemi, in Hospitali Pisano, cum corpus ad sepulturam delatum esset, cujusdam adolescentis qui Tabe interierat. *Solenander sect. 5. consil. 16.*

§. 4. Mulieris cadaver ex Phthisi mortuæ incidi, In cujus Pulmone copiosas arenulas cum aliquot lapillis inveni. *Fabritius Hild. cent. 2. observat. 29.*

APPENDIX.

Phthisis orta à vermibus Pulmones depascentibus.

Desperata Phthisi diu pressus vir Nobilis, tandem fatis cessit: Ex ore naribusque defuncti corporis innumeri prodierunt vermiculi, rubro capite, quos ex pulmonibus corruptis emanasse suspicor, vel vesica singulari, cui in vivo homine inclusi fuerant: Ferali arca concreditum cadaver iisdem vermiculis scatebat, cunctis stupentibus. *Thomas Bartholinus histor. Anat. 46. cent. 1.*

Observatio LXXXVII.

Tabes à corporibus albis, pituitosis, fibrosis, in vena cava repertis, Vesicæ calculo & Renum suppuratione.

Iacobus Knoll adolescens 17. annor. laboravit à puero calculo vesicæ, à cujus cruciatibus, accedente renum suppuratione, macie confectus, viribusque pene exhaustus è vita excessit. Cum juxta alia imum ventrem scrutando, ac duplicis vesicæ speciem contemplando, venam cavam dissecuissem, corpora alba, pituitosa seu fibrosa, cavitatem earum fere implentia reperi, qualia in diu decubuis & à morbis chronicis sublatis sæpius vidi; Statim cogitavi talia quoque sinus cerebri occupatura, cum quod uni majorum vasorum obtingat, alterum ab eo raro immune existat: Aperui itaque sinum tertium, in alterutro laterum occurrit corpus sive pituitosum sive fibrosum, certe non adiposum (prout quidam hæc corpora nominare solent) candidum, lentum, tenax, crassitie fere digiti majoris, circa torcular maxime, & tantum non totam cavitatem implens: In cavitate hac tenacius erat quàm in vena cava descendente, ubi ad levem attractum rumpebatur, secus ac alias de his pituitosis corporibus observavi &c. Totum hoc corpus pituitosum ex sinu tertio extraxi, cui haud ægre omnes ejus appendices succedebant, numero magnitudini & fere longitudini vasorum respondentes, adeo ut plurimæ spithamæ longitudinem superaverint, præterea in ramusculos & filamenta, ad numerum prope vasorum divisibiles essent: Similia corpuscula pituitosa, in utraque carotide interna, prope infundibulum, notabilis magnitudinis, aliquousque sursum scandentia inveni, non tamen tantæ longitudinis atque erant in venis tertii sinus, quod ceu fracidiora minusque tenacia forte abrumperentur: Adolescens autem hic nihil unquam apoplectici passus est, at sæpius convellebatur: *I. Iacobus VVepferus Exercit. de Apoplexia.*

Etsi ad Tabem inducendam, & diuturni vesicæ à calculo cruciatus, & renum exulceratio facere potuerunt, præcipuam tamen causam corpora ejusmodi fibrosa fuisse verisimile est, quæ sauguinis commeatum, liberumque ad partes nutriendas appulsum impediebant: Infelicia hæc cordis germina, ut vocat *Clar. Wepferus*, læsorum nutritionis organorum clara indicia dedere, sicut anadosi nectaris vitalis & succi alimentarii impedimento fuere.

OBSERVATIO LXXXVIII.

Phthisis non Vlceratis Pulmonibus, citra sanguinis aut puris sputum, cum vitio cerebri, pancreatis &c.

SCribentium omnium calculo comprobatum est Phthisis Pulmonis ideam & diorismum esse ulcus ipsius: Ego vero monstrabo brevi circa exulcerationem extare, languore scil. & marcore, i. e. putrida quadam laxitate tacto pulmone, quod fit ubi mucore pituitoso ac semiputri diu multumque affluente distabunt, ut scil. folium longo lentoris immaceratu flaccescit. De qua re ita Fracastorius 2. de morb. contag. c. 9. *Verum & illam quoque possumus Phthisin satis propriè appellare, quæ corruptis putrefactisque pituitis ita pulmonem afficit, ut si non ulceratus est, at flaccidus tamen & putridus jam reddatur: quippe factis dissectionibus quorundam, vidimus interdum partem pulmonis sinceram & nullatenus vitiatam &c.* Ejusdem rei meminit *Iacotius* comm. ad aph. 13. sect. 2. Coac. Hipp. Quo Phthisis vitio, atque aliis mire multis abscessibus enectum vidimus Illustrem virum Marcellum Sachettum anno 1629.

Penetralia corporis ejus invisentes, primum Alentis officinæ statum enarremus: Omentum & mesenterium adipe nulla perfusum, utrisque vero color fæculentus atque subcroceus: Intestina squallentia, coloris janthini, & quasi fistula inflata fuissent, præturgida: Pancreas semiscirrhosum: Jecur plerisque maculis distinctum, quas cultro discissas nonnihil penetrare compertum est: Lienis aliqua particula lato quodam collo candidiore notata: Vesica propemodum ostracosæ carnis instar obdurata: Parastatæ cyrsoides ac vesicæ σπερματοφυλακίς exhaustæ ac vietæ: Sub Pectore Pulmones submucidi, fuscis quibusdam maculis affatim respersi, neque enim ulla ex parte cinerei, quem his secundum naturam habentibus colorem tribuit *Hippocr.* lib. de Anat. Circa cor nullus omnino adeps, quem tamen visceri proprium atque essentialem asserit *Columbus* 7. rei anatom. Sed ipsum viscus, præterquam usus ejus poscit, flaccidum & marsupii pellicei modo in se recidens: Pericardium inane conceptaculum; neque enim vel ullus aquæ mador observatus est, dignus effatu. Cerebrum inculpatum quidem fincipite tenus, nisi quod in ventriculis anterioribus excedens multitudine repertus humor tenuis ac pellucidus: Illud equidem existimarunt quamplurimi, malorum fortasse cunctorum capitis principium, quod rubore suo purpureo defloratus ac dilutus emicuit choroides plexus, quem in quartiduanis alioquin, ac serius etiam tractatis cadaveribus, nitidiorem, ac si dicere licet, vividiorem ac lætiorem semper offendi; argumentum scil. prævalentis aquosi coinquinatique sanguinis, quam saniem antiqui vocabant: ubertatem autem ejus humoris inde cognovisses, quod distenta turgentiaque eadem vascula, varicosis quibusdam eruptionibus ac toris identidem subsultare vidisses. Sunt hæc quidem magna, sed hoc longe maximum, Nempe se obtulit nobis ex infima calvaria, basin cerebri residuam eximentibus, qua nervus auditorius in exsculpti ossis auriculæ forulum excurrit, quantus minoris hirudinis aut millepedæ ductus est, hinc atque hinc, sed dextera major, fibra sanguinea aut sanguinis concrementum, quod cum auditorio nervo oblique pergens ad antedictum foramen finiebat: Hanc nobis rem cum admiratione inquirentibus, quid aliud videretur quam Bdella Hippocr. lib. 2. protrh. memorata, prorsus non fuit; de qua re discrte *Marsilius Cagnatus* lib. 2. var. lect. 2. Hæc quidem circa cerebri partem anticam, cæterum postica parencephalon, quod suapte natura firmius & compactius est, ut pote nervorum similiter propagandorum principium, molle nimis ac flaccidum, fibris velut diffluentibus constans, humore nimirum, quo plurimo scatebat, confectum: Mitto quod colore ferme pullo atque sublivido, quale hactenus nullum videre obtigit, etsi non pluribus quàm tribus ab efflato spiritu horis eviscerari cœptum à nobis. *Severinus de Abscessibus sect. 2. cap. 36. pag. 269.*

COrruptus corporis habitus & grandi maciε torridus; lacertis excussus vigor, coloris amissus decor; multiplex ac varia corporis universi divexatio; proculcata ad summum juventus, corruptarum & chylosis & anadosis & hæmatosis sunt peccata: Quæ omnia partim invexere gracile mesenterium & omentum; partim scirrhodes pancreas, partim inquinatum hepatis parenchyma, essarctusque & callis obductus lien: Quo congruit illud Hipp. 6. Epid 3. ventris torpor omnium confusio, vasorum immunditia: Hæc interanea cùm aberrarint, à suo tramite omnia, initium tamen malorum pancreati refero; qui alimenti in omne corpus distribuendi primus emissor est & janua: Sive, quod *Fernelio*, *Augerio*, *Varolio* placet, limosi sanguinis locus præpurgatorius & sentina; Sive, quod *Piccolomineo* visum est, calidum & humidum elixaturo cibos ventriculo, per subjectum vasculum diploma vaporarium: Adstipulatur *Riolanus* qui 2. Anthropog. Pancreas ait inebriatum & scirrhodes factum, truncum portæ constringit, anadosinque chyli interrumpit &c. Quæ humoris eluvies de supremo capite ac subdita choana in fauces & tracheam, & inde ad Pulmones delapsa, corrupta jam & emarcida spongioden horum substantiam sic affecit, ut non ulcerosum quidem ipsum, sed flaccidum putidumque reddiderit, quæ Phthisis ad unguem ea est ratio quam primus explicavit *Fracastorius*: Ex quo Phthisis contagio, plane non longinquo, contractum est

est postremo & cordis & vitalium omnium viscerum detrimentum. *Severinus ibidem.* Pulmones autem sine ulcere & hæmoptysi consummatam phthisin parere, quandoque accescere monet *Mercurialis* To. 2. cons. 43. plures quoque ab ortu, ab abdita pulmonum labe, sine destillatione aut sanguinis sputo tabidos evasisse tradit *Fernelius* de part. morb. & sympt. l. 5. cap. 10. Narrat *Rhodius* cent. 2. obs. 8. oblatum *d. Sala* juvenem, cujus majores phthisi omnes perierant, absque cruoris sputo, præterquam paulo ante mortem: *Gal.* lib. 4. cap. 9. de loc. aff. Raros quosdam casus recenset in quibus phthisici evaserunt, nulla prægressa hæmoptysi, aut suppuratione aut catarrho acri: Quidam *ait*, humorem repente expuit, liquidæ bili in colore perquam similem, medium videlicet inter flavum & pallidum, ac nulla acredine infectum: atque ita quotidie magnam ejus quantitatem expuit, deinde suborta febricula tabescere incœpit, adeo ut purulenta screaret: postea tractu temporis, quatuor videlicet mensium, exiguum cum pure cruorem rejecit, atque sic antea febre magis consumebatur, ac iterum magis expuebat, adeo ut magnam sputi quantitatem redderet, donec tandem tabidus interiret. Ejusmodi Tabes plerumque vitiosam Pulmonum constitutionem sequitur, ob quam proprium alimentum in corruptelam abit, à qua vicissim ejus substantia alteratur: Ea diathesis à primo ortu, semineque parentum labe inquinato originem trahit, unde phthisis morbis hæreditariis annumeratur; ita ut vitium illud συγγενὲς, inevitabili fato, quasdam familias ad interitum deducat: Id autem malignæ cuipiam venenatæque qualitati, non ulli primatum, imputandum est, cujus ratione contagio in alios transfertur: Concedendum tamen flaccidam & mollem pulmonum substantiam, atque adeo corruptioni magis obnoxiam, ad ejus affectus productionem concurrere.

Observatio LXXXIX.

Phthisici Pulmones aridi, scirrhis pleni, citra puris aut sanguinis sputum sunt reperti.

Quinquagenarius, longo corpore & collo, satis opportunus tabi, tussicula, flatibus, pituita, tres annos laboravit: Audiebatur quasi aqua fluctuans ad diaphragma & ventrem: Alii vitium lienis causabantur: Purgationibus, decocto gajaci & aliis vexatus, nihilo melius habuit: Subtabidus, male coloratus: Tandem decretum est, desperantibus Medicis & ægro, ut aperiretur thorax, primum cauterio potentiali, deinde cultello, nam propius admota aure, intelleximus materiam diaphragmati insidere, non esse in ventre: Itaque inter 4. & 5. vertebram aperta via est: Effluxit pus multum, crudum: quinque post diebus mortuus est.

Dissecto ægro, inventus Pulmo aridus, scirrhis plenus, syderata pars membranæ succingentis & costarum: Venter inferior integer: Nunquam pus exspuerat, neque sanguinem, Laboraverat longo ante tempore, ut fere triennio, pleuritide. *Hollerius libello propr. observ.* 16.

Observatio XC.

Phthisis ab ulcere Pulmonum citra sanguinis sputum.

Uxor Leonardi Pisiensis Medici duos fere annos Phthisica vixit, Ea dissecta invenimus in suprema parte Pulmonis, quæ primis costis subjicitur, ulcus in quo vix castanea includi potuisset: hæc nunquam sanguinem expuit, quod extra vasa Pulmonis ulcus consisteret: *Ioann. Argenterius comm. 3. in Artem parv. Gal.*

Hinc collige non omnes qui tabe pereunt semper sanguinem exspuere, & eos qui id faciunt, non semper cum tussi eum rejicere, sed solum cum ulcus in profundioribus pulmonis partibus est, ubi majora sunt vasa, quæ sanguinem continent: Deinde nota, Quod scribit *Galenus* per tussim rejici quæ in pulmone continentur, egere consideratione: Ait enim multis in locis, per os quædam ejici cum sola exspuitione, & hæc oris atque palati affectus ostendere: Alia vero per excreationem, sive, ut vulgus vocat, Rascationem, & hæc faucium morbos patefacere: Alia vero cum levi tussi, quæ sunt indicia læsæ asperæ arteriæ, quæ in cervice continetur: Alia vero per tussim veram exspui, & hæc signa esse Pulmonis læsi: atque hoc indicio ulcera pulmonis à prædictis partibus ulceratis, aut sanguinem effundentibus, per sanguinis spumosi sputum distingui prædicat: Verum id magno meo malo didici aliter aliquando fieri: Nam uxor mea, annos 20. nata, cum Pisis una cum illa degerem, spirante Austro, qui in eo loco frequentissimus & vehementissimus est, ex destillatione à capite, mane, cum adhuc in lecto esset, sanguinem exspuere cœpit, & ex eo non leviter terreri; Sed cum ego *Galeni* doctrina instructus illam hortarer ut nihil vereretur, propterea quod sine tussi, cum levi solum rascatione sanguinem facillime emitteret, melius sperare cœpit, nec postea unquam sanguinem exspuit, sed pituitosum humorem primum, deinde pus, & hæc cum tussi & febre, quæ statim ab initio invasit: atque cum his malis, quæ orta sunt in autumno, circa finem Maji exspiravit, nec passus sum illam dissecari: Perierunt in eadem civitate duæ aliæ juvenes fœminæ, eodem malo affectæ. sed uxor *Leonardi Pisiensis &c. Vide historiam* superius.

Observatio XCI.

Phthisis à syderatis Pulmonibus citra sanguinis aut puris sputum.

INgenua virgo annum agens supra 14. brevi morbo, (ut multis videbatur) sublata est: ante biennium tamen altum ducebat spiritum, solitudinem affectabat; & facies totusque habitus pallore albescebat; Ante duos menses dum ejusdem fratrem, lento quoque morbo confectum inviseremus, à matre fuimus rogati ut istius pulsum exploraremus num febricitaret: quem languidum & inæqualem, sed sine calore febrili observavimus: Ideoque ubi vultum pallescentem paululum sumus contemplati, & de ætate sciscitati, venit in mentem menstrua forsan instare, quæ dum ob viarum angustias, naturæ ἐκλαμψις impedita reseratè laboraret, sanguis ab iis inficiebatur, & levia illa symptomata suscitabat, uti solet contingere laboraret, sanguis ab iis inficiebatur, & levia illa symptomata suscitabat, uti solet contingere non raro in virginibus hujus ætatis: quare his obiter dictis, discessimus, rem altius indagaturi si malum protraheretur, aut symptomata ingravescerent: Sed his utrinque vel neglectis, vel oblivioni datis, post duos menses serio vocati, morbum, multo graviorem reperimus, ut quem apositia & febris continua comitarentur, & sub noctem intenderetur, sine calore mordaci & sensibili ἐπισημασία: vires præterea dejiciebantur; narium pinnæ inter expirandum expandebantur, nec tamen insignis dyspnœa aderat: nulla sitis, non tubor in genis, non vigiliæ; decumbens nonnihil tussiebat sine sputo: cor vero crebro & valido motu, continuo sub noctem recrudescente, tangenti palpitabat; ægra non sentiente; urinæ crassæ, albæ, adiposæ, cum enæoremate vel hypostasi ejusdem conditionis, divulsa; nunquam delitavit, nullam noctem duxit insomnem, nequidem ultimam, in qua placidè & sine agone expiravit.

Ergo propter istius morbi inopinatum eventum, & quod etiam 13. alii ejusdem geniture, ante vel circa pubertatem defuncti essent, consilium fuit cadaver aperire: quo nudato, latus utrumque; ab alis ad costarum notharum ultimam, maculis latis è rubro livenribus, & sugillationem referentibus, erat conspersum: Viscera in abdomine contenta sana visa sunt, solo jecore nonnihil plus solito nigricante, & ventriculo perexiguo, bile porracea intincto: Ubi in Thoracem deventum est, ab utraque ejus cavitate incisa confertim aquæ virosæ magna effluxit copia, ad ℔jv.: mirum quod orthopnœam, vel saltem dyspnœam viventi non invexerit, aut fluctuationem non prodiderit: Pulmones syderati inventi sunt: præterea in eorum ambitu puncta passim albescentia cernebantur, quæ levissimo tactu disrupta, pus & tabum eructabant: Imo labes vasa omnia & cavitates puniceo colore affecerat: Pleura musculique intercostales virore erant perfusi, non diaphragma: Sed Pericardium lege vicinitatis erat exsuccum, putrefactum & suo humore privatum, cor & cerebrum sana. *Henricus Rufius observ. 3. ad L. Riverium.*

EX his decretum fuit hanc labem à primo ortu duxisse originem, sive à semine sive à sanguine: Exempla fratrum rem maxime comprobant: Etsi ab externis causis affectus ille in virgine derivasset, porrio duntaxat Pulmonum, non universi fuissent labefactari, nam non peccaverat illa in victu, aut aliis rebus nonnaturalibus: deinde mors placida corruptionem in substantia & temperamento sensim & per progressus factam fuisse, non à causa violenta: atque etiam cum nunquam tussierit, ex eo patet neque fluxionem, neque congeriem humorum vitiasse pulmones: secundo tales affectus, ut à parentibus nemo deduci dubitat, ita & facile posse communicari est concedendum: & vulgo comperimus in familiis labe ejusmodi infectis, plures simul vel successive pari morbo corripi, imo & aliquando ad quintam sextamve generationem protrahi, & in extraneos, qui illorum consuetudine fruuntur, prorepere.

Hanc tabis speciem, cum curatione accurate describit *P. Salius Diversus* comm. in lib. 2. *Hippocr.* de morbis, textu 8. vidimus, *ait*, plures suppuratos ac tabidos, nulla præcedente distillatione, nullo præcedente inflammatorio affectu, nullaque præcedente fluxione factos, quod firmum ac indubitatum argumentum non omnem suppurationem, nec omnem tabem ex his pendere: At unde fit ut hi nullis præcedentibus manifestis causis suppurentur aut tabescant? Ratio & experientia me docuit ultra prænarratas, adesse duas suppurati & tabidi pulmonis causas, altera est *membri languor & imbecillitas*, altera est *nutrimenti pravitas*: quæ duæ causæ si concurrant, facile sine distillatione, sine ulcere, ac sine præcedenti alio particulari affectu suppuratur ac tabescit homo: Hic languor à parentibus contrahitur, & non per intemperiem ullam, sed ob vitiatam substantiam; quæ flaccidior facta à natura, facile etiam putredinem & corruptionem concipit, cujus ratione nusquam fere vidimus suppurationem, aut tabem, sine præcedentibus enarratis causis succedere, nisi in his qui ex parentibus similiz passis, sint oriundi, & ideo ab iis hos affectus, tanquam hæreditarios morbos contraxerint: Hi tamen nunquam suppurantur aut tabescunt priusquam adoleverint, quoniam ad eam usque ætatem sanguine benigniori, mitis humidiori ac dulci aluntur, in iis enim abundans calor innatus, qui quantitate plurimus, qualitate suavissimus, quantitate & qualitate parem generat & perficit nutritionem: At ubi hi

hi adoleverint, & juventutem ingressi fuerint, incipiente calore innato fieri subacri, & minus blando, similis in his generatur sanguis, qui quo magis procedit ætas, magis etiam fit acris & insuavis, simili etiam evadente calore innato, tandemque in his sanguis hic qualitatem acquirit vel subsalsam, vel salsam, vel acrem, ex qua factus indebitum alimentum ac pravum, deveniens ad pulmones, qui ex propria natura corruptioni, ob imbecillitatem ab ortu contractam factus est obnoxius, nutritionem, male eum nutrit, ac corruptioni disponit, unde in his, deciso pravo ex hac prava nutritione excremento, incipiunt quædam tussiculæ, cum screatu quandoque materiei pallidæ, quandoque lividæ, subflavæ &c. quæ omnia sunt indicia incipientis in viscere putredinis ac corruptionis, quam subsequentes quædam febriculæ parvæ ac lenes, tandem hominem suppuratum ac tabidum manifestant, in fine succedente purulento ac sanioso sputo: Ex quibus arguo solam visceris nativam imbecillitatem, non sufficere ad causandam vel suppurationem vel tabem, sed necessariam quoque esse nutrimenti pravitatem, aliàs si sola sufficerent, etiam ante juventutem suppurarentur & tabescerent, quod nec experientia nec ratio testatur: Hujus fidem indubitatam mihi fecere eventus, quos in præservandis ac curandis his, qui ex parentibus talem indispositionem contraxete, ac tabidis factis oriundi, fratres ac sorores ex eodem morbo defunctos conspicerent, præludia que ejusdem morbi in seipsis præsentirent, me sibi commisetunt, ut ab his morbis, si liceret, præservarem, ex quibus nonnulli à me curati & præservati, adhuc incolumes vivunt: Curatio autem à me perfecta fuit per ea quæ sanguinem corrigere, mitem ac halituosum reddere, omnem acrimoniam & salsedinem ac pravam qualitatem remittere potuerunt, qualia sunt aquarum dulcium balnea, lactis potus, cibaria similis naturæ, inunctiones temperatæ & humectantes, chinæ decoctum & alia hujus qualitatis, quibus addidi quæ putredini, corruptioni & flacciditati visceris resisterent, pulmonica præsertim: Ad hoc præ cæteris singulare medicamentum administravi, cujus ope non solum in curatione tabis vel instantis vel incipientis, sed etiam in distillationibus salsis, præcipue autem tenuibus, in sanguinis diuturnis ex ejus ardore aut calore causaris fluxionibus, aliisque plurimis rebellibus morbis, mira perfeci, *Santalorum decoctum*, formatum sicut Guajaci decoctum, modo in aquis stillat simplicibus, modo addita portione vini pro ratione affectus, modo aliter præparatum: modus exhibendi prædicto similis est; In medicamentorum administratione, ægros patrium solum relinquere jussi, ac in salubriorem aërem migrare: Quia vero hic affectus nusquam est dolorosus, raro evenit ut parientes ab initio consulant medicos, ac invalescente tantum morbo & cum altas egit radices, hinc nequaquam ex toto salvari possunt: Hæc autem dispositio ad Tabem, non est ea quam Hippocr. nominabat *nativam tabem*, quæ consistit in malo pulmonis temperamento, & mala thoracis formatione, ex qua alari depresso pectore ac longo collo patientes fiunt, indeque destillationibus obnoxii fiunt: At cum optima formatione, laudabili temperamento, nullaque fluxione instante, vidi alteram fieri & succedere &c.

Observatio XCII.

Tabes inducta à Tumoribus duris Diaphragmatis radici infixis.

Tumores duros diaphragmatis radici infixos nonnunquam deprehendi, qui sensim Tabe laborantes consumpserunt citra ullam delirii speciem. *Fernelius Pathologiæ lib. 5. c. 11.*

Citra ullam delirii speciem) lib. 1. Titulo de Delitio, ostensum Diaphragmatis inflammationem citra delirium contigisse; ut minus mirum sit ad Tumores frigidos non subsequi.

Observatio XCIII.

§. 1. Tabes à pure supra Diaphragma congesto.

Vulneratus quidam male tractatus, duobus vulneribus externe occlusis, sanie collecta in ventre & paulo supra Diaphragma, Tabe tandem consumptus obiit. *Vide l. 4. tit. de vulneribus.*

§. 2. Juvenis inter 6. & 7. costas vulneratur, sequitur febris, gravitas in parte, tandem Tabes ingens inventa inter thoracem & pulmones puris copia. *Ibidem.*

Observatio XCIV.

E Phthisicis ii sunt restituti, quibus vel callus in Pulmonibus contractus, vel agglutinata est cum pleura pars exulcerata.

Quibus Pulmo exulcerationem passus est, postea vel medicamentorum ope, & præsertim longo lactis usu, callum contrahit, ut non raro fieri solet, & à Galeno confirmatum fuit: Vel quod verisimilius, pars pulmonis exulcerata ita coalescit cum membrana pleura, ut agglutinentur Pulmones ipsismet costis: prout alias observatum ab authoribus, ipse oculata fide in aliis testari possum, cadaveribus dissectis: hoc enim in casu sanies non apparet, cessat febris, instauratur caro, vires convalescunt, durat tamen tussis, adest ali-

qua

qua spirandi difficultas, eaque major quando usus augetur, vel ab exercitio vehementi aut valida inspiratione: imo tunc intercipitur etiam motus tussi excitatus, velut si singultus supervenitet. *Ben. Silvaticus consult. 41. cent. 2.*

E*Xulcerationem*) Jam, ut audio, in Anglia familiaris est paracentesis thoracis ad phthisis curationem: Infunduntur decocta vi detergente, mundificante, agglutinante, traumatica prædita; sic plurimi sanitati restituuntur, quod medicamenti facultas integra illuc & sine ambagibus perveniat: Usus est si ulcus superficiem pulmonum afficit, non item si intimum, & circa bronchia aut vasa interna.

Callum contrahit] Sæpe infidum, ob verendam catastrophen, quia tum in thorace, (monente *Iacotio* comm. 1. in coa. prædict. ad aphor. 5. sect. 2. lib. 6.) cum frequentius in pulmone arescens sanies, & calore in crustam versa, cicatricis falso conditæ imaginem nobis imponit, donec ob thoracis motum, & partis mollitiem, levissima occasione excussa crusta, ulcus recrudescere animadvertimus, majore quam ante periculo.

Observatio XCV.

Phthisici cito succumbunt, si Pulmones pleuræ adnascuntur.

EXtremos egere dies omnes pene Phthisici quibus lobi alicujus advenerit adnascentia: Quibus vero pulmonis universim fere pleuræ accreverint, ut in plerisque, citius occubuere: Quod ex morbi collata pertinacitate, & ex dissectis hujus generis strage pessundatis dilucidatur. *Bennettus Theatri Tabid. Exerc.* 16.

DIscordes sunt *Silvaticus* & *Bennettus*, quanquam uterque ad αὐτοψίαν provocet: Ad conciliationem dic, è Phthisicis, quibus adnascentia pulmonum cum pleura contigit, eos evasisse quibus ulcus superficiarium fuit, extimam solum pulmonum partem afficiens: Quorum intimam substantiam corruptela aut vitium simul invasit, eos peremptos fuisse: Quibus Pulmones universim fere pleuræ accreverunt, eos citius occubuisse, ob magnitudinem ulceris, universum pulmonum ambitum depascentis.

Observatio XCVI.

Puris sputum Phthiseos pathognomonicum non semper est signum, nec ulcus pulmonum semper sequitur.

PUris sputum Phthiseos non semper pathognomonicum est: Nota mihi est Matrona quæ singulis mensibus semel puris sputo laborat, adeo ut sæpissime ad libras tres puris fœtidissimi rejiciat; bene interim se habet, & formosa est, neque etiam tussi vexatur, nisi quando periodicum hoc imminet puris sputum, menses tamen parce fluunt: Judicent nunc Eruditi an semper puris sputum signum phthiseos pathognomonicum existat: Ego sane in ea sum sententia ulcus pulmonis tabem non esse, nisi longo temporis tractu degeneraverit vel in vomicam vel in empyema: Inspectio variorum hoc morbo mortuorum & dissectorum cadaverum aliud me docuit: Vide Hippocratem lib. de Nat. hum. de iis qui purulenta expuunt fine febre, Quam excretionem familiarem ait esse iis qui multum sanguinem congerunt, & stato tempore non excludunt. *Albardus Hermannus Cummius in miscell. cur. anni* 1670. *observ.* 94.

E*Go in ea sum sententia &c.*) Hæc desumpsit ex P. Barbette Praxis lib. 2. c. 2. Sæpe autem Phthisis alios Pulmonis affectus consequitur, inprimis empyema, vomicam, pleuritim, peripneumoniam, quatenus pulmonis unitatem solvunt, vel tonum labefactant, ac simul sanguinis temperiem vitiant.

Puris sputum non semper Phthiseos Pathognomonicum) De Sputo purulento sine Phthisi, vide centur. 2. consult. & Responsion. medicinalium R. I. *Fortii* consult. 37. & 38.

Observatio XCVII.

Insigne Pulmonis ulcus citra dolorem & tussim.

ANno 1533. quendam secui, & in substantia Pulmonis, in parte sinistra, ulcus magnum concavum & putridum, ad quantitatem multo majorem quam sit dimidia pars corticis unius ovi gallinacei cum sua profunditate, in qua cavitate fuit sanies multa & prava, deprehendi, cum tamen iste, quem bene novi, nunquam conquestus sit de aliquo dolore, neque tussiverit: *Nic. Massa in Introduct. Anat. fol.* 57.

FErnelius Pathol. lib. 5. cap. 10. Vomicam in pulmone generari ait aliquando sine Tabe, quum sanguis ex aperta, rupta aut exesa vena, in parvam quandam Pulmonis regionem secedens, illic putrescit, sensimque mutatur in pus, ac per summa siccescens sibi cystin effor-

mat:

mar: Fieri ergo potest ut ejusmodi vomica citra incommodum aliquando gestetur, Tussim non inferens, quia ob cystin nihil exudat: neque Dyspnœam, quod procul absit à tracheæ ramis insignibus; neque Pulsus mutationem, quia arterias leves non comprimat; Tandem vero disrumpatur & in ulcus abeat, quod in exemplo allato suspicari licet: Contra, observante *Willisio*, in Pulmonibus foveam unicam aut forte binas efformari aliquando contingit, easque circumcirca parietes callosos obtinere, ita ut materies ibi collecta in massam sanguineam minime transferatur, sed quotidie tota, copia licet ingenti expectoretur; Hi satis sani bene degunt, bene respirant, comedunt & dormiunt ἀσαφεῖς, aut saltem in modico corporis habitu perstant, & non raro persenescunt. Hinc nonnulli dicuntur Phthisin per 30. aut 40. annos habuisse. Vivit apud annos Senatoris uxor quinquaginta quinque annos prætergressa, plurium liberorum mater, è quibus unus ante biennium phthisicus obiit: Illa habitu phthisico ab annis plusquam viginti mere purulenta expuit, sceleton referens, Et quanquam à catarrhis in pulmones crebro decumbentibus, præter frequentes ex Liene ægritudines, fato sæpe fuerit proxima, nostraque cura liberata, periculo tamen semper defungitur, ut in illam quadrare queat quod eam mulierem de qua Hippocrat. *Quinquies mortua est.*

Observatio XCVIII.

Pulmones citra insignem doloris sensum dimidia parte fere consumpti.

VLcera Pulmonum ab erodentibus humoribus inducta, sine dolore existunt, licet externa tunica etiam erodatur, quod publice in theatro anatomico ostendimus annis 1660. & 1663. in duobus corporibus, quibus adeo ulcerosi erant pulmones ut vix dimidium visceris superesset, qui tamen homines de nullo insigni pulmonis dolore unquam conquesti fuerunt: Illud ipsum quoque à plurimis aliis à nobis demonstratum, & in phthisicis quotidie conspicuum est, in quibus non solum interiorem substantiam, sed frequenter etiam exteriorem pulmonis membranam, sine eximio dolore exulcerari per autopsiam & experientiam novimus, Adhæc vulnera pulmonem transeuntia, etsi membrana sit perfossa, sunt tamen sine eximio pectoris dolore, & quicunque in iis adest dolor, illum duntaxat in pleura & musculis persentiunt ægri. *Diemerbroek Anat. lib. 2.*

Observatio XCIX.

Tabes à complicatis Pulmonum & Imi ventris affectibus.

§. 1. CAdaver D. N. febre lenta mortui & extreme exsucci sectum, In quo Omentum corruptum, Ren dexter gangræna correptus, Sinister lividus, Hepar durum, tuberosum. Intestina decolorata Mesenterium consumptum, Pancreas scirrhosum, Pulmones purulenti, Cor aridum, &c. *Vide lib. 4. de Febribus.*

§. 2. Puella varia affectionis hystericæ symptomata passa, Marcida interiit: Hepatis convexum, Intestina crassa, livida, & gangrænosa erant: Vasa omnia spermatica, Testes, semine turgebant, Uteri orificium lividum, Pulmo sinister vitiatus costis adhærebat. *lib. 3. tit. de Hystericis affectibus.*

§. 3. Fœmina de Tumore ventris querebatur, cui summa accessit corporis tabitudo: Jecur lapidosum inventum, Pulmones dimidia ex parte corrupti, Inter peritonæum & intestina binæ vesicæ. *Vide lib. 3, tit. de ventris Tumore.*

§. 4. Paupercula diu doloribus in abdomine, quod etiam intumuit, vexata emaciata interiit. Peritonæum lacerum & erosum erat ab ichore bilioso. Duæ repertæ moles globosæ mesenterio adhærentes, pustulosis vesicis luxuriantes. Hepar flaccidum luridum, Pulmones sicci cum lituris gangrænosis. *Vide Tit. de ventris Tumore.*

§. 5. Domina N. per aliquot annos sensim contraxit eum dolore ad hypogastrium, &c. Pulmo aliqua parte erat inflammatus, Hepar vitiatum, Uterus corruptus & quasi gangræna affectus. *Vide tit. de Febribus.*

Observatio C.

Anatome Pueri Marasmo extincti, cui Hepar justo majus, Abscessus prope venam cavam, Pulmones nulli.

QUatuor annorum puer Marasmo extinctus obiit: Animi causa à me secatur cadaver, cujus hepar dum inspicerem, erat supra modum magnum. Habebat Abscessum prope venam cavam, circa partem gibbosam pure circumquaque obductam. Lienem boni coloris & integrum. Omentum nullum, aut vix conspicuum, Pulmones, mirum dictu, nullos; quorum loco erat vesicula membranosa flatu repleta, venulis exiguis munita, originem sumens ab ipsa arteria aspera, quæ refrigerium afferre videbatur cordi. *Fontanus lib. 1. Respons. & curat. Medicin. lib. 1. p. 55.*

Hæc

HÆc ad Clar. Plempium scripsit *Fontanus* 26. Decembris 1638. Ille vero in responsionis suis judicat vesiculam illam membranosam Pulmonis loco fuisse, quæ quia ab aspera arteria originem sumebat, aërem externum recipere potuerit ad cordis refrigerium: quia tamen non satis copiosum aërem cordi subministravit, neque satis libere cor à suis fuliginibus expurgari potuit, hinc in marasmum incidisse juvenem suspicatur *Plempius*, intenso scil. nimium cordis calore, atque præpropere corpus exsiccante: Ego grande observationibus *Malpighii* hinc mutuabor subsidium: vesiculam à primo ortu natura finxit, sicut eadem in omnibus est prima Pulmonum substantia, & ab aspera arteria propagavit, ut continuato ductu & tramite receptus aër huc trajiciatur; ex observatione *Harvei*, ad quartum mensem membranaceus Pulmo in fœtu permanet, sine sanguinis affusione. Non igitur huc usque erravit Natura: sed quia propter vasorum pulmonariorum exilitatem circulationis cursus fuit interruptus, quem per pulmones ad cordis conservationem esse necessarium est probatum, hinc marasmo data est occasio, ad cujus etiam infortunium pleraque inferioris ventris viscera corrupta conspirarunt. Similis est huic historia à *Zacuto* ex *Nonnio* adducta lib. 1. Prax. adm. Observat. 100. quanquam male sub illorum titulo referatur qui Pulmonibus destituuntur, reapse enim hic & ibi Pulmo adfuit, sed Pulmonaria vasa imperfecta fuere, quibus vesiculæ nudæ debebant nutrimentum largius accedere: Puellæ isti trium annorum, diuturna quartana laboranti, Pulmones visi sunt *Nonnio* adeo contabuisse, ut nullum illorum appareret vestigium, sed tantum membrana plena purulenta materia: Quo vero authore scire potuit contabuisse Pulmones? Mihi fit verosimilius, præter membraneam vesicam, nullos unquam in infante adfuisse Pulmones. Suspicionem auget quod nunquam vel de tussi fuit conquesta, vel pus expuit: Purulenta materia à sanguine provenit, & vasis Pulmonariis male affectis, quæ per cor expurgari solebat, deinde corde cum vita cessante in membrana pulmonica fuit collecta. Nullus dubito quin tales Pulmones in subjecto illo fuerint de quo *Fabr. Bartolettus* lib. 4. de diff. respir. cui deesse credebantur Pulmones, ut utrinque quid potius substantiæ pulmonitæ analogum videretur, huic proculdubio membranacea vesica erat pro pulmone, idque per naturam, nam quæ stagnabat materia in thorace pus non erat, quasi ex empyemate, sed aqua veluti lactea, sive ex Ductu thoracico Pecquetiano per Cor adveniens, sive ex genere lymphæ nostræ, cujus vasa serosa, hinc inde per pulmonum superficiem pro serpentia, observavit depinxitque *Olaüs Rudbek* Tab. 1. fig. 1. Itaque pro insolitis hactenus admirati fuimus, per ordinarium Naturæ consilium explicare possumus ex novis suppositionibus, quarum beneficio magnam facem accendere aliis phænomenis licet, quæ Medicorum ingenia vexarunt: Apertius jam liquet quæ fuerint vesiculæ illæ per tussim rejectæ, de quibus *Forestus* lib. 14. Observ. 26. in Schol. Imo vesicæ aqua refertæ, veluti piscium, de quibus *Schenckius* lib. 2. ex *Oethæo*, & vesicellæ colore, magnitudine & forma cyprini piscis similes per screatum à tabida muliere Garlitiana rejectâ apud eundem *Schenckium*: Facilius jam ex vesiculis detectis, quo loco pulmonum sputa rotunda seu globosa, de quibus Hippocr. 6. Epid. & in Coacis, colligi & conglobari possint assequimur. *Galenus* in comm. 6. Epid. causas recensens, loci caliditatem pro effectrice, humorum crassitudinem atque tenuitatem pro materiali, & fibras Pulmonum pro loco concretionis agnoscit: Propius scopum ferit *Jacotius* comm. in lib. 5. sect. 2. Coac. 61. formam rotundam contrahi, quod cum glutinosus humor in aspera arteria colligitur, atque ibidem multas horas moratur, eandem cum illa formam acquirat, siquidem ipsa quoque globosa est & in orbem circunducta: Ex vesiculis vero sua natura rotundis facilius globos hos explicabimus, in quibus pus crassum, quasi in fusoria officina, & instrumento ad globulos usitato, in globosam rotunditatem efformatur. Et quia vesiculæ, à prima conformatione rotundæ, eo modo varias figuras acceperunt quo favi apum & nix, angulosum pus quandoque excreatur, ea ratione in fistulis pulmonum globosum redditur, qua Aristot. in mechanicis, omne quod sensim circum circa consumitur, rotundum effici prodidit. In iisdem cavernis concrescere apte possunt *Granula* & *Calculi*: mora enim ad horum concretionem requiritur, quam vasa negant, quam bronchia non concedunt, quam denique solæ membranaceæ vesicæ largiuntur. *Bartholinus Tract. de Pulmonibus sect. 2. pag. 32.*

OBSERVATIO CI.

Tabes à Cordis vitio, quod exsuccum, Pulmonum multiplici læsione, Hepatis duritie, Pancreatis scirrho, Mesenterii glandulis tumidis, &c.

VXor Jac. Bagolle paulatim morbo admodum intricato correpta fuit, Nunc enim palpitatione cordis; nunc dolore & torminibus ventris; interim tamen appetitus non multum prostratus fuit, ita ut pro more alimenta sumeret, quibus tamen parum nutriebatur: Tussicula quinetiam & dyspnœa laborabat; Cum circiter annos IV. vitam hanc calamitosam vixisset, ac sceleti fere instar extenuata esset, paulatim stupore & frigore in sinistra manu, præcipue circa extremitates digitorum, correpta est, symptomata tamen hæc ab initio tam exigua erant, vix ut percipi possent, nec aderat tamen multo minus inflammatio, imo nec dolor ullus: Interea tamen extremitates digitorum, & tota manus paulatim, & (quod mirandum) absque dolore sphacelata & penitus emortua est,

est. Ego tribus septimanis post inceptam sphacelationem digitorum vocatus, brachium ad cubitum usque, simul, & digitos, carbonum instar nigros, frigidissimos, & ita extenuatos, ut ossa vix tenuissima cute obtegerentur offendi; nulla tamen, ut dixi, aderat inflammatio neque dolor, imo nequidem in loco illo in quo calor nativus nondum penitus extinctus fuerat. Porro etsi perexigua recuperandæ sanitatis spes superesset, rogatus tamen ut brachium amputarem, quia malum adeo lento tardoque gressu incedebat vix ut percipi posset, visum ante operationem corpus præparare: Postea brachium supra cubitum, & quidem in parte sana, feliciter & fere sine dolore ac sanguinis profluvio abscidi, vulnus brevi digestum quidem fuit, adeo ut laudabile pus appareret, nihilominus circa xi. post brachii abscissionem, gangræna denuo truncum invasit, ita ut paucos post dies è vita discederet.

In cadavere hæc notatu digna observavi. 1. Abdomen serosi humoris plenum & extensum erat. 2. Mesenterium steatomatis multis scatebat. 3. Sub vena Portæ, & quidem in ipso Pancreate, scirrhus admodum magnus conspiciebatur. Hoc principium & præcipuam causam hujus morbi tam diuturni, támque gravis fuisse rationi consentaneum est: quia enim venæ Portæ subjacebat, facile impedire potuit quominus chylus ad hepar perveniret, totumque corpus nutriret, hinc viribus paulatim prostratis, & calore nativo diminuto, sanguinem optimum & laudabilem generare non potuit: Quare in juventute, & ante nuptias, debilis, pallida & palpitationibus cordis obnoxia valde fuerat: in matrimonio tamen melius se habuerat & proles aliquot habuerat: Circa annum vero 1600. symptomata omnia ingravescebant, ita ut continuo de dolore ventris, & quidem ea in parte in qua scirrhum invenimus, conquereretur. Supervenerunt item dolores ventriculi & capitis, cum totius corporis imbecillitate, tussi continua, palpitatione cordis & appetitus imminutione: Itaque corpus ita sensim extenuatum fuit ut ossa vix cute obtegerentur: Attamen interim dum ita laboraret puellum genuit, qui hoc anno 1608. bene se habet.

4. Hepar durum, pallidum, ac si elixatum fuisset, apparebat. 5. Pulmo dextra parte materia purulenta ac fœtida; sinistra vero humore seroso imbutus erat. 6. Per totam Pulmonis substantiam scirrhi plurimi, colore lividi, in quibus materia nigra atramenti instar, contenta fuerat, conspiciebantur. 7. Lapides plurimi hinc inde per pulmonem, diversi coloris, parvi tamen omnes, reperiebantur. 8. Cor sanguine plane exhaustum, extenuatum, ideoque valde diminutum & parvum erat, 9. Arteria venosa in monstrosam amplitudinem extensa erat, humore seroso impleta; à quo quia simplici constat tunica, ita dilatata erat. *Fabritius Hildanus cent. ii. Observ. 89.*

Observatio CII.

In Phthisicis quibusdam ex sanguinis sputo, Pulmones post inflammationem scirrhosam duritiem contrahunt.

Mulier quædam ex copioso sanguinis sputo à Pulmone regurgitante, diutiusque affluente, tandem in phthisin lapsa est, tabescens & pus graviter olens copiosum expuens, cum ponderis cujusdam sensu in parte dextra, difficilique super sinistram decubitu id quod in dextra thoracis vomica pus acervari significabat, pulmonisque dextram partem affectam, ut cujus non fracta modo vena fuerit, sed inflammationis deinceps concitatæ suppuratio facta sit, ac tandem quædam in scirrhum conversio, *Ut sæpe talem Pulmonis, ob infarctum pus, duritiem, in Xenodochiis per anatomem* observavimus. *Ingrassias in consilio pro Fistula Pectoris.*

Observatio CIII.

Phthisis universalis, à purulentibus omnibus visceribus naturalibus & vitalibus; salvis solum renibus, liene & ventriculo.

Cum Christina Pickia, triginta novem annos nata, Gregorii Jetken Pistoris Thorunensis conjux, per tres fere hebdomadas male habuisset, & de Tumore abdominis cum continuo dolore conquesta esset, se gravidam esse à quibusdam mulierculis persuaderi passa est, inque isto errore hucusque permansit, donec malo in dies increscente, Georgium Grunach Chirurgum ad se vocavit, qui ei oleum anodynum cum chamæmelino mixtum porrexit, utque eo abdomen cum dolore tumidum quotidie inungeret, jussit, hoc facto, in somno, 3ª. ab inunctione nocte, sc. 21. Junii anno 1674. materiæ purulentæ fere duæ libræ per umbilicum effluxerunt, natura sibi in ipso umbilici centro parvulum foramen

tamen efformante, & abdomen à congesta ista materia vitiosa liberante, non sine magno fœtore viriumque insigni prostratione. Ego eadem die, hora pomeridiana ad eam vocatus, offendi debilem, in abdomine autem, circa regionem hepatis, duritiem aliquam cum dolore animadverti, urina nonnihil erat tincta, pulsus parvus & debilis, pectus purulenta sanie plenum, quam tussis crebra prodidit, quæ omnia atrophia artuum, præsertim superiorum, comitabatur. Appetitus cibi integer adhuc erat, Sitisque nulla eam infestabat, singulis etiam noctibus placide dormiebat. Sed à 14. Junii durities ventris disparebat: Chirurgus interim canaliculum plumbeum subtilissimum semper indidit, per quem dies noctesque coctum pus copiose effluere solebat, superimpositis emplastris idoneis: Ego ipsi primum corroborantia præscripsi, Deinde ob materiæ Purulentæ in pectore contentæ copiam, expectorantia. Die 26. Junii puris quantitas valde imminuebatur, abdomine quoque naturalem formam acquitente, sed post deligationem vulnusculi à Chirurgo mane hora 7. peractam, horrorem quendam percipiebat, tum etiam circa noctem subsequentem semper calorem p. n. aliquot horarum: A meridie puris quantitas major erat, abdomine ubique molli, pus autem per vasa umbilicalia foras erumpebat, in quæ etiam Chirurgus instrumentum ad medii digiti longitudinem immittere potuit, ad latera vero, in carnem musculosam nullatenus. Unde facile dignoscere potuimus pus illud per venam umbilicalem, tumore mox concidente, ex hepate originem habuisse: Hinc venæ umbilicalis sectionem Anatomici periculosam esse demonstrant, ceu videre est apud Riolanum Fil. Enchir. Anatom. lib. 2. cap. 15. in consf. med. Ideo etiam Epomphalia medicamenta admota umbilico purgare manifestum est: Scitum etiam ex Hippocr. Abscessum ventris umbilicum esse terminum. Sed & aquam hydropicorum interdum per umbilicum erumpere, ejusque affectus esse graves hinc patet. Sic nos in præsenti casu coctum pus per abscessum umbilicalem usque ad mortem fluere observavimus, natura scil. illud undiquaque ex visceribus putridis foras expellente. Postmodum ulcus in mammilla sinistra unum, alterum in sinistra natium exoriebatur, donec tandem totum corpus atrophia consumptum sceleton repræsentabat, & tum misera illa die 29. Julii, hora media octava matutina placide obiit.

A meridie hora media prima, cadavere à Georgio Grunach, Chirurgo, aperto, inventum pus & sanies fœtidissimi odoris, in vasis umbilicalibus, quæ ex hepate ulceroso scaturiebant & per umbilicum stillabant. Hepar duritie & ulceribus tumidum, quinque libras civiles cum semisse ponderabat. Peritonæum, Mesenterium, Omentum, Pancreas, omnia plena putis, & vix non consumpta: Intestina etiam aliqua ex parte corrupta: Lien, Renes & Ventriculus bene constituti erant: Uterus purulentæ materiæ plenus & ulcerosus: Caro musculosa circa regionem Hepatis eidem adhærebat: Diaphragma, Mediastinum, putrida. Pulmones à pure consumpti, maxime in sinistra parte, ubi nihil de parenchymate pulmonis conspiciebatur, imo pleura sinistra tota consumpta erat. Dextri autem lateris superior pulmonis lobus nonnihil adhuc de substantia pulmonis habebat, flaccida tamen & ulcerosa: Bronchia pulmonum, quæ adhuc salva erant, usque ad principium asperæ arteriæ versus palatum, pure scatebant. Cor salvum sed flaccidum, ejusque capsula humore vacua, totum corpus plane consumptum. Hinc (exceptis liene, renibus & ventriculo) præsentem affectum Phthiseos universalis nomine appellandum censemus. *Simon Schultzius in miscell. cur. annor. 1674. 75. & 76. p. 85.*

Observatio CIV.

Phthisici ventriculorum cordis ostia à carnea concrescentia penè obturata fuere reperta.

In quodam Oxonii Tabe extincto, & paulo ante obitum leipothymia frequenter obnoxio observavi dextri ventriculi ostium usque adeo à carnea concretione obturatum, eámque tam arctè inter fibras tricuspides impactam fuisse, ut pennæ anserinæ aditus in ventriculum pro influxu sanguinis vix restaret. Quin & sinister ventriculus pari fere modo obturatus fuit, ut ægre ostium cordis recludi digitis potuerit. *Richardus Lovver Tract. de corde cap. 2. p. m. 136.*

Si Cordis systole, qua liquor sanguinis conquassatur usque, & ad ventriculi latera & vasorum parietes alliditur, paululum diutius elanguescat, succus ejus nutritius in partes secedere, grumescere, & gelatinæ in modum incrassari, tandémque intra fibras cordis hinc inde pendentes implicari, & ipsi ventriculorum parietibus accrescere, & à cordis æstu indurari incipit, eáque quantitatis mole sæpenumero augeri, ut utramque cordis cavitatem fere impleat, motumque ejus multum diminuat. Atque hoc in Tabidis, cachecticis scorbuticis, solenne & familiare est [ut pore quorum pulsus debilis & intermittens est] ventriculos cordis, & vasa omnia sanguifera chylo coagulato infarcta & fere repleta esse; prout in pluribus hujusmodi defunctis, & longa ægritudine attritis, præsertim si sub isto languore in

lecto decubuerint; sæpe observavi: Adeo ut mirandum fuerit Cor ullo modo constringi, aut reliquum sanguinem adhuc fluidum, ad vitam & calorem in partibus conservandum, in vasis istis præterlabi potuisse: Quin & hujusmodi concretiones usque adeo in carnem mutatas vidi, ut plurimas venas & fibras in iis advertetem, quas cum in frustula dissecarem, sanguinem non aliter quam si pars aliqua corporis incideretur, recentem effuderunt: cujus coagulationis hæc ratio esse videtur, quod cum cordis motus diu elangueat, & simul æger lecto affixus sit, ex plano & æquali isto corporis situ, sanguis lento fluxu delatus, ob motus istam tarditatem & moram (præsertim cum succus nutritius in sanguine admodum glutinosus sit) sensim concrescit, & pro cordis & vasorum continentium figura, varie configuratur, unde pro cordis Polypo, verme & serpente interdum habitus est. Hinc constat quanta cum utilitate exercitia & agitationes corporis ad salutem conferant, nam quo sæpius in corde sanguis, conquassatur, ad vasorum, parietes allidítur, in habitu corporis à contractione musculorum agitatur & concuritur, & denique per poros corporis urgetur, eo magis attenuari, & à stagnationibus istis liberari necesse est, in quas alter pars sanguinis nutritia satis prona est. *Idem.*

Observatio CV.

§. 1. *Tabes ab ulcere Pulmonis non semper inducitur.*

Ulcus Pulmonis Tabem esse non admitto, nisi longo temporis tractu degeneraverit vel in vomicam, vel Empyema: Dissectione enim semper contrarium reperi in cadaveribus hoc malo extinctis. *P. Barbette Praxeos lib. 2. cap. 2.*

Phthisis est consumptio humoris nutritii. Pars affecta, interdum quidem Pulmo est, sed non eo quo vulgo putatur modo, ut ex causis patebit. Primario plerumque patiuntur Ventriculus, Pancreas, Glandulæ lacteæ, &c. Pulmo per consensum. Causa est 1°. Ventriculus male chymum digerens. 2. Succus Pancreaticus male sese miscens bili; Unde 3. chylus crassior male transcolatur per Glandulas mesenterii lacteas: Evenit inde 4. quod chyli crassior pars in glandulis lacteis hæreat, non transcoletur, illas induret, sic ut nonnisi serosior illius pars per ductum thoracicum perveniat ad cor. Interim vesiculæ tam orbiculares quam sinuosæ pulmonis, noviter à Malpighio inventæ, ex legibus circulationis sanguinis, replentur lympha, quæ in illis crassior fit, anhelationem causat atque tussim, vapores ascendentes angustias intermittentes. (Differentiæ Phthisis) Practicus Tabem in tres species divido, 1. eaque præcipua, est illa quæ provenit ex glandulis mesenterii lacteis, lympha crassa, vel, ut alii loquuntur, pituita obsessis, quæ sic in causa sunt ut minima assumptorum ciborum pars perveniat ad cor, corporisque partes reliquas, maxima vero illorum pars pereat per alvum: Secunda est, quæ propter sanguinem, & in illo lympham serosiorem, tussim excitat continuam, dum per pulmones circulatur cum succo nutritio ad Cor: Tertia species illa est quam antiqui ulcus Pulmonum vocavere; provenit ex lympha crassa in vesiculis pulmonum supradictis diutius hærente, & circulationem sanguinis impediente: sputa primum albicant & levia sunt, postmodum crassiora fiunt, tandem aliquando fœtent & sic putrent; Hæc quoad Qualitatem, Quantitate si peccaverit hæc lympha, vomicam pulmonum observabis, vel Empyema. *Indicationes Curativæ*, Lympha crassa incidenda; abundans leniter & per epicrasin evacuanda: Hoc addo, me contra omnium forte scriptorum practicorum sententiam, acidis temperatis felicissime usum: Ratio patet ex præscriptis, dulcia acidis non temperata cum multis aliis observavi, ægris semper, ad minimum plerumque obfuisse.

§. Phthisis definiri solet, quod sit Totius corporis intabescentia ab ulcere Pulmonis orta, verum minus recte, quia plurium ab hoc morbo defunctorum cadavera aperui, in quibus Pulmones ulcere quovis immunes, Tuberculis, aut Lapidibus, aut materia Sabulosa per totum consiti fuerunt: Nam exinde *Sanguis*, si quidem in præcordiis *nec libere circulari*, nec ab aëre nitroso satis animari possit, cumque interea à propriis recrementis in pulmone depositis continue inquinetur, sæpe vitiosus & ἀτροφιμος factus tabem arcessit. Quapropter Phthisis definitur melius quod si Totius contabescentia *à mala Pulmonis conformatione orta VVillis Pharmac. Rat. part. 2. sect. 1. cap. 6.*

Sanguis si quidem, &c.) Ostendere oportet quot modis, & ob quas ἀφορμὰς humor serosus, sive (ut vox populi sonat) catarrhalis, è massa sanguinea in Pulmonum vesiculas, aliosque Ductus tracheales deponi solet: Circa quam indaginem unicuique obvium est concipere causam morbificam è binis partibus consistere, simulque in vitio esse, hinc sanguinis materiam noxiam ad thoracem mittentis dyscrasiam, ac inde Pulmonis eam facile suscipientis imbecillitatem, sive ἀτονίαν. Quoad prius, observatione satis vulgari constat massam sanguineam particulis incongruis, scil. vel propriis degeneribus, vel alienis illuc aliunde suffusis refertam, propter eas expurgandas effervescere, quodque secernendum est, cum per alias vias haud facile amandari, in pulmones suffundere, iisque (si forsan constitutionis debilioris fuerint) penitus affigere.

Plures & diversimodæ sunt sanguinis dyscrasiæ, & affectiones quibus liquor ejus in compage solutus, & quasi fusus, serum & succum nutritium non debite intra se continet, quin hos aliosque humores recrementitios à se perpetim amandans, uti interdum in alias partes, ita sæpius in pulmones deponit.

1. Sanguis interdum instar lactis acescentis, sensim depravatur, tandemque ab indole genuina

nuina versus acetosam descifcens, & in compage solutus, serositates suas, (facile nimis abscedere aptas) ex arteriis tum pneumonicis, tum trachealibus in ductus tracheales suffundit. Ita quibusdam solenne est semel aut bis in anno, sine ulla causa manifesta, tussi gravi ac molesta cum sputo copioso affici, quæ tractu quodam temporis, (postquam sanguis fæculentiis & recrementis expurgatus crasin suam recuperat) sponte cessat, & deinceps valetudo firmior & diuturna succedit: Per hujusmodi tussim sanguis καθάρσιον, novi quosdam sæpius in die, & præsertim omni mane, sputum instar atramenti nigricans, cum levi tracheæ nixu excernere solitos: quo affectu cum per plures menses constanter laborassent, post tussim graviorem occasionaliter contractam, cum sputo multo ac flavo, deinceps priori isti arrato prorsus immunes evasere: Cujus ratio est, quod tussis immanior cum expuitione copiosa per aliquot dies persistens, fæculentias istas atrabilarias è sanguine prorsus expurgat, quinimo & sanguinis temperiem immutat seu potius dyscrasiam tollit.

2. Liquor Nerveus non raro degener factus, & cum lympha copiosa è fibris, & partibus nerveis in sanguinem redundans, uti viscerum & renum affectus periculosos, ita quandoque tussim immanem & valde molestam infert. Hujusmodi Tussis modo catarrhalis est, quatenus lympha ista massam sanguineam transgressa, per arterias in pulmones deponitur; modo Spasmodica, quatenus nervi & fibræ ad pectus movendum destinati à latice isto occupantur, inque motus convulsivos irritantur: ab utraque causa, aut separatim aut conjunctim, evenit quod cerebri & nervosi generis pathemata graviora tussim molestam frequenter accersunt, vel in eam commutantur.

3. Præter sanguinis & liquoris nervei vitia, sæpe tussim excitantia, probabile est interdum hoc malum exoriri propter Lymphæ ductus qui ad pulmones spectant obstructos, cum enim hujusmodi vasa quamplurima per pulmones ubique disseminantur, quorum munus est quicquid Lymphæ per arterias ad præcordia advectæ, & per venas haud statim reducibilis, superfluum est excipere, & ad Ductus thoracicos truncum convehere: si forsan acciduit hos ductus, à materia viscosa obturatos vel compressos, aut à frigore constipatos officio suo minus defungi necesse erit recrementa isthæc aquosa, ab emissariis solitis exclusa, aut in sanguinem regurgitantia effervescentiam ejus ciere, aut in Tracheæ ductus suffusa tussim excitare.

4. Nec tantum humores prædicti, quatenus sanguinis crasin aut motum pervertunt, vel impediunt tussim, (quæ sæpenumero Phthiseos proœmium est) verum insuper Evacuationes quæque solitæ aut solennes suppressæ, aut præpeditæ, noxam pulmonibus frequenter imprimunt. Fluxus menstruus aut hæmorrhoidalis obstructus, hæmorrhagia narium assueta, si forte cessat, fontanellæ occlusæ, pustulæ, scabies & exanthemata repercussa, Thoraci labem non raro affigunt. Si quando sputatio copiosa è glandulis oris sponte desistat, vel medicina curatur, postea nunquam tussis Tabifica incedit; quare vulgo dicitur idem Rheuma, quod modo ex capite in fauces & guttur decurrat, postea exinde altius in pulmones descendere; cum revera nihil aliud hoc fuerit, quam quod sanguinis serositas quædam superflua, per arterias cephalicas in glandulis oris deponi solita, postquam illuc excluderetur, per arterias pneumonicas in pulmones irrueret.

A propriis recrementis, &c.) Præter dictas evacuationes privatas & periodicas, vel extraordinarias, quarum suppressiones ad tussim & phthisin inclinant, occurrit altera generalis & constans, videl. Transpiratio insensibilis, quæ inhibita vel suppressa, plus ac sæpius quam cæteræ omnes istius mali occasio aut patens esse solet: Quippe effluvia, per poros cutis evaporare solita, intus cohibita sanguinem fermentant & cito pervertunt, inque serositates fundi & præcipitari faciunt: quæ cum aliis massæ sanguineæ recrementis statim in pulmonibus deposita, tussim molestam, & non raro tabificam accersunt: hinc vulgaris observatio est frigoris, quo pori constipantur, susceptionem, sive per auræ gelidæ afflatum, sive à pluvia aut fluvio madefactionem, sive vestis depositionem, aut alio quovis modo fiat, quamplurimos ad affectus thoracicos disponere.

A mala Pulmonis conformatione.) Illæ sunt præcipuæ causæ & occasiones, quæ ex parte Sanguinis quoquomodo depravati, & propterea maretiam noxiam in Pulmone deponentis, occurrunt. Sequuntur aliæ ex parte Pulmonis, quæ nempe hoc viscus ad tussim aut phthisin promptius contrahendam disponunt, cujusmodi inprimis sunt hæ tres, videlicet 1. Mala pectoris conformatio. 2. Pulmonum innata debilitas, sive hæreditaria ad Tabem dispositio. 3. Thoracis morbi præcedanei; uti sunt vulnus vel plaga, pleuritis, peripneumonia, empyema, hæmoptoe, variolæ & morbilli, cum quibusdam aliis; 4°. his addatur Aura qua inspiratur incongruitas: Quoad Pectoris conformationem, res ita habet, videlicet, ut Pulmones usque farti tecti, & labe quavis phthisica immunes in officio suo diu conserventur, oportebit eos motu usque vegeto agitari, & quasi velis plene expansis, (συστολῶν & διαστολῶν) reciprocationes validas obire: in eum nempe finem ut aër ubertim inspiratus ad intimos quosque ipsorum recessus admittatur, & exinde statim una cum effluviis & fuliginibus omnibus, quaque respirationis vice, maxima ex parte regeratur: Quandoquidem vero hujusmodi Pulmonum actio à thoracis, tanquam machinæ motivæ conformatione plurimum dependet, necesse erit propter malam hujus fabricam respirationis munus in multis deficere; Sunt autem Pectoris male conformati duæ præcipuæ species (nempe Gibbositas & Scapulæ velut Alatæ) propter quas plures in phthisin proclives reperiuntur, quarum ratio est, quod in tali utraque pectoris vel depressi vel oblongati figura, neque Pulmones spatium ita liberum amplumque obtinent, neque musculi motivi ita fortiter contrahi possunt ac in pectore quadrato.

2. Pulmonum innata debilitas, sive hæreditaria ad tabem dispositio adeo frequens & vulgo notabilis est, ut cum aliquis in phthisin proclivis reperiatur, à quibusque statim interrogetur an non parentes ejus tali morbo obnoxii fuerint? Horum plurimi pectore angusto, & collo oblongo præditi, & constitutionis valde teneræ, à levissima quavis occasione tussim contrahunt. Auram nec gelidam, nec humidam ferunt: horum nonnullis habitatio in urbibus, ubi aër crassus & fumosus inspiratur valde infesta est: E contra aliis in eandem affectionem proclivibus, plurimum amica, (cujus ratio alibi reddetur) Illis omnibus vetus Borealis ferè semper inimicus, utpote qui tussim frequenter, it*e*m

item hæmoptœn, pleuritin, aut peripneumoniam excitare solet, scil. vasis Pneumonicis aut Thoracicis exinde constipatis, atque interim sanguine, ob transpiratinnem impeditam, & effluvia intra massam ejus cohibita, turgido magis & acriore facto.

Enimvero diathesis ad phthisin hæreditaria in his duobus potissimum consistit, videl. 1°. quod patientes sanguine acriore & elastico præditi, ἐξ ἀνάγκης uberiorem exigunt, quæ si forte minus conceditur, materies evaporare solita in Pulmones imbecilles redundat: Dein 2°. Si quidem vasa pneumonica nimis laxa & tenera existunt, serum aliáque sanguinis recrementa, intra massam ejus solutam haud rite continent, verum & ista, & nonnunquam ipsius cruoris portiones quasdam in ductus tracheales erumpere sinunt: quorum fibræ motrices cum insuper debiles fuerint, quod in cavitates suffusum est non statim foras eliminant, quin ibidem commorari & putrescere, demumque in tabum, & pulmonis & sanguinis corruptivum, degenerare patiuntur. *Idem.*

Ab ulcere pulmonis) Quando tussi ac sputo diu continuatis, & sensim auctis, humor copiosus è massa sanguinea in Pulmones deponitur, iste inprimis vesiculas tracheales subit, ac tandem implet & nonnihil distendit, è quibus cum quolibet mane, per expectorationem tunc uberius habitam, fere totus ejicitur, exinde pro brevi tempore thorax gravamine immunis, & respiratio magis libera videtur, paulo ramen postea sanguis sero aut succo nutritio resarcitus, novam materiem pulmonibus suffundit, proindéque rursus è cibo, aut somno, vesiculæ replentur, atque humorum affluxu in dies adaucto magis distenduntur ampliantúrque, tandémque lateribus duarum forsan aut plurium disruptis, multæ hic illic vesiculæ in unum quasi lacum efformantur, intra quem materies tabifica copiosius aggesta, ibi (quidem haud tota statim rejicitur) putrescit, proindéque & pulmonis cui insidet substantiam corrumpit, & sanguini pertranseunti inquinamentum putridum insinuat. Fovea ita in pulmonibus facta, in dies augetur, & sæpenumero plures simul ac diversis locis cuduntur, atque ob magnam humoris in iis aggesti & putrescentis copiam pectoris gravitas, velut onus sentitur, respiratio magis impeditur, insuper à Tabo uberius in massam sanguineam suffuso crebræ hujus effervescentiæ, succi nutritii disperditio, porro sitis ac æstus, inappetentia, sudores nocturni, & totius corporis intabescentia oriuntur: Cæterum cruor à pulmone inquinatus, hunc affectione reciproca, vid. à proprio tabo magis plecti facit: quippe sanguis venosus unaquoque circuitu materiem istam purulentam excipiens, eam mox arterioso tradit: Unde cum neque per diaphoresin, aut diuresin satis amandari queat, tandem per arterias pneumonicas ad pulmones refertur, ubi rursus à sanguine secreta, ubique in tracheæ tum vesiculas, tum ductus minores insinuatur, ita demum ut tota Pulmonum compage impleta, & foveæ sive ulcera deinceps in pluribus locis efformentur, & sinus reliqui omnes ichore spumoso infarciantur. *Idem.*

Ulcere quovis immunes) Supra plurima Tabis exempla adducta sunt à tuberculis, grandine, calculis, aliisque extraneis ortæ, citra ulcus, ab eotundem ariditate, aliisque vitiis.

Observatio CVI.

In Phthisici Cerebro, cladis authoris credito, nihil vitii deprehensum est.

Nuper hominis Phthisico morbo defuncti corpus incidebatur. Ego author eram ut caput quoque aperiretur, cum ad unum omnes qui huic sectioni intererant persuasissimum haberent morbum illum ex diuturnis cerebri destillationibus contractum fuisse; Ego oculis statim ad *Infundibulum*, submoto cerebro, transferebam. Sed hoc *erat mundum* aspectu, nec stilla quidem ibi plenior hærebat. *In ventriculis* quidem *plus aquæ*, *quam naturaliter debet*, inerat, nec guttula humoris exstillabat oppressione Glandulæ Pituitariæ. *C. V. Schneiderus l. 2. de Catarrhis cap. 15.*

Infundibulum erat mundum) Inveniuntur qui omnem cerebri pituitam in hanc viam confundi putant, ut *Vesalius*, *Fuchsius*, *Valverdus*. Hoc vero Infundibulum, *inquit*, latum est superius, tum meatuum in ipsum desinentium gratia, tum dextri sinistrique ventriculi capitum, quæ inibi desinunt, excipiendorum gratia: In id etiam capax adeo hujusmodi infundibulum exstructum est, ut si quid pituitæ humorisve super calloso corpore, aut in finibus in ipso incisis colligeretur, id facile in Infundibulum, piæ meningis beneficio illabi posset. Sive namque à posteriori, sive ab anteriori callosi corporis parte hujusmodi humor defluat, semper in duram meningem, quæ cerebri basin investit, hincque in colum prolabitur: quod (quo declivius fertur) eo angustius redditum, pituitam omnem excipit, eámque per exiguum quoddam in tenui meninge incisum foramen rejectam, in commemoratæ glandulæ centrum procumbere sinit: Neque ullus eam ad nares meatus deducit, cum per eas pituita secundum naturam minime excerni soleat, sed in magna duntaxat exuperantia, ut in coryza. *Hactenus Valverdus.* Ex quo intelligi datur omnem fere pituitam retrorsum manare: Si igitur tanta humoris vis quotidie confunditur in Infundibulum, quam facile illa tunica offendi potest? quam facile cunctus meatus oppilabitur? aut etiam destruetur? Pituita quam varii coloris est? quam varie ergo illa hunc meatum transeundo inficiet? Nunc quam multa cerebra inspiciuntur? At nunquam tinctum reperitur infundibulum, nunquam distentius. Forma denique hujus meatus reclamabit, & hujus officii rationem omnem excludet: In tertio ventriculo notatur meatus, qui est peranguftus; nunc ajunt infra fieri ampliorem, & mox in fistulam terminari, quem quoque ob id vocant *Infundibulum*. Quo igitur consilio natura exiguum, & mox capacem, & tandem iterum angustum fingit canalem? Si hic meatus de tertio ventriculo hauriat humorem, ejus initium, instar cujusdam orificii,

debet

debet esse magis latum & amplum: Quare cum hic meatus pertineat ad infundibulum, hæc cavitas infundibulo vix assimilari potest: id quod etiam DD. *Warthonus* fere deprehendit. Videmus ergo hanc membranulam ad humores trajiciendos minime figuratam esse. *Idem.*

Ex diuturnis cerebri destillationibus, &c.) Vide Scholia ad Observ. 3. Sect. 17. lib. 1.

Observatio CVII.

Tabes ab obstructione venæ cavæ prope cor.

IN cadavere Phthisi Lugduni observavit *Lazarus Meyssonerius*, Medicus Lugdunensis, percelebris; venam tantum cavam prope cor obstructam. Hinc acutus ille vir Phthisin ab ureterb us & renibus deduxit, quam in se solis curavit diureticis; ut decocto hyperici, &c. Non sacchаro, quod credit dissolvere potius sal pulmonum illorumque unionem. *Thomas Bartholinus centur. 7. histor. xxxv.*

PHthisin à toto subinde venoso genere induci plane sum certus: Sanguinis enim vitium non corpus tantum emaciat, sed & Pulmones, quos in circulatione transit, omnis; (sive aut horum culpa aut cerebri) sua acrimonia irritat & corrumpit: A quocunque tamen vitio Phthisis dependeat, Pulmones tamen in plerisque phthisicis tandem depravatos observavi. Interdum parenchyma plane vidi absumptum, solis vasis remanentibus. Nonnunquam tanto pure scatent, ut calcis instar sint friabiles. Subinde ita induratos inveni & exsiccatos, ut vitri instar diffringi potuerint: Sæpe costis visi tam firmiter adnati, ut motus reciprocus cessaverit. *Idem.*

Observatio CVIII.

§. 1. *Tabes à Cordis exsiccatione & defectu humoris in Pericardio.*

CAsimiri Marchionis Brandenburgici, ob mœrores & vigilias, humore qui involucro cordis continetur, exhausto & exsiccato, cor exectum & exsiccatum pyri tosti faciem repræsentavit, &c. *Melancthon. lib. 1. de Anima.*

DE phthisi cordis mentionem faciunt *Plinius* lib. 19. cap. 5. natur. histor. & *Plinius secundus* lib. 4. cap. 1. de remed. Contra phthisin, *aiit*, succus raphani adhibetur, qui solus potest tenuitate subtili ad imi corporis lineamenta cor penetrare: Egyptii enim Reges, quibus erat studium corpora scrutari mortuorum, & causas valetudinum oculata fide recognoscente, in corde ipso nasci ejusmodi vitium prodiderunt: Quomodo autem succus raphani, calidi & sicci temperie, ejusmodi affectui medela esse possit obscurum; Nisi recurras ad cordis obstructiones, hincque impeditam sanguinis circulationem, quam liberam reddat, referatis summa vi penetrandi obstructionibus; ad qualitates occultas deveniendum erit.

§. 2. Nuper Illustr. Romani corpore, qui à diuturno morbo divexatus, defecerat, nulla prorsus cordis portio, sed ejus tunica tantum reperta fuit; quod nimirum ab immoderato calore illud penitus jam absumptum erat totum, *Bernard. Telesius rerum natur. lib. v. cap. xxviij.*

§. 3. Si desit aqua in Pericardio, cor sensim contabescit arefactum, ut in pluribus observatum. *Riolanus Encheir. lib. 3. c. 4.*

Quem defectum Riolanus marasmi causam statuit; *Highmorus* vetius pro effectu agnoscit.

Observatio CIX.

Tabes ab ulceribus cordis excitata

§. 1. IN quodam qui sensim contabescens & liquescens de medio sublatus est, tandem tria ulcera in corde reperi, non parum cava & sordida, multo ante jam tempore contracta. *Fernelius lib. v. cap. xij. pathol.*

§. 2. Veneriis dum cadaver quoddam secaremus, quod fuerat hominis qui ex diuturno morbo tandem mortuus est, invenimus parvum sub altera auricula cordis ulcus, quod videbatur antiquum, aliquantulum profundum, purulentum & sordidum: Quodcunque autem illud fuerit ulcus, sive ex aliqua vomica fuerit, sive ex erosione, sive ex putredine; videtur rationi consonum, quod si hæc pertulerit diu, possit etiam scirrhum aliquandiu ferre. *Trincavellius lib. vj. cap. xi. de rat. curandi &c.*

§. 3. Vir quidam paulatim longi temporis tractu omnino emaciatus, tandem obiit, In cujus dissectione inveni magnum ulcus, quod non solum cordis capsulam, verum etiam substantiæ cordis magnam partem exederat, usque dum tandem penetrasset in sinistri ventriculi cavitatem ægrumque sic occidisset: *Dominicus de Marchettis Observat. Medico Chirurg. xlvij.*

OBSERVATIO CX.

Tabes à pericardii affectu.

GAlenus in Simia & Gallo, in ambiente cor tunica, invenit tumorem ob quem in dies emaciari videbantur: In Simiæ tumore repertus est humor, in Gallo nihil humoris: Galenus semel vidit hunc morbum in sectis animalibus dictis, Ego ter observavi: Hi animi deliquio, cordis palpitatione, pulsu duro, parvo, nulla præcedente tabitudinis causa, syncope oppressi vitam ducebant & accedente febricula consumpti sunt: In uno dissecto, apparuit in hac tunica duriusculus tumor, nucis avellanæ parvæ magnitudine, non perfectè callosus, quo disrupto, ichor quidam emanavit citrinus: Hic cæterorum instar ad extremam maciem redactus, nullis unquam auxiliis levari potuit. *Zacutus prax. adm. lib. ij. observ. cxxxvij.*

HIc affectus rarus, chronicus, cognitu difficilis, exitialis est: quo correpti sensim ac fine sensu febre lenta oppressi contabescunt: Ab humore enim in hac membrana impacto, tumorémque committente, retento & putri, ob viciniam tantam cum corde, jugis tenuisque concitatur febricula, quæ tandem totum colliquat & absumit: licet enim cordis involucrum inter partes ignobiles reponatur à *Galeno* 7. anat. adm. c. 13. id tamen intelligendum si [illegible]um afficiatur citra cordis offensam: Si autem hæc cordi communicatur, ob difficilem curandi aditum, atque ob gravia symptomata insequentia, ægrum marcescere par est: maxime quia hanc tunicam, si semel humor penetrar, ægerrime elui potest; qui licet tenuis sit, tractu temporis à calore cordis crassescit, & induratus fit resolutioni contumax; & si à natura vel arte tentetur suppuratio, humor effusus supra cor illius ignem subito extinguit, & inopinato ægri occumbunt: Et si res bene succedat, ulcus fit immedicabile quod ritu ulcerum pulmonis, corpus tandem colliquat: His pressus angustiis *Salius* modum curationis se ignorare fatetur: Eo tamen ordine esse curandam hanc tabem quo pulmonis tuberculum in observ. 112. censeo. Vide *Salium* de aff. omissis c. 7.

OBSERVATIO CXI.

Anatome Phthisici in utroque cordis sinu caruncula habentis.

ANno 1608. Basileæ in dissectione phthisici cujusdam, præter alia ex utroque cordis ventriculo, carunculæ quædam albicantes interius, exterius colore rutilo emergentes, figura pyramidali, peculiaribus fibris in ipsis ventriculis radicatæ, per vasa cordis ramulos suos dispergentes, digiti minoris crassitie longitudine sesqui palmæ: In phthisicis & hydropicis haud raro ejusmodi reperiuntur. *Th. Bartholinus Epist. 4. cent. 1.*

OBSERVATIO CXII.

Atrophia in Bove, ab Abscessu in corde & Tuberculis in parenchymate Hepatis.

ANnosus Bos in ædibus meis mactabatur 1650. macilentus, sine Omento pingui: Cor multo adipe obsitum: in dextri ventriculi pariete medio abscessum habuit pomi magnitudine, duobus folliculis inclusum, quorum exterior crassior cartilagineus, interior tenuior, ex quo secto serum cum impetu effluebat: Nulla tamen vomicæ cum ventriculo cordis communio, sed folliculus interior pedunculo parieti externo alligabatur: Cor igitur abscessus patitur & alios tumores, secus ac visum *Galeno* lib. I. de loc. aff. c. 5. quanquam non plane negasse, sed diu durare posse pro *Galeno* respondeat *Saxonia*: In Hepate ejusdem Bovis, à parenchymate separato, observavi circa portæ ramos tubercula cum venulis lata & capacia, in quibus præter externam tunicam interior folliculus conspiciebatur: In aliis venis capillaribus, circa anastomoses, crassa quædam & tuberosa erat caro, tendinosa & fibrosa; Hinc quia sanguis non potuit libero cursu per anastomosin ferri Atrophia successit. *Bartholinus histor. 32. centur. 2.*

OBSERVATIO CXIII.

Tabes ab ossiculo in meditullio cordis.

ILlustris Baro Hungarus, *Casparus Hortvath*, habuit fratrem in Polonia, qui per aliquot annos phthisicus, cum à Medicis Poloniæ curari non posset, prognosticis relictus est: Eo anno 1640. mortuo, Medici causam incurabilis morbi ac mortis scire cupientes, sectione aperuerunt pectus, & in meditullio cordis, admodum arefacti, invenerunt ossiculum

culum forma amygdalæ, Et quod stupendum, genuinam & expressissimam in ossiculo illo demortui effigiem, Exspiscari autem non potui an sculptura, an pictura effigiem repræsentaverit &c. *Observatio Samuelis Spilenberger, Medici Hungari, in Miscell. curiosis anni* 1671. *Observat.* 40.

Observatio CXIV.

Tabes à tumoribus scirrhosis in pericardio, Simiæ & Galli; Qui affectus analogice ad homines referri potest.

Simia quædam cum emaciari in dies videretur, eam tamen necessariis nostris negotiis impediti, secare in tempore non potuimus: post mortem vero, reliquis partibus omnibus illæsis, inventus est in ambiente cor tunica tumor p. n. humorem in se continens, qualem pustulæ (Græci hydaridas vocant) emittere solent: Atque in Gallo quoque vidimus aliquando cordis tunicam hujusmodi scirrhoso tumore affectam, perinde ac si plures crassæ membranæ involutæ altera alteri fuissent, verum in eo nihil humoris continebatur: Unde verisimilis conjectura elicitur, homines etiam similibus posse affectibus infestari. *Galenus l.* 5. *c.* 1. *de loc. affectis.*

Observatio CXV.

Atrophia ab infarctu auriculæ & ventriculi dextri cordis.

Puella toto vitæ tempore morbis fuit obnoxia, tandem cordis palpitationi, asthmati, & atrophia periit: In cordis auricula dextra erat materia alba, crassa, In sinu dextro materia pinguedini similis. *Vide lib.* 2. *tit. de Palpit. cordis.*

Observatio CXVI.

Tabes à scirrho Hepatis abscessibus plurimis referti, Lienis Pulmonum vitio.

Natatui indulgens puellus, dum undis marinis nimium credit, ab iisdem per infortunium abripitur, mersusque profundo ægrè à sociis inventus, defertur in littus, & inter frequentes rotantium manus oborta vomitione, salsam aquam copiose rejiciens, eripitur quidem morti subitæ, sed æger tamen domum refertur, & anicularum suasu, sacculis arena marina plenis calentibusque obruitur, potissimum qua parte Hepar delitescit, quod de illius partis regione conquereretur: Sed cùm jamdiu sacculorum nullus finis esset, ille quidem lectum deserit, obambulatque cubiculum languidus & pallens, verùm ignoto amicis morbi genere paulatim contabescit: Tandem huc translatus mihi committitur, animam ægrè trahens: Ego re expensa ostendo conclamatum esse, hepar ferventibus arenis perustum, sanguinis motum illa parte non parum sufflaminasse, eòque ex coacervatis ibi humoribus scirrhum Hepatis natum, meo quidem judicio jam immedicabilem: Quid fit? biduo post exspirat puellus, & quidem xxiv. horis ante convulsus.

Rogor ab amicis, salvum Hepar suspicantibus, ut aperto cadavere mortis causam indagem profuturum id fratribus reliquis, etiam temperamenti imbecillioris, ut sibi rectius prospiciant: Itaque resectis integumentis, dum Hepar intentius contemplor, naturali longe majus duriusque offendo, atque ostendo astantibus non tantùm viscus durissimum, sed & parenchyma ejus mille abscessibus minutis refertum: Erant autem abscessus illi, non fluido pure distenti; sed duro alboque, quale fere in elephanticarum suum carne quandoque videmus & abominamur: Nec immunis ab eodem malo Lien, circulatione sanguinis luem in diversa transferente: Pulmo superna parte maculis nigris flavisque hinc inde versicolor, sive aqua marina illuc quoque novam calamitatem deportante, sive catarrhis ex capite sensim in pulmones destillantibus: Notavi enim sæpe alias in pulmonibus mortuorum, quos catarrhi infestaverant, nigricantes illas pulmonum maculas, vera vel præsentis vel brevi sequuturæ corruptionis argumenta. *Olaus Borrichius observ.* 95. *In Actis med. Bartholini anni* 1671. *&* 1672.

Observatio CXVII.

Tabes sequuta Hepatis inflammationem, abscessum ac gangrænam.

Famulus N. per annum dolore hypochondrii dextri laboravit, ac totum corpus Tabe absumptum, Hepar fuit durum, magnum, albicans circa ventriculum, gibba parte circa costas nothas, nigrum, exustum plumbeum in esthiomenon commutatum. *Vide tit. de Febribus.*

Observatio CXVIII.

Tabes à putrilagine Iecoris inducta.

Ictericus cum lenta febre & totius Atrophia, de duritie cum dolore in jecoris regione conquerebatur : Substantia Hepatis fere tota absumpta erat, in putrilaginem & purulentiam conversa. *Vide lib. 3. de Hypochond. dolore.*

Observatio CXIX.

Tabes à vitio Hepatis scirrhosi &c.

Catarrhinæ N. pedum insignis erat tumor, macie reliquum corpus occupante, de dolore in dextro latere conquesta. Hepar nonnihil grandius erat, in cujus medio parte macula alba, tactu cartilagini molli similis, totum parenchyma penetrans, cum pluribus aliis minoribus &c. *Vide lib. 3. tit. de Hypochond. dolore.*

Observatio CXX.

Phthisici Iecur profunde candicans repertum.

Equi Phthisici cadaver, qui aliquot mensibus ante obitum ab omni cibo abhorrescens, à solis potulentis, sc. nunc vino aqua diluto, nunc pura puta fontana vitam sustentabat, cujus hepar revera profunde candicans & quasi dealbatum, cætera molle nec magnitudine minus apparuit.

Hepar candicans erat, ob sanguinis paupertatem in sanguiferis vasis, Nam febris multum depascebat, & ob inappetentiam consumptus non restaurabatur, imo solo vino diluto & aqua vitam sustentans. *I. Iac. Wepferus. Dissertat. de Apopl. p. 390.*

Candicans.) Hepatis substantia nuper concreto sanguini simillima est, colore rubra, vocaturque παρέγχυμα, i. e. affusio, quum in fœtu nihil aliud esse videatur quàm sanguis innumeris venarum surculis circumjectus & affusus : Non enim è sanguine primum, secus atque aliæ partes constituta est, Enenim color ejus in embryone albicat, sanguine jam intra vasa purpurascente, mox flavescit, ac denique rubedinem induit : In quibusdam animalibus perpetuò album flavum aut viride apparet.

Observatio CXXI.

Tabes Pectorea, Rachitis Anglis dicta, à Iecore supra modum aucto, ortum ducit.

Pectorea Tabes dicitur, non quæ intra pectus sedem habet, nam Phthisis pulmonica eo nomine comprehenderetur, sed in qua ipsa pectoris crates vitiatur, cujus origo est à Jecore supra modum adaucto, adeo ut defectu spatii, à pectore mutuetur quod ipsi deest, unde id vitiatur. *Vide supra observat. 77. & sectionem ultimam hujus libri.*

Observatio CXXII.

Tabes ab Hepate vitiato, non sanguificante, In thoracis cavitatem compulso.

Puella annos 14. nata hydrope prius affecta, post tumore abdominis ob ejus abscessum, tandem interiit.

Aperto cadavere, inventum Hepar colore flavissimo; adhærens peritoneo undique & diaphragmati, ac mole sua mediam thoracis partem replebat, ut ipsi cordi omnino esset vicinum : Hinc summa macies in toto corpore, quod marasmo confectum videbatur, idque ob vitium Hepatis sanguinem non generantis. *Vide lib. 3. tit. de Tumore abdominis.*

Observatio CXXIII.

Tabes à vitio Hepatis verrucis obsiti, Mesenterii & Intestinorum cum vermibus copiosis.

Monrispessuli Virgo 18. annum ætatis moriebatur, quæ per integrum annum *Atrophia* laborarat & à Medicis diversimode tractata erat : Aliis vermes subesse existimantibus; aliis verò intemperiem partium nutritioni inservientium: Pater defunctæ cadaver aperiri petit à Facultate Medica, *DD. Guichardus* dum secat, aperto peritonæo summus fœtor ab adstantibus non sustinendus, nares eorum ferit : Partes ergo naturales, tanquam facul-

ficultatis læsæ, pertunduntur instrumento, Tum aliquot millenæ verrucæ circa Hepar, mesenterium & intestina reperiuntur, illæso Liene, Pulmone & Corde: Omnia quoque intestina repleta erant vermibus, & quidem lumbricis longioribus, ut etiam secundum longitudinem intestinorum bini & terni simul juncti ad tactum deprehenderentur: Plura rimari ob intolerabilem fœtorem non licebat: Tanta vero corporis erat siccitas seu ariditas, ut etiam in tanto ætatis flore matrimonio inhabilis fuisset. Hoc sane loco, licet utrique recte senserint, dum & vermes adfuerunt, & vitium partium naturalium, attamen novum hoc erat verrucarum spectaculum: Fœtor ille proculdubio ex illuvie putrescente, & materiam vermibus, *ex qua*, præbente. *Phil. Salmuth. cent. I. observ. v.*

Observatio CXXIV.

Tabes à pure sub vulnerata Iecoris fibra collecto.

Ictor imperterritus injecturus vincula audacissimo cuidam nebuloni, ictus fuit bipenni in infima Jecinoris fibra: cujus exstillans sanguis in pus conversus, conjecit ipsum in lentam febriculam: Utique tam vehementem universi corporis *Marcorem*, ut conficeretur ante diem xl. Quo cadavere, jussu Prætoris, dissecto, invenimus sub vulnerata fibra plurimum graveolentis puris collectum: Ex cujus fœtore insurrexit proculdubio, quæ ipsum consumpsit febris; plane ad instar eorum quos pessundat lenta Tabes. *Nicol. Tulpius lib. ij. observ. xxvj.*

Credidit *Cornelius Celsus* servari non posse cui Jecinoris Portæ percussæ, utique vix ad sanitatem pervenire cui crassum ejusdem visceris vulneratur: Sed plagam minus exitialem ubi mucro non descendit ad grandes venas: Ex minoribus effunditur quippe minus sanguinis; attamen licet tardius, occidit, tamen ipsarum vulnus hominem facile, namque effluit ex parte declivi plus sanguinis, & dissipatur impensius calor Jecinori necessarius quam ferendo fit sine evidenti incommodo calida sanguinis officina: Ac proinde non de nihilo est quod *Galenus*, (alias diligens observator) nullibi locorum asserat abscissam Jecinoris fibram fuisse sanatam: Nisi forte in comm. in aph. 18. 6. sed refert illic aliorum dumtaxat animadversiones, quibus etiam manifestè fidem derogat. *Idem.*

Observatio CXXV.

Tabes à Iecoris substantia exesa, plurimisque lapillis in cysti fellea.

Cum Nobiliss. virum *Valentinum de Hoës &c.* Per integrum fere annum *Atrophia* laborantem, tandemque lenta *Tabe* extinctum secarem: In hujus vesica fellea lapilli plusquam ducenti fere; partim quandranguli, partim cineritii, partim subflavi, & auro quasi micantes reperti sunt, Jecorisque substantia plane exesa; De dolore verò gravativo dextri lateris nihil unquam conquesta est. *Greg. Horstius lib. iv. observ. xlvij.*

Observatio CXXVI.

Tabes ob Renes Iecori affixos.

Renes ambos Jecori affixos vidi, & manu abstraxi mea in Hieronymo N. qui in magno æstu, valde sitiens, exhauserat in frigida quadam cella, uno spiritu, prægrande poculum vino albo frigidiore plenum: Mox ab eo haustu sensit *præcordia sibi quasi collabi*, incipiens tussire tussicula inani, difficili, insueta, quam nec libera nec liberalis, imo nulla fere sequebatur exspuitio, corpus sensim *marcescebat*, de pectoris angore & spiritus impeditione ac cohibitione subinde conquerebatur: Consulti Medici, alii post corporis evacuationes præscripserant dilatantia, lenientia & expectorantia: Alii, incidentia, extenuantia & detergentia; Nonnulli arrestantia ad catarrhos: Nihil autem iis proficientibus, tandem transactis duobus annis & aliquot mensibus, moritur æger.

Cadavere aperto, inspectisque thorace, pulmonibus & corde, nihil monstrosi, nihil fere vitii deprehendimus: sub Diaphragmate verò, cum renes investigaremus, invenimus eos, præsertim dextrum, Jecori per membranas peculiares, quibus vestiebantur, quasi adnatos, & ita affixos ut vi quadam fuerint manu avellendi. *Ex Martini Holtzapfelii Med. Observat.*

Hæc res omnibus nobis rara & mira videbatur: utrum verò sursum tracti renes, an deorsum prolapsum fuerit diaphragma? disputatum fuit: Equidem in ea eram & adhuc sum opinione, ob nimis relaxatum & quodammodo resolutum (ex frigido illo & magno haustu) Diaphragma, propendisse omnia quæ ab eo pendent viscera, ut sic Jecur quasi renibus incumberet (à quo tamen vi caloris hos etiam nonnihil attrahi forte potuisse non negaverim) & successu temporis naturam, quæ nunquam otiatur, genuisse membranulas illas quibus vestiti Renes Jecori agglutinabantur. *Idem ibidem.*

Præcordia sibi quasi collabi] Hippocr. lib. de diæta

diæta Acut, ait, Quibus in more positum est bis die cibum capere, si forte illi non pranderint, infirmi fiunt, jacent, & ad omne opus timidi, stomachi morsu tentantur, *Viscera suspendi videntur, &c.* In Græco, κρεμᾶσθαι δοκεῖ τὰ σπλάγχνα αὐτέοισιν: Iste autem κρεμασμὸς καὶ μετεωρισμὸς non aliunde est quam ob collapsum stomachi habitum, qui cum intumuit visceribus est cujusdam fulcri loco: viscerum enim tepletio est viscerum tectitudo quædam, unde fit ut quidam squallido habitu & melancholico, cum tulerunt abstinentiam unius diei aut plurium, existiment sua quasi viscera pendere, & mali Medici frustra eos medicamentis sollicirant, cum potius adjectioni studendum sit: Quo pertinet illud lib. 3. de artic. Si febris continua non prehendit eum, cui fracta est costa, satius est eum non inanire: inanire enim est ἐπωδυνέστερον; moderata teplerio ventris, directio costarum est, evacuatio autem κρεμασμὸν facit, & κρεμασμὸς dolorem.

Observatio CXXVII.

Tabes ab infinitis lapillis in fellis vesica contentis, & Iecoris substantia exesa.

Iam diu est eum Nobil. N. lenta tabe extinctum secarem, In hujus vesica fellea lapilli plusquam ducenti repetti sunt, Jecotisque substantia plane exesa. *Bernardus Stieberus ad Greg. Horstium in Observ. l. 4. Obs. 47.*

Observatio CXXVIII.

Tabes à defectu omnimodo Bilis in Vesicula fellea.

Magnopere olim mihi lecta placuit hæc tua de Bile sententia, & exinde animadvertere cœpi in promiscuum trivialium Medicorum votum, quod apud suos, quos miseredi vexabant, ægrotos, ingeminare, soliti fuere, dum Bilem educendam esse dicerent, utinam omnem è corpore Bilem educeremus. Verum quid inde mali evenit? Id nempe quod plurimis, qui adempto præcipuo coctionis condimento omnem in cibo capiendo appetitum amiserunt, de hinc cachectici, tandem hydropici demortui.

Tres occubuere uni parenti filii, omnes tandem Marasmo tentati, ultimum dissectioni meæ commisit mœstus ille genitor: Nullum revera nec vel vestigium ullius Bilis in vesicula adinveni, illæsis cæteris omnibus visceribus: Hinc culpam omnem in diagridiata illa contuli medicamenta, crebrius illis defunctis adhibita: Hunc enim errorem illos errare sæpius deprehendi, ut à vehementissimis quoque purgantibus non abstinerent tenera ista ætate, adeóque præmature committant funeri corpuscula longiore dignissima diæta. *Anonymus ad Gothofredum Moebium in hujus Fundamentis Physiologicis cap. xvj. §. x.*

Idem olim à Fernelio fuit observatum, qui ait in quibusdam non aliam mortis causam comparuisse quam quod folliculus omni bile exhaustus fuerit: Usus vero hactenus fuit incertus: Multi inutile excrementum dicunt, verum natura eam non ad intestina tenuia, ubi chylus ultimam admittit manum, sed potius ad crassiora, quæ scybala ficciora continent, & stimulo pro excretione præprimis opus habebant, ablegaret. Quamobrem, cum natura bilem cum chylo in intestinis, & interdum in ipso ventriculo misceat, necessario usum aliquem in chylificatione præstabit, Existimamus autem ejus usum esse, 1. Coctionem juvare. 2. Ceu balsamicum quoddam condimentum chylum à putredine vindicare. 3. Secretionem chymi à scybalis & ipsam digestionem promovere. 4. Excretricem intestinorum stimulare. 5. Addunt quidam ut toti corpori calorem largiatur; Sanguinis & humorum motum juvet, eosque à putredine præservet: Non desunt testimonia quæ hos usus firment: Mundinus in Anat. ait delatam bilem ad stomachum pro roboranda virtute digestiva venire: Author lib. de Anat. vivorum, Cystis, inquit, tres habet meatus, unus dirigitur ad fundum stomachi, quo transmittitur choleta in ipsum stomachum propter digestionem confortandam: Lupi ideo deprehenduntur voracissimi: Remex Vesalii, cui bilis ad ventriculum deferebatur, voracissimus erat, fortis ventriculi, nauseæ in mari non obnoxius: Porus choledochus licet raro ad ventriculum abeat, cystis tamen fellea contactu suo cum ventriculo nonnihil communicat; quem & ea ratione calefacere potest: Hæc elogia bilem excrementorum stricte sumptorum censu eximunt, & utilissimi succi, maximéque ad vitam necessarii humoris civitate donare videntur: Tantum enim abest ut secundum Aristot. & Plinium quidam hominum absque bile inventi fuerint, ejusque absentia vitæ longævitatem causari queat, ut potius ex ejus defectu hominem nunquam diu superstitem futurum, sed vel hydropicum vel cachecticum è vita emigraturum credamus: Hæc omnia, ut puto, evincent Bilem haud quaquam excrementum esse inutile, sed ad coctionem primam expediendam & absolvendam summe necessariam: Hinc videmus naturam hac in parte tam providam esse, ut nunquam omnem bilem è corpore per porum choledochum communem, releget, sed semper aliquid in vesicula, ne unquam istud condimentum chyli balsamicum desit, reponat: Communis est medicorum sententia quod bene constitutum Hepat bonum appetitum pariat, quod Argenterius & Gemma attestantur: quare autem isti homines bene comedunt & digerunt? Certe quia hepar bene constitutum bilem educit laudabilem, primæ coctionis complemento inservituram: Nullum quoque dubium ipsam quoque hæmatosin, cùm in corde tum in hepate, bile ista alimentari juvari: Bilis ista nimirum videtur quasi flos sanguinis: Unde chylus mixtus cum sanguine in corde maxime hujus beneficio fermentari

fermentari & demum in sanguinem mutari videtur: Demum chylus quam facile in intestinis corrumpatur, abeat in vermes humorésve ad nutritionem ineptos, experientia firmat: Bilis tempestivo interventu hæc omnia præcaveri judicatu est facillimum, Quo fermentum bilis non pertingit, inquit Helmont, ibi lumbricorum est patria: Secretionem autem utilis ab inutili bile promoveri, atque expultrici calcar addi, nemini dubium: Colon ad hepatis regionem ascendens interdum fellis cysti adnectitur, ejus contactu bileo colore tingitur, teste Highmoro: Coli autem expultricem à tali vesiculæ situ simul stimulari credibile: Ultimum usum, Toti corpori calorem largiri, Sanguinis omniumque humorum motum juvare, non admittimus, nisi de ea particula sanguinis, quæ à calore cordis ita exaltata, ut in regressu per hepar in bilem abire queat; Ista particula, (quæ actu quidem nondum est bilis, proxima tamen potentia, ut prima occasione in convenienti loco bilis fieri queat) mixta adhuc sanguini extra omne dubium tales vires obtinere potest: Hæc poterit reputari pro bile alimentari, quæ si plus justo in sanguine cumuletur, non sufficienter ab hepare debiliore coctione separetur, ansam ad ebulliriones & incensiones febriles dare potest; Ea qui natura abundant, temperamenti sunt cholerici & martialis. *Idem ibidem, ubi vide plura de ejus generatione & differentiis.*

OBSERVATIO CXXIX.

Tabes à Glandulis mesenterii & colli scirrhosis.

PUer annorum xij. dissectus fuit Basileæ anno 1617. Iulii 24. à D. D. Glasero Anatomes Professore: Contraxerat tumorem in glandulis tyroideis, qui pulveribus conspersus decrevit, sed rursum sensim accrevit in magnitudinem: Ante biennium doluit capite, vertigo obrepsit, dolor in cervice sinistro latere obortus, simul in pollice, eodem latere applicatis oleis sedatus dolor: obortus tumor pone aurem sinistram, glandulas jugulares occupans cum dolore continuo: usurpata remedia necessaria ex turbith cum zinzibere, decocto guajaci, pulvere ad strumam: Chirurgus manum aperuit, unde effluxit sanguis cum aliqua sanie, tumorem per semiannum gerens: cœpit tussicula infestari sicca, paucà excretâ, in dies macilentior factus hecticus obiit.

In dissecto cadavere, glandulæ mesenterii, quæ esse debent albæ, friabiles, repertæ sunt rubræ & siccæ, illis similes quæ in collo erant, exulceratæ & putridæ, alias quoad magnitudinem & figuram similes naturalibus: Glandulę quę cartilagini scutiformi adjacebant, quoniam magnę, loquelam impediebant: Magna & multa vasa in eas inserebantur, ut & nervorum ramuli: in hoc pueto satis densę erant, sed nulla reperiebatur in illis caseosa substantia: Jugulares glandulę dictę, erant dispositę secundum longitudinem jugularium venarum & musculi mastoidei, quę erant nigrę, racematim dispositę, lividę, putridę, humore fœtente, & maligno scatentes, usque ad claviculas protensæ, in quantitate figurę naturalis: Parotis conglomerata, alias glandula maxillę posterior dicta, mittens ductum salivalem superiorem, erat omnino alba & bene constituta: Ibi vidimus Spinam ventosam &c. *Ex communicatione D. D. Mangolt Medici Basiliensis.*

PArs affecta sunt Glandulæ: Affectus Scirrhus; Causa continens, non pituita aut melancholia, sed nutrimentum glandularum: Scirrhi dupliciter generantur 1. à succo nutritio depravatè nutriente glandulas (glandulæ enim ferum à trahendo recipiunt nutrimentum sanguineopituitosum) Juvenis dispositionem strumosam obtinebat, unde nutrimentum humore hoc maligno imbutum, glandulas depravatè nutrivit. 2. Ab excrementitio humore; cùm enim glandulæ, quæ chylum debent transmittere, acido suo humore privantur; tunc caseus remanet, chylus subtilior transit; *Puer per biennium tumorem sensit*; viscera in dies serum malignum magis accumularunt, hinc major cacochymia facta: *Doluit capite; vertigo obrepsit*: humores è capite rejecti se insinuaverunt in glandulas, hinc facta fluxio in partes intercutaneas cervicis & simul in articulos manus dextræ, unde nutrimentum ibi vitiosum, eo humore scrophuloso imbutum; partes exedit, & peperit tandem fluxionem externam, transfudante humore per periostium, unde musculi postea extendi non potuerunt, & fluxione ad partem debilem factâ, humor calorem insitum glandularum extinxit, unde lividæ evasere: Humor cuniculos egit pertingendo ad alterum latus; erodendo autem cutem fecit ulcus: Item humores glandulas mesenterii affecerunt, non quod sint causæ scrophularum, ut vult Riolanus, sed ob causam communem, humorem scilicet malignum; successit febris hectica & levis tussis, sero acri erodente pulmones 1°. ob destillationem à capite per fauces 2°. quia totus sanguis in transitu suo sensim necrosin in pulmonibus effecit, sine manifesto abscessu: sensim enim humor ille malignus pulmones putrefecit, ut tota substantia visa sit puri similis: Non enim requiritur ut pus exspuant phthisici, qui serum solum aliquando rejiciunt. *Idem.*

Observatio CXXX.

Tabes cum anorexia, vomitu & diarrhœa, à Scirrho pancreatis & glandularum mesenterii.

PUella placentis, libis, teganitis, aliisque hujusmodi in butyro frixis cibis ultra modum sæpius se ingurgitavit: Exinde cum male se habere inciperet, mater ex consilio muliercularum multa quidem adhibuit, sed omnia frustra: Tandem ingravescente penitus malo, me quoque 21. Janu. 1673. in consilium vocavit. Offendi puellam satis debilem, & à calore p. n. extenuatam plane, cibum quoque nullam appetentem, crebro vomentem, & diarrhœa gravi laborantem: Morosa insuper erat, atque à medicamentis ita abhorrebat, ut quæ & qua ratione ei sint danda, tædiosæ curæ haud postrema fuerit pars. Licet vero sub curæ initium calor plane remiserit, vomitus quoque & dejectiones non adeo crebro infestatint ægram, quia tamen extenuatio corporis, & appetitus viriumque prostratio sensim in dies augebantur, solam mortem horum malorum unicum futurum remedium facile licuit colligere, revera die 1. martii placide obdormivit ægra.

Post mortem Chirurgus reseravit abdomen, Sed ecce in isto viscera omnia, ipsumque Hepar, quod alias in justo majorem excreverat magnitudinem, apparebant sana; Solum Pancreas induratum erat omni ex parte & plane scirrhosum: Glandulæ quinetiam mesenterii hinc inde visæ scirrhosæ, atque in eam auctæ erant molem, ut magnitudinem nucis juglandis longe superarent. *Georgius Segerus in miscell. cur. Anni iv. Observ. 87.*

Observatio CXXXI.

Tabes à Lapillis minutis venas mesaraicas obstruentibus.

§. 1. IN venis mesaraicis etiam materiam sabulosam nonnunquam contineri constat, Hæ si à Tartaro sic obstructæ sunt, ut nihil à stomacho per parvas illas obstructásque venas permeare possit, omnia in stomacho *jecta* manent, nihilque ab hepate attrahi potest, *nec ullum cibum stomachus* poscit, unde tandem corruptus appetitus, Tabes & decrementum membrorum totius corporis oriuntur: & homines magnis in *deliquiis animi* ac languoribus evanescere ac mortem obire coguntur, ut ego Francofurti ad Oderam in duobus Fratribus, valde doctis studiosis, qui Dregeri vocabantur, vidi: hi tali etiam morbo onerati, sine omni tussi, toti evanescebant, ut nihil præterquam cutis & ossa in illis appareret.

Cumque Medici horum defunctorum corpora dissecare juberent, lapilli minuti in venis mesaraicis jacentes, qui venas mesaraicas adeo obstruxerant ut nihil transmeare poterit, inveniebantur: Nihil itaque, præter admirationem, illis erat, nec ullus inventus erat qui veram aliquam causam hujus morbi indicare potuisset: Deinde quatto anno præterlapso, tertius quoque frater, Licentiatus Theologiæ, juvenis admodum, eodem fere ex morbo vitam cum morte commutabat, cui tamen ægrotanti febris aliqua à tartaro nata erat: Ex tali etiam obstructione venarum mesaraicarum paroxysmi calculi, ut febris frigore ac calore, ut pestis, pleurisis, sacer ignis, aut alii similes morbi, qui omnes Tartarei sunt, & ex obstructione calculosæ materiæ oriundi sunt: Hic bene observandum est omnes ejusmodi morbos paroxysmos Tartari esse, quod etiam prima in origine dysenteriæ, ignisque sacri, quoad partem, causa est. *Observatio Iohannis Henen.*

DE generatione horum lapillorum hanc authores nunc ferunt sententiam, Arteriæ materiam sabulosam nonnunquam in mesenterium invehunt, at Venæ eam non hauriunt, non reducunt, sed faciunt reliquam. *Schneiderus lib. 3. de Catarrh. cap. 7.*

§. 2. Francofurti ad Viadrum duo fratres contabuere & mortui sunt, In sectione reperti sunt lapilli parvi in venis mesaraicis, qui impedicre chyli transitum: Tertius frater etiam quadriennio post simili morbo mortuus est, nisi quod hic initio febri laborabat.

VTinam sectiones anatomicæ crebrius admitterentur, profecto caligo tanta in rimandis causis morborum abstrusis oculis nostris non observaretur: Tabis causam an quisquam Lapides mesenterii esse dixerit; nescio: interim tamen obstructio venarum lactearum, quas hic intelligo, quid aliud procreare potest nisi corporis atrophiam & consumptionem denegata scil. illi esca & nutrimento satis copioso & conveniente. *Christophorus Roeslerus in miscell. curios. anni 1671. observ. 307.*

OBSERVATIO CXXXII.

Tabes à mesenterio tumore affecto circa exortum, Tuberculo in corde &c.

Benjamin Vallenger generosus, annum agens 32. ex lapsu ab equo circa regionem lumborum contusionem passus est, Post biennium per vices, circa locum contusum multum doluit, variáque sequuta sunt symptomata, nempe dolor colicus sæpe recurrens, urina pauca & ejusdem nonnunquam suppressio (verum absque arenulis & calculis) frequens vomitus, dolor ischiadicus: quibus accesserunt tractu temporis, difficultas spirandi, tussis continua & violenta, totiusque corporis macies: demum corpore extrema tabe confecto, suppressâque per tres dies expectoratione, obiit.

Aperto abdomine, Hepar floridum apparuit, at vesica bilaria fere vacua: ventriculus & intestina satis sana, nisi quod hæc flatibus distenta & in latus dextrum propulsa: Lien aliquantulum justo turgidior, ut & Pancreas: Renes flaccidiuli, alioquin satis quoque sani: ureteres & vesica tum à calculis, tum à grumis aliisque materiis obstructivis liberi: Mesenterium (absumpta à tabe illius pinguedine) transparens, cujus propterea glandulæ admodum conspicuæ erant, sed justo flaccidiores: Partes huc usque à statu naturali parum recedebant: Verum circa mesenterii exortum *ingens apparuit tumor*, qui intestina in latus dextrum, ut dixi, detruserat: Tumor hic ab appendicibus diaphragmatis superne, ad os coccygis inferne, ad renem utrumque lateraliter, ad umbilicum usque anterius protendebatur, & vertebris lumborum fibrosa connexione firmiter adhærebat: Involvebat autem in sua mole magnam arteriam, venam cavam, vasa emulgentia, plexus nerveos, renes succenturiatos & glandulas lumbares: Longus erat pedem unum, latus sex pollices, crassus quinque, pendebat circiter septem libras: In frusta dissectus, glandulosus apparuit & carneus, magis quàm humoralis. Aperto thorace, pulmones utrinque numerosis tuberculis, variæ magnitudinis, instar cotyledonum vaccarum, albidi coloris, substantiæ glandulosæ, ejusdem generis cum tumore abdominis prius descripto, scatebant: quorum unum majusculum exectum uncias duas pendebat: Adeo tubercula hæc pulmones undique obsidebant, (nam centum ad minimum numero erant) ut primo obtutu ex illis solis eos constare putares. Lobi insuper pulmonum pluribus in locis pleuræ adnascebantur, à qua difficulter separabantur. Anterior pars cordis unico consimili tuberculo infestabatur. Dexter vero ejus ventriculus grumoso sanguine, instar gelatinæ refertus visebatur. *Varthon. Adenograp. cap. xi.*

Circa casum propositum dubitari possit, Num contusio ex lapsu fuerit origo symptomatum post biennium supervenientium? Ratio dubitandi est, quod æger ipse occasioni huic malorum originem adscripserit, neque aliam potuerit ejus causam comminisci: at contra urgeri queat temporis intervallum inter primam contusionem & symptomatum eruptionem: Nam qui fieret ut hujus mali seminium tamdiu delitesceret, nulloque symptomatum satellitio se proderet? Ad hujus difficultatis decisionem, primò sciendum scrophulas facile oriri posse à nimia fibrositate, crassitie ac viscididate succi nutritii, quoniam ob hanc ipsam causam is succus difficulter omnibus corporis partibus ex æquo dispensatur, & consequenter alicubi redundat, facileque prima tumoris stamina jacit: hoc ipsum confirmatur ex historia data, sanguis enim in dextro ventriculo contentus, ut dictum, gelatinæ instar erat: Nec dubium quin succus nutritius consimili vitio laboraverit: Quamquam enim hi succi plane diversi sunt, magna tamen inter illos conformitas ut plurimum intercedit, quod nimirum tejectanea pars alimenti partium spermaticarum, è nervis per glandulas in venas transfundatur, adeoque sanguinem qualitatibus suis nonnihil inficit: Quin & idem testatur viri cœlibatus, & vita à vino & venere abstemia, quæ ut sanguinis, ita & alimenti spermatici robur ac fibrositatem augent: Secundò, Advertendum est scrophulas frequenter tardi incrementi esse, verum in magnam molem demum excrescere, tardè inquam & pedetentim augeri: hinc evenire potuisse ut scrophulæ istæ per biennium fere, ad eam magnitudinem non accesserint, qua cæteris partibus magnopere incommodarent: hoc ex eo confirmatur, quia humorales non erant (quæ cito augentur & frequenter rumpuntur) sed carnosæ, quæ more aliarum carnium paulatim incrementum sumunt: Tertiò, Asserendum videtur in aliis fere omnibus corporis partibus contusiones scrophulis facilem succrescendi ansam præbere: Nam contusio quoquomodo sanguinis quandam incrassationem, indéque ebullitionem, ob difficilem ejusdem transitum per partium habitum promovere apta nata est: Hinc jubent Medici contusis quamprimum v. s. succurrere: ea enim non tantùm ebullitionem supprimit, sed & incrassata attenuat, adeóque non tantùm imminentibus inflammationibus ac febricitationis periculis præcavet, sed & crudorum tuberculorum, scrophularumque, (tumorum nempe tardioris motus) suppullulationi in antecessum prospicit: His positis, inferre licet potuisse contusionem hanc primæ origini scrophularum prædictarum occasionem præbere: Eas quoque, quoniam scrophulæ per se morbosæ non erant, nihil statim damni cæteris partibus ab initio intulisse: verum tractu temporis in magnam molem auctæ, ex compressione præsertim vicinarum partium, gravissima illa symptomata produxisse; scil. dolorem colicum, vomitus, detrusionem intestinorum,

extra suam spem, ischutiam absque atenulis: similiter dolorem lumbarem & ischiadicum renum & ureterum compressioni tribuimus: Dyspnœam & tussim compressioni pulmonum ab adnatis glandulis: Totius demum maciem, partim impeditæ distributioni succi nutritioni, ob compressionem plexuum abdominis, partim defraudationi partium & conversioni alimenti in proprium augmentum: partim denique febri hecticæ à difficultate spirandi ortæ.

Ingens apparuit tumor) Tumores mesenterii sunt duorum generum, flatuosi & humorales: tarissime, quod cavitate careat, flatibus distenditur: Tumores, in quacunque patte, tres præsertim causas agnoscunt, nimirum materiæ affluxum ad locum tumentem, transitum ejusdem impeditum, & infarctionem: ubi nullus est materiæ affluxus, quascunque alias tumorum causas statueris, vix fieri potest ut tumor inde excitetur: scilicet corpus mortuum quantum libuerit fustibus verberato, pars tamen contusa in tumorem non attolletur quia omnis humorum affluxus in defunctis cessat: In vivis vero, quælibet levissima contusio tumorem affert, arteriis nempe sanguinem ad partem contusam impellentibus, qui ob permeabilitatem partis ex contusione jam impeditam pertransire nequit, adeoque partem necessario implet, infarcit & in tumorem attollit: Cum vero affluxus ad mesenterium tribus modis contingat, nimirum vel per arterias, vel per venas lacteas, vel per canales aquosos, facile constat trium tumorum genera huic parti accidere posse, tumorem nempe Sanguineum, Lacteum & Aquosum: Sanguinei nomine non hic intelligo illum quem phlegmonem specialiter vocant, sed ex quocunque humore in massa sanguinis contento conflatum: Appello autem hos tumores sanguineos, ut distinguantur ab iis qui ex lacte, sive chylo vel lympha otiuntur: Tumores qui fiunt ex sanguinis affluxu, majores longe ac periculosiores sunt illis qui ex lacteo succo producuntur: Etenim sanguinis affluxus per arterias valde impetuosus est: ille autem qui per venas lacteas fit, imbecillis parumque efficax: Porro sanguis affluens multo fervidior ac ferocior est, lacteus succus temperatior ac mitior: quare lactei tumores admodum exiles, sunt & forte nondum ab aliis animadversi: In vivis autem dissectionibus, ligaris venis lacteis, intet commune receptaculum & mesenterii glandulas, observavimus chyli curriculo obstructo, glandulas illas, ad quas venæ ligatæ spectant, nonnihil intumescere: De Tumoribus canalium aquosorum alibi, Tumores sanguinei vulgo dividuntur in Sanguineos proprie dictos, in Biliosos, Pituitosos, Melancholicos & Serosos: Nos dividimus in Tumores cum & sine inflammatione, Tumores cum inflammatione, putredinem quandam materiæ in parte tumida impactæ arguunt: Asserunt Medici Practici inflammationes has esse causas diversarum febrium, præsertim Semitertianæ: Degenerant quoque inflammationes, istæ aliquando in gangrænam, quod Joubertus observavit in Rondeletii uxore: Tales etiam inflammationes frequenter accidisse in male curatis dysenteriis iidem testantur. Tumores sine inflammatione & putredine febrili admodum varii sunt, omnes vero tardius augentur morbosque plane chronicos constituunt: Aliqui eorum plures annos durant priusquam sese evidenter suis indiciis prodant: neque tamen vehementer interea ægrotos excruciant: In multis vero non dignoscuntur ante obitum abdominisque apertionem: Genera horum tumorum præcipua hæc sunt, Abscessus, Steatomata, Atheromata, Meliceridès, Strumæ, Scirrhi. *Idem ibidem.*

Observatio CXXXIII.

Tabes à mesenterii & mesocoli abscessu.

Puer 10. annor. dissectus fuit die 20. April. 1664. Omentum exhibuit putrefactum, prolapsum ad vesicam, & tenaciter intestinis & peritonæo annexum; Mesenterium quia etiam putrefactum & fere consumptum, potissimum versus os pubis, ubi maxima erat puris copia, coloris æruginosi: Intestina plurimum tumida, ad colorem plumbeum vergentia, at ubi pus stagnabat, nigricantia: Lienem tumidum valde, Hepar boni caloris, sed arctius peritonæo annexum: maxima vero aquæ copia potissimum redundabat in cavitate sita inter lienem, ventriculum & intestinum colon: Universum corpus macie consumptum: Utinæ toto morbi decursu appatuerunt bonæ: Circa pulmones maxima materiæ pituitosæ copia exuberavit: Aqua tandem è corpore sectione evacuata, statim concrevit *Raimondus Io. Fortis Consult. 37. cent. 3.*

Puerum ex abscessu insignis magnitudinis fato cessisse, pro certo est habendum, cum materiæ purulentæ copia in abdomine, secto cadavere, appareriit, coloris plumbei sive æruginosi, ex sphacelato tandem abscessu: Hunc autem in mesenterio & mesocolo potissimam sedem habuisse existimandum, ut pote materiæ capacissimis, tum quia eadem magis cæteris partibus putrefacta se exhibuerunt; putredine quinetiam & corruptela ad omentum diffusa simul cum ipsis putrefactum: Aquæ vero vel seri copiam redundare ubi tumet Lien, qui fons aquæ ab Hippocr. nuncupatur, mirum non est, prout nec nova & insolens macies toties, tum quia febriculis diuturnis abscessum comitantibus supervenire consuevit: tum quia dum Lien florescit, corpus totum contabescit: Serum vero concrescere, cum humor alimentalis fit, novum non est: prout pulmones in morbis diuturnis vel affici, vel materia catarrhali impleri, quotidie ex Hippocr. observamus. Ad horum vero malorum causam indagandam, licet prætéritorum commemoratione opus esse videatur, nihilominus conjectare nobis licet puerum à nativitate viscera naturalia imbecilla sortitum fuisse, à quibus crudus & crassus productus fuit sanguis, adeoque copiosus ut Lien, licet eodem turgens, massæ sanguineæ defæcandæ impar, eundem inutilem & naturæ molestum, decubitu extra venas, & ad jam dictas partes detruserit, qui vel in cavitatibus hærens, vel infarctus, corruptionem & putrefactionem

nem adeptus; ipsis quoque partibus eandem impertiit; quæ quoniam cæteris naturalibus ignobiliores sunt, ideo non febris insignis, nisi primis diebus dum pus conficiebatur; sed lenta, corpus paulatim forte absumens, successit: Quibus, sicut curationem adhibuisse nobis omnino impossibile videtur, ita neque antehac præservationem; tenella enim ætate robur visceribus conciliari, sine præcedenti totius expurgatione omnino non potuit, quæ quam difficili negotio perfici possit cuilibet palam est, tum ob puellum reluctantem, tum quia revera hæc ætas & sanguinis missionem & purgantium medicamentorum vim difficillime tolerare potest. *Idem ibidem.*

Observatio CXXXIV.

Tabes à mesenterii abscessibus ejusque consumptione.

SÆpe hic (In Indiis) sine manifesta causa ægri tabescunt ac emaciantur, febre nulla, vel saltem levissima se huic malo jungente, sine magno sensu doloris, gravitas tantum quædam sentitur circa umbilicum ac hypochondria: Hoc malum præter obstructionem viscerum, sæpe causam latentem habet in venis mesaraicis, vel in ipsa mesenterii substantia, quæ sæpe insignem abscessum patitur, quod in dissectis cadaveribus non semel observavi: Imo reperi aliquando totum mesenterium absumptum, attamen intestina cohærebant, ac potius inter se confundebantur, nullo ordine, tenuibus pelliculis seu membranis adnatis: Ita miseri mortales ad extremam maciem perducti, ut jam magis sceleta quam corpora carne vestita dici possint; absumpto calore nativo vita excedunt: Notabile in hoc malo est; plerumque adesse βούλιμον ac appetentiam caninam, cui se lienteria conjungit, unde cibi nihil aut parum immutati & incocti, per alvum ejiciuntur: Taliter affecti, etsi plerumque desperati, temperare calidis anodynisque, moderateque calidis deobstruentibus tractandi. *Bontius Medic. Indorum. Observ. II.*

Observatio CXXXV.

Tabes à Mesenterio scirrhoso, compressione venarum Portæ & Cavæ, aliisque vitiis partium naturalium & vitalium.

PUella circa XI. ætatis annum 1°. in febrim Ephemeram, mox in hecticam incidit. Hinc cum spatio trium mensium doloribus totius corporis, ariditate linguæ, tussicula, deglutiendi difficultate, sudoribus, frequentibus præcipue noctu & dormiendo, vexata esset, tandem plane Extenuata obiit.

Cadavere aperto I. Intestina vermibus plurimis infarcta videbantur. 2. Mesenterium scirrhosum & *hinc inde materia gypsea*, uti quoque circumcirca venam portam, refertum fuerat; hinc chylus ad Hepat permeare ac distribui non potuit. 3. Hepat diversis in locis, tam in parte cava quam gibba, steatomatibus scatebat. 4. Hepar mediante materia gypsea tam tenaciter diaphragmati adnatum erat, vix ut avelli posset; hinc anhelitus difficultas & tussicula 5. Circumcirca venam cavam tam ascendentem quam descendentem, moles materiæ hujus gypseæ, ad magnitudinem pugni, tenaciter adhærescebat, ramosque comprimebat. Hinc extenuatio corporis, sanguis enim per corpus pro sui nutritione distribui non poterat. 6. Substantia Lienis materia hac gypsea undique scatebat. 7. Thoracis cavum aqua limpida & nonnihil flavescente plenum videbatur. 8. Pulmonis substantia materia purulenta imbuta, uti quoque steatomatis, nucis vel castaneæ magnitudinem excedentibus, hinc inde referta apparebat. 9. circa exortum asperæ arteriæ, ex pulmonis substantia, moles steatomatum carne permixta, ovi magnitudinem excedens, inventa est, quæ tam asperæ arteriæ quam œsophago adhærescebat. Hinc anhelitus, vocis & deglutiendi difficultas. *Fabritius Hild. cent. II. Observ. XLIV.*

H*Inc inde materia gypsea*) Lymphæ forsan sic concretæ originem debens: Observavit enim *Barbette* in Praxi, cap. de Hydrope, eam per gradus ejusmodi crassitiem tandem adipisci: Constat certe talem concretionem obstructionum sobolem esse. Obstructio autem vasorum meseraicorum, juxta Vatthonum loco ante cit. quinque modis contingere potest, *Primo* in ipso aditu succi lactei in orificio venarum lactearum, Tunc enim chylus ex intestinis non attrahitur, unde appetitus dejicitur & frequenter chylus ipse, ut in lienteria fit, per anum evacuatur: venæ lacteæ interim fotu atque humectatione chyli destitutæ, tractu temporis exarescunt, simulque totum corpus tabe conficitur. *Secundo* in transitu ejusdem per mesenterii glandulas, post ejus ingressum in has venas: tunc primum nutritio diminuta, quam tandem atrophia consequitur. *Tertio* in transitu sanguinis ex arteriis in venas, per earundem glandularum substantiam: hinc si obstruatur sanguinis per has glandulas decursus, illæ protinus intumescunt, sanguine suffunduntur, atque adeo impeditam chyli permeationem & diminutam nutritionem efficiunt. *Quarto* in canalibus aquosis vel lymphæ ductibus, quos si contingat obstrui, quia valde fragiles sunt, facile rumpuntur, & aquas suas in abdominis cavitatem exspuunt, unde hydrops ascites certissime consequitur Sin vero vasa horum membranulæ tenaciores fuerint, ita

ita ut distensionem notabilem absq; laceratione ferant, in vesiculas quasdam aqua turgidulas attolluntur, quas hydatidas vocant, & peculiarem ascitidis speciem constituunt: quælibet autem vesicula inter binas dictorum vasorum valvulas quamproximas efformari contingit: quia vero aqua, nec prorsum, propter obstructionem, nec retrorsum fluere potest, ob valvularum interceptionem, interstitia intumescunt in figuram orbicularem, utpote capacissimam, quæ figura in hydatidibus vulgo cernitur: Hydatides istæ haud longe diversæ videntur ab iis quas per meatus urinarios, & anum quoque excerni aliquando observamus: *Quinto* in Nervis: Si enim obstructio aliqua in iis contingat quiad ipsa intestina deferuntur, sequitur horum resolutio & stupor, ut in paralysi graviori frequenter usuvenit: Sin in iis tantum reperiatur qui ad glandulas mesenterii distribuuntur, causatur diminutam saltem nutritionem atque extenuationem, atrophiam omnium quoque partium spermaticarum, permanente interim constitutione vitali integra & satis valida.

Observatio CXXXV.

Tabes à glandulis Mesenterii tumidis orta.

§. 1. Puer octennis ab alio quodam puero baculo circa lumbos percussus, aliquot diebus pòst male habere cœpit, & septimanis aliquot præteritis, licet tempus vitæ ultimum cibo sufficienti nutriretur, Tabe consumptus obiit: Huic licet nec tussis molesta esset, nec febris laboraret, nihilominus à quodam tanquam phthisicus fuit tractatus. Quare parentibus mortis causam scire cupientibus, & me ut cadaver aperirem rogantibus, ipsorum voluntati satisfacturus, cadavere denudato ventrem infimum turgidum reperi, & utrinque circa umbilici regionem ad tactum renitentem: Et quia nec tussim, nec febrem ipsi molestam fuisse intellexeram, illico necdum cadavere aperto, adstantibus significavi causam mali in mesenterio latitare: mox ventre aperto, glandulas mesenterii non solum tumentes, sed etiam scirrhosas reperi, & ita conglobatas, ut duorum pugnorum magnitudinem superarent: In thorace verò & pulmonibus nihil penitus vitii occurrit.

Causam ergo Tabis harum glandularum scirrhum censui: Nam glandulæ hæ, quæ ramorum venæ portæ & arteriæ cœliacæ divaricationibus interjectæ sunt, magnitudinem parem non obtinent, sed proportionem in magnitudine cum distributis propaginibus servant: Harum tamen maxima ad ipsius mesenterii centrum, ubi vasa magis collecta sunt, & vasorum prima distributio fit, quarum usus tum ut vasa fulciant & dividant, tum ut eorum compressionem ab aliis partibus inhibeant, ne chyli distributio inhibeatur: Sic ubi hæ & crassiores & duriores redduntur, contrarium faciunt, sua enim magnitudine & duritie venas comprimentes, chyli in venas mesaraicas & Hepatis distributionem & transitum præpediunt, ita ut sanguis ea copia, quæ pro omnium partium nutritione requirebatur, in hepatis venas confici non possit: Et prout sensim glandulæ hæ & auctæ & induratæ, angustior chyli transitus redditus est, sicque sensim tabescere cœpit, usque dum transitus præpeditus fuit, & sic necessario ob alimenti defectum, partibus tabidis redditis mors successit. *Ex Observ. Clariss. Casparis Bauhini.*

§. 2. Si Glandulæ, quæ in mesenterio plurimæ sunt, aliqua de causa intumescant, ipsa vasa comprimunt; Et inprimis hoc præstare potest Glandula illa insignior in centro mesenterii, quæ primæ vasorum distributioni addita est, & qua tumore laborante totius corporis *Marcorem*, ob impeditam chyli distributionem sequutam fuisse observatum est. *Sennertus Pract. lib. 3. part. 5. sect. 1. cap. 3.*

Observatio CXXXVI.

Tabes à Mesenterio lapidoso.

In quodam juvene atrophia consumpto Mesenterium totum lapidosum inventum fuit: A qua vero causa oriri possit, cùm calculi oriri possint à calore & frigore, Nos existimamus à calore id contigisse. *Dom. Panarolus Pentecoste V. Observ. xix.*

Observatio CXXXVII.

Phthisicorum Pulmones sæpe integri reperti, male vero affectum orificium Ventriculi.

An verus *Lindanus* qui existimat ea quæ tussi in Phthisi rejiciuntur, sæpe culpa ventriculi fieri, Eo quod in Phthisicorum corporibus pulmones integri, male vero affectum orificium ventriculi observatum ab eo sit? *I. Th. Schenckius cent. iv. Epist. Bartholini 72.*

Certe si Phthisis propriè sumatur pro Pulmonum ulcere, seu corporis exteuuatione à vitio Pulmonum, quomodo usitata est Medicis ea vox, quin in culpa sint Pulmones, dubitari non potest, & toties secta à nobis Phthisicorum cadavera, & ab aliis, testantur. Si vero de quavis atrophia corporis laxa significatione sumamus, sæpe sani esse possunt Pulmones, vitio alibi in visceribus naturalibus latente, præsertim in ventriculo, primæ officinæ patrono. Apud nos Tabidi hoc anno quamplures comparnerunt & satis functi sunt, phthisici vero plerique

fuerunt

fuerunt ex vitio Pulmonum, quod ex signorum omnium syndrome indubie scimus: Una sola fœmina Tabida fuit, & pro phthisica judicata, etiam ex sputo purulento: in qua tamen id singulare fuit, quod sine tussi aut screatu, sputum illud in ore colligeretur satis copiose, post somnum, seu nocturnum seu diurnum: nec tamen dubitare potuimus quin ex pectore profluerer, nam capite non dolebat, bene cibum appetebat, nisi salivalia vasa sputum hoc effuderint. Ex ventriculo advocarem, si illius læsi ullum indicium extaret: Ventriculus in Tabe pus effundir & per fauces excernit, quemadmodum ex pure inter duas ventriculi membranas collecto asthma vidit *C. Piso* de serosa coll. p. m. 196. Forsan in exemplo à Clar. *Lindano* allato, pulmonum robore purulenta materia ad abdomen fuit detrusa, & quia moram nullam fecit in Pulmonibus, his salvis ventriculum infecit pus: Id ut credam, inducor exemplo pueti Phthisici apud *Platerum* lib. 2. Observ. p. 437. cujus ventriculus tribus foraminibus exesus fuit, septumque foramine amplo perforatum à puris copia & acrimonia, quod ex thorace in abdomen defluens, has partes & musculos quoque abdominis ad superficiem cutis eroserat: Vel, si vice versa ventriculus per pulmones tussi rejecit purulenta, singularis adfuit partium conformatio, sicut in avium genere, ubi per patentes ductus transitus fit è pulmonibus ad abdominis cavitates. An talis fuerit homo Phthisicus *Lindani* divinare non possum, &c. *Th. Bartholinus Epist.* 73. Vide supra Observ. 103.

Observatio CXXXVIII.

Tabes à Glandula pyloro adnata.

VIdit *Ioannes Prevotius* in cadavere glandulam, minoris avellanæ magnitudine juxta pylorum, internæ ventriculi parti adnatam, quæ membranæ oblongæ pendula nectebatur: hoc sane corpore in pylorum incidente facile, chyli exitus omnino præpediri & varia symptomata oriri potuissent, quod ab apostemate in fundo ventriculi, transitu omni in duodenum paulatim impedito, corpore attophia consumpto, observavit *Camerarius G. Hieronimus Velschius Observ. xl.*

Observatio CXXXIX.

Tabes ob ventriculum corrosum ab usu magisteriorum corallorum & perlarum.

EPiscopum Uratislaviensem magisterium Perlarum sæpe bibisse, atque demortuo tunicas ventriculi nigras & corruptas apparuisse testatur *L. Hofmannus*: *Libavius* aliquot exemplis demonstrat Magisterii margaritarum & corallorum, quæ tamen humidum nativum instaurare creduntur, usu multos in Tabem incidisse, plurimos vira privatos esse, tunicis ventriculi & intestinis acrimonia plane erosis. *Fabritius Hild. centur. vi. Observ. lxxxix.*

Observatio CXL.

Tabes ventriculi syderationi succedens.

IAc. Gallus conqueritur de dolore ad umbilicum. Solennis erat excretio materiæ purulentæ per anum: post liquida & esculenta vomitu rejiciebat: Interiit plane emaciatus, ac si sphacelatum corpus esset. Aperto cadavere ventriculi facies extima erat vermiculata, facies interna corrupta & putris. *Vide tit. de Ventris dolore lib. 3.*

Observatio CXLI.

Anatome Tabidi post philtrum exhibitum, In cujus ventriculo massa dura reperta est.

BAro quidam filium Bononiæ habuit, qui accepto Philtro totus contabuit, ac tandem mortuus est.

Postquam corpus sectum est, massa quædam dura, cornu similis, in fundo ventriculi inventa est, quæ Patri postmodum transmissa fuit: Pater in memoriam Filii demortui, cochlear sibi ex ea massa fieri curavit, eoque frequenrer in mensa uti solitus fuit: Accidit autem forte fortuna aliquando, ut cochlear istud embammati ex nasturtio aquatico, cum acero confecto, impositum dissolveretur, Hinc Nasturtium aquaticum viribus non vulgaribus contra Philtra præditum esse facile conjicere possumus.

EOdem præsidii genere alius quidam Nobilis usus est, atque ex simili morbo restitutus: Omnia Philtra etsi inter se varie differant, hoc tamen habent commune quod humorem efficiant melancholicum: quæ igitur medicamenta humorem illum clementer evacuant, & spiritus tristes recreant, indubie in tali affectu profuerunt plurimum. *Petrus Monavius Epist. 23. lib. 7. cons. & Epist. à Scholzio editarum.* Exempla curationum affectuum à Philtro exhibito vide apud *Phil. Salmuth* Observ. 70. cent. 1. *Henric. ab Heers* Observ. 13. *Mart. Rulandum* curat. 91. cent. 3. *Ioh. Hartmannum* Prax. Chimiatr. p. 60. *Ioh. Fabrum* curat. 94.

OBSERVATIO CXLIII.

Tabes nata à Tumore scirrhoso ventriculi pyloro proxime adhærente.

RUsticus ranam se in ventriculo habere credebat, In vomitionibus eam ad Gulam usque ascendere, ac exterius eam, ad regionem ventriculi manibus se prehendere dicebat; Interim dormire se, appetere, sed emaciari: Sed anno elabente vir ille mortuus est Macie confectus: Aperto cadavere, tumor scirrhosus, ovi gallinacei magnitudine, ventriculi pyloro proxime adhærebat. *Vide lib. 1. Tit. de Melancholia.*

OBSERVATIO CXLIV.

Tabes à corruptione omnium viscerum, solo corde salvo.

GEorgius Gebhardus variis morbis & longo cruciatu detentus per 13. annos, vix ægra trahens membra, vehementer contabescente universo corpore, frustra hinc inde consultis Medicis, tandem obiit.

Dissecto corpore solum Cor illæsum reperi, cœteræ partes erant fœtidæ & putrefactæ, Ventriculus inanis prorsus erat, omni chylo destitutus, nec ullam aliam humorosam in se continens materiam, & consequenter occlusus quasi & parvus. In vesicula fellis, & meatu ejus choleram ad intestina deducente, obtulit sese massa quædam nigra, speciei vitreorum lapillorum, qui pileis & eorum fasciis & redimiculis, ornatus gratia annecti solent *adeo quidem ut bilis* reciproco gradu, *propter obstructionem*, spinam dorsi perforando ad pedes defluxerit, ubi concitavit ampullas ac vesicas ovi columbacei magnitudine, vel etiam majores, tantum ardorem ac dolorem moventes, ut mirum sit quod non singulis horis æger in syncopen inciderit, quibus apertis nihil nisi cholera ichori commixta exivit. Mesenterium à tinctura istius choleræ undiquaque putridum erat. In renibus deprehendi materiam calculosam satis multam, præcipue autem in sinistro, ubi apparuit lapis haud exiguus, ita ureteri acuta sua cuspide insertus, ut omnis urinæ ad vesicam transitus sit interceptus. Pedes illius magis quam in leproso squallidi erant. *Ex Ioh. Fabri Observat.*

A*Deo ut bilis propter obstructionem &c.*] *Fernelius* Pathol. lib. 6. cap. 8. vix ullam se animadvertisse Atrophiam asserit, in qua viscera præter intemperiem, non multa quoque humorum, præsertimque biliosorum, colluvie scaterent, ac eorum plerumque copia distenderentur: Hæc igitur causa quoniam naturalem spiritum & calorem proterit, vix ut utilem sanguinem gignat, in Atrophiam præcipitat. Per hos affectus, *ait*, tametsi alimenti copia suppetit, & venæ multo humore turgent, corpus tamen non alitur, quia is humor caloris & substantiæ bonitate, sæpe etiam fibris, quibus concrescat, destitutus, partibus neque adhærescere neque assimilari potest.

OBSERVATIO CXLV.

Tabes à depravata constitutione viscerum omnium naturalium.

ÆLia Euvouts annor. 59. tandem Tabifica febri & alvi fluxu consumpta obiit. Ad eam ventriculi infirmitatem postremo devenerat, ut nihil alimenti aut medicamenti sustinere posset, sed illico omnia vomitu rejiceret.

Cum cadaver aperiremus, deprehendimus Hepar flaccidius foris pallidum, intus prorsus exangue: In lobi sinistri parte supera, juxta diaphragma, steatoma callosum, ovi columbini magnitudine: inferius arcte coalüerat cum ventriculo, *Omentum* plane erat consumptum, omni pinguedine illiquata à febris perenni calore: Colon erat admodum angustum, sed *vasa*, quæ per omentum colo & fundo ventriculi inserebantur, calami anserini amplitudine erant. *Lien* pallebat, palmi magnitudinem non excedebat, flaccidior & exanguis, *Vas breve*, quod ex liene ventriculo implantabatur, in duos ramos amplitudinis calami anserini divisum erat. Ventriculus flatu potuque turgebat. *Pylori* substantiam callosum steatoma obsidebat, non tamen via in intestinum inde occludebatur, nam etiam digiti insertionem admittebat: Pancreas totum scirrhosum firmiter pyloro adnatum erat. *Vena Porta* steatomate calloso premebatur, superius inferiusque à pyloro & pancreate. *Pulmo* pallidus luridis maculis sparsim oppletus erat: Pericardium aquam pallidam vix cochlearis quantitate continebat: *Cor* erat flaccidum, foris pallidum, intus exangue. *Vterus* nucis juglandis magnitudinem non superabat, sicut solenni naturæ ordine in ejusmodi angustiam contrahi solet, cum menstruo sanguine non amplius humectatur. *O. Heurnius Observ.*

Atro-

Atrophiæ causa mortifera constiterat in maligna hepatis viscerumque omnium naturalium intemperie, tum etiam interceptione nutricatus ex venæ portæ compressione, quippe hepar infirmum, procreans sanguinem pravum & aquulentum, reliqua viscera, & cor ipsum ita infirmaverat, ut sanguinem quem ad nutrimentum officiumque suum recipiebant, nec talem qualem recipiebant conservare, nec etiam in melius mutare possent. Unde deficiente vitali vigore in toto corpore, lenta febris exorta misere miseram atriverat & randem extinxerat: hinc tandem tanta ventriculi infirmitas ut omnia vomitu expelleret. *Idem.*

Observatio CXLIV.

Tabes à Glandularum lactearum lumbarium vitio.

Electis Glandulis novis patet unde pendeat atrophia partium, præsertim thoracicarum; quæ ex glandulis lacteis chylum sugunt: Premitur subinde Receptaculum lacteum, & *δεξάμενον* chyli remoratur, obstruitur, & inflammationes aliosque tumores patitur: Vidimus id in cadavere humano, in quo ad Atrophiam omnia, excepto hepate sano, vergebant, flaccidis pulmonibus & marmoris instar variegatis, bubonibus in inguine, gangræna in pede, & aliis pessimi habitus indiciis; Sana erat altera glandula lactea, rubra altera, quasi inflammata & phlegmonodes: unde hepar quidem sanum & multæ mesaraicæ lacteæ, at thoracicæ lacteæ non ita plenæ aut tumentes chylo. *Thomas Bartholinus Historia Anatom. de lacteis Thoracicis cap. ix. §. viii.*

Pressior usus Glandularum lactearum est, ut ex lacteis mesenterii venis chylum excipiant aliquem, eumque nonnihil præparent beneficio calidorum vasorum vicinorum, arteriæ venæque, & breviter præparatum ad thoracicas aliásque partes protrudant. Contineri ibi chylum sensus docet, illumque recipere ex lacteis mesaraicis, pressione illarum innotescit: sursum denique promovere, ramificatio lacteatum exinde prodeuntium facit fidem: imò compresso mesenterio & vulneraris lacteis in thorace, vel ligatis, vel digito adactis, chylus illac vel prodit, vel in tumorem tollit vicinum mesenterio locum &c. *Vide illarum historiam cap. vii. dicti libri.*

Observatio CXLV.

In quibusdam morbo consumptis Pancreatis tunicâ à parenchymate abscessisse visa est.

Pancreas membrana tenui succingitur, quæ in morbis humorum affluxu crassior facta, ab ipso Pancreatis corpore abscedit, ac veluti saccum quendam constituit, ut in corporibus morbo consumptis sæpius à nobis observatum. *Riolanus Anthropogr. lib. 2. cap. 14.*

Observatio CXLVI.

Atrophia in puero à Pancreate scirrhoso.

Pancreas ad instar aliarum glandularum Scirrhosum omnino evadere posse dubitare desii, postquam in puero IX. annorum, Atrophia extincto illius, constitutionis id reperi: Hoc tamen addere convenit, non omnes ejus partes æquali ratione induratas fuisse, cum tres quatuorve adhuc extarent, intestino vicinissimæ, vix à statu naturali recedentes. *Gerardus Blasius Observ. Anatom. p. 127. Observ. Med. 23. parte I.*

Observatio CXLVII.

§. 1. Macies à lumbricis longissimis in Rene repertis.

Calculis Renes domicilium præbere quam frequentissimum, tam rarum Lumbricos hic colligi: In viro maciato ulnæ, & quod excedit, longitudinem habentes duos aliquando reperi: coloris erant rubicundi, quasi ex annulis plurimis affabre junctis constare videbantur. *G. Blasius Observ. Med. 12. Parte 6.*

§. 2. Juvenis à pueritia dolore renum erat oppressus, tandem Tabidus vitam finiit: In utroque renum cavo vermes sunt inventi. *Vide l. 3. tit. de Lumborum dolore.*

§. 3. Renem hunc illumve in canibus substantia sua non solum privari, verum & lumbricis sæpe plurimis variisque loco consumpto se exhibentibus, repleri, frequens Anatomicis, At in homine talia evenire rarissimum: vermes duos, ulnæ ad minimum longitudinem habentes, rubicundioris coloris, aquoso liquore scatentes, similes omnino iis quos in caninis renibus reperiri dixi, unica tantum vice in emaciato sene reperiri mihi concessum. *G. Blasius Observat. Anat. p. 125.*

Gignuntur vermes ex materia excrementicia & putrida, chylosa, fœcali, purulenta aut pituitosa, sæpius in intestinis, aliquando intra aures, caput, pectus, uterum, in ulceribus & vulneribus sordidis. Multi è neotericis dictis partibus Renes annumerant & vesicam, quod fidem meam superabat, innixus enim eram testimonio plurimorum eruditorum, quibus id impossibile judicatum, quod amara omnia, salsa, acria & acida à putredine vindicent, nedum eam incurrunt, & proinde vermium generationi inepta sunt: quare absurdum visum eos intra dictas partes posse subsistere, quia renum ope transcolatio fiat seri acris & salsi, cujus vesica alveus est & receptaculum: Oculis tamen fidem facientibus negare iniquum fuisset: Admirationem sustulit consideratio varietatis substantiarum heterogenearum, ob quam in olivis & nucleis persicorum, amaritie insigni præditis, reperiuntur; in intestinis & auribus, amaram bilem continentibus. Imo vitriolum vegetabile, acetum intelligo, putredinis omnis inimicum, ejusmodi vermium productioni expositum fuit anno 1629. quo tempore acetum potentissimum, quod terram subigens & fermentans in tumorem attollebat, vermiculis scatere deprehensum. Indicium pestis subsequentis universam Galliam Narbonensem vastantis: Vermes exeretos per virgam vidit Dom. de Sillol, Medicus Mont'Ælimariensis, à puero quinque annos nato, qui cum vermibus pluribus diebus laborasset & febre ardente, fugaci ischuria correptus fuit, subsequente postmodum cum urinis lumbrici pedalis longitudinis excretione. Postridie similibus vexatus affectibus, similem ejecit vermem: modus exitus, per apertum & patentem penis canalem admirationi non erit illis, qui animadvertent ejusmodi animalcula perforatis intestinis, quo liberiori aëre fruerentur, per inguina erupisse, per umbilicum, & per epigastri fistulosa ulcera. *Idem ibidem.*

Observatio CL.

Atrophia à verme in altero Renum, & Calculo in Lumbis.

Anno 1695. Ernestus Archidux, Belgicarum Provinciarum Prorex, obiit nocte intercedente xx. & xxi. mensis februarii die, anno ætatis 42.

Ejus cadavere aperto, Cor, Pulmo, Jecur nihil virii præ se ferebant: In lumbis tantum mediocris magnitudinis calculus repertus est, Et in Renum altero vermis oblongus & vivus, qui visceris illius parenchyma adeo erosit, ut parvo tempore Princeps emarcuerit totus, hinc superesse diu non potuerit. *D. M. Iansonius Mercurii Gallo Belgici Tomo 2.*

Observatio CLI.

Anatome Canis Atrophia confecti, cujus renis sinistri parenchyma vermis depascebat.

Anno 1610. Monspelii, medicinæ aliquot candidati, canum frequentes dissectiones instituebant, indagaturi insignium vasorum propagines & ramificationes, ab Illis non absimiles quæ hominibus insunt. Occurrit forte canis leporarius, macie omnino confectus, quem trucidare misericordiæ esse crediderunt; secuti ab adipe vasorum distributiones non occultatum iri: Venæ Emulgentis insertionem in Renem dextrum inquisituri, vix novacula renis superficiem attigit, ecce exilit vermis prodigiosæ magnitudinis, qui convolutus totum parenchymatis exesi spatium adimplebat, cujus ne minima vestigia apparebant. *Iacobus Covilliardus Observationum Iatro Cheirurg. Gallice editarum §. viii.*

Observatio CLII.

Tabes à corrosis duabus vertebris Lumbaribus.

Quidam in Lumborum dolores incidit, ac totus Emaciatus interiit. Illæsis renibus duæ lumborum vertebræ corrosæ sunt repertæ. *Vide tit. de Lumborum doloribus lib. 3.*

Tabes Dorsalis etsi nostro hoc seculo nomen amisit, tamen Hippocr. ejus mentionem facit, & morbum hunc ex professo tractans duplicem ejus speciem assignavit, sc. unam ex immodica venere, & alteram à destillatione in spinam dorsi: Quod ad posteriorem hanc spectat, sæpius observavi quosdam dolore circa Lumbos, imo interdum in toto Dorso miserrime vexatos fuisse, qui cum aliquandiu ita laborarunt, postea Gibbi aut Claudi evaserunt, ac ultimo in toto corpore, excepto capite, insigniter contabuerunt. Cujusmodi affectus causa proculdubio in hoc consistit, videl. quod inprimis humor, sive materies quædam iucongrua & morbifica, cum succo nerveo per medullam spinalem descendens, in nervorum vertebralium ramos incurrebat, proindéque ab initio ob fibras vellicatas, dolor fere continuus exoriebatur. Dein ob quasdam è fibris carneis resolutis, oppositæ vehementius contractæ spinæ vertebras quasdam contorquent: & denique, siquidem spiritus animales nervos & fibras ad truncum & membra pertinentes haud uberi satis copia actuarent, ob nutritionem frustratam totius corporis emarcescentia successit. Profecto, cum Liquor nerveus, & spiritus animales è spina dorsali in totum corpus haud plene & libere dispensantur, proinde

de marcor sæpenumero oritur: hinc abscessus aut profundunt Atrophiam in toto; aut saltem & ulcera circa lumbos vel os sacrum excitata, in partibus inferioribus inducunt. *Th. Willis*, quatenus liquorem nerveum absumunt nimis, *Pharmac. rat. part. 2. sect. 1. cap. 5.*

Observatio CLIII.

Tabes à Tumore musculis lumbaribus lateris dextris adnato, cum annexis steatomatis, atheromatis, meliceridibus.

JUrisconsultus Parisiensis sicca tussi vexatus, Macie universali affectus & diarrhæa diuturna, post repetitas purgationes & venæ sectiones me accersiri jubet. Eum attente considero, & post colloquium aliquousque protractum, decumbere jubeo quo latera, dextrum præsertim, commode pertractare liceret, suspicatus aliquid in jecore vitii. Admota manu, indolentem tumorem percipio nucis juglandis magnitudine, (sed forti digitorum impressione & profunda, proque partis sensus tolerantia) infra costas nothas in jecoris regione. Prognostico emisso, asserui tumorem illum ad capitis magnitudinem perventurum, imo majorem, quod eo loco situs esset, quo intus nequicquam reniteretur; ad extra vero augmento prohiberetur, à caligarum cingulo & thorace. Ulteriorem sanguinis missionem prohibeo, eo quod judicarem vitam tamdiu productam iri quamdiu sanguinis penuria non adesset. Opinionem & prognosticum meum impugnarunt venisecæ, qui imaginarium esse tumorem objiciebant, iteratisque venæ sectionibus ægrum vexabant. Post dies quindecim iterum advocor, atque ægrum in deteriorem statum deductum video, tumorem auctum & digitis palpantibus manifestum, globuli sphæristerii magnitudinem æquantem. Mortem prædico, Chirurgi vero revocati, agnito tumore, Sanguinis missionem perperam iterum instituunt, sed paulo post mors succedit.

Apertum cadaver fuit à Riolano Chirurgo, qui solus, consultatione habita cum tribus Medicis ac duobus Chirurgis ampullatis, contendebat tumorem neque mesenterium neque pancreas obsidere, sed musculorum cuipiam *viscera colligantium adnatum esse*, si enim, ajebat, situm in pancreate aut mesenterio obtineret, ad motum corporis huc illuc nutaret, illius inclinationem sequutus, alvi excrementa cohiberet, quæ liquida & incocta dejiciebat æger: Obviam ergo illi secanti se obtulit *tumor* pendulus, & *annexus* lateris dextri *musculis lumbaribus*, magnitudine capitis vitulini, cui plurimæ adnatæ erant cystides, aliæ materia pulti simili refertæ, aliæ sebacea, aliæ lardum, aliæ mel referente, aliæ erant duræ, variæ consistentiæ & coloris ab invicem secretæ. Totum corpus exanguo erat, sed plurima aqua reperta, ad mensuras duas Parisienses. *David Lagnean lib. de Sanguinis missione p. m. 385.*

TUmor annexus musculis lumbaribus) Ubi situm habet Receptaculum Pecquetianum dictum, Glandulas Lacteas Lumbares vocat Clariss. *Bartholinus*, quarum situs est infra centrum mesenterii, circa lumbares vertebras, inter earundem musculos *ψόας*: non prorsus medium lumborum locum servant, sed subinde ad dextrum deflectunt in homine. Ab hoc tumore compressum fuit dictum Receptaculum, vel Glandulæ Lacteæ, unde intercepto chyli transitu Atrophia orta est. A compresso Receptaculo Atrophiam partium deducit laudatus Bartholinus cap. 9. Tract. de Ductu Chylifero. Unde, *ait*, Atrophia partium, præsertim thoracicarum, quæ ex glandulis lacteis chylum sugunt: premitur subinde Receptaculum lacteum *ἀλλ᾽ οὖν* chyli remoratur, obstruitur, & inflammationes aliosque tumores patitur. An forsan Tumor ille incrementum fuit p. n. ipsius Receptaculi, quem pendulum fuisse narratur, annexum musculis lumbaribus lateris dextri? Cystides annexæ, ipsæ Glandulæ lumbares, quarum chylus varie transmutatus fuit?

Observatio CLIV.

Atrophia ab inflammata altera glandularum Lumbarium, cum Pulmonum vitio.

ATrophia partium, præsertim thoracicarum, quæ ex Glandulis lacteis chylum sugunt, ex harum vitio nasci potest. Premitur subinde Receptaculum Lacteum, & *ἀλλ᾽ οὖν* chyli remoratur, obstruitur, & inflammationes aliosque tumores patitur: Vidimus id in cadavere humano, in quo ad atrophiam omnia, excepto hepate sano, vergebant, flaccidis pulmonibus & marmoris instar variegatis, bubonibus in inguine, gangræna in pede & aliis pessimi habitus indiciis. Sana erat altera Glandula lactea, rubra altera quasi inflammata & phlegmonodes. *Bartholinus Tit. de Ductu Chylifero cap. 9.*

OBSERVATIO CLIV.

§. 1. *Anatome canis, Tabidi à rupto ductu Thoracis, chylum in venas subclavias vehente.*

QUia nonnulli in eodem cum veteribus errore versantur, venasque mesaraicas chylum ex intestinis excipere confidenter statuunt, Ipse ut hac de re certior fierem, feriam aliquando impendi operam, atque non uno experimento tandem mihi constitit totum chyli penum nulla alia via quam per ductus chyliferos in sanguinem infundi: Si enim cursus ejus per vasa thoracica impediatur, animal qualicunque cibo satiatum intra paucos dies fame penitus interibit, quod in duobus canibus, diverso licet modo expertus sum. Alterius enim thorace dextri lateris intra duas costas inferiores aperto, digitum immisi, & ungue velut in serram resecto, commune receptaculum tribus horis à pastu valde turgidum perfregi & laceravi, ut chylo in cavitatem thoracis exitu dato, transitus ejus in ductus chyliferos penitus interciperetur: quo facto & consuto vulnere, animal hoc cibo, quantum capere voluit postea satiavi:

Cum autem intra paucos dies exspiraret, & à me statim dissecaretur, ventriculum atque intestina valde repleta, quin & venas lacteas chylo plenas inveni, nihil autem ejus in toto ductu thoracico apparuit, verum in eo pectoris latere, in quo commune receptaculum disruptum est, duæ libræ chyli repertæ sunt: Unde certo constare arbitror ob præpeditum chyli per ductus thoracicos transitum, animal hoc, ventriculo licet cibis referto, utcunque fame periisse.

§. 2. Quod ut certius redderem, alium canem simili modo, sed in adverso seu sinistro latere, intra 3. & 4. costam superiores, perfodi, qua in regione ambo ductus chyliferi in unum plerumque truncum coëunt, qui deinceps ex latere œsophagi inferiore, ubi musculo substrato incumbit, versus venam subclaviam sub communi pectoris tunica incedit: Immisso itaque per vulneris orificium digito, ductum istum pariter diffregi, quo disrupto chylus in cavitatem lævi pectoris exire, ulterius vero penetrare neutiquam potuit: quare vulnere ut prius curato, canem per paucos dies bene pastum detinui, ex quo tempore elanguescere cœpit & paulo post obiit.

Cum autem thoracem ejus dissecarem, claustrum illud pectoris, ubi ductus iste disruptus fuit, chylo penitus repletum & pulmonem lateri isti agglutinatum inveni; Quo autem certior forem canalem istum usque adeo perruptum esse, ut nihil chyli ulterius deferre potuerit, aquam è siphone in ductum chyliferum inferius injeci, verum ultra quam canalis iste perruptus fuerat, penetrare non potuit, sed in cavitatem pectoris tota exiliit: Claro satis argumento chylum per venas mesaraicas non intrare, neque ullam aliam dari viam qua sanguini misceatur, cum animal ex transitu per vasa thoracica impedito tam certo intereat. Quin & hoc denique ante omnia confirmat chylum in venas mesaraicas non influere, quia si sanguis ab animali ita tractato post diem unum aut alterum adimatur, nihil chyli in illo apparebit, licet paucis antea horis optime pastus fuerit; quod aliter omnino fieri debuit, nisi influxus ejus hoc modo prorsus interciperetur. *Richardus Lovver Tract. de corde c. 5.*

HInc colligit Vir Clariss. Hepatis patrocinium neminem posthac debere suscipere, ut ipsi sanguificationis munus postliminio asseratur: Experimento insuper conficiens ut Chylus nulla alia via, nisi per *Ductus Pecquetianos* sanguini instillari & commisceri in posterum credatur: Quemadmodum enim ductibus istis disruptis chylus omnis in cavitatem thoracis effluit, ita si ductus iste in lævo pectoris latere (orificio ubi prius facto) immisso digito per horam comprimatur, chylo, quia alius in sanguinem transitus non datur; commune receptaculum, quin & vasa lactea omnia in mesenterio, atque infima parte ventris, ab hac obstructione adeo turgescunt & distenduntur, ut nunquam clarius aut perspicue magis ostendi possint, siquidem jucundissimo spectaculo constat qualis eorum fabrica, valvulæ, anastomoses, quam varii præterea mæandri eorum fuerint; quam densa serie totum intestinorum ambitum & superficiem perreptent, quam infra Receptaculum multiplici ordine disposita, non secus ac uniones in puellarum monilibus turgescant; Quin & observatione dignum ex obstructio hoc ductu thoracico, chylum in vasa lymphatica, tum in pectore ubique & abdomine disposita, renitentibus licet valvulis, adeo insinuari & retro urgeri, ut primo forsan intuitu incautis imponere, & *Ductus Bilsii Roriferos* adesse suadeat; licet revera non aliunde hoc evenit, quam quod succus iste albus propria via præpeditus, in vasa illa regurgitat, non aliter forsan quam ab inundante mare flumina in alveos suos repressa irruenti æstui locum cedunt: Atque ideo uti refluente mari, flumina iterum intra ripas suas subsidunt, ita remota ista compressione, & chyli in sanguinem introitu restituto, totus iterum in ductus thoracicos resorbetur, & in vasis illis lymphaticis nullum sui vestigium post se relinquit.

Ut nihil chyli ulterius deferri &c.] De chyli per venas lacteas motu læso, & morbis inde sequi solitis vide *Sylvium de le Boë Pract. lib. 1. cap. 17.*

§. 3. Illustr.

§. 3. Illustr. Baro circa mediam dorsi vertebram sclopeto læditur: Post 14. dies observatus in linteis copiosus albicans humor, corpus in dies Tabescebat: Pulmones juxta vulnus insignem putredinem conceperant &c. *Vide lib. 4. tit. de vulneribus.*

OBSERVATIO CLV.

Tabes ab ulceratione musculi mastoidei inducta, cujus pus per venam jugularem ad dextrum cordis ventriculum penetraverat: A Liene indurato & magno; Hepate consumpto biliosaque materia referto, Pancreate magno & scirrhoso &c.

Puer duorum annorum erat macie ita confectus, ut vix hæreret ossibus: Ad latus sinistrum, in musculo mastoideo exulceratio erat, quæ usque ad ipsam jugularem venam penetraverat, eamque corrodendo sic extenuaverat, ut puris subtilior materia percolasse per eam videretur: non exiguam namque ejus copiam sanguini permistam in dextro cordis ventriculo, corde alias sano & integro, inveni; quam, ut dixi, transcolatione eo pervenisse suspicatus sum. Sed unde puris ejusdem crassiusculi, bene cocti, copia, item magna è regione in dextro latere, ad eundem musculum, intus & foris sanum, penetraverit, ego divinando assequi non potui: *Lien* præterea *induratus* erat & magnus, pendebat enim uncias septem & tres uncias quartas: Hepar contra, consumpto fere parenchymate, nonnisi quinque uncias & quadrantem ponderabat: biliosa id plenum erat materia, quæ propter obstructionem ductus communis in illum redundaverat; *bilis interim drachmas undecim* (magnum pro ea ætate pondus) exæquabat: *Pancreas magnum* erat & scirrhosum, quod in chronicis morbis sæpe contingere observavi: Succus ejus tam acidus; ut in duodeno bili admistus, tamen adhuc insigniter cum saporem retineret: hac aciditate sua ita ventriculum & intestina pererederat, ut dum inflare ea vellem, ad minimam distensionem rumperentur: Non immerito igitur Clar. *Fr. de le Boë Sylvius* in Praxi sua plurimorum morborum causas refert ad hanc succi illius aciditatem; *Th. Kerckringius observ. Anat.* 65.

Pancreas magnum & scirrhosum) Atrophiæ causam inde quoque deducit *Riolanus* Anthrop: l. 2. cap. 15. Pancreas venæ porræ truncum firmo amplexu comprehendit, unde fit ut multo humore inebriatum, aut scirrhodes factum, truncum Portæ constringat, quod chyli affluxum intercipit, qui in mesaraicis sanguinis rudimentum adeptus, cum non possit ad Hepar permeare, rubefactus refluit ad intestina; unde sensim corpus contabescit suo genio defraudatum.

Lien induratus erat. &c.) Communiter traditur substantiam Lienis esse concretum quoddam corpus sanguineum, fulcimen præbens vasis per illum decurrentibus, quod levi attritione facile in fluorem dissolvitur: Verum hanc opinionem penitus destruit *Malpighius*, qui hujus visceris mysteria microscopiis accuratissime perscrutatus, scribit lib. de Liene cap. 4. totum Lienis corpus esse membranarum congeriem, in cellulas & concamerationes efformatam seu distinctam; ac non esse corpus tam *densum* ac describitur, sed rarum: Cognitionem istam singulari artificio consecutus est, Lienem scil. per arteriam & ramam splenicam ad magnam intumescentiam inflando, & sic inflatum exsiccando: ita enim dicit conspici posse totam lienis molem ex membraneis finibus seu cellulis, tanquam favis quibusdam esse coagmentatam: Illarum autem cellularum ortum, variamque admirabilem figurationem, ibidem legendam, eleganter & lato sermone describit. Idem in Lienis substantia primus observavit multas glandulas notatu dignas; de quibus citato lib. cap. 5. agit: Profecto multum debemus occulatissimo Malpighio, qui maximas cognitionis Lienis tenebras suis Microscopiis discussit, ut usus ejus antehac dubius, tam plane innotescat. *De Diemerbroeck Anat. lib. 1. cap. 18.*

Lien induratus, Hepar biliosa plenum materia, Pancreas scirrhosum &c.) De horum viscerum συμβολῇ ad œconomiam naturalem hæc commentus est vir Clariss. loco cit. c. 16.

De actione Hepatis & Lienis, atque de usu Bilis, Succi Pancreatici & Lymphæ discrepantes sunt opiniones; Cum autem nemo tantorum Viscerum dignitatem & Succorum necessitatem perceperit, tandem tempus erit, ut quæ tot sæculis in obscuro latuerunt sacra in lucem proferantur; ut pote ex quorum cognitione maximum toti medicinæ lumen conferri, multorumque morborum obscuras & ignotas causas clarissime innotescere posse certum est.

Actiones Hepatis, Lienis & Pancreatis conspirant in unum finem, & sanguinis atque chyli fermentum simul præparant; in cujus confectione horum trium officium necessario concurrere debet, cum unum sine altero negotium hoc absolvere nequeat:

Sicut farinæ triticeæ aqua tepida subactæ fermentum admiscetur, ut per illud crassiores ac terrestres frumenti particulæ dissolvantur, & spirituosæ particulæ in terrestri illa compage conspiratæ atque occultæ latentes attenuentur ac suscitentur, sicque tota panis massa, attenuatis istis spiritibus jam perfusa, levior & concoctu facilior evadat; Ita etiam Chylo & sanguini venoso fermentum admisceri necesse est, quo spirituosæ in iis latentes particulæ attenuentur ac suscitentur; sicque tota massa ad hæmatosin & nutritionem aptior fiat.

Illud autem panis Fermentum (ex cujus cognitione facilius ad fermenti, sanguinis chylique notitiam perveniетur) communiter conficitur ex farinæ aliqua quantitate, quæ subigitur cum aqua tepida, eique admiscetur aliquantulum salis & aceti, atque ita loco tepido asservatur, donec spiritus salsi subacidive à calore nonnihil volatilisentur, & massæ farinaceæ parti-

culas pervadant, easque dilatent ac separent, sicque totam massam subacidam & fermentantem efficiant: Tunc hujus fermenti acidi pauca frustula, magnæ massæ farinaceæ repidæ subactæ immista, totam massam fermentare facit: Nam fermentaceæ illæ particulæ se per totam massam explicant, omnesque pastæ farinaceæ particulas incidunt, attenuant, spiritusque in iis latentes dissolvunt; Nostrates etiam flores cerevisiæ fermentantis (qui valde acris & spirituosus est, magnamque vim fermentaceam redolet) farinaceæ massæ admiscent: Alii forte alio utuntur fermento, Sed omnes fermentum, qualecunque fuerit, constat ex rebus subsalsis, subacidisve, acribus & corrodentibus, moderato calore fusis seu liquatis, ac nonnihil volatilisatis: quæ si crassiores ac densiores sint, cum lentius dissolvantur, earumque vis se tardius exerat, debent etiam longiore tempore farinaceæ materiæ admistæ esse, antequam illam fermentent, sicut in primo fermento descripto contingit, quod per multas horas, & sæpe per totam noctem admistum esse debet, ut operationem suam convenienter exerat: Si vero per quarundam sulphuream particularum admistionem, spirituosæ ac volatilisatæ magis sint, cito fermentant, ut videmus in flore cerevisiæ, qui unius horæ, aut sesquihoræ spatio, illud opus absolvit: quippe spirituosiores acres particulæ, cum in hoc a materia, cui inhærent, liberiores sint, atque hinc magis penetrantem vim habeant, citius operantur, & crassas farinæ particulas brevi dissolvunt, spiritusque latentes citius suscitant, quod adhuc fortius peragunt, si pauxillum mellis isti flori admisceatur: Sed horum nihil perficietur sine calore moderato, ut pote quo salsæ particulæ ad modicam subaciduosculam qualitatem, & aliqualem volatilitatem deduci debent.

Eodem modo se res habet in chylo & sanguine venoso, qui si ante hæmatosin non attenuentur & præparentur per admistum fermentum conveniens, tunc in corde non satis spiritusscunt, id est, spiritus in iis consopiti latentes non satis dissolvuntur à crassiore & serosa materia, sed consopiti manent, atque sic conficitur sanguis crassus & aquosus, ad corpus alendum, partesque corroborandas parum utilis, unde tunc corpus totum fit languidum, & actiones naturales atque animales male procedunt.

Hoc autem chyli & sanguinis fermentum conficit Hepar, cui tamen fermento hepatico speciatim pro chyli, è ventriculo primitus effluentis, præparatione, in intestino duodeno admiscetur succus Pancreaticus.

Materia è qua hepar illud conficit, est sanguis venosus, è venis gastricis & mesaraicis per portam in illud influens, cui immiscetur succus acris, subsalsus seu subacidus, in liene ex arterioso sanguine per arterias, & ex spiritibus animalibus per nervos influentibus [hos spiritus salsas sanguinis particulas à sulphureis magna parte separare ostendimus lib. 2. cap. 11.] confectus, qui per ramum splenicum in portam, sicque una cum dicto sanguine, cui admiscetur, in hepar defertur. Atque mediante isto acri & corrodente succo, per hepatis specificam vim seu coctionem, spirituosæ, cum sulphureæ tum salsæ, in isto venoso sanguine latentes particulæ dissolvuntur, attenuantur, ac simul etiam nonnihil acres & fermentantes fiunt; earumque tenuissima quædam pars, instar aquæ limpidissimæ ac tenuis, mediantibus glandulis conglobatis, in cava hepatis parte præcipue sitis, à reliqua crassiore sanguinis massa secedens, per innumera lymphatica vascula ex hepare defertur ad varias venas, sanguinem venosum versus cor tendentem præparatura: at majore sui parte fertur ad vasa chylifera, ut in illis chylo influenti necessariam præparationem ad fermentationem in corde futuram inferat: In quem eundem finem etiam fermentacea quædam, saliva ab ore, ut ab salsa subacidave lympha & glandulis axillarum, inguinum aliisque variis, eodem deferrur, & nonnihil succi pancreatici tenuioris ex intestinis, una cum chylo vasa chylifera subit.

Sicut autem in cerevisia fermentante plurimi spiritus jam suscitati cerevisiæ toti permiscentur, eamque spirituosam, forte & aptam faciunt, quæ ab assumentium ventriculis facillime attenuari, coqui & digeri possit: sic etiam multi adhuc spiritus crassioribus magisque viscosis cerevisiæ particulis intricati inhærentes, cum iisdem ad superficiem ascendunt, & bullientes, seu potius fermentantes ac spumosæ cum strepitu è vase erumpunt; quæ spumosa materia saporem amariusculum, nonnihil acrem, quasi levi aliquo dulci sapore permistum habet. Cerevisiæ florem vocamus, seu Biilem, eamque colligunt, ut illam novæ cerevisiæ rursus admisceant: Ita quoque in Hepate negotium procedit, & fermentacei spiritus acriores, crassioribus ac viscidioribus sulphureis succis admisti, (sulphur enim viscidum est) & validius ebullientes seu fermentantes, cum ob illam succorum, quibus inhærent, viscositatem glandulas conglobatas, ex iisque vasa lymphatica subire nequeant, & ob acrem ebullitionem à sanguine separentur ac recedant, segregantur cum succo cui inhærent, & amaritudinem induunt, ac Bilis nomine designantur. Quæ Bilis, mediantibus glandulosis acinis, per porum bilarium & vesiculam fellis, paulatim ad intestina defluit, ut in iis una cum succo pancreatico permisceatur crassiori massæ, nempe alimentis in ventriculo coctis, & jam ad intestina defluentibus, ut illam quoque effervescere faciat, atque sic partes tenuiores chylum constituentes, à crassioribus dissolvat ac separet, easque ita attenuet, ut in angusta vasorum lacteorum oscula impelli commode possint.

Eum in finem delabitur hæc bilis per ductum choledochum in intestinorum principium, scil. in duodenum, ibidemque statim commiscetur cum succo pancreatico eodem defluente, atque sic massæ alimentariæ in ventriculo coctæ, ex eoque jam elabenti mox admiscetur, eamque effervescere facit: Et quia in primo introitu acrior est, atque integras vires obtinet, & propter succi pancreatici acidi admixtionem, mox ad ebullitionem parata existit, hinc initio maximam facit effervescentiam, unde lactens succus massæ in ventriculo coctæ inhærens, maxima parte in intestino jejuno promptissime separatur, ac per innumera lactea vascula (quæ majore copia huic quam aliis intestinis irradicantur) citissime propellitur ad receptaculum chyli, sicque intestinum illum plerumque vacuum & jejunum reperitur: in sequentibus autem intestinis, ob dissipatos in principio tenuissimos fermentaceos spirirus, paulatim tardior & minus efficax fit effervescentia, ac tardior chyli tenuioris è reliqua massa separatio, atque hinc illa etiam pauciora obtinuerunt vasa lactea: Denique residuum istius fer-

mentaceæ

mentaceæ materiæ [cujus subtiliores partes & vires per longam effervescentiam in intestinis tenuibus factam plurimum perierunt] in crassis intestinis alimentorum crassis fæcibus immistum hærens, quia lente jam resolvitur tardam quoque & rariorem, idque nonnisi longiore mora, in iis fermentativam quandam effervescentiam facit quæ fæculentam saburram emovendo & acriorem reddendo, intestinis molestiam infert, eaque sic ad dejectionem irritat: Et quia tarde fit illa effervescentia, hinc etiam raro fiunt istæ irritationes ac fæcum dejectiones, ita urhomines communiter nonnisi semel aut bis in die alvum deponant. Atque prout illud residuum fermentum majorem aut minorem acrimoniam obtinet, hinc in fœcibus citiorem aut tardiorem, necnon majorem aut minorem fermentativam effervescentiam facit, unde tunc crebriores vel rariores dejectiones succedunt.

Ut autem dicta Bilis magis acris & fermentacea evadat, non protinus tota mitior ex hepate per porum bilarium recta profluit in intestina, sed bona ac tenuiore sui parte, ex hepate per radices felleas defertur in folliculum felleum, in eoque aliquandiu subsistit, ut ex istius loci proprietate per moram illam acres spiritus in ea magis suscitentur & exaltentur [sicut fermentum panis per moram in loco tepido majorem acrimoniam acquirit] atque hinc in cysti nonnihil effervescens ad intestina defluat.

Sanguinis autem venosi, è quo fermentum in hepate confectum est, superflua & maxima pars, quæ in bilis aut lymphæ naturam mutari non potuit, nec debuit, fermentacea fermenti confecti qualitate abunde perfusa, in venam cavam profluit [quod fermentacea, atque in primis biliosa qualitate sanguis ex hepate in cavam profluens perfusus sit, liquet si in recenter occiso animali mox hepar à cava abscindatur, & tunc ex eo effluens sanguis colligatur, eique spiritus nitri affundatur, statim enim æruginosus evadit, quod in nullo alio sanguine contingit, atque sic latens ei admistum biliosum fermentum detegitur) cui desuper è venis subclaviis occurrit à lympha præparatus & attenuatus chylus, vel eo absente solus lymphæ liquor, subclaviarum sanguini permistus, atque ita simul dextrum cordis ventriculum sensim ingrediuntur, in eoque ob præviam istam convenientem præparationem seu attenuationem, protinus in spirituosum halitum sanguineum dilatantur, sicut pulvis pyrius admoto igne protinus in flammam accenditur.

Ut autem spiritus ille sanguineus perfectior existat, & diutius in vigore permaneat, statim pulsu cordis è dextro ventriculo per pulmonarem arteriam in pulmonem propellitur, in eoque ab inspirationis frigore in liquorem rursus condensatur, ac per venam pulmonarem defluit in ventriculum cordis sinistrum, in quo iterum dilatatur, (sicut spiritus vini secunda distillatione rectificatur) summamque spirituosi sanguinis rectificationem adipiscitur, atque sic in aortam propellitur, ut ab ea per minores arterias omnibus totius corporis partibus communicetur, easque vivificet & nutriat: A qua nutritione qui tandem residuus est sanguis, maxima jam spirituum copia privatus, minores subit venas, ab iisque ad majores, & randem ad cor iterum defertur, ut in eo de novo attenuetur & spirituosus evadat: Quia autem in isto circulo multæ sanguinis partes consumuntur in nutritione partium, quarum etiam substantia à calore continue dissipatur, hinc necesse est ut sanguini venoso ad cor tedeunti, idemidem admisceatur novus chylus in sanguinem mutandus, qui locum consumpti suppleat, atque sic vita nostra consistit in tali continua nutritione, qua deficiente mox imminuitur, & brevi deficit oleum lampadis nostræ vitæ, sicque extinguimur.

Quæritur jam, unde acres illæ, calidæ, & fermentaceæ particulæ in nostro corpore oriantur? Respondeo, ex sulphure & sale: prima emotio est à sulphure, sed primaria acrimonia ex sale, qui præter sulphur omnibus alimentis est innatus, nihil enim edimus quod salem in se naturaliter non contineat, quamvis alia plus alia minus salis habeant. Sulphur dissolvit salem, eumque ad fusionem deducit; hic solutus & attenuatus, acrimonia sua omnes alimentorum particulas corrodit, pervadit, dissolvit, sicque ad spirituum in iis latentium eductionem disponit, quæ operatio est fermentatio, sine qua homo vivere non potest, & cum qua debili aut vitiata homo misere vivit: Ut autem hæc fermentatio feliciùs procedat, nos naturæ instinctu sali naturali, qui alimentis inest, adminiculum adjicimus, scil. salem marinum, quem esculentis rebus etiam admiscemus: In eundem finem etiam durioribus cibis sæpe acria & spirituosa ac sulphurea quædam pro condimentis solemus admiscere, ut aromata &c. non raro etiam vinum generosum, nam sulphurei spiritus salsis permisti, crassas fixasque particulas potenter dissolvunt & pervadunt, atque ad statum fusionis, sicque ad fermentandi energiam exaltant. Quæ chilificans operatio plurimum adjuvatur, partim à saliva, quæ desuper ab ore fluit ad ventriculum, & fermentativa qualitate jam donata est; partim è fermento peculiari, quod ex chyli aliqua parte, post ejus coctionem, & maximæ partis ad intestina expulsionem, in ventriculo residua, & plicis porisque tunicæ interioris infixa, in iisque acescente, conficitur. Atque sic per primam illam fermentationem, spirituosiores & utiliores alimentorum partes è crassiore materia cremoris forma exeunt, & chyli nomen assumunt.

Ex hoc chylo multis salsis sulphuteisque particulis ab alimentis desumptis, donato, per novam fermentaceam præparationem *à bile, succo pancreatico, & lympha* inductam, conficitur in corde sanguis, qui & ipse salsas chyli particulas, sed magis attenuatas, & sulphureis exactius permistas in se continet.

Ex hujus sanguinis, ad lienem per arteriam splenicam, & ad pancteas aliasque multas glandulas per peculiares arterias defluentis, particulis salsioribus, affluxu spirituum animalium separatis, in liene & dictis partibus iterum conficitur fermenti materia pro sanguine venoso & chylo, majore sui parte ulterius ab hepate in fermentum perfectum excoquenda.

Atque ita ex alimentis interni fermenti prima origo est, quod deinde variis coctionibus magis magisque attenuatur, & in fermentum subtilius in corpore nostro mutatur.

Hepatis autem, Lienis & Pancreatis veram actionem esse fermentum dicto modo conficere, ex eo patet quod ubi viscera hæc bene valent, suoque munere convenienter funguntur, totus etiam sanguis melior & spirituosior fit, atque hinc corpus vegetum & agile existat, omnesque naturales & animales actiones laudabiliter & bene procedant; At contra, ubi viscera

viscera hæc male se habent, innumeri morbi ex sanguine chyloque male fermentato exoriantur.

Succus acer, subsalsus, ac subacidus, ut dictum, in Liene conficitur ex sanguine arterioso, per magnam arteriam splenicam in hoc viscus copiose impulso, qui à copiosa spirituum animalium per nervos affusione, atque etiam ab hujus visceris proprietate mox immutatur; in eo qui prædominabatur spiritus sulphureus, obtunditur, figitur ac suffocatur, & salsus acidusque in eo latens spiritus in actum producitur, salsæque particulæ à sulphureis nonnihil separatæ prædominium capiunt, atque hinc fit quod sanguis fervidus ac subdulcis per arterias in lienem influat; sed protinus extincto sulphureo fervore cum dulcedine, subsalsus seu subacidus è liene per ramum splenicum delabatur ad hepar, unde Lien coctus etiam subacidum quid sapit: Eodem modo hæc res procedit, sicut cum in vase acetario, seu in quo acetum servatur, acetum ex vino conficitur, quippe deponitur in loco subtepido; in hoc aliqua parte evacuatum vas vinum generosum & bonum (ex debili enim vino aut vappa non conficitur bonum acetum) subinde modica quantitate infundunt, quo facto mox à salsis & acidis particulis, in aceto prædominantibus, figitur & suffocatur vini sulphureus & dulcis spiritus; & quæ in eo latent salsæ acidæve particulæ ab aceti acri aciditate funduntur, modice liquescunt, attenuantur & in actum producuntur, sicque vinum induit acorem & fit acetum: Ita etiam sanguinis arteriosi sulphureus spiritus, partim à spiritibus animalibus per nervos affluentibus, partim ab acidis & subsalsis succis in liene confectis ac contentis, figitur & suffocatur, atque prædominium suscipiunt quæ in eo sunt particulæ salsæ acidæque, postea admistis denuo novis sulphureis, sanguini venoso inhærentibus, ab hepate in perfectum fermentum seu chymum mutandæ.

Quod autem hæc primaria fermenti ab hepate perficiendi materia in Liene conficiatur, ab experientia aliquomodo confirmari potest, quippe si lien bovis, porci, alteriusve majusculi animalis in frusta concisus, in aqua leviter tepida maceretur, & postea hujus aquæ pauxillum pastæ farinaceæ subactæ admisceatur, eam dilatat & fermentare facit, haud aliter ac si flos cerevisiæ, aut aliquod aliud panis fermentum admistum foret: quam operationem adhuc felicius exequitur, si ei minimum quid aceti admistum fuerit.

Jam vero si hæc Lienis actio non bene procedat, oriuntur morbi duplices; alii à subsalso, seu subacido succo nimis crasso & fixo: alii ab eodem nimis tenui & volatili. Nam quando subsalsi acidive succi in Liene non satis attenuantur & liquantur, etiam pauci spiritus fermentantes ex iis alterari possunt: quando nimis attenuantur, tunc supra modum acres, corrodentes & copiosi spiritus ex iis educuntur, atque pro horum diversitate diversi morbi exsurgunt:

Si Lien debilis sit, vel suo, vel alimentorum vitio, aliave quacunque de causa, tunc subacidus qui in eo excoquitur succus, non satis liquatur, attenuatur aut volatilizatur, sed crassus & tartareus seu terreus manet, magnaque copia in lienis vesiculosa substantia & vicinis partibus, ob crudam viscositatem cumulatur tumidumque & magnum Lienem facit: quippe in eo latens spiritus non convenienter suscitatur, sed in angustiis in liene & circa lienem subinde aliquantulum effervescens, totum Lienem ejusque confinia distendit, & mille flatus cum sibilo, rugitu, ac molesta tensione, hypochondriacis familiari excitat: Quæ mala etiam plurimum augentur à prava dispositione Pancreatis, ex sanguine vitiosis lienis succis inquinato, ac per arterias ei allato, contracta: cujus ratione succum suum etiam male coquit, nimiumque ex subsalso acidum vel austerum relinquit, qui partim in ipso pancreate graves obstructiones, officii hujus turbatores visceris, gignit; partim in intestina defluens, in iis injustam effervescentiam facit, chyloque pravam subacidam qualitatem imprimit, ob quam ad coagulationem, seu fixationem proclivis evadit, nec satis convenienter attenuatur: Unde tunc in abdomine à chylo crassiore & fixiore remanente, atque ad ulteriorem fusionem minus præparato, plurimæ genetantur obstructiones in vasis lacteis quibuscunque, in mesenterio & glandulis mesenterii, in iisque magna crudorum ac pravorum humorum saburra cumulatur, à cujus copia & corruptione mille morbi succedunt, qui vulgo melancholici appellantur, & à Liene oriri traduntur, sed quomodo ab eo generentur, non satis fuit explicatum: A sanguine autem, defectu efficacis & convenientis fermenti (quod ex lienis succo & sanguine venoso in hepate præparari modo dictum) & spirituum non satis copiose genitorum, spisso nimis manente, totum corpus languidum ac torpidum redditur, multique morbi oboriuntur; Quippe crassus & non satis spirituosus existens, partesque salsas, crudas, viscidasque admistas habens, in hepate, aliisque variis abdominis visceribus, humores coagulando, obstructiones & scirrhos facile parit: In corde non satis dilatatur, sed crassior in pulmonem impulsus, in eoque ab inspirato aëre adhuc magis incrassatus, ægre per angustissimos ejus meatus transit, hinc pulmonem infarciens & bronchia compressione angustans, difficilem respirationem facit: In corde ipso, propter particularum inæqualitatem, multarumque difficilem dilatationem, producit Pulsum inæqualem, & nonnunquam intermittentem: In cerebro, propter crassitiem minimos ductus & inordinate transiens, facit susurros, capitis gravitatem: cumque ipsius cerebri naturalem constitutionem lædat, & superstite aliquali actimonia nonnihil vellicet, etiam læduntur actiones animales principes, Imaginatio & Judicium depravantur, Memoria imminuitur, deliria, vigiliæ aliaque similia incommoda succrescunt, & fit vera melancholia: Si verò crassius illud subacidum sal paulo magis exaltetur, & fusile, sed non satis spirituosum evadat, tunc sanguis subacidam & austeram diathesin acquirit, qualis est in Scorbuto; atque tunc ab illius acredine lancinantur nervosæ partes, periostea dolent, molliores partes eroduntur, sæpe etiam intestina graviter torquentur, & ulcera in cruribus oboriuntur curatu difficilia, Adhæc ineptus sanguis fit ad nutritionem, atque inde totius corporis lenta Atrophia procedit: Dictæ crudæ salsæ particulæ in Renibus frigidioribus coagulatæ, & à seto separatæ, in calculos concrescunt; in articulis vero separatæ, & sentientibus partibus affixæ, easque corrodentes, faciunt acerbos dolores arthriticos, ac tandem majore copia cumulatæ, nodosos tophos: Atque hæc & similia contingunt

gunt, si fermentaceus succus in Liene nimis crudus & crassus conficiatur.

Si vero idem ille succus nimis tenuis, spirituosus & acer conficiatur (quod etiam fit vitio Lienis, alimentorum &c.) tunc alii morbi hinc procedunt: In sanguine magnum fervorem, cum aliquali acrimonia conjunctum, excitat, qui in cerebro, ob continuam irritationem, spirituum animalium celerem atque inordinatum motum, vigilias, delirium furiosum & maniam facit: Articulis leviter coagulatus inhærens, arthritidem vagam generat, eoque acri spiritu in una parte, ob suam tenuitatem dissipato, facile rursus dolor oboritur in alia parte, cui aliæ quædam ejus particulæ forte adhærent.

Lien scirrhosus, obstructus, aliove quocunque modo vitiatus, pravum succum fermentaceum generando, mille quoque gravia mala inducit; Hæc omnia, aliaque similia actionem Lienis satis manifestam reddunt.

Hepar biliosa plenum erat materia &c.] Ita etiam Hepatis actio ex morbis ab eo procedentibus clarissime innotescit. Si Hepar frigidus quacunque de causa fuerit, & dictum lienis succum, per ramum splenicum allatum commode digerere, ac cum admisto sanguine venoso, eique inhærente succo sulphureo, in conveniens fermentum convertere nequeat, tunc nusquam fit bona fermentatio: Chylus non satis coquitur; nec ad fermentationem in corde futuram satis bene præparatur: sanguis venosus manet crudus serosus, neque in corde satis spirituosus evadit, sed attenuatur solummodo in aqueum vaporem, qui in vasis & mollibus partibus in liquorem aqueum facessit, & totum corpus sero replens *Anasarcam* facit, cui multa sitis adest, ob crudiores salsas particulas isti sero inhærentes, nec satis bene sanguini mistas; quæ una cum succis è salivalibus vasis defluentibus, ac tunc similiter subsalsis, ad fauces & œsophagum delatæ, sicca vellicatione continuam sitim faciunt.

Si vero Hepar sit calidus, & hinc debiles tunc è sanguine sulphureos & olagineos spiritus exaltando, nimia copia eos suscitat, à quibus vis subacidi succi è liene venientis, multum obruæditur, atque sic pravum fermentum generatur, quod inflammationes, putredines, febres, aliosque calidos morbos à nimia vitiosa fermentatione ortos in corpore producit, multamque bilis copiam generat: quæ bilis, si ob pauci succi acidi admistionem mitior sit, tunc Icterus fit: si vero acrior fuerit, à multo salso acidove & acri splenetico succo cum eo excocto, tunc choleram, diarrhœam biliosam, dysenteriam, aliosque similes morbos producit.

Hepar obstructum aut scirrhosum, cum fermenti boni generationem, & distributionem convenientem non faciat, etiam plurimarum cruditatum, multorumque morborum à cruditatibus ortorum causa est.

Pancreatis succus tam acidus &c.) Quænam sit fermentacea qualitas succi Pancreatici, & quales morbi à Pancreate male habente oriantur. *Vide lib. 3. tit. de Inappetentia*, ex eodem *De Diemerbroek.*

Ex modo dictis, addit Vir Eruditiss. abunde jam patet quam necessariam conspirationem habeant Hepar & Lien, & quales quantique morbi ex horum viscerum utroque vel alterutro male affecto exoriantur: quantum verosimile etiam sit Lienem è corpore hominis eximi posse, permanente vita & sanitate: Liquet etiam quam male secunda publica coctio in hepate, liene & pancreate fieri dicatur, cum illa necessario fieri debeat in corde: Nam fermentum modo dictum non generatur nisi ex sanguine, atque sanguis debet primo confici in corde antequam ad hepar, lienem aut pancreas pervenire possit: Secunda igitur publica coctio fit in corde, tertia in hepate, liene & pancreate.

Observatio CLVI.

Atrophia partium inferiorum, ob defectum succi nervei nutritii.

Illustris Matronæ, affectibus spasmodicis obnoxiæ, membra & partes inferiores, juxta ac ultra dolorum causas consitæ, plurimum contabuerant, ut crura prorsus emaciata apparuerint; Interim facies, cervix & brachia satis plena manebant: Hujus cerebri compagem aqua limpida inundabat. *Vide Historiam lib. 1. sect. 15. observ. 7. ex Willis Anatom. cerebri cap. 10.*

Succum nutritium per nervos adductum, cum D. *Glissonio & Warthono* constituit Vir Clarissimus: Explicatis, *ait cap. 1. lib. de Febribus, in fine*, sanguinis infra vasa consluí natura & analysi, adhuc considerationem meretur *Succus nutritius* è sanguine suppeditatus; & pro nutritione solidatum partium è cruoris massa secretus, iisque (quo melius assimiletur) instat roris adhærescens: Etenim nervi, membranæ, tendines, cæteræque, totius corporis solidæ partes succo quodam alibili perfunduntur; Hujus vehiculo spiritus animales potiri corpora nervosa ad tensitatem inflant, atque motus & sensus actiones expedite obeunt: Etiam humor iste solidis partibus appositus, iisque assimilatus, molem & accretionem largitur: Hujus originem, exortum & dispensationis modum alio loco exquirit: A massa sanguinis suppeditari ait, ac circulatione quadam (uti videtur probabile doctissimis D. *Glissonio & Warthono*) postquam nervosas partes trajecerit, quod superest effoetum jam, & quasi pauperius factum, per vasa lymphatica ad sanguinem relegatur: Nutritium autem hunc succum nervos vehere absolute negat de *Diemerbroek* 1°. ob angustiam pororum in iis, quæ tanta est ut nullus visibilis humor eos permeare possit: 2. quod iis læsis nullus succus exprimatur. 3. quod nervus in corpore vivente ligatus aliquo vinculo, nulla in parte intumescat vel detumescat: quibus adjungit experimentum *Regneri de Graef.* cap. 2. lib. de succo Pancreatico, qui denudato in cane nervo isto notabili ad crura posteriora tendente, eoque per medium transversim disciso, in phialam illum immisit, nec tamen 4. vel 5. horarum spatio vel guttulam humoris collegit: Vide plura lib. 8. Anatom. dicti de Diemerbroek cap. 11.

APPENDIX.

Atrophia à Lymphæ inopia inducta.

NOn hydropis tantum, in cavitatibus si abundet Lympha, sed Atrophiæ, si alibi deficiat, causa hinc reperenda; Hinc sicci, & lymphæ inopia laborantes, ad atrophiam, marasmum &c. proclives: Utrumque in Hydrope ascite plerumque evenit: Nupero exemplo Ascitici rem illustrabo: Vasorum salivalium ubertate sputo molesto urgente, tandem exsiccantibus usus est, tædio sputi limpidi: Hinc superiora Atrophia invasit, defectu Lymphæ, quam quoque accersivit potus in prandio abstinentia, lymphæque copia in abdomine coacervata hydropi successit, qui abdomen distendit, pedes, scrotum, summa macie faciem pectusque & manus occupante, quia omne nutrimentum, quod ex lympha suppeditari gelatina ejus indicat, in tumidis partibus subsistit: Et quanquam natura per scrotum & pedes magnam quotidie lymphæ copiam excernat, spes tamen decollavit valetudinis, quod nova seri materia semper regeneretur, cui vires impares videntur. *Th. Barthol. l. de Hepatis exauth. causa desper.*

OBSERVATIO CLVII.

Tabes dorsalis inducta à pituita sacram Fistulam subeunte, & medullam opprimente.

TAbes dorsalis, seu φθίσις νωθιάς duplex est Hippocr. altera ab immodica venere, l. 2. de *morbis*, Altera verò à destillatione in spinam dorsi, *lib. de Glandulis*; comitem habens dolorem continuum, tum marcorem insuperabilem; Dolorem autem hic parit acida pituita, dilacerans magnopere vel membranam, quæ spinalem medullam proxime cingit, vel ipsos nervos inde oriundos: Sed si obstruantur venæ aut arteriæ, sive à lumbis, sive à cervice huc delatæ, vel ob constringens frigus, à nimia venere illis impressum: Sive ob ptolapsum crudioris pituitæ (*cujus maximam copiam equidem aliquando illic conspexi*) eripitur ægro non modo consensus inter superiores inferioresque partes, verum redditur præterea sterilis, propter interceptam decidui seminis materiam. Neque marcescit solum ipsa spinalis medulla quæ obstruitur, sed contabescit utique cum illa corpus universum: communicato paulatim malo, hinc per nervos cerebro, illinc per arterias cordi, uti per venas Jecinori: Quorum nobilissimorum viscerum functione evidenter læsa, torpet necessario corpus, marcescit animus & consumitur miserabiliter homo.

Samueli Verspterio elevabat impurus lien tot vapores versus cerebrum, ut inde destillaverit iterum plurimum acrioris pituitæ, primum quidem in occipitium ac cervicem, sed mox inde in spinæ medullam, & potissimum in lumbos, illa, ac coxæ articulum: Quarum partium immanis dolor excruciavit ipsum tormento tam inde fatigabili, ut amisso omni colore ac decore, inciderit in lentam febriculam, consumentem ipsum morte adeo tarda ac misera, ut ante ejus accessum non semel exoptaverit languentem emittere animam & reluctantem exspuere spiritum: quod etiam in hoc morbo observavit Author lib. de Glandulis; Sed ferendum fuit quod non licuit mutare, præsertim labe hac jam penitius infixa, quam ut cesserit vel tempori vel remediis etiam convenientissimis: Argumento certe evidenti pervicaci sacræ hujus fistulę tabi, auxilia medica esse, non solum infirma, sed, ausim dicere, nulla. *Tulpius observ. lib. 3. obser. 24.*

AN forte rectius hæc Tabes Succi Nervei vitio vel inopiæ adscribenda? Eum multi adstruunt, præsertim *Glisson* & *Willis*; *Lower* nec solum sanguinem ac unicum esse humorem qui in corpore animato distribuatur, sed laticem alterum à capite per nervos ubique per totum dispensandum requiri, qui aliquatenus saltem nutritioni conferat: Plures *ait Clar. Willis cerebri Anat. cap.* 20. sunt rationes quæ istiusmodi humorem cerebro ac nervoso generi inesse, & per totos eorum ductus scatere, declarant, Nisi enim spiritus animales jugiter emanantes in tali latice, qui illis pro vehiculo est, fundarentur, ipsi non essent contigui, neque animæ sensitivæ σύςαση connectere & continuare possent: 2°. Succi nervosi diffusionem, tendinum partiumque nervosarum vulnera & abscessus, quorum utraque ichorem tenuem, & excretioni mere sanguineæ prorsus absimilem exudant, testari videntur: Nec minus è gangliis & concretionibus strumosis hoc arguere licebit: Inter dormiendum prædictus humor in cerebrum ac nervos uberius influere eorumque meatus obstruere solet, ideoque evigilantibus, quo illius reliquiæ discutiantur, oscitationes ac pandiculationes crebræ superveniunt: Quod vero objicitur ejusmodi humorem non adesse, quia talis è nervis discissis effluere non percipitur; Quodque item nervi ligati non, uti arteriæ & venæ, supra ligaturam intumescunt: Referre licet quod liquor in nervoso genere scatens valde subtilis & spirituosus sit, quique à lucta & corrugatione circa istas partes, quando asperius tractantur, habitus interceptus facile evaporare ac difflari poterit: Tum præterea observare est in quorundam animalium carulis, quibus succus iste adhuc viscosus, nec ita facile difflabilis existit, eorum nervos majores, si vinculis constringantur, supra ligaturam intumescere. *Vide plura l. c.*

Duplex

Duplex est Hippocrati, altera ab immodica Venere) Eam sic describit, Dorsalis tabes, *inquit*, ex spinali medulla oritur, præcipue vero recentes sponsos & libidinosos corripit: febris sunt expertes, bene comedunt & colliquantur: Quod si ita affectum percontens, asserit sibi videri ex superioribus partibus à capite veluti formicas in spinam demitti, cumque urinam aut stercus reddit, semen genitale copiosum & liquidum ei prodit, neque generatio fit, & inter dormiendum, cum uxore dormiat necne, veneris ludibria patitur: Cumque alias tum præcipue per locum arduum iter fecerit, aut cucurrerit, anhelosus & imbecillis evadit, caput gravatur & aures sonant: Hic temporis progressu vehementibus febribus correptus perit ex leipyria febre. *Hæc Hippocrates*: De duplici hac Tabe vide lib. 3. tit. de Gonorrhœa: Hæc dum scribo neogamum juvenem præ manibus habeo, mercatorem aromatarium, cujus nomen prætereo, hac tabe detentum, quæ post profusam narium hæmorrhagiam emersit: Nullum vero signorum & symptomatum recensitorum ab Hippocr. desideratur, si copiam genitalis seminis effluentis excipias, quæ ab antedictâ hæmorrhagiâ accisa est: libidinem uxoris aperuit, quæ nec lassata viro, nec satiata recessit: imparem huic esse ostendunt habitus macilentus & strigosus, adeòque facilis & proclivis in tabem transitus.

Observatio CLVIII.

Tabes à Glandulis scirrhosis per totum corpus sparsis.

Puella propter Glandulas in toto corpore scirrhodes per Atrophiam mortua. *I. Sylvius in appendice isagoges anatom. varior. corpor. dissectorum.*

Glandulas in Naturales & Adventitias dividit *Warthon*; Has à succo nerveo originem ducere censet, ubi contingit nervi turgentis & repleti extremitatem, effundere materiam ejusmodi in carnium interstitia, materiam sic effusam statim formationem moliri, & primo sive cystim sive amiculum quo involvatur, effingere, à novæ vero materiæ confluxu earum augmentum. Vide Ejusdem Adenographiam, cap. 37. *Marcellus Malpighius* substantiam cutis habere ait Glandulas plurimas.

Observatio CLIX.

Mulieris Tabidæ abdomen pinguedine infarctum repertum est.

Venit mihi in memoriam apertio Virginis in Nosocomio Leydensi, quæ cum macie contabescens occubuisset, proscripta ad ferrum Dom. *Sylvii*, abdomen ostendit farctum pinguedine, visceribus interea proximis nutrimenti inopia fatiscentibus & contractis. *Olaus Borrichius observat. 92. Actor. Bartholini ann. 1671. & 72.*

Observatio CLX.

Tabes ab ossium apostemate nata.

Fateor plerosque Medicorum ignorare ossa, quantumvis solida, quasi phlegmone & apostemate quoque corripi posse, Quicquid enim nutritur, crescit, augmentatur aut influxus recipit, id quoque putrescere & apostemate aliquando turgere fatemur: Proinde *Avicenna & Galenus*, suo periculo edoctus, apostemate quoque distendi asserunt: Et Hippocr. empyemate os sacrum computrescere quoque novit, cujus putredine & incredibili doloris tyrannide duos, *N. VVurmhauser* in Neoburgo, & *Ioh. Castnerum*, afflictim & diu maceratos tandem contabescere & mori hisce oculis vidi. *Langius Epist. 42. Tom. 1.*

Quicquid enim nutritur crescit &c.) Generantur ossa ex seminis parte crassiore ac tartarea, seu terrea, & nutriuntur tartareis sanguinis particulis, ac medullosa pinguedine irrigantur: Sanguis autem ad periostea & ossium interiora affluit per arterias, ejusque inutilior residua pars per venas rursus, effluit: hunc in finem hæc vasa non solum plurimis extremitatibus circa periostea desinunt, verum etiam ipsa ossa penetrant, in eorumque interiores cavitates quoque sanguinem effundunt, in medullam succumque ossium nutritioni idoneum, mutandum: Et licet ingressus eorum in ossibus omnibus visui non pateat, manifestus tamen est in ossibus majoribus, ut humeri & femoris, quæ conspicuas habent cavitates ad medullam usque pervias, arteriis & venis transitum præbentes; Præterea introitus eorum in ossa etiam liquet ex sanguineo succo qui in diploide, seu media fungosa cranii tabula, necnon in costarum infantium, multorumque aliorum ossium interiore fungosa substantia reperitur; qui per nullos alios ductus quàm per arterias eo pervenire potest: Huc accedat Spigelii observatio qui Patavii in ossis tibiæ magna carie, substantiam ossis ab arteriola pertusam vidit: Credendum tamen censeo hujusmodi arterias in ipsa dura ossis parte rarissime conspici in adultis, forte quod ab increscentis ossis duritie paulatim magis magisque pressæ tandem penitus evanescant: in quibus tamen paulo majores adhuc insunt, eos occasione alicujus cacochymiæ facile incurrere ossium cariem, ab acri corruptoque sanguine ei per has arterias infuso: *De Diemerbroeck Anat. lib. 9. cap. 1.*

Observatio CLXI.

Tabes à causa abdita, salvis pulmonibus existentibus.

Joh. le Fuzelier Tabida matre natus, eo modo, eoque morbo & eodem tempore interiit quo ejus mater. In pulmonibus nihil commemorabile reperitur quod mortem attulerit. Mirum quod ante mortem ei contigit; Decem antequam è vivis excederet diebus tumidum corpus fuit, Tumor fugax erat, repetebat ex intervallis. Unde hoc? Leucæ videbantur esse, Tale quid in morbis funestis contingere solere agnovit *Hippocr.* 2. prorrh. Leucæ, *ait*, oboriuntur (supple in moritutis) in morbis funestissimis, cujusmodi est Phthisis. *Ballonius Parad.* 39.

Observatio CLXII.

In Tabido arteria cruralis sanguine destituta reperta est.

Κενεαγγείην, sive omnimodam vasorum inanitionem contigit mihi evidenter videre in emaciato ex sueci, ac vere ἐξαίμῳ eunuchi cadavere: Cujus arteriam cruralem offendimus, ut extrinsecus summe duram, sic intus asperam, inæqualem & omni sanguine destitutam: Eam autem inaniverat septuagenaria senectus. *Tulpius observat. lib.* 1. *cap.* 44.

Observatio CLXIII.

Tabes à lumbricis truncum venæ portæ obsidentibus.

Anno 1562. In mulieris cujusdam consistentis ætatis, quæ ad tantam maciem redacta erat, ut vix cute & ossibus hæreret, corpore quatuor lumbricos teretes spithamæ unius longitudine, in ipsum truncum venæ portæ se insinuasse, ac toti corpori alimenti aditum obstruxisse observavi. *Ex observationibus Adriani Spigelii.*

Observatio CLXIV.

In Phthisici corpore reperta Bronchii particula ossea.

Phthisico in corpore, 6. Maji. 1675. invenimus Tracheæ per Pulmonum substantiam distributæ particulam aliquam digiti longitudinem habentem, quæ osseam non solum duritiem adepta, sed & coloris ejus cujus ossa solent esse, h. e. candicantis erat. *Gerardus Blasius observ. med.* 6. *Part.* 6.

Observatio CLXV.

In Phthisici capite minimum cerebri aderat.

Si vasa cerebri male afficiuntur, aut sanguis transit in noxium, aut deficit, cerebrum vitiatur & quasi consumitur, Et hoc est quod vulgus tradat senio confectis minus, plus junioribus esse cerebri: Ego etiam in cujusdam Phthisico morbo mortui capite, minimum cerebri aliquando inveni. *C. V. Schneiderus lib.* 2. *de Catarrh. cap.* 2.

Observatio CLXVI.

Tabes in Phthisicis ossa etiam ipsa attingit.

Vidimus in tabefactis & consumptis ossa ipsa adeo manifeste nonnunquam macerata, diminuta exsiccataque ut non apparerent eadem quæ prius, *Ioh. Baptista Montanus comm. in* 2. *Fen.* 1. *Avicennæ.*

Observatio CLXVII.

Tabes varios & multiplices imi ventris affectus sequuta.

§. 1. Miles post inflammationem hepatis & fluxum hepaticum, tandem ad extremam Maciem perductus est: Inveni loco hepatis solam membranam ipsum investientem. *Vide l.* 3. *tit. de Dysenteria.*

§. 2. Sectus quidam diuturno morbo undique absumptus, Cujus Jecur omnino puttidum ac purulentum fuit. *lib.* 3. *tit. de hypochond. dolore.*

§. 3. Quidam

§. 3. Quidam post tormina in Tabem incidit, Erosa intus viscera ostensa. *lib. 3. tit. de Dysenteria.*

§. 4. Quidam patiebatur vomitum, singultum &c. tandem Tabidus obiit: In cavitate ventriculi nihil vivi invenio, sed saltem liquamen subcruentum: Pylorus totus erat exulceratus. *lib. 3. tit. de ventriculi dolore.*

§. 5. Quidam cachecticus, vomitu correptus, Tabidus evasit: Hepar fere totum erat putre, vesica fellis vacua, Porus choledochus præter modum laxus & apertus, Renes flavo colore tincti, parenchyma eorum lividum. *lib. 3. tit. de ventris dolore.*

§. 6. Mulier ascitica tabefacto corpore interiit, Jecur putridum est inventum: Inter peritonæum & intestina vesicarum strues. *lib. 3. tit. de ventris tumore.*

§. 7. Mulier post intolerabilem ventris cruciatum macie confecta est; Hepatis cavo tumor adnatus erat, ovum anserinum mole æquans. *l. 3. tit. de ventris dolore.*

§. 8. Adolescens querebatur de stomachi & hypochondrii dextri dolore, tandem in Atrophiam incidit, In vesica fellis aderant 22. Calculi. *lib. 3. tit. de ventriculi dolore.*

§. 9. Puellus febre, nimia appetentia, secretione per alvum superflua, hinc macie insigni affectus fuit: Hepatis insignis erat magnitudo, quod scirrhosum, ut & Lien: Glandulæ per totum mesenterium sparsæ scirrhosæ. *lib. 3. tit. de Diarrhœa.*

§. 10. Nobilis stranguria primo, post & febre correptus ad Tabem deductus est: In vesica repertus calculus ovi gallinacei magnitudine: In rene dextro alius: In sinistro abscessus suppuratus. *lib. 3. de urinis p. n.*

§. 11. Mulier deglutiendi difficultate laborans, tandem emarcuit: Inventus ad os ventriculi scirrhus, Mesenterium ex scirrhis conflatum, Omentum durum, Hepar scirrhis, sicut & Pancreas refertum. *lib. 3. tit. de Diarrhœa.*

§. 12. Conjux N. Diu inturgidum gestavit ventrem, cum totius corporis Consumptione: In abdomine, ultra mensuram aquæ, inventus est tumor insignis & latus: *Vide tit. de ventris Tumore.*

§. 13. Vetula plane extenuata obiit: cujus Hepar omnino putre, Intestino colo & fundo ventriculi tenacissime adhærebat scirrhus. *lib. 3. tit. de Hypochondr. tumore.*

§. 14. Mercator sesquianno conquestus est de deglutitione difficili, (*vide tit. lib. 3.*) tandem marasmo consumptus obiit: Tribus ab ore ventriculi digitis, œsophagus à cartilagine obturatus erat.

§. 15. Antonius N. Cibum emanducatum incoctum rejiciebat, unde ad Tabem deductus: Inventum est ventriculum ita junctis oris ad imam ejus partem occalluisse, ut nihil ad inferiora transmittere potuerit. *Vide lib. 3. tit. de vomitu.*

§. 16. Quidam quotidie vomitum patiebatur & in atrophiam incidit: In stomacho interne circa pylorum herpetem inveni. *Vide tit. de vomitu lib. 3.*

§. 17. Quidam obstructione alvi laboravit, cum vomitu nutrimenti, tandem contabuit: Repertus ingens abscessus steatomaticus circa fundum ventriculi. *Vide lib. 3. tit. de vomitu.*

§. 18. Puella consumebatur & dolores patiebatur circa umbilicum: Peritonæum eo in loco, quo dolores patiebatur, à sero acri & bilioso erosum fuit. *Vide lib. 3. Tit. de ventris dolore.*

§. 19. Joh. N. à tribus annis nil nisi liquida sumebat, cum dolore abdominis: Fartum erat colon cerasorum & prunorum nucleis, cum globulis plumbeis &c. Sic ex dissectione defuncti, præ macie sceleton referentis, apparuit morbum veneficio non fuisse adscribendum. *Vide lib. 3. tit. de ventris dolore.*

§. 20. Uxori N. insignis erat ventris tumor, ad atrophiam tandem deducta est: In abdomine repertus tumor ingens, qui exemptus libras 56. pendebat; Omentum in eam molem excreverat. *Vide tit. de ventris tumore lib. 7.*

§. 21. Nicolaus N. vehementissimis abdominis doloribus correptus est, sequitur totius Consumptio, In mesenterio sex tumores tunicati deprehenduntur. *l. 3. tit. de ventris tumore.*

§. 22. Quidam post multos & longos dolores tandem in hydropem siccum lapsus est: Glandulæ Mesenterii plane aruerant & tabuerant, unde nullum ex alimento fructum percipere poterat. *Ballonius Epid. lib. 2.*

§. 23. Vir diu querebatur de doloribus circa regionem ventris, qui tandem eum Tabe confectum deseruerunt: Inveni binas Mesenterii glandulas in magnam molem auctas &c. *Vide lib. 3. Tit. de ventris dolore.*

§. 24. Aurifaber laborabat dolore circa ventriculum, ac tandem marasmo confectus interiit: Repertus est ingens scirrhus, totum Pancreas & Mesenterii partem occupans, pylorum ac jejuni principium ambiens. *Vide lib. 3. tit. de ventriculi dolore.*

§. 25. Michaël N. Quartana laborans in Atrophiam incidit, Lien triplo major erat, flaccidus, sanguine nigro infuscatus. Circa ejus arterias glandulæ erant multæ quæ comprimendo ductus angustabant &c. *Vide tit. de Febribus. lib. 4.*

§. 26. Juve-

§. 26. Juvenis in lumbis & ventre dolores perpessus Pancreas habuit turgidum & extuberans, sordido pure ac pituita infarctum, Cujus pondere occlusis vasorum ductibus, corpus emarcuit. *Vide tit. de Febribus.*

§. 27. Vir Nob. nephriticus tandem ad summam maciem perductus est. In dextri renis pelvi calculus grandis, sinister sabulo prægnans &c. *Vide lib. 3. tit. de Lumborum dolore.*

§. 28. Joh. N. post febrem, dolores nephriticos sensim extabuit: Ren sinister lapide obsessus: alter justo minor & pene collapsus:

§. 29. Vidua N. nephritica, macruit multum: An verum illud à renibus febres marasmodes contingere. *Vide lib. 4. tit. de Febribus.*

§. 30. Puer ventre dolebat & urinas cruentas emittebat; ac tandem consumptus obiit: Renum sinister totus arenulis refertus cum duobus calculis. *Vide lib. 3. tit. de urinis p. n.*

§. 31. Celeberr. Heurnius Ischuria affectus est, & licet urinam postea reddiderit, tamen nonnisi cum cruciatu & stillatim, donec prorsus emaciatus obiit. In vesica septem sunt reperti calculi insignes. *Vide lib. 3. tit. de mictione difficili.*

§. 32. Uxor N. acutos passa dolores in abdomine & circa inguina, tandem Tabida moritur. Vesicam invenio sphacelo correptam, in qua calculus magnus & alius minor. Vteri ligamentum latum dextri lateris erat ruptum, unde uterus inclinabat valde. *Vide lib. 3. tit. de dolore Hypogastrii.*

§. 33. Mulier se utero gestare credebat, tandem post 16. menses emaciata interiit: Vterus mire erat distentus, In cujus capacitate interna massa quædam carnea inerat. *lib. 3. tit. de ventris tumore.*

§. 34. Vxor N. fœtum mortuum quinque menses retinuit, successit Febris, Tabes &c. Fœtus computruerat cum involucris & ipso utero. *Vide lib. 3. tit. de Partu difficili.*

Observatio CLXVIII.

Phthisis ortum trahens ab exesa Epiglottide, unde pulmones flaccidi laxique evaserunt.

Aristoteles, sublata Epiglottide, & aëre continuo sublapso certus fuit fieri Phthisin: facit autem huc historia & observatio in Turonensi viro, cui per Syphilidem exesa epiglottide, dum descenderet cibus aut potus, vitæ discrimen per plures annos fuit: Cumautem liquida perpetuo fuerint ipsi voranda, execto post obitum cadavere, modica & solemnis inventa in pericardio fuit aqua, pulmonibus admodum flaccidis laxisque, defœdato insuper colore. *Marcus Aurelius Severinus, Collegii Anatomici pag. 10.*

ADDITAMENTA.

Observatio I.

Marasmus à Pancreatis Excrescentia mira mesenterii glandulosi.

Puer Illustri domo natus, uberibus adhuc hærens, circa initia anni 1676. hypochondria primum tensa, hinc hepatis duritiem insolentem, & conjectura scirrhosam circumscriptione sua ostendebat, quæ postea diffundebatur & excrescebat in varios tumores indolentes per totum abdominis latus dispersos, friabiles simul, strepentes & arenulosos, quorum unus infra umbilicum, & duo sub hepate (quod jam amplius distingui non potuit) prominebant: alius circa rectum musculum sinistrum mobilis erat, ita ut ab hypogastrio ad sternum usque posset protrudi, statim sponte descensurus, qui omnes tandem depressiores, molliores & tenaciores facti per alvum videbantur secerni, salva etiam interim manente respiratione & appetitu satis bono, optimáque adeò spe, nisi eam *consumptio insignis* prostravisset: malo ergo huic statim unguento cardiaco, hinc emollientibus & discutientibus ungu. atque cataplasmatibus, itemque emplastris ex ammoniaco atque similibus, datis simul aperientibus, & laxantibus, tam puero quam nutrici, repetitisque clysteribus, externis ergo & internis, &c. verum his omnibus nihil aliud est profectum, nisi quod Augusto mense alvus plurima mucosa, ramentis cruentis mista sæpissime de die excerneret; puer vero interim totus consumptus 21. dicti mensis obiret placidissime.

Distractas igitur medicorum opiniones de casu isto ejusque causis, cum alii glandulosum in genere, alii in omento, alii in mesenterio, alii in subcutaneis hærentem partibus, alii hepatis scirrhum statuerunt, non verior index quam iste sectionis culter potuit dirimere: Aperto itaque abdomine in oculum, quantum sectione superficiaria ille festinans potuit judicare, prodiit glandulosa excrescentia totam abdominis dextram partem implens, retrudens intestina sinistrorsum, & colum ipsum, quod sub recto musculo latens, flatibusque plenum prementi digito cessit & retrocessit, reprimensque jecur ipsum, immensum quidem,

dem, sed cætera sanum ad superiora, unde postea ipsius figura & circumscriptio evanuit. Ea vero excrescentia, tecto omento, in sinistra parte putrido, musculis abdominis & spinâ adnata, initium cepisse circa Pancreas videbatur, quod ibi vasa ampla essent, in varicosos dispersa ramos, & abdomini adnatos, quales etiam circa ilia, seu desinentes, seu incipientes erant, cavitates insuper magnæ, & ductus, crassis quasi arteriarum tunicis vestiti, glandulæ denique lacteæ & sibi æquales: Ren autem dexter, seu glandulis tectus, seu sua spongiosa carne conversa dignosci non poterat à glandulis aliis, quæ modo lacteæ, modo purulentæ, modo cruentæ, modo lividæ aut fuscæ, quibus intermistæ vesiculæ plurimæ sero impletæ; sinistro interim Rene magno & salvo superstite: mesenterium ipsum millenis majoribus, mediocribus, minimis glandulis refertum fuit. Lien innoxius & vividi coloris, ut nec inde mali aliquid traxisse Pancreas sit suspicio; cum *Highmorus* testetur Liene affecto vix aut nunquam integrum evasisse, plerumque enim simul obstrui, vel scirrho affici. Pulmones non plane incolumes, sed inflammati retro & quodammodo rubri: Tumor vero ipse exemptus magnitudine duorum pugnorum, seu quantum ambæ manus capiunt, septem libræ civilis quartas pependit; *Salomon Reiselius in miscell. curiosis anni* 1677. *Observ.* 31.

MEretur itaque observari, quod ejusmodi non facile occurrat, quemque nemo medicus in vivo puero potuisset conjicere, & si cognovisset, non facile juvare, neque causam illius indicare, nisi forsasse vel ab impressione aliqua matris, quæ dum gereret embryonem hunc, in dextro latere sæpe sentiens dolorem acutum, musculos inibi ad nauseam usque spectantium prehendit & traxit; vel à nutricis quadratæ & obesæ lacte crasso obtigisse quis sibi persuadeat. *Riverius* equidem cent. 3. obs. 35. tumorem, Pancreatis titulo notat, quemque ex compressione vehementi sub ventriculo latentem ex doloris & sedis angustiis conjecerit, eumque chalybeatis & martiatis curatum laudat; sed ipse demum agnoscit illam symptomatum, dyspnoeæ vid. & pectoris angustiæ causam, per contactum exploratam, non plane sibi satisfacere, neque alio indicio demonstratam scribit *Riolanus Thuani* Pancreas hepar pondere & mole æquasse scribit. *Borellus* ex *Cuttiero* Pancreas stupendæ magnitudinis citat: At cur in hoc puero nulla alia præter consumptionem gravia symptomata, nec dolor, nec dyspnoea apparuerint, mirum; Cæterum in Pancreate plurimorum, gravissimorum malorum occasionem esse facillimam visceris conditio suadet, quandoquidem in glandulis multas occultorum morborum causas hærere quotidie experimur: *Reinerus Grafius* Tract. de succo pancreat. statuit esse plurium morborum causarum, sua fluiditate diarrhœa, spissitate ventris adstricti, nimia dulcedine laxitatis sanguinis; nimia aciditate spissitatis, itemque omnium febrium cum pituita vel bile conjunctum *Idem.*

OBSERVATIO II.

Phthisici intereunt, non à puris copia suffocati, quod præ virium debilitate expectorare nequeant, cum paucum à morte reperiatur in Pulmonibus.

§. SI quis Phthisicorum cadavera secuerit, non ita multum puris reperiet in ipsorum pulmonibus, eorundemve ulceribus, à quo credi possit suffocatus æger: *Franc. de le Boë Sylvius Tract.* 4. §. 133. *Appendicis ad praxin.*

INter signa mortem instantem indicantia, illud est ex aphor 16. lib. 7. quando Purulentum sputum retinetur, nec amplius excernitur; quod plerisque *Galenum* secuti, existimant fieri, quatenus ab illis sputis, in pulmonibus retentis, Respirationis viæ obturantur, & idcirco ægri suffocantur: Non negaverim ego, eorum scil. quæ in ægris observavi memor; catarrhos pituitosos, viscidosque copiose ad Pulmones delatos, atque in ipsis hærentes, suffocare posse ægros, quin idem à pure, ex vomica vel abscessu in pulmonibus nuper rupto effluente aliquando accidere: verum idem in perseverante pulmonum ulcere, absque comite catarrho, recente, à solo pure in ulcere in dies orto fieri, vel unquam factum non puto constare observatione ulla accurata facta: Quare id, ab experientia edoctus multifaria afferam quod Chirurgis operis attentis notissimum est, *Ulcera omnia qualiacunque paulo post mortem parum vel nihil puris producere*, unde inter signa lethalia, quinimo mortis propinqua, enumerarat ille puris in ulceribus defectus. Non quod in ulceribus coacervetur tunc pus, sed quia in ipsis non producatur amplius, unde labia sicca occurrunt, minime humida & pure madida: Id quoniam in omnibus ulceribus oculis patentibus accidere quotidiana testatur experientia, cur similiter phthisicis evenire dubitabimus? Postquam utrobique similes observamus effectus, mortem puta subsequentem atque defectum magis quam cumulum: Si quis enim &c. (*vide textum*) Adde quod præter inspirationis difficultatem, toto affectus decursu, atque molestiam; nullum grave morientes phthisicos soleat infestare symptoma, ex quo suspicio vel minima peti queat suffocationis prægressæ: Censeo ergo, quod vulgo Naturæ nescio cui fatiscenti adscribitur, quærendum esse in humoribus ad vitalis ignis in corde, adeoque vitæ conservationem absolute necessariis aut deficientibus, aut ita vitiatis, ut igne vitali sensim languescente antequam plane extinguatur: Sanguis primum operibus suis præstandis plane ineptus factus, tum partibus ipsis, læsis præsertim, calorem vitalem parcissimum promat, tum ipsi puri generando materiam paucissimam largiatur, unde fatiscente in parte inprimis pejus affecta vita, mirum non est, si & pus in ea ulcerata produca-

tur quam prius parcius, hinc potissimum tandem nullum, atque sic imminentis mortis præbeat signum certissimum. *Idem ibidem.* Huc refer observationem lxxvij.

OBSERVATIO III.

Phthisis in Puero à viscerum omnium vitalium & naturalium labe, cum hydrope.

PUer quidam ex Orphanotriphio ubi quotidiano labori vacabat, morbo periculosè decumbens in Nosotrophium mense Junio anni 1677. sanitatis recuperandæ ergo adductus fuit, conquerebatur tum præcipue de *Sputo sanguinis* purulento, difficultate spirandi, siti intensa, & appetitu prostrato; pulsus erat celer, debilis & inæqualis, facies ex subatra pallescebat: Utrum pleuritidem præcedaneam passus sit necne edoceri distinctè non potui; sufficere debuerunt Peripneumoniæ in phthisin terminari incipientis manifesta indicia, unde potionibus pectoralibus, quæ vulnerariæ erant & antiphthisicæ, conservis item roborantibus & adstringentibus iisque quæ putredini resistunt certatum fuit unice, sed malo Naturam vincente.

Involucris infimi ventris dissectis cum Epiploo, quod putridum erat, deprehendimus hepar p. naturalis omnino magnitudinis, parte cava corruptum & putrescens, una cum cystide fellea quæ gelatinam referebat: succus tamen effluens subater erat, viscidiusculus, parum spumosus: In hypochondrio sinistro *Lienem* invenimus tumidum, flaccidum, corruptum, & quoad interiorem substantiam nigricantem: *Pancreas* sub ventriculo vidimus maximum, glandulis insignibus & duriusculis superbiens: *Mesenterium* erat gelatinosum omnino, maxime quoad extremitates, quibus intestina cingit: Gelatinosus hic humor intestinalium cellularum externam faciem plane cingebat, ipsamque mesenterii substantiam tantopere occupabat, ut difficile fuerit omnino vel vasa mesenterica, vel ipsas glandulas detegere: In ipsa hujus ventris capacitate ingens extitit seri copia, quæ integumentis discissis qua data porta fugam dare cœpit, non tamen ita fœtidum uti in nupero spirans odorem, cætera hujus ventris satis rectè habebant, Diaphragmate superato multum aquei humoris è thorace erupit, neque facile fuit *Pericardium* à sterno, cui firmiter cohærebat, absque ruptione separare, In *Pericardio* aquam adhuc copiosam reperimus; quæ autem via per thoracem apertum versus inferiora vergebat: Pulmonum lobus uterque putridus erat & corruptus præsertim sinister. *Ioh. Iac. Harderus Exercit. Anat. med.* 10.

VIdentur in hoc ægro peccasse Ventriculus, Intestina cum suis glandulis, Pancreas & Cor cum suis partibus ancillantibus potissimum: An vero Phthisis demum post, ex copia seri acris & corrupti in thorace stagnantis provenerit dubium; id certum est ægrum de tumore ventris ullo querelas nunquam movisse, Certe œconomiam vitalem principaliter laborasse quis dubitat? *Idem.*

Hæreo in ea sententia Phthisin hydrope fuisse priorem, nam pueros sine cordis aut pulmonum gravi affectu hydropicos fieri rarum est. Sed & præcedens pleuritis, ac forsan peripneumonia, quid nisi pulmones affectos arguit: rarum enim hydropi supervenire pleuritidem legitimam; Præterea aquæ in pericardio & thorace tantum nunquam fuisset collectum judicio meo, nisi præcordia antea fuissent infecta; Denique sputum sanguineum ac purulentum, respiratio difficilis, & nulla de aquis prementibus aut fluctuantibus ægri querela confirmant sententiam &c. *I. Conr. Peierus Ibid. Exerc. x1. p. 56.*

OBSERVATIO IV.

Phthisis à tribus abscessibus in parenchymate Pulmonum latentibus, cum duplici Liene.

ANte aliquot annos, cum adessem dissectioni cadaveris Filii Dom. de la Iarrie, qui Phthisicus interiit, præter tres abscessus in parenchymate Pulmonis latentes, *duos* observavi *Lienes*, quorum substantia & color omnino naturales erant: Ab invicem distabant latitudine transversi digiti, etsi revera illos conjungeret ligamentum membraneum, non multum absimile ab intersectionibus nervosis musculi dextri *D. Du Puy Zodiac. med. Gall. ann. ij. obs.* 14. *Iul.*

DUos Lienes) Quisque illorum cum donatus esset seorsum propriis vasis, ex plurimorum autem mente, succus Liene contentus vim fermentativam cum obtinear, quæ ebullitionem in sanguine excitare apta nata est, ad modum verosimile est prædictum succum, majori quam decet copia genitum, quod duplex esset Lien, causam fuisse inflammationis Pulmonum, ac proinde dilacerationis acinorum & vesicularum orbicularium ex quibus componuntur, demum corruptionis sanguinis quo eorum substantia imbuitur: Inde colligendum videtur, duplicitatem Lienis Phthiseos primariam fuisse causam, ac proinde ægri interitus: Id porro, eo verisimilius est quod asthma, Phthisim ut plurimum præcedere solitum, frequentissime ortum ducit à vaporibus è Liene excitaris. *Idem.*

Duos Lienes] Lienem duplicem nuper in cadavere puellæ decennis reperi. *Ioh. Iacobus Harderus Exercit. Anat. & med. xljx.*

Observatio V.

Tabes à Renis dextri purulentia, in cujus sinu sexdecim lapides continebantur cum Pulmonum Gangrænosi.

Anno 1645. xxij. Decembris obiit Sacrationis à ærarii vicarius, cui nomen Joh. Baptista Lambert, abnepos medici Parisiensis, & Nepos Dom. Guillemeau, Collegæ nostri; illi à consiliis medicis fui ante octennium. Tabidus obiit citra vim & dolorem; concessumque illi tempus de rei domesticæ consulendi: Nummorum ter decies centena millia possidebat.

Ren dexter omnino illi erat consumptus & purulentus, in cujus folliculo continebantur sexdecim lapides, quatuor unciarum ponderis. Pulmo quoque gangræna erat obsessus. *Guido Patin Epistol. Gallice editarum 1.*

Observatio VI.

Phthisis ab ulcere pulmonis in dextro lobo, cum purulentia per substantiam diffusa, & vomica insigni in lobo sinistro, cum copia bilis per totum abdomen diffusa.

In Uxoris D. Berjon, cæsarietum, vel comatum adscititiarum (Perruques) concinnatore, quadragenariæ, quæ post diuturnum languorem, hæmoptysin &c. phthisica obiit anno 1679. xx. Maij, in cadavere repertum est in dextro lobo pulmonis parte media, insigne ulcus, ovi anserini capax; purulentia per totum parenchyma diffusa erat: In dextro lobo vomica grandis, ovo gallinaceo par, pure referta, reperta est: Jecur insignis magnitudinis totum sinistrum hypochondrium obtegens, bile diffusa oppletum: Eadem & ventriculus, & intestina omnia infarcta erant: In Testibus Ova reperta sunt, quorum unum; insigne è localo exciderat, lac in iis tubæ uterinæ proximum ac pene insertum.

Observatio VII.

Phthisis ab ulcere pulmonis, præcedente hæmoptysi & mensium suppressione.

Anno 1679. 19. Maij mensis obiit Genevæ filia D. D. Huguetan Jurisconsulti Clar. annos nata xviij, quæ post suppressionem mensium hæmoptysin passa est mox tabem lethalem. Apertum cadaver, sed festinanter & oscitanter examinata viscera; observatum tamen omentum putridum & lacerum, Intestina flatu distenta & pellucida, Jecur albicans, magnitudinem naturalem excedens: Lien sine labe, quamvis melancholica aliquot pathemata illi adscripta fuissent: mesenterium tenue, glandulis tumidis & magnis obsitum: Pulmonum exterior facies sine vitio, sed dextro latere intus omnino purulenti erant, ut saccum pure refertum referrent: dextrô lateri ægra nunquam incumbere potuit: Adfuit præterea hydrops pectoris & abdominis, quamvis hoc nequaquam intumuerit; Pericardium quoque aqua multa distentum erat. Uterus magnitudinis juglandis nucis, externa superficie lividus.

Observatio VIII.

Tabes à denegata chyli per carneam Intestinorum crustam percolatione.

Læditur chyli percolatio, si abrasa est hinc inde crusta carnea intestinorum, & illi subjecta intestini pars cicatrice obducta, occlusis simul ad lacteas venas tendentibus poris; id quod nonnunquam evenit post fluxus dysentericos graves, in tenui intestino inprimis excitatos, sicut non semel post mortem in cadaverum sectione observavi: Solet autem hoc malum consequi aliqualis, & quandoque notabilis corporis macies ad vitæ finem perdurans, nec obesis quoque ventribus parcens. *Sylvius Idea prax. lib. 1. cap. 16.*

Observatio IX.

Tabidus puellus ob varium & multiplex cordis vitium.

Et calculo & morbis aliis affici cor confirmemus: Testabitur id puellæ quadrimestris à me 17. Martii anni 1668. exsectum corculum, quod tota substantia sua inveni præter morem flaccidum, In mucrone gravatum excrescentia quadam, quæ colore variegato carcinomatis naturam induisse videbatur: præterea circa eam partem ubi arteria magna exoritur, vesicula propendebat, duplici tunica instar ipsius arteriæ prædita, in qua succus continebatur amaritudinem aliquam resipiens. *Th Kerkringius Observat. Anat. 87.*

OBSERVATIO X.

Ulcera Pulmonibus citra sensum doloris inducuntur, ut inde eos sensu destitui evincatur.

ULcera ab erodentibus humoribus Pulmoni inducta sine dolore existunt, licet externa tunica etiam erodatur, quod publice in theatro Anatomico ostendimus, annis 1660. & 1663. in duobus corporibus, quibus adeo ulcerosi erant Pulmones, ut vix dimidium visceris superesset, qui tamen homines quamdiu in Nosocomio nostro decubuerant, de nullo insigni Pulmonum dolore unquam conquesti fuerant: Illud ipsum quoque in phthisicis aliis in Nosocomio à nobis demonstratum, & in phthisicis quotidie conspicuum est, in quibus non solum interiorem substantiam, sed frequenter etiam exteriorem Pulmonis membranam sine eximio dolore exulcerari per autopsiam & experientiam novimus. Præterea habuimus bis terve cadavera, quæ peripneumonia fuerant extincta, in quibus unius lateris totus Pulmonis lobus, una cum exteriore membrana inflammatus reperiebatur, & tamen isti dum viverent de nullo acuto dolore conquesti fuerant, qui tamen necessario adesse debuisset, si modo verum foret quod tradit *Regius* 2. Instit. c. 11. ab inflammatione membranæ Pulmonem vestientis acutissimum dolorem excitari. Ad hæc vulnera pulmonem transeuntia, qualia plurima in castris & extra vidimus, etsi membrana sit perfossa, sunt tamen sine eximio pulmonis dolore, & quicunque in iis adest dolor illum duntaxat in pleura & musculis persentiunt ægri. *De Diemerbroeck Anat. lib. 2. cap. 13.*

OBSERVATIO XI.

Phthisis ab ulcere, induratione, purulentia Pulmonum cum Ventris Tumore Asciticas vesiculari & Hydrope Thoracis.

APerto abdomine mulieris xxx. annorum, *Phthisi, Hydrope thoracis*, Ascite ac vesiculari extinctæ, in ejus cavitate libræ aliquot (ad summum 6. 7.) aquæ reperiebantur, & quidem clarissimæ instar fontanæ: Crustæ spongiosæ pellucida, clara, turgescens & quasi vesiculis inclusa aquea materia, sperma ranarum, sive mediam citri substantiam ac pinguedinem quasi resolutam referens; innumeris capillamentis ac fibrillis, partim rubicundis partim albicantibus, sed omnibus linea recta à crusta spongiosa in mesenterii substantiam vergentibus, erat adnata, quæ dicta materia per totum mesenterium continuabat, ut & circa renes, copiosissime vero circa intestina crassa adhærebat: Hæc vesiculæ materia aquam contentam nonnisi ad fortiorem sui compressionem, & quidem in loco tantum compresso maxime claram præbebat: Renes longiusculi conspiciebantur, sinister substantia nonnihil solito compactior, interius cruda, sanguinolenta ac serosa erat: Quatuor in utroque latere binis; instructa erat ureteribus: Intestina, mesenterium, diaphragma, & omnia in abdomine contenta membranosa summe erant albicantia: Peritoneum duplo vel triplo solito erat crassius, adeoque validum, ut etiam cultelli aciem ac cuspidem acerrimam respueret: In mesenterio lateris dextri, paulo supra umbilicum, sanguineo atra macula thaleri magnitudine erat conspicua: Pancreas nonnihil induratum, Lienis color internus admodum niger: Hepar quoad colorem & substantiam apparebat sanum; Bilis vero crocei sive vitellini erat coloris & admodum viscida: Vesica urina vacua, Uterus oblongus, Testiculi indurati: muliebria sive pudenda, madida, turgida, rubicundissima ac corrosa, ex materia acri, aquea, quæ, ut videbatur, continuo illa loca irrigaverat: Horum labia externa in latere altero erant divisa; uteri vagina adeo erat mollis, ut stylus ad levem quamque immissionem eam perforaret: Pedes tumentes ea adhuc viva paulo ante ejus obitum detumuerant: In dissectione Thoracis, & quidem primo lateris dextri aquea, turbida, innatante materia furfuracea, cum impetu, ob ejus lateris repletionem, erumpebat materia fœtens: Latus sinistrum vix dimidiam vel tertiam aquæ partem, respectu lateris dextri continebat, ast clariorem, pericardium ex nimia repletione quasi splendebat: Lobus Pulmonum dexter nigricabat, furfureaque materia hinc inde erat obductus, superiori parte erat adnatus, ubi etiam adhuc ex ulcere aperto pureque repleto pus promanabat: Totus hic lobus erat induratus ac friabilis instar hepatis cocti, ac intus materia purulenta, hinc inde viscida indurata frustulatim collecta apparebat: Lobus sinister purulentam spumosam continebat materiam: Cor pinguedinem hinc inde habebat adnatam, ut in statu naturali, sed sanguine erat vacuum, ut & vena cava circa cor sanguine depleta. Sectio facta 23. Martii 1674. *Simon VVarinbold in Actis Danicis anni 1679. Observat. xxxiij.*

Observatio XII.

Phthisis ab ulcere pulmonum insigni &c.

JUvenis 28. annor, temperamenti calidi & sicci post varios in diæta commissos errores incidit elapso elapsi anni 1676. autumno in diarrhœam, à qua idoneis medicamentis liberatus, conquestus circa instantis hyemis tempus de ingravescente tussi & virium imbecillitate; accedit postea pallor & macies totius corporis insignis, cum miti calore totius corporis, sputum ejicit sordidum, crassum, viscidum & pituitosum, non tamen cruentum aut purulentum, dolor nullus apparet in pectore, appetitus est bonus, urina à naturali non aliena, pulsus autem parvus, frequens & imbecillis, tandem & respiratio difficilis, & paulo ante obitum *convulsiones* cum delirio accessere, & die 15. Septembris anni 1677. postquam per integrum anni spatium morbo hoc laboraverat, placide obiit. Quæsitus de affectu qualis esset, Phthisin incipientem, tempore hyemis anno 1676. affirmavi, exhibui etiam medicamenta idonea quibus mediantibus bene se habebat, ut etiam mense Martio anni 1677. exspatiari posset, nihil aliud quam de tussi continua & molesta, macieque corporis conquestus. Hortabar tum temporis ut in usu præscriptorum medicamentorum perseveraret: Accedit autem tum temporis homo incognitus, *Roserus dictus*, qui illotis manibus in Apollineam irruit artem, hic ægro magno verborum apparatu persuadet affectum supra dictum non esse Phthisin, sed hepatis obstructionem, philtrumque illum accepisse affirmat, Ægrotus Phthisi, à cujus nomine semper abhorrebat, se carere lætatur, & de tussi sedanda sollicitum jubet esse medicastrum; verbis ægroti obtemperat ille & statim opiata exhibet medicamenta, singulis propemodum diebus continuanda, quibus mediantibus Tussis sedatur; Hisce ad appetitum excitandum ad jungit nescio quæ (acria erant & acidissima) medicamenta, quæ alternatim cum opiatis propinat, interjecta quandoque dozi: margaritarum trochiscatarum Minsichti, additis sæpius exhibitis vomitoriis, semperque, licet omnia Phthiseos signa ingravescere viderentur, phthisin adesse negat ad ultimum usque ægri halitum, imo post mortem quoque: Hisce permotus Illustriss. Comes de Schvvartzburg &c. cadaver mortui aperire jubet, præsente hoc medicastro.

Quo aperto, in infimo ventre 1. Membranas, Peritonæum, & Omentum ambas erosas & putridas invenimus 2. Intestina à flatibus mirum in motum extensa, iisque adhuc plena; 3. Bilem nimia quadam quantitate excedentem, ita ut magnitudinem ovi anserini vesicula ejus æquare videretur: Renes succenturiatos scirrhosos; Reliqua autem viscera omnia sana & incorrupta, Aperto vero Thorace, totam Pulmonis substantiam plane corruptam & exulceratam deprehendi, & membranam pulmonis dextri sponte sua ruptam; ipsa Pulmonis mole, tumida nimium quantum erat, minime subsidens, totaque materia purulenta plena, Tantamque in molem excreverat Pulmo, ut libras quinque ponderis civilis penderet, id quod à prohibitione sputi, & coagulatione materiæ purulentæ procul dubio evenit, & crebræ exhibitioni opiatorum adscribendum.

OPiata exhibet) optium dicente *Rolfinkio* l. 4. Chimiæ in Artis formam red. sect. 3. Cap. 6. Tusses inveteraras, etiam sanguineas inhibet; in phthisicis ab ulcere pulmonis cohibet, & sputum sistit, unde periculosa ejus exhibitio: Suffocantur inde ægri non raro, qui unum aut alterum diem supervivere potuissent: Cum quo & consentit Nobiliss. D. D. *Wedelius* l. 2. Opiolog. sect. 3. cap. 3. inquiens, Ægro debilitato, vel phthisica ulcerosa dispositione laboranti opium, sputum dum supprimitur, viaticum est ad vitam æternam; Id quod eventus & tristis experientia in hoc ægro satis confirmavit *Benjamin Scharffius miscell. curios. anni 9. Observ. 103.*

Observatio XIII.

Tabes ab aquis in Thoracis cavum effusis.

SÆpe vidimus macie maxima peremptos homines thoracem aqua plenum habere, ut ea ad septem libras accederet: *Guarinonius consult.* 316.

Observatio XIV.

Phthisis inducitur à pituita pulmones exedente, eosque exterius ambiente, ut pectori toti agglutinentur.

DUlcis catarrhus glutinosusque, diu ex capite illabens, pulmones pedetentim exedit, & in tabum vertit, nam ibi cunctando putrescit ac acris evadit; Vidi in sectis cadaveribus plusquam

plusquam tricies pulmonum ambitum viscosa lentaque materia obductum, adeo ut pectori pulmonem agglutinaret. *Heurnius de morbis Pectoris cap. 6.*

HElmontius lib. Catarrhi deliramenta inscripto §. 39. *eos explodit qui catarrho è capite delabenti phthisi adscribunt, & quod ex pulmone fertur id totum cerebro tribuunt, cum subinde uno mense plus ejiciatur per tussim quam sit ampla thoracis tota cavitas*: Sed qui hoc docuerint ignotum est nobis, inquit *Rolfinkius* Epitomes methodi cogn. & cur. partic. corporis aff. l. 1. patt. 1. c. 7. *Heurnius* tamen in præcedenti historia caput non ut foventem tantum causam agnoscere videtur, sed tanquam præcipuam, *Hippocr.* sequutus lib. de *Glandulis* t. 9. *Riverius* ut inde ulceratio sequatur, duo requirit, 1°. ut materia influens talem habeat dispositionem, ac temperiem, ut per putredinem insignem acquirat acrimoniam quæ exulcerationem efficere valeat; monet enim non semper pituitam putrescentem in pulmone illum exulcerare, quod sæpe in catarrho videamus pituitam putridam excerni, cum tamen pulmo nullam læsionem conceperit. 2°. requirit ut concurrat mollis prætermodum, tenella, ac corruptioni parata illius substantia, ab ortu ut plurimum contracta. *Sylvius de le Boë* catarrhum Phthisin inducentem ait esse acidum vel falsum, à quo corrodatur ocyus, serius membrana asperæ arteriæ interior in quam illabitur, mox & ejus substantia, donec sensim pertingat in ipsum pulmonum parenchyma ubi ulcus gignatur. An vero pulmonum ambitum ambiens pituita, à cerebro arcessenda sit, ut vult *Heurnius* dubium.

Observatio XV.

Phthisis vulnus Pectoris sequuta ob Pulmones violatos.

CIrca medium Julii allatus est quidam excubiarum magister, phthisicus deploratus, cui per literas suasi ne se huc portari curaret, potiusque in loco ubi sit medicamentorum à me ordinatorum usum continuaret, nam certo certius ipsum ex motu & agitatione accelcraturum sibi mortem, id quod factum, nam vix per quatuot vel quinque dies hic commoratus tabe confectus extinguitur: Transfossus ille ante triennium in duello gladio sub mammilla dextra, unde male à medicastro Apella tractatus, vulnete quidem extrinsecus brevi coalescente, subinde gravitatem in pectore sensit, donec elapsis aliquot mensibus in sanguinis sputum incideret: hinc diversa adhibuit pectoralia, vulnetaria, consolidantia, nihilominus tabidus factus est, abdomine & lateribus ita induratis ut vix manibus comprimi potuerint.

Apertus post mortem infimus venter nihil continebat quicquam quod causa posset esse hujus duritiei, præter serum aliquod subcitrinum sat copiosum quod sæpius jam in thoracis & pulmonum obsetvavi vulneribus; qua via autem salvo & integro diaphragmate serum hoc, procuIdubio ex grumoso sanguine resultans, in ventrem delabatur non video: Remoto sterno, Pulmonum sinister lobus prope totus erat absumptus, quod reliquum erat pugni magnitudine putridum, sanguinolentum, nec formam nec figuram pulmonum habebat: Dexter lobus integer adhuc, sed tamen exulceratus, purulentus, inque hoc apparuit ictus gladii adeo recens, ac si eo demum die factus fuisset. *Carolus Rayger in miscell. cur. anni 1672. observ. 61.*

T*Ransfossus sub mammilla dextra*) Vulnera pulmonum etsi inter lethalia non referat Senex, 6. aph. 18. ex illis tamen, si magna & penetrantiora, mori docet in Coacis; Rationem reddit *Sebisius* in exam. vulner. quod licet homines ex vulnere non statim intereant, tamen fiant empyici, phthisici, sicque lenta pereant morte; verissimum hoc esse probat historia, constat itaque vulnera profundiora pulmonum ut plurimum esse incurabilia, nam quæ afferuntur historiæ ex *Hildano, Fallopio, Foresto*, & inprimis ex *Platero* obs. lib. 3. p. 755. de phthisico à pulmone vulnerato, & corrupta illius portione per vulnus exeunte, curato, raræ sunt, magisque in admirationem quam consequentiam trahendæ *Idem.*

Dexter lobus integer &c.) Quod non hic prius quam sinister computruerit, puto factum quod gladius usque in sinistrum mucrone penetraverit, ibique concidentibus partibus laxis & mollibus, extravasatus sanguis, dum evacuari nequivit, ulcus excitaverit, sensimque depaverit illam partem; cum è contrario dexter per foramen satis magnum se purgate potuerit. *Idem.*

Observatio XVI.

Tabes in febribus aliquando contingit ob venosam arteriam materia viscida oppletam.

ILlustris Dom. *Lucretia de Marchettiis* febre continua longa, cum maxima sputi copia, affecta, Suffocatione tandem extincta est, cum bis summos labores spiritus angustia attulisset forte pulmonibus, ad se materiam à toto corpore sua laxitate, sua agitatione & intemperie calida attrahentibus, qui pro genere materiæ vel duri inflammatione fiunt crisin perversam recipientes, vel vena atteria glutine solido completa alimento privantur, quæ in multis cadaveribus sola febre consumptis vidi.

§. 2. Vidi-

§. 2. Vidimus nos sexcenties in cadaveribus è cordis sinu dextro in totam venam atteriosam omnemque ejus ramos divisam pituitam glutinosissimam ; ac tam tenacem ut detracta è venis illis adhuc illarum figuram & divisionis formam omnem distributam in ramusculos tanquam solida arbor retineret. Pulmo enim tum motu suo assiduo, tum laxitate corporis, non solum admittit quicquid à corde sese exonerante expellitur, sed etiam attrahit, maxime vero sub febribus id evenit, sub quibus exagitatum cor ad se omnium venarum excrementa attrahit ; ex se robustissimum omnium corporis partium, facile in laxos Pulmones ; & attrahentes sua dilatatione rejicit ; unde author lib. de Theriaca ad Pisonem, ait quod materia podagræ cohibita, ne ad pedes fluat facile in Pulmones converti solet : *Guarinonius Consult 334. & 355.*

Hinc colligit cum tanta sit facilitas confluxus à toto corpore in pulmones, necesse non esse ut semper frigidam capitis intemperiem statuamus, cui fluxionis originem adscribamus. Ac sub longis affectibus rheumaticis dicebat *Galenus* quòd vis rectrix totius corporis necessario male habet, ut pulmonibus quoque rheuma excipientibus id commune statuetet ; itaque à toto corpore venire tantam copiam tum est necesse, tum rectricem vim ipsius male habere.

APPENDIX.

De Apostematum, & Tuberculorum in Pulmonibus generatione & curatione per cicatriculas ab obitu manifestas.

Quod ejusmodi Apostematibus perfrequenter nova deinceps, præsertim in calidioribus temperamentis superveniant, notum est, & sexies ad minimum curavimus ea vix intra totidem annos in Consiliario quodam macilento, sensimque hectico, quem ita tandem fato functum Excellent. *VVedelius* cum adhuc Gothæ viveret aperuit, & in Pulmonibus Pleuræ de cætero circumcirca adnatis, non tantum invicem consolidatorum quasi cicatriculas, verum etiam unum aut plane duo novarum vomicarum rudimenta offendit, lacteo fere liquore repleta. *Daniel. Ludovic. miscell. curios. anni 1.ᵐⁱ observat. 157.*

Calidioribus temperamentis superveniant) Erat inter aulicos nostros tenetior quispiam juvenis, qui quotannis semel, aliquando quoque bis per annos aliquot iis infestabatur, & ultimo quidem cum post horrorem quendam febrili, (ac mediocri) calore impeteretur, ipsa tamen collectio adhuc quasi fluctuaret, sive nondum rupta esset, ea interea vehementia angustationesque pectoris ut desperabundus fere verbis atque gestibus delitis, capitis allisionibus &c. maligni quidpiam, si quidem petechiales tum temporis hic locorum haud adeo erant infrequentes, fovere videretur adstantibus : Verum cum secundo statim die hæc contingerent, & inclinatio ejus ad ejusmodi vomicas inter reliquorum signorum collationes nobis non esset ignota, malignitatis suspicio aliis id veritis sic exempta : per remediorum autem adhibitionem ipsa collectio sequente mane rupta est, disparentibus protinus intemperiis prædictis, ipsoque nunc per biennium, sub quietiori vitæ genere ; præservatoriaque venæ sectione tantisper immuni. Ut autem hisce in districtibus ejusmodi Pulmonum Apostemata à Peripneumonicis Pleuriticisque affectibus per signorum notoriorum syndromen longe differentia, haud adeo sunt infrequentia ; sive lente longeque tractu temporis colligantur ; oppido, præsertim senibus, etiam quadraris ; aut dum materia confertim profluit, cordialiáve reficientia in subitanea invasione desunt, perquam periculosa, meritoque hinc vulgo quoque formidata ; sive citius, non hebdomadum, sed etiam dierum quandoque spatio, præcipue post rerum non naturalium excessus(prævio qualitet cunque intensiore calore, dyspnœa, tussicula, doloreque sub pectore fere gravativo)inanimadvertenter intetea pene nascantur ; Ira non recordamur anni quo plures malo hoc laborantes nobis obtigerint quam præterito ; ad minimum enim octodecim numeravimus. *Idem ibidem.*

Pathognomonica illius affectus signa nulla adsunt, sed omnia æquivoca ; Si in cognitionem devenerit, vir Excell. ex conjecturis tantum ; Vomicam in Pulmonibus gerebat vir amicitia mihi conjunctissimus ante aliquot annos ; Peripneumoniæ, sed cui adjuncta esset febris maligna, indicia omnia aderant, at præter hæc pulsus crebertime intermittens, adeo ut ex quatuor pulsationibus duæ ex ordine deficerent : Exhibitus illi lapis bezoar genuinus ex decocto scabiosæ ; Elapso bihorio disrupta fuit vomica, exclusumque anacatharsi pus ad quatuor aut quinque cochlearia ; hinc pulsus illico in ordinem rediit, ristmumque observavit ; superstite tamen febre maligna, quæ convenientibus remediis impugnata & expugnata.

Curavimus) Praxim noviter saltem ; interiotibus hisce in locis, si extraneorum alia fuerit ratio, adorientium causa addemus, quæ usque dum circa curationis decursum observaveramus. Præservatoriè valet venæ sectio cutanea ve, procedentéque jam materia evidentius quidpiam contulisse rarius observavimus ; Si qui obtigere antequam materia ; adhuc quasi latitans, evidentius procederet, datu Tinctura Bezoartica, vel mixtura simplice, sive cum tartari, sive salis ammoniaci spiritu parata ; mediocrique habito, vel ob complicatum febrilem morum sudores ruptura præsumque brevi post, æquè ac in pleuritide contingit ; insecutæ eft : Sin vero satis jam ; v. g. circa vel post tettium,

tertium, procederet, nec dum illam ea de causa intermisimus, sed guttis tamen quinque vel sex Tincturæ anodynæ sociatam: interposita sequentibus quoque diebus mixtura pectorali è syrupiformibus quasi, ad Ang. Salæ modum fere paratis Essentiis, papaver. errat. violar. scabios. liquir. passular. similiumve; aquis refrigerantibus, cordialibus vel pectoralibus dilutis cerevisia pro siticulosorum potu spiritu salis volatilióri è muria istius sponte distillante, vel ejus loco spiritu vittioli Philosoph. instillato; quotidie postmodum pomeridianis ante caloris exacerbationem horis ocul. cancr. corallor. mandib. lucii, conch. præparatorum, solitariorum aut invicem mixtorum, mediocrem, noctu vero Tincturæ anodynæ non plenariam, sed tertiatam quasi dozim amplius guttas octo, novem, plerumque duplo Tincturæ bezoart. armoniacalis associatum. Aut hujus interdum vice, vel variationis gratia, pulveres tunc cum dimidio, ad summum quandoque integro laudani grano subactos adhibendo, procedentibus diebus florum sulphuris, vel antimonii quoque diaphor. quidpiam dictis pomeridianis superaddendo, ac demum santali rub. aut simile pectorale solidans decoctum; Sed hæc potissimum pro Opiatorum, considerate tamen adhibitorum, in hisce quoque affectibus commendatione, contractiorisque medicationis causa; obiter de cætero, ac doctis profecto supervacue. *Ludovici ibidem.*

Invicem consolidatorum) Consideratione dignum videtur quod Pulmones inter recentiores ejusmodi unitatis solutiones, utur pariter pure circumcirca invíscatas, nihilominus vulnerum instar denuo consolidentur. In phthisicis vero separationibus raro vel nunquam: proculdubio quia vegeriores adhuc ibi, & materia quasi in capsula glandulosa circumscripta: hic autem lente prius debilitati irregularíusque quasi exesi sunt. *Idem ibid.*

Perfrequenter nova superveniant) Quod vero hæ eorum vomicæ non semper diutino saltem temporis tractu colligantur, & hinc diffusiore tandem, majoráque randem vasa apprehendente putrilagine desubito prorumpente, vel cavitatem intus circumcirca (citra resorbitionem, aut lateralem D. *Willisii* apertionis juvamen) occupante, passim emortualesfint; sed brevi quoque inibi nascantur, curabilesque cæteris paribus existant, præter experientiam, similes etiam Abscessus in calido humido nostri substantia parva periodo oborti & vel cerebri mitiores concussiones ostendunt, diu quandoque sub aliorum quidem symptomatum schemate hæsitantes; aliquando vero pro materiæ affecti loci, conductuumque ratione, perbrevi periodo semet per palati, narium, oculorum, auriumque purulentiam exonerantes. Ipsi ante quinquennium improviso violentissimoque supini corporis casu in petroso inferiori dextri lateris osse, quicquid etiam, certe perquam violentum passi, (nam sonitus, quasi cum impetu terræ allisi, dissilientisque maximi receptaculi simul tum auri offerebatur) per triduum fere nil nisi gravedinem quandam, instantis coryzæ instar, sensimus: at quarto demum vespere, sub valido febrili motu, tantum in interioribus ejus (cum cerebrum ibi loci quasi pistillo subigi videretur) dolorem ut exitum futuræ materiæ evidentius non concipientes. Deo Naturæque reliquerimus omnia; ubi post xxiv. horas purulenta ad palatum per ea tendentem ductum sensim ac successive exire incipiebat materia circa septimum desinens: auditu tamen eo in latere hucusque imminuto, auditorioque meatu (in quem post septimanas aliquot pustulæ quædam semet exonerabant) evidenter præ sinistro ampliore. *Idem.*

Commigratio Lienis affectuum in Pulmones] Uxor Nobil. Dom. Du Puy Senatoris integerrimi, rufi capillitii, macilenta, à viginti annis & amplius quod purulenta affatim & cum tussi per intervalla exspuat, phthisica censetur, & quod Lien sæpe intumescat Splenica; Id vero à me observatum non semel, sed sæpius quo tempore intumescit Lien, (qui usque adeo aliquando humorum saburra turget, ut totum universum abdomen integat) tunc temporis feriari pulmones & anacatharsin nullam esse; quæ si libera & liberalis sit, sensim adeo depleri Lienem manus, contractum postmodum effugiat. Ur exinde constet Pulmonum parenchyma illæsum esse, & formam puris inducere transmisso illuc per vasa sanguini? Non semper phthisin à catarrho è cerebro (quod illi pumicis instar siccum) in pulmones illabente ortum ducere.

Observatio XVII.

Hectico-Phthisica Febris, una cum Putrida. Consultationes, & cadaveris inspectio. Ubi ulcera in pulmonibus reperta, &c.

Consultatio I.

Ex relatis & observatis, ego quoque cum Viris Excellentissimis colligere possum, non unico, sed multiplici affectu Nobilissimam Juvenem conflictari, quorum alii antiquiores, alii recentiores existunt: Antiquiores sunt capitis catarrhalis destillatio ad partes inferiores, & ad pectus potissimum decumbens, eaque utplurimum tenuis & salsa tussim excitans; præterea cruenta expuitio sive excreatio, præcedente capitis gravedine & succedente levi & exigua narium hæmorrhagia, hæeque præsertim in gemina Uteri gestatione præterita; antiqua quoque & plurium annorum est hypochondriaca affectio, cui melancholica quoque associatur. Recentiores autem sunt, febres quædam quibus Nobilissima Juvenis puerpera tribus abhinc mensibus corripi cœpit, quarum altera periodos quidem, sed prorsus inordinatas habet, ita ut erratica à Medicis assistentibus judicata & nuncupata fuerit, quæ cum sudore universali copioso semper terminari consuevit: altera vero febricula quædam est, modo major, modo minor, quæ tamen continua & exigua observata fuit, quibus utrisque successit totius corporis insolita macies, quæ modo evidens & considerabilis facta est.

Si do

Si de primo affectu sermo fit, capitis jam dictam copiosam destillationem ab ejusdem calida & humida intemperie quam à nativitate sortitum fuit, provenire censendum, ita ut essentialiter afficiatur, ut propterea copiosis capillis ornatum & excrementis abundans semper fuerit, quorum portio major in præsens ad fauces, & per œsophagum ad ventriculum defertur, minor vero ad guttur per asperam arteriam in pulmones descendit, & expultricem facultatem irritando, tussim excitat. Et quia præter capitis calidam intemperiem, à calido jecore & fervidissimo corde sanguis calidus atque biliosus producitur, hinc fit ut per venam cavam ad cor perveniens, & à corde per venam arteriosam in pulmones ingressus, per arteriam vero venosam egressus, per carotidas ad caput elatus & ab iisdem transfusus, acri & serosa sui portione à venis jugularibus non reassumatur, quæ in spatiis manens catarrhali materiæ immisceatur, sicque salsa & tenuior fiat.

Quoniam vero sanguinem vitiosum & parum ad nutritionem idoneum facile Natura dimittit, idcirco utpote acris & mordax orificia vasorum irritando, haud difficile aperit, sicque narium hæmorrhagiam efficit, atque eodem tempore affatim ad caput accurrens, in cerebro extra vasa effusus, inde ad guttur & gulam defluens, ad pulmones nonnunquam sese insinuat, nonnunquam ad ventriculum descendit, ut ideo inde sequatur vel solo screatu, vel levi tussi ejusdem sanguinis excreatio, aut per vomitum eductio; idque præsertim in actuali gravidatione, dum dixit Hippocrates, quod Menstruis deficientibus, sanguis facile è naribus profluat, & sit bonum. Rem autem ita se habere sperari potest, cum nec per anastomosin, minusque per diæresin à pulmonibus rejici fidem nobis facere videantur præcedens capitis gravitas, subsequens narium hæmorrhagia & sanguis ipse, qui statim ejectus, grumosus, non autem fluidus conspicitur, & solo screatu, aut levi tussicula rejicitur, nec postea sputa cruenta cernuntur: præterquam quod à capite descendere confirmat vomitus, dum eodem modo quo in asperam arteriam introducitur, per œsophagum in Ventriculum quoque defluit. Quare si res ita se haberet, ut summum Deum precor, Hæmoptoicam adhuc non esse Nobilissimam Juvenem sperari posse videretur.

Affectus tertius antiquus est hypochondriaca affectio, quæ paulo post pubertatem Nobilissimam Juvenem infestare cœpit; excedentis caliditatis tum jecoris, tum cordis indicium, à qua privative læso ventriculo cruditates productæ fuere, quæ in vasis tum mesaraicis, tum lacteis stagnantes, exiccatæ hypochondriacum affectum constituerunt, cui progressum melancholicus quoque successit à crassiori sanguine, tum in mesaraicis venis firmato, tum maxime in pancreate: non enim melancholica possunt cordi & cerebro accidentia contingere, nisi prius vitiatus fuerit ipse sanguis, si Aristoteli & Hippocrati credimus. Hinc ab hypochondriaca affectione tanquam ab Equo Trojano, plurima alia mala procedere solent, ut in casu nostro, dum non parum adauctis obstructionibus, addita liberaliori vivendi ratione, juges cruditates ad totius corporis venas transmissæ sanguinem inquinarunt, qui circulando & earumdem portionem in capite deponendo, catarrhalem destillationem adauxit, capite nimirum primò idiopathice, mox vero sympathice quoque ab hypochondriis & à toto venoso genere, affecto.

Quapropter copiosior & fœcundior facta capitis in ventriculum catarrhalis destillatio, & cruditatum quotidiana reproductio, non solum obstructiones adauctæ fuere, verum & febris ab iisdem acervatis excitata, dum effervescentiam, indeque fermentationem & putredinem concipiunt, febremque accendunt quæ inordinatas periodos servat, prout citius vel tardius, pluribus aut paucioribus diebus nova colligitur cruditatum quantitas ad febrem excitandam sufficiens: ut propterea putrida quidem, at non humoralis appellari debeat, erratico modo invadens, non autem ex sui natura proprie erratica existens. Et quoniam hujusmodi materia peccans insensibiliter digeri, aut ex toto dissolvi nequit, idcirco à calore febrili attenuata & ad jecur transmissa, ab ejusdem calore fusa atque liquata ad venas universi transfunditur: & per arteriolas ad ambitum totius corporis delata per sudorem universalem expellitur, sicque febris accessio particularis critice solvitur, non autem Morbus totus universalis, superstite manente causa. Et quamvis universum corpus toto hoc Morbi decursu quotidie magis emacietur, id tamen non ab humorum colliquatione, minusque solidarum partium provenire putandum, ita ut sudor ipse diaphoreticus, sive syncopticus dici possit, quoniam sequutum sudorem nulla consequitur virium imbecillitas: imo sensibili gaudet levamine Nobilissima Juvenis: nec in urinis pinguis ulla aut oleosa substantia supernatare conspicitur, colliquationis humorum & solidorum perpetuum indicium.

Nec deest alia causa maciei, læsio nimirum viscerum naturalium quæ coctionibus celebrandis à Natura destinata fuere, ventriculi nimirum imbecillitas à jecoris fervore non parum adaucta, & ejusdem immodicus calor probo sanguini producendo improportionatus: ut ideo mirum non sit, si principiis coctionis, distributionis atque nutritionis male affectis, etiam sequatur totius corporis Atrophia: exiccata namque viscera naturalia ad nutriendum totum corpus parum idonea esse docet Galenus, dictat ipsa ratio.

Quoniam

Quoniam vero evanescente febre jam dicta putrida, remanet tamen multo abhinc tempore febricula, ita ut Nobilissima Juvenis nunquam immunis ex toto à febre observari potuerit, hinc dubium restat, num fixa & habitualis simpliciter, an fixa & phthisica simul esse possit, sicut de minera quoque ejusdem dubitatum fuit, quæ si non in partibus spiritualibus invenia- tur, in naturalibus quærenda erit: & si spiritales partes examinemus, dummodo sanguis per diæresin non fuerit rejectus, ut sperari potest, quoniam pus in sputis nondum observatur, quod tanto tempore observari debuisset, cum à sanguinis sputo, putris sputum paulò post sequi soleat, ideo ab ulcere febricula provenire minime deberet: multo minus à pulmonum fraciditate, quæ nonnisi longo tempore introducitur, ob præsentiam copiosæ catarrhalis materiæ corruptæ & putrefactæ, quæ pariter in sputis non conspicitur, cum materia catarrhalis sibi ipsi cohæreat, tenax & viscida sit, nullo modo fracida, minus male olens, nec pravis variegata coloribus. Quare exclusis duabus hisce Phthisis speciebus ab Hipp. & Gal. receptis atque assignatis, tertiam aliam Phthisis speciem, hujus Regionis endemicam proposuerunt Doctissimi Viri, nimirum ab intemperie pulmonum procedentem, ob quam sanguis nutriendis pulmonibus destinatus, à calore nativo eorumdem non actuetur, nec in propriam substantiam converratur, sed in cruditates conversus atque corruptus, febriculæ continuæ fit author. Et licet de hac tertia specie mentionem non fecerint Hippocrates, minusque Galenus, sed tantum causam, speciem secundam, flacciditatem nimirum & fraciditatem excitantem attigerint, hanc tamen & ego reciperem, si ratio mihi persuadere valeret: non enim juravi in Dogmata Hippocratis & Galeni, quia Hippocratis & Galeni sint, sed quoniam rationi consona sunt; cum igitur sanguis iste crudus à pulmonibus ob propriam intemperiem acquisitam non actuatus, debeat necessario contineri vel in vasis, vel in spatiis ipsius pulmonis, quia in neutro loco hunc invenire scio, idcirco hanc tertiam speciem ut febriculæ mineram rejicere cogor: etenim si in spatiis reperiretur, putridus, difluens & male olens in sputis observaretur: si in vasis putresceret, utpote cordi proximus, febres acutas pravis symptomatibus comitatas accenderet.

Quare his ita consideratis, febriculam ab aliquo putredinis foco in abdomine contento provenire & conservari dicendum, quales Fernelius hypochondriacas, ut à visceru naturalium obstructionibus procedentes, appellare solebat: nonnunquam intensiores cum alicujus visceris corruptione: nonnunquam mitiores à solis obstructionibus citra visceris corruptionem, ut credi potest in casu nostro, cum pulsus apyrexiæ proximus observatus fuerit. Quod si minera careat febricula ista fixa, etiam habitualis esse posset citra ullam pulmonis læsionem: cum enim fieri soleat ex humidi substantifici & alimentalis defectu, quia jam multo tempore à siccitate affectis visceribus naturalibus, ut dictum fuit, debito alimento corpus universum defraudatur, difficilis non fuisset humidi substantifici decoctio & siccitas introducta, indeque Atrophia, quæ alterius febris occasione in jecoris & cordis fervido temperamento facile in febrem habitualem absque ulla alia dependentia migrare posset. Cujus certam & infallibilem notitiam quoniam non habemus, ideo indicationes utramque causam respicientes proponimus explendas, quæ humectando & aperiendo, obstructiones respiciant: substantifice verò humectando, viscera jam exiccata restaurent, & totius corporis roridas humiditates reficiant, dum iisdem alimentalibus Medicamentis sanguinis acrimonia & aciditas emendari atque edulcorari poterunt. His autem intentionibus ubi (Deo dante) satisfactum fuerit, iter paratum erit pro humida capitis intemperie corrigenda, atque pulmonibus exiecandis & roborandis.

Interim quoniam in affectibus adeo diuturnis, complicatis & difficilis cognitionis, observationibus hucusque à me, licet accurate factis prorsus non fido, ideo Prognosin de futuro eventu suspendere mihi liceat: dubium enim atque timorem incutit mihi sanguis non semel per os excretus, & consequenter febricula ipsa, cum Nobilissimæ Juvenis temperamentum & jecoris, & cordis valde fervidum, sanguinis acrimonia & aciditas, aliqua corporis non ex toto proba conformatio, ætas inter decimum octavum & trigesimum quintum annum, falsa capitis destillatio cum tussicula, timoris occasionem præbeant: siquidem si per diæresin è pulmonibus sanguis prodiisset, deplorata salus esset, dictante Gal. quod Ubi vas in pulmone corrosum fuerit, nisi statim glutinatum sit, antequam phlegmon excitetur, scire aperte licet, id postea insanabile fore. Præscribit vero tempus quo curati debet equidem angustissimum, dicens: Qui sese prima die mihi curandos proposuerunt, omnes sanavi, qui secunda die, non omnes, qui vero tertia, ita ut febricula febricitarent, nullum vidi in totum sanatum, sed callo obducto, longiorem vitam produxerunt; Quibus addi potest, quam viguerit suspicio hæc etiam apud Hipp. dum pronunciavit, quod Sanguis quidem supra, qualiscunque fuerit, semper malus; Quibus Doctrinis addo, me non semel observasse, sanguinem simul & à capite per nares descendisse, & à pulmonibus erupisse, ut propterea cum semper & multoties deceptivam loci & modi difficillimam distinctionem observaverim, ut & Trallianus & Paul. & ipse Gal. ideo non me pudet ambigere & observare, dum interim hæsitatio hujusmodi nullum

Nobilissi-

Nobilissimæ Juveni præjudicium afferre potest. Spem autem salutis (quæ modo in angusto posita est) addere & augere poterunt, non repetita sanguinis per os excretio; sputa per tussim ejicienda non deterioris conditionis; febris, erraticæ saltem, proxima ablatio; & aliqua totius corporis restauratio, qua cederet quoque exigua febricula dum interim hypochondriacis affectibus prospiciemus.

Indicationibus itaque implendis diligenter incumbendum: Prognosis enim neque curat, neque sanat.

Et primò à fonte Chirurgico nulla in præsens est depromenda sanguinis missio, nisi quid aliud emergat (quod Deus avertat) missionem sanguinis indicans. Cauterium in brachio sinistro opportunum fuisset, & esset pro diverrenda à pulmonibus catarrhali materia; Verum quoniam expletis indicationibus jam propositis, ad humidam capitis intemperiem corrigendam & mali fontem exiccandum deveniri poterit, idcirco ejusdem fonticuli inustio differtur. Et quamvis pro hypochondriorum & totius corporis humectatione, ut remedium externum principem locum teneat Balneum tepidum aquæ dulcis, attamen quoniam tempus hybernum reclamat, nec à sudoribus admittitur, ideo substituenda erit inunctio universalis oleo amygdalino recenti, & fomenta tepida, humectantia & emollientia universo abdomini apponenda. Reliqua vero remedia à fonte Pharmaceutico desumenda; & inter Evacuantia Purgantia tanquam Pestis fugienda: quinimo neque mitiora lenientia potulenta convenient, quoniam cum ex iis evacuatio affatim & confertim sequatur, spiritus resolvendo, vires enervant, nec celeri transitu humectationem abdomini inferre possunt, sicut Cassia, quæ & humectandi & evacuandi facultatem obtinet. Secundo loco, Alterantia exiccatos humores emollire, & viscera naturalia atque totum corpus substantifice humectare debent: quæ omnia præstare posset lac asininum; quod tamen anni tempus incongruum non admittit, sed præterea à copia catarrhi prohibetur: ut ideo Hipp. Lac dare caput dolentibus, malum esse dixerit, necnon febricitantibus: & Galenus, per caput dolentes, catarrhalem destillationem patientes, cum eodem Hipp. intellexerit; sicut per febricitantes, febre putrida non exigua detentos. Idcirco lac arte factum erit substituendum, ex seminibus melonum, cucurbitæ & anguriæ, amygdalis addiris & Emulsionem extrahendo in jure carnis, addito sacchari pulvere manè quatuor horis ante cibum tertio quoque die præbendam. Diebus vero intermediis Præparantia sunt offerenda, quæ refrigerare, emollire, caute reserare, & etiam quodammodo humores adustos & exiccatos abluere & educere valeant; quæ omnia commode & sine virium jactura præstare poterit flos Cassiæ ad ℥.ii. cum gr. viii. aut x. salis prunellæ, superbibendo seri asinini, si haberi possit, optime depurati, libram, tribus vero, aut quatuor horis ab epoto sero offeratur prandium. Sequenti autem die repetatur Emulsio; ita alternatim perseverando ad quindecim saltem dies; nisi aliquid aliud obstet. Quibus proficientibus, ad ulteriora aperientia & educentia deveniri poterit, addendo Cassiæ rhabarbarum maturum ad gr. xv. usque ad xx. sero depurato superepoto. Hoc procedendi modo, erraticis febribus causam detrahi posse sperandum, & interim nisi lateat in pulmonibus anguis nempe diæresis, febriculam quoque penitus tolli posse censendum, toto nimirum renutrito, & remissa quodammodo hypochondriaca affectione, quam pulsibus alterationem frequenter afferre minime dubitandum. Nec de sudore sistendo soliciti esse debemus, cum calore colliquante, tanquam causa efficiente, remisso, & cruditatibus tanquam causa materiali per alvum subductis, sudoribus occasionem detrahendam esse credam, cum interea inunctiones ex ol. propositæ satis cutem densent atque obstruant.

Dum jam dicta omnia executioni mandantur, ut unum faciamus, & alterum omnino non omittamus, catarrhali quoque distillationi aliquo modo prospiciendum est usu radicis Chinæ, in eduliis omnibus ebullitiæ, quæ sicut humiditates excrementitias absumit, ita alimentales conservat & auget propter analogicam sympathiam quam cum humano corpore servare jam diu observatum fuit. Nec unquam omittenda materiæ catarrhalis à Pulmonibus nocturna interceptio, & eorumdem roboratio sublingualibus medicamentis, qualia esse poterunt, ex bolo Armena Orientali parata, ut Confectiones vel ex diacodio, vel ex tragacantho frigido cum bolo. Ita neque Expectorantia aliqua negligenda, & esse possent julapium violaceum, syrupus de ibisco cum modico julapio acetoso; leviora namque hujusmodi in præsens sufficient.

Quibus omnibus congrua & cauta vivendi ratio erit addenda; Et primò, aër cubiculi sit temperatus, cum dicat Hipp. Destillationes à capite fieri, valde excalefacta, vel valde perfrigerata carne: nec ullo modo excessus ad caliditatem pendere debet, cum alibi doceat; Fluxiones fieri, quando cerebrum ipsum de seipso multum liquefecerit, Aëris autem & loci in meliorem mutatio Nobilissimæ Juveni convalescenti, hanc exoptanti non parum prodesse posset, malo remisso. Secundò, Circa alimentorum usum, qualitas, quantitas & tempus observanda erunt; & quantitas tanta esse debet, quæ non solum vires præsentes & totius

totius corporis habitum conservare, sed nonnihil etiam augere possit: quam cum ægre affatim tolerare valeat viscerum naturalium imbecillitas, ideo partitis vicibus nutriendum erit juxta Hipp. & Galeni decretum: Et quibus semel aut bis, & plurane an pauciora offerre oporteat considerandum. Condonandum autem aliquid Regioni, consuetudini &c. Quoad qualitatem, Alimenta debent esse facilis coctionis & distributionis, paucique excrementi substantifice humectantia: & ideo cum ex Hipp. facilius fit impleri potu quam cibo, potulenta potius, quam solida exhibenda. Tempus requirit debitum spatium, ut novum non ingeratur alimentum, nisi antea exhibitum, concoctum atque distributum fuerit, evitando, quantum fieri potest, accessionum principia, in quibus tamen aliquando nonnihil etiam nutrire licet, ne magis magisque corpus absumatur, cum è duobus malis minus semper sit eligendum. Pro potu consueto, stillatum è carnibus refrigerantibus & humectantibus herbis alteratum, opportunum erit, cui si immisceatur tertia aut quarta pars vini, facilius hoc mediante vehiculo distribui poterit, sicut etiam aliqua sacchari portio permitti potest. Tertiò Somnus, nocturnus, diuturnus, sibi consuetus omnino permittendus, imo procurandus: somnus enim concoquit, vigiliæ digerunt. Quartò Quies biliosis atque gracilibus quam maxime convenit; quare etiamsi dimoveri posset Nobilissima Juvenis, non sine detrimento exerceretur, cum exercitium corpus, exiccet. Quintò Evacuatio quotidiana per alvum conservanda, & arte, si opus fuerit, solicitanda. Tandem animi pathemata sunt ableganda, & præsertim ira & animi applicationes ad negotia, cum illa nil aliud sit quam accensio sanguinis circa cor, quare & circa pulmones: istæ vero sint cruditatum, indeque malorum origines: ut propterea Plato asseruerit morbos omnes ab animo procedere posse. Et hæc sunt quæ circa statum Nobilissimæ Juvenis complicatum atque difficultatibus refertum imbecillitas mea adducere possit. Faxit Deus Omnipotens, ut pro voto melior nobis innotescat atque evadat, sicut ex corde enixe precor.

Consultatio II.

Anceps judicium de statu Nobilissimæ Mulieris, quod oretenus in prima, deinde, in præscripta Consultatione in medium adduxi, observationibus à me factis, in dies certius factum, sicut mihi viam aperit ad cognitionem malorum eandem Nobilissimam Mulierem pluribus abhinc annis & mensibus affligentium, ita cum intensissimo animi mei mœrore de salute non parum dubitandi ansam confirmat: siquidem febricula quam unanimes omnes hecticam existimavimus, ab alimenti defectu ob naturalium viscerum dyscrasiam, siccitatem & obstructiones provenire quidem potuit: verum præteritis & subsequentibus omnibus examinatis, de hac non simpliciter hectica, sed hectico phthisica, suspicandi occasio non levis mihi data est, quæ cum non ex pulmonum fraciditate hucusque provenire possit, ab eorumdem ulcere procedere necessario statuendum: namque si modo à fraciditate penderet, catarrhalis materia quæ tussi excernitur, non solum putrilaginosa & fracida esset, sed coloribus variegata, flavo, viridi, & quod magis est, etiam cruento; dum à fracidis pulmonibus serosa per diapedesin prodire solet cruenta humiditas, catarrhalem materiam eodem colore inficiens: præterquam quod hujusmodi pulmonum laxitas & fraciditas senili ætati pulmones laxos habenti, non sic juvenili, nisi longo tractu temporis, propria & familiaris esse solet. Nec ab hac Phthisi immunes nos reddere valent rationes in præterita Consultatione adductæ, dum observavi sanguinem à labiatum tuberculo, dentibus dirupto emanantem illico concrevisse: pus vero quod secuta diæresi ulcus subsequi solet, cum adhuc exiguum sit, copiosa vero catarrhalis materia continuo à capite in pulmones præcipitans, cum eadem confunditur, & adeo obscuratur, ut nequeat discerni: sicut diæresis præsentiam confirmare solent, prægressa diuturna salsa tenuis à capite destillatio: temperamentum capitis ejusdem valde calidum & humidum, & per consequens magnopere excrementosum: prava scapularum & colli conformatio: statura procera & habitus potius ad gracilitatem tendens cum fervidissimo jecoris, cordis, & totius sanguinis calore: atque tandem ætas inter decimum octavum & trigesimum quintum annum huic primæ legitimæ Phthisi valde obnoxia: quibus omnibus addendum, quod hectica febris refrigerantibus & substantifice humectantibus hucusque adhibitis, minime cesserit: & addere quoque licet difficilem in dextrum latus decubitum, sinistri affecti pulmonis indicium. Quare cum Hippocrate esset præsagiendum, quod à sanguinis sputo, puris sputum, à puris sputo Phthisis & Tabes; cum vero sputum detinetur, moriuntur; quod à casu nostro Omnipotens Deus avertat.

Quoniam vero hecticam febrem simplicem primis tribus diebus incepisse censendum, & inde roridæ humiditatis & cambii consumptione augmentum suscepisse, ita mirum non sit, si multis abhinc diebus secundum gradum attigerit, dum evidens apparet in pulsibus alteratio, & in toto incalescentia duabus horis ab assumpto alimento, quæ præsertim in genis observatur, propter facilem pulmonum cum genis consensum. Incalescentia autem hujusmodi,

modi, ficuti in primo gradu, aut non fit, aut vix obfervabilis eft, quoniam tanta ficcitas in membris non eft, quæ ab appofita alimentali humiditate fermentari poffit, ita nec in gradu tertio in quo nimia ficcitas humiditatem fubftantificam non amplius recipit, ut Lucernæ ellychnium exuftum non amplius oleum recipere poteft. In fecundo vero gradu, quia abeft utraque dicta conditio, recipitur humiditas à partibus folidis femi-exficcatis, qua receptione alterantur & incalefcunt. Verum tamen eft quod fecundus ifte gradus non exiguam latitudinem habet, antequam perveniat ad torridum Marafmum & tabem ipfam quam non parum folicitat putrida complicata febris: ut propterea jubeat Galenus, putridam primò auferendam, quia hecticam fovet: quæ quidem febris putrida erratico modo invadit, quoniam non unicus humor, fed plures concurrunt ad ipfam, potiffimum vero acidus, deinde pituitofus cum aliqua exigua bilis portione, & ideo acidi frequenter, vel infipidi & nonnunquam amari fuccedunt vomitus & eorumdem humorum per alvum evacuatio; quorum perennem proventum, non folum à vifcerum naturalium intemperie & obftructionibus, verum & ab ulteriori alicujus vifcerisFerneliana labe procedere poffe fignificat ejufdem febris contumacia, adeo ut maligna ratione refiftentiæ cum Gal. appellari poffit, utpote quæ non folum à prava humorum qualitate, fed etiam à parte læfa, curatu difficili neceffario dependeat.

Horum affectuum eventum in pectore hucufque detinui, quoniam felicem nunquam pronunciare potui, & idcirco curativas intenfiones ftatim propofui, ac fi Nobiliff. Mulier convalitura effet, cum nos medici, non autem Prophetæ fimus: ut propterea etiam Hippocrates ipfe monuerit, quod Multi præter fpem fanari funt. Interim ficut Ægros curare, ita affiftentes incolumes fervare tenemur; Et quia affectus ipfe ex fui natura communicabilis eft & contagiofus, præfertim ultro progreffus, idcirco Domefticos de hoc monere debeo, ut faltem proximam infpirationem evitent, cum Galenus etiam in febribus fimpliciter putridis, non contagiofis dixerit, converfationem cum putridum aërem expirantibus tutam non effe.

Indicationes autem fuere, refrigerantibus, humectantibus & evacuantibus putridæ febri profpicere: humectantibus & leviter aperientibus, obftructionibus tum Mefenterii, tum Uteri incumbere: fubftantifice humectantibus & modice refrigerantibus hecticam & totius corporis maciem refpicere: atque tandem exficcantibus & modice calefacientibus humidam capitis intemperiem corrigere, ulcus exiccare & pulmones roborare. Quæ medicæ indicationes quoniam inter fe contrariæ & contraindicantes funt, idcirco urgentioribus prius in ordine incumbendum effe docet Galenus. Febres igitur cum magis urgeant, una cum macie totius corporis, refrigerantium & humectantium prius, deinde caput & pulmones exiccantium ufum expoftulant.

Quibus intentionibus, ut fatisfacere tentemus, cum Menftrua jam fuppreffa fint, & fanguis ad fuperiores partes impetum faciat, ut motu & calore peccans, refrigerationem & ad inferiora revulfionem indicat per venam fectam in talo, dum putridæ quoque febri, & ejufdem in Utero caufæ foventi prodeffe poterit. Nec fatis obftabit fanguinis inopia, etenim fi deficeret, ad fuperiora ut naturæ moleftus non tranfmitteretur: Larga tamen fanguinis effufio inhibetur, quoniam copia non peccat. Et fi fanguis eductus, craffior & exuftus apparuerit, iterum parca admitti poterit miffio. Neque hoc remedii genus à gravidationis fufpicione inhiberi debet, cum fœtum non adeffe credamus: & fi adeffet, ad nonum ufque menfem geftare non poffe Nobiliffimam Mulierem certi fimus. Frictiones & quotidianæ pedum lotiones erunt pariter exercendæ, & Utero fomenta aperientia atque laxantia adminiftranda. Cauterium fuftulimus in brachio inurendum ad divertendam à pectore fluxionem, dum fperari poterat, propriis remediis, nimirum fudorifico Decocto caput exiccandum. Verum cum fpes quotidie femper magis evanefcere videatur, fi illud Nobiliffima Mulier libenter admittat, quamvis parum profuturum, inuri poterit.

Ex Pharmaceutico fonte reliqua funt depromenda præfidia; & præter jam in altera Confultatione adducta, quoniam ingruente putrida febre, quotidie quatuor aut quinque abhinc diebus præcedunt aciditates in abdomine ventriculum petentes una cum oris amarore, ideo Evacuantibus opus effe conclufum fuit, deinde refrigerantibus, demulcentibus & edulcotantibus. Quibus omnibus intentionibus fatisfacere poffe lac afininum copiofum fumptum, nimirum ad heminas, more Hippocratico; decretum fuit, cum vifcera refrigerare, humectare & renutrire: fanguinis rejectionem refpicere, acidofque & acres humores antequam corrumpatur demulcere; corruptum vero, tandem ventrem movere & eofdem educere valeat, quod tamen non unica vice, fed pluries repeti debet. Inde vero ad deobftruentia & per epicrafin educentia deveniri poffe putavi, nempe ad exigui rhabarbari ufum cum caffia, ut & in altera Confultatione, fuperepoto fero depurato, aut jure carnis, malvis & violis alterato. Mox ad hyfterica aperientia erit deveniendum, quæ tamen nec valde calida, minufque exiccantia fint. Ufurpari itaque poterit aqua ftillat. malvarum, & capill. Ven.

cum

cum guttulis spirit. tart. alchalizati per plures dies exhibenda. Sed interim una cum carnibus, ranas, cochleas deputatas & caudas astacorum ebulliendas præscripsimus : sicut etiam stillatum ex jure iisdem alterato, additis herbis refrigerantibus & humectantibus fuit paratum. Cætera quoque omnia in præterita Consultatione habita executioni mandanda censeo : etenim hectica perseverante & totius corporis macie progrediente, in substantifice humectantibus persistendum esse, neque exiccantibus ullo modo nos uti debere existimo, ne Nobilissimam Mulierem citius ad ultimam perniciem ducamus; & ideo quater in die alimentum reficiens exhibendum putavi : eorum enim quo velociter nutriuntur, veloces quoque fiunt excretiones & resolutiones.

Quod si jam dictis rationi consentaneis non cederet putrida febris, non deessent Medici temeraria quoque Medicamenta usurpantes, de quibus ego nihil in præsens; sed potius nova apparente sanguinis rejectione, de sistentibus adhibendis cogitarem : dum interim summum Deum enixe precor, ut præscripta, Nobilissimæ Mulieri salutaria reddat, & meipsum hac vice mendacem faciat.

Visio Cadaveris.

Post interitum, mane sequenti Cadaver dissectum & à nobis diligentiori quo potuimus modo observatum fuit, omisso cerebro, non solum ad deformitatem evitandam, verum etiam quoniam illud tantum, una cum suis membrannlis à vaporibus calidis, à pectore elevatis, accensum fuisse omnes supposuimus, citra quamlibet aliam læsionem essentialem, tum quia de capitis dolore unquam conquesta fuit, tum quia principales intellectus operationes vegetæ semper antea & illæsæ fuerunt. Statim igitur medium ventrem, thoracem scil. videre optavimus, quo dissecto, demptis pulmonibus, in dextera parte duos abscessus invenimus, alterum cum folliculo fere ad ovi magnitudinem, saniosa materia repletum : alterum sine folliculo, saniosa & semipurulenta materia refertum; substantiæ vero quoad colorem subalbidæ, quoad consistentiam, non fracidæ, sed flaccidæ, non enim adeo facile cultro cedebat; Ulcuscula tamen, licet obscura, utpote mucositatibus illinita, erant per substantiam dispersa, quorum putulenta materia in dextera thoracis parte deposita inventa fuit. In sinistra parte superiori pulmonis abscessum non exiguæ magnitudinis vidimus, pariter saniosam & subcruentam materiam continentem : partem vero dimidiam inferiorem ejusdem pulmonis, inflammatam non solum, sed lividam & fere phacelatam invenimus; quorum pulmonum cavitates erant adeo catarrho refertæ, ut quoties manu exprimebantur, catarrhalem mucilaginem crassam ad semidigiti longitudinem emiserint. Cor exiguum & valde exsiccatum, trombum sanguinis nigri, crassi in ventriculis continens, polypum ab Excellentissimis istis Medicis appellatum, in extremo vitæ, deficiente calore & sanguinis motu concretum atque firmatum, ut alias memini, me Juvenem non semel in Cadaveribus observasse.

Iude ad infimum ventrem devenimus, & viscera naturalia omnia in eodem contenta bene & naturaliter se habere omnes conclusimus, (reseratis antea à nobis obstructionibus ipsis) quibusdam tantum exiguis extuberantiis hæmorrhoidalibus observatis. Nec quicquam præter naturam aut secundum naturam in Uiero inventum fuit : sicut & vesicam & renes ac cætera omnia ab omni labe immunia visa fuere.

Totius corporis quoque peripheriam consideravimus, Atrophia quidem & macie affectum, à tabe tamen consummata multis mensibus distare judicavimus, eo quod nondum adiposa substantia consumpta fuerit.

His ita se habentibus; ut vere se habent, unusquisque, vel etiam in Arte non versatus, facile judicare poterit impossibilem fuisse vitæ reparationem, & tantæ morbosæ, consummatæ affectionis Curationem, in parte ad vitam omnino necessaria, dum eousque vivimus, quousque respiramus : etenim præter ulcuscula per pulmonum substantiam dispersa, muco illinita, quæ purulentam materiam non per os, sed ad thoracis cavitatem deposuerant, abscessus quoque plures in ipsis pulmonibus reperti fuerunt, à quibus, & præsertim ab illo in summa sinistra parte existente, non per diæresin, erosionem seil. sed per diapedesin, nempe per membranæ rarefactionem, cruor per intervalla transudabat, & sputa cruenta reddebat.

In dimidia vero inferiori parte ejusdem pulmonis manifestissimam inflammationem vidimus, quæ ob insignem calorem, pulmonem ipsum livescentem & fere sphacelatum exiguo tempore reddidit; Cujus inflammationis testes fuerunt, rigores inæquales & concussiones supervenientes, dum sanguis è vasis effundebatur, & in substantiam partis sentientis transfundebatur. Hanc autem inflammationem facile superventuram in privata relatione manuscripta prædixi, quæ Tabis & Phthisis ultimum terminum præscindere potuerit, eo quod ob affectos pulmones, deficiente ventilatione, necessario calorem in pectore quotidie augeri, febres intensiores fieri, & ita inflammationem subsequuturam existimaverim.

Febres

Febres vero inordinatas & erratico modo invadentes, non humorales, sed symptomaticas esse tandem indicavi, ex labe nimirum alicujus visceris, quæ labes tandem in pulmonibus reperta est, abscessus nimirum jam descripti, cum tamen ab heterogeneis exrementis febres illas dependisse aliqui Medici existimaverint, quorum opinioni in secunda Consultatione assentiri non potui: etenim primò à purgantibus medicamentis, nec quidem à lenientibus levamen ullum sequebatur, quinimo nec unquam tolerari potuerunt; horripilationes frequentes & inæquales, in febrium principio, quæ eveniebant, ab affluxu humorum ad abscessuum loca inæqualiter pervenientium, & abscessus ipsos augentium provenisse nobis confirmat ipsa autopsia: quæ febres majus semper augmentum susceperunt, quo majores abscessus facti fuerunt.

Difficilem vero respirationem cordisque suffocationem à pulmonum potius, quam cordis læsione pendere revera existimavi, cum propter eorundem læsionem & catarrhalis materiæ copiam libere dilatari nequierint, & propter pondus deorsum ferri septumque comprimere necessario debuerint; quæ incommoda multo majora reddebantur ab inventis abscessibus. Non negarim tamen ab Utero quoque elevatos vapores ad cor ipsum, oppressionem seu præfocationem quandam eidem inducere potuisse, non quidem à Menstruis in eodem stagnantibus, minusque à fœtu in eodem corrupto (qui non aderat, quamvis nonnulli de conceptione suspicati fuerint) sed certe à fervidiori semine retento atque corrupto, evaporationes cor infestasse pro certo habendum, quod molestæ quoque titillationes confirmabant. Hecticam autem febrem ultro progressam ex habitu corporis & adipe nondum consumpto, non adhuc tabidam factam esse cognovimus. Quare autopsia ipsa nobis ostendit primam Phthisin jam introductam fuisse, quam purulenta materia in dexteram thoracis regionem transcolata, non aliunde quam ab ulcusculis dimissa sat nobis confirmare valet: cujus aliqua portio etiam postremis diebus non observara, forsan per sputum excerni potuit. Secunda verò Phthisis præ foribus erat, nondum scil. in pulmonum substantia fracidirate introducta, nec materia ipsa catarrhali putredinis gradus insignes adepta. Et hæc est vera atque legitima aperti Cadaveris Historia, *Raym. Ioh. Fortis Consult. & Resp. Medicin. Tom. 2. Cent. 2.*

Observatio XVIII.

Visio Cadaveris variis Capitis & Pulmonum Morbis affecti.

Cum Nobilissimæ Matris interitum interitus quoque Infantis filiæ tribus post mensibus secutus fuerit, non dissimilibus Morbis atque symptomatibus comitatus: Idcirco Cadaveris dissectio jussa fuit, & relatio à Viris Excellentissimis descripta, Tibi in Arte consummatissimo transmittitur, ut de eadem tuum Judicium proferas. *Vale.*

Causa Mortis & Exenteratio Nobilissimæ Infantis.

Nobilissima Infans undecima Octobris circa matutinam in lucem edita, ætatis novem mensium, temperamenti sanguineo biliosi, à Nobilissima Parente orta, diuturnis destillationibus & mendosa Phthisi tandem in legitimam degenerante, obnoxia, cum compluribus pulmonum tuberculis crudis & suppuratis, à tertio statim mense hæreditario quasi jure iisdem corripi cœpit ærumnis catarrhalibus: à quo tempore malum in dies eundo incrementum sumpserat, cum tussi violentissima, respiratione per intervalla stertorosa, vomitu materiæ viscidissimæ, febricula lenta ad vesperam exacerbata, sudore capitis enormi sine ulla euphoria, corpore in dies magis contabescente: frustra excavato fonticulo in nucha; erumpentibus passim per totam dorsi regionem furunculis, quorum nonnulli suppurati, tabo exeunte pravæ notæ amurcoso. Hinc alterum quoque in brachio sinistro subjunctum est Emissarium, uberius quidem priore manans, verum & ipsum sufficiens, perenni quidem huic destillationi à toto & visceribus, coæva labe, ac per consequens inemendabili, inducias dedit, sed mali radicem evellere non potuit; quin pedetentim tono pulmonum magis flaccescente, & everso substantifico eorundem temperamento, tuberculis compluribus inibi obortis, congestione ac defluxione, cum infarctu inexpugnabili invalescentibus; post prægressos leviusculos motus convulsivos, delapsa portione viscosi lentoris ad caput asperæ arteriæ, die undecima Julii quadrante post primam matutinam suffocata tandem periit; incassum tentatis innumeris Bechicis anacatharsin promoventibus, & pulmonum crasin corroborantibus, suspensoriis, cephalicis, & partes mandantes respicientibus, revellentibus, derivantibus, Julapiis, Eclegmatibus, tincturis pectoralibus, gelatinis, emulsionibus, liquoribus stillatitiis, ac malacticis tam internis, quam externis: neque

erat remedio locus ulteriori. Quare exenterato Cadavere, auspicari à prima regione, viscera naturalia satis inculpata invenimus: inde ad spiritalia accedentes, in lobo sinistro, pulmonum, tuberculum crudum, oblongum magnitudine pollicis deprehendimus, semiscirrhosum, ad bronchia proxime adjacens, in dextro autem parvum abscessum cum compluribus tuberculis grandinosis passim per parenchyma pulmonum dispersis. Cor utcunque bene constitutum, nisi quod pericardium ultra solitum sero refertum, ad instar cujusdam veluti hydrocardiæ occurreret. Tandem facta capitis adapertione, utraque meninx, magis tamen Pia Mater, corruprela non vulgari insignata, & tota cerebri substantia fracida, in externa superficie quasi syderata, non inefficaci factæ subsidentiæ argumento, unà cum principio spinalis medullæ corruptionis non experte comparuit. Ex quibus rationabilis elici potest conjectura, atque autopsia ipsa confirmari evidens, ac inevitabilis tam citæ Mortis causa. *Ita censent unanimiter Medici omnes Assistentes.*

Sequitur Iudicium Clariss. Raymund. Ioh. Fortis.

Dum primis Mensibus natam Infantem Nobilissimam vidi, sanitatem potius, quam vitam eidem augurari coactus fui, eum non vivere, sed valere vita sit: Caput enim non solum vitiata conformatione, sed multo magis intemperie humidissima affectum observavi, & ideo quam maxime excrementosum: ut propterea à copiosis excrementis retentis insignem læsionem passurum, vel in imbecilliores partes inferiores catarrhalem materiam depositurum esse existimaverim: quæ cum spiritales, ut recipientes fuerint, ideo ab ipso capite ut à parte mandante, non solum per spatia, sed quod magis est, per vasa excrementitia catarrhales humiditates transmissæ fuere, & in lobo sinistro tuberculum crudum, & in dextro spurium abscessum unà cum duris & grandinosis pustulis excitarunt; & sicut in capite detentæ membranis & ipsi cerebro fraciditatem induxerunt, ita per vasa delatæ universam massam sanguineam inquinarunt: per spatia vero affatim atque confertim, & per alios ductus, salivales præsertim, ipsi quoque Galeno cognitos, in asperam arteriam & bronchia pulmonum irruentes, tandem suffocationem intulerunt, molesta tussi prægressa & præcedentibus laboriosis sudoribus, non sine catarrhali, & forsan etiam febricula fixa. Has autem affectiones ab Utero non solum, sed à semine quoque materno reportasse non dubito: ut ideo quomodo Aristoteles semen maternum ad conceptionem concurrere negaverit, ego non videam, cum non solum id quotidianæ experientiæ repugnet, Sed medicinæ Principibus quoque adversetur. Etenim Galenus ait, opus esse fœminæ semen cum semine Maris misceri: utrumque namque semen in unum conspirare necesse est, ut conceptio fiat, & præterea ex commistione utriusque seminis formationem fœtus fieri, farendum esse asserit. Sed hucusque Aristoteles excusandus esset, quia scripserat ante Galenum: non ita vero propter Hippocratem, à cujus Doctrina plura decerpsit, & accipere neglexit quod, Ad hominis generationem de omnibus & Viri, & Mulieris partibus semen progressum, & in Uterum muliebrem illapsum, condensatur, temporeque veniente, Natura hominis formam referens, ex ipso producitur. Et rationem reddens, subdit, Habet enim & Mulier, & Vir quatuor species humorum in corpore, de quibus non minima, neque debilissima in semen procedit portio: & quoniam homo secundum Parentes nascitur, tot Morborum species, & sanorum, & morbosorum in seipso habet: hæc Hippocrates qui clarius nobis causam declarat, ob quam Nobilissima Infans tot mala totque symptomata lethalia, tum in capite, tum in pectore, tum in pulmonibus passa fuerit, dicens, si ex pituitoso pituitosus, ex bilioso biliosus gignitur, & ex tabido tabidus, & ex splenico, sive lienoso lienosus, quid prohibet, ut cujus Pater aut Mater hoc Morbo correpti fuerint, etiam Posterorum ac Nepotum aliquis eo corripiatur; Semen enim genitale ab omnibus corporis partibus procedit, à sanis sanum, à morbidis morbosum. Unde mirum non erit, si saltem intemperiem in capite, & in pulmonibus imbecillitatem à semine Nobilissimæ Matris Infans Nobilissima reportaverit, à quibus eadem Genitricis mala processerint; ut egregie & eleganter alibi asseruit Hippocrates idem ita effatus, Semen genitale ab omnibus corporis membris procedit, à sanis quidem sanum, à morbidis morbosum, sirque ut ex calvis calvi gignantur, ex cæsiis cæsii, & ut plurimum distortus distortum generet, eademque quoque ratio est circa reliquas formas. Quare & ego cum Viris Doctissimis, qui Infanti Nobilissimæ dum viveret, Curatione, & postquam vita defuncta est, internorum viscerum Autopsia, adfuerunt, præscriptas magnas & insignes affectiones, utpote à semine Materno contractas, Curationem nullo modo admittere potuisse, judico. *Raymund. Ioh. Fortis Cons. & Resp. Medic. T. 2. Cent. 2.*

Observatio XIX.

Pulmones calculosi cum duplici Liene, &c.

MAria Halter, puella 10. annorum illegitimo thoro nata, misellam quoque educationem sensit: In orphanotrophium receptam, quum prima vice visitaremus conquesta fuit de multa glandularum in collo & maxillis protuberantia scrofulosa: urgente juxta tussi frequenti exspuitione purulenta, pulsu celeri & crebro, ac respiratione difficili, dum interim facies rubebat, & ægrotula mente sibi satis constabat: Utrique malo commodis remediis obviam ire tentavimus, licet mali provectio parum boni nos ominari jusserit: Exterius applicatum fuit Empl. diach. cum gumm. interiùs vero pulv. antiphthis. cum syrup. per cochlear. sumendo. Verum vicit sæva mors, misellæ vires, easque penitus destruxit; ægrota d. 7. *Iunii* 1681. noctu è vivis excedente. Cadaveris lustrationi d. inseq. sub vesperam vacavimus, præsent. Vir. Nobilissim. & Clarissim. D. Johan. Martinio Haesbartio, Med. tum Licent. Clivens. D. M. König D. M. Speckero Basil. D. Jac. Hochreutinero Sangall. jam Med. Doct. & D. Andrea Kohlio Curiens. Med. Cult. Infimus Venter multum p. n. non exhibuit, quin faciem amicabilem eminus ostendendo, facilè nobis concessit vale: Nulla heic aquarum copia, nulla glandularum, vel in pancreate, vel in mesenterio notabilis scirrhositas: Ichor pauxillus tantum in cavo abdominis stabulabatur: Epiploon laudabiliter se habebat: Hepar quoque à graviori corruptela liberum fuit, nisi quod in ejus superficie, hic, illic arenulas concretas, flavescentes animadvertimus: Ductus ex vesicula fellis, cujus cavum bilis oleaginosa opplevit, in intestinum abiens, circa initium sui, appendicem durinsculam, glandulæ similem ostendit. Ex cavo vesiculæ nullus aër, cùm inflatemus, versus intestinum perrexit, benè tamen ex ductu: Ductus hepaticus insignis erat, bile flava turgidus. In sinistro hypochondrio delituit Lien figura & colore & consistentia naturalis, sed duplex, ℥. enim aliquot ab hoc distabat alius, figura & magnitudine ovi columbini majoris, vasis pereleganter donatus, & quoad colorem & interiora illi similis: Renes naturaliter erant constituti, succenturiati verò oblongi, & modicè lati, cavitatem obtinebant insignem, in quam vasa ab emulgentibus terminabantur: aër in hos injectus, versus renes usque per arteriam emulgentem progrediebatur. Per intestinum colon glandulæ solitariæ protuberare videbantur. Medium Ventrem quum aperiremus, tantum ille laborem non peperit, uti aliorum, neque enim pulmones adhærebant arctiùs, aut gravius quodpiam aderat obstaculum: Ichoris tamen fœtidi copia scatebat, cujusmodi sero flavescente, Pericardium etiam refertum erat: Glandula thymus maxima, glandulas exhibuit induratas, calculosas & subatras, suis inclusas folliculis, & versus lobum pulmonum superiorem, lateris sinistri protensas, atque cum hoc connexas: ipse hic lobus calculos exhibuit plures, hinc inde in ejus substantia latitantes; lateris dextri lobus purulentus magis erat, unde & materia similis, illo leviter presso, per asperam arteriam ubertim effluxit. Cordis auricula sinistra exigua omninò apparuit, & quasi tota concidisset, dextra contra duplo major, sanguine grumoso & polypis vere membraneis & fibrosis distenta fuit, quales etiam in ventriculo dextro observavimus: Ventriculus sinister itidem sanguinis grumos exhibuit: Aëre per arteriam venosam insufflato, potissimam ejus partem ventriculus recipiebat, neque auricula inflata tantam capacitatem ostendit, quantam dextra citra inflationem jam obtinuit. Glandulæ in collo, è suis folliculis exemptæ & dissectæ, pituitam tenuissimam, iis impactam ostenderunt. Et his cadaver sub loculo restitutum fuit.

CAlculos in compluribus corporis nostri partibus generatos fuisse, usque constat, nec opus est Authorum fidem heic prolixiùs adducere: nihilominus è visceribus vulgo dictis sunt, in quibus multi difficile omnino esse, si non impossibile arbitrantur, illos succrescere posse, inprimis in pulmonibus & aspera arteria; ità Clariss. Thom. Bartholinus de Pulmon. nec in vasis pulmonum, nec in bronchiis lapides concrescere credit, cùm mora ad concretionem opus sit, quum vasa negant, bronchia non concedunt, eandem autem nec membranaceæ vesiculæ largiuntur, aëris secretioni usque vacantes, & tamen in his calculosam materiam substitisse, imo ex his ejectam fuisse, historiæ quas modò recensuimus, probatum dant: Clariss. quoque Johannes Schmidius Ann. 9. & 10. Ephemerid. German. Observat. 50. exemplum sistit virginis venustæ, quæ dudum tussi sicca vexata, adhibitis medicamentis congruis, tandem lapillos friabiles plurimos cineritii coloris excreverit per multum tempus, opinaturque tophos hosce in bronchiis pulmonum hæsisse, nec contradicimus, si pulmonum structura incolumis usque perstitit, persuasumque habemus tali in casu idem cum materiæ calculosæ ad bronchia delatione contingere, quod cum purulentæ in pleuriticis, viz. ut illa fluida sit perque poros transudare possit, in calculum demum, mora quam nectit, in bronchiis transiens, sui tamen indicia irritando mox prodens; ut mirum omninò sit; sin heic subsistat, diutius hærere posse, cùm fibræ bronchiales ejus exterminationi strenuè intentæ esse soleant: In præsenti ægrota, glandularum in collo & sub maxillis durities, & quid materiæ subsit, illico monstravit, confirmavitque sententiam hinc αὐτοψίᾳ: id quoque experientia edocti sumus, rariùs partes has pertinacibus ejusmodi tumoribus affici; quos scrofulas dicunt, glandulis interiorum partium mesenterii, pancreatis, aliisvè incolumibus existentibus, mirumque omnino est, labe graviori partes hasce caruisse,

ce caruisse, quam tamen prorsus non elusit, Hepar arenulis congestis superficiarie scatens. Pulmones & thymus præcipuam à sanguinis tartaro & viscididate copiosis noxam acceperunt, expediendumque vel illud heic potissimum est, quod circa lobulorum usum, ab eo, quo diatriben nostram de struct. Viscer. conscripsimus tempore, ruminando & experiundo assecuti fuimus, patebitque inde adhuc magis calculorum, scirrhorum, aliorumque pulmonum affectuum, quos ibidem commemoravimus ortus: Pulmones aëris purioris secretorium organum esse, huncque ceu subtilissimis vesicularum pulmonalium osculis maximè proportionatum per ipsos expandi, usque probatum est. Æthereum hanc substantiam sanguini misceri debere, ob necessarios usus, nemo sanæ mentis inficiabitur: ubi autem miscela ista præcisè fiat, dictum nondum est, quamvis de halituum, quos lobuli recipere videntur, per poros asperæ arteriæ transudatione, aliqua commemoraverimus: Attendentibus sanè interstitiis in ipsis conspicuis, inflatis, vesiculas quoque turgescere, quod facere recusant lobuli, ubi aër per tracheam injicitur, verisimile omnino est, harum ipsa expansiones esse, quorum ope aër secretus advehatur, & (quia ibidem vasa in rete elegantissimum efformata conspiciuntur,) soo elatere minutissima vasculorum oscilla una ingrediens, sanguini arterioso per venas confestim resumendo misceatur, humore lymphico per vascula propria, lobulos usque comitantia, remeante: Atque hæc ubi fluidum naturaliter habet partiumque textura, constanter natura peragit: quamprimùm autem infringi reticularis vasculorum complicatio, incongruè ab invicem dehiscere oscilla, vel etiam erodi attumpi, à stagnante lympha viscida, aut particulis salinis, acidis, tartareis, aliove sanguinis impetu, lædi incipiunt, ilias malorum pectus occupat, de quibus in Dissertat. diximus, cui nec lien duplex obicem ponere heic valuit, de cujus usu multa ibidem probabiliter proposuimus: sanguis certè per viscus hocce peculiariter circulatur, spirituque animali copiosè refectus & actuatus, per venarum propagines numerosas versus alias partes ducitur, cordis thalamos mox indè repetiturus: Ur vero affectus alios raceamus, qui Lieni affecto, male utplurimum tribuuntur, è quibus glandularum tumorem à sanguine melancholico & fæculento, meritò allegamus, quid de ista Lienis appendice judicandum sit, arduum magis videtur esse inquisitu, numque ejus primordia in ovo, è quo puella hæc prodiit jam adfuerint: enimverò orbicularis ista, à liene qui figuram & magnitudinem naturalem obtinuit, prorsus distinctus fuit, ceu Exerc. L. ad Pythag. monuimus. Nos ut tantisper sententiam subjiciamus, siquidem parenchyma Lienis aliud non sit, quam vesiculosum corpus, ex arteriolarum venularumque, quas nervuli copiosissimè stipant, admiranda complicatione ac ulteriori earundem, venularum præcipuè expansione natum, probabiliter lienem hunc alterum, ab eorundem vasorum, quibus ipse gaudere à nobis visus est, ulteriore divaricatione ac ramificatione pullulasse censemus, ejusmodi autem vasorum divisio rara prorsus non est, ceu in arteria Renum emulgente sæpè jam animadvertimus: Patet insuper Curiosis Naturæ Ruspatoribus, ubi ductuum vasorumque principes rami ac primordia adfuerint, facilè ulteriùs expandi illos posse, nec propterea ad novorum formationem, aut vim plasticam in adultis etiam superstitem, denuò recurrendum esse: antequam hinc abeamus, dicere aliquid necesse habemus ad thes. 15. eruditi scrutinii λιθογενεσίας quod sub Præsid. Excellent. Metzgeri sustinuit D. Joh. Ulricus Schmidlin: Jacto, *inquit*, hoc calculorum seminio, quo calculus modo in variis corporis partibus nascatur, qua via in gallinæ cerebro collectus, quo item modo ad uterum delatus, unde in abscessibus ortus [quorum istud decisu difficile Clar. Hardetus, illud impossibile Mercurialis, & cæ censent] explicatu nobis facile est. Equidem, si Exercit. nostras miriales perlegit, vidit haud dubiè, nos ad easdem vias, vel vasa advehentia, easdemque particulas invicem cohærere & conglomerari præ aliis aptas confugisse, ex sanæ rationis methodo, novisseque per arterias sive carotidas, sive vertebrales materiam fabulosam adferri posse, è qua cerebri calculi prodire queant: istud verò ardunm mirumque nobis visum fuit, transiisse lapillum siliciformem, in osculum meseraici vasis, & per arterias parvulas gallinæ ad cerebrum advectum fuisse; enimverò generatum inibi istum fuisse quod ille præcipuè adstruit, etiamnum pernegamus, cùm ex illorum genere lapillus sit, cujusmodi devorare ipsæ solent, & in hoc Clariss. Pythagoram Exercit. seq. consentientem habemus. *Ioh. Iacob. Harderus in Observationib. Anatomico-Practicis.*

Observatio XX.

Phthisis, in qua Pulmones putridi & scirrhosi. Epiploi scirrhus.

Henricus Landenberger, annor. circiter 15. pueritiam duriorem, ob parentum paupertatem expertus, in orphanotrophium hinc admissus fuit. Ann. 1680. de difficultate spirandi, tussi crebra, & totius corporis emaciatione querelas movit: pulsus frequens: jussi ut singulis mane & vesper. dosin sumeret pulv. antiphthis. cujus basin antihect. Poter. constituit. Die 28. *Decembr.* cùm malum inducias non daret, sed frequenter purulenta excerneret, detergentibus pectoralibus, simulque resolventibus bechicis certavimus. Aliquot septimanis post de qualicunque exæstuatione febrili conquestus fuit, cui mixtur. ex aqu. plantag. scabios. papav. rh. corall. syrup. flor. bellid. &c. prospeximus. D. 3. *Martii* 1681. vomitu crebro afflictus est, quo singula, quæ eum appetitu priùs ingesserat, sursum ejecit, succedente multa oris amaritudine, commendavimus hinc usum elect. ex conserv. rosar. flor. bellid. min. oc. cancr. præp. & syrup. corall. parat. quo symptoma molestum de inceps infractum fuit: Quatuordecim circiter diebus post, qui hujus affectus genius esse solet, subita virium prostratione infestatus fuit, tussi persistente: nunc facies tota expalluit, nunc rubore suffusa micuit: Æger quoque ultimis diebus dormitare.

dormitare cæpit, neque ad ea quæ offerebantur, aut interrogabantur, quidam respondit, usque dum viribus prorsus effractis anima derelicta quam hactenus inhabitarat machina, ad Creatorem lætior profecta fuerit. Cadaver lustravimus, præsentibus plurimis Viris præstant, & quidem contempto fœtoris insultu, imum ventrem penitius examinavimus, qui mox epiploon corruptum, glandulisque miliaribus numerosè refertum, & parte superiore, quà colo nectitur, Ventriculi fundum conscensurum, scirrho insigni longitud. ℥vi. & crassit. ℥j. dotatum comparuit. Hepar grandiusculum, hypochondrio dextro firmiter adnectebatur, quæ tum in superficie ejus exteriore, tum interiore hypochondrii facie innumeræ conspiciebantur, cujusmodi alias in pulmonibus adnaris itidem notavimus. Pancreas, Mesenterium & Renes naturaliter satis habebant. Lien nigro sanguine turguit. Ventriculus parum inflatus, bile copiosa intus tinctus erat, quam ex naribus eructantem cadaver etiam exhibuit. Glandulæ stomachicæ in hoc conspicuæ, & in duodeno valvulæ conniventes Kerkringii. Ex dextro inguine duplicatura peritonæi dilatata intestini portionem intro susceperat, unde ultimis mensibus de intestinorum prolapsu miser querelas movit. In thorace pulmones inferius costis & diaphragmati scirrhosè adnatos animadvertimus, adeò ut multa omnino vi ad ipsorum separationem opus fuerit. Pulmonis sinistri lobus inferior ad attactum scirrhum exhibuit, qui cum thymo scirrhoso, secundùm longitudinem, uti videbatur, cohæsit, ejus superficies exterior, facta incisione, corpuscula subatra & duriuscula copiosissimè, instar glandularum gangrænatarum ostendit, medietatem verò explebat materia sebacea copiosa, & tantillum renitens: Lobus superior corruptus magis erat & purulentus. Pulmonis dextri lobus inferior, parte sui maximè inferiore, materiam similem hinc inde coagmentatam, ac instar cartilaginis renitentem, friabilem nihilominus continuit. Pericardium ichore flavo plenum fuit. Glandula thymus livescens & maximè scirrhosa. Venter supremus vasa in cerebro elegantia sed pallescentia ostendit: exterius gelatina aliqua corticem ambiebat. Medullaris substantia ichore serosо, qui ex ventriculis turgidis undiquaque emanavit, tantum non tota maduit: plexus choroideus albicabat corporis striati vestigia pauca. *Idem ibidem.*

Observatio XXI.

Phthisis & Cachexia ex Pulmonum & Pancreatis scirrhositate.

Esthera Bitterlin, puella 14. circiter annorum, durius in pueritia fatum pariter sensit: In orphanotrophium admissa, operæ ibi quotidianæ vacavit, & quod ejusmodi domesticis familiare esse notavimus, plus ciborum, panis sicci imprimis ingessit, quàm cui ob vitam sedentariam, digerendo sufficiebat, unde similia ferè cum aliis incommoda experta est. D. enim 18. *Martii* Ann. 1680. de dolore circa præcordia distendente ac lancinante, nunc magis, nunc minus querelas movit, comparente circa ventriculi regionem qualicunque tumore renitente; appetitus tamen constitit: Facies erat cachectica & corpus macilentum. Urinæ subpallidæ, crudæ de glandularum obstructionibus, ipsáque M. H. visciditate & cruditate, &c. luculentè testabantur, quin imò sæpius prædiximus scirrhum pancreatis latitare. Medicamentis nihilominus, incidentibus attenuantibus, aromaticis blandis, volatilibus, &c. strenuè pugnavimus, neque ut videbatur, citra omnem successum: Aliquando etiam pill. nostras Mercuriales ex Merc. dulci opt. lot. flor. sal. Armon. gumm. amm. & par. in usum vocavimus, quarum efficaciam in solvendâ pituitâ viscidâ alias promptam comperimus: Concitârunt istæ aliquoties vomitum, pituitæ tenacis & viscidæ citra incommodum. Venter quoque detumuit, atque omnia in melius ire videbantur. Ast fefellit spem eventus, succedente post tussi siccâ, pulsu celeri, macie totius corporis & sub finem exspuitione materiæ purulentæ, doctâque plus valuit arte malum, ægrota d. 19. *Maji* Ann. seq. vitam cum morte commutante.

Ex abdomine Misellæ, quod præsentib. Nobil. aliquot Medic. Licentiat. & Philiatris cultro aperuimus, ichor modicus profluxit: Epiploon parte quà cum ventriculo arctissime conjungitur, & cum intestino colo, gelatina prorsus factum erat, atque corruptum: Renes aliquantum flaccidi, è quorum cavitate, ureteres ℥. unius latitudine, ad usque medietatem sui egrediebantur. Intestina & ventriculus parùm inflata, glandulosas cohortes intus monstrarunt. Mesenterium vero gelatinam cum glandulis subatris & induratis exhibuit. Pancreas scirrhosum erat, unaque glandularum ejus secta materia purulenta prodiit: scirrhum parte quâ hepar arctius contingit, pugni majoris magnitudine ostendit, sub quo vasa sanguifera decurrebant. Medius venter. Pulmones ex sinistrâ parte valide adnatos, & quoad lobum superiorem valdè induratos, ex parte verò dextra purulentos & materiâ caseosâ plenos exhibuit. Glandula thymus itidem scirrhosa. Pericardium ichore subflavo plenum, cor flaccidum & ferè exangue.

Conjungimus utramque harum hiſtoriarum, propter materiæ affinitatem & parile fatum, quod uterque ægrotus expertus eſt, phthiſi enim perierunt, dubiumque eſt, an poſt pancreas affectum, demum pulmonibus labes fuerit illata. Utrobique ſanè paupertas & maleſuada fames, anſa fuerunt, quominus tum chylificationis organa, tum ſanguis ipſe, parteſque hujus depurationi, lymphæque ſecretioni deſtinatæ, officio ſuo probè fungi potuerint, enimvero ex ingeſtis ſive nimis, ſive difficilis ſubactionis cibis, ſucco viſcido & lento prægnantibus, non potuit tenerior ventriculi & inteſtinorum textura non gravari, fermentum debilius enervari, & chylus craſſior ac crudior prodire, cujus particulæ ſive aggeſtæ temporis tractu, glandulas meſenterii infercierunt, ſive M. H. commixtæ, ſanguini lymphæque ſimilibus natales præbuerunt, quæ deinceps glandularum, membranarumque poris ſubtilioribus, aliis etiam in locis improportionata, hæſit, ipſoſque diducendo, & texturam illarum deſtruendo, facta ulteriore ſui coagmentatione, ſcirrhos in pancreate, epiploo, thymo & glandulas induratas, effuſaſque ex ductibus pulmonalibus, deſtructis veſicularum areis, heic quidem ſteatomata ſcirrhoſa, illic verò parte tenuiore cum cruore ſuppurante, pulmonibus eroſionem & purulentiam induxit, èque membranarum hepatis, pleuræ, pulmonum poroſis interſtitiis ſtillans & collecta, haſce vel confinibus partibus adnaſci, vel gelatina quadam obduci fecit, uti quidem ibi hepar pulmones & cerebri cortex, heic verò meſenterium gelatinoſum ſatis probant, cerebro ipſo, in illo ab omni labe non immuni, quin ſanguinis ſero tenui ita exundante, de quo palleſcentia vaſa & albicans choroideus plexus, indeque ventriculi pleni teſtimonium perhibent, medulla ejus tota maderet, corporiſque ſtriati veſtigiis tantùm non abolitis, illa glandulis ac præcipuè fibræ ductibus induceretur labes, unde ſpirituum ſecretione & expanſione impedita ſopori graviori via parata fuit. Sunt verò adhuc alia in priore caſu, quæ ordine ruminare operæ pretium faciemus, ex quibus primum conſtituat efferveſcentia febrilis, phthiſicis non infrequens, particulis purulentis, acribus & corroſivis, cruori refluo permixtis, ejuſmodi exacerbationem inferentibus, ſive jam acidæ cum alterius indolis particulis efferveſcant, ſive pervertendo ſuccum nerveum, aut accreſcendo ſpiritui animali aliqua ſui portione, quod non uſque ἄτοπον, aut aliter fibrillas nerveas ſtimulando, iſtum concitent, & vomitus quem, niſi ab irritante acri in ventriculo aggeſto, unde ſtrictis unà & ſuccuſſis ductus hepatici fibrillis & veſicula fellis, humor biliarius inteſtinum duodenum & hinc ventriculum alluit, deducere velimus, non ineptè inteſtini ilei prolapſui attribuere poterimus, utpote cum hernion frequenter vomant, idque potiſſimùm heic notavimus, cujus etiam Excellentiſſ. Wepferus meminit in Cicut. aquat. malè à quibuſdam aſſeri in hernia inteſtinali exteriorem tunicam peritonæi rumpi & interiorem dilatari, cum nonniſi dilatatam utramque heic ipſo cum obſervaverimus: Tertium ſunt glandulæ adſcititiæ & hepatis pulmonumque adnatio, de quibus ſupra jam aliquid diximus: Optimè certe fecit Nobiliſſ. Pejerus in Enteradenograph. quando glandulas externas abdominis,) cujuſmodi inteſtinorum tunicas occupaſſe. in puero cujus hiſtoriam cap. 7. Prodr. Phyſiol. exhibemus aliiſque notavimus, ab internis diſtinguit, & cùm in Merycolog. ſua p. 91. & 119. etiam membranas humorem exudare ſcribit, utpote vaſa lymphica in ruminantium ventriculis, conſpicua, aliunde deduci non poſſe edoctus, ceu etiam alibi monuimus: Natales ſanè & ſtructuram membranarum perpendenti cùm ferè aliud non eſſe videantur, quàm vaſculorum minutiſſimorum expanſio & compigmentum, abſurdum non videbitur, ſi in hiſce certos poros & meatus concipiamus, ope quorum humor idoneus per exiguos & vix ſenſibiles arteriolarum ductus advectus exudat ac ſtillat, quove deinceps vel madent & rigantur ipſæ, neceſſarios ob uſus, vel qui, ſi copioſior fuerit, aliiſque commodis deſtinatus ſit, per vaſcula lymphica revehitur, cruoris parte ſenſibili, per conſpicua capillarium venularum oſcula remeante: opus certè mirandum, & quod inficiari poteſt nemo, ni madere membranas has viciſſim perneget, contra omnem αὐτοψίαν: Requiſivit iſtud, communis utilitas, ne areſcerent, aliiſque confinibus partibus facilè adhæreſcerent, id quod in ſtatu morboſo contingere, præſentes hiſtoriæ aliorumque Authorum obſervationes comprobant, enimvero à viſcidiore ſero relicto, diducuntur quaſi pororum interſtitia, ſive mavis inſtar papillarum elevantur, adnaſcunturque (tranſudante vel remeante parte aquoſiore) confini ſubſtantiæ adeò tenaciter, ut ſeparari inde non poſſint: atque ita produnt corpuſcula miliaria, quas glandulas adventitias, forte ἀκύρως nominavimus, & pleuræ, peritonæi, hepatis & pulmonum adnaſcentia, aque ſucco gelatinæ ſimili partes iſtæ prorſus obducuntur. Quartum idque præcipuum, quod heic attentionem meretur, ſunt pulmonum ſcirrhus & glandulæ nigræ induratæ cum ſcirrho epiploi: Equidem illum quod concernit, ejus ortum tum ſupra tum in antecedentibus jam adumbravimus, poſſuntque ejus primitiæ patere cuivis pulmonum fabricam rimanti, & Phthiſicorum cadavera luſtranti: Illud autem hinc manifeſtum evadit, circa phthiſeos initia curanda occupato, ſæpiùs non tam ad ulcus, quàm coagulum, ſive viſcidum coagmentari incipiens attendendum, indeque volatilibus, incidentibus ac reſolventibus certandum æque eſſe, atque mundificantibus vel detergentibus: corpuſculorum duriuſculorum ortum modumque parilem credimus cum prioribus: viz. ab hærente in extremitate vaſculorum tenaci materia, illa pullulaſſe, neque hinc confirmari arbitramur ſententiam nonneminis, qui præter veſiculoſam & lobuloſam ſtructuram, cujus ratione pulmones glandulam optimè dici, alibi diſertè aſſeruimus, glandulis aliis ipſos inſuper conſtare putat, quod in cadavere quopiam, ſimiles forte hiſce, in Italia cùm degeret, animadvertit: enimverò ita pulmonis ſtructura à Clariſſ. Anatomicis ſub cultrum vocata fuit, ut partes dictæ & detectæ ſint, quæ cujuſque fluidi ſecretioni præſunt. Epiploi ſcirrhus forſan rarior eſt, ſui tamen initia pariter ut pulmonum nactus: Excell. Bonettus in illuſtri ſuo Sepulchreto Tumoris ſcirrhoſi in omento p. 201. & p. 812. & Laz. River. cent. 2. obſerv. meminerunt qui proinde hac de re videri poterunt: Alias ſubtilis omnino texturæ Epiploon eſt & tenuiſſima membrana, quæ à ſero acri (quale in hydropicorum abdomine ſtagnare ſolet) facile eroditur & abſumitur: annotare nihilominus in eo eſt artificioſam vaſculorum minutiſſimorum expanſionem, quouſque viſus acies pertingere poteſt, cujuſmodi in omentis fœtuum vitulinorum frequenter Philiatris oſtendimus unà cum ductibus adipoſis, quos ſagaciſſimo Naturæ Ruſpatori Malpighio debemus, ei

uſui

usui præcisè destinatos, ut particulæ pingues & ramosæ in illos secernerentur; illudque reapse deprehendimus ex membranâ in sacculos membraneos plures excavatâ illud conflari, qui sacculi ita vasa sanguifera quæ reticulatiter expanduntur, amplectuntur, ut horum propagines usque investiant: adjicit Clariss. Malpighius, eâ tamen lege ut à totâ stria seu sacculo minimi lobuli dversæ figuræ pingnedine referti, propriis vasis irrigati, propriâque membranâ obvallati, contineantur & investiantur: atque in membranulis hisce complicatis, materiam ex vasculorum sanguiferorum reticulari plexu, oleosam secerni & ulteriùs recondi nobis quidem verisimile videtur: læsa hinc utriculorum membraneorum structurâ, à materiâ heterogeneâ tenaci, viscidâ, distendente vel rumpente, scirrhus, tumorque steatomatosus, ab eâdem aggestâ facilè succrescunt: arbitramurque in statu tali, pinguedinis globulos quasi evelli, foveamque relinquere, in quâ particulæ dictæ cumulari & stagnare queant, fluidioribus & tenuioribus, vel remeantibus vel evanescentibus: Observavit sanè laudatiss. Malpighius, globulos pinguedinosos vasorum lateribus adnecti, sicuti uvæ grana racemis appenduntur: Aliàs de pinguedinis circa basin cordis, renes item aliasque partes conspicuæ natalibus jam dudum solliciti fuimus, dabiturque occasio de his alibi disserendi: Jungimus hisce ob materiæ affinitatem observationes binas Puelli & Virginis phthisicorum, ab Excellentiss. Sponio Patre nobis communicatas, Scholiolisque illustratas, ne pereant, quæ in manibus nostris versantur, luce dignissime. *Idem ibidem.*

Observatio XXII.

Puelli Tabe consumpti Anatome. Vbi Pulmonum ac reliquorum viscerum vitia varia adnotata.

MAtthæus Marion, puellus tertium supra decimum ætatis annum agens, noster ex superstitum sororum alterâ Nepos, longâ confectus ægritudine, eaque non satis intellecta, tandem extenuatissimus placide animam suo reddidit Creatori, summo manè diei 13. Martii, (45. scil. minutis post mediam noctis) Anni 1644. Horâ verò decimâ antemerid. ejusdem diei, Parentum rogatu, cadaver persectum fuit à J. Antonio Guerin Chirurgo peritiss. præsente me & domesticorum plerisque: ubi φαινόμενα sequentia oculatâ fide usurpare licuit. Omnes in ventre interiori contentæ partes, puta hepar, lien, pancreas, intestina tam crassa quàm tenuia, ventriculus unà cum suprajectis epigastrii lacertis, peritonæo, ipsoque etiam diaphragmate: Omnes istæ (inquam) partes, ita invicem connatæ ac conglutinatæ erant, ut discerpi quidem, nullâ autem arte integra separari possent, sive novaculæ acie, sive unguibus res tentaretur. Hepar grandissimum, occupans utrumque hypochondrium, exangue, durum ac scirrhosum totum, sed præsertim simâ sui regione: pendebat autem libras civiles Lugdunenses 4. cum dimidiâ. Lien putrilagine fœtorem intolerabilem conjunctum habente penè absumtus, sicut & Epiploon. Ventriculus parvus, ac tenuissimis parietibus præditus. Colon intestinum valde distentum. Mesenterium ac intestina omnia multis glandulis passim ἐπιπεφυκυίαις aspersa, exiguorum stearomatum instar habentibus. Sinister pulmonis lobus integellus, nisi quòd τὸ περίπνευμα quâ jugulum respicit pulmo, lividis quibusdam maculis, iisque latioribus depingebatur. Dexter lobus putredine semirasus apparebat. Residuum tamen ipsius, costis sui lateris pertinacissimè cohærebat, ut divelli citra lacerationem minimè potuerit. Exstabant autem & stearomata in ipso non pauca. In dextrâ porrò thoracis cavitate, seri cruenti unciæ aliquot fluitabant. Cor flaccidum, sed aliàs sanum. Caput tum idoneæ serræ defectu, tum festinandi etiam studio, quòd teterrimum odorem cadaver eructaret, intactum reliquimus.

PUer hic naturâ subtristis vixit, ἀσθενής(?), decolor. Per languoris exordia, hoc est, per annum circiter ante obitum, conqueri cepit de dolore gravativo circa hypochondrium sinistrum, nec non de quadam anhelitûs difficultate inter exercitia non ita memorabilia facilè suboriente. Conjectatum Lienis infarctus præstò esse. Purgatus est pluriès diluto fol. senæ, carthami tamarind. fumar. ceterac. sed sine fructu. Postmodùm in hydrocelen prolis utriusque incidit, quæ cùm celebratis catholicis præsidiis, admotisque topicis non cederet; ad operationem Chirurgicam deventum fuit, initio quidem ad paracenthesin per scalpellum, pòst ad setonem, tandem ad escharoticum potentiale: quibus modis eductum quidem fuit seri citrini benè multum, sed tumor paucis post diebus semper repullulavit. Quo factum, ut deinceps abstinendum putaverimus ab iteratis apertionibus, purgandumque hydragogis ac alterantibus alternatim usurpandis: quâ gratiâ usus est pulvisculo ex mechoac. senâ, cremore tartari, cinnam. aniso, nec non vino absinth. Quibus omnibus nil juvantibus, sensim ad summam maciem pervenit; ubi cùm febre carere animadverteretur, ad usum lactis accedere jussus est. Postremò diarrhœâ correptus est, quâ fœtidissima egerebantur diebus ac noctibus aliquot, quod fatale judicavi, juxta Aphor. 5. sect. 8. Pridie supremæ diei etiam rubra alvo reddidit, instar sanguinis nigrefacti, injussu quidem, verùm non sine sensu; tuncque prædixi mortem postero die imminente; juxta divini senis oraculum; Aphor. 23. sect. 4. Toto morbi decursu appetitus constitit, nec non sensuum omnium ac judicii integritas. Vino eoq; generoso inclinante vitâ apprimè delectabatur. Nunquam tussi vexatus fuit, Nunquam puris aut sanguinis sputum passus est. Vocem distinctam ac claram ad ultimum usque spiritum retinuit. Faciei characterem exquisitè Hippocraticum in ultimis habuit. Quod superest, gratulemur optimo puero, cujus melior pars Sacrosancti Numinis Providentiâ, ex illâ omnis generis ærumna-

rum valle in sinum Abrahæ traducta est, ubi felicitatis sunt omnia, quo nos quoque suo tempote recipere dignetur Pientissimus ille Pater cœlestis, cujus Nomini laus, honos ac gloria in sæcula sæculorum. *Idem ibidem.*

OBSERVATIO XXIII.

Historia anatomica de Virgine phthisicâ. Ubi pulmo flaccidus, decolor, majusculo abscessu affectus, &c.

ANno Salutis 1681. die 10. mensis Septembris, horâ sesquidecima, animam placide efflavit Lugduni, Virgo ornatissima ac pientissima Susanna Naulot, unde viginti annos nata, post exantlatam octimestrem ægtimoniam: quæ acceperat à destillatione ferinâ in pectus delabente, cui mox successit prærer molestam admodum tussim, modo humidam, modò siccam, febris initio symptomaticæ ἐπιπολαίῳ æmula, quam ὀρθόςαδην perferebat, tandem vero duplex tertiana adsidua tribus primis aut quatuor horis anadiploseos φρικώδης totidem verò postremis fervens ac æstuosa toto morbi decursu τοῖς καταμηνίοις ἀρτίως defecta victitavit: nihilominus sensibus tam internis quàm externis usquequaque illæsis ad mortem usque perstitit, appetitus non viguit, sputa sanguinolenta aut purulenta nunquam explosit. Respiratio nonnisi ultimis demum vitæ temporibus difficilis evasit. Curatura variis à Medicis non incelebribus tentata fuit: unde tamen opis quàm minimum affectus percepit. Postridie lucis fatalis utpote die Jovis 11. Septembr. horâ sesqui octava matut. defunctæ juvenculæ cadaver adapertum fuit à Chirurgo nostrate Johanne Andrien, epitheto la Riviere: cui sectioni interfuere Carolus Sponius, Claudius Feret nec non Jacobus Sponius Caroli filius, Collegii Lugdun. Doctores Medici aggregati: quâ in prosectione sequentia oculatâ fide deptehensa fuere. Habitus corporis universus omni pinguedine destitutus. Pes uterque œdematosus. Integumentis abdominis reseratis, ac utrinque expansis visui statim sese objecir Hepar tantæ molis, ut utrumque hypochondrium facilè occuparit; erat autem illud colore pallidum ac exangue, nullatenus tamen διεφθαρμένον neque ullo scirrho obsessum. Vesica bilaria parva admodum pro tanta hepatis mole intra quam bilis haud multum fluitabat. Lien satis benè constitutus, sed per mediam sui latitudinem, sulco quodam instar striæ vel plicæ præditus, ab uno lumbo ad oppositum transversim exporrecto: supra quem sulcum membrana quædam accreverat, tubuli instar efformans. An quod viscus istud à jecinore vicino nimis amplo coangustatum, hanc in figuram se complicare necessario habuerit? Pancreas totum scirrhosum erat, ac velut granulis aut gigartis confixum ac gravidum. Epiploon omni adipe orbatum, utpote colliquefactum. Tota pelvis compagis ossis ilium aquis repleta, ab epiploo (ut credibile) profectis. Ventriculus probè constitutus apparebat, sicut & intestina, ren uterque, vesica urinaria, uterus; quibus omnibus in partibus nihil desiderari potuit. A ventre inferiore ad Thoracem progressu facto, pulmonum parenchyma omnium maximè de labe insignita nobis suspectum aggressi sumus, & certè flaccidum istud totum ac decolor exteriùs visebatur. Penitiùs autem utrumque prædicti visceris lobum majusculo abscessu affectum, & quidem juxta pulmonum caput, qua ad axillam appropinquat cavitate inibi effotmata, ovi gallinacei maximi capace, unde pus affatim emanare observabatur, lobus vero sinister, quanquam laudabilior dextro, non tamen omni ex parte à tabe putrisve illuvione immunis notabatur, quâ parte cum collaterali altero coherebat. Cor amplum quidem sed laxum atque flaccidum: cujus dexter ventriculus grumis cruoris aterrimis totus refertus erat, sinister autem penè vacuus. Caput proscindere non fuit animus, tum quod istud laboris citra necessitatem susceptum iri judicaremus, tum quòd plus otii tes exposceret, quàm quod tunc nobis ob incumbentia practica munia supetebat.

VIrgo, qua de mentio hîc habetur, antequam in morbum incideret, præter alia in victus lege commissa delicta, tum consternationis, tum mœroris sensu non mediocri perculsa fuerat, ob sororis natu majoris recentem ex tabe interitum: & quia Scabiei, quæ ipsam invaserat, molestia quam primum liberari, in votis habebat, psorico nescio quo corpus inunxerat. Quocirca dubium esse potest, an ab animi pathematis, an verò à topico illo, quòd materiem scabiei intrò repulerit, Vomica pulmonis suborta fuerit? Sanè refert Christoph. Bonnettus in Vestibulo Theatri Tabidorum, Exercir. 13. cuidam impetiginis materiam topicis repressam, atque ad intestina repulsam, primum colicos cruciatus, paulò verò pòst phthisin quoque homini intulisse. Quidquid sit, genuinam mortis causam in laudata ægrotante diaphoræ ac vomicæ in pulmonibus conceptæ potissimum imputandam censuerim, sive quòd sanies ex vomicæ spelæo extillans magnam systematis pulmonum partem irroravit ac labefecerit, sive quod ex hoc ipso vomicæ foco, tanquam à bararhro charonio, pervivalis auræ toto genere vitæ inimica, per venæ pulmonaris propagines canalesque minutissimos, in lævum cordis thalamum irrupetit. Cœterùm insolentem hepatis magnitudinem hac in puella observatam, non exiguam quoque Symbolam in ipsius perniciem contulisse, credibile est: quandoquidem non tantùm partes abdomine contentas immodicè comprimebat ac conculcabat, hujus visceris vastitas, sed & diaphragma subjectum ut & pectorales reliquas particu-

las

las sursum protundebat: ita ut spatiis debitis exclusæ vim hac ratione minimè parvam patientes propriis suis muneribus propterea minùs libere fungi potuerint: adeò ut ipsis non immeritò usu venisse dici possit, ac iis quibus lien efflorescit, ac exuberat pro cujus incremento reliqua corporis membra ἀτροφεῖν καὶ φθίνειν decrescere ac extenuari affirmat, Hippocr. libro de locis in hom. his verbis: ὅτε ὁ σπλὴν θάλλῃ, τὸ σῶμα φθίνει Quam rem vulgo comparare solent fisci publici sorti, quò nimirum opimiore facto, accidi ac macrescere quodam modo amant privatorum quorumque fortunæ, sicut inter alios complures movet ex professo vetus noster Amicus Caspar Hofmannus in suo de liene opusculo. Quanquam diversa longè ratione vacuam esse magnitudinem Hepatis quam sit lienis infitiari nolim, eapropter sæpe mirari subiit tot Practicarum Medicarum conditores quòd importunæ hujus ac præternaturalis hepatis μεγαλοσπλαγχνίας inter affectus medelæ indigos nullibi meminerint, cum tamen ipsi tam præsenti quàm imminenti non abs re obviam ire debeat Medicus ὁ χαῖρις quemadmodum agricolas de nimia sive ramorum, sive flagellorum, sive florum luxurie reprimenda sollicitos esse constat. Quâ verò arte hoc ipsum moliri queat solers artifex, discussione non est indignum. Quam in rem etiamsi multa in medium proferre liceret, omnium tamen maximè heic commendandam puto τὸ τροφῆς ἀποχεῖν Hippocr. dictam in Epidem. hoc est cibi parcimoniam & detractionem: quam idem etiam λιμὸν tamen in aphorismis vocavit, puta Aphor. 59. Sect. 7. qui sic habet: τοῖσι σώματι τοῖσιν ὑγρὰς τὰς σάρκας ἔχουσι δεῖ λιμὸν ἐμποιέειν· λιμὸς γὰρ ξηραίνει τὰ σώματα. Quem in aphorismum commentans Theophilus Protospatharius quem M. S. ex interpretatione Claudii Mitalerii Viennensis ita loquitur: Carnes humidas vocat Hippocrates multò sanguine madentes: hic ergò famem adhibere convenit; hæc enim desiccat, & ita contrariam dispositionem inducit, contrariorum autem contraria prorsus sunt remedia; hactenus ille. Enim verò sicut in lucernis nisi reaffundatur oleum resiccabitur ellichnium, sic in nobis, si nihil assumet corpus exsiccabitur, inquit Hollier. comment. in Aphor. Fames enim (addit Liebautius in Scholio) multò tutius ac securius corpora carnes humidas habentia siccare solet, quam quodvis aliud auxilii genus siccandi vim habens, qualia sunt exercitia, medicamenta purgantia, venæ sectio, laconica, vigiliæ, medicamenta exsiccantia, &c. *Idem ibidem.*

Observatio XXIV.

Phthisis & pericardii hydrops.

Vir viginti & quot excurrit annorum, febri correptus, in nosocomium delatus fuit, viribus magna ex parte jam prostratis, & corpore extenuato: pulsum parvum & frequentem tussicula comitabatur: Hypochondrium dextrum mox tensum, nunc molle tangentibus se offerebat: sanguinem dehinc sputo commixtum tussi reddidit, & respirare difficulter cæpit: Malò persistente febris hectica augmentum sumsit, unde corpus adeò emaciatum fuit, ut sceleton solâ cute velatum optimè retulerit; obiit hinc d. 7. Aug. Anno 1673. cultroque Anatomico cessit Excellent. Glaseri p. m. nobis aliis cum φιλιάτροις præsentibus.

Ex abdominis cavitate setum idoneum profluxit: In hypochondriis hepar & lienem accuratè lustravimus, rati fore, ut ex alterutrius scirrhosa duritie illius fontem eruerêmus: ast illud laudabiliter habebat, hic verò hinc inde saltem, superficiarias quasdam obstructiones, easque caseosas ostendit, id magis animadversione dignum, quòd solita divisione, in quinque lobulos lien fuerit divisus: Cœtera hujus ventris legitimè erant constituta, omento excepto, quod summè erat extenuatum.

Pectus reclusum omnem calamitatis originem prodidit, enimverò pulmones anterius parvos, posterius verò & toto reliquo ambitu, pericardio, pleuræ, diaphragmati, validissimè adhærentes, vix ac ne vix quidem integros divellere licuit: Erant hi vomicis purulentis hinc inde pleni: Membrana pleura digiti minoris crassitiem acquisiverat: Pericardium ichore copioso virescente distentum fuit. Superavit quantitas, mensuram dimidiam nostratem: cordis ambitum crusta quædam candidans, levi scalptione separabilis obrexit, thalami verò dextri cavum polypus occupavit. Atque his sectioni finis factus fuit. *Idem ibidem.*

Observatio XXV.

Phthisis & pectoris hydrops.

Anno præfato sectio instituta fuit cadaveris fœminæ cujuspiam lectissimæ octodecim annorum, quæ cùm per septem menses, tussi vehementissima, à fluxione, ut judicatur, jugi in pectus una cum febri assidua lenta, conflictata esset, tandem fatis cessit. In sectione sequentia oculis notavimus:

Jecur molis perquàm amplæ, coloris cineritii, nullum sanguinem ferro vulneratum stillabat: Lien quoque tum decolor, tum exanguis. Ventriculus admodum exiguus, Renes inculpati. Uteri fundum vix juglandis magnitudinem æquans, cujus substantia subdura erat & quodammodo cartilaginosa. Vesicula bilaria penè vacua. Pulmo dexter undique costis pertinacissimè adhærens ac connatus, sinister verò paulò minus, totus absumptus erat, cavitas autem

autem tota lateris sinistri, humore subviridi instar stagnantium longaque mora vitiatarum aquarum referta visebatur, ad mensuram circiter jß. In cujus humoris ima parte, subsidentia crassa ac subalbida, verum scilicet pus aderat: Quod vero de pulmone sinistro supererat exile κολόβωμα, fœtidis ulceribus variè conspersum fuit. Cor flaccidum, sanguis in venis nullus.

PAndunt præsentes Historiæ seri viridescentis corrosivam fere acrimoniam, pulmonibus valdoperè infestam quorum vasa & vesiculas erodendo, ulcera & vomicas funestas, imo ruptis forte lymphæ ductibus sinistri lateris, pectoris ascitem in fœmina juvene admodum produxit, ni per ipsum pulmonis lobum transsudasse ac erupisse ichorem acerrimum dicere velimus, à quo destructa ejus compages ipseque absumptus atque exesus fuit: Qui vero & unde serum tale pullulaverint, nobis proclive jam non est dicere, utpote de utriusque victus ratione admodum non certi: in femina ferina tussis uti serum muriaticum ostendit, ita vicissim succutiendo pulmones eorumque vasa, ruptioni & sic labi funestæ ansam dare potuit: In Viro præcedens febris itidem in scenam trahi potest, sanguinis vero serosam δυσκρασίαν, unde præcisè deducere velimus, non uique liquet, suspicari interim causas varias, hinc aliàs originem præbentes, neminem prohibebimus: aliàs noxa, quæ levissima videri possit, pulmonibus quandoque illata, ejusmodi malorum lærnam parit, enimvero partis hujus legitima functione, corpus nostrum ægerrime carere potest, utpote qua sanguinis motus suscitatur, particulæ torpidiores actuantur, verbo vita nostra perpetuari solet. Pericardii copiosus ichor ex hoc ipso ortum suum sumsit, ceu alibi monuimus, docetque istud Clariss. Pejerus, cum in merycolog. tum parerg. suis, in quibus vicissim, occasione Adolescentis ascitici, eleganter pariter ac eruditè docet in hydrope sæpenumero pulmones & cor, salvo hepate ac liene, primario atque unice laborare: Hepar certè & lien, exanguia licet fuerint, etiam vasis sanguine usque orbatis, labem tamen aliam texturæ suæ ratione non ostenderunt in Domicella: In Viro autem lien quinque lobularis obstructiones quidem caseosas superficiarias ostendit: inde nihilominus concludi nequit, primarium hunc malorum fontem extitisse: Id magis mirum, ab ichore, cui innatabat, corruptissimo cor erosum non fuisse, cujusmodi contigit in adolescente alio, eodem anno à beato Glasero nostro dissecto, hujus pericardium crassum admodum fuit, aquaque lotutæ carnium simili refertum, innatantibus isti plurimis cordis frustulis quæ, (ceu Pejerus loquitur) velut carnei lemnisci illud cingebant, & soluta hîc illic & corrosa fibrarum cardiacarum compage, cui addimus historiam similem ab Excellentiss. Borrichio Act. Med. Hafn. insertam p. 173. de Centurione triplici hydrope enecto. In pectore, inquit, novus se calamitatis fons aperuit, enimvero & pulmones parvi, ex succi flaccidi & si ultimos margines excipias, semiputridi aquis fœdis copiosisque innatabant, & quod stupori proximum, pericardium ita ampliatum distentumque, ut tres libras, (& quod superat) acris turbidique liquoris sinu suo complecteretur. Acrimoniam confirmabat non tantùm adstantium & degustantium lingua, sed & misericordis externa facies, quippe non modo membrana cordis propria absumpta erat, sed & exterior caro cordis ab humoris illius vi profundè exesa, in lacinias & villos carneos putrescentes abierat, reliqua substantia interiore contracta flaccida & marcescente: Aliàs ejusmodi pericardii aqua, flatusvè palpitationis cordis causa esse dicuntur, ita Clariss. Hollerius Schol. super cap. 39. lib. 1. Excitari autem potest, palpitatio cordis à tuberculo, abscessu, multo sanguine obstructionem faciente, vermibus &c. aqua tunica inclusa, & humore putri ac malè olente plena, lapillis venenosa qualitate, sive ab externis sive ab internis, sive in ventriculis cordis, sive in substantiâ, sive in pericardio &c. causa subsistat. Archidiaconi cujusdam dissecto cadavere, abscessus in substantia cordis inventus. In alterius pericardio aqua: in multis pericardium flatu distentum, qui tandem solet in aquam concrescere. Cæterum rarus est uterque hydrops, inprimis si alteram tantùm thoracis partem occuparit, obque hoc ipsum diligenti scrutinio dignus, ut pro viribus tam funesto hospiti fores præcludere norit prudens Medicus: aliquot tamen hydrope pectoris affectorum exempla tum ex nostris, tum aliorum Authorum monumentis deprompta adhuc subjungemus. d. 26. April. 1673. secuimus Adolescentem phthisicum, nomine Bernhardum Oetum, cujus abdomine recluso, gravis fœtor nares illico ferit, stabulante in cavitate, multa seri fæculenti copia, hepar, lien, pancreas, à statu naturali parum desciverant, mesenterium vero glandulas majusculas & minusculas, subduras & caseosas plures exhibuit, thorax reseratus serum copiosissimum similiter profudit, pulmonibus hinc quidem vomicis purulentis, isthinc verò caseosa substansia turbidis existentibus: Non dispar fatum sensit B. Melching. 18. circiter annorum Virgo, cujus interanea Ann. 1680. d. 21. Martii in orphanotrophio lustravimus præsentib. D. Petro Rochetto, Chirurgo Senatore, D. Uriel. Rizio Pharmacopola & D. Alexandro Pfistero Scafus. Innatabant enim Pulmones saniei purulentæ, Hepate prægrandis omnino magnitudinis & ferè exangui. Excellentiss. D. D. Mathæus Harderus An. 1675. Scafus. seq. histor. præscripsit. Nuper peregre existente Dn. Parente meo cum D. D. Paritz de Papa cadaver muliebre in Xenodochio aperui, in quo insignem hydropem pectoris deprehendimus, pulmones planè erant putredine consumpti, sinistrum vero latus tres seri putridi mensuras continuit, ita ut ab aquarum copia, diaphragma, ea qua œsophagus progreditur parte, instar sacci versus sinistrum Renem protrusum fuerit, Ventriculi hepati, quod immensæ magnitudinis erat superjacente: Memoratu quoque dignissimæ sunt historiæ, quas Excellentiss. Piso de morb. thorac. intern. ab illuvie serosa ex propria αὐτοψίᾳ recenset: Anno, inquit, circiter nono supra 1600. adolescens pius & doctus orthopnœa inveterata à multis annis & febre funesta laborans, hic extremum obiit diem, vi morbi repente jugulatus, in ejus cadavere præter inflammatorium in hepate tumorem, repertus hydrops thoracis, sed in uno duntaxat latere, & pulmo vesicis humore consistente lentoque & pellucido instar albuminis ovi prægnantibus refertus. Hyeme autem superiore duos quoque alios hydrope thoracis oppressos vidimus, quorum unus fuit Reverend. Canonicus, in cujus dissecti cadavere, præter

hepar

hepar tumidum, induratum, retorridum, & pumicis instar hiulcum ac poris distinctum, universus thorax, aqua pura plenus inventus & in stupenda copia. Nec pueros vel infantes recens natos ab ista seri stagnatione vel inundatione immunes fuisse, cultro deprehendimus: d. 24. Mart. 1673. Infantulum, quem Mater ob Bellonæ sævitiam exul, & toto gestationis tempore variis morborum insultibus tentata, paucis diebus ante enixa fuit, secuimus, in quo manifestum anasarcam, quo jam in utero matris correptus esse credebatur, observavimus. Anno autem præcedente Clarid. Glaserus interanea lustravit nobis præsentibus, pueri obesuli, qui 16. septimanas ante obitum, tumore pedis sinistri afficiebatur, cum aliquali artuum superiorum imbecillitate, ita ut pedibus, quibus prius alacris innitebatur, amplius insistere detrectaret: Abdomine tenso & dextro hypochondrio duriusculo existente, unde aperitiva in usum vocata fuere, temporis tractu asthma cum stertore & tussi supervenerunt, tumore pedis tantisper subsidente. Ultimis diebus dextrum hypochondrium magis induruit, artubus superioribus & inferioribus, evidenter intumescentibus, usque dum viribus dejectis, Spiritum Creatori reddidit 5. Octobr. Anni dicti. In cadavere omentum tenue instar aranearum telæ & ex parte consumptum invenimus; intestina flatibus adeo distenta fuerunt, ut colon super ventriculum fuerit expansum, atque hinc respirandi difficultatem auctam fuisse, Beatus Glaserus auguratus fuit, non rejecto hepatis pondere, quod, licne octuplo majus naturalem magnitudinem excessit, nigricans & scirrhosum, comparentibus intus creberrimis punctulis albis, pancreate & mesenterio naturaliter habentibus. Ren sinister majusculus, cum incideretur premeretur que, serum albicans & mucosum stillavit, Pulmones humore seroso & spumoso scatebant, fluctuante in thoracis cavo aquarum copia. *Idem ibidem.*

Observatio XXVI.

De Anatome Iuvenis tabe confecti. Vbi pulmones tenacissimè costis adhærentes & maculis pluribus variegati, &c.

Adolescens annorum decem & octo, quem è Curlandia redux mecum adduxeram, ante biennium autem, & quod excurrit, ephippiario nostrati, ut artem doceretur, locaram, robustus quoad externam faciem, turgidisque lacertis speciosus, dum apud me & opificem vixit, est de immoderata siti conquestus, idque habuit in se vitii, ut plenis buccis magnam cujuslibet potulenti humoris vim una vice deglutiret, quod est perquam pulmonibus molestum juxta atque noxium. Solitus etiam fuit, ubi peregrè ad nundinas commearet, æstu defatigatus Acheloios haustus largissimo prævio infundere, quo in genere vehementer peccant nostri homines, ac inde factum, ut nusquam plures hecticos, quam in hac nostra regione, teperim. Circa Festum Michaelis Archangeli 1684. de tussi & respirationis ab adscensu scalarum difficultate conqueri cœpit; quam tussim epidemiam, tunc equidem nostrum præcordia lancinantem arbitrati, cerevisia calida butyrata oleo amygdalino, trochiscis bechicis officinalibus, aliisque euporistis abigere domestici sustinuerunt. His autem cùm nil quidquam proficerent, sed tussis, cum pituitæ viscidæ copiosa exscreatione intenderetur, qui n totius corporis lassitudo & macies, cum intensa siti, se reliquis symptomatibus associarent; suspicione phthiseos perterriti, ad me hominem ablegant; præscripta huic rei idonea medicamenta, emulsiones, decocta, electuaria, pulveres, quæ aliis proficua toties expertus eram, at frustra. Accessit denique maligna febris cum delirio, quæ miserum, procul dubio vitam, tametsi miserrime, protracturum, jugulavit. Apertum post obitum cadaver, in abdomine vesicam ostendit nimium grandem & urina turgentissimam, intestina præter communem, rubicundiora, hepar prægrande, pulcherrimum, nisi quod ejus substantia compactior quam pro solito, videretur. Ventriculum vix poteramus ab intestinis discernere, tanta & ejus erat angustia, & papyracea tenuitas. Dum ad Lienis sedem ventum, illa hospite suo vacua reperta, nisi quod è quibusdam indiciis ab internis costarum spuriarum ejus lateris parietibus desumptis hariolari possem, & hunc præsentem, & illis costis adnatum fuisse. Absumtus certe fuit, non defecit à nativitate. Renes nil ostendebant vitii. Thorax apertus aquæ subcitrinæ scaturiginem fovit. Cor salvum & grandiusculum. Pulmones præturgidi, ab utroque, magis tamen dextro latere costis firmissime adnexi, ut absque læsione separari non possent; Maculis lividis & nigris penetrantibus distinctæ magnitudinis fœdati: Substantia horum scirrhosa, arena & lapillis, plurimis cannabis semen magnitudine æquantibus, friabilibus tamen refertissimi. Ulceris nil adfuit. Caput non apertum.

Lien, mirabile viscus, semper præbuit indagatoribus naturæ seculis meditandi ansam. Non jam de hujus usu latius disquiram, quem aliqui omnino nullum censent, alii, parum abest, quin omnem œconomiam animalem ab hujus nutu dependere asserant, alii humori atrabilario secernendo; alii sanguinis plusquam perfectioni; alii seri dispensationi, & quidem hi ultimi, me interprete, (sua enim cuique sponsa pulcherrima) quam maxime ad scopum collimantes præficiunt. Placet autem aliqua circa hoc viscus, & ejus cumprimis defectum, porismata proponere; quorum primum esto:

I. Fidem exsuperat, quod de Myconiis, quamquam obscurissimè, Plin. hist. nat. li. 11. cap. 37. tradit, eos nempe ἀσπλήνους gentilitia proprietate nasci.

II. Hinc impii, & in Creatorem, nil frustra facientem, injurii censendi, Erasistratus, Democritus, Ruffus Ephesius & adseclæ, qui lienem viscus otiosum judicant & ἀνενέργητον quod de minima etiam fibrilla adsetere religioni sibi quisque Christianus ducat.

III. Defecisse tamen in certis Individuis absque vitæ jactura lienem, contra Lindenum, non negandum, id quod jam Aristoteli, & post hunc Hollerio, Laurentio, Schenkio, Kerkringio aliisque visum; & Ephemerides nostræ testantur passim, cum primis nobile exemplum Ann. 2. Dec. 2. observ. 143. abortus humani hepate & liene carentis exhibent.

IV. Eundem posse eximi salvo animali & satis commode vivente, ridiculum fuerit negare, cum id in canibus, ipsoque homine vel sexcenties factum, observationes toto die loquantur; quas nusquam ferè non collectas vide in Ephemeridibus nostris hinc inde, cum primis Dec. 1. Ann. 1. observ. 29. Ann. iv. & v. observ. 164. in cane, & observat. 165. & Dec. 2. Eph. Ann. 3. observat. 195. in homine: item à famigeratissimo Bartholino, Nobilissimo Tillingio nostro & aliis.

V. Hanc vero lienis castrationem lusum vocare, quod alicubi legimus, non patum mihi temeratius sermo videtur.

VI. Nec proinde cum aliquibus facio, qui arbitrantur, eximendum in affectibus splenericis lienem. Videtur enim mihi operatio valde periculosa, cum dubium sit, num hi affectus alia ratione sint incurabiles; Et si istæ passiones non summe dolorosæ, & cum certissimo subjecti interitu conjunctæ sunt, ferendas potius, quam crudeli medio tollendas existimo.

VII. Lienem posse certis herbis comestis aut medicamentis adhibitis, absumi, vix credo; à seri acrimonia vero, & diathesi morbosa, id aliquando fieri, supra recensita aperti cadaveris historia confirmare videtur; Est enim ejus substantia pultacea, propriissimè loquendo parenchymatica, seu quasi sanguinis quædam effusio, ideoque minimo negotio solubilis.

VIII. Hinc oritur quæstio, an in præsenti cadavere caussa mortis sit in defectu lienis investiganda, cum supra sit notatum, hunc posse salvo subjecto eximi? Et respondetur, quod sic. Non quidem solitariè, siquidem & pulmo fuit affectus, sed conjunctim. Aliud enim est lienem posse exscindi, salvo subjecto, aliud lienem à pravis humoribus absumi, unde distinctio late patescit.

IX. Quid tenendum de antiquissima opinione, cujus & Plinius & Macrobius mentionem injiciunt, remorari nempe cursum splenem, atque ideo cursoribus esse adurendum? Hunc nodum felicius ego non solvero, quodam Excellentissimus Hercules Noster in Physiologia Medica sect. 3. cap. 20. de usu lienis, cum brevibus, sed accuratissime solvit. Ut tamen & de meo adjiciam, unde hæc controversia illustrari queat, noto, heic Crailshemii vixisse, virum, olim mihi puero notissimum, sed ante aliquot jam annos grandi senio confectum, sutorem, qui vel ipsos hemerodromos Lacones, quos Cornelius Nepos laudat, aut Ladam Macrobianum famosissimum cursu æquarit. Huic autem puero ab ulcere sinistri lateris ad tosum splenem excisum fuisse, tota civitas hactenus pro raro habet. Notandum autem, dictum virum, ubi peregrè abiret, scipionis loco, utraque in vola gestasse aut lapidem, aut cespitem, aut aliud quidpiam, quocum pondere brachia quasi librarentur, totique corpori alarum aut temorum adinstar inservirent. Hoc in memoriam revocavit illustrem Verulamii locum Silv. Silvar. Cent. 7. Experim. 699. quem heic integrum exscribere fas esto: Currentis augetur celeritas à pondere manibus comprehenso. Caussa est, quia pondus, (proportionatum nempe) nervos contrahendo, illos corroborat. Qua contractione, ubi opus non est, impedimento erit pondus, quod in cursus certamine per equos instituto patet. Accuratè enim præcavent, ne vel minimò pondere alter præ altero equus gravetur. In cursu cum pondere brachia prius retrorsum pelluntur, deinde antrorsum cum impetu sensibiliter crescente; manus enim retromittuntur antequam promoveantur, Hæc Verulamius. Denique, ut de liene finiamus.

X. Posset aliquis suspicari, unde veniat, testimonio quorundam Auctorum, canes, exsecto liene, longo alacriores factos, & optima sanitate gavisos, vid. Dec. 1. Ann. iv. & v. observar. 164. Ephemer. Cur. Si tantus est, uti est, hujus visceris usus, & unde hic suppleatur? Nescio sane, qua ratione quis heic se possit extricate, nisi statuat, aliud quoddam certe lieni analogum viscus, ab affluentibus humoribus & operatrice natura regenerari, quod de absumtis aliqua sui parte visceribus aliis pulmonibus, hepate &c. Verum esse, aliquorum observationes persuadere volunt; utrum de viscere planè absumto, vel arte sublato idem possit statui, judicandum aliis relinquo, nec tamen possum, quin fatear, me in hanc sententiam inclinate. Posset rei veritatem explorare, qui canes, olim splenotomiam expertos post aliquot annorum decursum aperiret. Id in cane Clarkii superior observ. alleg. quidem factum, sed nil de liene aut analogo viscere regenerato dicitur. *Clar. Dom. Rosini Lentilii, in Miscellan. Curiosis.*

Observatio XXVII.

Phthisicus inopinata morte suffocatus, pulmones habuit exulceratos &c.

Quater novem annorum vir Phthisicus, repentina morte tollitur.

In thorace circa Arytænoidem cartilaginem collum inflatum instar strumæ erat, vivens tamen inflationem non habuit. Pulmones exulcerati & pure pleni. Et quod mirum, frustum rupti pulmonis tracheæ fistulam ita obstruxerat, ut aër vi inflatus in pulmones adigi non potuit.

Phthisis pulmonum ulcus est, cum febre, tussi &c. causa repentinæ mortis fuit obstructio Tracheæ à frusto pulmonis putridi, unde respiratio impedita, & suffocatio. Ista colli inflatio forte à convulsione inter moriendum genita est, aliàs ipsam vivus animadvertisset. *Stephanus Blancardus in Anatomia Practica Rationali.*

Observatio XXVIII.

Phthisici Anatome; Ubi Mediastinum putrefactum, Pulmones pustulis referti, &c.

Puer duodecim circiter annos natus, Post diuturnum decubitum tandem phthisicus extinguitur.

Mediastinum putrefactum. Pulmones albicantes, innumeris pustulis undique scatebant; crassum pus continebant. In pericardio ultra duodecim cochlearia lymphæ flavæ erant. Hepar pallidum & lien: plurimæ pustulæ albicantes, quæ discissæ glandularum substantiam æmulabantur eas partes obsidebant. Intestina flatulenta, plurimis maculis lividis & plumbei coloris occupata.

Phthisis est pulmonum Tabes, ut vulgo notum; ex crasso sanguine levi occasione eorum compages vesicularis obstruitur, hinc inflammatio, exulceratio, tussis, cæteraque symptomata; quemadmodum hujus farinæ observationes in præcedentibus aliquando explicavimus.

Ob vascula lymphatica in Pericardio rupta, effluxit lympha, hinc tanta copia collecta fuit.

Quoad glandularem substantiam, revera glandulæ fuerunt, quæ propter obstructiones mole immensum usque sæpe excrescunt. *Idem ibidem.*

Observatio XXIX.

Phthisici dissectio anatomica. Ubi pus fœtidissimum pulmones opplebat.

Ex Matre phthisi mortua natus quidam studiosus noctu vagabundus, & quosvis cibos ac potus sine discrimine ingurgitans, violenta ac diuturna tussi tangitur, tempore nocturno præsertim affligente: sputum erat rotundum, postea virulentum & ex albo virescens: huic Hæmoptysis succedebat copiosa & anorexia, cum febri circa vesperam magis recrudescente. Adeo emaciatus fuit, ut ossa vix cute obducerentur. Manus & pedes calore languido tumebant: postea diarrhœa superveniente, auxiliisque omnibus incassum tentatis, esse desiit.

Pulmones, aperto cadavere, supputati. Iisque dissectis, pus fœtidissimum totumque cubiculum inquinans, inventum est.

Quid Phthisis sit, & quid de ea dicendum, in superioribus plus semel enarravimus. Ex Hippocrate id veri ei contigit, cùm dicit Tabido diarrhœa superveniens, lethale. Licet matre tabida natus, nihilominus mala victus ratio, huic malo producendo, non parum contribuit. *Idem ibidem.*

Observatio XXX.

Phthisici Cadaveris Inspectio, Pulmones exuccos præbuit &c.

Pulmones exucci. Auricula cordis dextra sanguine coagulato turgida. Hepar scirrhosum: Thoracem & Abdomen multum liquoris subflavi madebat. Pancreas durum: cætera viscera flaccida. *Idem ibidem.*

Observatio XXXI.

Phthisici Anatome. Ubi pulmonum vasa purulentia infecta, &c.

Habitu quidam pinguiori, annis abhinc binis admodum macilentus fit, ita ut cutis vix ossibus hæreret, atqui sic tandem in Phthisin incurrit. A prima hujus morbi instantia vox adeo intercipiebatur, ut vix particula affirmativa aut negativa effari potuerit. Ante sex menses ei tumor infra mentum succrevit, quo nihil cibi solidi per æsophagum deglutire quiverit; sed potulentis sese per aliquod tempus sustentavit, donec ob vires deperditas ad plures abierit, evanescente tamenprius tumore.

Pulmones adeo leves erant & spongiosi, ut vix pulmæ cederent: paucum sanguinis continebant, ex eorumque vasis purulenta quædam exprimebantur. In larynge nihil tumori simile repertum.

Omentum pene consumptum. Intestina inflata & vacua. Ileum fuit nigricans. Hepar luti di coloris. Bilis solito obscurior.

Membranæ circa mentum fortè inflatæ fuerunt, unde tumor, quo & cibi deglutitio & loquela impediebatur. Nam si adfuisset Steatoma; illud non tam facile evanuisset. Cætera de Phthisi superius dicta. *Idem ibidem.*

Observatio XXXII.

Phthisis in qua pulmo interius scirrhosus extus adhærebat costis, &c.

Juvenis & elegans mulier ferâ cordis palpitatione frequenter oppressa, delapsa est in Phthisin, quæ corpori macie confecto vitam celeriter extorsit. Aperti cadaveris abdomen fere limpido plenum fuit. Vasa pancreatis sanguine coagulato turgida. Hepar mole & pondere insigne. Vesicula fellea atro & piceo, viscidoque succo plena. Cordis ventriculi, auriculæ & vasa polypis & coagulato sanguine infarcta, ita intumuerant ut quartam fermè pectoris cavitatis partem occuparent. Pectus ipsum cruento sero plenum. Pulmo exteriùs integer, ita tenaciter costis adhæsit, ut vix ab adjacente pleura divelli potuerit: Interiùs durus, scirrhosus, atro aliàs squalebat tabo; aliàs spumante pure liquabatur. Nemausi, mens. Martio, Ann. 1676. *Ex communicatione Viri Clariss. Domini Rivalier Medici Nemausensis Celeberrimi.*

Observatio XXXIII.

Phthisis in qua multiplex ac varium viscerum tum vitalium, tum naturalium vitium repertum est.

Juvenem annorum tredecim exagitabat tussis fere indefessa, sicca æquè ac violenta. Temperamentum calidum & siccum illi in sortem cesserat, unde ad quamvis rei odiosæ etiam speciem vehementer excandescebat, ac subinde furore ita abripiebatur, ut plerumque atris moribus sibi & domesticis intolerabilis esset. Altum erat abdomen à tumore tactui facilè obvio: respiratio intricata, quasi ex abdomine cogebatur: febris, quamvis aliquatenus insensilis, corpus tamen etiamsi vix perceptibili ruina perdebat. Duobus Medicis commissa est ejus cura, sed remedia usu & ratione maximè comprobata, inutilia hîc fuerunt, & tandem post duorum annorum ægritudinem, inter medicamentorum & affectus tædia lethargicus exspiravit Februarii scilicet 27. anni 1678. Rogavi ut cadaver mihi in sectionem cederet, quod amice obtinui. Sceleton è sepulchro erutum, potiùs quam corpus ante sex horas extinctum dixisses; in quo sanè omnium ossium demonstratio facilis & expedita fuisset. Abdomini primò admota novacula; Omentum penè absumptum apparuit: Intestina putredine infecta: Mesenterium innumeris glandulis scirrhosis, aliis nucis avellanæ, aliis fabæ, aliis pisi magnitudine, obsessum: Renum alter nucem juglandem vix æquans, parenchymate prorsus destitutum, membranis suis merum concludebat vacuum; alteri verò multo grandiori sua constabat conformatio: Vesica urinaria quamvis lotio distenta, ejus nihil emittebat, non quod arenulæ, vel calculi, vel pituita exitum illi intercluderent, nihil enim tale repertum, sed proculdubio ob lethargum spirituum irradiationem impedientem, sensationemque irritationis in hac parte, ac ejus fibrarum vim retundentem: Vasa umbilicalia non abierant in merum ligamentum, ut moris est, sed grandiora illa, ac cavitate donata, videbantur: Jecur stupendæ erat magnitudinis, lineis albidioribus, sicuti marmor, distinctum, illudque variis in locis diffectum, plurima intra sui substantiam tubercula purulentiâ referta prodidit: Subditus illi ventriculus ab ejusmodi mole adeò comprimebatur, ut nativam non servaret extensionem; adde his, bidui spatio ægrum lethargo obrutum, nullo alimento ejusdem cavitatem ampliasse: Pancreas colore erat satis naturali; at quod ex pluribus glandulis, membrana communi vestitis, invicemque per vasa conjunctis, in unum compaginatur corpus, de glandularum conglomeratarum genere; glandulæ potius conglobatæ speciem hîc præbebat; solidum enim erat undique ac per suas glandulas minùs divisibile; figura præterea non longior, & inæqualis, sed ovalis ac debito multo elatior reperiebatur; canalis vero aut prorsus erat obliteratus, aut saltem ocularissimorum etiam aciem fugiebat: Situm & magnitudinem naturalem obtinebat lien, sed ejus superficiei aspersæ erant plures miliaceæ asperitates.

His perlustratis, ablatum est sternum, quò partes spiritales paterent, tumque inventus est pulmo undique costis, sternô ac vertebris adnatus, scirrhosæ prorsus naturæ; materia scilicet purulenta qua infarciebatur, non ampliùs fluida, sed vesiculis suis ac toti substantiæ ita impacta erat, ut solidiorem massam faceret, aëri in respirationis usum admittendo prorsus inhabilem; nam eô etiam per follem magnâ vi impulsô, non concessum fuit intrudere; unde non parum mirari subiit, quo demum organo respiratio, vitæ prorsus necessaria, perfici hic posset, supererat revera in superioribus visceris ac ad ejus dexteras, particula quædam velut ala minùs obstructa & mollior, aëris portionem liberiùs admittens, sed quid hoc ad integri visceris, seu potius massæ sanguineæ ipsum trajicientis, commoda? Probabile itaque credideram non tantùm per partes ac sensim perditum fuisse tam nobile viscus, & propterea respiratio-

nem,

nem, quamvis languidam, ad extremas perstitisse horas; Sed agonis demùm tempore lentioribus redditis succis, in tartareum quid concrevisse, respirationis canales & pulmonis substantiam ira opplens ur, deficiente prorsus aëris susceptione, sicque ablata respiratione, vita non ulteriùs prolongari potuerit: Pericardium crassitiem & magnitudinem obtinebat stupendam, & unâ parte immediatè cohærebat sterno, nulló apparente mediastini vestigió, altera pulmonibus agglutinabatur, ingentemque efformabat cavitatem, in qua tamen nullus liquor repertus, sed tantùm cor parvulum, molle ac flaccidum: Eô adapertô vidimus dexterum sinum in naturali suâ expansione non parum fuisse impeditum, per fibrillas parietes oppositos variis in locis invicem quodammodo colligantes; sinistrum verò occupabat polypus, seu concretio pituitosa, ejus fundó mediantibus duabus radicibus annexus, & in aortam ad novem circiter transversos pollices porrectus.

Interiora tandem cerebri rimari consultum fuit, illudque propterea juxta consuetam methodum adaperuimus. Statim se nobis exhibuit polypus, seu, ut priùs dictum, concretio pituitosa, per totam sinus falconati longitudinem ad inregram ejus oppletionem excurrens: Dissectâ durâ meninge unciæ ad minimum viginti seri subflavi effluxere; nec si tamen minùs distenta undique apparuere vasa sanguifera, parum quidem cruoris, multum verò seri ex flavo virescentis concludentia: Cætera cerebri inculpata fuere.

Observatio XXXIV.

Tabes à Dysenteriâ.

Fllia unica Domini Tindall. Adolescentula egregia, scorbutica tamen & quadantenùs melancholica, circiter xviii. annum ætatis, à suppressione purgationum menstruarum in Diarrhœam serosam, & colliquativam incidit, ex qua sensim, spatio unius anni, Atrophia universalis; usque ad gradum Marasmi, inducebatur, sine verò aliquâ febre sensibili, vel Tussi, vel dyspnœâ, vel aliquâ alia nota morbidæ pulmonum affectionis, adeo ut à Medico, qui eam ante me curavit, non omnino pro Tabidâ haberetur. Ego, cùm jam præ debilitate febre perpetuò lectô affixa erat Ægra, eam invisere accersitus quasi Diarrhœa sola affectam, planè Tabe usque ad marasmum confectam inveni, & ità de eâ sententiam meam palàm proruli, licet adhuc pulmones sarti tecti viderentur, nec ullum Indicium aderat febris Hecticæ. Quumprimùm verò à regimine debito, & usu medicaminum efficacium sistebatur Diarrhœa impensiva, quam prior Medicus ex ignorantiâ, vel incuria tandiù permiserat, illicò flamma hectica in habitu Corporis accendi incipiebat, & pulmones etiam affici tussi fere perpetua, & dyspnœa, quæ symptomata tandem sudore colliquativo, tumore pedum, aliisque notis funestæ Phthiseos pulmonaris excepta, citò ad supremum diem Virginem formosam, inter lacrymas amicorum, deducebant. Duo hîc præsertim notatu digna erant, scil. quòd, quo magis Diarrhœa sistebatur, eo semper magis pulmones illicò afficiebantur: Et secundò, quòd utcunque per spatium fere anni Tabes prævaluerit, ad marasmum usque, priusquam vel labes minima pulmonibus impressa videbatur, in cadavere tamen post mortem aperto pulmones apparebant ubique tuberculis hic illic referti, iisque non tantum crudis, verùm etiam aliquibus maturis. *Clar. Richard. Morton in Phthisiologiâ.*

Observatio XXXV.

Tabes cum Hydrope post peripneumoniam.

Fllius Thomæ Lechmere Armigeri, circiter annos duos natus, & denturiens, à frigore percepto, in Peripneumoniam incidit, atque longo tempore, à Pharmacopolâ, omissis Venæsectione aliisque curationi legitimæ apprimè necessariis, pessimè habitus est. Tandem autem à me & Collegâ meo eximio, Dre Croon, serò licet advocatis, per detractionem sanguinis, applicationem Vesicatoriorum, & linimentorum Thoracicorum ut & per exhibitionem Medicaminum pulmonarium, quadantenùs restitutus est: Valetudinarius tamen cum tussi & difficili respiratione mansit, per spatium scilicet anni unius, & minimum, à quo tempore misellus puer febre hectica, quotidiè intermittente cœpit detineri, quæ licèt usu Corticis Peruviani sæpissimè profligata fuerit, citò tamen revirescere solebat, & quidem, incertis intervallis, per annum integrum, ad fatalem usque diem recrudescebat. Ab initio verò febris, Abdomen Hydropico tumore distendi cœpit; qui quidem tumor mirum in modum, indies crescebat, cum augmento tussis, & dyspnœæ: quibus omnibus Atrophia partium, ad gradum usque marasmi, tandem superinducebatur: In summa verò Corporis

potis emaciatione, & Hydropis ἀκμῇ (quod notatu dignum) vultum habuit vegetum, & elegantissimum, absque vel minimâ flavedinis tincturâ, Appetitum etiam firmum seu magis voracem, idque, ad funestum usque diem. Quo rectè conjectatus sum, necnon amicis ejus hanc sententiam semper protuli, Hydropem esse verè chylosum factum à depluvio chyli in cavitates abdominis per vasa lactea, ex accidente aliquo rupta, necnon tabem comitantem haud esse verè pulmonarem, sed ex merâ inanitione ortam, per subtractionem scil. succi nutritii debiti è vasis chyliferis, rupturâ jam in iis factâ. Quod ab eventu planissimè patuit. Paracentesi enim factâ in Abdomine, dum adhuc vivus erat puer, extraximus plurimas libras chyli lactescentis, & admodum dulcis, qualis in ipso ducto chylifero reperitur. Aperto verò post mortem Cadavere, non obstante difficili respiratione, & longa tussi, invenimus pulmones ipsos sanos & sine aliqua præternaturali affectione, nisi quòd in postica parte, prope Trachæam, glandulæ apparebant valde numerosæ, eæque satis insignes, & duræ, egregiam pressuram super ipsum ductum chyliferum efficientes, fere qua parte Venam subclaviam pertingit; erantque adeò insignis ponderis, & molis, quòd ob pressuram super ductum inde factam, ac si à fascia injecta, difficile admodum videbatur, si omnino possibile, ut Chylus sese in sanguinem trajiceret. Atque inde factum est proculdubio, quòd vasa lactea tenuia in abdomine sita (chylo continuò premente, & transitum facilem superiùs per ductum chyliferum non reperiente) ultra tonum distenta, tandem rupturam paterentur, atque ità in cavitates abdominis chylum sanguinis reparationi destinatum, quasi continuò rivo, trajicerent. Ex jam dictis prope vel ipsi sensui apparet primò, hos tuberculos, seu glandulas pulmonares tumefactas à malè curata Peripneumonia, ob defectum scil. tempestivæ venæsectionis, & expectorationis, primitùs, esse oriundos: Secundò, sicut tussim molestam atque aridam à constrictione vasorum pulmonarium aëriferorum his tuberculis factam, ità etiam respirationem anhelosam à pressura chyli extravasati infra diaphragma ortum habuisse. Tertiò, Tabem hanc non fuisse verè pulmonarem, quoniam licet adfuerint tuberculi pulmonares, Apostemata tamen non referebant, neque exulcerabantur: Verùm, revera procedebat hic Marasmus ab Hydrope hoc Chyloso, unde continuò succus ille nutritius subtrahebatur, qui sanguinis reparationi, & partium nutritioni debebatur. Quartò, Hydropem hunc à ruptura vasorum lacteorum in abdomine sitorum ortum habuisse, & denique hanc rupturam exilium Vasorum lacteorum à continua illa pressura in superiorem partem ductûs Chyliferi per tuberculos hos pulmonares factam esse. *Idem ibidem.*

Observatio XXXVI.

Phthisis Scrophulosa.

Filius unicus *Domini Davison*, Civis eximii, & Mercatoris Londinensis, ab incunabulis usque ad pubertatem, purulenta Scabie per totum caput dispersa, & sæpiùs recurrenti, ex habitu Scrophuloso ortâ afflictus, ejusque tædio juvenili ætate affectus, Emplastris, & unguentis nescio quibus repercutientibus ex consilio Mulierculárum sanitatem requisivit. Unde statim, circa annum scil. 1678. à tuberculis exinde in pulmonibus ortis per totam æstatem tussi aridâ vexatus est: quam tamen per unum vel alterum mensem penitus neglexit, donec à levi inflammatione, & exulceratione tumorum, in febrem putridam intermittentem, unà cum appetitûs dejectione, siti atque aliis hujusmodi symptomatis sub initio autumni redactus est; quo tempore me consulebat, atque ope Corticis Peruviani, Balsamicorum, & Pectoralium medicamentorum in aëre rusticano exhibitorum, à febre, & quadantenùs etiam à tussi, liberari videbatur. Impatientia verò, & nausea medicaminum ulteriorem sui ipsius curationem negligens fatalem febris, atque etiam Tussis Phthisicæ recidivationem perpessus est: à quibus medio sequentis hyemis funestè è vivis sublatus est, unà cum Diarrhœâ, immensis sudoribus, Hydrope, & cæteris Colliquationis invictæ Symptomatis. Aperto Cadavere invenimus omnes pulmonum lobos hîc indè variæ magnitudinis tuberculis interspersos: his quidem ac si recens pullulatis & minutis; illis autem satis magnis, etsi crudis: nonnullis verò inflammatis, & exulceratis, & in sese materiam purulentam melleæ consistentiæ continentibus. Hanc Phthisim scrophulosam esse diximus Secundi Ordinis, Calidam scilicet, & Acutam. *Idem ibidem.*

Observatio XXXVII.

Phthisis ab Hæmoptöe.

Unus è Magistris Artium in Hospitio dicto *Bridewel*, qui sese præcedenti anno uno, vel altero, curæ meæ commiserat, ubi peste Sporadica bubonibus, & carbuncu-

lis stipatâ laboraret, (à quo veneno sanguis forsan satis non adhuc sese depurasset) incidit circa annum ætatis suæ 35. Annoque Domini 1669. in insignem Hæmoptoën, per quam magnum cruoris dispendium sustinuerat, priusquàm me advocaret. A venæsectione verò, Ligaturis, Julapiis, & Electuariis adstringentibus, diætâ lacteâ, & regimine universali debito, fluxus omninò sistebatur. Ipse tamen hecticus adhuc mansit tussiendi malo vexatus. Ideoque lacteam diætam continuandam, & dosin Electuarii Opiati omni nocte sumendam præscripsi. In subsequuturæ etiam Phthiseos præcautionem Fontanellam in brachio secari, Emplastr. Cephalic. capiti raso imponi, Ægrumque in aërem rusticanum & apricum deduci jussi, & ut illic succis temperantibus, Plantaginis scil. & Urticæ, saltem bis die, uteretur, unà cum aliis plurimis, quæ nunc distinctim recensere opus non est. His verò non obstantibus calor hecticus unà cum tussi continuò urgebat, & incertis periodis, saltem bis mense, scil. circa plenilunium & novilunium, à calore & motu sanguinis aucto Hæmoptoë recrudescebat, Ægro continuò à febre urgente magis, magisque marcescente, donec tandem in statum colliquativum universalem per diarrhœam, sudores, hydropem, &c. redactus, & summa respirandi difficultate pressus vitam suam finiret. Eo enim tempore non eram expertus Corticis Peruviani efficaciam ad hanc febrem hecticam tollendam, à qua ista funesta colliquatio ortum suum ducebat: Aperto verò cadavere, inveni pulmones mirum in modum tumefactos, & ubique in omnibus lobis, tuberculis, aliis crudis, aliis ulceratis refertus. *Idem ibidem.*

Observatio XXXVIII.

Phthisis in quâ pulmones & hepar variè affecti.

Dominus *Rook*, in platea vulgò dicta Cheapside, quadragenarius, à curis multis, & compotarionibus immodicis, per decem annos continuos, perpetuò hecticus esse videbatur, pulmonibus infarctus, tussiens, & in Phthisin dispositus. A notabili verò exercitii, & liquorum spirituosorum excessu in insignem Hæmoptoën respiratione difficili, & pectoris dolore stipatam incidebat: Necnon recidivationem singulis, vel alternis diebus, eamque satis notabilem, miser per tres ad minimum septimanas passus est, idque non obstante frequenti Phlebotomiâ, usu lacteæ diætæ, succorum temperantium, Electuariorum, & Julapiorum, Adstringentium, & Opiatorum, & Aquæ etiam Stypticæ Regiæ. Tandem verò, ubi non tantùm ex pulsu celeri, & urinâ rubrâ; verùm etiam ex ipsâ temperie insignem febrem intervallis incertis sæpius recurrentem semper viam sputo sanguinis subsecuturo sterne observassem, drachmam unam Corticis Peruviani in haustu convenienti quarta quaque hora propinavi. Cui semper plus minus Laudani (prout ferre potuit) addi curavi. A cujus usu febrem ptorinùs extinctam, sine Hæmoproës recursu, & urinam colorem naturalem recuperare inveni. Corticis repetitionem iterum, iterumque debitis intervallis injunxi, atque eum prò appetitu (qui jam magis quàm ante Hæmoproën vigebat) nutriri, atque aëris aprici beneficio frui curavi. Unde, (quod dictu mirum est) sine aliquo alio adminiculo habitum magis firmum, & Athleticum consecutus est, pulmones magis liberos, respirationem faciliorem, æstum sanguinis minorem, & tussim etiam moderatiorem, jam per sesquiannum, quàm per plures annos ante Hæmoptoën sensit; Admirantibus amicis, qui omnes eum brevi post Hæmoptoën certo certiùs Phthisicè interiturum exspectabant. Quod eo magis mirandum, quòd regimine sex rerum non naturalium æque negligens sui ipsius permansit, ac ante Hæmoptoën esse solebat. Cujus neglectûs pœnas tandem cum vitæ ipsius dispendio luit. Ab erroribus enim maximis nuper admissis in novam Phthisin, eamque satis minacem & funestam incidit, quâ tandem è vivis sublatus est. Aperto post mortem thorace, Jecoris parenchyma compactum, & compressum reperimus, ac si igne coctum fuisset; lobos omnes pulmonum colore nigro teterrimè conspurcatos, (quod forsan ab usu continuo fumi Tabaci proveniebat.) & tuberculis infinitis ubique refertos, quorum aliqua majora pure, alia substantiâ melleâ repleta erant. Maxima verò pars minorum, quæ racematim, & instar acinorum per totum parenchyma disposita fuêre, materiam steatomatosam in sese continebat. Glandulæ prope Trachæam sitæ omnes profundè nigricabant, & in sese liquorem nigrum, aut coloris cineritii habebant; qualem Phthisicos Scorbuticos, & Hypochondriacos, præsertim qui multum fumi Tabaci haurire solebant, qui in aëre carbonum fumo oppleto degebant, & faucibus horis matutinis exscreare usitatò observavi.

Formula haustûs febrifugi, quem Domino præscripsi, hujusmodi erat.

℞. Aqu. Tormentil. Plantag. an ℥j. Aqu. Cinnamom. hord. Syrup. Myrtill. an. ℥ß. Acet. stillat. ʒß. pulver. Patrum ʒß. Ms. F. Haustus quartâ quaque horâ propinandus ad octavam vicem Semel vel bis die haustui addidi Laudan. Lond. gr. j.

Eodem modo Dominam Mattin, vetulam fere septuagenariam; Aurifabrum in vico dicto Sancti Johannis, filiam Domini *Bloomer*, atque alios quamplurimos ab hæmoptoë insigni, & (uti videbatur) funesta liberavi. Qui omnes sine sanguinis sputo recurrenti, vel phthisi subsequenti, adhuc sani manent, solitisque muniis fungentes, quorum historias hic singulatim narrare forsan nimis longum esset. *Idem ibidem.*

OBSERVATIO XXXIX.

Phthisis à tribus claviculis in pulmones illapsis.

QUidam Juvenis, habitans juxta Portam dictam *Cripplegate*, robustus, & visceribus ptorsus sanus, dum Artem suam Dealbatoriam exerceret, qua victum suum satis commodè quærebat, forte fortuna cachinnatione intemperanti tres claviculos, quos in usum suum ote servabat, per Trachæam in pulmones admisit. Quo ferocissima tussi & continua titillatione jam correptus in immanem Hæmoptoën incidit. A quibus symptomatis sese, nescio quo pacto, tandem liberavit. Illud verò certissimum est, quod etsi claviculi isti neque sponte suâ, neque aliqua arte rejecti fuerint, Juvenis tamen per plurium mensium spatium optimè valebat. Artem suam, uti priùs exercens. Neque quicquam in sese (uti mihi narrabat) in pejus mutatum sentiebat, nisi quod tussi sicca, & inani, & aliquali etiam oppressione, neutra verò multùm molesta, ab illo tempore affici soleret. Adeò bene se habebat, ut sese uxori idoneum judicaret, quin & duxerit. Die verò Nuptiali, sive à liberaliori vini potatione, sive à saltatione nimia (undè claviculi, qui anteà immoti in pulmonum parenchymate tanquam sepulti jacebant, de novo commori sunt) misellus sponsus sub vesperam horrendis spasmis, & acutissimo pectoris, & lateris dolore corripiebatur, unà cum difficili respiratione, & tussi arida, sed valde importuna, adeo ut vix potuerit in lecto suo decumbere, vel minimum capessere somnum. Quo plurimum febricitari cœpit, licet extrema præ doloris spasmodici urgentia frigere viderentur. Omnibus muliercularum & Pharmacopœorum Receptulis incassum & sine ullo fructu prius tentatis, ego tandem circa tertium scil. morbi diem importunissimè rogatus accessi. Affectionem morbidam planè Peripneumonicam esse statim deprehendi; ideoque copiosam Venæsectionem, Fotus, & Linimenta externè; Linctus etiam & Apozemata Pectoralia, & Julapia Temperata ex Aquis Antispasmodicis internè præscripsi. His vero nequicquam proficientibus, sanguinem iterum atque iterum extrahi jussi. Et quidem per multos dies in usu variorum internorum, & externorum Remediorum pertinaciter hærere coactus sum, priusquàm misellus Æger vel minimum doloris levamen sensisset: Dolore verò tandem aliquantulum mitigato, haud ullam tamen Phlegmatis expectorationem arte mea promovere potui; neque febrem penitus tollere, etsi de natura Acutæ & Peripneumonicæ in lentam, & hecticam migrare videretur. Adeo ut Æger à Symptomatum urgentia jam liberatus, etsi perpetuo febricitans, melius tamen quàm antehac dormire, & cibum sumere potuerit: vires tamen quotidiè elanguebant, & tandem ab universali scil. colliquatione, intra unius mensis, vel quinque hebdomadum spatium, vitam suam planè Phthisice finivit.

Doloris quidem pertinaciam, & expectorationis difficultatem valde miratus sum atque ideo, Hippocratis sententiam secutus Phthisin Empyicam subsecuturam præsagiebam. De primaria vero causa, claviculis scil. delapsis, nihil ne per somnum quidem deprehendi, antequam de Ægri vita jam planè conclamatum esset. Aliàs liberaliorem usum Laudani ab initio & forsan etiam cum meliori successu concessurus eram.

Cadavere post mortem aperto, invenimus tres illos fatales claviculos, simul in eodem lecto puris, quasi sepultos, paulo infra Bronchiorum divaricationem; tonumque pulmonum à sensim pertepente eos pure universaliter labefactatum: Atque ipsam membranam pulmones externe investientem à puris acrimonia corrosam; unde facta est perpetua Phlegmatis purulenti depluitio, seu destillatio, in cavitatem Thoracis, è quâ (si benè memini) sex ad minimum Pintas purulenti hujus liquoris hauivi. Quo viso, doloris pertinaciam, & expectorationis difficultatem, quæ Peripneumoniam istam comitabantur, ampliùs mirari desinebam: neque videbatur mirum Peripneumoniam hoc modo effectam in fatalem & tam acutam phthisin terminari. *Idem ibidem.*

OBSERVATIO XL.

Phthisis ab hepate, hepatica propterea dicta.

DOminus Dent, incola Whitecross street, opem meam & consilium per plurimos annos petere solebat, quoties de sanitate sua, vel familiæ recuperanda ageretur; Vir sanè probus

probus, quadantenus tamen melancholicus, indeque compotationibus nocturnis iisque feris, & admodùm longis, ad erigendum oppressum animum deditus. A quo in habitum corporis, crassum, & tanquam callosum incidebat, Tandem vero circiter annum ætatis suæ quinquagesimum, longis & incertis intervallis, de affectu capitis vertiginoso conqueri solebat: atque post hujusmodi tres, vel quatuor paroxysmos (quorum unus, vel alter prope ad apoplexiam accedebat) ab uxore clarissima, & obsequentissima frequenter monitus, & obnixe rogatus, tandem hoc negotium ad me deferre consensit, Vir aliàs à medicamentis, siquis alius, maximè abhorrens. Sanguine vero è vena jugulari extracto, & Emplastro Epispastico amplo nuchæ, applicato; exhibito etiam leni Vomitorio, & deindè Cathartico uno vel altero, unà cum Julapiis Cephalicis interspersis, à præsentibus symptomatis jam liberatus, Chalybeata, atque alia ad obstructiones in visceribus referandas pertinentia, quibus futuræ sanitati prospici potuerit, plane respuebat. A cujusmodi neglectu accidit, quod anni unius, vel aucterius spatio recidivationem iterum iterumque perpessus sit. Tandem verò à Medicastro quodam Spagyrico satis jactabundo, exhibito illi, absque aliquâ præcedenti evacuatione, Arcano nescio quo, Martiato, morbum illico à cerebro ad pulmones, & Diaphragma translatum esse contigit, sub specie asthmatis sicci; adeo ut, qui anteà de vertigine conqueri solebat, jam multò magis perpetuam strangulationem, seu suffocationem defleret, quæ quidem vel ipsis spectatoribus in ægri vultu satis apparebat; quippe quod non tantum nativus faciei nitor à cute crassescenti jam plane perierat; verum etiam genæ, & ipsa labia loco soliti rosei splendoris, fœdo livore, quadantenus pallescente, conspurcabantur, ac si æger longo jam tempore illaqueatus fuisset. Necnon oculi, & tota ferè cutis colore Ictiritio leviter tingebantur, urinâ etiammodo Icteritiorum flavescente, & sicuti quantitate perpauca erat, ita etiam Contentis semper abundè saturata. Tussis etiam aderat ferè perpetua, non verò adeò ferox, quoniam scil. à phlegmate glutinoso procedebat. Appetitus vero planè prostratus erat, & sitis etiam ingens cum aliis febris hecticæ symptomatis. Et quidem in hoc misero & ærumnoso statu per biennii ferè spatium duravit, jam unius, jam alterius Medici coram, atque opem implorans, nullius verò consilio diu morigerus, donec tandem circiter spatium ante obitum suum trimestre, cum jam planè marasmo confectus esset, à colliquatione universali factâ, per copiosam phlegmatis putridi sputationem, sudores immensos, Diarrhœam, & tumores Hydropicos Crurum atque Abdominis valdè molestos, sese iterum, licet jam nimis serò, cum lacrymis, & precibus meæ curæ commisit, graviterque indoluit, quòd medicaminum tædio sub morbi initio affectus, tam citò sese à cura & consiliis meis subduxerat; quùm à Venæsectione, repetito usu Mixturæ Riverii, atque aliorum Emeticorum leniorum, & Catharticorum, Pilularum nostrarum Balsamicarum, Linctuum, & Apozematum Pectoralium, Incidentium, & Abstergentium, mutatione aëris, atque aliis ejusmodi plurimum emolumenti percepisset, licet in integrum sanitatis statum nondum redactus esset; cum jam præ Diathesi tabidâ, & colliquatione universali vires evacuationibus necessariis omninò impares essent: Nihilominus manus adjutrices pro viribus misero ægro porrigebam, & primùm tumorem Hydropicum subductione humoris per alvum minuere tentabam, bolo Cathartico sequenti.

♃. Conserv. Flor Cichor. pulv. Rhei. an. ℈i. Resin. Jalap. ℈ß. Sal Absinth. gr. v. Syr. Cichor. cum Rheo q. s. Ms. F. bolus.

Operationem primi Boli cum εὐφορίᾳ ferebat; attamen præ Ægrotantis languore, atque febre, non ausus sum Bolum istum tam sæpè repetere, quàm hydrops id postulabat. Incassùm etiam Julapio Diuretico ex Aq. Petroselin. Fœnicul. Lumbric. mag. Syr. è v: Radicib. Sal. Succini, &c. urinæ fluxum promovere satagebam; à cujus usu febris quadantenùs augeri videbatur; quam denuo usu Corticis Peruviani, saltem in tempus sustuli. Ubi verò appetitum exindè non restitutum deprehendi, non adeò multum ab isto medicamento expectavi. Ideòque obstructiones hepatis, (in quo primum morbi malum latitare ritè suspicatus sum) usu copioso Apozematis nostri hepatici, & Diuretici jam antè memorati, & Chalybearis etiam commodissimis reserare; uti etiam pulmonibus Pilulis nostris Balsamicis, Linctibus, & Apozematis Pulmonaribus prospicere molitus sum. A quorum usu meliùs respirare, & minùs febricitare, cutim etiam & urinam minori flavedine tinctam habere videbatur; Colliquatione tamen adhuc perstante, & hydrope prævalente, cum etiam jam mediâ hyeme essemus, de ejus restauratione planè desperavi, ideòque cum pro voto suo in aërem rusticanum & apricum dimisi, quo ibi εὐθανασία saltem, quantum ejus symptomata ferre poterant, frueretur: Ubi spatio iv. vel 5. hebdomadum ab istâ universali colliquatione confectus, sensim more candelæ extinctus est; de hoc, præter cætera symptomata, querimoniam faciens, horrendo scil. & quasi spasmodico dolore ab hypochondrio dextro per magnam abdominis partem producto; quod quidem neque tollere, neque mitigare potui vel Linimentis, vel Fotibus Anodynis, vel quovis alio modo, Quale quidem symptoma in aliis ejusmodi ægris ferè semper deprehendi; cujus rei rationem à cadavere post mortem

tem aperto admodùm facile erat reddere. Sterno enim semoto, & thorace aperto, primùm in conspectum venerunt pulmones, mole plurimùm adaucti, colore naturali in nigricantem vel cineritium jam mutati; Thoracis parietibus ferè ubique pertinaciter adhærentes & in omnibus lobis Tuberculis, hìc quidem maturis, illic verò crudis referti. Ex quo satis constat hanc fuisse Phthisin verè pulmonarem, licet symptomaticam. Ipsum etiam Hepar, sicuti multò majus, quam par erat, apparebat, (quo pacto Diaphragma inferius premendo, proculdubiò non parùm suffocationem illam continuam, quâ Æger, quocunque ae e versaretur, afflictus est, promovebat; sic etiam Parenchyma ejus præter tonum naturalem plus solito, justoque compressum & compactum, ac si planè coctum fuisset; ramuli etiam venæ Portæ ad hepar ab hypogastrio tendentes, ubique ultra naturalem tonum distenti, & varicati erant. A quibus æque facile est causam Ictéritiæ hujus Chronicæ dispositionis, quæ hic primam ansam Phthisi præbuit, deducere, atque horrendi illius doloris ab hypochondrio per abdomen producti, de quo non tantùm hunc Ægrum, verumetiam Dominum Maddox, jam ante memoratum, Dominam James, Dominum Freestone in Bucklersbury, aliosque ferè omnes hoc modo decumbentes querelas, cum magnis ejulationibus ita attentè & perpetuò facere observavi, ac si nullo alio symptomate afflicti essent. In his tamen hic dolor renum, & lumborum regionem magis occupat, doloris Nephritici, vel lumbaris scorbutici æmulus, sicuti accidebat Domino Maddox, & Domino Freestone: in illis vero ipsius Abdominis anteriorem partem, præsertim verò hypogastricam, sub veræ Colicæ specie, quo pacto affectus est Æger; de quo jam sermonem habemus.

Ab hâc quasi compressa densitate & duritie parenchymatis Hepatis, adeò præternaturaliter intumescentis, & ab insigni varicatione Venæ Portæ indè consequenti, sicuti rationi & ferè vel ipsi sensui, satis constare potest, de Ætiologiâ Chronicæ illius Ictéritiæ dispositionis, ex quâ Æger noster in Phthisim primùm erat dispositus: ita non minus de ortu horrendi illius doloris, qui partes Abdominis occupaverat, & forsan etiam hydropis illius Ascitici insignis, quo fatalis dies proculdubiò multùm acceleratus fuerat.

Quod ad chronicam illam Ictéritiam dispositionem attinet, nemo mirari debet, cum organum hoc magnum, bilis colatorium, nativa sua laxitate penitus privetur; si à constrictione, seu compressione Parenchymatis indè consequenti, nativæ suæ functioni exsequendæ impar reddatur; secretioni scil. partium biliosarum è sanguine, & earum excretioni in ductum biliarium & in vesicam felleam, in egregios usus eis à natura destinatos: A quo non potuit non insequi nimia congestio, seu coacervatio bilis in ipso sanguine, atque indè etiam tinctura cutis flavescens, Urina profundè rubra, flava, & Contentis saturata: dejectionum Alvi Color quadantenùs albescens, unà cum languore, virium prostratione, cæterisque Icteri usitatis symptomatis.

Forsan etiam ab hoc compresso Hepatis Parenchymate, & varicatione Venæ Portæ indè factâ, accidit vasa lymphatica ab Hepate, vel à Glandulis Conglobatis in ejus sinu juxta ingressum Venæ Portæ ortis ῥῆξιν pati; undè facile etiam sit rationem Hydropici illius tumoris reddere, qui huic Ægro, sicuti ferè omnibus hoc modo affectis fieri solet, sub finem Ictéritiæ hujus Phthiseos superveniebat.

Denique quod adhorrendum illum dolorem spectat, qui hunc morbum comitari solet, notandum est omnem Icterum, cujuscunque fuerit generis, sive accidentalis, sive habitualis, hujusmodi spasmodicum dolorem semper habere comitem; verum sub hac distinctione, nempè quod sicuti Icterus accidentalis provenit à merâ obstructione ductûs bilarii, vel communis, per calculum scil. vel glutinosam bilem; ita morbum peracutum febre periculosâ, & doloribus spasmodicis dirissimis ad lipothymiam usque stipatum efficit, qui quidèm dolor nihilominùs regione Ventriculi, & scapulis circumscribi solet, sub specie scil. Colicæ Ventriculi: quippe hæ vicinæ partes, per consensum cum tenero illo ductu habitum, jam à bile, vel calculis ultra nativum tonum multum distento, spasmos dolorificos pati solent: Cùm è contra, in habituali Ictero, licèt ab ipso morbi initio obtusus quidam dolor & gravativus perpetuò in regione hepatis sentiatur, (sicuti Dominæ *James*, atque aliis sæpins contigisse memini;) ubi primùm scil. Parenchyma hujus Visceris à nativâ suâ laxitate discedens jam nimis compingi incipit: Verùm nullus acutus, & instar prioris spasmodicus dolor invadit, nisi partibus hypogastricis, sub specie scil. veræ Colicæ, vel lumbaribus, formâ nephritici doloris, idque non longè ante fatalem diem, scilicet non antequam à compressione Parenchymatis multùm auctâ in tantum tandem hepar ipsum constringi contigit, ut difficilis admodum, siquidem ullus detur locus sanguinis è Vena Porta per illum trajectioni. Unde, à pressura scil. subsequentis sanguinis, quis mirari potest vel ipsa vasa ultra tonum naturalem jam distenta, sensim in magnam molem augeri? modo à fluxus immodico Hæmorrhoidum internarum (in quem hujusmodi Ægri valdè sunt dispositi) vel ab aliqua alia Vasorum ruptura, seu etiam apertura, non præveniatur. Ità Vesalius, lib. 5. Cap. 15. observavit, in Ictetitio quodam à fluxu hæmorrhoidali è vivis sublato hepar multum intumefactum; &

Venæ Portæ ramum per totum Intestini Recti ductum ad Crassitiem ferè Pollicis adauctum: Guarinonius etiam Consultatione. 584. affirmat, sese in hypochondriacis non rarò invenisse obstructas Mesenterii venas adeò dilatatas, ut speciem Intestinorum potiùs quàm Venarum præ se ferrent. Verum quidem est dolorem hunc in ipsis Vasis præternaturaliter distentis, seu tumefactis non sentiri; ipsæ enim Venæ, atque Arteriæ (Testante Galeno I. de usu Partium Cap. XII.) Si incidantur, vel urantur, vel laqueis constringantur, nihil sentiunt: Cui sententiæ lubentissimè assentior, quippe suasus frequenti Varicum observatione, quos in Cancrosis mammis; & Cruribus fœminarum gravidarum accidisse sæpenumerò memini; quæ omnes ab hisce Varicibus, utut in magnam molem adauctis, obtuso admodum vel nullo dolore affici videbantur; qui quidem ipse dolor etiam à præternaturali distentione externæ cutis, & à compressione in subjectam musculosam carnem, à varicibus amplioribus facta, magis quàm à sensu ipsorum vasorum ità varicatorum procedere, mihi semper videbatur. Neque dissimili forsan modo dolor ille hypogastricus horrendus, Phthisin Icteritiam comitari solitus, de quo jam sermonem habemus, ortum suum traxisse censendus. Ubi enim primum hepatis Parenchyma in tantum constringi seu condensari contigit, uti naturali suâ laxitate jam privatum, sanguinis trajectionem difficulter admodùm, modo omninò, per se admittat; necesse est venam Portæ, atque ejus ramulos, qui sanguinem huc referunt, à continuo novi sanguinis appulsu propter hîc positum obicem, multum denuò tumefieri, & varicosos reddi. Quo facto utut ipsæ venæ ad mentem Galeni, nullo dolorifico sensu afficiantur, nemo tamen debet mirari, à distentione, & solutione continui factâ in membranis, quas vasa hæc varicosa perreptant, horrendum hunc & spasmodicum dolorem oriri, qui usu solum Chalybeatorum, & Diureticorum partibus subtilibus, & penetrantibus præditorum, eòque satis longo, & pertinaci, qui quidem obstructionum hepatis reserationi par sit, tolli possit. Quibus obstructionibus jam sublatis, & varicibus indè sponte suâ subsidentibus, membranæ, quas perreptant, coalescendo à spasmodico hoc dolore illicò liberari possint. Incassum etiam, vel ad ipsam minerationem hujus doloris, adhibentur externæ applicationes calidæ, nempè Fotuum & Linimentorum Anodynorum, quæ in Pleuriticis, Colicis, atque aliis doloribus spasmodicis plurimi usûs esse solent. Quippe quòd ab externo calore sanguis varicibus contentus magis agitetur, & excandescat; undè necesse est, uti major vasorum varicatio, seu præternaturalis distentio cum ipsius doloris intentione insequatur, Oxycratum verò, Ceratum Santalinum, Unguentum Rosaceum, atque alia ejusmodi Styptica, & Infrigidantia, eaque frigidè applicata, scopum multo magis attingere observavi. Super omnia verò Opium ipsum internè exhibitum, sicuti est ultimum, ità etiam unicum, saltem maximum, solamen & Asylum hujus doloris. Hoc etiam parcâ manu incassum administratur. Nulla enim Dosis verum scopum attingit, nisi quæ quidem distentis membranis, æque ac cæteris corporis partibus narcosin quandam inducere poterit; quod in Domino *Maddox*, atque aliis ejusmodi Ægris sæpiùs expertus sum; quòtum dolores neque quidem ipso Laudano mitigare potui, donec gr. iij. vel iv. singulis vicibus præscribere cœpissem. Verum quidem est morbum originalem, & symptomaticos istos dolores indè ortos diversas indicationes ministrare. In quantum enim hi dolores Opiatis mitigantur, in tantum obstructio, seu constrictio Parenchymatis hepatis quæ primam ansam dolori præbuit, augetur, & confirmatur. Et quidem quod tempore diurno Chalybeatis perficitur, nocturno Opiatis quadantenus diruitur. Utcunque tamen, in quantum vitalis Indicatio id requirit, oppressa & languens natura necessariis Opiatis suffulcienda est. Vitâ enim perpetuo horum spasmorum tædio jam corruente, neque Chalybeatorum, neque medicaminum cujuscunque alterius generis usui idoneorum, locus concedi potest. Ideoque in hoc casu licèt usus Opii summè necessarius, à prudenti Medico debitis intervallis concedi possit, (qui etiam diligentiori, & diuturniori usu Medicaminum Ecphracticorum & Attenuantium compensari debet) non tamen sine urgenti necessitate vel minimum granum Laudani exhibendum est, quippe quod morbus primarius planè contraindicet. *Idem ibidem.*

Observatio XLI.

Phthisis à calculis in vesicâ felleâ.

Dominus *Neast*, *Presbyter Londinensis*, & amicus meus integerrimus, qui dum Oxoniæ degebat, circiter annum ætatis suæ vicesimum octavum à multo labore in campanarum agitatione impenso, colica Ventriculi horrenda subito corripiebatur; proculdubio à motu calculi è vesica fellea in ductum versus Intestina tendentem effecta, à quâ nescio quo pacto liberatus est: Liber tamen ab omnis ejusmodi Paroxysmi recrudescentia mansit ferè ad annum ætatis suæ quadragesimum, annumque Domini 1670. A quo tempore per Decennium ferè integrum, scilicet ad fatalem usque diem, sæpiùs in anno à quovis vehementiori

tiori motu, percepto frigore, haustu Canarini vini, vel quavis alia vel minima causa, hoc dirissimo morbo corripi diuque detineri solebat, cum cruciantibus lateris doloribus, febre intensa, atque aliis usitatis symptomatis. Quum primùm verò ad eum invisendum accerseret, morbum Pleuritidem esse falso autumans, Venæsectione repetita, Fotu & Linimentis Anodynis, uti & medicamentis Pulmonaribus incassum illum à cruciantibus spasmis liberare satagebam; donec tandem à magis attenta inspectione tam urinæ profundè rubræ, & flavescentis, quàm stercoris albescentis, & cutis colore Icteritio leviter tinctæ, sententiam meam jure mutaverim; atque exinde usu iterato Tincturæ sacræ cum Laudano, hora somni exhibitæ, & Aquarum Mineral. Cathartic. Coct. & lacte alterat. matutinis sequentibus propinatarum, excrutiantem Paroxysmum sustulerim; Atque hoc pacto eum in posterum facili & levi negotio, idque illico tollere solebam. Quamvis verò Paroxysmi fuerint hoc pacto facti breviores, à frequenti tamen eorum recrudescentiâ (quippe quòd, quamdiù hæc spasmodica constrictio super ductum felleum à calculo simul obturatum maneret, usitata bilis in Intestina excretione inde impedita, neque minùs etiam nutritiâ alimentorum parte unà cum stercoracea deorsum detrusô pauculum admodum, siquidem quicquam reparationi sanguinis ministrabatur) Æger sensim indies à debiti succi nutritii detractione emarcescebat, superinductis etiam tremoribus, atque spasmis in genere nervoso frequenter recurrentibus. Quibus jam observatis, ad subitum Naturæ collapsum præveniendum, inter cætera, medicaminum Chalybeatorum, præsertim autem Aquarum Vitriolicarum, usum quotannis repetendum injunxi, à quibus obstructionum reserationem, æquè ac toni hepatis jam labefactati restitutionem insecuturam sperabam. Tandem verò Æger circiter Annum scilicet 1680. à sævissima Colica, unà cum febre inflammatoria correptus, licèt Venæsectione, & debito regimine tractatus esset, febre tamen denuò in putridam intermittentem quotidianam facessente, non obstante Corticis Peruviani, Medicaminum Pulmonarium & Julapiorum Temperantium usu, & vesicatoriorum etiam applicatione, atque aliorum quæ vel mihi vel Collegæ meo eximio, Doctori Pager, maximè efficacia esse viderentur exhibitione, intra spatium sex hebdomadum vir ille egregius summè tabidus interiit, in febrilibus Paroxysmis delirans, perpetuò etiam Asthmatica tussi eodem modo, quo hi qui Phthisi verè Pulmonari affecti sunt, miserè afflictus, & colliquatione etiam universali confectus. Cadavere post mortem aperto invenimus vesicam felleam variæ magnitudinis calculis instar marsupij valdè distentam, sine vel minima inclusæ Bilis guttula. In concava etiam hepatis parte, juxta Venæ Portæ ingressum, Apostema amplum repertum est, quod in se Libram ferè veri confecti puris continebat. Pulmones verò, non obstante insigni tussi atque dyspnœâ, licèt variis coloribus infectos, atque infarctos & Thoracis parietibus adhærentes, nullis tamen tuberculis, saltem maturis, affectos deprehendimus.

Unde mihi ventriculi frequenter recurrens Colica, à motu calculorum è vesica fellea ortum suum duxisse videbatur; Universalis, & Habitualis Tabes à frequenti bilis obstructione, colica illa affecta; funesta verò febris, primùm inflammatoria & dein putrida intermittens, unà cum colliquatione universali, & insequenti marasmo, ab inflammatione, atque exulceratione hepatis; Tussis denique, atque dyspnœa à leviori Pulmonum symptomatica affectione; quæ verò ob præcipitem morbi primarii genium (utcunque dira ista tussis videbatur esse Asthmatica) ultra primum Phthiseos Pulmonaris stadium non erat provecta. *Idem ibidem.*

OBSERVATIO XLII.

Phthisis in quâ ovarii unius parenchyma ulceratione consumtum cum multâ aquâ in ipsius membranâ.

VXor *Domini Greaves*, incola vici dicti *Pater-Noster-Rovv.* quæ quidem virgo, valdè Cachectica esse solebat; jam verò post paucos menses à contracto matrimonio, atque ante annum ætatis suæ vigesimum melancholica, & pectore oppressa esse incipiebat: Abdomen etiam intumescebat, uno tamen latere magis quàm altero: appetitus planè prosternebatur; sitis verò adaucta est, & tabes unà cum febre hectica in tantum tandem invaluit, uti inani gravidationis spe jam prorsus deposita, ego, licet nimis sero, ad miseram hanc Ægram invisendam accerserer. Quam quidem in statu tabido colliquescentem inveni febre etiam putrida intermittente quotidie afflictam, quæ insuper Diarrhœâ Torminosâ, immensis colliquativis sudoribus, tumore hydropico crurum æquè ac abdominis, tussi Catarrhali perpetuâ, respiratione anhelosa, atque aliis usitatis Phthiseos Pulmonaris funestæ symptomatis stipata erat. A quibus Ægra tandem in marasmi statum redacta; spatio sex hebdomadum, vel eo ampliùs, non obstante copioso medicaminum Pulmonarium & Uterinorum, Corticis Peruviani, Laudani, Julapiorum Perlatorum, Vesicatoriorum, atque aliorum primarium morbum, æquè ac varia inde orta symptomata respicientium usu,

sensim

sensim marcescens, eodem planè modo, quo Phthisi Pulmonari affecti solent, exstincta est.

Aperto post mortem cadavere, pulmones præter omnem spem, non adeò altè Phthisica tabe affectos invenimus: Siquidem licèt eos infarctos, costis adhærentes, & variis coloribus tinctos deprehenderimus, nulla tamen in illis (quantum memini) Tubercula sive cruda, sive matura, reperta sunt. Unius verò Ovarii Parenchyma planè ulceratione exesum, & consumptum erat; exteriorem verò membranam mirum in modum hydropico humore distentam reperimus; adeò ut ex ea, quæ quidem maximam jam inferioris ventris partem occupaverat, plures lymphæ quadantenus purulentæ Libras extraxerimus, unà cum magna copia officulorum, & fibrillarum, seu (uti mihi videbatur) glandulosi Parenchymatis staminum, quæ præ se flavi crinis formam ferebant.

Unde mihi constare videbatur funestam istam febrem colliquatione illa fatali stipatam, (utcunque hæc Phthisis fuerit secundaria & symptomaticè Pulmonaris; atque tussis, & quadantenus etiam ipsa dyspnœa) à pulmonum infarctione & adhæsione ortum suum duxerint) ab ipsius Ovarii inflammatione, & exulceratione, originem suam habuisse: à qua febre etiam colliquativa, uti etiam à succi nutricii per immensum Ovarii tumorem Hydropicum detractione Tabes adeò præceps, & Dyspnœa tam gravis facta est, ut exinde vità jam præproperè in extremum discrimen perducta, satis longe induci e concessæ non fuerint, quò pulmonibus impressa tabes ultra primum Phthiseos Pulmonaris stadium provehi poterit; utut omnia Phthiseos Pulmonaris funestæ usitata symptomata adesse viderentur. *Idem ibidem.*

OBSERVATIO XLIII.

Phthisis in quâ abdominis pinguedo multa, ren calculis refertus, vesica fellea calculis onusta &c.

VEtula quædam, uxor cujusdam Jurisperiti, habitantis in vico dicto *Shoe-Lane*, cum jam (sicuti mihi ipsa narrabat) per spatium viginti annorum præ urgenti, scil. & continua Dysuria, somnum vix ad unius horæ dimidium in unam vicem protrahere potuerat; quo, unà cum aliis diris comitantibus symptomatis, plurimùm atque diu (idque non obstante vel optimorum Medicorum frequenter habito consilio) attrita, indeque tandem in statum planè tabidum, atque hecticum redacta lectoque præ debilitate scil. & vitium languore perpetuo affixa, me non multùm ante funestum diem accersebat; cum jam ob prostratum à victu æque ac à medicamentis longo jam tempore abhorruisset. Mulierem sanè egregiam, fortitudine æquè ac prudentia canitiem suam, ultra consuetum sexus morem, decorantem deprehendi, in ultimo verò Phthiseos Pulmonaris stadio (sicuti vel ipso primo aspectu ex summa emaciatione, tussi, febre, & Dyspnœa conjectabam) satis ærumnosè obversantem. Quippe quod non tantum cum symptomatis Phthiseos Pulmonaris, & febris hecticæ usitatis; verum-etiam frequenti ventriculi Cólica horrende spasmodica, à motu calculorum è vesica fellea sæpius excitato, necnon continua Dysuria, à calculo, atque ulcere Renum orta, ferè perpetuo conflictare cogebatur. Unde factum est ut urina à prima mictione lactesceret, atque dein sedimentum valdè copiosum fœtidum, & vere putulentum deponeret. Inspecta verò urina illico ulcus deprehendi satis magnum à calculo in rene affecto esse ortum, Phthisinque Pulmonarem ab isto ulcere, (forsàn etiam symptomaticè) superinductam fuisse, conjectabam.

A tot, tantisque ærumnis Natura jamdiu attrita, oppressa, & succumbente, accidit etiam ut Cerebrum, totumque systema nervosum tam insigniter;& continuo patiantur, ut, suppressa omni alia querimonia de Phthisi, ulcere, & calculo, hoc unicè appeteret, uti suppetias illi ferrem contra lipothymias, & languores frequenter recurrentes, item contra mentis vacillationem, & vapores (uti eos vocabat) frigidos, atque calidos continuò, noctu diuque sese alternatim excipientes, à quibus magis quam à cæteris omnibus ærumnosis symptomatis premi videbatur. Hisce molestis symptomatis totis viribus illicò succurrere conabar, usu spir. C. C. Salis Armoniac. Tincturæ Castorei, Julapiorum Antihystericorum, atque aliorum ejusmodi. Neque quidem affectos pulmones, & ulceratos renes (ubi prima hujus mali origo delitescebat) planè negligebam; quin iis etiam usu Emulsionum, Medicaminum Balsamicorum & Pectoralium prospexi, quantum scil. habitus corporis attenuatus ferre potuere. Incassum tamen hæc omnia jam erant præscripta. Sicuti enim ulcus Renis factum est sua natura jamdiu planè incurabile, ita etiam affectiones pulmonum, & generis nervosi secundariæ indè ortæ videbantur magis triumphatæ jam naturæ, Trophea, quam vel oppressiones, vel morbi quidam accidentales, quos ars possit superare. Paulò ante fatalem diem, ubi mors jam præ foribus stare videretur, egregia ista mulier obnixè me rogavit, & quidem sponsione obstrinxit, uti sedulò facerem, quo cadaver ejus post mortem

tem cultro Anatomico subjiceretur, quò in usum scil. superstitum illi medendi arti mortua inserviret, quæ dum viveret, nihil opis illi præstiterat.

Copia inspiciendi cadaver post mortem à Marito, licet ægrè, jam concessa, præsentibus quàmplurimis eximiis Medicis solennis Anatomia instituta est. Primum observatu dignum erat, quod, utut omnes Tabidæ hujus artus, atque facies emaciarentur, membrana tamen Abdominis adiposa pinguedine mirum in modum crassescebat, uti calculosis ferè accidere solet, forsan à sanguinis motu per vicinas partes minùs expedito, & seri per renes secretione minùs parca, quàm par erat; Membranam autem exteriorem renis sinistri, utpote à morbida affectione quadantenus intumescentis, fortiter ei adhærentem invenimus.

Ipsum verò Parenchyma jam dissectum, favi speciem præ se ferebat, nempe hìc indè calculis, & foveis, seu quibusdam loculis, è quibus calculi olim fuerant extrusi, refertum, absque tamen vel minima præsenti exulceratione. Renem autem dextrum, instar marsupii, calculis, & pure non tantùm refertum, verum etiam insigniter distentum deprehendimus, toto etiam Parenchymate intra investientes membranas contento jam ante sensim corrupto & consumpto, atque ipsis etiam membranis innumeris calculis, & seroso pure (quale etiam in vesicâ reperimus, qualeque unà cum urina reddere fere solebat) oppletis. E quibus facilè constabat de Chronicæ illius Cysuriæ, atque Tabis Ætiologia, quibus tamdiu molestè laboraverat. Emulgentes etiam venæ, quæ sanguinem à renibus referebant, præ insigni calculosa sanguinis Diathesi, qua misera hæc vetula afficiebatur, quasi lapidei canales, intus plane calculosa crusta (dictu mirandum) obducebantur. Vesicam insuper felleam calculis refertam deprehendimus à quorum motu proculdubiò Colica illa ventriculi, horrendis spasmis stipata, qua sæpiùs afficiebatur, ortum suum ducebat. Pulmones verò ipsos nullibi exulceratos, tuberculis autem crudis, & calculis cretaceis ubique fere obsessos vidimus. Quibus, de causa perpetuæ tussis anhelitus, atque aliarum affectionum Pulmonarium, vel ipsis oculis constabat. Nullus tamen dubito, quin progressu temporis tubercula ista maturari potuissent: atque eo pacto incipiens hæc Pulmonaris Phthisis in confirmatam & deploratam facessere potuerat, nisi mors præmatura ab illis causis accersita eam rem prævenisset. *Idem ibidem.*

Observatio XLIV.

Phthisis in quâ pulmones non parum consumpti ac nigri &c.

Anno 1684. mense Maii, Domini C. Wedelini, Chirurgi, dum viveret, expertissimi, post decubitum multarum septimanarum, emortui corporis thoracem, amicorum permissu, aperuimus, ejusque faciem interiorem lustravimus; quò aperto, nullum mediastini, utpote penitus absumpti, vestigium inventum, ubi sterno aliàs inseritur, plurimæ vesiculæ pure livido turgidæ, in conspectum veniebant, quibus dissectis & dilaceratis, cartilaginum substantia, illis in locis ubi locatæ erant, ab acrimoniâ puris inclusi, carie exesa livescebat ex nigrô.

Pulmones mirabilem exhibebant adspectum, ut pote qui nigrô tincti colore & ferè consumpti, tenaciter musculis intercostalibus per pleuram, itidem putridam & variis in locis perforatam, adnati erant, haud aliter modificati, ac si fermentô depascente & cancrosô infecti fuissent; simili modô, ut in mulierum mammis cancrosis nonnunquam videre contingit. Nullum fundebant pus, vel aliam materiam, sed exsiccati, & materia tartarea, quasi sabulosa i, sis intertexta erat, ita ut quis credidisset, in lapidem concrescere destinatos fuisse. Propagines asperæ arteriæ aliorumque vasorum sanguiferorum, quod mirandum, albescebant, & ita absque ullâ dilaceratione, à pulmonum deperditâ substantiâ, solutæ cernebantur, quasi peculiari liquore, hodiernis anatomicis satis notô, studiô fuisset peractum. Cor flaccidum, itidemque exsiccatum, ejusque pericardium variis in locis, quod mirum, perforatum erat; quô per medium dissectô, in utrôque ejus ventriculô, sanguinis coagulati nigerrimi latebat portio, quæ cùm digitis tractabatur, explorantibus nobis, & aliis adstantibus, ac in pulmonibus repertum, materiam intermixtam offerebat. Cætera, nempe in reliquis cadaveris regionibus contemplari non fuit concessum.

Tractavit hic vir, uti Celeberr. Illustr. Colleg. Natur. Curiosor. Andromacho, Patrono & amico nostro colendissimo, notum, satis feliciter multa ulcera cancrosa, à lue venerea inducta, & alia virulenta miasmata spirantia, sed nimis audacter, & ut plurimùm jejunus quapropter nullus dubito, extinctum hunc Chirurgum, malum & mortem ab inspiratis ejusmodi acrioribus fermentis, contraxisse. *D. Andreas Hernius Miscellan. Curiosor. Decur. ii. Ann. 4.*

OBSERVATIO XLV.

In Phthisici corde ingens polypus repertus.

D. N. die 22. mens. Martii, ann. 1688. defuncto, cadaveris illius examini præesse rogatus fui. Sublato sterno, pulmones à naturali statu maximè degeneres apparuere, & in pectoris cavitate sex aut circiter seri cochlearia fuere reperta. Dexter pulmonis lobus vertebris & costis in ipsarum vertebras insertione adeò validè adnatus erat, ut discissus, tantum ab iis fuerit separatus; novaculâ in istum lobum, qui tuberculis conspersus videbatur, adactâ, undiquaque pus ab eo effluxit, & ulcusculis scirrosisque plenus conspectus fuit. Lobus sinister à vertebris solutus existebat, pauciòresque scirrhi, rariora que ulcera in eo fuere detecta, & in plerisque ulceribus inventi fuere lapilli, aut tophi albi molliusculi. His peractis aperiri jussi dextrum cordis ventriculum, suspicatus polypum quendam in illo contineri; nec fallax fuit suspicio: factâ enim apertura, statim in conspectum venit minor quidam polypus radicibus suis in fossulis internam cordis superficiem occupantibus intricatus. Deinde crassius quoddam tuberculum carneum sub isthmo in venæ cavæ descendentis orificio, ubi in cor desinit, se se manifestavit; & finem ejus attingere expetens, cava intra hepatis usque substantiam aperta fuit, tunc constitit tuberculum illud nihil aliud esse quàm appendicem immanis cujusdam polypi, qui crassitie totam ferè venæ amplitudinem occupabat, & qui jecur subingrediendo in duos ramos dividebatur, quorum crassior in venam portæ se se insinuabat, alter verò tenuior & in plures ramulos fissus venæ cavæ ramificationes subintrabat. Ad cor reversus, & reseratâ, venâ cavâ descendente, in quam polypus eâdem crassitie, quâ in ascendente pollebat tendere videbatur. Ad subclaviam usque eum persecutus fui; sed cùm claviculas disrumpere non placuerit, ipsum molliter educi curavi, & ex illius radicum longitudine conjicere fas fuit, cum per jugulares & vertebrales venas ad cranium usque exporrigi. In ventriculo cordis sinistrô repertus fuit polypus minori ventriculi dextri consimilis; & in venæ pulmonaris in cor insertione duo polypi satis crassi conspecti fuere. *D. Ioh. Dolæus Miscellan. Curiosor. Decur. ij. Ann. 8.*

Ex totâ hâc observatione satis constat Phthisici, de quô agitur, sanguinem dispositione polyposâ, si ita loqui liceat, ita affectum fuisse, ut ex omnibus venis majoribus, concretiones satis compactæ ac quasi carneæ, polypi vulgò dictæ, abundè eductæ sint; non aliter quàm videmus in animalibus in quorum venas modicum acidorum spirituum injectum fuit; sed præcipuè in capris à viperis commorsis; ut dissertatione de mammis Bibliothecæ nostræ Anatomicæ Parte ij. insertâ jam dudum explicuimus. Unde omnino liquet acidum corrodens in morbificô hoc subjectô genitum, non tantum pulmones depastum fuisse, ac in tabum ex parte colliquasse; sed etiam succos quosdam per sui unionem concrescere parabiles, quod in operationibus chimicis quotidie videre licet, in lapideum quid, ulcerum pulmonalium cava occupans, præcipitasse: imò seri ac sanguinis non minimam portionem vi suâ coagulatoriâ in massam polyposam, per venam portæ, ac cavam longè excurrentem, densasse. Sed ex ejusdem observationis lectione non ita apertum est colligere quomodo truncus ille polyposus in duos divisus ramos, alterô majori in venam portæ reptabat, alterô verò minori in cavam ejusque ramificationes divagabatur: nam nulla datur communitas inter cavæ è jecore egressum, ac portæ in idem introitum; nec anastomosibus ullis hæc vasa in se invicem aperiuntur, ut nervosè demonstravit Clariss. Blissonius, nosque ipsi in vasorum excarnatione demonstrare semper sumus parati, sed tantùm sanguis in hepatis substantiam glandulosam per extrema portæ capillamenta effusus, ab ultimis cavæ radicum orificiis, in totâ itidem hepatis substantiâ hiantibus, excipitur, ac in cor devehitur. Hæc itaque à Celeberrimô Autore paulò obscuriùs fuere explicata, ut observationi pretium suum non sic tamen detractum volumus.

OBSERVATIO XLVI.

In Puellæ Septem annorum Phthisicæ pulmonibus corruptio multa, ac tenacissima costis & diaphragmati à sinistris adhæsio, cum polypis durioribus &c.

Puella à primâ infantiâ plurimis morbis, variolis, morbillis, tussi & asthmate, palpitatione cordis & diarrhæa frequenti, febribus intermittentibus aliisque afflicta & tandem lienteriâ, marasmô & asthmate, hæc notatu digna nobis exhibuit. 1. Pulmonem in sinistrô latere undiquaque costis & diaphragmati arctissimè connexum & ulceribus scatentem. 2. Serum multum & corruptum in cavitate thoracis collectum. 3. Pericardium cordis mucroni adnatum, & tamen serô refertum. 4. In sinistrô cordis ventriculô polypos duos non spurios, aut ex sanguinis grumis concretos, sed candidissimo sè fibris tenacissimis densissimè cōtextis compositos, qui diuturnâ maceratione nullô modô dissolvi & cultri acie vix dividi poterat. Erant tamen

men adhuc tenues, multis pedunculis arteriæ magnæ valvulis & fibris implicati, & hinc ad dimidii ferè digiti longitudinem inter arteriæ canalem porrecti. 6. Lien erat valdè tumidus, durus, nigricans, diaphragmati & ventriculo arctiùs cohærens. 7. Mesenterium totum quasi gelatinâ vel muco inductum, ejusque glandulæ liquore lacteo turgidæ. 8. Ventriculus verò & intestina videbantur tenuissima & flaccida, quibus crusta interior villosa prorsus absumpta, nec rugæ, vel valvulæ conniventes relictæ.

E quibus omnibus collegi, primam & præcipuam malorum omnium originem forte vitium & coalitum pulmonis præbuisse; quandoquidem circulus sanguinis per eundem impeditus & difficilis, non solùm extra limites & vasa sua abiit, indeque ulceribus materiam dedit, sed ob diuturnos ejus impulsus & concussiones partes quoque gelatinosæ, aut fibrosæ tandem in sinubus cordis ita congregatæ & in polypos istos mutatæ fuere, quemadmodum è solâ pilorum variâ contorsione & conquassatione interveniente quodam glutine, chartam, pannum, aliaque fieri videmus. Neque dubium est, quin polypi isti successivè in molem aucti fuissent; nisi ex motu istô impeditô pulmonumque ulceribus, cachexia, reliqnaque mala vitæ terminum citiorem fecissent. *Dn. D. Christian. Vaterus Miscellan. Curiosor. Decur. iij. Ann. 2.*

Observatio XLVII.

Anatome Pueri tabidi, in quô scirrhi per totum Mesenterium, imo viscera prope abdominis omnia; itemque pulmo grandinosis corpusculis refertus, reperiebantur.

Anno 1687. mense Decembri quinquennem incidi: jam per annum vitam miserè traxerat, materque paupercula tertiò ante supremum die ipsum asportans in abdomine inferiori duos nodos palpandos præbuit: conjiciebat ab esu raparum crudarum immodico obstructiones cœpisse.

Inciso abdomine *ventriculus* & *intestina* inflata; stagnante in cavitate abdominis aquâ ad libræ quantitatem.

Ligamentum Venæ umbilicalis cum suspensorio hepatis non erat umbilico colligatum connexumve; inde adeò umbilico ampla cavitas suberat: id quod à casu mater diducebat.

Omenti membrana solum aderat, *nullo adipe* genuino investita, circa divaricationes vasorum *globuli scirrhosi*, pisorum magnitudine, hinc inde conspiciebantur.

Ad intestinorum autem *anfractus glandularum* tumidarum rigida species nos in stuporem dabat. Neque solum glandularum *scirrhosa* erat *facies*, sed *& magnâ parte intestinorum tenuium. Alibi* Scirrhus totum intestinorum latitudinem occuparat, vix tramite cibi commeatui relicto: *alibi* mesenterii ὄγκος scirrhosus cum eisdem coaluerat: *alibi* exigua mesenterii particulâ, quæ f. n. se haberet, interjectâ, glandulis scirrhosis, majoribus obsepta erant intestina.

Colon, cum aliis intestinis comparatum non erat amplum.

Cæcum pennæ anserinæ crassitie, longitudine digiti, cum Scirrho mesenterii concreverat.

Rectum nullo vitio erat infectum, atque mesenterium hîc locorum sanum erat.

Cætera *Mesenterii* quanta quanta erant, nil nisi *Scirrhus* erant, adsurgente tumore ad trium quatuorve digitorum transversorum altitudinem. Neque enim membranæ hic in duritiem obriguerant, sed glandulæ intumescentes in molem vastam elatæ concreverant, atque omnem illum ambitum, quo tenuia intestina S. N. mesenterio colligantur, tumido corpore, æqualis crassitiei; oppleverant: quô fiebat, ut mesenterium vastitate corporis ipsum hepar adæquaret.

Monstrosum Mesenterium domi accuratius explorans, vidi (1.) *Membranas communes* multùm incrassatas, unde in quatuor, & plures tunicas easdem erat divellere: (2.) *Sub* membranis *illis* latebat *glandularum* istarum *constipatum agmen*; (3.) Ita tamen ut *Mesentericorum sanguineorum ductuum*, arteriarum æquè ac venarum, *trunci majores*, incisâ per medium mole, salvi comparerent, qui etiam ramos suos sive divaricationes justâ serie ad intestina usque dimittebant, *sanguinem dilutum* diffundentes. (4.) *Interstitia* sive insulas, quibus lactea vasa cum minutis sanguineis resident, *meræ glandulæ occuparant*: (5.) *Concursum ramorum Sanguineorum* in medio mesenterii *densissima membrana tegebant*: nimirum substantia quædam ligamentosa, mirum in modum albicans, digiti crassitie & longitudine circa hunc coaluerat. (6.) *Stilo & flatu in venas & arterias erat penetrare*, truncis satis amplis (7.) *Venæ substratæ* erant arteriis: (8.) *Vasa chylifera aut Lymphatica nulla*, utut quartâ à morte horâ ista lustrarem: (9.) *Nullus corporis fœtor*; nulla putredinis nota: (10.) Complures *glandulæ ex lacteo albicantem*, paucissimæ *ex livido carneum colorem* referebant.

Pancreas Asellii cum *receptaculo chyli* in unum Scirrhum abierat: Atque *truncum venæ cavæ* harum glandularum Scirrhosa corpora per duorum articulorum longitudinem ita coarctarant, ut pennam anserinâ non admitteret, quando nec stilo mediocri ex hoc trunco ad Iliaca vasa penetrare valerem, difficilem enim transitum compressio reddiderat. *Nullam* autè *cavitatem in receptaculo* chyli

chyli deprehendi; Scirrhus ejus ex pluribus grandinibus quasi contextus apparebat: Idem receptaculum *capsulam atrabilariam* extremitate alterâ attingebat, ut tamen emulgenti venæ liberum ad renem concederet aditum.

Ductus Thoracici vestigia frustrà indagavimus: neque fœtor diu immorari sinebat.

Idem scirrhus qui glandulas ad intestinorum anfractus, *qui* totum mesenterium cum receptaculo chyli & pancreate Asellii induraverat, *alterum* quoque *pancreas* grandinibus minutis justò *durius reddiderat*, ut *ductus Virsungianus* minimus ægrè in eodem conspiceretur; ferméque in unam massam idem cum mesenterio coaluerat, particulâ extremâ tantum non lieni vitium inferens.

Vas venæ portæ, quod pancreas subit, exiguum erat, pennæ anaticæ vix dum capax.

Reliqua viscera, *hepar*, *lien*, *renes*, *capsulæ atrabilariæ*, s. n. omnia: *Lien* palmæ latitudine, rhomboïdes, nullo scirrho, exceptâ particulâ cui pancreas adhæserat.

Hepar pariter à scirrho immune: *vesica* tamen *fellis* oblonga & turgida, incisa nentiquam fluidam bilem dabat, sed viscidam instar spermatis ranarum aut albuminis ovi cohærentem, ut divelli non posset, quin unâ parte dilapsâ dilaberetur & altera. In *ductum cysticum* inquirenti nullus comparuit; exea enim hâc parte vesica intus velum instar valvulæ obtenderat, nullumque stilo aut flatui præbebat exitum.

Capsulâ atrabilaria plana, tenuis, cucurbitæ seminis majoris magnitudine, nullâ cavitate, vasis licet conspicuis.

Thorax apertus dedit *Pulmones* undique grandineos; inprimis ad bronchialia vasa multitudo grandinum occurrebat: *dexter pulmo* cum pleura & sterno coaluerat, imo lobo liberiori: atque in dextrum latus mollius æger incubuerat.

Cor patefactum in utroque ventriculo *sanguinem loturæ carnium similem* monstrabat: coronariam verò nulla cinxerat pinguedo.

In *pericardio* parum seri animadvertimus.

EX hisce deducitur I. *Dari obstructiones vasorum mesentericorum*, sanguineorum, chyliferorum ac lymphaticorum.

II. Καθ᾽ ἐμφραγίαν ut plurimum *vasorum mesentericorum obstructiones causari*, atque hinc etiam obstipatiooes alvi; siquidem à duris istis humoribus tenuia intestina comprimi queunt, ut ægrè alimenti fæces descendant: *cœperit* autem *obstructio*, hærente io orificiis horum illorum lacteorum chylo crudo: *glandulas* enim albas *scirrhosas*, intestinorum tenuium latus obsidentes, orificiis occlusis lacteorum deputo.

III. *Aucta obstructio* inteosè calidis, ad quæ plebs recurrit; retulit enim mater spiritum vini ac frumeoti eum piperatis, loco remedii datum atque avidè absumtum.

IV. *Quomodo interea temporis in hoc puero nutritio peracta*, memoratu dignum autumo. Neque enim prorsus consumtæ erant carnes, sed pro modulo ætatis supererant, cum nec abdomen penitus esset collapsum: *Puto non ordinariâ viâ per receptaculum transiisse chylum*, obrigoerat eoim; aut exiguum fuerit quod clandestioo commeatu illàc dilapsom fuerit. *An per vasa lymphatica transiisse chylum dicamus?* verùm difficile est concipere; quomodo occlusis orificiis lacteorum chylus ad vasa lymphatica contendere potuerit. Neque hactenus patefactæ sunt viæ quibus lympha ab iotestinis aveheretur; cum quod specie lymphæ in vasis mesenterii aliquando conspicitur sit chylus serosus, vasaque ipsissima sint chylifera sive lactea. *Posito* quoque *quod peculiares lymphæ ab intestinis darentur viæ*, non tamen peculiare lymphæ foret receptaculum: excluderetur itaque à receptaculo iodurato æquè quod lymphatica ac quod lactea asportarent. *An vero dicamus nutritionem misello obtigisse à residuo chylo*, quem provida oatura à massa sanguinea exceptum per vasa lymphatica aliquando peculiaribus, aliquando commuoibus chyli ductibus ad cor certo circuitu revehi curat. Neque enim dubium est amplius, patere lymphæ s. sero chyloso viam non unam ad Cor, præter illam quâ ex receptaculo chyli & ductu thoracico ad subclaviam transgreditur. Neque vanus fuit *Bilsius in asserendo labyrintho* lymphæ, qualem in axillari Ursi discipulis commonstravi; vas, inquam, lymphaticum, decurrens à tentibus, quibus immersum erat, atque superatis costis unô atque altero gyrô, quô in se redibat contortum; formatô io axillarem amplô orificiô hians; cujus sceletoo adhuc servamus: à residuo itaque chylo forsitao ope lymphaticorum sustentata fuerit flammula vitalis. Verùm tamen cùm multum comederit puer, & pauca egesserit, *necesse est ut ex novè assumtis alimentis aliquid chyli ad cor transierit*; quænam igitur huic chylo viæ assignaodæ sint, in quæstione adhuc erit positum? *Satius* igitur *erit asserere Venas Portæ meseraicas officio advehendi chylum fuisse functas*: has eoim patulas, has saoguioe diluto s. seroso qualem & cor exhibuit, plenas offendimus. Neque oberravèruot à vero Veteres, quando venas meseraicas sanguineas chyliferis accensuerunt, id quod pluribus argumentis, Excel. D. Meotzelii ingenio adjutus, in *Exercitat. de iis, quæ contra peritiam Veterum anatom.* afferuntur io specie. c. 3. à §. 7. ad 15 asserui.

V. *Stagnantes humores omnes tunicas glandulosas possunt reddere*; neque tameo propterea tunicæ s. n. erunt glandulosæ, *ex injectionibus exemplum* sumi potest; qoæ quaodo varices aut aneurismata suâ violentiâ conciliant, laceratis tunicis tumores exsurgere videmus; liquore adacto vehementer, & desubitò diverticula, in nescio quibus capillaribus vasis, quærente, aut illorum interstitia instar gelatinæ adimplente, plexibus vasorum diruptis. Quandoquidem autem in vivis corporibus illa vis non tanto impetu invadit partes, sed successione noo in-

terruptâ easdem urget; quando praeterea tot & tantae sunt anastomoses arteriarum & venarum mutuae, & singularum inter se per minores ramos; praeterquam quod ipse affluxus successivè sibi alveum cavet, uti gutta in lapide, alio licet modo; *inde igitur parte aliquâ chyli allabentis in viis Chyliferis haerente*, *contigit* novo chylo allapso has vias magis atque magis dilatatas fuisse, unde necessum fuit venulas & arteriolas vicinas fuisse constrictas, inde & sanguinem in his interceptum atque successu temporis major atque major extitit vasorum chyliferorum elatio, quae cum plexibus sanguineorum aut lymphaticorum vicinis primùm in divaricationibus glandiforme corpus constituerunt; hinc etiam in aliis partibus quibuscunque obliteratis pluribus ductibus, paucissimis salvis, qualicunque incremento in tantam molem excreverunt, qualicunque fomento in tantam duritiem obriguerunt.

VI. Calori fortè adscribendum, *quod in scirrhoso isto corpore non aequè ac in thorace foetor*; istâ ratione, quâ calor, corpus condensans, minus alieni humoris admitti fecit.

VII. *Glandulas livido-carnei coloris* vasculis sanguineis adsigno; *purè albicantes* lacteis sive lymphaticis chyliferis qualibuscunque.

VIII. *Vasa sanguinea majora illaesa* manserunt, cum neque ab arteriis neque à venis obstructio exorta fuerit; atque cum sanguis ad minima vasa non digressus sit, ob oppressionem à glandulis in chyliferorum insulis, majori copiâ sanguis ramos majores ingressus, jugi commeatu eadem distenta conservavit.

IX. Bilem in vesicula à bile in poris sunt qui illô distinguunt quod major in vesicula ipsius acrimonia à mora: an veritati hujus differentiae & causae dubium movebit illud, quod licet neutiquam crassa in hoc nostro fuerat vesicula, tamen bilis in illa non tinxerat adjacentes partes? an quoque viscositas bilis negabit acrimoniam?

X. *Quomodo cervix vesiculae bilis*, *sive etiam ductus cysticus occludi potuit?* ob penuriam puto alimenti ultimi: deficiente enim copiâ sanguinis, defecit & copia secernendorum: inde vasa portae in omento & pancreate adeò exilia; quippe parum habebant, quod ad hepar reveherent: quando autem vasa portae parum revehebant, minus adhuc poris biliariis secernendum tradebant: Pori itaque biliarii S. N. constituti cum secernendae per cholidochicum bili sufficerent, non opus erat, ut aliquid ad vesiculam amandaretur: subsidente autem vel minimè turgente vesiculâ ductûs cystici munus cessavit: accessit tandem felli in vesiculâ à debili calore viscositas, quae ductum prorsus obstruxit, laciniamque solum reliquis indicem.

XI. *Pancreatis scirrhum* haud absimili modo ad defectum alimenti ultimi refero, sinon defectus caloris proximam tueatur causam.

XII. *In pulmonibus grandines* solùm *branchialibus connexas* fuisse, illisque unice incubuisse observavi; hisque tribuo, quod tussicula sine levamine aut exscreatione aegrum affecit: siquidem partim corpore suo, partim ob obstructionem denegato humore debito, bronchiorum motum reddiderunt difficilem.

XIII. *Grandines in Pulmonibus* credo generavit lymphaticus humor non expulsus: cur verò non est expulsus? factum id vitio materiae; haec viscosa evasit, quâ ratione? quod sanguine minus spirituoso non potuerit misceri aut dividi; lympha per minima vascula, atque ita nec propelli, ut justum circuitum subiisset, deficiente calido: derivandus autem ex defectu alimenti ultimi defectus spirituum & calidi nativi.

XIV. *Sanguis lotura carnium similis in ventriculis cordis*, teterrimus aspectu, luridus; quis veteribus crudus fuerit sanguis exponit, satisque caloris defectum arguit. *D. Philipp. Iacob. Hartmannus Miscellan. Curiosor. Decur. ij. Ann. 9.*

Observatio XLVIII.

Grandines Pulmonum Aliarumque Partium cum Phthisi.

Nobilis Adolescens I. S. à Z. Annorum 17. ultra aetatis rationem staturae procerae, ad quam brevi tempore cum multorum admiratione excrevit: optimae indolis, docilis, in studiis assiduus: à longo temporis spatio pallidus & gracilis, scapulis prominentibus, observatus fuit, atque hanc ob causam pridem phthinodes babebatur: nulla tamen difficultas respirandi, aut torpor aliquis apud ipsum observabatur: acclivia sine impedimento scandebat atque currendo magis quam lento gradu alta petiit. Non deditus erat vino, nec multos ejus potu excessus commisit, attamen suspicabantur domestici illum intempestivè & clanculum in cella bibisse, cujus cura jam diu ipsi mandata fuit. Multum panis sicci, etiam mane ante prandium & postea reliquo die, comedit: subinde fructibus crudis indulsit & aestuante corpore non rarò aquam bibit. Circa medium Aprilis 1690. ex justa indignatione ad iram vehementem irritatus fuit & valde tunc commoto corpore aestuante, bibit vinum & aquam. Ab illo tempore magis expalluit, pristinus vigor evanuit, facile delassabatur, macilentior evasit & difficilius respiravit. Consuevit quidem à longo tempore manè tussi, vel potius screatu aut levi impulsu sputum crassum ejicere; verùm circa finem Maji, noctu imprimis, enormiter tussire coepit aegerrimè succedente sputo, quod etiam interdiu non rarò fiebat. Mense Aprili appetitus jam languidior esse coepit, comedit tamen in prandio & coena cùm domesticis, non tamen consueta aviditate; delectabatur imprimis lacticiniis, vinum quoque solito more usque ad medium Maji bibit, non

tamen

tamen immoderatè. Hoc tempore magnam copiam ascaridum per vices excrevit. Statim in principio Junii tussi laboriosa tamen & crebrò repetita, plus sputi albi, spumosi, viscidi ejicere cœpit, cui admiscebantur portiones pallidè virescentes; in dies tenacius & crassius, magis magisque purulentum excrevit cum magna vi, pluribus impulsibus ac si sputum ex imis pulmonibus propellendum esset. Calor ante & post pastum mordax fuit. Appetitus penitus prostratus, sitis intensissima, simulque diarrhœa corripiebatur. Ad sitim compescendam bibit emulsionem amygdal. dulc. unde per triduum eum diarrhœa substitit: urina erat rubra, crassa. D. 11. Junii ante meridiem Ipsum primum intuens in pharmacopolio offendi, incedebat lento gradu, frequenter aërem distento pectore capravit; cum tædio ad quæsita respondebat, valide tussiit, diu nullo subsequenre sputo, tandem post plures pulmonum succussiones, ex imo aëre ducto, parum sputi crassi turbidi protrusit: Calor manuum imprimis in carpo, fuit urens & mordax. D. 12. Jun. bibere cœpit Lac Caprinum cum syr. bellid. minor. continuavit per triduum, rediit diarrhœa, in qua profluxerunt fæces granulatæ, pultaceæ, tandem aquosæ, quibus permiscebantur fragmenta ciborum comestorum, quandoque erant subflavæ. A diarrhœa valde debilitabatur & quandoque leipothymia afficiebatur; hanc ob causam lactis potum omisit. Diarrhœa permansit ad 27. Jun. & licet substiterit diebus quatuor, nihilominus rediit: Die 30. Jun. fœtidissima per alvum egessit. Ad 12. Jun. continue ipsi decumbendum fuit; Jacebat in lecto semper diu noctuque humili situ, in dextro latere, incurvo trunco, ut sanus decumbere consueverat. Aliquoties toto corpore largiter sudavit; plerumque tamen in capite, ut facies inde, capilli & sudarium madefierent; vigiliæ increbuerunt, imprimis noctu, & licet interdiu subinde indormierit, somnus tamen brevis erat: subinde circa finem Junii noctu deliravit: ob magnum proventum pediculorum, qui vigiliarum causa reputabantur, capilli detonsi fuerunt, nihilominus derasis capillis somnum capere nequiit, tum ob frequentem tussim, qua multum sputi crassi partim pellucidi, partim turbidi ejecit, tum propter calorem internum & anxietatem, quam explicare nequiit, ob quam subinde corpus versavit nunc in dextrum, nunc in sinistrum latus; citra dyspnœæ aut tussis majorem provocationem, aut exacerbationem.

Mense Julio omnia in deterius vergebant, habitus summè extenuatus fuit, cutis ossibus hærebat; tussi multum sputi viscidissimi & crassi expulit: inter dormiendum stridor sputi in aspera arteria redundantis è longinquo audiebatur; nihilominus humili situ ad ultimum halitum decubuit; halitus aliquot diebus ante obitum fœtuit & fœces cadaver subinde redolebant. Calor mordax etiam in extremis perstitit: pulsus frequens, celer, debilis & durus: interdiu subinde serò deliravit: Urina semper crassa & rubra fuit. Angebatur valde & quæsitus se ubique dolere dixit; nullum tamen locum indicare valuit: pedes œdematosi fiebant ad malleolos usque. Die. 7. Jul. multum sanguinis rutili post tussim ejecit absque labore per os, ac postea aliquos grumulos & per secessum multum nigri, grumosi, fœtidi: id factum quoque est diebus sequentibus & noctu d. 10. Jul. multum adhuc sanguinis corrupti per secessum egessit: tota nocte deliravit: præ debilitate surgere amplius nequiit. D. II. Jul. mane post nonam, ipsum cum Dn. D. Pfistero invisi, nos agnovit, ad quæsita apposite respondit; inter tussiendum sputum in aspera arteria stridebat: pulsus erat frequens, celer, parvus; debilis, tensus; humili situ adhuc decubuit: extrema, etiam nasus, quamvis lividus esset, caluerunt: deliravit subinde & quosdam ex astantibus, aliàs notos, non agnovit. Subindè sputum citra cruorem promptè illudque viscidissimum ejecit. Vox toto decubitus morbi tempore non rauca evasit. Vesperi circa 4. Hæmoptoë largiter rediit, ob quam valde debilitatus fuit, & quoniam præ virium imbecillitate sputi excretionem promovere amplius nequiit, post quartam vivere desiit. Die 12. Jul. mane h. 5. cadaveris apertio nobis concessa fuit: remota cuti in pectore nulla pinguedo occurrit: Sublato sterno dextram pectoris cavitatem aqua subflava limpida plenam invenimus, cui tandem à vasis sauciatis aliqnid cruoris in fundo miscebatur; Aquæ in sinistra pectoris cavitate erat circiter Mensura, aut ℔. 3. Pulmones in utroque latere distenti & quasi inflati, attamen in sinistra parte flaccidiores & molliores & pallidiores, in dextro rubicundiores erant: tota illorum superficies ante & retro atque intra loborum majorum interstitia conspersa erat corpusculis albis, duriusculis, magnitudine seminis milii, papaveris albi, quædam magnitudine sem. canabis, densissime junctis, vix remanente spatiolo de pulmonum ab illis immuni. Dum Dn. D. Pfister asperam arteriam sub larynge discissam blanda manu à gula separavit, in dorso abscessus ruptus fuit; ex illo prodiit substantia concreta, lacera tamen, firmior caseo quasi glandulosa, alicubi albicans, verùm versus pulmonum lobum superiorem livida & atro rubescens, summe fœtens & propè cadaver quatriduanum redolens; sublata portione folliculi hujus tumoris cum lobo hoc superiore, cui folliculus concretus erat, & tandem extractis pulmonibus, cum corde, vasis sanguiferis ligatis, facilè stylo inveni ostium apertum in ramum dextrum asperæ arteriæ ubi membranea est: superficies interna ostio vicina folliculi atque

aſperæ arteriæ atro-rubeſcens erat, & in bronchiis ſupererant grumuli ſanguinis ſputique viſcidi non parum. Folliculus lobo dextro aſperæ arteriæ & in dorſo ad latus dextrum vertebris pertinaciter accrevit, ovi gallinacei prope capax. Thymus integer & ſeparatum ab hoc abſceſſu corpus manifeſtè fuiſſe conſpiciebatur. Lobus dexter ſuperius, ubi folliculo junctus erat, & aliquouſque ſecundum omnes dimenſiones durus & foris atro-rubeſcens, intus alicubi albicans, alicubi imprimis folliculi oſtio vicinus lividus, denſus, poris deſtitutus & lardo ſimilis fuit; ejus fruſtum abſciſſum aquæque immerſum fundum petiit: non ſecus ac hepatis fruſtulum detruncatum: alia fruſtula mollia dextri lobi, licet foris rubeſcerent, aquæ innatabant, ut & ſiniſtri lobi fruſtula abſciſſa, nec per biduum in aqua relicta unquam fundum petierunt, donec illa per quadrantem horæ elixaveram. ſublato folliculo cum ſuis contentis & portione lobi dextri ei uniti ſenſimque aliorſum repoſito, fœtor quoque ablatus fuit, minoreque cum horrore cætera perluſtrare valuimus. Apice cultri aliquot grandines effodi ac deprehendi, illas proprio folliculo præditas & vicinis partibus per fibras minutiſſimas arctè connexas eſſe; ungui impoſitæ ob lubricitatem ſtatim elapſæ; aſſeri verò impoſitas & diffractas patuit ſubſtantiâ quâdam pulpoſâ & fibroſâ infarctas eſſe, ſimul prodiit liquoris parum turbidi reliquumque in membranam vertebatur: elixæ vero compreſſæ ſubſtantiam quaſi caſeoſam oſtendebant. Lobis utriuſque lateris decuſſatim inciſis intus undiquaque harum grandinum omnia refertiſſima erant, nulluſque locus occurrit, qui apice digiti tegi potuiſſet in quo non acervatim reperirentur, quædam lentis magnitudine, aliquot ſem. canabis erant: reperi quandam in meditullio phaſeolo majorem. Ex vulnerata pulmonum ſubſtantia aqua ſpumea copioſe prodiit & ex bronchiorum ramulis quibusdam ſputum mucoſum viſcidum: inflato bronchiorum ramulo tum manifeſtè veſiculæ aëre implebantur, tum externa pulmonum tunica in altum tollebatur, & clare conſpicere potui grandines extra veſiculas inter minutorum lobulorum interſtitia ſuam ſedem habuiſſe. Pericardium diſtentum & amplum continuit ad ℔. I. aquæ limpidæ, ſubflavæ, pellucidæ. Cor fuit pallidum, flaccidum, parvum: ejus pinguedo in baſi & cono pauca, gelatinæ ſimilior; in cono foveolam piſi capacem habuit, ac ſi ulceratus eſſet conus, verùm abraſa pinguedine cordis, membrana integra apparuit. Aperto abdomine ventriculus parvus diſtentus occurrit, circa ſtomachum rubere videbatur, & in fundo atro rubeſcens quid tranſparuit; inciſo ventriculo & multo cruore grumoſo remoto, totus candidus viſus fuit. Inteſtina quoque aliquo modo inflata erant & per illorum tunicam tranſparuit materia nigricans per majorem illorum tractum; inciſis inteſtinis illiſque mundatis innotuit nihil niſi ſanguinem corruptum eſſe. Omentum gracile, contractum & omnis pinguedinis expers erat. Multum aquæ limpidæ in cavo abdominis ſtagnavit, ita tamen ut abdomen non multum ab illa diſtenſum fuerit. Hepar non vaſtum mole erat, pallidum, molle, conſperſum in ſuperficie & intus quoque refertum grandinibus, colore, magnitudine & conſiſtentia pulmonibus ſimilibus, diſtinctæ à glandulis hepaticis, ut ex elixatione patuit. Veſicula bilaria parva fuit, nihil calculoſi continuit. In cavo hepatis prope portam, tumores duo comparuerunt, unus propè nucis juglandis magnitudine, alter minor, diſtincti à pancreate, quod integrum & ſanum fuit: non erant exactè rotundi, ſed aliquantulum compreſſi & oblongi, foris ſubpallidi, intus albi, ſubſtantia quaſi glanduloſi, proprio folliculo præditi. Vinculo venæ cavæ aſcendenti injecto ſecedente, multum ſanguinis grumoſi rutuli excidit, in arteriarum truncis propè nullo amplius ſuperſtite. Lien lividus, paulo craſſior & major quàm in hac ætate ſolet eſſe, conſperſus quoque fuit grandinibus cæteris ſimilimis ac non pauca intus continebantur. Renes prope conſumpta tunica, adipoſa, pallidi & flaccidi erant: in ſuperficie nullæ grandines conſpiciebantur, at diſciſſa ſecundum longitudinem carne, non paucæ in apricum venerunt. Renes ſuccenturiati majorem ſolito cavitatem habuerunt & ſubſtantiam fracidam attritu facile ſolubilem. In glandulis meſenterii grandines quoque hinc inde viſæ fuerunt. In Meſocolo duæ glandulæ olivares lividæ, molles hærebant, intus albæ, ſubſtantia pulpoſa humoreque turbido infarctæ. Inteſtinis à ſordibus mundatis, ſecundum longitudinem inciſis, conſpiciebantur glandulæ hinc inde grandinoſæ, imprimis ſolitariæ in colo prope cœcum; ex quibus compreſſione prodiit humor turbidus, albicans: ibi quoque reſtiterunt tres lumbrici adhuc vivi ſpithama longiores. Nam grandines intra muſculorum interſtitia exſtiterint, nec detracta cuti in pectore obſervatum, nec alibi inquiſitum fuit. Sectioni intererant & manum admoverunt præter me Dn. D. Ludovicus Lucis Secreta de Zavorziz. Dn. D. Jonas Meiſterus, Dn. D. Alexander Pfiſter, cum filio meo Joh. Conrado Med. D.

1. HIppocratem illuſtrem Medicinæ ducem primum omnium de Tuberculis pulmonum diſſeruiſſe Zacut. Luſit. Prax admir. L. I. Obſ. 103. refert: φύματος ἐν τῷ πλεύμονι namque mentionem facit c. 10. Item c. 14. ubi tradit ejus generandi modum, ſuppurationem & hanc conſequentia ac eventum. It. l. 2. c. 55. ubi proponit ejus ſigna, curandi rationem ſucceſſumque ſeu ſpe-

spectandum, seu timendum: Anne verò φύμα, de quo Hipp. l. 1. agit adaptari possit tuberculis, quibus Juvenis iste obiit, valde dubito, multa enim innuunt, potius hoc nomen competere peripneumoniæ, at pleuro-pneumoniæ, præter suppurationem namque addit ἐν κλίνῃ ἐνιαυσίῳ γίνεται ἡ νόσος; nam si semel tubercula ad suppurationem pervenïunt, non fiunt morbus annuus, seu singulis annis revertens; quod aliquot pleuro pneumonia affectis per tres plures annos se subsequentes, adhuc superstitibus evenisse novi: neminem vero his tuberculis suppuratis evasisse observatum memini: nam diu hæc tubercula non agnoscuntur, & postquam ex suppuratione manifestiora fiunt, plerumque omnes benè agendi occasiones ereptæ sunt: utcunque phthisicorum aliàs curatorum exempla exstent: qua de re videantur Zacut. Lusit. Hist. Medic. Princ. 32. 33. 34. φύματα ἄπεπτα Gal. l. 4. de loc. affect. c. 9. mallem juvenis istius tubercula credere, quia plurima adhuc cruda seu ὠμὰ ut Fernel. l. 5. de Part. Morb. & sympt. C. 10. vocat, supererant. Galen. quidem suppurationis in l. c. non meminit: illis adscribit dyspnœam χωρὶς τοῦ καρχγᾶδος τί. In Antipatro Medico Romano nondum sexagenario pulsum intermittentem sine febri per semestre durantem reperiens, primum quæsivit de respirandi difficultate, quamvis illam tunc nondum pateretur, brevi tamen post hæc à levi dyspnœa afficiebatur cum palpitatione cordis, primò quidem semel, hinc bis, ter, quater, tandem sæpiùs quindecim diebus ac invalescente respiratione difficillima ἐκλυθεὶς subito mortuus est. Petr. Sal. Divers. de Aff. Particul. c. 21. qui Zacuto teste, cum sui & artis gloria affectum ab aliis Practicis non exhibitorum horum curationem conscripsit, illa à suppuratione non aliena agnoscit, dum in Prognostico addit, si ad suppurationem deveniant & rumpantur, lethalem casum afferre. Alius generis forte erant corpuscula à Gal. l. c. χαλάζια seu grandines, orobi magnitudine vocatæ, à quibusdam tussi rejectæ, &; ut putat, ex pituita exsiccata productæ; quorum quidam ob causam aliam, alii ob morbum instrumentorum respirationi inservientium mortui sunt, citra sanguinis profusionem; Fernel. l. c. refert à quibusdam interdum post concitatiorem corporis motum pilulas parvas seu globulos exiguos membranula conclusos è pulmonibus reddi, quibus contritis digitis pus reddatur fœtidissimum, quale è cavo, putri & corroso dente interdum exputgatur. Ibidem Adolescens quidam à paulo vehementiore exercitatione; cum acerba tussi nullo puncto temporis intermisso, torqueretur, vomicam integram ovi columbini magnitudine excreavit, in qua aperta pus exquisite album & æquale deprehensum est, cruenta excreatio integrum biduum perstitit magna febre magnaque corporis perturbatione. At nihilominus is servatus atque sanitati restitutus est. Studiorum socium Argentorati habui per intervalla longiora tussi rejicientem grandines pisi magnitudine: præditæ erant folliculo & pressæ cum aliquo crepitu rumpebantur ac pus fœtidum fundebant. Pluribus annis supervixit, & ut audivi, Brisacci febre maligna mortuus est. Grandines Gal. Fernel. & Philiarri istius in bronchiis pulmonum ex illorum tunica interiore; more aliorum tumorum cum folliculo, enatæ fuerunt; quia diu superstites permanserunt, atque aut alio morbo, aut si aliquo pectoris affectu defuncti sunt, fiebat tamen id sine hæmorrhagia, ut Gal. refert. Crediderim quoque Adolescentis vomicam columbini magnitudine in quodam ramo bronchiorum intus enatam fuisse, quia quoque servatus fuit, licet hæmorrhagia ejectionem secuta sit per biduum cum febri, nam vehementia tussis avellebatur non sine laceratione vasorum bronchialium: si altius pulmonum substantiæ immersa fuisset, vix Phthisin evasisset.

II. Tubercula hæc pulmonum, Hepatis, Lienis, Renum & Mesenterii verè erant χαλάζια Gal. seu χαλάζαι Arist. Hist. Animal. l. 8. c. 21. grandines Latinis, quales in bobus, suibus, gallinis & leporibus quoque intexi. In hoc juvene has esse tumores proprio folliculo præditos, scrophulosos, ad glandularum conglobatarum consistentiam accedentes, distinctos à vesiculis in pulmonibus & in hepate, manifestè patuit, inflatis enim quibusdam ramis bronchialibus, tum foris vesiculis, quæ ab inflammatione distendebantur, ac corporibus intra interstitia lobulorum incedentibus & in hepatis elixati frustulo glandulis, mediantibus fibrillis, annectebantur, ita ut illis integris manentibus avelli potuerint: ungui impositi ob lubricitatem elapsi, asseri verò asperiusculo injecti, manubrio cultri compressi & rupti, substantiam edebant pulposam, cum pauxillo liquoris; reliquum in membranam expandebatur. Illud quod lobulorum interstitiis in pulmonibus interjacet neutiquam corporis fibrosum carneum reputare potui, potius videbantur esse fibræ nerveæ stipatæ vasis capillaribus sanguiferis in hoc cadavere maximè in sinistro latere sanguine vacuis. Epar suillum coctum ex innumeris glandulis quadrangularibus aliterque figuratis combinatum me observasse jam 1664. scripsi ad Exc. D. Jacob. Heinr. Paulli Epistolam meam addidit Anatom. Bilsianæ 1665. Argentinæ excusæ: id hactenus in humano aliorumque animalium hepate diutius elixo deprehendi, nam aliarum glandularum ratione induratur. Duæ glandulæ olivares in mesocolo, duoque tumores in cavo hepatis juglandis magnitudine, & tuberculum unicum phaseoli ejusdem naturæ cum grandinibus fuisse nullus dubito, nam omnes hi tumores præditi erant folliculo proprio & substantiam glandulosam cum pauxillo liquore continebant: quinetiam his accensere ausim tumorem in dextro pectoris latere firmiter vertebris, in parte postica & anterius dextro superiori lobo accretum; nam & hic proprium habuit folliculum & continuit substantiam concretam, firmiorem caseo, quasi glandulosam & alicubi adhuc albicantem.

III. An grandinum in Pulmonibus, Hepate, Liene, Renibus & Mesenterio glandulæ; quæ inter extrema arteriarum capillamenta & vasotum lymphaticorum intermediæ statuuntur, & una atque altera glandula globosa, quas non raro reperi in pectore circa diremptionem asperæ arteriæ in postica parte pulmonum distinctas à thymo & in cavo hepatis diversas, tum situ, tum officio à pancreate, Tumorum subjectum fuerint atque ab illis exordia sumpserint, multis disceptare nolo, quamvis admodum verisimile sit; cum scrophulæ tales glandulas pro subjecto

subjecto multorum calculo habeant, non raro ab exiguis principiis in vastam molem excrescentibus.

IV. Tumorem magnum dextro lobo pulmonum in parte postica, in abscessum degenerantem Vomicam appellari posse existimo, quia cavus erat & osculum in tantum magnum dextrum asperæ arteriæ nactus, pus copiosum in pulmones eructavit, nam à principio Junii ad 12. Jul. multum sputi purulenti rejecit nulla verò grandinum suppurata in ulla parte pulmonum inventa fuit, portioque dextri lobi admodum compacta, inflammata & indurata nullibi in abscessum versa apparuit: procul dubio tamen grandines, nisi hujus tumoris & vicini pulmonis sphacelus vitæ filum abrupisset in vomicas degenerassent, ut contigit Serenissimo Principi ac Domino Carolo Friderico Marchioni Badensi, de quo videatur Obs. Med. 100. Exc. Dn. D. Verzasc. p. m. ubi observandum ulcuscula illa, acinorum instar, externam superficiem pulmonum obsidentia tubercula, seu vomicas fuisse continentes pus tecens, alicubi fœtidum, ut filius meus Medicæ tum temporis Basileæ arti operam navans & sectioni assistens ipsemet operi manum admovens testatus est: Pulmonis autem Vomica quoque appellari poterit, quia hic arctissimè quasi in unam compagem cum hoc dextro lobo coaluit, ut non sine laceratione è pectore evelli potuerit & amplo ostio in illum dehiscerit, denique hunc inflammatione & sphacelo infecerit.

V. Grandinum & tumoris glandularum in Mesocolo; cavo hepatis & insignis in pectoris parte postica, causa proxima primum erat Lympha detenta p. n. nam grandines cum suis contentis & duæ hepaticæ foris & intus semper albæ perstiterunt, & licet duæ Mesocoli sublividæ foris apparebant, contenta tamen illarum candida permanserunt: glandulam pectoralem diu albam permansisse veritati admodum consentaneum est, quia etiam post lethiferum sphacelum ex rupto folliculo prodiit substantia concreta, caseo firmior, alicubi albicans: Postea inflammatio is & hanc consequentis gangrænæ ac sphaceli causa fuit sanguinis stagnatio, undequaque in prope omnibus capillamentis secundum omnes dimensiones lobi, imprimis superioris dextri pulmonum & in contigua ipsi portione tumoris; nam pulmo hoc in loco non solum in superficie, sed quoque in meditullio erat atro-rubescens, densus, aboliris aut coarctatis omnibus vesiculis pulmonaribus, ponderosus; nam inflatis ibi per ramum bronchialem pulmonibus vesiculæ pulmonares non expandebantur & frustula amputata statim aquæ injecta fundum petebant, & quoque portio tumoris atro-rubescens apparuit. Tumores & inflatio augebantur à perpetuo sanguinis motu, dum albicantibus tumoribus semper aliquid novi de lympha & inflammationi de sanguine, antequam sphacelus omnem sanguini aditum intercluserit, singulis pulsibus accessit. Quomodo in extremis capillamentis arteriatum lympha & sanguis separentur; & seorsim hic per venas, illa per propria vasa ad Cor remeent, videatur Epistola Doctissima Exc. Schelhammeri de Lymphæ ortu Helmstad. 1683. excusa & Biblioth. Anat. 1685. inserta: plurimum enim ad generationis horum Tumorum rationem intelligendam valebit Lympha in grandinibus & tumoribus glandulosis detinebatur, quia oscula vasorum illam emittentium in vasa non rite patula erant, nam lympham admittentia aperta fuisse illatum incrementa à Lympha docet. Non possum non his inserere experimentum Dn. D. Joan. Conradi Brunner. Pf. Heidelbergensis, Anatomici solertissimi, Generi mei; per fistulam vitream Mercurium vivum Vasi Lymphatico majusculo prope glandulam globosam inflavit; videbatur Mercurius per convexum glandulæ superne transire in minutissimos ramulos hujus vasis, in quos dirimebatur & in parte ejus sima & minutissimis quoque surculis exire atque in majorem truncum, iis coalescentibus, se effundere: quæ plura, pro ingenio & eruditione quibus valet, hac de re annotavit & meditatur, aliquando publicæ utilitati non invidebit. Oscula angustiora reddita fuerunt à lympha austera, viscida, crassa, quæ in M. S. cumulata fuit, nam multum panis sicci ante pastum sæpe comedit, fructibus crudis nimium indulsit, lacticiniis delectabatur, & non tarò in cella, ut merito domestici suspicabantur, jejuno stomacho bibit: paucissimos novi, dum artem nostram exerceo, phthisin aut hydropem evitasse, qui jejuno stomacho vinum ejusque spiritum mane biberunt; citissimè enim hæc in vasa abripiuntur & propè adhuc cruda ad glandulas delata vel illas indurant, vel infarciunt, lenteque immedicabile damnum afferentia. Inflammationi ansam primam dedisse videtur glandis in pectore suppuratio: à pure dum ejus folliculus prope ramum bronchialem, ceu à corrosivo exesus & pulmo primum ceu à phænigmo incensus fuit: inflammationem & suppurationem accelerant vehemens ira & æstuante corpore largior vini & aquæ ingurgitatio: augebantur ambo mala vini potu, præsente jam febri, ad medium Maij continuato: denegata sanguinis circulatione in hoc pulmonum lobo & portione tumoris supervenit tandem gangræna & sphacelus, extinctis in sanguine & partibus spiritibus & calore.

VI. Quamvis Diu Phthinodes apparuerit, & domestici rei Medicæ non ignari fuerint, nemini tamen illum vel grandinibus, vel glandulis tumidioribus affectum esse, in mentem venisset; neminique pulsum Antipatri more explorandum exhibuisset: nam nullum vitium in actionibus naturalibus dictis ullo indicio observabatur: acclivia concitatius scandebat, magis currendo, quam lente incedendo loco movebatur, pallor adscribebatur nimio incremento staturæ, ut & habitus corporis graciliot & scapulæ prominentiores. Postquam circa medium Aprilis expallnit, pristinus vigor corruit, delassabatur, dyspnœa afficiebatur, demum ejus valetudo suspecta esse cœpit, nec tamen tunc illam admodum curavit, licet quoque appetitus imminutus fuerit, nam tunc in pastu vinum bibit ad medium Maji: Nondum medicamentis usus est, forte ascarides copiosè per alvum excretæ horum symptomatum causæ reputabantur. In progressu morbi, circa medium Maji, imprimis vero mense Junio nemo de Phthisi conclamata dubitavit, quia crebertime tussi multum sputi purulenti ejecit; febris invaluit, pulsus enim frequens, celer, debilis, calor attactu fervidus, imprimis circa carpum, mordax comperiebatur, intense sitiit, cibos aversatus est penitus; vires magis prosternebantur, vigiliæ urgebant, etiam post capillirium detonsum & pediculos profligatos, urina

erat

erat crassa, rubra: noctu deliravit: angebatur, quamvis causam ejus explicare nequiverit; sudavit in toto corpore, frequentius tamen in capite & facie largiter. Decollata fuit omnis spes reconvalescentiæ postquam spiritus cadaver redolere cœpit ac mortem instare largior sanguinis profusio per os & secessum cum magna anxietate de qua quæsitus se ubique dolere dixit, in propatulo erat.

VII. Aperto cadavere luculenter patuit unde provenerit tanta copia sputi purulenti: quæ causa febris intensioris, quam alias in Phthisicis observatur, sc. præter abscessum, pulmonis inflammatio, ob quam forte nasus fere ad ultimum halitum caluit, cùm tamen partibus internis sphacelo affectis, diu sæpe ante obitum extrema frigeant: inde quoque provenisse intensam sitim, vigilias, delirium, aversionem omnium ciborum atque inexplicabilem anxietatem, illam enim ventriculo aut intestinis tribuere nequivimus, quamvis foris rubra primo intuitu viderentur, nam illis apertis constitit solam à sanguine in hæmoptoë deglutito, per extenuatas illorum tunicas post longam diarrhœam, transparente tubore aliquo nos delusisse: forte anxietatem auxit aquæ copia intra pericardium conclusa & in dextra pectoris Cavitate stagnans, ibi ad ℔. I. hic ℔. 3. At nobis mirum videbatur, juvenem tanta copia aquæ intra pectus stagnante; dextro lobo superiore indurato, sinistro lobo inferiore pertinaciter diaphragmati accreto & parte molliore pulmonum aqua spumea inundata ad ultimum vitæ anhelitum semper humili situ decumbere valuisse: cùm alias hydrope pectoris affecti orthopnœici sint, imprimis si aqua simul in abdomine stagnet & pedes œdematosi sint. Vox nunquam rauca evasit; quia hæmoptoë phthisin plerumque Chronicam & sphacelus decurtarant, cùm alias à sputo tam virulento, progressu temporis aliquo modo larynx eroditur: Nemini mirum videbitur lactis & decoctorum pectoralium potum, Tincturam Antiphthisi Garman. Pulu. antihectic. Pot. & alia Remedia phthisi opposita omnia frustranea fuisse, qui tantam corruptelam intra pectus bene perpenderit.

VIII. Grandines & glandulas tumidiores, seu scrophulosæ, nondum Ægro febricitante, procul dubio auferri potuissent. Galen. l. c. cuidam grandines forti screatu ejicienti antiasthmaticis, aliis post vomicas jam ruptas valde exsiccantibus odoribus & potionibus ex Mithridario, Theriaca, Athanasia, Ambrosia vitam prorogavit. Petr. Sal. Diversf. in l. c. tum in arteriarum levium obstructione, tum tuberculis crudis præsentibus Galeni vestigia premit, monet tamen validius attenuantia & abstergentia quam in asthmate adhibenda, quoniam totus affectus fit in penetralibus magis internis: hinc commendat aqu. helen. d. simpl. & comp. sp. sulph. etiam elect. Chalyb. admixtis incid. insuper per intervalla purgat. Contra tubercula probat theriac. Andr. mithrid. sulph. vit. vitrum combustum Canfel. vitri, quod his in locis Empiricus quidam frequenter promiscuè suadet ipsique prope panacea est.) Aliquando ad decoctum salsæ parillæ venit, quo morbum lenivit, in antiquato tamen nihil profecit. Zacut. Lus. Prax. Admir. l. 1. obs. 103. scribit se diu multumque luctatum fuisse cum morbo à tuberculis crudis pendente & ex viginti quos in vita sua curandos susceperit, tres solum evasisse magno labore & longo temporis spatio. Vir magni nominis & inter suos Primas, obesissimus, consistentis ætatis, ab aliquot annis in acclivium ascensu difficulter respirat, humilitatem situ in lecto decumbit, plerumque tota nocte: apud illum deprehendi pulsum sæpe post. 5. 6. 10. etiam 20. ictum intermittere penitus, aliquando cunctari aliquantulum; accedit subinde cordis palpitatio: Cætera benè coloratus & sanus est. Ab usu pil. ex rad. centaur. maj. aristoloch. rot. diaphoret. Matr. fæc. ari, extr. helen. trifol. fibrin &c. pulsum sæpe æqualem diu perstitisse, cordis palpitationem diu emansisse & per menses tota nocte in lecto perdurare hucusque potuisse; quamprimum illas negligit, ut alias ad medicamenta sumenda difficilis est, & sæpe à gravissimis negotiis impeditur, hæc symptomata rursus ingravescunt. Ex nobili quadam familia aliquot liberi in tenera ætate ab hujus generis tuberculis crudis tabidi obierunt: frustraneus usus erat C. C. ust. cum pauxillo rad. ari pp. alii ex eadem familia, quamprimùm sine sputi rejectione tussire cœperunt, debantur remedia ex floribus bellid. min. parata sc. aq. dest. syr. conserva, & flores in aq. pro potu ordinario & cum carne pro jusculis coquebantur; quibus convaluerunt, ad adultam ætatem pervenerunt, atque adhuc ex his in matrimonio vivunt.

Ad lucem memoratis in Juvene repertis grandinibus fœnerandam, subjicio quædam de his in Brutis non ita pridem observata.

I. Gallina nigra pridie sana credita, subsequente mane d. 27. Aug. 1690. mortua in gallinario reperta fuit: à Dn. D. Joh. Jacobo Mejero Anatomiæ studiosissimo, ultrò anatomico protinus subjecta fuit; detracta pelle penigera undiquaque grandinibus miliaribus, albis, duris obsitam vidimus: remotis undique integumentis abdominis & sublato sterno innumeræ protinus visui grandines occurrebant, in ventriculo, omento, intestinis, oviductu foris adhærentes propiùs, quædam intestinis incumbere videbantur; in mesenterio pauciores sparsæ conspiciebantur; plures in mesocolo & interstitio cæcorum aderant: totum pancreas & corpus; quod Arist. l. 3. c. 14. de partibus Anim. vocat μέρος τι ἐγχυλὸς, seu partem prominentem super ventriculo (ut pote ultima pars gulæ) junctam, involvebant grandines densissimè cohærentes, mediantibus fibrillis, ut glandulæ conglomeratæ apparerent: in illa prominula gulæ parte integræ cum suis integumentis separari poterant: qua separata conspeximus tubulorum ex quibus hæc pars componitur, superficiem convexam majorem debito; foris illa pressa, licet tubulorum oscula intus patentiora essent; parum muci turbidi crassi edebant, alias futurum seu solvens, seu fermentum alimentorum in ventriculo. In hepate & liene nullæ: in renibus & pulmonibus ac in interstitiis musculorum & sub alis paucissimæ, nullæ in & sub musculis ob pectoris obtegentibus repertæ. Omnes grandines imæ partis gulæ, ventriculi, intestinorum, mesenterii, mesocoli, omenti & oviductus erant albæ, duræ, mobiles, propria membrana quælibet prædita, magnitudine lentis, pisi phaseoli, paucæ majores: Elixæ duriores, instar glandularum, fiebant;

bant: quarundam superficiem perreptarant vasa capillaria. Grandiues renum, pulmonum & interstitiorum musculorum erant miliares, immobiles & profundius immersæ. In ventriculo furfures exsucci, lapilli, pisa emollita, integra tamen adhuc continebantur; in intestinis ventriculo proximis redundavit Chylus turbidus, gryseus, crassus, viscidus. Ostio oviductus pertinaciter adhæsit ovum membraneum, aliis jam maturis ingressum denegans. Oviductus amplus erat, muco pellucido copioso obductus.

II. Leporis exta d. 16. Sept. 1690. medii & imi ventris perlustranda mihi & Dn. D. Mejero oblata fuerunt: in Pulmonum lobis sparsim grandines invenimus pisi magnitudine; in hepate plures, quarum quædam acini uvæ magnitudine erant: Pancreas totum videbatur quasi glandula conglomerata ex grandinibus quibusdam nuce juglande majoribus: quælibet tamen harum à pediculo instar acini uvæ pendebat. In omento repetimus corpus album cylindricum spithamæ longitudine, crassitie unciæ unius cum dimidia, in utroque extremo clausam; simile farcimini, per illud plurima vasa sanguifera spargebantur ipsumque ambiebant, non secus ac Jejunum: detracta membrana totum infarctum deprehendimus grandinibus orbicularibus, similibus caseolis, depressis. Grandines istæ & cæteræ prædictæ erant proprio folliculo & vasis sanguiferis, continentes substantiam pultaceam, crassam, pallidam: in quibusdam hæc substantia magis concreta erat, alba, asperiuscula, arenosa. Ventriculus distentus erat contentis pallidis, pultaceis, densè compactis: ambiebat illa mucus: omnia in massam tedacta citra dissolutionem extraximus. Cæterum reliquum parenchyma hepatis, lienis & pulmonum sanissimum, ipseque lepus pinguis erat.

Retulit mih nuper serio Nobilissimus quidam Colonellus vir strenuus & venationibus deditissimus, Lepores in locis uliginosis & paludosis continuò mcrantes plerumque grandinosos esse; nihilominus pingues fieri nec ab illorum esu Venatores abhorrere.

III. Suis pinguis pulmones grandinibus conspersos d. 13. Januat. 1691. examinavi: Illorum pars convexa & concava ab illis occupabatur: sparsim hinc inde prominebant, non arctè junctæ: detracta membrana & cautè lobis minoribus separatis plures non solum in superficie, sed quoque aliquot inter lobulorum interstitia, ar omnes singulares occurrebant, excepto uni.o loco, ubi tres combinatæ erant, quas tamen facile sejungere citra lacerationem, qualibet manente integra, valui: aliquot in locis, inflatis pulmonibus per unum alterumve ramum bronchiorum, lobuli cum vesiculis & bronchiis communionem habenres: aliquot illarum à partibus vicinis separavi lancetta, arctè quidem in interstitiis lobulorum mediantibus fibrillis connectebantur cum membranulis bronchiorum & vasorum sanguiferorum ac nervosorum illic transeuntium, verum integras sine læsione educere potui. Grandines separata esse tuberculo folliculo proprio prædita, manifestè constitit: inciso folliculo apparuit illum ex duabus membranis componi, exteriore dura, densa & nervea, ac crassiuscula; interiore pertenui & tenera: incisione primùm in aliqua facta hæc tenuis membrana videbatur corpus vermiculare esse, verum illa unguibus imposita & apice lancettæ diducta, patuit membranam tenuem existere eamque pellucidam: veritas magis innotuir postquam externa caute dissecta internam cum contentis in aliquot grandinibus integram eduxi: contenta in quibusdam erant liquor lacteus, turbidiusculus, in quibusdam aqueus, clarus & perspicuus. Grandines omnes erant albæ, duræ, & arctè rotundæ, quædam piso majores, quædam paulo minores. In patre postica, ubi aspera arteria in ramum sinistrum & dextrum dividitur, utrique ramo adhæsit glandula livida, mollis, longitudine unciæ unius, gracilis: illas in bronchia pervias esse observare nequii: nam nec inflatis bronchiis intumescebant, nec pressæ quicquam humotis in bronchia fundebant. An sint glandulæ illæ quarum Exc. Borrich. meminit lib. 4. in Epist. 17. ad Bartholin: Quatuor quidem glandularum mentionem facit, quarum forte duæ in pectore suis à lanione relictæ fuerunt, vel tot in illis non reperiuntur. In basi cordis pinguedo ei incumbens granulata quidem erat, verùm re bene examinata grandines non esse, facilè innotuit, mera enim pingue do fuit. Observarunt Laniones sues grandinosos plerumque pinguiores aliis esse & Lardum copiosius suppeditare. A multis relatum mihi fuit, Gallos carnem porcorum grandinosorum non abhorrere, ut nostri, unde non licitum est illam inferre macellis, sed foris venundatur, quia multi persuasi sunt carnem hanc Lepræ fomitem suggerere, quod plurimi Gallorum nunc non credunt, & vel nullos vel tarissimos vere leprosos ab illis statui vel inde elucessit, quod Leprosoria in locis nobis vicinis abrogant hasque ædes cum teditibus militibus ad militandum non amplius aptis destinant. Fatendum quidem est paucissimos ex illis qui in Leprosoriis nutriuntur, quandoque potius saginantur, Leprosos esse, nullos tamen existere, nec Gallorum Medici negant, fidem facientibus propriis scripris. Plater. l. 3. obs. p. 695. Comitissæ Gallæ lepra confirmata & inveterata affectæ rem uti erat, exposuit multis Medicis & Chirurgo quem secum adduxerat, Ipsiusque Aulæ magistro, qui nolebant hoc credere, certis argumentis id comprobavit, & ut hoc crederent iis persuasit, Galli primùm non credebant, quia ejus signa in urina & sanguine non deprehenderunt, quanti hæc facienda sint, notunt illi qui horum inspectionibus publicis quandoque interfuerunt.

IV. Canicula à suo Domino, febri maligna decubuo, nunquam discessit: postquam convaluit tussire cœpit & emaciabatur, quamvis multum semper cibi devorarit: d. 8. Januar. 1691. sectioni destinata fuit: sublato sterno in lobis superioribus pulmonum occurrebant tres cicatrices in superficie, quarum una uncia longior erat, omnes subcruentæ & teneræ adhuc, ceu nuper obductæ apparuerunt. In lobo medio invenimus tuberculum durum, veluti portionem scirrhosam ejus, suppuraturam aliquando, non grandinosam, nam intus rubebat. Ex quatuor his historiolis colligo,

I. Grandinum subjectum esse membranas partium p. n. sensim dilataras, ab humore nutritio, non mere excrementitio, nam per arterias affertur, contentum lymphæ simile & diu citra vitæ damnum toleratur & nihilominus sus & lepus

pus pinguefiebant : gallina & canicula appetierunt.

II. Morbosæ & tandem lethiferæ fiunt, si numero & mole ἀνάδοσιν chyli, sanguinis & spirituum impediunt; aut si suppurantur : nam in pulmonibus in vomicas degenerant, quam vix evitabili ratione Phthisis nunc citius, nunc tardius enecans, subsequitur; imo ab aliis & à me semel atque iterum observatum fuit. Vomicam majorem ruptam celerem mortem attulisse : Memorabile hoc Galeni est & Practicorum munimen contra Cavillatores : l. c. de Loc. Aff. Vomicarum curationi præmittit hoc σαφῶς ἔγνων ὅμοιόν τι πάθος συμβαίνειν αὐτοῖς τῷ κατὰ τῶν ἐκτὸς ἑλκουμένων μορίων, ὑγρότητι σηπεδονώδει διαβρόχων γινομένων : ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐκκόπτειν ἐγχωρεῖ Καὶ πρός γε τούτῳ, Καὶ καίειν πνεύμονι δ' οὐδὲν, τοιοῦτον ποιεῖν, διὸ Καὶ πάντες ἀπόλλυνται : manifestè cognovi : illis sc. Vomica jam rupta affectis, similem affectum obtingere, ut in partibus externis conspicuis; humore putrefaciente irrigatis; verùm in illis abscindere vel amputare, & insuper urere licet; at pulmonibus nihil horum facere fas est : unde sc. vomica affecti pereunt. Ἀλαζόνα quendam nuper non puduit jactare se præterita hyeme, & vere sexaginta consummatos Phthisicos curasse perfectissimè : an in praxi sua, quæ paucorum annorum est, tot viderit, valde dubito : si coram Galeno effutiisset superstite, proculdubio egregie vapulasset. *D. Ioh. Iacob. Wepferus, Miscell. Curiosor. Decur. ij. Ann. 9.*

Observatio XLIX.

In Phthisico, hepar ac imi ventris viscera malè affecta; pulmones scirrhis referti; pericardium humore multò glutinoso distentum.

Anno 1696. mense August. Viri cujusdam annos circiter 38. nati ipso die sub meridiem defuncti, cadaver horâ quartâ pomeridianâ cultro subjiciebatur nostro. Is à quinque jam annis valetudine admodum infirmâ fruebatur, febribus subinde afflictus, ab integrô verô semestriô decubuerat lentô consumptus igne, qui noctu quotidie invalescebat cum comitibus leipothymiis, dyspnœa ac tussi multâ. Totum in genere corpus non admodum emaciatum apparebat, ipseque medius venter satis latus & altus, nihil quod per se in phthinodes quid deduceret præbebat. Reserato abdomine reperiebamus 1°. Coli partem superiorem peritonæo firmiter connexam, ut & omenti desiccati & absumpti superstites portiones. 2. Intestina flatibus distenta, pellucida, ac parum excrementi desiccati nigri & conglobati continentia. 3. Mesenterii glandulas tumidiores & induratas, solô Asellii pancreate ab ejusmodi morbô intactô. 4. Hepar per convexam sui partem diaphragmati firmiter cohærens, ut & vicinis peritonæi portionibus, à quibus etiam divelli nequit sine propria dilaceratione membranæ : Illius substantia coloris fuit lividi sed variegati, grandinibus miliaceis, tophosis, albidis intus & extus tota conspersa. 5. Vesiculam fellis humore turgidam, nec colore nec consistentia bilem genuinam referente; fluidior quippe, tenuior, pallidior, minùsque actis & amaricans videbatur, ac proinde seri biliosi potus quàm bilis apparentiam exhibebat. 6. Lienem naturali paulò grandiorem totum quantû tuberculis glandulosis contextum, quæ cultro excisa, cellulas quæque duas in sui centro manifestârunt, unde forsan non immeritò concludatur, tubercula hæc ab succis terrestrioribus cellularum lienalium parietibus accretis, illosque sensim adaugentibus ac densantibus, enata fuisse, non obliterata interim; imò potiùs multum ampliatâ cavitate media, pariete quasi intergerino distincta. 7. Pancreatis veri corpus molle variis scirrhis hinc inde duratum. 8. Renes sinistrum pro tunica adiposa, membrana vestitum tenui ac diaphana serum gelatinosum complectente. 9. Aquas in abdominis cavum ad 4. aut 5. librarum quantitatem effusas.

Thorace postea apertô, conspiciebamus. 1. Pericardium crassum admodum, seri glutinosi libram ad minimum unam continens, verôque propterea hydrope affectum. 2. Cor, quod sanguinis grumos aliquot auriculis suis complectebatur; ventriculis verò corpora polyposa subrubra, tenacissima extremitatibus suis ibi furcatis tanquam radicibus, eorundem ventriculorum apicibus implantata. 3. Pulmones admodum turgidos, ex parte lividos, & variis in locis tuberculis scirrhosis pisa majora magnitudine æquantibus refertos; quibus tamen non impediebatur aër insufflatus quò minùs undiquaque permearet corpusque visceris repleret.

Ex hisce omnibus quàmfacillimè colligitur quid causæ sit quòd remedia febrifuga aliaque per totum morbi longi decursum adhibita nihil aut parum attulerint opis. Quid etenim pericardii aquas viscidiores evacuare? Quid tenacissima polyposa corpora satis solvere; sicque animi deliquiis ac cordis palpitationibus satis mederi? Quid tophos per hepar respersos, aliosque in liene enatos fundere? Quid bilem ad proprium genium reducere, aliaque aberrantis naturæ, & ubique putrefactiones funestas molientis, peccata corrigere, valuisset. Unde patet quàm iniqui sint illi qui optimis medicamentis imputant, quòd in omnibus morbis non æque conferant, eosque qui illa tractant sic malè arguunt.

ANATOMIÆ PRACTICÆ
LIBRI SECUNDI
SECTIO VIII.
De Palpitatione, Tremore, Dolore Cordis.

OBSERVATIO I.

Palpitationis cordis variæ causæ sectione cadaverum deprehensæ.

EXCITARI potest cordis Palpitatio à *Tuberculo*, *Abscessu*, intemperie calida, *Sanguine multo* obstructionem faciente, *Vermibus*, subita vacuatione, impraegnatione, *Inflammatione*, *Aqua tunica inclusa*, *ac humore putri* & male olente plena, *Lapillis*, venosa qualitate, spirituoso halitu, sive ab internis sive ab externis: Ventriculis cordis, sive in substantia, sive in pericardio, sive arteriis causa consistat; Sive accidat extrinsecus, ut utero, hepate, liene, ventriculo: E quibus causis nonnullas in dissectis corporibus hoc morbo peremptis explotatas habuimus: In cujusdam *Pericardio aqua visa*, in alio *abscessus* in vena *arteriosa*: In aliis *pericardium flatu distentum*, qui tandem solet in aquam concrescere, nisi cordis calore dissolvatur. *Scoliographus ad cap. 29. Hollerii de morbis. int.*

CAusa noxia aut per essentiam est, aut per consensum, Per *Essentiam* aut in *ventriculis*, au in *solida cordis substantia*: In ventriculis vapor sive fuligo elevata ex materia putrida vel non putrida, acri, mordaci, purulenta, venenata vel non venenata, In *substantia* ut sunt abscessus, ulcera, erysipelata, calculi, tumores duri: Unde alias diximus *erroris eos convinci, qui cor variis morbis tentari negant.* Causæ per consensum sunt aut in *Pericardio*, aut in *Pulmonibus*, aut in *Cerebro*, aut *ventriculo*, *intestinis*, *jecore*, *mesenterio*, *toto corpore. Saxonia* Prælect. Pract. part. 2. cap. 1. §. 3.

OBSERVATIO II.

Cordis Palpitatio ab ejus inflammatione inducta.

IN Britone quodam, in Collegio Triquetico jacente, Inflammatio cordis Palpitationem induxit. *Hollerius ibidem.*

ERysipelata & Inflammationes Galenus non negat fieri posse in corde, negat tamen diu durare posse, cum statim ad interitum deducant: Sed si cor subjectum est suppurationibus, putredini, abscessibus, ut experientia sæpius comprobavit, necesse est præcessisse Inflammationem, cui omnia illa succedere solent. *Saxonia ibidem*, Quod ait Galenus 2. & 3. de Præsag. ex Pulsibus, cum ejusmodi tumores in corde oriuntur, concitari adeo vehementia animi deliquia, statim inter initia, ut hominem omnino interimant, Id puto esse intelligendum quando in internis partibus & penitioribus oritur is tumor: alioquin enim memini sectum fuisse cadaver hominis ex diuturno morbo mortui, cui inventum parvum sub altera cordis auricula ulcus, &c. Sed externæ, imo extimæ partes, non sunt tanti momenti sicut, interior ejus substantia & ventres. *Trincavella De rat. curandi lib. 6. cap. 11.*

OBSERVATIO III.

Palpitatio cordis ob ejus ventriculum dextrum sanguine concreto refertum, Ejusdem Auriculam summe auctam, & Pulmones cruore extravasato infarctos.

THeologus insignis, postquam Palpitationi cordis per crebras vices, modo sponte, modo occasionaliter obnoxius degisset, tandem ea continue dies & noctes cum gravi Dyspnœa affligi cœpit, & deinceps intra paucos menses à morbi assiduitate attritus fatum obibat.

Cadavere aperto, cordis sinus dexter mox sanguine concreto tumidus apparuit: cujus item auricula in immensum aucta & extensa, cruoris grumosi copiam ingentem continebat: Contentorum horum ratio statim apparebat, videlicet, quia Pulmones summè obstructi

ftructi & cruore atro extravasato, & ubique stagnante infarcti, sanguinem è ventriculo isto jugiter explodendum haud admittere potuerint: *Willis Pharmacop. Ration. p. 261.*

OBSERVATIO IV.

Palpitatio cordis ob arteriæ magnæ truncum mox à cordis egressu plane osseum redditum.

NOvi senem cerevisiæ fortioris ac vetustæ, nec non vinorum potui crebro à multis annis assuetum, prædicti morbi insultus crebros pati solitum: Cujus postea stomachi sphacelo cum vomitu quotidiano, spirituum languore, aliisque symptomatis defuncti cum cadaver aperirem, Deprehendi arteriæ magnæ truncum mox à cordis egressu plane osseum, seu potius saxeum, Ejusque latera valde compressa fuisse, ut rima tantum relicta sanguis vix per dimidium, quo debebat, torrentem effluere poterit: Proinde ut huic causæ palpitationem cardiacam, ei sæpius molestam, transcriberem. *Idem ibidem pag. 264.*

COrdis Palpitatio adeo vehemens & immanis interdum existit, ut non solum tactu manifestius percipi, verum & oculis conspici possit, imo interdum ad distans quoddam audiri possit: At vero hic motus quamvis ad sensum ita multiplicem perceptibilis sit, attamen rationi nondum constat quæ pars ita moveatur, ut quovis pulsu suo pectoris latus sinistrum exilire faciat: Omnes uno ore profitentur partem ita motam & fortiter evibratam, ipsummet Cor esse, Sed interrogo utrum tota cordis compages aut aliqua pars ejus ita exiliat, & forstam vibrationis suæ sphæram transgrediatur; Si dicatur corpus ejus totum ita efferri, assignent vellem an hoc in systole ejus, aut diastole fiat: certe non prius, quia dum cor contrahitur, αὐξηλία patet molem ejus quoad omnes suas partes minui: Nec magis in Diastole dicatur, quoniam in eo statu cor ad situm & magnitudinem tantummodo naturalem & ordinariam redit, inque eo aliquantulum manet: Hinc si quidem cor juxta vibrationis suæ, quantumlibet auctæ aut intensæ, leges adeo palpitare & exilire nequit; (quod etiam amplius constat, quoniam in paroxysmo febrili, ubi vehementissime pulsat, non extra salit & cor petcutit,) olim suspicatus fui ipsum, durante affectu illo, motum convulsivum & ordinario plane diversum obtinere, quo nempe velut membrum spasmodice agitatum, cor protsus totum elevetur, & è loco suo moveatur: Attamen neurologia plenius intellecta, ab hac sententia statim recessi, quia certum est cor à nullo alio musculo, præter suas ipsius fibras motrices, quoquam attolli aut efferri posse: Quapropter super hac re magis cogitanti, demum animo occurrit, quod dum cor ad sanguinem, è sinubus suis excludendum contrahitur, atque mucro & latera undique concidunt & propius adducuntur, si tamen sanguis illico totus quaque systole penitus ejici & eliminari nequeat; necesse erit vasorum radices ad summum impletas, & plurimum extensas, cum impetu quodam exilire, dein propter reverberationem hic factam, totam cordis compagem valde concuti: Profecto à tali interdum causa affectum istum oriri ex observatione Anatomica *Theologi capite primo* adducta, confirmatum vidi: Quapropter dum cor exclusioni ejus totali summe adlaborans, unaquaque systole juxta conum & medietatem intus contrahitur, & quoad magnitudinem diminuitur, Basis ejus ob sanguinem ibi coacervatum, ac in transitu hærentem, aut reverberatum, valde impletus extuberat, atque propter Auriculæ molem magis tumida amplius evibrat & latus attollit.

Verum enimvero haud solummodò ab hac causa cor palpitare constat, quia morbus iste non semper constans & perpetuus est, sed plerumque vagus, ac incertus per vices quasdam infestat, & deinde sponte aut remediorum usu cessat: Porro nonnullos quotum Pulmones satis sani, & tabe quavis immunes sunt, passim incessit:

Utcunque tamen, licet morbus iste à causis diversis exoriri possit, in iis tamen omnibus eandem usque afficiendi rationem esse judicamus: Videtur enim quod cor solummodo palpitat, quatenus in systole ejus, dum conus & latera simul contracta angustantur, basis cum vasorum radicibus ob sanguinem illic aggestum, & nonnihil hætentem aut repercussum, ampliata extumescat; Revera sanguinis cursum hic loci nonnihil præpediri aut repercuti inde constat, quia dum cor in latere vehementer & fortissime vibrat, arteria in carpo plerumque languide & debiliter pulsat, utpote sanguinis rivum nonnisi exilem convehens: Cum itaque istius morbi *causa conjuncta*, sive *ratio formalis*, omnino in sanguinis circa basin cordis, & vasorum radices remoras, & aggestione consistat, inquirendum sequitur quot modis, & ob quas alias causas ejusmodi affectio produci soleat.

Super his, ut cordis carnes sive proprias fibras motrices non multum culpemus, vitium hoc potissimum, & maxima ex parte, aut *Sanguini*, aut *Vasis cordi appensis* imputandum videtur: Prioris ratio satis constat, in quantum sanguine aquoso, atque ad effervescentiam aut accensionem minus apto præditi, uti virgines chlorosi laborantes, atque viri aut mulieres, cachectici, huic morbo plerumque obnoxii reperiuntur, & insultum ejus à corporis motu quovis citatiore fere constanter pati soleat: Cujus causa est quod cruor, siquidem particulis segnioribus & non satis activis constans, è cordis sinubus non libere & expedite ejicitur, sed partim in iis sæpe residet & facile stagnat: Idcirco quoties à corporis motu iisdem uberius infertur, ut penus ejus totus quaque systole eliminari nequeat; cor summo nisu laborans, in basin suam & vasorum radices, & vix ultra propellit, ubi cum aggeritur, & paululum consistens partes continentes extumescere facit, passionem cardiacam una cum dyspnœa infert.

Præterea tamen affectio isthæc quosdam sanguine præfervido, & prompte satis accendi aut fermentescere apto præditos sæpenumero infestat: Plerique enim passioni Hypochondria-

cæ, hystericæ aut alias spasmodicis multum obnoxii, hoc malum frequens & familiare est: quapropter in his casibus, arterias cordi appensas in culpa habendas merito suspicamur: Quo pacto harum obstructio, sanguinis è corde effluxum liberum impediens, cordis Palpitationem inducat, hystoria modo de *Theologo* citata, ostendit; Porro vasorum istorum occlusiones, & infarctiones aliis modis excitatæ, eundem effectum producere possunt. Cæterum probabile est pathema istud à sanguine, intra cordis sinus & vasa appensa grumescere, ac in frusta quasi carnea concreto interdum procedere.

Verum insuper his, si quidem Palpitatio Cardiaca affectus alios spasmodicos sæpenumero comitari solet, etiam suspicari licet illius causam quandoque mere convulsivam esse, Olim in Neurologia nostra, ex observationibus anatomicis ostendimus nervos & propagines nerveas fere innumeras, in pluribus locis, ac præcipue juxta basin cordis, arteriarum truncos complecti & circumligare, quorum usus & actiones ejusmodi fuisse putabamus, ut diversimodi sanguinis æstus, fluxus & refluxus, imo interdum stagnationes, propter vehementes iræ, timoris, gaudii, tristitiæ, aliosque affectus excitari solitæ, propterea contingant, quatenus funiculi isti nervei vasa hæc sanguifera varie stringunt, comprimunt, aut forsan aliquando penitus occludunt. Porro haud multum improbabile est, ob vasa ista spasmodice affecta, & paulo diutius constricta, iraur sanguinis è corde exilitionem liberam præpediant, palpitationis cardiacæ insultus nonnunquam excitari. Profecto tum hanc, tum alteras istas cordis passiones tali causæ merito imputamus. Verum circa efficiendi rationem à sententia ista paululum recedere visum est. Postquam enim Nervorum actiones & usus exactius perpenderam, deprehendi tandem ipsos, eorumque propagines, nihil omnino trahere aut constringere, sed totum hoc negotium omnino à fibris carneis perfici, atque nervos solummodo in has partes motrices, novas subinde spirituum copias, insuper & motuum obeundorum instinctus convehere: quale pariter munus erga fibras membraneas pro sensionibus peragendis exequuntur.

Dum itaque serio perquirerem quibus usibus totidem nervi, per vasorum tunicas disseminati inserviant, demum reperi Arterias istas proprio marte, pariter ac alia præcordia, se contrahere ac dilatare, atque pro motibus illatum tum naturaliter, tum pathetice obeundis, & spirituum copias, & instinctuum rationes per nervos istos deferri. *Enimvero ex Observatione Anatomica plane constat* Arteriæ cujusque tunicam mediam esse plane muscularem, atque fibris carneis (cujusmodi sunt ventriculi, intestinorum & quorundam aliorum viscerum) per totum constare: Quæ fibræ annulare, densa velut capilla, mentotum serie, Arteriæ ductum sive Tubum ubique cingentes, proculdubio systolas suas proprias & diastolas, æque ac Cor ipsum obtinent, quapropter imprimis, dum fibræ cardiacæ, & dein hæ arteriosæ successive & seriatim contrahuntur, necesse erit sanguinem è meta una ad alteram rapidissime propelli. Quare haud prorsus de nihilo est quod Medici quidam etiam Arteriis facultatem pulsificam attribuerunt, quippe multum improbabile est mero cordis, tanquam emboli impulsu sanguinis circuitum peragi. Quanto verisimilius est arteriam in toto ductu suo, à fluctus cujusque sanguinei tergo aliquatenus contractam, ipsam usque prorsum per rivulos licet minores, & spatia magis angustata urgere? Juxta hunc ritum ordinarium, sanguine æquabilitet circumpellendo, arteriæ constantes systolan & diastolæ vices habere videntur: Quæ licet celeres admodum, & ictu oculi citius, successive tamen per omnes tubi arteriosi partes peraguntur. Cæterum vero cum advertamus æquabilem sanguinis cursum, juxta passionum impetus diversimode interrumpi & perturbari, necesse erit tantummodo ita fieri, quatenus arteriæ (propter instinctum per nervos ad fibras motrices datum) variis in locis subito constrictæ, fluentem sanguinem aut sistunt aut reprimunt, aut prorsum impetuosius adigunt: In Timore, Tristitia subita, Pudore, Amore aliisque pathematis, animi consternationem, aut confusionem magnam inducentibus, probabile est Arteriæ Aortæ truncum à fibris istis subito & diutius constrictis, adeo contrahi & coarctati, ut sanguis ægre tantum, & nonnisi per minutas portiones è cordis sinibus exiliat. Quamobrem ab illo ibidem aggesto & stagnante, gravamen ingens & oppressio magna statim sentiuntur: Deinde si huic sanguinis remoræ cordis ad sanguinem ejiciendum pulsatio fortis & vehemens superveniat, necesse erit ob cruorem quaque systole in cordis basin ejectum, ubique repercussum, partes eas plurimum distendi, proindeque palpitationem cardiacam inferri.

Quemadmodum autem vehementes animi passiones affectum istum fere quibusvis accersunt, ita hypochondriaci & spasmodici dispositi, insultus ejus de levi qualibet occasione, imo interdum sine ulla causa manifesta subeunt. Enimvero in quibus nervi splanchnici & cardiaci materia morbifica sæpius obsideri solent; proinde ut illa ob plenitudinem aut irritationem commota spiritus istarum partium & vicinarum incolas frequenter in spasmos & contractiones inordinatos adigat, passim accidit propter nervos arteriarum cardiacarum radicibus insertos; à tali causa affectos, etiam vasorum horum fibras spasmodice affectas & contractas eo, quo dictum est modo, palpitationem cardiacam excitare: quo ritu nervi cardiaci à causa propinqua aut remota à materia morbifica, aut in capite juxta originem nervosam; aut circa præcordia aut hypochondria subsistente irritanrur, inque spasmos varii generis aguntur alibi à nobis ostensum est, (*Vide lib. 1. Tr. de Convulsione.*) Unde palpitationis cardiacæ, quoties eadem etiam spasmodica fuerit, causæ deduci possunt.

Quod spectat ad affectus hujus Therapiam, si quidem causæ ejus variæ & multiplices existunt, etiam curatio diversimoda institui debet; Cum itaque supra declaraverimus Cordis Palpitationem, vel à *sanguinis*, vel ab *Arteriarum* cordi appensarum vitio procedere, & utriusque horum varias afficiendi rationes innuerimus, restat unicuique aptam medendi methodum accommodare. Primo igitur si quando hic morbus à sanguinis vitio procedat, intentio Therapeutica primaria erit sanguinem nimis aquosum, & accendi & fermentescere inhabilem, ad meliorem crasin exaltare, ejusque principia activa depressa aut diminuta evehere aut augere: in quem finem medicamenta spirituosa, item salina cujusque generis, sulphurea & imprimis chalybeata conducunt. Quinimo huc referri possunt quæ in pica, leucophlegmatia & scorbuto frigidiore præscribi possunt. 2. Cordis Palpitatio & crebrior & multo immanior, ab arte-

riis cardiacis, in vitio habentibus exoritur, & fune illarum culpa aut *Obstructio* est aut *affectio spasmodica*. Prior iste morbus plerumque continuus, & non raro incurabilis existit, præsertim vero si à Pulmonibus tabidis, aut arteriarum radicibus propter tuberculum, aut excrescentiam osseam semioppleris aut compressis excitatur. Cujusmodi causæ si quando subsunt, & perfecte dignosci possunt, frustra esset eam sublationem moliri: quin potius id unice agatur, ut levamine quodam per hypnotica subinde procurato, ægrotantium vita, etsi misera, paulo diutius protrahatur. Cæterum non improbabile est Arterias interdum à concretionibus polyposis ibidem, ac interdum intra cordis sinus progigni solitis, magna ex parte impleri, proindeque sanguinis exilitionem liberam & totalem impediri: hujus vero diagnosin uti difficilem, ita curationem non minus raram putamus. Quando illius suspicio est, maxime ex usu videntur fore medicamenta salina, & ex iis sale volatili aut acido prædita exhibenda: eadem vero non simul, sed quodam temporis spatio hæc, (quibus non juvantibus) dein istæc altera expectari licet. 3. Palpitatio cordis sæpissime affectio convulsiva est, & à simili causa, & afficiendi ratione, qua pathemata alia hypochondriaca vel asthmatica produci solet. Cujus item curatio per remedia antispasmodica pariter tentari debet, quorum vere delectus sub discrimine quodam, juxta quod morbus in intemperamento aut calido aut frigido contingit, instituatur.

Observatio V.

Cordis palpitatio à bile retorrida in arterias effusa.

Hujus tanta vis est, sæpe ut fit animadversa thoracis vicinas costas effregisse: sæpe & eas quæ supra mammam sunt de *propria sede depulisse*. Sæpe etiam arteriam foras dilatasse in aneurisma contracti pugni magnitudine, in quo & tactu & visu conspicua erat pulsatio, &c. Hujus causam omnem veteres vel in sanguinis exuperantiam retulerunt, vel in humorem copiosiorem pericardio infixum. Cæterum in iis quos modo exempli gratia recensui, Palpitationem pepetit retorrida bilis, quæ alias sponte vacuari consueverat, in arterias effusa. Hanc in duobus, qui à valida pilæ exercitatione repentina morte sublati sunt, illic deprehendimus in tophi nigri speciem concrevisse. *Fernelius Pathol. lib. v. cap. xii.*

Dilatasse in aneurisma) Quod intrinsecus in magnæ arteriæ aliqua sede, in pectore, jugulo, hypochondriis, vel etiam in ipsa cordis auricula, quæ valde ampliari potest, natum, non minus quam externum Aneurisma perpetuo pulsantem sensum in eo loco, ubi est, movet, illiusque palpitationis quæ tamdiu durat, hominémque tandem conficit, causam aliquando esse, sectio nobis, si in illis qui hoc morbo extinguuntur institueretur, sicuti à quibusdam observatum est, sine dubio patefaceret. Ex copia autem sanguinis arteriosi hæc proficisci potissimum, satis patet, *Galenusque* eo quod omnes sanguinis emissione sanari vel juvari scribit, etiam videtur innuere: Quæ & pulsatio eo major fit, quo sanguis, & spiritus illi confusus, arterias implentes fervidiores existunt. Qualem sanguinem summo ex calore velut retorridum deprehendit *Fernelius*: quem nos sanguinem biliosum fervidumque præcipue, nunc inquinatum & impurum, in vasis meseraicis collectum, majoribusque arteriis infusum esse sic demonstramus. Quod ejusmodi succus, qualem in venis mesaraicis frequenter nasci docuimus ab esculentis potulentisque, sicuti ex venæ portæ ramis in cavam translatus, sanguinem illic accendere & contaminare solet, ita quoque in mesaraicas arterias, singulis venis mesaraicis annexas, quandoque se insinuat, indéque in majores arterias perlatus, illarum sanguini confunditur, & cum eo undique, etiam ad cor usque diffusus, sic illas implet modoque enarrato afficit: eoque facilius quod arteriæ hæ mesaraicæ, propagines sint magnæ arteriæ, venæque mesaraicæ à vena cava minime proficiscantur, nec illi nisi intermedia hepatis substantia continuentur: hincque adeo frequens hic affectus virginibus, causa suppressorum mensium, cachecticis, melancholia hypochondriaca laborantibus existit: in quibus uti venarum & arteriarum sanguinis plenitudo vitiumque cachexiæ & melancholiæ, sic cordis & arteriarum pulsationi occasionem præbet. *Platerus praxeos lib. i, cap. xi.*

Observatio VI.

Palpitatio cordis ab hydatidibus in ejus membrana enatis.

Nos in cordis membrana in palpitationi subjectis ægris observavimus hydatidas. *Rolfinkius Epitomes meth. cogn. & cur. lib. 2. p. 2. cap. i.*

Hydatidas) Sive pustulas aqueas, vesiculis ab emplastris vesicatoriis excitatis non absimiles, ascíticis familiares; quæ forte eveniunt quod vasa lympharum recursui destinata, officio rite non fungantur, quo fit ut pars lymphæ in transitu hærens, exudet in cavitatem ab initio perexiguam, efformatam in membranosa partis substantia. Verisimile autem eundem liquorem continere quem Pericardium, ab urina multum discrepantem, quanquam cum ea convenire plurimi velint: insipidus enim est hic liquor aquosus, non acris aut salsus, limpidusque ac nullo colore infectus: urina autem nec tenuis adeo, nec fine

nec fine colore in fanis: adde hanc vifciditatis omnino expertem, lympham autem plus fatis obtinere, quippe quæ corpore exempta ope caloris externi in gelatinam concrefcit: unde verisimile est lymphæ ductus quofdam adeffe qui eam in pericardium deferant.

Observatio VII.

Cordis Palpitatio à corpore carneo & membraneo, auriculis cordis annexo.

DOm. N. palpitationi cordis diu obnoxius fuit: In cadavere diffecto occurrit corpus carneum, membraneum, cavum, auriculis cordis annexum & unitum parte fuperiore, paulo minus corde ordinario. *Vide Tit. de morte fubita.*

Observatio VIII.

Cordis palpitatio ab Vlcere & Abfceffibus in ejus fubftantia.

§. 1. FÆmella quædam fcabie enormi affligebatur, & dum remedia adhibita non proficerent, ad thermas relegata eft, ex quibus hydropica rediit, atque tandem mortem fubivit.

Aperto cadavere, omnia vifcera fana, in Corde ulcufculum repertum. *Ofwaldus Grembs Arbor. int. & ruin. lib. 2. cap. 1. §. 8.*

AQuæ pericardio contentæ ufus eft, ut fi aliquid ex digeftione fubnafceretur, hoc quanto citius aqua illa [quæ latex dicitur] everreret: quod fi autem productum pertinacius impingitur, tunc aqua copiofius affluit, ut fcopo naturæ fatisfaciat: hinc non ob copiofius collectam, fed propter peregrinos hofpites, in cadaveribus invifibiles, Palpitatio cordis inducitur. Atque hæ funt caufæ occafionales, non tantum palpitationis, fed aliquando etiam ulceris in ipfa fubftantia cordis, quod dictæ fœmellæ obtigit. *Idem ibidem.*

§. 2. Archidiaconi hoc morbo interempti corpore diffecto, Abfceffus in cordis fubftantiâ inventus. *Foreftus lib. 17. Obferv. 1.*

§. 3. Excitari poteft cordis Palpitatio à tuberculo, Abfceffu. *Hollerius.*

Observatio IX.

Cordis palpitatio à lapidibus in eo contentis.

§. 1. NUper in N. corde, qui hoc morbo frequenter corripi folitus erat, veluti lapillus quidam niger repertus fuit. *Thom. Eraftus in confil. Scholzii, conf. 103.*

SImilia in aliorum quoque corporibus reperta effe addit *Vir Eruditiff.* quanquam hos non tam palpitatione quam Tremore (qui à palpitatione alia eft affectio. & imbecillitatis foboles exiftit) laboraffe judicet. Eft enim, *ait*, Palpitatio motus virtutis expultricis cordis, quæ moleftiam inferentia expellere contendit: hinc pulfus fiunt majores folito, & veluti cor falire videtur, ficut vehementer iratis accedit. Quocirca non ab imbecillitate cordis palpitatio nafcitur, ut quidam male judicavit, fed à facultate valida, nocentia pellere conante. Summa igitur caufa hujus mali res cor gravans, vel qualitate vel quantitate. Plerumque à fpiritu flatulento pronafci hoc fymptoma, quoties nimirum à fubftantia halituofa cor inflatur & diftenditur, multa probant. Nam & repentina invafio, & cita folutio, dolor etiam fubito accedens & deficiens, oculorum obtenebratio, aurium fibilus, partis alicujus motus tremulus id fatis declarant. Quibus etiam addi hoc poteft, quod fere illis accidit frequentius qui flatuum funt pleni, quales funt virgines quæ non recte purgantur, gravidæ, icterici, fplenetici, melancholici, cachectici: Omnes hi propter vitiofos humores, fuliginofos vapores facile acervant, qui in arteriis cordi vicinis, aut in ipfis cordis finibus inclufi, virtutem expultricem incitant ut motum talem edat. Confentit curatio, quæ vacuatione aut difcuffione flatus perficitur. Hinc eft quod magnæ infpirationes malum hoc brevius & lenius reddant, præfertim fi quis corpore retrorfum reflexo fic infpiret, &c.

§. 2. Quidam audaciffimus latro, palpitatione cordis frequenter corripi folitus, rotæ fuit affixus. Nos hujus cordis vifendi cupidi, pulfans adhuc incidimus, ac in ventriculo ejus dextro tres reperti lapilli, ciceris magnitudine, coloris cineritii, oblongi, pondo unius drachmæ, &c. *Zacutus prax. admir. lib. ii. cap. cxli.*

COr pulfans adhuc incidimus). Paradoxum inferere lubet, fibras inteftinorum & ventriculi, imo etiam cordis aliquandiu vim fe movendi retinere emortuo animali, utcunque dicatur cor primum vivens & ultimum moriens. Anno 1676. felem tribus horis à morte incidi, fcil. hora prima pomeridiana circa fecundam pomeridianam, Dom. *Peyerus* chyli receptaculum tubulo inflavit, protinus primum auricula dextra micare, mox totum cor fiftole & diaftole, quamvis

quamvis cadaver rigidum & frigidum esset, moveri cœpit: Hanc verissimam & animalibus vivis apertis alias conspicuam systolen & diastolen, ad seram vesperam continuavit, cum omnium spectatorum summa admiratione; & si forte rythmus iste elanguescebat, post novam inflationem protinus vivæ instar redintegrabatur, ac pari alacritate perficiebatur &c. *De motu ventriculi & intestinorum post mortem, vide lib. 3. sect. 14.*

§. 3. In Imperatoris Maximiliani secundi corde secto, inventi sunt tres lapilli, quantitate pisorum, nitus interim major altero, colore rubigineo: Frequenter vero cordis palpitatione gravi afficiebatur dum viveret. *VVierus de præstigiis Dæmon. lib. 4. cap. 16.*

Observatio X.

Cordis Palpitatio ob polypum auriculæ dextræ annatum; Alium item in aorta.

Henrici Schrafferi Belgæ annorum 50. cadaver Hamburgi à M. Kirstenio Anatomico & Medico insigni apertum anno 1651. in quo sequentia notabantur publico dignissima. In dextro cordis ventriculo repertum est concrementum, seu Polypus ingens, qui annatus erat dextræ auriculæ in parte superiore versus cor, & extendebatur sinuato ductu in ipsam capacitatem dextri ventriculi, ubi pariter adhærebat parieti inferiori, implicitus valvularum cuspidibus. Porro progrediebatur sursum & exibat per venam arteriosam, in cujus truncum & deinde ramos tripartitus, sive distinctus in tres ramos, porrigebatur. Rami illi rursum in alios multos surculos, & tandem filamenta desinebant. Circa exortum duos prope digitos erat lata hæc concrescentia, longa spithamam unam & tres circiter digitos. In auricula sinistra inerat alia concrescentia, sed vel nullo modo, vel plane leviter adhærens: In cavitate auriculæ pars erat latior referens concretum sanguinem, protendebatur autem in arteriam venosam, ubi candicabat, distributa similiter in aliquot ramos, inter quos erant tres potiores (qui rursum in alios minimos dividebantur) inserti in ramos minores arteriæ venosæ: In aorta reperiebatur alius Polypus ejusmodi insignis, cujus pars lata sive basis sita erat in divaricatione trunci, ubi etiam adhærebat firmiter, Ibique peculiaris quidam sinus, instar sphæræ dimidiæ vel vesicæ effictus fuerat, in quem una & major ejusdem extuberantia inserebatur. Hic appensæ erant duæ quasi radices, quarum una in arteriam dextram immittebatur, altera eáque bifida in carotidem sinistram: Basis erat subrotunda, instar cucurbitulæ balneatorum, & in longum extendebatur versus Cor, ita ut illum non ingrederetur, sed ingressum aortæ in cor attingeret: In fine erat appendicula: Longitudo totius quasi quinque digitorum: Omnia vasa cordis, ut & auriculæ, erant ampliata miréque dilatata, inprimis caudex arteriæ aortæ: præterea in vasis iliacis ejusmodi vitia sunt reperta; ut in sinu cerebri falcato, ubi per totam prope longitudinem effusa videbatur concrescentia alia, quæ, in primis versus posteriora, in duos ramos dirimebatur, in plurimos surculos similiter & multas appendiculas distinctas: *Observatio D. Ioelis Langelotii, Archiatri Gottorpiani.*

Quamvis non expressus affectus à quo interemptus æger, quem vel syncope cardiaca, vel morbus attonitus occupare potuit, non secus ac Mommam illam Baxium, de quo *Tulpius* lib. 1. Observ. 27. non dissimilem Polypum corde gestantem, verisimile tamen prædictum indesinenti cordis palpitatione afflictum fuisse, quandoquidem in onere fatigatum, omnem conatum ad illius excussionem adhibet: Recte enim *Clar. Sylvius de le Boë* Pr. Med. lib. 1. cap. 35. Palpitationis cordis causam puto esse, quicquid absque intermissione ipsum ad sui contractionem inordinatam, & quandoque simul vehementem, aptum est incitare, sive illud intra cordis ventriculos aut in ejusdem substantia contineatur, sive Cor existens, ipsum tamen ad tempus aut semper continuo vellicat, mordet pungitve.

Observatio XI.

Palpitatio ab irruente affatim in cor sanguine, ut septum ipsum disruptum fuerit.

Viæ per quas humores & vapores tum ex liene, tum utero ad cor deferuntur, olim designabantur Arteriæ, Nunc novi concilii Anatomiæ decreto, Venis hoc imponitur jugum: cum reduce sanguine promiscui humores excrementitii cor petere possunt: Irritatio incipit primo in auriculas & ventriculum dextrum, appulsu: augescit in sinistrum ventriculum delapsu, sive viam capessat per pulmones, sive per septum: Irruptio hæc nonnunquam adeo vehemens est ut septum ipsum disrumpatur, cujus tragici casus exempla suppeditavit. *Harveus Rolfinkius. Epit. meth. cogn. & cur. lib. 2. part. 2. cap. 1.*

Observatio XII.

Palpitatio cordis ob substantiam carneam in ejus sinistro sinu contentam.

DOm. Pet. Prevotius, celeberrimi illius concionatoris & Theologi, Petri Prevotii Genevensis filius, obiit 26. Martii anni 1672. annum ætatis agens circiter LV. Jampridem cordis palpitatio illi molesta erat, cum asthmate, herniosus præterea, necnon de molestia & pondere conquestus in dextro hypochondrio. Paucis ante obitum diebus colicis doloribus cruciatus fuit, cum adstricta alvo, ab incarceratione intestini in Scroto: Cùm maxime urgebat cordis palpitatio (cujus leipothymia sæpe comes erat) juvabatur venæ sectione.

Aperto cadavere, in thorace Pulmones putridi reperti. Lobus dexter ima parte diaphragmati annectebatur, mediante cartilagineo corpore, semidigiti crassitie, cordis figuram exprimente, trium digitorum, parte summa, latitudine, ima in conum abeunte. Diaphragma sursum & ad mediam thoracis partem, à tumido flatibus colo, compulsum erat. Abscessus aderat, quinque digitis infra jecur, intra duplicaturam peritonæi, pure fœtido refertus: Jecur putridum, instar fungi friabile ad minimum digitorum contactum: In scrotum pars Ilei devoluta erat cum Epiploo, præter aquæ copiam. Cordis autem ventriculus dexter continebat corpus quoddam concretum, rubens, liberum, neque parietibus annexum, avellanæ magnitudine.

Observatio XIII.

Palpitatio cordis Sanguine atro repleti, extraordinariè magni, ob corpus album in arteria magna contentum, Partis valvulæ consumptionem.

PUer 13. annorum temperamenti sanguineo biliosi, passus est post magnum haustum frigidæ in calore, continuam cordis palpitationem per aliquot annos: accessit Phthisis & Hectica.

Mortuo aperto, non tantum Pulmones accretos, ulcerosos, purulentos reperi, sed etiam Cor stupendæ magnitudinis conspiciebatur, plenum & extensum sanguine atro & nigerrimo: Et ut istam copiam sanguinis bene perpenderem, incepi à vasis, versus Cor progrediendo, ejus apertionem, ubi in arteria magna, ad longitudinem unius digiti, à cordis sinistri ventriculo, in sanguine jamjam à corde extruso, particulam quandam albam instar unguis minimi digiti inveni, quam tanquam ibi plane præternaturalem cum accepérim, erat friabilis instar arenæ, & cum ulterius versus cor progrederer, in ortu arteriæ inveni mediam valvulam lunatam, usque ad substantiam arteriæ plane consumptam & deperditam; & illam partem, ubi arteriæ adhærebat, etiam friabilem in similem arenam, sicut alteram particulam arteriæ sanguine refertam, nullum vero pus. *Ex Observ. Ioh. G. Greiselii Medici Viennensis.*

Observatio XIV.

Cordis Palpitatio ob corpora extranea ejus ventriculos occupantia, & vasa adsita.

§. 1. DOm. de Beecheran initio mensis Novembr. 1646. ad me venit, & de Palpitatione cordis ab aliquot diebus ipsum infestante conquestus est: Pulsum illius contrectans, illum inæqualem invenio omni genere inæqualitatis, ita ut statim mihi in memoriam revocaverit historiam Antipatri apud Galenum, quem ipse censuit habere obstructiones in lævibus arteriis, vel crudum Tuberculum: Nulla erat tunc temporis respirandi difficultas, & æger munia consueta obibat, neque ulla remedia nisi diebus festis usurpare volebat: *præscripsi statim vena sectionem iteratam*, ac postmodum purgationem, à quibus meliuscule habuit. Post x. vel xii. dies iterum conquestus est de eodem affectu. Varia præscripsi remedia attenuantia & incidentia citra calefactionem, quibus tamen non usus est variis districtus negotiis: Tandem initio mensis Decembris decubuit, cum difficultate spirandi laborare inciperet & tibiæ inflatæ apparerent, & tum temporis remedia præscripta usurpavit cum iterata V.S. quæ cum per dies xii. continuata nihil opis attulissent, sed malum perpetuo in pejus rueret, convocatum est consilium aliorum Medicorum, quorum sententia fuit esse affectum similem illi, qui recensetur à Gal. 4. de loc. c. 8. Et ita incidentibus atque attenuantibus remediis esse oppugnandum: Variæ remediorum formulæ in hunc finem præscriptæ, sed æger perpetuo in pejus ruebat, summa difficultate spirandi laborabat, & pulsus nullus apparebat in carpo: admota tamen manu supra regionem cordis, palpitatio sentiebatur frequentissima, debilissima & inæqualissima: aucta etiam erat tibiarum inflatio, ut jam etiam crura invaderet: Remedia præscripta fuere prioribus similia, quibus addita sunt cardiaca interna & externa. Biduo post æger ad extrema redactus videbatur: Suffocatio ingens aderat, & pulsus in brachio nullo

nullo modo, in corde vix percipiebatur: Eadem die moriturus putabatur: Cucurbitulam apponi jubeo regioni cordis cum scarificatione, cujus beneficio *Zacutus Pr. adm.* Obs. 133. lib. 1. quendam ægrum à desperata cordis palpitatione liberasse se testatur: meliuscule habuit, & nocte insequente cœpit excernere per sputum sanguinem nigerrimum, crassum & glomeratum, cum tussi molesta, unde levior respiratio fieri cœpit: ad expectorationem juvandam utebatur frequenter syrupo de tussilagine, cum quarta parte oxymel. simpl. & jusculum Galli veteris cum pectoralibus. His remediis per quatriduum continuatis, æger in eodem statu permanebat, sanguinem continuo nigrum & crassum excernens: 5. die à sanguinis sputo, 4. Janu. 1647. exhibui elixir proprietatis ad gutt. xii. cum tantillo vini generosi, à quo levamen percepit æger, & tota nocte facilior fuit anacatharsis: die 9. iteratum est elixir, & jusculum galli veteris, verum inde non melius habuit, sed aucta in dies spirandi difficultate, & sanguinis sputo etiam plurimum aucto, die 8. interiit.

Aperto cadavere, inventus fuit *cordis ventriculus uterque sanguine concreto repletus* ac distentus; tum etiam totus Pulmo sanguine multo refertus visus est, unde caloris nativi suffocatio contigit. Præterea in sinistro cordis ventriculo inventæ sunt caruncul æ rotundæ, substantiam pulmonis æmulantes, quarum major ad avellanæ molem accedebat, & arteriæ aortæ ostium præcludebat, unde pulsationis defectum in arteriis contigisse puto. *Riverius cent.* IV. *Observ.* XXI.

PAucis ante obitum diebus causa hujus morbi procatarctica mihi relata est, quam æger nunquam retulerat, terror scilicet insignis, quo ille graviter affectus fuerat, dum Arelate Monspelium petens, supra Rhodanum cum familia sua in naufragii periculo fuerat: Hinc conjicere licuit à terrore sanguinem retractum fuisse magna copia ad cor, ut ab eo regi non potuerit, sed in ejus ventriculis concreverit: ac deinde cor onus grave excutere continuo tentans, motus illos palpitantes, tremulos, & inæquales ediderit: Tum sanguis per venam cavam jugiter ascendens, liberum aditum ad cor non inveniens, ad Pulmonem refluxit eumque implevit. Illas autem carunculas genitas fuisse puto à sanguine redundante; quem calor insignis ventriculi sinistri excoxerat, & in hujusmodi substantiam mutaverat. Caruncula similis & multo major inventa fuit in dextro cordis ventriculo militis occisi. Ille tamen antè bona fruebatur valetudine, quia caro illa parietibus ventriculi ex parte adhærebat, ideo venarum orificia non occludebat. Hinc patet sanguinem in cavitatem aliquam effusum in tales carunculas posse converti à calore coquente, quod aliis exemplis probari potest: hoc fit instar omnium & notissimum, quod pleræque mulieres, præsertim steriles, dum menstrua patiuntur, carunculas exiguas cum sanguine frequenter excernunt: quod quidem in calidiori temperie præditis magis contingit, quia à calore uteri excedente, exiguæ sanguinis portiunculæ excoquuntur & in ejusmodi carunculas commutantur. *Idem.*

Venæ sectionem iteratam) Galenus omnem Palpitationem juvari venæ sectione author est, 5. loc. aff. Et qui Galenum interpretantur ideo locum sectioni venæ dant, etiam posito quod causa frigida palpitationem inducat, quoniam aut minuatur plethora, aut obstructio V. S. liberetur, aut revellatur cursus materiei flatuosæ. Supponit enim Galenus à crasso vapore palpitationem fere omnem oriri, ideo non est dubium quin & ad divertendum revellendumque cursum phlebotomia conferat. Sed an audacter, & ad imitationem veterum, sanguis mittendus? nequaquam: Nam eorum qui palpitationi sunt obnoxii ita comparata ratio est ut βραχύβιοι sint, ut sæpe in phlebotomiis ipsis, & purgationibus oppimantur & moriantur: Quod cum calamitosum sit, prudentis est Medici inspicere ne suspicionem subeat ejus, ut occisi quem sua sors peremerit, &c. Quod ad V. S. ad leipothymiam usque, videtur ea nocens esse, quod palpitatio, ut annotat quidam in Arculanum, dispositio quædam media sit inter pulsum & debilitatem & syncopen, &c. Sed *Arculanus*, ut acutus & optimus author, unam tantum rationem affert quæ nos inducere possit ad tam luculentam & copiosam sanguinis effusionem, utpote cum in sanguinis copia & orgasmo, & ad cordis arcem raptus metuitur, ne derepente apostema in corde percipiatur, & mors proinde subita intentetur: aut etiam si inflammationis subitæ sint argumenta, quæ ipsius palpit. causa sit: in isto enim casu, quoniam insignis & subita refrigeratio requiritur, ne brevi tota ipsa regio inflammetur, nullum præsentius remedium V. S. eáque conferta & copiosa. *Ballonius consil.* 109. *lib.* 1. *Vide Septalium lib.* 6. *Animad.* 167. *& seq.*

Ventriculus uterque sanguine grumescente repletus) Palpitatio cordis, leipothymia, syncope quomodo à concreto sanguine inducantur, & quomodo hæc concretio fiat, analogia ducta à chymicis liquoribus ad corporis nostri humores, ostendit *G. Wolfgangus Wedelus* in Miscellaneis curiosis anni 1671. Observ. 197. In Chymicis, *ait*, liquores varii secum confusi non invicem semper se subeunt, sed prout particulæ variis figuris motibusque & proportionibus inter se invicem præditæ, & consequenter symbolicæ vel asymbolicæ existunt, ita vel se destruunt mutuò, vel amicabili coitu junguntur, vel in aliud ens mutantur. Hoc modo elegans experimentum fecit *Olaus Borrichius apud Bartholinum* in Epist. de Hepate defuncto p. 83. qui sanguini canis arterioso, in quinque diversis vasculis posito, quinque diversos liquores miscuit, acetum, oleum sulph. jovis solutionem, aluminis, Spir. vini, & spiritum salis armoniaci, & accurate inde productos effectus adnotavit. Certum est, à subeuntibus sanguinem humoribus varie alterari in corpore ipsius crasin, variosque inde referrare morbos: Et inter alia producta non leve est *grumescentia sanguinis*, quæ si contingat, accedente nimirum sanguini concentrante fixante que tali liquore vel vapore, certissimum est turbari œconomiam ipsius, & dari leipothymias & syncopes, si in gradu majori id fiat, si minori,

moveri, expultrix cordis ad motum illegitimum irritatur, palpitationem tremoremve inducit. Huc spectat concentratus fixusque leviter sanguis *Harvei*, Exc. de gen. an. 50. p. 193. Tunc talia quæ coagulationem hanc impediunt, summè prosunt: hinc Corallia, oculi canc. perlæ, cinnabaris & lapis bezoat. prosunt, item succus citri, mixtura f. aliáque. Illud enim mirum est, & peculiatem discursum requirit, quod acida sanguinem fluxilem & tenuem coaguleot, crassum vero & coagulationi deditum resolvant: hinc & externè in dictis cordis infirmitatibus acetum & acida summe prosunt, 1. quia ob salia volatilia subito penetrant ad cor 2. una stimulant naturam, quæ inde ad se redit, 3. Quia resolvunt sanguinem, quibus non inconcinne additur à nonnullis. 4. Quia abeuntes spiritus quasi figunt: His addo, Vir Ill. hypochondriacus, tum aliis olim symptomatibus, vertigine præsertim afflictus; tum hactenus aliquoties Palpitationem cordis passus est, taotam ut ad 50. aut 72. horas non raro duraverit. Imminente malo, si leviter in strictissima diæta vel minimum excesserit [alias potius proficuis quam noxiis cibis] sentit cor quasi constringi ab elatis ab hypochondriis humoribus. Quis dubitet à conflictu humorum, & miasmate inde in sanguinem deducto, coagulationem illi attentari, unde cor palpitet? Bini alii hypochondriaci, alter juvenis, alter 35. annorum, dolore hypochondriorum vexati, syncopen aliquoties desubito experti, cum ἱδρῶσι, pallore, & fere ἀσφυξίᾳ, solis resolventibus & præcipitantibus talibus restituti hactenus nihil tale patiuntur. Asserti nostri veritatem dilucidant fibræ sanguinis, quæ juxta Platonem, in saoguinem deductæ & sparsæ sunt, ut mediocrem tenuitatis & crassitudinis habitum consequatur, neque propter caliditatem, cùm ipse sit lubricus, ex raro corpore defluat: neque si crassior sit, ad motum fiat ineptior, atque ægrè per venas fluat & refluat. Harum si uatura consideratur, quod [quæ etiam Platonis verba sunt] à bile aliisque humoribus cum puro sanguine mixtis, ex ordine facile dimoveantur, tum ex hypothesi Sylviaoa, varios morbos, tum huoc ipsum tremorem, quem Plato nominetenus attingit, oriri posse manifestum est: Vide locum integrum elegantissimum in *Plat. Timæo* p. 549. *Hactenus Wedelius*. Cujus sententiam de grumescentia sanguinis à certis liquoribus inducta firmat *Kerckringius*, in Observationibus, qui Polypos aliáque corpora in corde & vasis noo raro teperta, similem generationem habere asserit. Vide inferius Quæ de fibris sanguinis ex Platone affert, adi egregium in eum locum comment. *Ballonii* consil. lib. 3. cons. 40.

§. 2. Puella annorum sex toto vitæ tempore morbis fuit obnoxia, dein Palpitationi cordis & asthmati, tandem atrophia periit.

Huic inventa auricula cordis dextra prætumida, cui inerat materia quædam alba, membranosa, crassa, oblonga: In ipso cordis ventriculo dextro materià pinguedini similis. *Observ. Clar. Gaspar. Bauhini.*

Materia quadam alba) De hujusmodi corporibus, cordis sinus & vasa obstruentibus. Vide obs. 36. lib. 1. sect. 2.

§. 3. Illust. N. nonnunquam cordis palpitatione vexabatur, Cor in utroque sinu substantiam quandam obtinebat oblongam, reretem, mollem. *Vide lib. 3. tit. de ventris tumore.*

§. 4. Cum de rebus p.n. in corde repertis agatur, & de cordis palpitatione, non omittendum putavi quod in militis præsidiarii uxore observavi quæ post δυστοκίαν, ex nimia subsequuta hæmorrhagia diem suum obierat: cadaver fere ἄναιμον fuit, quædam sanguinis grumefacti reliquiæ uteri parietibus adhærebant, viscera non ita bene morata erant; pulmones variis vomicis & abscessibus erant referti, alter pulmonum lobus lateri adhærebat, & in altero cordis ventriculo portio materiæ membranosæ continebatur, quæ partim etiam in vena cava contenta, crassioris & oblongi lumbrici similitudinem nobis exhibuit: Hæc fœmina cordis palpitationi erat obnoxia. *D. Puerarius in Observat. Selectis ad Thomæ Burnet Thesaurum Medicinæ practicæ lib. 3. sect. 58.*

§. 5. Vir annorum 27. gracilis corporis habitus, temperamenti calidi & sicci, quatuor annis laboravit cordis continua palpitatione, cujus remedium unica fuit sanguinis missio: verum symptomate recrudescente, tandem syncope correptus interiit, corde palpitante non in loco proprio, sed circa diaphragma lateris sinistri valde demisso.

Aperto cadavere, cor maximum apparuit, solum unam continens cavitatem, seu ventriculum, in quo ℥xvj. sanguinis nigerrimi adnumeratæ sunt: Cordis corpus totum erat emaciatum, arteriæ præ pondere elongatæ & conniventes, ita ut sanguinis spirituosus motu cordis non potuerit amplius expelli ad arterias: Loco dextri ventriculi vena cava ascendens in ingentem elevata tumorem: Dicite jam, Si ambo ventriculi cordis necessarii sunt, an in uno præparentur, & in alio perficiantur spiritus? *Antonius de Pozzis observ. xl. miscellan. curios. anni iv.*

§. 6. Observatum est palpitationem cordis mulieri, melancholia hypochondriaca laboranti, post molestias multas contigisse: Mors.

In sinistro cordis sinu pars humoris melancholici reperta est ibi veluti concreta ac fermentata: Atque ita spiritus oppressi congelative sunt, eorumque incitatio & motus repressus. *Gul. Ballonius Paradigmate* 109.

Par

Pars humoris melancholici in sinistro cordis sinu] Eò deducti à liene & hypochondriis: in hoc symptoma propensos esse qui hypochondriacâ melancholia laborant, annotat *Fernelius*, & quibus lien bilis atræ copia turgescit: unde etiam circa lienem & pancreas conspicua & molesta percipitur arteriæ pulsatio. At non solum tetro atroque vapore inde elevato, sed ipsa etiam mineræ parte, humore scil. melancholico.

§. 7. In ventriculis cordis interdum varia p. n. generantur, sanitatis haud parva impedimenta, quæ tamen in ægrotantibus à Medico vix sciri aut cognosci queunt. Frustula adiposa, ac quasi carunculas molles & albicantes, magnitudinis circiter semi ovi, interdum majoris, non semel in iis invenimus & spectatoribus demonstravimus, scilicet in morbo sublatis cadaveribus. Inter alia mense Octobri 1665. secuimus & demonstravimus cadaver juvenculæ circiter xxiij. annorum quæ vivens diu conquesta fuerat de summa *cordis anxietate & palpitatione*, ac leipothymias sæpe passa, sicque tandem extincta fuerat; in quo cadavere etiam tale frustum adiposum, dextrum ventriculum fere replens, & aliud parvum in sinistro ventriculo invenimus, atque diligentiori examine instituto, animadvertimus illud non fuisse corpus aliquod ex sanguinis coagulatione genitum, sed revera corpus adiposum atque firmum, quod digitorum frictione non dissolvebatur. Hicque mortis causam fuisse judicavimus, nullam enim aliam in toto corpore invenire potuimus: nec illa vivens de ullo alio malo quam de prædicta maxima cordis anxietate, & palpitationibus ac leipothymiis sæpe recurrentibus conquesta fuerat: quam ob causam imperiti domestici illam sæpe levi epilepsia sine convulsionibus, vel hysterica passione laborare judicaverant.

§. 8. Mense decembri 1668. in alia juvencula ejusdem ætatis, simile adiposum corpus satis firmum, magnitudinis semi ovi gallinacei, in dextro ventriculo invenimus. *De Diemerbroeck Anatom. lib. 2. cap. 6.*

§. 9. In mercatoris cujusdam dissecto cadavere, vidi dextrum cordis sinum, cui vena cava inseritur, interiore sui parte durum, exasperatum undique & quodammodo squamosum, ut inserta manus mea squammarum scabritie offenderetur: quo in loco continebatur frustum condensati humoris pituitosi, lenti, albicantis, longitudine digiti medii, crassitie pollicis, aut amplius, sanguini immersum, quod medullam cruris bovilli calefactam substantia & forma referebat. Laborarat palpitatione cordis diuturna, ex qua & mortuum narrabat ejus Medicus qui me ad sectionem adduxerat. *H. Smetius Miscellaneorum lib. x. initio.*

§. 10. Carnosas excrescentias in cordis dextro ventriculo vel sinistro repertas fuisse in iis qui dolorem cordis & syncopen passi fuerunt, & pulsum intermittentem habuerunt, refert *Vesalius Anat. l. 2. c. 5.*

Observatio XV.

Cordis Palpitatio à tribus calculis in ejus septo inclusis, Cum cordis extraordinario incremento.

Nicolaus à Sonnevelt circa xij. ætatis annum ex febre quadam acuta evadens, aliquandiu valetudinarius vixit: nam exinde febre per sexennium diversis malis obnoxius vixit, diuturnæ lienis obstructioni, crebris ex naribus hæmorrhagiis, cephalalgiæ, multis catharris & tumoribus strumosis in collo. Ad 18. ætatis annum cœpit bene valere, sed morosus valde manebat, qualis in adversa valetudine semper fuerat, circa xx. annum crescente robore à patruo ipsius, qui pannis præparandis operam navabat, ad idem opificium delegatur: Ubi mox à suis commilitonibus ad crebras compotationes invitantibus cœpit rursus male habere; Primo in crebras cordis anxietates incidit, postea in leipothymias & inde cordis palpitationes: Cibi potusque erat avidissimus, sed comestum sæpe regerebat, unde debilitas sequuta ipsum decumbere jussit. Tum prædicta mala quotidie augescere, atque Palpitatio tanta suborta fuit, ut in vehementiori animi commotione *ab adstantibus audiri posset*; quod ipsi tum valde dolorificum erat: xx. Decembr. 1641. è vita decessit & cadaver apertum fuit: In abdomine quidem omnia naturali modo constituta reperiebantur.

Sed thorace aperto inventum fuit cor bovino non multò minus; quippe communem magnitudinem quater circiter excedebat: Increverat autem æqualiter fere circa substantiam & cavitates, ipsaque substantia naturali erat solidior. Sed in villis septi intermedii, tres calculi reperiebantur, pisi circiter magnitudine, non admodum adhuc solidi, sed arenacei & novaculæ cedentes: Pulmones satis bene habiti, sed utrique lateri paulum fibrillis quibusdam adhærentes, quod ob angustiam pectoris à cordis incremento ita contigisse videtur. *Otto Heurnius observat. xxviij.*

Ab adstantibus audiri posset] Palpitationis tantam aliquando esse vim asserit *Fernelius* cap. 12. lib. 5. Pathol. ut sæpe fit, animadversa thoracis vicinas costas effregisse, sæpe & eas quæ

supra mammam sunt de propria sede depulisse: sæpe etiam arteriam foras dilatasse in aneurisma contracti pugni magnitudine, in quo & tactu & visu conspicua erat pulsatio. *D. Magnus*, Medicus Parisiensis cum *Fernelio* observavit effractas vi palpitationis costas, sed illas costas longe ante abscessu tentatas fuisse, alioqui incredibilis esset historia. Cuidam tanta palpitatio contigit ut vehementer desiliret manus pectori applicita.

OBSERVATIO XVI.

Observanda in Cadavere Comitis Belcarrensis, Palpitatione cordis ab albo & spisso liquore in Pericardio, Calculis duobus juxta ventriculos cordis &c. laborantis.

Ventre hujus Nobilis dissecto compertum fuit Omentum esse macrum & parvum: Hepar valde magnum, Splen etiam magnus fuit, repletus nigro spissoque humore: Stomachus ejus & viscera omnia vacua, coloris crocei, distenta solo vento: Vesica fellis tumida humore nigro: Renes repleti specie sanguinis grumosi: 2. In Thorace lobi, i. e. extremæ partes pulmonum, erant integri, sed malo colore, in sinistra parte nigricantes & cœrulei, in dextra albicantes, cum tubere subflavo sub uno loborum. 3. Pericardio dissecto nil aquæ istius apparebat cui cor solitum est innatare, ejusque exterior superficies, à basi usque ad verticem, non erat plana, sed asperrima: Cum seorsim dissectum est, quantitas albi inspissatique liquoris effluebat, & infra basin, inter dextrum & sinistrum ventriculum, duo lapides reperiebantur; quorum alter magnitudine æqualis erat amygdalo, alter erat duos digitos longus & unum latus, habens tres auriculas vel crispos angulos: Et in orificio dextri ventriculi erat materia carnosa pinguis: 4. Totum corpus erat sanguine destitutum, tenue & emaciatum, colore nigro & subcœruleo. 5. Cranio aperto tam cerebrum quam cerebellum erant secundum proportionem corporis magna, & ex eo plus sanguinis effluebat quam in ambabus aliis Regionibus visum fuerat. *Ex actis Philosophicis Societatis Anglicæ anni 1665. pag. 145.*

Nuda adest descriptio vitiorum quibus affecta fuere interiora viscera Ill. Comitis, morbo quo interiit non designato, nec symptomate ullo notato: & quanquam vel de Apoplexia suspicari fas sit, ob copiam sanguinis in cerebro. Vel de melancholico affectu, ob magnitudinem splenis, nigro spissoque humore suffusi: Palpitationem tamen cordis Ill. Comiti familiarem fuisse censemus, quod calculos duos juxta ventriculos, cor citra impedimentum sustinere vix potuerit impeditum præterea ab humore in pericardio contento: quo conferre potuit humor niger in Liene conclusus, cujus cum corde maximum per arterias commercium: Contingit verò aliquando præsentibus causis Palpitationem cordis non accidere, quia longo tempore ægri decubuerunt, atque ob quietem tranquille sanguis cursum suum peragit; Experientia enim cognitum cachecticis cor, si quieti degant, raro palpitare: à qualicunque vero motu, maxime in acclivium ascensu, vehementer concuti.

OBSERVATIO XVII.

Palpitatio ob cor cruore infarctum & intumefactum.

Practici observant palpitationem cordis in syncopen transire, quæ tandem repentinam mortem causat, uti contingit Ill. Viro juveni, qui præviis palpitationibus tandem in nonnullas sanguinis sputationes, & denique in syncopen incidit: qui cordis defectus nullis cedens remediis, in florida ætate vitæ filum præscidit: Quid enim *venarum anastomosin* causavit quam hujusmodi producta, ex *vitiata cordis digestione* obnata, vim corrosivam habentia, instar salium corrosivorum, ad quorum tyrannicam vim obtundendam, archeus cordis etiam cruorem copiosiorem alliciebat? hinc grandius redditum, & cruore infarctum secto cadavere in conspectum venit: Quamdiu *isti sales & fermenta aliena*, tanquam peregrini fures non occidantur per remedia exaltata, aperta, subtilia, ad quartam & quintam digestionem euntia, palpitatio cordis non abigitur, imo etiam his quisquiliis abactis, si cordis fermentum imminutum fuerit, nisi per appropriata restituatur, vel male habens corrigatur, nulla erit spes curationis citra recidivam. *Osvvaldus Grembs l. 2. c. 1. §. 8.*

Quid venarum anastomosin) Si ex sanguinis ebullitione & redundantia Palpitatio fiat, signa plenitudinem demonstrantia habetis apud *Galenum libro de Plenitudine*, qualia sunt distentio venarum totius corporis, rubor faciei, vita crapulæ dedita, cibaria sanguinem accumulantia, suppressæ sanguinis evacuationes ex utero, hæmorrhoidibus, naribus; Dicebat *Avicenna*, Qui ex sanguinis redundantia in hanc passionem incidunt, ab usu veneris juvari, qui nocet si à materia pituitosa producatur. *Saxonia in Prælect. Pract.*

Ex vitiata cordis digestione] Humores hi in corde generantur ob cordis sanguificationem læsam: Tum enim quod in chylo erat ut palea & furfur, rite non separatur, nec ex arteriis in excrementorum receptacula deponi potest, sed crebra circulatione, ad fontem redit. *Rolfincius Epit. meth. cogn. & cur. l. 2. p. 2. c. 1.*

Isti Sales & fermenta aliena) Hanc ζύμωσιν & effera

effervescentiam agnoscit Clar. *Sylvius de le Boë. Pract. l. 1. cap. 19.* Quamvis *ait*, cordis palpitatio, animique deliquium grave, ortum habeat nonnunquam ab humoribus unà cum sanguine ad cor delatis, ac viriosam effervescentiam producentibus: arbitramur tamen eadem sæpius produci ab halitibus acribus à tenui intestino, ob iridem vitiosam ibi excitatam effervescentiam elevatis, & tum ad ventriculi superius orificium & gulam, tum ad cor, per lacteas venas ductumque thoracicum deductis, & sanguinis effervescentiam conturbantibus, corque irritantibus: Inæqualis autem ejusmodi effervescentiæ causam refert in inæqualem nunc Bilis, nunc Lymphæ, Liquorisve ex Intestinali Triumviratu prodeuntis, aliorumque forsan humorum, sanguini admisceri solitorum, ac necdum illi satis perspectorum, quantitate alterutri sanguini juncta: *Legatur caput totum, ut & 35.*

Observatio XVIII.

Palpitatio à flatibus pericardium distendentibus.

§. 1. IN quibusdam pericardium flatu distentum visum, qui tandem solet in aquam concrescere, nisi cordis calore dissolvatur. *Scholiographus ad cap. 29. lib. 1. Praxis Hollerii.*

NIcolaus *Magnus*, & nomine & re præ ingenii excellentia magnus, à xix. ætatis anno palpitatione laboravit. Narrat se tum palpitationem incipientem sensisse, cùm annos undeviginti natus contentius in umbratili Philosophorum Xysto disputatet: Nam cum aliis aliud soleat contingere, non mirum si in ea contentione quidam in epilepsiam incidant, in palpitationem alii: Atque ab eo tempore ex intervallis ea palpitatio repetere solet, eámque ex stomachi cruditate originem habere credit: Nam flatibus erumpentibus levatur plurimum; & cum accessio adest, necessario illi decumbendum, abstinendumque à cibo & potu: exactis hotis aliquot, sudot manat toto corpore, allevatur, cibum capit. *Ballonius Paradigmate 74.* Sed quanquam hujus palpirationis causa verisimiliter in flatus regerenda videatur: Si tamen musculis cor accensendum sit, iisdemque affectibus ac illis pareat, spasmodicum quid illi contigisse probabile est, à vehementi spirituum animalium in cerebro orgasmo, atque hinc in nervos cordis explosione, unde hujus inordinatus & concitatior motus: Si idem spirituum impetus & agitatio intra cerebri confinia subsistat, Epilepticas tantum accessiones invehit, quod multis contigisse dum acrius in rem aliquam intenti; eam animo volverent observatum.

§. 2. A flatibus pericardium distendentibus Palpitatio plerisque incidit: *Pericardium flatu multo distentum* deprehensum est: Et is flatus in aquam aliquando concrescit. *Ballonius Paradigm. 96.*

SIgna quibus Palpitatio à flatibus inducta dignoscatur, affert *Hollerius*, exemplo Præsidis Rothomagensis, qui ab ineunte ætate ad annum 55. quo obiit, palpitatione cordis tenebatur, ac præsertim à somno meridiano, & ubi arctius tibias decussatim complicaret: Sensus quidam erat tremulus ad carotidas: Pulsus parvus vel nullus: Solvebatur paroxysmus edito ructu, crepitu, clystere, dolore in mediis claviculis excitato; deinde in fronte, vel tussi satis violenta nata: Idem mulieri contigisse ait, repererunt Medici in utroque Cor esse calidius, frigidiorem ventriculum: sic vapor excitabatur quem calor discutere non poterat.

§. 3. Ego hujus affectionis sedem non in ventriculis tantùm, sed etiam in pericardio, & *intra membranam Cordis parenchyma circumvestientem* contineri existimo: Quod in pericardio, & ratio & Galeni authoritas comprobant: Si enim palpitatio in omnibus quæ distendi possunt partibus fieri potest, quid obstat quo minus cordis etiam capsula huic obnoxia sit? præsertim cùm ibi adsit materia quæ in flatum resolvi possit: Unde *Hollerius* dissectum se vidisse scribit cadaver cujusdam palpitatione laborantis, in quo hæc capsula cordis uteri instar inflata erat. *H. Saxonia Prælect. Pract. cap. 1. part. ij.*

MAteria quæ in flatum &c.) Hypochondriaca affectione occupati Palpitationi ut plurimum obnoxii sunt, Singulare exemplum mihi obtigit anno 1664. in Nob. Matrona annos 38. nata, quæ perpetuo, querula, lancinationes & molestias in omnibus corporis partibus persentiens, tandem cordis palpitationem, sibi alias familiarem, adeo vehementem expertа est, ut costarum fracturam minaretur: Ad quam accedens, cordi, *inquit illa*, manum admove, jàmque dubia tibi non erit morbi mei gravitas; (verbis enim simul & herbis crebras querelas mulcebam, ac nisi generosis remediis protinus illum impugnes, fatum brevi imminet, Curam vero auspicatus sum ab enemate molliente; quod illi adstrictior esset alvus; mox alterum carminans injectum, à quo mitior multo affectus: Exhibita & hæc potio ♃ syr. cortic. citri, rubi Idæi, garyophill. hort. ana. ℥ß. syr. de Kermes ʒj. margarit. præp. ℈j. aq. meliss. pæoniæ, scabios. calendul. an. ℥j. aq. naphæ ℥ß. ol. cortic. citr. gut. iij. Admotum cordi Epithema ex Theriaca & conf. hyacinth. aceto sambuc. dissolutis: Hora citius desiit immanis illa palpitatio, ut plura moliri præsidia necesse non fuerit. Vide Schol. ad Observ. ix.

Flatu distentum) Causæ Palpitationis cum plurimæ sint, necesse erit eas distinguere: Flatum & vaporem patefacit facilitas accessus & reces-

fus: Peculiariter vero dum *flatus* palpitationem facit, universum corpus refrigeratur, pallescit, tinniunt aures, vertigine caput tentatur, & in aliis quoque partibus palpitationes sese produnt, in facie, ciliis, superciliis, cute denique tota: Inflatur venter, & solvitur affectio ut plurimum eructatione aut crepitu: Vaporem similiter palpitationis authorem ostēdit aurium tinnitus, vertigo, suffusio, quandoque oculorum, facies rubicunda, mox pallida, pulsatio venarum, oris amaritudo, excrementa biliosa. *Saxonia in Prælect. Pract.*

Intra membranam &c.) An intra eam membranam & cordis parenchymaea possit fieri flatuum collectio quæ palpitationi excitandæ sufficiat, dubitationi locus est, Nullus enim ibi videtur flatui locus ob arctam membranæ adhæsionem: Non omnino tamen impossibilem esse flatuum ibidem collectionem indicat eadem passio in cute familiaris, subjectis partibus tenacissime adhærente: Quod si flatuum summa penetrandi vis perpendatur, divellendi distendendi, minus mirum adhuc videbitur.

OBSERVATIO XIX.

Palpitatio cordis à vermibus Pericardio conclusis.

QUemadmodum cordis motus ab aquæ incremento omnino supprimitur, ita ab aliis hujus capsulæ incolis valde irritari atque perverti nonnunquam solet: Quippe sæpenumero Vermes intra capsulam hanc geniti arrosione sua magnas cordi aliquando molestias faciunt; atque cordis tremore, anxietate, pulsu sæpe intermittente, dolore pungente & syncope se produnt: Quam symptomatum & animalium catervam cataplasmate è foliis cinaræ, tanaceti & absynthii vulg. aceto vini albi acerrimo incoctis, & cum mithridatio mixtis, regioni cordis bis applicato penitus dissipatam vidi. *R. Louver Tract. de Corde p.* 107.

VErmes difficulter cognoscuntur & raro exacte, nisi à morte, quæ plerumque subita est; Si prædicta symptomata adsint, & exhibita cardiaca frustra sint, de ejusmodi verme suspicio incidat.

OBSERVATIO XX.

Palpitatio ob adhæsionem pericardii cum corde.

ADhæsio pericardii corpori ipsius cordis Palpitationem inducit, quod in duobus hydropicis observatum est. *Gulielmus Ballonius lib.* 1. *consl.* 109.

VT simplex non est usus aquæ pericardii erga cor, irrigando quippe illi inservit, & ab externis injuriis tuetur: ita nec uno modo illi officere accidit: sicut enim aquæ copia obrutum nocumentum infert, sic si hæc prorsus deficit, arcte adeo cordi accedit, ut ipsi tandem undique adhærescat: Hinc cum diaphragmati accrescat quoque, cordis motum cum illo confundi & committi necesse est.

OBSERVATIO XXI.

Cordis Palpitatio à variis Pericardii affectibus producta.

§ 1. TRes vidi Palpitationi cordis obnoxios, In uno dissecto apparuit in hac tunica (pericardio) duriusculus tumor, nucis parvæ avellanæ magnitudine, non perfecte callosus. *Vide tit. de Phthisi.*

§. 2. Virgini cor cerebro & valido motu, continuo sub noctem recrudescente, palpitabat: Pericardium repertum exsuccum, putrefactum, & suo humore privatum: Cor sanum. *Vide tit. de Phthisi.*

§. 3. Cordis involucrum, Pericardium vocatum, continet unum aut alterum viscidæ aut rubicundæ alicujus aquæ cochlear, cùm *ad faciliorem motum* visceris nunquam quiescentis, tum ne præ nimio æstu facile excandescat fons caloris, qui instar Solis vitam impartitur corpori universo: Aqua autem vel copia nimium exuberante, vel calore à statu naturali decidente, exoritur protinus vehemens cordis palpitatio, cujus *indefatigabili motu* satagit nobile hoc viscus excutere quod quacunque ratione sibi molestum est, cujus voti nisi reddatur compos, & se & corpus perdit universum Stephanum, Jonam juvenem vegeti corporis, defatigatum impense ex pedestri itinere, corripuit inopinato quasi insultu acutissimus lateris sinistri dolor, cum spiritu difficili, ac summa cordis palpitatione: quorum symptomatum impetum, quum nec sanguinis detractio, nec roborantia ulla infringerent medicamenta, actum fuit de ipsius salute, succubuitque sub pondere viribus nimis gravi, *contractâ* non tantum *febre* hectica, verùm etiam hydrope, abdomen usque eo extendente, ut necesse habuerit tandem sub sudore frigido; vitam cum morte commutare.

Quorum symptomatum gravissimorum ergo, ubi dissecaretur cadaver, invenimus Cor flacci-

flaccidum, ac justo majus: aquam vero pericardii exubetantem ad xv. cochlearia: quæ ipsius copia produxit proculdubio Palpitationem cordis: Pulmo totus erat vitiatus costisque accretus: venæ ubique tumidæ, omentum putredine infectum: uti venter cum cruribus aqua citrina repletus: Cavendum itaque obnixe à nimia defatigatione, quæ tantum mali corpori dat. *Nic. Tulpius lib. 4. observ. 19.*

Ad faciliorem motum) Quemadmodum aqua intra pericardio inclusa ad lubricandam cordis superficiem & facilitandum motum valde inservit, ita nonnunquam evenit ut nimia copia cor opprimat & inundet: quum enim in cordis Hydrope involucrum istud impletum sit, & latera ejus ab incumbente undique aqua eo usque comprimantur, ut pro excipiendo sanguine satis dilatari non possint, tum pulsus valde diminuitur, donec tandem inundante magis aqua prorsus supprimitur, unde syncope & mors ipsa succedit. Pari ritu hoc fieri videtur ac in hydrope pectoris, ubi pulmo satis distendi non potest, quia cum cavitas thoracis aqua repletur, pro dilatatione pulmonum nullum restat spatium, unde morbo isto affectis difficilis, & tandem nulla respiratio superest, licet summo conamine spiritum attrahere contendant; Atque cum aquæ istius pericardio contentæ nimia copia cordis motui adeo officiat, ut ipsum tandem obruat supprimatque, verisimile est cordis palpitationi succedere potius, quam concitatum hunc cordis motum ab illa irritari, quod quidem eo magis verisimile est quod affectus iste sanus & improviso sæpe, aliisque de causis exoritur, & nullo signo aut indicio adventum suum denuntiat. *R. Louver Tract. de corde cap. 2. pag. 103.*

Cujus indefatigabili motu &c.) Quem convulsivum statuit idem *Louver* l. c. p. 131. Depravatur *ait*, Cordis motus in passionibus, veluti irâ, gaudio, terrore subito, quum spiritus animales nimia, & plus solita copia, aut majore impetu cordi advolant, motumque ejus maxime corripiunt, & horrendis aliquando subsultibus exagitant & convellunt: Quem affectum, quum non satis forsan perpenderent, diminuto vocabulo Palpitationem authores passim nominarunt: At revera cordis musculus, uti easdem cum cæteris musculis actiones perficit, ita ab iisdem morbis haud immunis est; quippe spasmo & motui convulsivo æquo obnoxius est & sæpius multo tentatur: In Palpitatione enim sic dicta (qui motus convulsivus vere est) cor tam violenta systole sæpenumero corripitur, ut ipsas costas loco suo movisse atque perfregisse notum sit: quin & aliorum spasmatum more ab iisdem causis excitatur & periodice recurrit; Et uti sic correpti occasionem plerumque à subito terrore vel ira accipiunt, ita simili quavis de causa in eosdem affectus denuo incidunt, à qua primo excitati sunt: ubi enim spiritus semel in tumultum & confusionem acti, impetuose nimis in cor delati fuerint, deinceps postea ob levem quamcunque occasionem pariter irritati, eandem viam & choream affectabunt, & simili spasmo cor corripient, prout videre est in iis qui palpitationi sic dictæ obnoxii sunt. *R. Louver Tract. de corde c. 2.*

Contra febre] Palpitationis ardori febrili succedentis causam refert *Piso* Sect. 3. lib. de morbis à Sero c. 2. ad vasorum illius exficcationem præter naturam, unde quodammodo convellantur: Cùm namque cor fibris carnosis nervosisque quodammodo constet, & carnem musculosæ affinem habeat, moveatur autem ab anima sentiente, si non ab electione, certè *καθ' ὁρμὴν*, cur non tremor in id cadere potest?

§. 4. In corpore cujusdam Gorzensis oppidi incolæ, Jacobi Loret, jampridem Palpitatione laborantis & spirandi difficultate, repertum Pericardium immanem in tumorem elatum, pluribus libris aquæ distentum. *Carolus Piso de illuvie serosa sect. iij. cap. ij.*

Si Serum sensim è particularibus vasis tunicarum Cordis (pericardium intelligo, & propriam Cordis tunicam) exiliens, sive inter cordis parenchyma tunicamque propriam, sive in amplum pericardii spatium vacuum glisc at: eaque copia congetatur tandem quæ oneri sit cordi, & libertatem in eo se movendi deneget, haud dubie sane difficilis & pertinax ab hac causa palpitatio cordi accidit, quam non solum sensus ægri, sibi cor veluti in aqua innatare ac moveri sentientis declarat, simulque morbi diuturnitas; quippe cùm hæc aqua haud facilem exitum habeat, & viam minime relegere possit, ob densitatem autem & teporem membranosi corporis facile digeri non valet. Nec mirum distendi posse eam membranam sensim, sine sensu, in eam amplitudinem; cùm olim observatim membranam renis in eam amplificatam longitudinem, quæ universam abdominis capacitatem, servata tamen figura, coæquaret, & xiv. libras puris, exeso parenchymate & suppurato contineret, nec ab eo pondere per aliquot annos continuitatem amisisset: scil. natura membranæ est ductilis & extensilis in omnem dimensionem; Atqui cum Palpitatio potissimum succrescat, aut à sero in vasis fervescente, & inde in cordis sinus desubito insiliente: Aut in pericardio contento, vel propria ejus tunica: illam quidem causam subitus indicat insultus, pulsatio arteriarum in temporibus, sonitus sibilusque aurium, oculorum caligo, & repentini dolores, & sensus flatuum diversas pervagantium partes: quam conjecturam confirmat tempeties & constitutio viscerum, ad calorem & siccitatem pronæ: cujus indicia præcipuè sunt gracilis habitus & capillamentum nigrum: At verò Palpitationem ab aqua in capsula cordis, tunicave ejus propria contenta, arguunt cum sensus suffocationis cordis in multo humido, tum pulsus non adeo magnus, vehemens & concitatus; Siquidem cor non potest libere spatiari in obstructa capsula: tum vero affectus continuitas pertinaciaque, ob causas ante memoratas, & febricula becticæ speciem referens: Siquidem & aqua loco cordi adeò vicino concludi & quiescere minime potest, quin tandem putorem contrahat, & verò cor eam putredinem ferre nequit, quin vicissim recalescat p. n. Coindicant autem ejusmodi causam, Ta-

bes corporis & spirandi difficultas: tabes quidem, eáque fine causa manifesta, febriculæ scil. illius & fere imperceptibilis comes: Spirandi autem difficultas, quæ à parvo licet corporis motu non mediocriter augetur: quia nimirum parvus pulsus & impeditus minime usui satisfacit, ut crebritate respirationis sit compensandus, aut potius quia Pulmoni non est liberum in hoc affectu respirare quantum usus exigit. *Curationem vide ibidem.*

§. 5. Georgius Benedictus Pharmacopola, quinquagenatius scirrho hepatis, obstructione splenis, & venarum mesaraicarum: item dolore continuo tum capitis, tum circa omoplatam dextram, nec non destillatione ad Pulmones, tussi & nonnunquam Palpitatione cordis aliquot mensibus vexatus est.

Mortui cadaver incidi, & inveni pectus plenum serosi humoris: Pulmonis dextram partem propemodum absumptam: sinistram non mediocriter inflammatam, & pleuræ costisque mediante callo quodam firmissime adhærentem: In Pericardio ultra libras quatuor saniosi sanguinis & materiæ purulentæ inveni: Nullum tamen indicium solutionis continui, neque in ipso corde, alioqui externa sui parte leviter inflammati, neque in pericardio: nec patebat via ulla per quam materia & aqua illa serosa ad pericardium percolata fuisse videretur. Id tamen ex ipso nonnunquam audivi, quum æger esset, percipere se interdum ad partem colli utramque, qua carotides arteriæ ascendunt, frigidissimam quendam humorem ex capite delabentem ad pectoris regionem. *Fabritius Hildanus cent.* 1. *Observ.* 43.

Percipere ad partem colli utramque) De effluxu seri à capite in partes subditas per venas jugulares, colli lateribus adsitas, Vide lib. 1. sect. 1. observ. 1. in scholiis. Et sect. 18. in fine. §. 3. ex Rich. Louver.

§. 6. Ad sui contractionem crebro vel continuo vellicatur cor, tum à quocunque acri, unà cum sanguine ad ipsum delato, sive illud sit acidum, sive salsum lixivium, sive ex utroque mixtum, quale salsum est muriaticum, Tum à quoque halituoso vel flatulento in cordis ventriculos penetrante, ipsiusque parietes aliquantulum, non tamen nimium explicante, & ita quidem ut iterum queant contrahi, tum ab re cordi externa, in pericardio puta contenta, ipsumque rodente ac pungente: Sic offendimus ante triennium in pericardio humorem salsum & acrem, à quo tam pericardii quàm cordis membrana erat erosa excoriatáque. *Fr. Sylvius Praxeos lib.* 1. *cap.* 26. §. 26.

Ad sui contractionem) Palpitationem cordis pro motu ipsius convulsivo habendam censeo, cum revera sit motus *cordis inordinatus, coactus ac sæpenumero vehemens*: Namnon semper adest notabilis vehementia, unde gradibus non parum differre solet cordis palpitatio. Causam puto esse quicquid absque intermissione ipsum ad sui contractionem inordinatam, & quandoque simul vehementem aptum est incitare: sive illud intra cordis ventriculos, aut in ejusdem substantia contineatur, Sive extra cor existens, ipsum tamen ad tempus aut semper continuo vellicat, mordet pungitve: Quicquid ex venis & auriculis effunditur in cordis ventriculos, ac mox iterum ejusdem contractione expellitur in arterias, fit quidem aliquando pulsus majoris potentiorisve causa, non item palpitationis, ad quam producendam opus est ut ejus causa cordi adhæreat, vel inhæreat, ipsumque continuo ad sui contractionem irritet, quæ proinde fiet tum inordinatum, inæqualis, ac subinde simul vehemens.

Tum à quocunque acri &c.) Examinatis iis quæ tum Ego in ægris palpitatione cordis laborantibus observavi, tum ab aliis Medicis notata vidi, judico ut plurimum illam ortum habere ab Humoribus Flatibusque multum viscosis, ac simul acribus, ad cordis ventriculos delatis, & in ipsis hærentibus, atque ipsum ad inordinatam inæqualémque sui contractionem continuò irritantibus: Hi humores atque flatus frequentius ex tenui intestino deferuntur ad cor, sive sponte ob vitiosam effervescentiam commoti eo propellantur; sive ob corporis motum concitationem, maxime in ascensu, vel Animi affectum gravem; sive ab externa causa, aëris puta æstu, aut frigore acri; alimentis dulcibus acidisve; Rerum quarumvis odore potenti, eoque nunc suavi nunc ingrato &c. similitérque ad effervescendum, Halitusque tam glutinosos quàm acres producendos, & ad cor transmittendos adigantur & urgeantur.

A quocunque halituoso vel flatulento) Hinc est quod in plerisque affectionis hypochondriacæ speciebus tam frequens familiarisque sit cordis palpitatio: Hinc est quod tam sæpe circa febrium intermittentium initia, urgente adhuc aut remittente frigore, ut & in earumdem vigore, æstu existente summo, palpitatio sentiatur cordis molesta.

Tum ab re cordi externa) Præter notatos humores flatusque observati sunt aliquando in cordis substantia Tumores carnei, aut excrescentiæ osseæ, cartilagineæve, quibus palpitatio ad mortem usque conjuncta non immerito adscripta fuit Vermes in pericardio reperi, cor pungendo, vel humor acris mordendo, palpitationis raræ causa esse possunt, ut & vulnus cordi inflictum. *Idem ibid. cap.* 351.

§. 7. In Johannæ N. post morbos complicatos mortuæ cadavere, Pericardium permagnum & aqua turbida replerum inventum est: Hinc palpitationes cordis quibus frequenter laboraverat. *Vide tit. de Phthisi.*

§. 8. Puel-

§. 8. Puellus cordis palpitationibus detinebatur, pericardium aqua lutescente biliosa, fœtidâ erat distentum, cui cor innatabat: Cor plane exsuccum, ut & alia viscera. *Vide l. 3. tit. de ventris tumore.*

§. 9. Puellus cordis palpitationibus afficitur, pericardium hummore biliosó, luteo, fœtido refertum erat, cui cor plane exsuccum innatabat. *Vide lib. 3. tit. de ventris tumore.*

§. 10. Palpitat cor per se primo, quando causam habet intra se, aut pericardio conclusam: Sexagenario cuidam cor vehementer palpitabat, interiit, In dissecto cadavere observavi capsulam plenam aquis. *Riolanus artis medendi particul. sect. 1. tract. 2.*

§. 11. Puella palpitatione cordis & asthmate vexata obiit: Pericardium aqua distentum erat, cordis auricula dextra tumida, cui inerat materia quædam alba, crassa, oblonga, membranosa &c. *Vide tit. de Phthisi.*

§. 12. Contingit aliquando circa pericardium tumores & inflammationes fieri: Si crudus tumor vel tuberculum fuerit, palpitationem vel tussiculam facit: Si verò inflammatio, eadem symptomata erunt quæ in peripneumonia, & hac nota discernuntur, quod minori anhelandi difficultate laborent, & minus levantur frequenti & multa exspuitione: æstus maximus & febris maxima in tali affectione esse solet: Nos hanc affectionem deprehendimus in Nob. & Generoso viro, cujus cor erat obductum seroso humore verso in saniem quandam ob partis illius inflammationem: Et ne decipiaris, sentiunt quoque dolorem in lateribus membranæ hypezocotæ consentienti: Ipsi pericardio rarissimus est hic affectus, à quo pauci evadunt, quem nemo adhuc, quod sciam, annotavit. *Rondeletius de dignoscendis morbis cap. x.*

Observatio XXII.

A majore copia humoris in Pericardio non excitari Palpitationem, nisi alia accedat causa.

Notavimus majorem copiam istius liquoris non facere Palpitationem, quod tamen ex Galeni sententia communiter tradunt Medici: Nam in omnibus iis, in quibus post mortem in Pericardio humoris istius aquei majorem copiam reperi, antea dum morbosi viverent, nullam omnino cordis Palpitationem; ne quidem in Anglo quodam cujus pericardium liquoris turbulenti, aquei coloris, ad minimum duas libras continebat, sed contra pulsum languidum ac rariorem inveni: Neque etiam à copia istius liquoris tanta fit pericardii angustia (etsi id vulgo prædicetur) ut cor se in eo moveri libere nequeat, atque hinc palpitet, sed contra semper animadvertimus pericardium hinc adeo latum laxumque reddi, (ut in prædicto Anglo) ut cor in eo multo facilius moveri possit quàm in pauco liquore: Ita ut hujus liquoris copia palpitationem minime faciat, eáque potius excitetur à quovis liquore, etsi pauco, dummodo præter ordinem plurimum & raptim dilatari, vel acrimonia, putredine, aliáve vellicante qualitate cor infestare, idque ad tam molesti hostis depulsionem incitare possit. *Diemerbroeck Anat. lib. 2. cap. 5.*

Observatio XXIII.

Palpitatio Cordis ortum ducens à corporibus extraneis occupantibus Aortam arteriam aut alia vasa Cordi annexa.

§. 1. Calculum ubivis locorum in homine reperiri certum est, Sed in arteriis qui invenerit, equidem hactenus inveni neminem; ac proinde operæ pretium facturus videor, si ejus exemplum hic inseruero: J. Arminius, Pharmacopolæ minister, ob adversam valetudinem, frequentibus medicamentis à puero magis imbutus quam adjutus, devenit tandem in tam vehementem cordis palpitationem, & irrequietum agitati visceris impetum; ut verberantis ictus distinctè nonnunquam audirentur præ foribus conclavis, in quo id temporis decumberet: Quibus accessere frequens animi deliquium, præcordiorum angustia, spiritus difficultas, pulsus intermittens, urina nunc flava, modo nigra, modo cruenta, vel muco aut arenulis perfusa: Sed ulterius proserpente morbo, incidit quoque in anorexiam ventriculi, cum crebro vomitu, Jecinore indurato, abdomine intento, cruribus tumidis & tanta aquæ copia ut necesse habuerit ultimum obire diem.

Quorum symptomatum ergo ubi dissecaretur cadaver, Inventum Omentum putridum ac eruentum, sed Jecur magnum & plurima pituita refertum: at reliqua viscera ita parva, ut Lien vix dimidiatam manum, Ventriculus vix intestini jejuni, & Vesicula fellis vix articuli digiti æquaret magnitudinem: Vesica urinaria erat admodum corrugata, & præ torrido æstu plane nigra: In Pancreate vero omnia dura: at in pulmone nihil non aridum ac maculosum: Cor contra magnum & amplum, sed sine pericardio ullove vel minimo illius vestigio: Intestina vero innarabant aquis, ut Pulmo bili flavæ: In Rene dextro latitabant plures calculi, partim rubri, partim nigri; quos inter unus, cæteris major, obturabat in-

tegre ureteris principium: At prope renem sinistrum, dedit se nobis in conspectum inauditum illud calculi genus, quod à loco cui inhæsit, lubet vocare Arteriale, insidebat quippe firmiter illi arteriæ aortæ ramo, qui vergit ad *glandulam Eustachii sinistro reni impositam:* Disruperat autem caput ipsius (ita appellamus rotundam excrescentiam illius calculi, quæ cum angustiore collo, haud male refert caput implumis pipionis) arteriæ tunicam, latitante reliquo corpore in dilatata ipsius fistula: sed ita ut vulneris oræ minime hiarent, verum contraherentur tam arctè circa ipsius collum, ut vix guttula sanguinis potuerit illinc effluere: at vero protuberans hæc pars, quam caput vocamus, ut reliquo calculi corpore fuit durior, sic discrepavit quoque parum à silice, sed quod delituit in arteria, erat molle: foris quidem ob adusti melancholici succi miscellam, nigrum, sed intus albicans ac concretæ pituitæ simile: at capitis color fuit ex flavo cinereus, ad instar lapis bezoar occidentalis: totus autem lapis referebat ad amussim implumem aviculam: sed lanci impositus ponderabat drachmas duas. *Nic Tulpius cap. xxvj. lib. ij.*

§. 2. In fœmina asthmatica & cordis palpitatione laborante, corpora pituitosa ulnæ longitudinem superantia ex aorta extraxi. *I. Iac. VVepferus Exercit. de Apoplexia pag. 197.*

§. 3. Callum cuidam in arteria magna, loco cordi proximo, natum observavimus: Multis hic annis cordis palpitationi obnoxius crebro fuerat: Sex vero ante mortem mensibus, in sinistro carpo pulsum tam exiguum habuit, ut nullus sæpe apparuerit, ac sæpe sentiri non potuerit Fuit palpitante corde: difficile admodum huic potum admittere, sic ut vix unciam simul bibere potuerit: In pectoris spatio sublutei coloris humor collectus quoque fuerat. *Dodonæus annot. ad cap. 3. Benivenii.*

OBSERVATIO XXIII.

Cordis Palpitatio ab insigni carnis excrescentia, cordis figuram referente, inter Aortæ caudicem & Venæ arterialis radicem.

Reverendus N. jugi rerum cœlestium contemplationi addictissimus, statim à primis unguiculis perpetua, sed quæ in dies, prout ætate proficiebat, cresceret, palpitatione laborabat; cumque xlij. annos natus esset, multáque medicamenta frustra admovisset, morbi longitudine & fastidio, vel potius impatientia victus, se tandem venesicæ mulierculæ curandum, vel potius enecandum tradidit; nam sumptis 3. aut 4. potionibus, nihil tamen proficientibus, ad colocynthidos, ellebori nigri, cataputiæ seminis decoctum devenit, unde subortæ convulsiones quæ ad mortem comitatæ sunt.

Cadavere aperto, singula intestina intus & extra observavi, maximè vero ipsum ventriculum valde magnum; námque in eo crudi humores, plurima & copiosissima pituita vitrea fuit reperta, & medicamento paulo ante assumpto commixta & confusa: Aperto autem thorace, pulmones turgidos & flatibus plenos offendi, quibus per mediam membranam separatis, cor ipsum valde magnum, neque naturaliter formatum apprehendi: atque pericardio dissecto, ecce inter arteriæ magnæ caudicem, & venæ arterialis radicem, in cordis basi, talem excrescentiam reperi carnis, quæ unciam unam cum sex drachmis libraret, & aliud corculum repræsentaret: adeo ut unica fuerit perpetuæ palpitationis causa; mortem tamen non tulit, sed potius ejusmodi potionum assumptio: Eam autem excrescentiam summa qua potui diligentia liberavi, vino lotam & mundatam exsiccavi, quam adhuc teservo. *Ex G. Garnerii Einshemiensis Poliatri observationibus.*

OBSERVATIO XXIV.

Palpitatio Cordis, & Saltus circa ventriculi regionem, ob Situm illius mutatum.

Filius Parci Typographi adolescens, cum frequenter utraque manu terræ innixus, uti pueri lusus causâ facere consueverunt, corpus in altum erigendo rotaret, cœpit cordis palpitationem & pulsationem vehementem in sinistro latere, *circa ventriculi fere regionem*, sentire, quam à corde eo usque propendente proficisci, sectio post mortem; sed & quod capiti innixus, cor denuo ad superiora ducebatur, satis declarabant: Nam ascitieus factus, cum mortuum eum aperirem, *Cor, relaxatis involucris* & vasis illius, quibus suspenditur, subsedisse, & mucrone suo, succingenti tunicæ, circa septi regionem, deprehendi affixum: Dein & præter reliqua, hepatis, lienis renumque vitia, ascititiis consueta, etiam in medio cordis dissecto, os tribus articulis constans, cavumque & arenosa quadam materia repletum inveni. *Felix Platerus observat. lib. iij. pag. m. 636.*

Cor situm mutasse multi attestantur, ita ut in arte parva ait ut plurimum lethale esse cor pulsus dextro latere advertatur: *Cardanus* in dextro latere pulsare, innuitur enim inde cordis

cordis quasi dislocatio & in dextrum latus detrusio, vel magnum quid p. n. quod languente sinistro ventriculo dexter propellere annitatur. Periculosi & funesti exitus quandoque esse præludium tribus firmat historiis: primus eodem die, alter post aliquot dies, obiir, tertius adhuc infans, & ex casu ægrotans, convaluit quidem, sed nonnisi postquam gravissime ægrotasset: Et nos vidimus anniculum puerum, cui ab abscessu in sinistro thoracis latere, cor ad dextrum latus fuit detrusum, in quo pulsus deprehendebatur, qui & non multo post tabidus interiit: *Notat tamen Riolanus* animadversionibus ad *Bauhinum*, *Catharinæ Medicæ Ludovici XIII. Regis Christianissimi* Matri, & cuidam quadragenario, latus thoracis dextrum pulsasse, vixisse tamen sanitate illibata.

Cor relaxatis involucris &c.] Observandum quod monet *Alex. Benedictus lib. 3. cap. 12. Anat.* magnam esse in cadaveribus cum viventibus positura cordis differentiam, exemplo allato cujusdam pugionis ictu interempti, cujus dissecto pectore, rursusque per vulnus pugione adacto, mucro neque cordis neque pulmonis vulneri respondit.

Observatio XXV.

Cordis Palpitatio & Tremor, ob vermem illi affixum.

§. 1. Princeps quidam valetudinarius, cum ex cordis causationibus multo tempore gravissime affligeretur, à Medicis suo pertinaci malo remedium quærit: qui variis lectissimisque medicamentis frustra subsidium quærebant: Accidit ut & Medicinæ Tyro quidam, qui Principis Medico familiarius innotuerat, eodem casu cognito, inter alia quoque referret, comperisse sese superioris ætatis conscriptorum consiliorum Medicinalium lectione, Vermis quoddam genus cordi nonnunquam innasci, quod nullis remediis, præterquam unius allii, ejusdémque mane sumpti, usu cederet atque necaretur: quod remedium, quia vulgare, atque ob id Principi vito, cui pretiosa & exotica potius expetebantur, neglectum est: Principe igitur morbi diuturnitate & sævitia tandem devicto & mortuo, mortis causa abdita investiganda fuit.

Dissecto cadavere, deprehensus est vermis albus, præacuto rostello, eoque corneo præditus, cordi adhærescere: Quem Medici vivum ex allii succo in mensa figuratum conjiciunt circulum, fera circumquaque rependo mitifice se contorquet, & ne circulum contingat, cavet: tandem vero allii vi & nidore victa concidens, circulo adhuc conclusa moritur, unde non tam morbi causa legitima, quàm certa & indubitata remedii vis manifeste innotuit. *Ioh. Hebenstrett libello de Peste.*

Vermiculos & in corde & in capsula ejus gigni asserit *Hartmannus* Pr. Chymiat. cap. 3. Cognosci ait ex puncturis & doloribus cordis, tum ex lumbricis excretis vel non excretis: Diagnosticum esse convulsionem.

§. 2. Cognitum habemus Treveri virginem diu multumque de cordis tum Dolore, tum tremore conquestam, & mirum in modum tortam & excruciatam fuisse: Remediis quæ ad robur cordis alias sunt, frustra tentatis, tandem ægra moritur.

Secto ad veri indagationem corpore, vermiculi in corde, mali hujus tam funesti causæ deprehensi sunt. *Ex M. S. Stockeri.*

Virginem] Morbum *virginibus* familiarem esse ait *Hartmannus* loco citato: *Hollerius* refert mulierem rusticam palpitatione cordis & inflammatione ventris ac si utero gereret laborasse, Vermibus quamplurimis exclusis convaluisse: Sæpe insolentia symptomata affectunt vermes.

§. 3. Valetudinarius quidam Palpitationi cordis per intervalla quatiebatur: Inventus est vermis cordis dextro ventriculo adhærescens. *Vide Tit. de Syncope.*

Valetudinarius] Alexis Pedemontanus, qui lib. 1. secret. proponit remedia contra vermes cordis, in morbo quem Lunaticum ipse vocat, hæc signa ponit, non modo palpitationem, sed tremorem totius corporis, leipothymiam & syncopen, totius corporis pallorem & refrigerationem; sudoris eruptionem circa thoracis & cervicis partes. De Lunatica autem passione censet *Sennertus* eam non ex vermibus in pericardio nasci, sed intestinis genitis, & in ventriculum ascendentibus, orificiumque ejus molestantibus, quod καρδία appellatur.

Observatio XXVI.

In Palpitatione cordis obnoxiis arteriæ magnæ tunicæ admodum dilatantur.

§. 1. Unum circa Cordis Palpitationem à me observatum omittere nolo, & est quod his in cordis palpitatione laborantibus, propter insignem admodum motum aortæ arteriæ, tunicæ dilatantur, unde veluti à subitanea morte corripiuntur, quia sanguis spirituosus

riruosus veluti præceps in tunicam hanc, pericardium dictam, fertur, à quo cum cor laxari nequeat, systolen atque diastolen faciente, perquam & recipit & expellit, suffocatur sua munia facere nequiens. *Hippol. Boscus de Facultate Anat. lect. 4. p. 41.*

§. 2. Dom. de Vaujour annos natus xx. cum palpitatione annos aliquot laboraffet, *assumpto cassiæ bolo* eadem die interiit, Quod iis contingit qui ea palpitatione molestantur; *Omnes arteriæ* evidenter in singulis fere partibus *palpitare* videbantur.

Aperto cadavere, adeo omnes cordis valvulæ & magna arteria distenta visa est, ut cor triplo, aut saltem duplo amplius videretur. *G. Ballonius Paradigmate lxxiij.*

Assumpto cassia bolo eodem die interiit) Turpis vero est calamitas Medico ægrum eadem die qua assumpsit pharmacum purgans, interire, inquit *Hipp.* Hinc practici omnes in palpitationi obnoxiis à vehementioribus purgantibus abstinent, ne humor commotus aut vapor affatim in cor irruat idque opprimat: Cassia autem quanquam leniens, eoque nomine commoda videtur, hoc in casu incommoda est & noxia: *Rondeletius* norat quasdam affectiones catalepticas ejus usu contigisse, & eorum usu quæ illam recipiunt: quoniam caput facile fumis replet & ventriculum subvertit, cujus orificio cum corde magnus consensus: *Ballonius* l. 7. de virgin. & mul. morb. adscrit multis & leipothymias & torsiones alvi usu cassiæ excitatas; Imo & quasdam stomachi subversiones: flatuosum enim quid habet & virosum, quod ventriculo molestum est.

Omnes arteriæ palpitare &c. Palpitatio habet varios locos & causas, ejusque variæ sunt differentiæ, prima est quando motus est solius cordis tantum, non etiam arteriarum, quæ nullam subeunt mutationem in pulsu, sed apparet tantùm in cordis regione: Alia est quando simul cum corde omnes etiam arteriæ moventur, temporum, jugulares, universi corporis, ut etiam oculis deprehendatur: hujusmodi motus est triplex, 1°. mixtus quidem, qui etiam, ut *Fernelius* scribit, costas dislocare & frangere potest: secundus magnus simpliciter, & hic percipitur in corde & arteriis: tertius purus: Quæ habet tantùm cordis motum, fit ex flatu contento, non in ventriculis cordis, sed in pericardio; hic potest elevare & deprimere pericardium, nec tamen arteriæ moventur: ratio est in promptu, quia non consistit in ventriculis cordis: Hanc speciem observavit *Hollerius* sch. in cap. de palp. scribens quendam dissectum inventum, cui pericardium in motum utris elevatum & distentum erat, Alia differentia est illa, ubi Cor simul movetur cum arteria, quæ fit propter motum vehementissimum illum, quando dislocantur costæ, qui motus non fit à flatu, neque à facultate expultrice: neutrum enim habet tantam vim, sed fit ex bile retorrida & exusta ad cordis substantiam confluente & impetum faciente: comparatur hæc, ubi affatim affluxerit, pulveri tormentorum, qui accensus movet & propellit objecta: ita etiam illa potest cor & propinquas partes propellere: hinc in illis inventa retorrida bilis: Sin verò motus fit magnus, celer & frequens, sine ruptione tamen, est motus facultatis expultricis cordis, irritatæ ad expulsionem noxii: Hujus sententiæ fuere Arabes omnes & *Gal.* lib. 6. de diebus decret. cap. 1. ubi scribit non esse operationem, i. e. secundum naturam, sed affectionem, i. e. præter naturam, *H. Saxonia Panthæi lib. 2. cap. 8.*

Observatio XXVII.

Palpitatio cordis succedanea, vel comes variorum affectuum vasorum illi adsitorum.

§. 1. Excitari potest cordis palpitatio à plurimis causis: In quodam vidi genitam ab abscessu in vena arteriosa. *Scoliogr. Hollerii ad cap. 29. lib. 1.*

Excitari potest à plurimis causis) Quas perstringit *Ballonius* consil. lib. 1. cap. 15. Aliquando, *ait*, in corde ipso affectionis causa est, & tum periculosior existit: Aliquando à partibus vicinis est, aliquando à remotioribus, ut ab Utero, à maligno ribiarum Ulcere: Tuberculum in corde, Abscessus item affectionis causa esse potest: Multus Sanguis obstructionem faciens, Intemperies calida, Vermes cor vellicantes, Subita evacuatio; Impraegnatio: quemadmodum enim mulieres quædam veteribus affectionibus prehendi solitæ, cum utero conceperunt iis liberantur & miraculo absolvuntur, edito vero fœtu repetunt, ita quoque prægnantes mulieres insolentes morbi possunt invadere: Præter causas memoratas, Inflammatio, Aqua tunica cordis inclusa, Item si tunica aut Humorem putrem & male olentem in se contineat, aut Lapillos, palmum inducit, Item venenata qualitas, spiritnosus aut crassus Halitus, vel ab arteriis, vel à corpore Cordis, aut à Pulmone, aut à Liene aliâve parte, aut propinquiore, aut remotiore elatus: Constrictio major Decubitus in renes, & dorsum, præsertim si magna Arteria perreptans spinam prematur: A succensis putribus lignis elatus vapor; Ductus & attractio Spiritus Auræque pestilentis: Adhæsio pericardii corpori ipsius cordis: Mucus per quandam colliquationem in cor illabens (unde vulgo dicunt quosdam repente interire quod adeps colliquatus in cor influxerit) Actum, cum colliquationis modo mucus iste in cor labitur, falsò asthmatici creduntur ægri: Si palpitationem aut inflammatio, aut erysipelas committit, febris ingens, pulsus durus & veluti serrans: Si à venenata aura inferne in cor surgente, fugax est malum: Cùm à venenata aura in pestilente statu, præceps virium omnium lapsus est: Cùm à muco per modum colliquationis in cor fuso, æger fit anhelosus, parva & densa spiratio est: Vidimus palpitantem affectum ob aneurisma in liene; quod si in corde ipso aneurisma fit, lethalis est affectus: Quæ palpitatio syncopen veram junctam habet, insanabilis est: Quæ ab adhæsu pericardii lethalis est: Quæ à colliquatione, insanabilis quoque est, Item & ea quæ à venenata aura est: Atque inter cæteras palpi-

palpitationis causas una & communis & vulgaris est, intemperies frigida ventriculi & jecoris calida; Dum enim ventriculus non bene suum officium facit, & secundam coctionem tanquam correctionem & emendatricem sui prima non agnoscit, jecur calidius rapit crudius alimentum; hinc anathymiaseon proventus multus obstructionum ilias, & ab istis obstructionibus palpitandi occasio, Quod hypochondriacis solenne est cachecticis & virginibus fœditate coloris infectis usu venit.

Vena arteriosa) Vena, arteriosa vulgo dicta, revera Arteria pulmonaria est; non modo substantia arteriis reliquis similis, sed & pulsu: hæc amplitudine propemodum æqualis venæ cavæ, atque haud multo minori orificio è dextro cordis ventriculo egrediens, in dextram sinistramque pulmonum partem bifido ramo ingreditur, propagines suas quaquaversum dispargens, sanguinemque è vena cava ad cor admissum ad pulmones transmittens.

§. 2. Repertum est Romæ nuper in Beato Philippo Nerio Sacerdote, qui sæpius in palpitationem cordis incidebat ex vehementi extasi, cor valde amplum, & Arteria quæ ducit in Pulmonem duplo latior naturali: Eidem duæ costæ mendosæ in latere sinistro abruptæ à suis cartilaginibus, follis instar elevabantur & deprimebantur, dum palpitationem pateretur: quo remedio divinitus servatus est ne extingueretur, usque ad annum octuagesimum. *Andreas Cæsalpinus Catopri artis Medicæ lib. 6. cap. 20.*

Arteria quæ ducit in Pulmonem) Aliàs arteria venosa vulgo, Neotericis vena pulmonaria est, cujus officium sanguinem per arteriam pulmonariam pulmonum substantiæ infusum, ac cum aëre per asperam arteriam ingresso commixtum suscipere, atque ad sinistrum cordis ventriculum transmittere.

§. 3. Joh. Fabri circa 50. annum cœpit ægre respirare, cum molestissima cordis Palpitatione: Prima arteria sub corde ex magna ad caput sub corde ascendente orta, maxime dilatata erat. *Vide l. 4. tit. de Tumoribus.*

§. 4. Uxor N. Sæpe palpitatione cordis vexabatur: Huic cor sanguine plane exhaustum, extenuatum & parvum erat: Arteria venosa, quia in monstruosam amplitudinem extensa erat, humore seroso impleta, qui, quia arteria hæc venosa ex simplici constat membrana, eam proculdubio in istam amplitudinem extenderat. *Vide tit. de Respiratione læsa.*

Ex simplici constat membrana) Huic & cæteris Pulmonum vasis quatuor tunicas à se invicem distinctas assignat Oculatissimus *Willis Operis posthumi sect. 1. cap. 1.* Primam & extimam fibris nerveis, & aliquatenus muscularibus constare ait: Cui secunda & tertia, Vasculosa & Glandulosa substernuntur: Quartam & ultimam plane muscularem statuit: *Vide locum citatum.*

§. 5. R. P. 10. aut 12. annos pulsationem p. n. in sinistra thoracis parte passus est; post suffocatus obiit. Apparuit membrana interna arteriæ magnæ, prius quidem laxata, postmodum vero disrupta. *Vide tit. de Suffocatione.*

OBSERVATIO XXVIII.

Palpitatione cordis diu fatigatus cavitatem Pectoris aqueo humore refertam exhibuit.

§. 1. IN Cæsare nostro, postquam cor supra xx. annos palpitare sensisset, sancte demortuo, supra duas mensuras aquei humoris, in cavitate pectoris relictas, cum quidem natura diu per urinæ meatus plurimum auxilii sibi tulisset, conspeximus: Iste vero naturæ motus, ut ad extremum impeditus fuerit, nequeo præ summo dolore cogitare: Est autem usitatum in nostra scientia hanc affectionem, sicut Divinus Hippocrates docuit, Pulmonis Hydropem appellare: In ventrem quoque aqueus humor (id quod ab Hippocr. monemur) jam confluebat, & sæpe monuisse me, si longior morbus fieret Cæsarem hydropicum futurum. *Crato in orat. de obitu Maximiliani ij.*

Aquei humoris in cavitate pectoris) Aliam accessisse causam probabile est, ut verosimile eundem humorem in pericardio superfluum fuisse; alias familiaris esser palpitatio cordis iis qui pectoris hydrope laborant, quod tamen perpetuum non est.

Natura per urinæ meatus) Diuretica palpitationi cordis obnoxiis, ubi ex crasso sanguine cor hujusmodi morbo laborat, prohibet Septalius, ut & diuretica, quod hæc exhauriant serum sanguinis, huncque crassiorem reddant: In ea vero quæ ab humore aqueo & seroso ortum ducit, nihil est quod facilius vim hujus morbi evincere possit.

§. 2. Virgo brevi morbo sublata est, ante vero cor crebro & valido motu, sub noctem recrudescente, tangenti palpitabat, ægra non sentiente. E thorace mortuæ inciso aquæ virosæ copia effluxit: Pulmones syderati inventi: labes vasa omnia & cavitates affecerat: Pericardium erat exsuccum, putrefactum & suo humore privatum. *Vide tit. de Phthisi.*

OBSERVATIO XXIX.

Cordis palpitatio ab aqua in Thorace & Pericardio contenta.

SI Palpitatio fiat ex aqua in Pericardio contenta, patientes referunt se sentire cor in aqua quasi natare: Ego vidi Clar. Marcellum, qui cùm hydrope thoracis ex congesta ibi & in pericardio aquæ magna copia (id quod sectio ostendit, laboraret, sibi cor quasi in aqua natare videri dicebat: accedunt pulsus molliores, spiratio frequens, non sitiunt ægri, oculi sunt concavi. *Herc. Saxonia Prælect. pract. part. ij. cap. 1. §. v.*

OBSERVATIO XXX.

Palpitatio cordis ob corpus membranosum cordi superpositum, mole & figura cor referens.

IN cadavere Domini Lud. Saladins, Jurisconf. Genev. (qui subitanea morte diem ultimum clauserat) disrupta vena cava & effuso sanguine in pericardium & cordis dextrum ventriculum, (inde plenis manibus in grumos concretus educebatur) aderat corpus carnosum & membranosum, cordi naturali superpositum, mole & figura aliud cor referens, quod venarum varicosarum erat velut tomentum & fulcimentum; quas undequaque corpus illud circumambiebat, Et quia venæ aderant valde varicosæ, & dilatatio arteriarum libera ab illo præternaturali corpore impediebatur, judicavi nimium sanguinis fluxum causam fuisse dilatationis venarum, & per diapedesin exilientem ab illis sanguinem materiam illi carneæ substantiæ suppeditasse, quæ paulatim venis adnascens molem illam tandem formavit, quæ tandem contracta putredinis rudimenta, tum venæ cavæ. tum ipsi cordis substantiæ affricuit, ut ideo venam putrescentem facile disrumpi contigerit, ut inde mortis subitaneæ, & languoris functionum animalium & vitalium causam arcessere non fuerit difficile. *De cordis etiam palpitationibus* conquerebatur sæpius *D. Puerarius in Observ. selectis, additis Thesauro medic. Pract. Thomæ Burnet. lib. 3. p. 345.*

OBSERVATIO XXXI.

Palpitatio ab aneurismate Lienis.

VIdimus palpitantem affectum ob aneurisma in Liene. Quod si in corde ipso aneurisma fit, lethalis est affectus. *Ballonius lib. 1. cons. CIX.*

A*Neurisma in Liene)* Arduum est Palpitationem cordis per consensum partium inferiorum inductam ab idiopathica discernere, sæpe enim contingit ut quanquam Cor intra se causam contineat, per periodos tamen redeat affectus, ut cum serum Pericardio inclusum orgasmo cietur, aut flatus accedunt: Notatu dignum quod refert *Ballonius* Epid. lib. 2. de muliere insigni cordis palpitatione laborante, cujus causa Lieni imputabatur, quanquam intra septa thoracis concluderetur. Notandum, *ait*, quod contingit uxori D. Guillon, Illi dolor obortus est in mamma sinistra, ab aliqua suppressione lactis, ut conjicere est, Tumor erat, disparuit, saltem nil foris eminebat. Non desiit dolere illa pars, quamvis nil foret conspicuum: Macrescebat in dies, nil proficiebat, languebat, Palpitatio cordis insignis, unde ea oriretur dubitabant: A liene repetebant illam, Accersitus D. Duretus mali originem altius repetit & rimatur, omnis Palpitationis Cardiacæ causam, aut in oppressione, aut in excussione ponit: Illa est cum malum in corde ipso est, aut circum cor: ut cum nimia aqua inter pericardium crevit, aut cordi pericardium adhæreścit. Hæc excussio, cum aliunde est: Aliqua erant argumenta mali non nascentis & orientis à liene. Sequebatur ergo ut in thorace & corde causa mali foret. Tandem collectum est parte interiore abscessum latere, qui nisi aperiretur, mortem repentinam esset accersiturus: contra multorum opinionem ea parte sepricum admovetur: actis aliqua ex parte caniculis, pus manavit multum, miraculo convaluit.

OBSERVATIO XXXII.

Palpitatio cordis à corruptione omnium viscerum, ventriculo intus viridi, in quo materia cineritia, Pulmonibus flaccidis exulceratis, Corde livido, in quo cruor niger, &c.

JUvenis ab amico exceptus, domum redux, post exacerbatum capitis dolorem, evomuit, palpitationes cordis, convulsiones, &c. sequuntur; sequenti die subito moritur. Omnia vi cera principaliora corrupta inventa; ventriculus intus coloris viridis, in quo materia quædam cineritia: Intestina gangrænosa, flatibus turgida, & vermibus dimidii cubiti scatentia. Pulmones hinc inde ulcerati: Cor lividum, contractum, & cruore quodam nigro repletum, &c. *Vide Tit. de Dol. capitis.*

OBSER-

Observatio XXXIII.

Palpitatio cordis à vitio Testiculi fœminei orta, &c.

Vidua D. N. asthmate, febre, &c. correpta, die 4. morbi accessit magna Palpitatio cordis, & in utroque hypochondrio, quæ fugax fuit, sed in corde permanebat, & instar mallei violenter percutiebat. In defuncta Testiculus sinister exigui ovi magnitudinem æquabat, colore nigricante, cujus substantia erat velut gangræna affecta, &c. *Vide Tit. de Pectoris dolore.*

Observatio XXXIV.

Cordis dolor à scirrhoso tumore, humore putrido referto, parieti ventriculi dextri affixo, cum defectu humoris in Pericardio.

Aperui 1. Octobris 1663. cadaver Nob. Matronæ Dom. de Traytorrens, adstite Clar. D. Rillieto D. M. Hæc multoties advocavit me, obnixe rogans novacula pectus aperirem, ob cordis singularem molestiam, quod sibi deficere singulis momentis conquerebatur, cum maximo *pectoris dolore.* Sperabat enim à pectoris reclusione ab insigni molestia liberationem; Affectus autem ille, ipsa affirmante, *afflixit per triennium.*

Aperto pectore deprehendi 1°. pericardium aqueo humore plane destitutum. 2. Cordis dextrum sinum omnino flaccidum & extenuatum, cui adhærebat tumor scirrhosus, durissimus, ovi gallinacei majoris molem exæquans: Qui dissectus in sui cavitate ostendit humorem putridum, summe fœtidum. 3. Pulmones plane putridos, costis affixos. Jecur quoque scirrhosum erat. *Ex communicatione Mag. Ioh. Lamont. Chirurgi Genev. peritissimi.*

Afflixit per triennium) Galenus explicans Hippocr. oraculum 2. aphor. 41. Eos qui absque causa animo linquuntur, repente mori, Non tantum de syncope intelligendum vult, verum etiam de palpitatione. Revera repente mori consueverunt qui frequenter incurrunt hæc symptomata, ob essentialem cordi affectionem. Hæc matrona etsi per triennium molestiam hanc tulerit, mors tamen repentina fuit, tum ab intercepto sanguinis commeatu, tum à vapore putri cor feriente spiritusque dissipante.

Tumor scirrhosus) Non ablegandi à corde tumores duri, quorum mentionem facit *Ioubertus* in suis annotationibus ad Guidonem de vulneribus: Ex Benivenii, *ait*, & aliorum, cui meam quoque addo, experientia constat, aliquando in cadaveribus apertis repertos esse tumores frigidos in corde, qui sensim & paulatim marasmum induxerant: certum est cor diu posse ejusmodi tumores frigidos tolerare.

Observatio XXXV.

Cordis dolor à Calculo in ejus sinu dextro contento, &c.

§. 1. Rarissimum est in cordis cavitate calculum generari, Exemplum tamen vidi in honesti cujusdam civis filia, quæ antea frequenter *hæmorrhagiæ* obnoxia, ac proinde cachexia fere consumpta, in *febrem biliosam continuam* incidit. Succedit pervigilia, dolor capitis, *intumescentia ventris*, *Cardialgia* frequens; fit *Pulsus intermissus*, *convulsiones prehendunt* ἀσφυξία tandem totalis adest, fluxu alvi symptomatico succedente. Prognostico facto, roborantibus tantum naturæ suppetias ferre conati sumus, imprimis tunc temporis ubi exacerbatio καρδιαλγίας vehementissima affligebat; quam admodum leniebat chrysolithus præparatus, cum lap. bezoar. magist. perlarum, &c. Hoc sæpius adhibito non tantum ad miraculum vehemens dolor cordis remisit, sed rediit etiam appetitus cum somno moderato: vires vicissim colliguntur quadamtenus: Pulsus, qui per octiduum fere nullus, jam vermiculans, post intermissus redditur: Sed plenaria restitutione gravius erat malum, ob incipientem hydropem: qua de causa virium recollectio diuturnior esse non potuit, ideoque paulo post naturæ debitum solvit.

Post mortem aperitur; Abdomen ichore fœtido repletum, Omentum putrefactum, Lien & Hepar scirrho laborabant. Pulmones pleuræ adnati, cum Capsula cordis, in qua humor putridus: Cor duplo majus, bubulum referens, inveniuntur. Quodque notatu dignum, circa valvulas dextri ventriculi Calculus ex tartaro concretus, instar minoris castaneæ nucis compressioris, membranosæ valvularum substantiæ adnatus conspicitur, vehementioris καρδιαλγίας proculdubio causa proxima. *Gregor. Horstius lib. 4. Tom. 2. observat. 47.*

§. 2. Puella undecim annos nata vehementer de anxietate & angustia quadam circa Cordis regionem querebatur. Ubi mors doloribus eam liberaverat, curiose in causam horum & mortis inquirens, reperi in Corde lapillum, ponderis granorum XIV. colore autem & reliquo habitu referentem perfectissime eum quem ex India apportant, & Bezoarticum dicunt. *Theod. Kerkringius Observat. Anatom. 78.*

OBSERVATIO XXXVI.

Cordis dolor à frustulo nigrioris carnis in cordis sinistro sinu contento.

Mulier cordis dolore vexabatur, qui tandem eam è medio sustulit. Frustulum nigrioris carnis in cordis sinistro ventriculo repertum est. *Vide Tit. de Syncope.*

OBSERVATIO XXXVII.

Cordis dolor ab ulcere in eo excitatus.

Puella annos XIV. nata non poterat in sinistrum latus decumbere, quin statim cardialgia & tussi corriperetur. Dissecto cadavere, Cor albicans visum est, & media fere sui parte, quæ diaphragma respicit, exesum atque exulceratum. *Tit. de Hæmoptysi.*

OBSERVATIO XXXVIII.

Cordis compressivus dolor ob pericardium pure scatens.

Jacobus Ruanus, plaustri fœno onusti ruinam in se passus, de pectoris dolore, nec non de quadam cordis compressione conquestus est. Pericardium scatebat pure sanioso, cui velut immersum cor magna sui parte, ad utramque potissimum auriculam visebatur. *Vide tit. de Pectoris dolore.*

OBSERVATIO XXXIX.

Cordis ardor perpetuus in quodam cui cor pilosum, & truncus aortæ descendentis circa diaphragma osseus.

Nob Juvenis pugnacissimus per plures annos de ardore cordis & dorsi dolore conquerebatur. Huic cor undequaque pilosum; Et truncus aortæ descendens, circa septum transversum, ad minimi digiti longitudinem totus erat osseus. *Vide l. 4. in miscellaneis.*

OBSERVATIO XL.

Cordis Tremor ab osseo corpore in eo contento.

In quodam diuturno Cordis Tremore è medio sublato, osseum quid vel cartilagineum in corde deprehensum fuisse intellexi. *Platerus de Functionum læsionibus. cap. xi.*

Tremor cordis affectus à Palpitatione ejus distinctus, imo diversus existit: In eo namque ipsius fibræ carneæ sive motrices per se affici, nec prout in altero isto pathemate, causa morbifica in sanguine aut in arteriis cardiacis consistit. Cordis Tremor optime describi potest, quod sit carnium ejus convulsio spasmodica, seu potius trepidatio, qua nempe fibræ motrices celerrime, & tantum semicontractæ systolæ & diastolæ vices ocyssimas, verum abruptas & quasi dimidiatas efficiunt, proinde ut sanguis per minutissimas tantum portiones, tum cordis sinubus inferri, tum ex iis efferri possit. Quandoquidem hæc affectio sit musculi cujusdam, scil. cordis motus convulsivus, ad pleniorem hujus notitiam huc referri deberent quæ alibi de motu musculari, itemque de pathematis convulsivis disseruimus, Ne plura repetendo tædio fuerim, verbo tantum adnotetur unumquemque musculum duobus Tendinibus & ventre carneo constare: atque contractionem inde peragi quatenus spiritus animales è fibris utrisque tendinosis in carneas prosiliunt, quas dum inflant & intumefaciunt, propterea decurtant & contractivas reddunt: motu autem finito, spiritus in tendines redeunt & fibræ carneæ laxantur. Cùm functio motiva sit duplex, scil. *spontanea & mere naturalis*, In priore advertimus spiritus è teudinibus in fibras carneas, per appetitus imperium evocari, atque intra has in actione manere, donec illius nutu dimittuntur, deinde vero in tendines reversos quiescere, donec rursus foras jubeantur, hinc ut illorum motus & quietis tempora sint inæqualia, incerta & pro libitu nostro varie determinanda: In functione mere *Naturali* multo secus habet quippe spiritus animales è tendinibus in carnes perpetua vice, sive constanti reciprocatione efferuntur, & contractione brevi facta, mox ex his in illos resiliunt, ac ita vicissim: ad quem modum cor ipsum, arteriæ & respirationis organa, quinimo ventriculi & intestinorum fibræ carneæ, nisi propter objecta sua alias determinentur, per systolas & diastolas perennes agitantur.

Juxta hos ritus ordinarios, functionis utriusque motivæ munia peraguntur: quæ tamen juxta quod spiritus animales, motuum istorum executores varie afficiuntur, diversimode pervetti aut perturbari solent: Enimvero satis manifesto liquet motus cujusque contractivi, à quocunque musculo obeundi, instinctum à Cerebello aut cerebello, juxta appetitus jussum, juxta naturæ indigentiam per nervos convehi, vid. spiritus animales intra horum ductus scatentes, juxta impressionem à capite traditam exciti,

exciti, ac in tota ſerie commoti, mox alios tendinum incolas exſuſcitant, inque motus analogos cient, pari fere modo acſi quiſquam pulveris pyrii acervos per funem ignarium ad diſtans accenderet: Quamdiu igitur ſpiritus iſti tum in principio, viz. intra ἐγκεφάλῳ, tum in via, ſcil. ductibus nerveis, tum in fine, vid. intra tendines conſiti, recte ac ordinatim habent, motus cujuſque ab Anima aut Natura requiſiti inſtinctum illi formant, iſti convehunt, atque hi demum exequuntur: Sin vero ſpiritus ad functionem motivam deſtinati, intra quamvis ditionem, præternaturaliter affecti in ἀταξίας redigantur, propterea ſtatim in membris, aut muſculis reſpectivis motus convulſivi excitantur. Quo ritu ob cauſam morbificam, juxta originem nervoſam in capite; quo item propter eam alibi intra ductus nerveos conſitam, membrorum, aut viſcerum, aut præcordiorum affectiones ſpaſmodicæ exoriri ſolent alibi ſatis fuſe declaravimus; vid. in quantum ſpiritus intra nervos ſcatentes, à cauſa quadam p. n. & vehementi excitati, ac velut œſtro quodam perciti, dum in has aut illas partes irruunt, motuum ciendorum ſigna injuſta & falſa deferunt, neceſſe erit in his vel illis muſculis aut membranis, contractiones aut diſtenſiones violentas ac convulſivas acцieri, Varias hujuſmodi affectuum ſpecies & rationes formales in Spaſmologia clare deſignavimus. At vero quod illic prætermiſſum, atque ad rem propoſitam ſpectat, nunc inſuper advertimus dari alia Spaſmorum genera, quæ ſine præſenti, aut magno τῦ ἐγκεφάλυ aut nervorum vitio; ob ſpiritus animales ipſorum tendinum incolas potiſſimum, ac fere tantum in culpa exiſtentes, oriuntur.

Affectionis hujuſmodi ſingularis & velut privatæ, duæ ſpecies obſervandæ occurrunt: una ſatis vulgo nota eſt, in qua ſpiritus injuſſi ſæpe è tendinibus proſiliunt, atque fibras carneas valde ac moleſte inſtantes non ſtatim aut facile recedunt. Altera, licet minus notabilis, tamen frequenter occurrit, in qua ſcil. ſpiritus muſculares, neque intra tendines, neque intra carnes diu permanere poſſunt, verum ſumme irrequieti, ex his in illos & viceverſa, appetitu vel natura invitis, excurſus recurſuſque ſuos valde crebros, ſed debiles uſque & inordinatos faciunt. Super his affectibus ſpaſmodicis (quoniam à Medicis plerisque fere intacti manent) eorumque notitia ad cardiacæ paſſionis naturam & cauſas rite explicandas plurimum facit] operæ pretium hic duco, quamvis extra rem propoſitam, & quaſi in diverticulo pauca ſubjungere.

Prior iſte affectus (qui proprie τέτανος atque Idiomate tum noſtro tum Gallico *la Crampe* appellari ſolet) plerumque exoritur in quantum ſpiritus animales injuſſi, è tendinibus, ſcil aut uno, aut ſimul utroque, in muſculi ventrem ſponte proſiliunt, unde pro more ſolito mox regredi volunt, Verum diutius intra carnes manentes eas valde inflant & ſumme contractivas reddunt, dein ſi quidem alii muſculi hiſce neque cedunt, neque in contractione conſpirant, pars rigida & cum ſummo dolore intenſa evadit. Hujus cauſa eſt materies quædam heterogenea & ἀσύμμετρος, quæ per ductus nerveos uno cum ſucco eorum in muſculos deſcendens, & ſpiritibus cohærens eoſdem elaſticos ſimulque obſtinatos reddit, proinde ut intra fibras tendineas contineri nequeant, ſed ſpatia ampliora deſiderantes, in carnes excurrant, ibidemque, donec deferbuit eorum tumor, permaneant.

Ad poſteriorem iſtam motus convulſivi ſpeciem proprie ſpectat *Paſſio ſive Tremor Cordis*: Porro ad hunc cenſum referri debet Affectus ſatis vulgo notus & pleriſque familiaris; Nempe ut interdum muſculi cujuſdam privati, puta in Labro, Genu, Labris aliiſque membris, ſubſultum ſive Trepidationes valde crebras & æquales pariantur, quæ forſan poſtquam per duo aut tria minuta perduraverint, ſponte ceſſariat. Non ita pridem per literas, è Gallia huc miſſas, conſulebar pro Viro quodam Illuſtri, cujus muſculos omnes in toto corpore ejuſmodi ſubſultus ſeu veluti trepidationes fere perpetim exercebant; adeo ut carnes exteriores ubique exilientes ipſius cords vibrationes ſive pulſus ad amuſſim æmularentur.

Hujuſmodi affectuum, uti & Tremoris Cordis, ratio formalis in eo conſiſtere videtur, quod ſpiritus animales ad muſculos quoſdam pertinentes, irrequieti, ac velut œſtro perciti, è tendinibus continue in carnes proſiliant redeántque, adeoque perpetua vice excurſus ſuos recurſuſque iterent: interea cum exiguis tantum copiis afferantur, ut fibras carneas haud plene inflent, in iiſque minimo tantum ſpatio morentur, nixus motivos, creberrimos licet, tamen nonniſi debiles & valde minutos edunt; in tantum ſcil. ut membra & artus à muſculis ita perpetuo agitatis, haud loco moveantur, & cor, durante tremore ejus, utut celeriter concuſſum, tamen vix & ne vix ſanguinem circumpellere queat, uti plane conſtat ex pulſu parvo ac velut tremulo, atque virium omnium fatiſcentia.

Quod ſpectat ad pathematum iſtorum cauſas, vid. conjunctam & procatarcticam, à quibus nempe ſpiritus muſculares ita inhabiles fiunt, ſive vim iſtam deſultoriam acquirunt, videtur quod materies quædam hæterogenea & elaſtica, cerebrum & ductus nerveos trangreſſa, demum in muſculos eorumque fines tendinoſos defertur, ubi ſpiritibus ſubinde accreſcens; eos irritet valde ac velut œſtro quodam afficiat, proinde ut nullibi conſiſtant, verum huc illuc continue diſcurrant, atque interim penſa debita aut omittant aut non ſtrenue præſtent.

Tremoris cardiaci cauſa communiter in Lienem rejicitur, Etenim vulgo ſupponitur ab hoc viſcere obſtructo, aut alias perperam habente, vapores tetros ad cor elevari, qui ipſum ferientes, adeo concuti & trepidare cogunt; imo velut quodam rigore afficiunt: Opinioni huic fides, aut ſaltem probabilitas inde adſtruitur, quod hypochondriaci huic paſſioni cardiacæ obnoxii reperiuntur: Qualis & quanta Lienis in præcordia ſit influentia olim declaravimus. Ex dictis ſatis liquet ſententiam iſtam, receptiſſimum licet, de corde à vaporibus affecto erroneam eſſe. Quod autem pro Lienoſis, etiam hyſtericis vulgo habiti, Tremore cordis ita paſſi infeſtantur; in cauſa eſt magna iſta affinitas; ac intima communicatio quam nervi ſplanchnici cum cardiacis habent, adeo ut non ſolum partis unius affectio alteram facile in conſenſum trahat, verum quando materies ſpaſmodica nervorum ramos ad lienem aut viſcera imi ventris pertinentes inſederit;

raro abest quin eadem pariter nervos ad præcordia spectantes occuparit.

Quod spectat ad Therapias rationem, quandoquidem hæc affectio sit mere spasmodica, idcirco remedia non cardiaca, quin potius cephalica aut νευρικὰ indicantur: ut rem paucis comprehendam, in morbo isto tria remediorum genera maxime proficua esse solent testacea, chalybeata & sale volatili prædita, &c. *Willis Pharm. Ration. p. 270. ad 275.*

Ex prædicta doctrina constat, quem hic vocat Clar. Platerus Tremorem cordis, Palpitationem fuisse, quandoquidem Cor proprio affectu laboravit, ob præsentiam scil. ossei cujusdam aut cartilaginei corporis in ejus substantia. Atque hanc palpitationis speciem pertinere ad vasorum cordis appensorum vitium: Vide Scholia supra ex eodem. *Willisio.*

Observatio XLI.

Cordis tremor à Pericardii inflammatione.

Quidam acuta febre prehensus est cum thoracis incendio, Syncope, cordis Tremore, &c. Sectio palam fecit adfuisse Pericardii inflammationem: *Vide tit. de Pectoris dolore.*

Si tumor aut abscessus cor aut pericardium occupat, semper inæqualem & inordinatum deprehenderis pulsum, cum respiratione difficili: Si calidus tumor fuerit, necessario febris adest lethalissima, quia experientiâ didici cum inflammatio totum invadit Cor, non poterit transire naturalem diem, Lictor febre acuta prehensus intra 22. horas exspiravit: Cor illius erat duplo majus quam in sanis, cum venis tumentibus & inflatis ad digiti crassitiem. Potest fieri ut citra mortis discrimen, aliquando infestetur cor inflammatione pericardii & exigua; id quod ulcera & abscessus manifestum faciunt, Totum autem cor sustinere inflammationem diutius nulla ratione potest, *Saxonia.* Inflammationem autem sequitur purulentæ materiæ collectio, Hujus in pericardio existentis signa sunt febris acuta, cum dolore circa partes thoracis: Hac enim cessante, si subsequatur palpitatio, longoque perduret tempore, si patiens contabescat sine manifesta causa, suspicandum ad suppurationem pervenisse inflammationem, abscessum disruptum, purisque ibi factam collectionem. *Idem.*

Observatio XLII.

Cordis tremor à seri è capite illapsu in nervum Cordis.

Adolescens non potuit in lecto decumbere supinus, nec caput vel minimum inclinare, quin illico cordis Tremor sequeretur. Cranio aperto, seri copia intra omnes ventriculos fluitabat, qui dum capite reclinato in quartum ventriculum, supra medullæ oblongaræ caudicem prolaberetur, in nervos sexti paris irruens, dictum Tremorem faciebat, &c. *Vide Tit. de Syncope.*

Si ex cerebro ortum ducat Palpitatio cordis, *ait Saxonia Prælect.* Pract. part 2. cap. 1. §. 6. indicia non deerunt laborantis cerebri, melancholia, vel epilepsia: Notandum duntaxat monet Palpitationem aliquando fieri ex solo nervorum vitio, nulla apparente læsione in cerebro, thorace, musculis. Quod observavit in Fratre, quem solo theriacæ usu, principio spinalis medullæ adhibitæ, in integrum restituit.

Cordis Palpitationem, hypochondriaca affectione laborantibus familiarem motum convulsivum censet *Sylvius de le Boë* Append. Tract. 7. §. 150. atque à cerebro illius originem deducir, Cordis, *inquit*, Palpitatio motus est cordis inordinatus & pene convulsivus, quod vel inde patet quod in dicta affectione hypoch. graviore existente non raro cum cordis palpit. observetur aliarum quoque partium, artuum præsertim, nunc superiorum nunc inferiorum motus convulsivus; cum cordis palpitatione in suo motu inordinato conveniens, & cum ipsa fere incipiens ac desinens, uti in ægris quibusdam cum admiratione observavi: Accidit autem hæc cordis Palpitatio, sive motus convulsivus, ab inordinato spirituum animalium in cordis musculos motu, non tam ob irritationem ab acri bile ortam, quam ob halitus eosdem vitiosos ad caput vel cum sanguine vel seorsim assurgentes, atque spiritibus animalibus mistos, in quibus ad inordinatum & turbatum motum coguntur, & cum ipsis spiritibus ipsi quoque musculi vel cordis tantum, vel aliarum insuper partium.

Observatio XLIII.

Cor in dextro latere pulsans, eo depulsum ab abscessu in sinistro thorace contento.

§. 1. Puellus x. mensium tabidus obiit: ante obitum cor in dextro latere pulsans manifeste percipiebatur. In summa thoracis sinistri parte deprehensus abscessus densissima tunica donatus qui magnitudine sua mediastinum, pericardium & cor in adversam partem depulerat. *Vide Tit. de Phthisi.*

§. 2. Nobilis melancholia affectus proprio se confodit Gladio: Vulnus sanatum, &c. Vulnus per pulmones & diaphragma penetraverat, ventriculus totus ascenderat in sinistrum thoracis latus, & cor cum capsula de sede sua depulerat in dextrum latus, ubi vivus observari cordis pulsum jubebat. *Vide l. 3. Tit. de vomitu.*

ADDITA-

ADDITAMENTA.

OBSERVATIO I.

Palpitatio cordis in scorbuticis pendet à Polypis cordis.

CUm plurimorum scorbuto defunctorum ante biennium vel triennium, tum in Nosodochio dicto *l'Hôtel Dieu*, tum in eo quod à Sancto Ludovico nomen obtinet, dissectioni præfuerim, id semper observavi ipsos semper gestasse sanguinis concreti frusta insignia, aut in cordis ventriculis, aut saltem in majoribus vasis per universum corpus sparsis. *Ioh. Baptista Denisius Consiliarius & Medicus Regis ordinarius, in Ephemeridibus Eruditorum.*

ASserit Dom. *Charleton* palpitationes cordis frequentes scorbuticis obtingentes ea de causa tantum fieri, quod sanguis dum in circuitu cor adit, succum acidum secum convehit, qui ejus fibras & membranas interiores vellicans, ipsum in motus ejusmodi enormes impellit. Revera consentaneè principiis à dicto D. *Charleton* constitutis, dicere licet succum acidum massam sanguineam scorbuticorum inficientem, particulam hujus coagulandi vim obtinere & fixiorem reddendi, qui sanguis sic dispositus post modum ad cor delatus, in ejus ventriculis concrescit, circulationemque, orificia arteriarum obstruendo inhibet; quâ de causa cor cum nixu agitatur, conatusque, quo se extricet à materia functiones inhibente, suffocationisque summum periculum invehente adhibet; Revera si sat vegetum sit cor, sufficientique calore naturali donatum ad dissolutionem ejusmodi materiæ, ejusque extra ventriculos expulsionem, interitus palpitationes illas non subsequitur, quemadmodum contingere solet, cum præ nimia debilitate dominium in illa corpora non obtinet: Dicta explicatio experientiæ admodum consona est, nam 1°. nemini non notum Acidi proprium effectum esse concretionem; lac. v. g. coagulatur injecto succo mali citrii, aceto omphacio aliisque rebus acidis; Imo testes sumus universam animalis alicujus sanguinis massam concrescere injecta per siphonem stagmatis vitrioli in ejus venas parva quantitate. 2. Si omnium palpitatione cordis extinctorum cadavera aperirentur, imo absente omnino scorbuto, proculdubio in eorum cordibus sanguinis coagulati frusta reperirentur, quæ cum è cordis ventriculis in vasa commeare non potuerint, naturalis suffocatio contigit; Id à me sæpenumero observatum, quod plurimi tum Medici tum Chirurgi testimonio suo comprobaturi sunt, asserturi se idem obstaculum mecum reperiisse simili in casu *Ex iisdem Ephemeridibus.*

OBSERVATIO II.

Palpitatio Cordis ab Abscessu in Pulmonibus & seri copia in pericardio.

PEtrus Sermodus, annos XXIX. natus, obiit Genevæ circa Martii initium anni 1685. Per octiduum tantum decubuit, vehementi cordis palpitatione affectus, citra febrim magnam, tussim, dyspnœam; summas genas rubor occupabat per valetudinem: Quod citra magna symptomata longumque decubitum interierit, suspicio veneni incidit; ideòque dissectus.

Pulmones per totum nigri reperti sunt, quasi gangræna affecti: Novacula admota, pus plurimum effluxit, totam pulmonum cavitatem interiorem occupans: In pericardio aquæ copia. *Ex communicatione Mag. Benjamin Noel, Chirurgi, & Cadaverum visitatoris Iurati.*

OBSERVATIO III.

Cordis palpitatio à corpore cartilaginoso venam pulmonalem propè occludente &c.

ANnorum circiter 20. homo, corpore, gracili ac teneri, per aliquot annos cordis palpitationem passus est, quæ adeò violenta fuit ut costæ extra locum protruderentur, imò tumor à vehementi palpitatione, in sinistro pectoris latere manifestè videbatur, In carpis pulsus remissus satis. Se quietum tenere cogebatur, nam ad quemvis motum paulo celeriorem anhelus fiebat, & cum animi deliquio palpitatio augebatur. Tandem post crebras Lipothymias, ac paroxysmi exacerbationes vehementiores; cum manuum ac pedum infrigidatione, mors, quâ nihil exorabilius, colophonem imposuit.

Dissecto Thorace, Cor tumefactum erat, præsertim dextra cavitas, quæ & sanguine coagulato non tantùm tumuit, ast carnosum latus magis carnosum & crassum, quàm solet, fuit. Arteria & vena pulmonalis coagulato cruore distendebantur, vena autem sinistrum cordis ventriculum ingressura interiùs cartilaginosa substantia ferè claudebatur, adeò ut vix aciculam crassam admitteret.

Causa hujus Palpitationis manifesta est, omne enim malum ab occlusione venæ pulmona-lis

lis dependebat. Cùm enim sanguini per sinistram cordis cavitatem liber transitus non pateſcit, in cordis ventriculo dextro, ac pulmonibus, eorumque vasis certè stagnare cogitur, & per consequens novimus sanguinem stagnantem coagulari; hinc sanguis grumosus & coagulatus ortum habuit, imo & cordis vasorumque pulmonalium intumefactio, præsertim dextri ventriculi; qui & magis musculare, crassum & robustum erat, quia occludente vena pulmonali, fibræ cavitatis dextræ ea fortiùs sanguinem in pulmones propellere debuerint; hinc vis istarum fibrarum aucta fuit, & fibræ magis magisque distentæ; ut illi qui à juventute continuis laboribus assuescunt, robustiores & magis torosi fiunt, quàm qui delicatiori vitâ fruuntur.

Facilè quoque percipimus, quare cor tam vehementer costis allidebatur, ac costæ extrorsum protruderentur, hoc quippe factum fuit à motu cordis fortissimo, nam cùm sanguis venam pulmonalem subire non poterat, motus quasi duplicabatur, quia sanguis se reflectere cogebatur.

Ad quemvis motum concitatiorem anhelus fiebat, ex eo quòd sanguis tunc celeriori motu per pulmones concitatus, ibidem gradum progressionis sistebat: atqui hoc modo impletis à sanguine stagnante pulmonibus aëris introitus excludebatur, & anhelus fieri coactus fuit.

Arteriarum pulsatio in manuum carpis admodum remissa fuit, non mirum, nam ex cordis sinistro thalamo paucum sanguinis exibat, unde & succi cerebrales pauca in quantitate in cerebri glandulosa parte segregabantur, qui & elater pulsuum, omniumque actionum humano corpore sunt.

Morte randem appropinquante, sanguis ferè in pulmonibus fixus stagnabat, quare & partium externarum frigus oriebatur, nec non lipothymia crebra. *Stephan. Blancard. in Anatomia Practica.*

Similem ferè observationem anno 1683. medio Decembr. hic Amstelodami, præsentibus Freder. Ruisch, van Seil, van Tongeren, aliisque Doctoribus & Philanatomicis, habuimus.

Vir, nisi fallor, 30. annorum, cum vivebat, quotidie de tussi cum anhelatione pectoris, ac gravitate circa hepatis regionem querebatur: ac à motu corporis celeri in cordis Palpitationem incidebat, quæ postea sensim cessabat. Aliquot diebus ante obitum crebras lipothymias pariebatur.

Thorace dissecto, aliquot libris lymphæ, recenter ex vasculis lymphaticis effusæ, pectoris cavitas repleta erat. Cor duplo majus quàm solet. Arteria magna unà cum valvulis circa cor, osseam, seu potiùs petrosam duritiem acquisiverat, & tam arctè occlusa, ut vix crassiusculæ articulæ glandem admitteret. Hepar planè schirrhosum fuit.

Per angustatam & penitus fere concretam arteriam, tanta sanguinis copia eam pertransire nequibat, quàm quidem decuit: ideoque in ipso corde stagnare, ac motu suo reflecti cogebatur, unde jugis cordis palpitatio, ejusque laterum dilatatio, & magnitudo solitam peripheriam superans. Cùm porrò sanguis nec pulmones liberè pertransire poterat, lymphatica vascula adeò premebantur & coarctabantur, aut ruptis vasculis lympha in pectoris cavitatem effueret.

Sanguis interim & cor pulmones subire impotens factus, in ipso hepate, à quo ad cor magna quantitate solet ascendere, morari nimis coactus fuit, ac interim ex mora diuturna in eodem coagulatus fuit & corruptus, unde circa cordis regionem dolor gravativus. Cætera viscera satis sana erant, quia à sanguine minùs lædi poterat. *Idem ibidem.*

Civis quidam quinquagenarius de dolore continuo capitis & circa scapulæ dextræ regionem queritur, imò de tussi, Palpitatione cordis, atque his aliquot mensibus vexatus fuit.

Aperto cadavere, hepar erat scirrhosum, lien ex obstructione solito major Pectus humore lymphatico plenum fuit, pulmonis dextra pars ferè assumpta & sinistra magnopere inflammata. Pericardium haud mediocriter dilatatum puris & saniosi sanguinis ultra quatuor libras continebat. Cor læsum non erat, nisi superficie tenus.

Ex hepatis scirrho & lienis intumescentia, pulmonisque dextri consumptione, liquet, liquores per universum corpus circulari ductu liberè vehi impotentes, in iis visceribus moram contraxisse: ex mora corruptio, inflammatio, dolor, tussis, cæteraque symptomata. Prima humanæ sapientiæ laus est valde similia posse distinguere. Quis Apollo Hydrocardiam divinaret? Est procul à nobis sæpe præsentia veri.

Post mortui cadaveris ἐπίσκεψιν pectus & pericardium, ex ruptis ab obstructione lymphaticis, lympha corrupta plenum. Æger cùm in vivis esset, de destillatione frigida ad latera colli in pectus querebatur. Num ex cerebro, de cujus dolore molestabatur, per membranarum intercapedines, liquor ibi restitans in pulmones & pericardium descenderit, nec ne, dubium, cùm viæ non patebant? Fortasse leves nervorum convulsiones fuerunt.

Humores in Pericardio collecti, suâ acrimoniâ ipsum cor affecerunt, unde sæpe in Palpitationem incidit; imò ob copiam collecti in Pericardio humoris, cordis latera adeò compressa,

san-

sanguinem dimittere non potuerunt, quod sæpe fit, cùm sanguini liber transitus per cordis thalamos denegatur. Nunquam quis in Palpitationem incidit, nisi in corde, vel circa ipsum, obstaculum sit; quod ex inspectis cadaveribus semper manifestum est, *Idem ibidem.*

Vir nobilis post naufragii terrorem queritur de Palpitatione cordis, ipsum ab aliquot diebus infestante: pulsus ei continuò inæqualis. Cùm hoc symptoma diu perseveraverat in difficultatem spirandi incidit. Postea omnibus in pejus ruentibus, pulsus in carpo nullus; at supra regionem cordis frequens, debilis admodum & inæqualis. Crura & pedes inflati. Ante mortem sanguinem nigerrimum & crassum ac glomeratum excreebat. Æger, ad extrema redactus moritur.

Visceribus perscrutatis, cordis uterque thalamus concreto sanguine distentus, imò ipsi pulmones plurimos sanguine referti, in sinistra cordis cavitate, carunculæ satis magnæ inventæ substantiam pulmonum æmulantes, quæ arteriam magnam obstruebant.

Post terrorem sæpe coagulatur sanguis, qui in pulmonibus & corde hærens ejusmodi symptomata concitat. *Idem ibidem.*

Quidam à tribus annis in palpitationem cordis incidit, quæ cùm nimium laborando fatigasset, magis exacerbatur.

Post obitum in aorta supra valvulas semilunares tria corpuscula membranis tecta, invicemque unita, inventa, quibus sanguinis exitus præcludebatur. Ad ejusdem arteriæ ex corde exitum osseum quid longitudine transversi digiti repertum. *Idem ibidem.*

In Virgine præter propter quinquagenaria post absolutam vigintiquatuor horarum ἀσφυξίαν extincta, polypos grandiores in corde multo ampliore, quàm illud quod tanquam stupendæ magnitudinis depingit Kerkringius in Spicileg. sui Anatom. observ. 16. invenimus. Polyporum autem illorum alter auriculam cordis dextram lato & crasso principio propè opplens, contractior sensim factus in ventriculum dextrum descendebat; ejusque infimæ parti per sui extremitatem affigebatur, unde quasi revolutus in amplum abibat corpus, quod polypi velut alter truncus, postquam totam prædicti ventriculi longitudinem decurrisset, per varias venæ arteriosæ ramificationes aliquantulum divagabatur. Alter polypus è pluribus radicibus, in ventriculi cordis sinistri, tum fundo, tum parietibus, positis, ortus, duos propè digitos eâ sui parte quâ ventriculum occupabat, latus, dimidium crassus, circa prædicti ventriculi exitum multum contrahebatur, & in aortam ascendebat. Prioris substantia firmior glandulosum quid, fibris variis quasi nerveis intertextum exhibebat; in cujus medio per totam longitudinem vas sanguineum visebatur. Posterioris verò substantia è fibris quasi sanguineis glutine quopiam albo infarctis, compaginata erat. De his, ut & de Polyporum generatione plura vide in *Bibliotheca nostr. Anatom. Parte 2.*

ANATOMIÆ PRACTICÆ

LIBRI SECUNDI

SECTIO IX.

De Pulsibus præternaturalibus.

Observatio I.

Pulsus exilis, Asphyxia à callo in magnâ arteria oborto.

CALLUM cuidam in arteria magna, loco cordi proxima observavimus: Multis hic annis cordis palpitationi obnoxius fuerat: Sex verò ante mortem mensibus, in sinistro carpo Pulsum tam exiguum habuit, ut nullus frequenter appareret; ac sæpe sentiri non potuerit. *Dodonæus ad cap. 35. Benivenii de abditis.*

IN *sinistro carpo pulsum tam exiguum)* Circa pulsus diligentes & sedulos esse oportet: Magnum enim habent momentum ad therapiam & ad reliquas medicinæ partes: sed ad diagnosin prognosimque maxime. At qualis in sanitate Pulsus sit diligenter scire oportet, alioqui falli necesse est. Ac primum utriusque manus Pulsum contingens, diversus enim sæpe est, Et in multos incides; quibus alias dextræ arteriæ corpus profundius, alias sinistræ, & ita facile tactus judicium fallit: unde in febribus continuis vidimus aliquando dextræ arteriæ pulsum frequentem & humilem, sinistræ frequentem, magnum & elatum in omnem dimensionem: unus à remediis tentandis paulum revocat, alter remedium validissimum cla-

mat, Et id magni ponderis est: Nam si vitium conformationis ipsius arteriæ est causa, cur aut plenior majorve Pulsus appareat, aut minor & vacuus, quid hîc agas? quid consilii capias? Historia D. de Cetvenay hujus rei fidem faciet, cui Pulsus omnino erat dissimilis, Et quod unus dictitabat suadebatque, alter dissuadebat: Huc pertinet historia adducta à *Struthio* lib. de arte Sphygmica. Narrat de Joh. *Starchonio Veneto*, cui in febre continua erat ἀσφυξία: cœpit male ominari Medicus, cui erat incognitum Pulsus instrumentum: nam arteriæ exteriores profunde demersæ erant, & multa carne & adipe communitæ, ut contingenti manui non occurrerent, & tamen convaluit: Narrat & de quodam milite in Hungaria, cui semper deficiens erat Pulsus sine reciprocatione, at id ex vulneribus obtigerat: dissectæ enim fuerant in utraque manu arteriæ, quarum cicatrices supererant in medio cubito: Narrat & de *Sphasio* histrione, à natura facto fatuo, cui etiam bene corpore sano erant in pulsu omnium generum inæqualitates, Et falsè fatis respondit Medicus contrectans arteriam, & interrogatus, quid ei videretur de Pulsu; Talem esse ipsius histrionis pulsum quale foret ingeniū: Narrat & de Monacho cui Pulsus intermittebat quandiu vixit: Quo pertinet historia de juvene, qui dum ex morbo emergeret, suo pulsu internum trente Medicos tenuit, ignorantes id esse συγγενὲς Petro Conatio tumor tophaceus sub arteria ad os cubiti accreverat, vasa tendebat, proinde pulsus tensivus percipiebatur. Item & militi Turcæ in febre continua Pulsus erat ἄκροτος Febre liberato idem erat Pulsus, natura enim talis illi erat: Sed & admirabile illud de Comite Polono, cui ἀσφυξία fuit per 14. dies ante obitum: Ejus filio fuit tantum per diem unum: mirum fuit quomodo tamdiu ἄσφυκτος mansit. *Ballonius Epidem. & Ephem. lib. 2. p. 195.* In juvene capitis levi dolore correpto pulsus dexteræ manus rectè se habebat; sinister autem pessimus, omnique parte inordinatus erat, quem cum terigi, miratus sum, sed statim obstructionem alicujus materiæ circa arteriam axillarem esse, & ab ipsa confusionem spirituum vitalium fieri cognovi: non intra cavitatem thoracis, nam facile febris accensa fuisset, quod Pulsus dexter tectus non indicabat, non in brachio, nam facile visu aut tactu cognosci poterat; Et ecce vocatus Medicus quidam tangendo tantum sinistræ manus pulsum, deploratum me præsente judicavit: quo facto illum vocavi, & me rogante dexterum pulsum tangendo obstupuit: Sequenti die apostema sub axillæ glandulis, in cordis, ut ajunt, emunctoriis conspicuum fuit, subitoque Pulsus sinister ad naturalem statum pulsui dextero conformis rediit. *Dominicus Panarolus Pentec. ii. Observ. xxxii. D. Iacobus Mestrezatius* Pastor Ecclesiæ Tramelacensis in Ditione Principis Bruntutensis, adiit me anno 1662. passionibus hypochondriacis vexatus; potrectáque manu utraque Pulsum explorari voluit, quem cum nullum deprehenderem, ex subtidente vultu, errorem naturæ animadverti, nam nudato utroque brachio, manifeste micabant arteriæ in utraque cubiti flexura interna ἀσφυξίας autem integræ exemplum memorabile vidi in Nobiliss. Domino *Boulengerio*, Serenissimo *Principi Longavillano à secretis*, sexagenario, cui per totos dies xii. arteriæ carpi quieverunt, cum frigore totius corporis marmoreo; causa fuit meo judicio, gangræna intestini Ilei, obortta ex ejus in scroto incarceratione, quam deregere pudibundus noluit, Ex his & similibus exemplis, monente *Ballonio* Medicos circa Pulsus diligentes & sedulos esse oportet alias errori ansa dabitur. Naturæ item lusum nupertime vidi in Nob. & Clar. Dom. de *Harsy* Jurisconsulto, intima affinitate & amicitia conjuncto, cujus historia extat l. 3. Tit. de Ventr. Tumore. Illi arteria manus dextræ multo vehementius quam sinistræ pulsabat; Causā deprehendi bifurcationem arteriæ dextræ, cujus ramus medius inter carpi exteriore sedem incedebat, & interiorem versus pollicem, ubi micare percipiebatur. Vide similem naturæ παρέκβασιν apud *Tulpium* lib. 3. cap. 45.

In magna Arteria) Quandoquidem affectus quosdam ab arteriis potius quam à corde affecto procedere possumus, propter vasa istæc irregulariter contracta, operæ pretium erit tum arteriarum in genere tum præcipue illatum quæ cordi immediatius appenduntur descriptionem Anatomicam, unà cum usibus & muniis brevem subjungere; idque potius qnia Medici recentiores soli fere cordi, quatenus musculus est, totus circuitus sanguinei negotium attribuentes, circa arterias patum sollicitì fuere *Galen.* 7. adminanar. c. 5. dicit quod unaquæque Arteria constet duplici tunica, quibus possunt addi tertia & quarta. Et 3. de fac. nat. c. 11. dicit, Quod arteriæ habent tunicas sicut ventriculus, & quod interior tunica habet fibras longas & obliquas, exterior transversales: Quam congruenter ad hæc observationi nostræ Anatomicæ res constitit, paucis exponam.

Pro ἐγχειρήσει hac rite instituenda, sumatur Arteriæ magnæ homini aut bovi exemptæ portio, quæ bacillo (quo extensa servetur) superinducta, aquæ ferventi aliquoties immergatur; ut tunicæ & fibræ nonnihil contractæ & tumidiores factæ melius dignosci & ab invicem divelli possint: Tum separatione per cultellum facta tunicæ quatuor distinctæ apparebunt: Harum extima tenuis & nervea, pro totius vasis integumento inserviens, exterius multas propagines nerveas, huc illuc varie perreptantes habet: In superficie vero interiore, vasorum omnis generis, ac præcipue sanguineorum, textura quasi retiformi & densissima per totum obducitur. Arteriæ primo à vasis coronariis, & deinceps ex Aortæ trunco, ejusque ramis ubique ascendentes, in hac tunica, cum venis è cava ejusque ramis pariter emissis, ramificantur: Porro propagines nerveæ occurrentes varie complicantur, adeoque ex omnibus intertextis quoddam quasi reticulum, ubique tubum arteriosum obducens, constituitur: è quo surculi perexiles vasorum cujusque generis in reliquas arteriæ magnæ tunicas substratas exporriguntur: 2. Tunicæ huic retiformi, altera glandulosa succedit, seu potius huic superpositæ ista intime cohæret; Membrana hæc Glandulis perexiguis & albicantibus per totum consita, pari modo habet ac ventriculi ac intestinorum tunica interior glādulosa, crustæ villosæ substrata: à cujus item tergo plexus vasorū retiformis ubique disponitur.

3. Tertio in loco habetur tunica Muscularis, sive Fibrata, vid. à fibris transversis sive annularibus densissime accumularis contexta: Hæ fibræ carneæ & mottices, tubum arteriosum cingentes, haud serie tenui & singulari, prout in tunica venosa struuntur, verum aggerie quadam,

dam, aliæ super alias stratæ, pellem valde crassam constituunt: Earum strues, sive ordines, in Arteria semicocta facillime separari & ab invicem divelli possunt, quæ pariter omnino (ac sunt istæ ventriculi & intestinorum à nobis descriptæ) carneæ ac motrices videntur. 4. Arteriæ tunica quarta ac interior, cavitatem ejus investiens & tunicam substratam obducens, tenuis & fere tantum membranacea est: Fibrillæ ejus nerveæ in longum protensæ, fibras annulares ad rectos angulos secant, & videtur quod hæ sunt fibræ istæ rectæ quarum mentio à Galeno & aliis facta est: Quas autem prædicant obliquas, tantum imaginarias fuisse reor, quoniam eas nullibi in hoc vase reperire datur; Constat vero errorem istum Medicis quibusdam familiarem fuisse, nempe ut visceribus plerisque & partibus membranaceis assignarent fibras rectas, transversas, & obliquas, ex falso supposito quod unicuique istorum facultas attractrix, retentrix & expultrix inesset, quodque tria hæc munia fibræ trium istorum ordinum distinctim obirent: Quæ quidem omnia gratis & perperam assumi, cuipiam penitius inquirenti facile liquebit: Interim *Galeno* eatenus assentior, ut arteriæ quatuor distinctas tunicas agnoscam, quinimo eas in hoc vase, quemadmodum in ventriculo habere: Excepto tamen quod in visceribus, vasorum plexus retiformis, unà cum tunica glandulosa, subter tunicam fibratam, sive muscularem, in arteria vero super eam collocetur.

Hæc de arteriæ conformatione in genere, ejusque partibus constitutivis, quod spectat ad earum munia & rationes, videtur quod Tunica muscularis, fibris carneis orbicularibus prædita, primarii sit usus & operationis; hæc nempe cordis motui obsequens, in sanguine circumpellendo perpetuas systolῶν & diastolῶν vices obit; quippe dum hujus fibræ carneæ successive, & mira celeritate, sanguinis pone rivum stringuntur, necesse erit cursum ejus à corde usque ad arteriarum extremitates rapidissime peragi. Quoad Tunicas reliquas, & vasa per eas distributa, videntur omnia unius tunicæ muscularis commoditatem & usum institui: namque imprimis nervi eorumque propagines, super aortæ truncum, ejusque ramos majores ubique disseminatæ, & exterius apparentes, fibris carneis & motricibus substratis, more suo tum spirituum copias, propter continua systolῶν pensa obeunda importatur, tum insuper contractionum sympathicarum instinctus deferunt: Dein arteriæ minores, tunicæ extimæ superficiem interiorem densissime obeuntes, erga tunicam muscularem substratam, sicut arteriæ aliæ erga musculos alios & partes solidas, duplici munere defunguntur, nempe ut succum alibilem, quo nutriantur & accrescant illæ, & particulas elasticas spiritibus jugiter instaurandis, convehant & apponant: dein venæ arteriarum conjuges, quicquid sanguinis non alio impenditur, reducant: Quod autem hæc vasa sanguifera, extra tunicam muscularem consita, & inter se complicata, plexum quasi retiformem constituunt, è quo propagines tantum minutissimæ & perexiles dimittuntur, cum in musculis plerisque aliis, vasa isthæc cum fibris carneis intexantur, eaque proinde rubere faciunt, discriminis hujus ratio videtur esse, nempe quod opus sit vasa sanguifera à fibris Aortæ, & viscerum motricibus aliquantulum seponi, ac ad distans quoddam locari, ne forsan cruor has uberius alluens, interdum obstruatur, adeoque phlegmonem aut abscessum cito lethalem pariat: quare in majorem cautelam, vasorum istorum plexui retiformi tunica glandulosa semper cohæret, eum nempe ob finem ut serositates tum à nervis, tum ab arteriis superfluæ, & non per venas statim reductæ, glandulis istis numerosissimis statim excipi, & donec sanguini remandantur (ne in fibras motrices irruant easque spasmodice afficiant) contineri possint: Quod autem plexus vasorum retiformis, eique tunica glandulosa cohærens, in aorta supra tunicam muscularem, ac in visceribus subter eam, disponantur, ratio est ut vasa hæc minuta, quæ succos leniter dispensari debent, à torrentis sanguinei intra aortam æstuatione, quantum fieri potest, amoveantur: at in ventriculo ac intestinis ob coctionis munia rite obeunda sanguinis foco priori opus est: Tunica Aortæ interna, cavitatem ejus investiens, præsertim in hos usus constitui videtur ut sanguineum canalem intus obducat, & reliquas hujus vasis partes terminet: verum insuper huic sensus aliquid, forte & motus concedere oportebit: nam hæc fibris nerveis prædita, non secus ac cordis sinus, à sanguine pertranseunte afficitur: proinde juxta hujus sensionem, tunica muscularis in systolῶν & diastolῶν motus crebriores aut tardiores, æquales aut inæquales urgetur. Porro hæc tunica prope cor spatio duarum circiter unciarum, fibras rectas sive longitudinales, majores & quasi carneas habet, in tantum, ut suspicor hic loci, ob majorem sanguinis impulsum, Arteriam pone sanguinis rivum, haud tantum quoad amplitudinem stringi & coarctari, sed pariter ac in corde, eaque quaque systole etiam quoad longitudinem nonnihil contrahi & decurtari. *Th. Willis Pharmac. Rat. p. m.* 280.

Observatio II.

Pulsus inæqualitas ob Cordis sinistrum ventriculum subnigricante carne infarctum.

NOn vulgariter nos mirari coëgit Nob. viri Cor, in cujus sinistro ventriculo glandulosæ, sed nigricantis interim carnis libras duas reperimus, corde instar uteri ad ejus carnis molem extenso, & homine ante mortem *habitu utcunque Melancholico*, & ad morbum vigili, & Pulsu prædito miris sane modis inæquali & vario, quique arteriæ contractionem manifeste ostendebat: Ita enim multis mensibus ante mortem (cum tamen ante mortem veluti sanus obambularet) pulsus aut arteria potius contrahi visa fuit, ut trium aut quatuor pulsationum ictuumque intervallo contracta maneret, velutque expulsionem moliretur: Imo *postremis vitæ septimanis*, ex novem ictuum intervallo, tres tantum aut duæ dilatationes arteriæ, tactui subinde occurrerunt: Deinde animalis facultas, cum prin-

cipis animæ functionibus, ad mortem usque satis constabat; quæ non tam ex cordis vitio proxime obvenit atque ex sinistri cruris gangræna, quæ ab impedito arteriæ pulsu occasionem petinde duxit, ac si intermissi illi ex cordis vitio pulsus cruris illius nativum calorem apte eventilassent: Potissimum cum ex sclopeti ictu, ante aliquot annos, ipsi vitiata esset arteria quæ fibulam petit, *Vesalius lib.* 1. *cap.* 5. *de hum. corp. fabrica.*

H*Abitu utcunque melancholico*) Melancholicorum pulsum ut plurimum parvissimum esse, rarissimum, tardissimumque fine ullo vitæ periculo ait *Saxonia* lib. 3. de Puls. cap. 100. Habeo, *ait*, patientem melancholia laborantem, cui adeo pulsus est languidus, parvus, rarus ac tardus, ut inter unam & aliam distensionem, sex ad minus aliæ distensiones in quocunque pulsu, moderatæ etiam raritatis, cadere possint: Ex quo certo mihi persuadebam illum tandem integre motum amissurum, Et eo potissimum quod illud idem alias contigisse sibi patiens referebat: nunc satis bona fruitur valetudine, Non ergo similis pulsus semper est lethalis.

Postremis vitæ septimanis &c.) Pulsum tres differentias, magni momenti, rariores & periculosas annotavit *Rumlerus* observat. 46. Primam in juvene, qui quod in carcere diu detineretur, in febrem incidit lentam, hecticæ similem, in quam tandem etiam desinebat: huic pulsus tam segnis erat, ut nonnisi longissimo temporis spatio interposito digitum feriret; facile enim interea duodecim numerari potuisse, quod signum summæ imbecillitatis virium. In altero magis periclitante, pulsum omnino nullum perceptum fuisse: In tertio ardente febre correpto, pulsum omnibus dimensionibus excedentem fuisse, quod cor omni conatu naturæ imbecillitati succurrere frustra adlaboraret.

Deinde animalis facultas) Validi aut Debilis Pulsus causas à spiritibus Animalibus deducit *Franc. Sylvius* Prax. lib. 2. cap. 36. qui si copiose ad musculosum cordis parenchyma deferantur, & ipsum valde contrahant, Pulsus robustus & potens evadat: Debiles contra sequi vult sæpius eorundem defectum universalem in toto corpore, aut partialem saltem in corde: Universalem, ob sanguinis defectum, ab hæmorrhagia immodica, inedia &c. Partialem, si nervi ad cor tendentes fuerint vulnerati.

Observatio III.

Pulsus inæqualitas à pituitosa concretione in corde.

MEmini intra paucos annos aperta fuisse cadavera duo, alterum Comitis; alterum Principis: In quorum cordibus reperta est concretio quædam humoris pituitosi, flavescentis, instar medullæ; quæ in ossibus boum coctis invenitur: Erat hujus longitudo duorum digitorum transversorum, crassitudo minor minimo meo digito: In utroque, (illo quidem cum febre & Pleuritide, in hoc absque febre) apparuit Pulsus inæqualitatis genere maxime inæqualis. *Erastus parte* 5. *disput. de febre putrida.*

Observatio IV.

Asphyxia ab utroque cordis ventriculo corporibus adiposis obstructo.

QUidam ætatis anno 30. circiter ex renum ulcere laborans, integro die ante obitum sine pulsu jacebat: Dissecto cadavere, uterque cordis ventriculus duabus quasi turundis oblongis, adipis concreti obstructus est repertus. *Velschius Episagmat. observ.* 34.

Observatio V.

Pulsus Inæqualis & similis Palpitanti, à sanguine in corde & toto retorrido.

MUlieri hypochondriacæ pulsus erat inæqualis & palpitationi similis. In ipso corde jam speciem aneurismatis subesse autumabamus, spiritu & sanguine mirum in modum arterias distendente & dilatante.

In ea, ut in cadavere observatum, sanguis nigruerat, corque vix refrigerium accipiebat. *Ballonius consilio* 78. *lib.* 3. *Annot.* 2.

P*Ulsus inæqualis & palpitanti similis*) Palpitans pulsus fit ex palpitatione vel cordis & arteriarum, vel harum tantum; idque dupliciter, vel ex flatu aut vapore partem elevante ac deprimente; aut ex causa expultricem irritante: Si fiat priore modo, aut flatus elevat membranam pericardii vel cordis, sicque arteriarum pulsus nihil à naturali statu mutatur: aut elevat cordis ventriculos, arteriarumve tunicas, & hoc major, celerior atque inæqualis evadit, Major, quia flatus ille, aut vapor, plus distendit cor ac tunicas quam expediat: Celerior etiam, quia facultati naturaliter distendenti accedit quoque flatus impellens: Inæqualis demum, quia flatus iste naturæ leges non servat, nec tunc tantum elevationem facit cum facultas distendit, aut depressionem cum contrahit; Sed potius è contra tunc plerumque elevat cum fit contractio; aut deprimit, cum fit distensio; hinc maxima sequitur in pulsibus inæqualitas crebritatis, intermissionis, interruptionis aliave consimilis:

Porro

Porro hæ omnes, & longe majores fiunt ex iritatis irritamento, ob quod ut plurimum fiunt dicroti & interrupti, & quandoque cordis motus adeo vehemens redditur, ut etiam costas loco movisse ac confregisse tradat *Fernel.* Saxonia l. 3. c. 8.

In ea sanguis nigruerat &c.) Huic pertinet quod de palpitatione cordis habet *Fernelius* de part. morb. & sympt. cap. 12. Hujus causam, *ait*, omnem veteres vel in sanguinis exuperantiam retulerunt, vel in humorem copiosiorem pericardio infixum; Cæterum in iis, quos exempli gratia recensui, palpitationem peperit retorrida bilis, quæ alias sponte vacuari consueverat, in arterias effusa &c. In cæteris causam animadvertimus bilem esse perassatam, interdum in præcordiis, sæpius in liene congestam: quamobrem in hoc symptoma plurimum propensi sunt qui hypochondriaca melancholia laborant, & quibus lien bilis atræ copia turgescit &c. Fit autem pulsus palpitans & in febribus continuis phlegmaticis, cum venæ & arteriæ crudis & frigidis farciuntur humoribus: observatur quoque aliquando in senibus, sed minori periculo.

In ipso corde speciem aneurismatis) Notat Marchetti observat. 48. quendam 10. aut 12. annos pulsationem p. n. in sinistro thorace passum esse, quæ pro Palpitatione habebatur, Ipse vero conjecit esse Aneurisma, *Vide historiam tit. de Palpitatione cordis.*

OBSERVATIO VI.

Pulsus inæqualitas excitata ab abscessu in vena arteriosa.

Observavi idem cuidam accidisse quod Antipatro Medico, *vide historiam apud Galenum lib. 4. cap. 9. de Locis affectis, Et comment. Ioh. Bap. Silvatici histor. 30. Zacut. Princ. med. hist. lib. 2. histor. 12.)* Huic enim mortuo inventus Abscessus in vena arteriosa. *Scholiographus Hollerii ad cap. 3. lib. 1. de morbis int.*

Abscessus in vena arteriosa) Ut magnæ arteriæ calli, tumores insignes, obstructionesve interruptos inæqualesve omnis generis pulsus proferunt, cum cordis palpitatione, Ita iidem affectus in vena arteriosa item efficiunt, excepta palpitatione, notante *Saxonia* l. 3. de Pulsibus c. 14. quod probat exemplo cujusdam Calceolarii septuagenarii qui per plures annos pulsus habuit inæquales, illis omnino similes quos refert *Galenus* Antipatrum habuisse, absque palpitatione tamen, integra tamen fruentis valetudine, ut munia omnia obiret: Hoc vero admiratione dignum in illo notat, inæqualitatem illam desinere si febre prehenderetur, qua recedente, illam statim recuperet: Causam vero non adducit, quam ex Clariss. *Willis* lib. de Febrib. mutuari licet, qui in pluribus inæqualem se & intermittentem pulsum deprehendisse ait, si subita animi passione, aut corporis agitatione nimia solito intensius incalescerent, statim ii pulsu inæquali, & intra vibrationes forsan 4. 7. 10. aut 20. intermittente afficiebantur, & quotiescunque febricitarent, pulsus irregulari modo ita se haberet. Quamdiu autem iidem ab intemperie fuere immunes, pulsus erat omnino æqualis & ordinatus: Causam adscribit idiocrasiæ cuidam cordis, quia nimirum fermento ejus non bene constituto, sanguis effervescens non statim æqualiter accendatur & totus exiliat, sed pars cruoris influentis primo exigua, dein major, & post aliquot vices maxima, in sinubus cordis pro momento temporis restitans, ejusmodi pulsum producat. Inde infert talem circa pulsum anomaliam, malignitatis non semper esse progeniem, nec semper eventum funestum licere augurari. Quanquam vero dispar videatur Calceolarii exemplum, cui febre affecto æquabilis evadebat pulsus, ad dissimilem tamen sanguinis in corde effervescentiam & constitutionem, cujus partes aliæ aliis tenuiores essent, ideoque inæqualiter in corde effervescerent, ac per arterias deferrentur, recurrendum, quæ per febris æstum ad æqualitatem deductæ, æquabilem pulsus tenorem producerent.

OBSERVATIO VII.

Asphyxia quadrimestris à grumis sanguinis in Aorta prope cor.

Thomas Cartier, temperamento sanguineo bilioso vergente ad atrabilarium, laborabat tussicula & febricula, cum dyspnœa pene suffocante &c. Tandem febris facta continua, quæ hominem ante 7. è vivo sustulit: Quatuor ante mortem mensibus erat plane ἄσφυξος &c. Nulla alia deprehensa fuit causa præter 10. aut 12. grumos sanguinis crassi, nigri, concreti collecti & stabulantis in ipso ductu aortæ prope cor. *Vide l. 4. tit. de Febribus.*

Temperamento sanguineo bilioso &c.) Venarum & arteriarum interceptio sæpe accidit in plethoricis corporibus, ita ut in omnibus locis quibus deprehendi solet pulsus, pereat motus arteriarum, in quo affectu commendat *Hippocr.* venæ sectionem ad curandam ἀσφυξίαν venarum. *Riolanus Encheir. Anat. l. 5. cap. ult.*

ἄσφυξος) Quæri potest, Si cor rite saliat, quamvis lento gradu, deficiente aut abolito motu arteriarum, necesse est obstructam esse aortam juxta cor, & interceptam esse irradiationem & influxum sanguinis arteriosi: Tum, quæ sanguis venosus appellit ad cor, attractus in diastole, ut sigillum vitalitatis in dextro sinu accipiat, moxque repulsus in systole cavam ad venam spiritus vitales in ejus canalem longitudinalem impetuose feruntur, atque per mutuas anastomoses venarum & arteriarum ipsis arteriis communicantur cum sanguine. Vidi in quibusdam frequenter motum arteriarum intercipi

tercipi; vel summe inæqualem fieri per aliquot dies, postea sublato impedimento, quod erat juxta cor, eandem inæqualitatem deprehendi in cœliaca atteria, vehementer admodum palpitante, quamvis æqualis & bene ordinatus appareret in reliquo corpore pulsus. Id, ut credo, emanabat à frustulo aliquo carneo vel adiposo, quod ascendens ad portas cordis, talem pulsum inordinatum procreabat: repulsum ad cœliacam, quæ propago est aortæ, talem irregularitatem producebat. *Idem ibidem.*

Grumos sanguinis crassi) Sanguinem in venis coalescere multi tradunt; imo *Platerus* coralli alicujus rubri concretum instar, se aliquando è venis extraxisse testatur: Sed eo in casu syncopas potius parit, ob causæ vehementiam: Quomodo autem sanguis in venis concrescat, vide apud *Salium* de affect. particular. c. 4.

Observatio VIII.

Pulsus inæqualitas & parvitas ob hydropem thoracis; dextram pulmonis partem flaccidam, sinistram in saniem resolutam &c.

Serenifs. Venetorum Dux N. post varios & obscuros affectus, dyspnœa affectus fuit, cum Pulsuum mira inæqualitate & parvitate &c. Cavitas pectoris ℔v. circiter continebat aquosæ materiæ: Dextra pulmonis pars flaccida videbatur, crasso & mucoso humore oppleta, sinistra prorsus resoluta erat in saniem albicantem &c. *Vide lib. 4. tit. de Febribus.*

Apud *Ballonium* Conf. 70. lib. 1. exstat historia huic propemodum similis quæ commentarii vices tenebit, Petrus *Guerardus*, inquit, quoties in morbos incidit, à Medicis pro desperato sæpe relinquitur, adeo magnis, obscuris incognitisque morbis impetitur, Nam hinc vires elanguent, & cum vitium infirmitate magna est cacochymia, ut quod affectionis remedium est cum virium pugnet custodia &c. Inappetens ciborum erat, nulla aut exigua febris, sputa pessima, paulo post in metaphrenum tumores & in tibiis, facies tumens, Pulsus languidus, parvus, sæpe inæqualis, frequentes defectiones, paulo post convulsiones totius &c. De mutatione crebra Pulsus ita philosophabatur, Hoc contingit vel affectione propria cordis, Vel ratione orificii ventriculi oppressi, Vel contumacis in primis venis obstructionis, quæ liberum spiritibus ingressum & egressum impedit: Vel Pulmonum infarctorum, vel quia legitimum non suppetit alimentum cordi, pote elatis aut paucis aut pravis spiritibus à materia olida contenta in ventre: Nam cum à vena arteriosa suppeditatur alimentum corruptum semiustum, aut quia per arteriam venosam impeditam non libere transfluit aër, mirum non est si magna mutatio in Pulsu contingat: At major horum pars concurrere videtur: Quod autem inæqualitas perspicua sit in multis pulsibus, & nonnunquam intercalaris intermissio, id eo modo contingere videtur quo & in Antipatre, ob obstructionem læsivum arteriatum. Potest & propter Pulmonum ipsorum infarctum provenire, aut mollitudinem & laxitatem eorundem, utpote qui in costam incumbunt, quod annotavit Hippocr. l. de loc. in Hom. Maxime vero viderur fieri ex pravitate anathymiaseos, declaravit indicatioque curatio, pro gradibus purgationis Pulsus restituebatur, Et Hipp. in lib. de morb. observat in affectibus Pulmonum, præsertim si inflammatio sit, insignem mutationem Pulsus & animi defectionem &c.

Observatio IX.

Arteriarum omnium insignis Pulsatio, cum æstu totius corporis ab aneurismate arteriæ venosæ.

Quæ in partibus internis contingunt Aneurismata, sunt incurabilia, qualia frequenter accidunt his qui litus & sudores ad curationem luis venereæ multoties pertulere, quod sanguis attenuatus & nimium inde incalescens, adeoque incandescens, nec jam arteriæ conceptaculis contineri poris, ipsam in eam distendat amplitudinem, ut manum in pugnum complicatam capere possit: Quod ego animadverti in cadavere vestiarii cujusdam, qui ex Aneurismate Arteriæ venosæ repente, dum pila palmaria luderet, rupto vase, corruit: Ille dum viveret micantium impetu arteriarum omnium Pulsum ingentemque toto corpore calorem se percipere dicebat, cujus rei occasione sæpe animo linquebatur: Dom. *Sylvius* interdixit illi vino, aquam coctam pro potu, & pro cibo lac pressum, caseosque recentes esse, atque cataplasmatis forma imponi dolenti & tumenti loco voluit: Vesperi ptisana ex farina hordei & semine papav. utebatur, clystere vero ex refrigerantibus & emollientibus, aut cassia sola per intervalla utebatur, quibus remediis multo melius sibi esse dicebat:

Dissecto cadavere, magnam sanguinis copiam in thoracis capacitatem effusam inveni, atteriæ vero corpus, in eam quam dixi amplitudinem dilatatam, internamque ipsius tunicam osseam: quo ego nomine ejus paulo post, cum magna admiratione, copiam in scholis Medicorum feci, dum cadaver publice dissecarem. *Pareus lib. 6. cap. 28.*

Internam ipsius tunicam osseam) Causa osseæ ejusmodi arteriarum per aneurismata constitutionis est, quod sanguis calidus & fervens primo tunicarum arteriæ facit dilatationem, inde ruptionem: Quod cum contigerit, mutuatur tum ex corporibus vicinis materiam ido-

idoneam, qua solutam sui unitatem restauret: hæc materia dum sensim resiccatur & indurátur, in cartilagineam, vel etiam osseam substantiam degenerat, earundem plane causarum materialium & efficientium vi, qua in renibus & vesica calculi generantur: Sanguinis enim portio magis terrestris desiccatur & densatur vi caloris contra naturam, in parte aneurismate obsessa existentis, quo fit ut ad arteriæ dilatatæ & ruptæ substantiam addita, in osseæ consistentiæ corpus abeat: In quo Naturæ, Dei ministræ, elucet singularis providentia, ut quæ novo velut aggere comparato & opposito, furentis sanguinis, spirituum vitalium copia turgentis, impetus retardare velit, Nisi quis malit ejus duritiei causam referre ad continuam medicamentorum refrigerantium & adstringentium, quibus densandi & indurandi vis inest, appositionem, ut non omnino obscure licet colligere ex Galeni scriptis. *Idem. Ibidem.*

Arteriarum omnium pulsum) Cæterum, ne fallaris signis supra commemoratis, nam nonnunquam in insignibus Aneurismatibus nec pulsum ullum percipere licet, nec digitorum appressione sanguinem in arteriam compellere: Vel quia sanguinis ejusmodi effusi major subest copia quam ut pristinis arteriæ conceptaculis coerceri possit: Vel quia in thrombos coit & concrescit, ex quo mox putrescit, ventilationis à corde beneficio destitutus; Unde dolor ingens gangræna, & partis necrosis, animantis denique ipsius interitus. *Idem ibidem.*

Observatio X.

Pulsus interceptio à duobus Polypis in corde.

Illustr. Colonellus (*de quo lib. 3. tit. de ventriculi dolore*) in sinistro cordis ventriculo duos habuit polypos, duros, carnosos & latos, ad quorum motum versus arteriam magnam sequebatur Pulsus interceptio.

Pulsus interceptio] Cum nulla arteriarum pulsatio in brachio deprehenditur, jubet *Riolanus* tangi cruralem arteriam in inguine, cum sit evidens; (etiam in mulieribus, modo honestè id fiat.) & tactu manifesta, vehemens propter arteriæ magnitudinem, cujus pulsus facile deprehenditur ac remanet extremus, extincto in aliis partibus externis ubi arteriæ micare solent & explorantur: Sed si honestati consulendum, satius est explorari carotidem alterutram in collo, cujus non minor evidentia & magnitudo, quæque oculis, præ turgentia in quibusdam se offert: Contingit & ut depressiores arteriæ, aut vitium alind, tangentis manus decipiant, tumque vel altera manus pertentanda, vel aliæ partes consulendæ, ut signis aliis inter se comparatis certius feratur judicium: Exhibuerat olim Sala, ad expurgandum serum copiosum, elaterii grana 20. sine damno, Pertransiens vero Minadous, quum forte consultus manum puellæ tangeret, absente pulsu, pro mortua, vel brevi moritura proclamavit; At occurrens Sala eam puellæ manum pertentatam fuisse ostendit quæ pulsu semper caruit.

Observatio XI.

Pulsus inæqualis & intermittens ob cordis ventriculum dextrum ulceratum, auriculam dextram majorem.

Domina N. Dyspnœæ obnoxia, pulsum admodum inæqualem & 3. vel 4. quavis pulsatione intermittentem habuit, Cordis ventriculus dexter parte interiori membrana denudatus & ulceratus apparuit: auricula dextra solito major &c. *Vide tit. de Dyspnœa.*

Observatio XII.

Pulsus inæqualis Intermittens ob corpora solida in sinubus cordis contenta.

Illustr. N. cordis palpitationi obnoxius, cum Pulsu inæquali, inordinato, intermittente &c. Cor in utroque sinu substantiam continebat oblongam, mollem &c. *Vide lib. 3. tit. de ventris Tumore.*

Observatio XIII.

Pulsus intermittens, deficiens, à calculo in cordis cavitate dextra contento; cum humore putrido in capsula.

Puellæ cachecticæ &c. Pulsus fit intermittens, hinc ἀσφυξία: Illi circa valvulas dextri ventriculi cordis calculus castaneæ magnitudine: In capsula humor putridus: Cor duplo majus &c. *Vide tit. de Syncope.*

Observatio XIV.

Pulsus intermittens à Calculo uni aortæ ramo infixo.

I. Arminius cordis palpitationi obnoxius erat: accessere animi deliquium, Pulsus intermittens &c. Cor amplum erat, sed sine pericardio: Calculus insidebat firmiter illi aortæ ramo qui vergit ad glandulam sinistro reni impositam. *Vide tit. de cordis palpitatione.*

Observatio XV.

Pulsus parvus & intermittens ob Pericardium cordi undique adnatum.

VXor N. melancholica erat, ad motum quemvis anhela, cum Pulsu parvo & semper intermittente: Illius mortuæ cor pericardio undique adnatum inventum est. *Vide tit. de Syncope.*

Cor pericardio adnatum) Pars cordi maxime vicina est membranosa ejus capsula, pericardium inde dicta, quod ipsum cor, (ut cortex nucleum) undique amplectatur: Membrana est firma & robusta, ejusdem figuræ & pene magnitudinis est cum ipso corde, cui subsidium tam necessarium præstat, ut in avibus minoribus, serpentibus, ranis, & in omnibus prætetea vel minimis animalculis, quæ hactenus dissecare licuit, nunquam desideretur: De usu ejus optima fiet conjectura ex liquore quem continet: Præterquam enim quod cordis parenchyma, involucro isto munitum, nec corrumpitur ab empyemate, nec pulmonibus adnascitur, & cæteris adjacentium partium injuriis minus exponitur, præterea in vacuo inter cor & membranam ambitu Serum quiddam, seu aqua tenuis semper repetitur, qua externa cordis superficies continuo humectatur, quæ alioqui ex perenni agitatione & calore inarescere & corrugari, adeoque ad motum inepta reddi poterit. *Rich. Louver Tract. de corde pag. 4.*

Observatio XVI.

Pulsus formicans ob Pericardium aqua refertum.

SArtor asthmate diu laboraverat & pulsus semper erat Formicans: Pulmo dexter repertus consumptus, sinister integerrimus, & Pericardium aqua plenum, unde Pulsus formicans extiterat. *Vide tit. de Dyspnæa.*

Pericardium aqua plenum] Unde humor iste proveniat, & à quo potissimum fonte profluat hactenus non ita recte pronunciatum est: plerique enim humores serosos ab æstu cordis in nubem elevatos, ac densitate hujus membranæ coercitos, in aquam istam condensari, & proinde pro ratione temperamenti plus in calidioribus, in frigidis autem minus abundare statuunt: Verum si hanc originem hujus aquæ atque causam esse concedamus, utique non apparet quare majore copia plerumque hic loci non congeritur: quippe cum humores à continuo cordis æstu in nubem suscitari, atque à membrana hac intus cohiberi & in aquam converti debent, quid impedit quo minus in copiam justo majorem, quantamque hæc capsula continere non poterit, augeatur? Præterea cum continui incrementi fuerit, ni simul & exitum alicubi habuerit, aut diutina stagnatione corrumpi, adeoque cordi infesta reddi, aut saltem nimia ejus inundatione cor ipsum obrui necesse sit: Quare ut aquæ hujus fontem alibi quætamus, advertere oportet naturam in variis corporis partibus, ubi operis aut functionum eadem aut par ratio est, iisdem plerumque machinis atque instrumentis uti: & quemadmodum glandulas lacrymales ad humorem suggerendum quo oculi illinantur atque madefiant (absque quo sicci & motui inhabiles, evaderent) pariter & juxta cordis basin diversas glandulas constituit, è quibus humor intra capsulam exstillat, & in vacuo isto spatio huc illuc agitatus cordis superficiem undiqua alluit, quo promptior & facilior ejus motus redderetur; Porro humorem istum non mere excrementitium, aut instar roris stillatitii aqueum, Sed seri potius nutritii è sanguine promanantis partem esse, exinde constat quod ignis calori vel paululum admotus, non aliter quam serum, sanguini post venæ sectionem innatans, aut lympha è glandulis secreta in gelatinam albam incrassatur: Qualem consistentiam nec sudor, neque urina qualicunque coctione acquirit, sed vel omnino in auras exhalat, aut in sabulum induratur: Unicum tantum super hac re obiter est notandum, nempe aquam in pericardio contentam illam solummodo huic experimento idoneam esse, quæ in animali bene constituto, & violenta morte perempto repetitur, cujus utpote sanguis sero nutritio diluitur: Nam in animalibus morbo defunctis, aut longa inappetentia & inedia confectis, quorum nempe sanguis succo chyloso prorsus destituitur, neque eadem ratio est & impar successus, Cæterum in sanioribus tam manifesta res est, ut aperto jugulari bovis pericardio, magnam plerumque concretæ gelatinæ copiam invenias, quæ extincto tantum calore partis, aut sponte sua, aut à frigore in istam consistentiam condensatur, non aliter quam decoctum cornu cervi, ubi frigido aëri exponitur, in gelatinam subito concrescit. *Idem ibidem.*

Observatio XVII.

Pulsus Durus & Inæqualis ob Pericardium inflammatum.

Quidam acuta febre præhensus est cum thoracis incendio, cordis tremore, Pulsu duro & inæquali: Sectio à morte palam fecit adfuisse Pericardii inflammationem. *Vide tit. de pectoris dolore.*

Observatio XVIII.

Pulsus Durities & Pravitas ob tumorem Pericardio innatum.

Quidam animi deliquio &c. cum Pulsu duro, parvo, affligebatur: Eo dissecto apparuit in Pericardio duriusculus tumor, nucis avellanæ parvæ magnitudine. *Vide tit. de Phthisi.*

Observatio XIX.

Pulsus languidus & rarior ab insigni aqua turbida in Pericardio.

Anno 1651. in cadavere Angli cujusdam, in cachexiam pituitosam delapsi, Pericardium liquoris turbulenti, ad minimum duas libras in distento Pericardio spectatoribus continere ostendimus: Hunc Pulsum languidum ac rariorem inveni. *De Diemerbræk Anat. lib. 2. cap. 5.*

Languidum ac rariorem] Pulsus languidus est cui minima contentio ictusque invalidus, qui si prematur, omnes motus partes statim pereunt, quia gravata à digitis arteria, amplius moveri non potest ob facultatis languorem: causa enim illi tantum adscribenda, non instrumento: Sicut autem Pulsus parvus nativi caloris penuriam ingensque refrigerium denunciat, sic & Rarus, qui in illum statim transit, sicut increscente malo Tarditas accedit.

Observatio XX.

Pulsus inordinatus, intermittens à Pulmonibus cruore suffusis &c.

Puella 10. annorum (*vide lib. I. tit. de convulsion.*) Tussi crebra & humida infestata fuit, quæ tandem plane convulsiva evasit: Dum paroxysmi convulsivi urgerent, Pulsus erat plurimum Inordinatus, ac sæpe Intermittens: Mortuæ Pulmonum caro valde rubicunda & velut cruore suffusa, imo quibusdam in locis livida & fere nigra: Ex eadem ubivis scissa ichor tenuis & spumosus exsudabat, Inde constitit sanguinis ferventis impuritates, illico Pulmonibus impactas, eorum poros & meatus adeo infercivisse, ut sanguis solito & liberiori circuitu præcluso, ibidem stagnans & extravasatus, inflammationem quandam excitarit.

Observatio XXI.

Pulsus formicans ob vasa Pulmonis dextri plane purulenta, & Pericardium aqua plenum.

Sartor asthmate diu laboraverat; Pulsus illi semper erat Formicans: Pulmo dextra parte erat consumptus, vasa plane purulenta; & Pericardium plenum aquâ, unde Pulsus formicans. *Vide Tit. de Phthisi.*

Formicans) Pulsus undosus, vermiculans, Formicans, inæquales sunt in unico ictu, atque sub variis digitis, atque in omnibus duplex inæqualitas; una quæ est in tempore motus partium arteriæ; altera ratione quantitatis distensionis: quæ inæqualitatis species nunquam per se stare possunt, imo necessario semper secunda cum priore copulatur, Etenim undosum, vermiculosumve Pulsum non dixeris, nisi plures sint arteriæ partes moræ: at si plures moventur, sed successive & inæqualiter, constat hinc unam absque alia esse non posse: Quoad Formicantem, ex Galeno constat illum ex hac eadem duplicitate constare, ait enim à vermiculoso sola quantitate distare: Ergo, sicut vermiculosus ab undoso inæqualitatis specie non differt, sed magnitudine tantum ac parvitate, ita & Formicans, qui nihil aliud est quàm summe parvus; ex eadem inæqualitatis specie constabit; sed fere insensibili; Sed notandum non omnem languidum, rarum, parvum ac rardum pulsum esse lethalem; Sed neque omnem crebrum, quamvis languor, parvitas ac rarditas illi sit connexa; cum enim crebritati accedat languor & parvitas; ex humorum ac spirituum dissolutione; sed absque solidæ cordis substantiæ insigni læsione, malus quidem hic pulsus, sed non perinde exitialis atque ille qui solidorum intemperiem sequitur, qualis est vere *Formicans* vocatus: Hinc Galenus l. de Pulsibus ad Tyrones 11. acutas syncopas ait Formicantem comitari, quia Syncope acuta fit ex cordis corpore essentialiter affecto, imo vero & maligna febre tentato: Ac 3. de Pulsf. caus. ult. ait Facultatem quæ à febre cacoethe dissolvitur, formicante sconsequuntur.

OBSERVATIO XXII.

Pulsus inaequalis à Pulmonibus sanguine nigerrimo, liquido, multaque sanie obsessis.

NUper cum in tertia die primum Comitem Alvisium Gonzagam invisissem, statim dixi adstantibus ut extrema illi pararent, alios advocarent Medicos, ante septimum diem obitutum à morbi initio, laborare specie, quadam *abscessus in Pulmone*: Tum mulier, recte inquam, in hoc ut reor, nam sanguinem tussiendo exspuit, compererat enim me solum Pulsum explorasse: Dicam autem qua via id cognoverim, Erat ei Pulsus omni inaequalitatis genere perturbatus, plurimumque in singulis differentiis variabat, ordo omnino nullus: Nullus dolor in Pectore praecesserat, nulla difficultas spirandi aderat; unde etiamsi delirasset, non potuit abscessus esse in Pectore, eb doloris defectum: Nec in Pulmone, quod spirandi difficultate careret: At in Pulmone tamen morbus erat magnus, non enim sine illius affectu & incompositione tanta Pulsus diversitas conflari potuisset: Advocantur Medici, statuunt ut sanguis mittatur, quod ut è re erat, ita ad accelerandum aliquanto plus mortem (quod & praedixi) faciebat; Periit igitur in medio quintae diei, alioqui ad finem sextae suffecturis viribus: Haec fuit praedictio ex prima visitatione, & solius Pulsus ratione tuto evulgata, de qua omnes qui interfuerant admirati sunt.

Dissecuimus etiam corpus, ut an recte de abscessu sensissem viderent, Inventus est novus morbus, Pulmones sanguine nigerrimo, liquido, tum exquisita sanie, ac multa toti redundabant, citra tamen propriam aliquam suppurationem. *Cardanus artis curat: parvae propriae pag. 294. & seq.*

Specie quadam abscessus in Pulmone) Temeraria videtur praedictio, cùm nulla adesset spirandi difficultas, nullus in pectore dolor, aut aliud indicium affectorum Pulmonum: Sed potius arguenda erat cordis, ejusque vasorum, Pulsificae facultati destinatorum, obstructio, aut similis quaepiam laesio, ad exemplum *Galeni* qui in Antipatro obsessas laeves arterias judicavit ex Pulsus summa inaequalitate.

Abscessus in Pulmone) Intermittentis Pulsus ab abscessu in Pulmonibus exemplum singulare, in singulari Amico, fidei integerrimae Viro Clarifs. Dom. D. Roberto Vaudeueto, Jurisconsulto Genev. & Horreis publicis praefecto, excitati vidi auno 1676. Fluxionibus ille in Pulmones aliquando tentatus, annos natus 49. 24. Aprilis catarrho sub vesperam prehenditur, qua de causa difficilis & molesta nox obrigit: Mane me & Clarifs. Dom. D. *Cramerum* advocat: levissimam deprehendimus febrem, sed ex assidua excreatione & ptyalismo, caput & ventriculum pituita multa redundare constabat: hinc protinus alvum adstrictam enemate prolui curavimus: Atque ad ulteriorem ventriculi, phlegmatis copia saburrari, depletionem, Bolum exhibuimus ex Electuar. cathol. Nic. ℥iij. spec. Hierae simpl. ℈ij. crem. Tart. ℈j. à quo octies pituitosa, serosa, plurima cum euphoria exclusit, subsequuta inde oneris parte sublevata natura, nocte tranquilliori: Die iij. ab invasione morbi exsurgit febris, rubent malae, accedit tussis & pectoris circa sternum gravamen: quamobrem de sanguinis missione statim cogitatio incidit, maximè ob tumentes in toto venas, qui aperta vena cum impetu ad ℥x. exiliit putridus: Pulsus ex intervallis, sed longioribus intercipiebatur: Postridie, morbi die iv. summa accessit virium attritio; pectoris gravitas major, suspiria crebra, cum pulsus intermissione adeo frequenti, ut ex quatuor pulsationibus una deficeret: Ideoque cacoethiam, vel latentem in pulmonibus abscessum suspicati, ad generosum praesidium, quod circulationem debitam sanguini restitueret, remoramque perrumperet confugiendum duximus; atque de exhibendo lapide Bezoar, si modo genuinus occurreret, inter nos convenit: Sincerum ergo & probatissimum nacti; ex Indiis orientalibus à Domino Lagis, qui eas regiones ter peragraverat, allatum, atque ex ipso animali illo praesente erutum, ad grana xij. ex aqua florum arantiorum ptaebuimus: Bihorio exacto commotus sudor, attantum circa pectus; successit autem excretio materiae partim cruentae, partim purulentae, admodum tenacis & viscidae, in rhombos concretae, qui prae crassitie & viscidi tate vix trachaeam permeabant: huic vero excretioni, quanquam partitae & divulsae, pulsus libertas omnimoda successit, adeo ut omnia in tuto viderentur: At die 5. accessit dolor lateris dextri punctorius, qui ab admoto cataplasmate ex mica panis, femin. lini, foenugr. summit. aneth. hyperici, flor. chamom. melilot. sambuc. lacti incoctis, cum pauco croco, remisit; pergente nihilominus materiae abscessum committentis ana cathasi: Circa sextae diei finem, & septimam ingruentem, anxietas ingens Vitum Clarisf. amicorum intimum premit: sequitur Pulsus non intermittens modo, sed & intercurrens, caprizans, aliquando myurus, paucis, pessimus, ut advenrantis crisis impetum sustinere non posse vires, naturamque morbo omnino impatem crederemus: A cardiacis tamen ctebetrime exhibitis, syrup. Kermesino, cortic. citr. rub. Idaei, margarit. pulvere & aqua naphae; pullis item columbinis per medium dissectis, pulveribusque cardiacis aspersis, frequenter admotis (qui post semihorae moram foetidissimi removebantur) gallinisque vivis pedum plantis applicatis, dimicantium naturae & morbi impetum sustinuit; ubertimque per totum calido manante sudore; alvo simul commota, quae biliosa, serosa, aliquando purulenta dejecit, salvus & sospes evasit; patriae & amicorum votis, meorum praesertim redditus: Ex his constat duplicem adfuisse affectum, febrem scil. essentialem, eamque malignam, quae suam, & propriam habuit crisin, per sudores & alvum: Praeterea Abscessum in pulmonibus, bidui spatio,

tussis

tussis ope exclusum: Ad tutelam pulmonum, eorumque abstersionem, usus est deinceps hydromelite ex scabiosa, tussilagine, rad. succisæ, semin. myrrhi, prunella confecto; Octava die cœnam mensæ assidens sumpsit; Sicque Dei gratia citra recidivam, convaluit, destinata alia remedia respuens. Singulare vero quid præ se ferebant urinæ, quæ sub morbi exitum cinereo pulvere aspersæ videbantur, contracto videlicet in horreis, dum iis ventilandis præsset: Observatum enim eos quibus versandi triticum cura demandata est, asthmaticos pene omnes interire, ac microbios esse.

Observatio XXIII.

Pulsus crebrior ab humore acri Pericardio infixo, à quo cum cordis membrana fuit erosum.

AD sui contractionem crebro vel continuo vellicatur cor, tum à quocunque acri unà cum sanguine ad ipsam delato, sive illud sit acidum, sive salsum lixivum, sive ex utroque mixtum, quale salsum est muriaticum; Tum à quocunque halituoso vel flatulento in cordis ventriculos penetrante, ipsiusque parietes aliquantum, non tamen nimium explicante; & ita quidem ut iterum queant contrahi: Tum ab re cordi Externa, in pericardio puta contenta, ipsumque rodente aut pungente: Sic offendimus ante triennium in pericardio humorem salsum & acrem, à quo tam pericardii quam cordis membrana erat erosa excoriataque. *Franc. Sylvius Praxeos lib. 1. cap. 25. §. 26.*

TUm à quocunque halitnoso &c.) Idem Append. Tract. 8. §. 140. *Pulsus compressi*, qui in affectione hypochondriaca laborantibus observatur, causam deducit ab halitibus & vaporibus elevatis, in principio de pituita magis participantibus quam debile, unde ad cordis ventriculos cum sanguine delati ipsum rarefacioni reddunt ineptiorem, ut pote nimis condensatum: Ubi autem nimis rarefit sanguis, minus quoque expanduntur cordis ventriculi, minus proinde rursum contrahuntur iidem, minus in arterias expellitur sanguinis, minus expanduntur dictæ arteriæ, minus sentitur pulsus, quod observatur in principio paroxysmi hypochondriaci, eodem plane modo quo fieri solet accedente febre intermittente.

Ad sui contractionem crebro) Frequentioris Pulsus initio febrium intermittentium, quando nempe tactu aliquis percipi potest, simul autem minoris, hanc causam reddit Append. Tr. 2. §. 149. impeditam scilicet diminutamque tunc sanguinis rarefactionem, frigoris comitis causæ adscribendam, halitibus puta acidis à succo pancreatico in quibusdam suis ductibus lateralibus à mora & stagnatione acriore facto, & vitiosam in tenui intestino effervescentiam producente ortus, ac per lacteas vicinas ductumque thoracicum ad cor penetrantibus, sanguinemque nimis coagulantibus, sicque ad rarefactionem debitam ineptum reddentibus: cum proinde minus rarefiat sanguis, minus quoque explicantur cordis ventriculi, minorique labore opus est ad ipsius expulsionem, non requiritur ergo potentior Pulsus, cum sufficiat debilior: adde quod ex vitiata illa sanguinis mutatione ac rarefactione in corde universus sanguis reddatur ineptior spiritui animali in cerebro cerebelloque suppeditando; unde non mirum si cum universus corporis motus animalis tunc fiat debilior, similem in corde quoque observare liceat: Quod autem tunc Pulsus observetur semper *Frequentior*, id non evenit quod æstus tunc interiora magis angat & urgeat (licet is nulla percipiatur ratione, nullo sensu) & Natura, quod magnitudine præstare nequit, conetur frequentia compensare; Sed contingit *frequentia* illa ab irritatione continua & molesta cordis, facta non ab æstu illo imaginario, non à sanguine valde rarefacto, cordisque ventriculum dextrum expandente, verum à prædictorum halituum, & in cordis ventriculos penetrantium acrimonia, sed acida, ipsius substantiam mordicante, atque sic ad sui contractionem frequentiorem continue stimulante talem acrimoniam in corpore existere confirmant horror, rigor tremorve comites, atque ad violentam coactamve universi corporis agitationem concussionemque ita urgentes ut nullo voluntatis arbitrio impediri possit talis concussio, quam minuunt rollunt que tantum quæ apta sunt nata temperare acrimoniam acidam, uti sunt salia volatilia & oleosa, præsertim cum spiritu volatili: quod si artus per musculos sibi oppositos ad voluntatis imperium moveri solitos nequimus tusic libere movere; an mirabimur simili quassatione coacta frequentius contrahi cor ipsum immediato voluntatis nostræ dictamini nunquam obsecundans?

Observatio XXIV.

Pulsus molles, languidi, inæquales ab augmento pino Pulmonum partis alterius &c.

REver. Pater febre assidua prehenditur cum lateris dolore, pectoris gravitate, Pulsibus mollioribus, languidis & inæqualibus: Inventa est altera Pulmonum pars aucta in magnitudine, ut quadruplo major esset quam altera & durior, quâ secta multa aqua fœtida fuit expurgata) & caro inventa dura, densa & rubra &c. *Vide lib. 4. tit. de Febribus.*

PUlsibus mollioribus) Sunt molles Pulsus in Peripneumonia, lethargo aliisque id genus humidis affectionibus: Duri in plurimis affectibus, 1°. in omni quartana ac melancholia, ratione siccitatis & refrigerationis, 2°. in omni marasmo & febre marasmode, diuturna, consumptiva, ratione siccitatis. 3°. in Epilepsia, catoche, convulsione, doloribusque omnibus,

nibus, præcipue nervosarum & tendinosarum partium: 4°. in omni tumore calido, frigido ac mixto, maxime tunicarum quæ venas ipsas & arterias constituunt: Hinc patet ex Duro Pulsu posse dignosci inflammationes, erysipelata, scirrhos, abscessus varios, obstructiones ingentes humorum copiam, crassitiem, lentorem, frigiditatem siccitatemque, nec modo in locis prædictis, quos esse duros novit unusquisque, sed & in illis qui ex se molles faciunt pulsus, ut est cerebrum ac pulmo, in quibus sive adsit lethargus, sive peripneumonia, &c. aliusve consimilis affectus, cum duro pulsu connexus, sane duritiei causam, non in ipsum proprium affectionis locum, sed in affectum, qui duritiem faciat, referre debemus: *Saxonia lib. 3. de Pulss. cap. 57.* At si in supradicto ægro plures fuere causæ quæ durum Pulsum parere valent, inflammatio scil. Pulmonis, carnis ejusdem durities, densitas, cur molles fuere Pulsus? Dicendum inæquales simul fuisse, scil. inæqualitate systematica in duritie ac mollitie, ob similem arteriæ inæqualitatem, ut docet Galenus 2. de Præsag. ex Puls. cap. 6. Quomodo vero fiant tales explicat idem *Saxonia* cap. 67. Fit, *ait*, inæqualis Pulsus secundum duritiem ac mollitiem, in acervo, ob quinque præcipue causas, 1°. *cum* adhuc inflammatio est fiens; quo enim tempore fluit materia, Pulsus est durus vel durior; quo vero tempore digeritur, est mollis, vel minus durus: fluit autem materia ad locum inflammatum circa accessionum initia & incrementa, itaque eodem tempore pulsus fit durus; digeritur autem in statu & declinatione, idcirco aut minus durus fit, aut quandoque mollis. 2. *fit* hæc mutatio ex loci permutatione, si enim transeat materia à membranis ad carnem, locave inania, aut extra corpus mittatur, pulsus ex duro mollis redditur; Si vero contra, fit durus: mittitur autem materia à membranis extra membranas, in contentivis quibusdam febribus periodicis, quas Galenus lib. de morb. temporibus cap. 7. inquit in declinatione duritiem deponere: eam autem deponunt digesta transmissave materia à loco ubi duritiem inducebat, ad alium vel intra vel extra corpus, ut nullam amplius duritiem efficiat; sic ergo permutata materia à cerebri membrana ad substantiam, vel à pulmonis membrana ad carnem, pulsus ex duritie induit mollitiem, ex mollitie autem duritiem resumit: 3°. *Ex inæquali* siccitate & humiditate, aut inæquali frigiditate ac calore: fluunt enim quandoque ad affectum locum materiæ biliosæ vel melancholicæ, ex quibus durus fit pulsus, qui paulo post molior reddi potest, si illis recedentibus humidæ atque aquosæ fluxerint: 4°. *Fit* & aliquando insignis arteriarum refrigeratio circa accessionum initia, ex qua pulsus oritur durus, qui tunc demum mollescit quando arteriæ incaluerint: Fiunt *denique* inæquales pulsus duritie ac mollitie in phthisicis, qui non modo pulmonum ulcere laborant, sed & fluxione pituitæ, quandoque empyemate, & non raro substantiæ puttilagine; ob quas omnes causas putrida quædam febris annectitur, horis vespertinis magis molesta, in cuius initio movetur materia humida à capite ad pulmones, à pulmonibus & thorace ad arterias, quæ dum illas diluit, irrorat & humectat, mollis fit pulsus: accedente vero febre ad statum, excussaque materia, durities succedit, reliquis arteriis ex tabida febre exsiccatis, Adde ab erroribus in sex rebus non natur. Sic in pulsu molli frigidæ potio, aut quid tale, duritiem statim efficere valent.

OBSERVATIO XXV.

Pulsus durissimus, vermiculans, celerrimus, à suppuratione Pulmonum, Vomicis Aquosa substantia in pericardio, Corde flaccido &c.

Hubert Pomble, (*Vide historiam tit. de Phthisi*) febre hectica marasmode consumptus, Pulsum habuit durum, celerem, crebrum: Postmodum durissimum, vermicularem, celerrimum, creberrimum: In Pulmonibus exulceratio reperta est, cum duabus conclusis vomicis; Mulra præterea aquosa substantia in pericardio & thoracis cavitate quoque fluctuabat: Cor flaccidioris substantiæ erat, In ventriculis tantum aliquot nigri sanguinis stiæ continebantur.

Pulsum habuit durum) pulsus durities naturalis adscribenda tunicarum crassitiei: præternaturalis assignatur vulgo membranatum inflammationi: Causam & habet marcorem, & spermaticarum partium ad summum usque deductum squallorem & siccitatem alias vomicæ in pulmone, cordis flacciditas, & aquosæ multæ humiditatis præsentia in pericardio, duritiem illam frangere debuerunt, si pulsum mollem inducere non valuerunt.

OBSERVATIO XXVI.

Pulsus interceptus ob Pulmonem sinistrum inflammatum, fere putrem.

Dom. Tatenti ad cachexiam vergenti Pulsus erat interceptus: Pulmonum sinister inflammatus apparuit & fere putridus: *lib. 3. tit. de Cachexia.*

OBSERVATIO XXVII.

Pulsus inæqualis à vario Pulmonum vitio, & cordis insigni magnitudine.

Serenissimo N. Pulsus mira erat inæqualitas & parvitas: Cor erat prægrande, sine tamen ulla materia: Aderat hydrops thoracis: Pulmones utrique muco & sanie obsiti. *Vide l. 4. Tit. de Febribus.*

OBSER-

Observatio XXVIII.

Pulsus interceptus ob partem sinistram Pulmonum materia fœtida tumidam.

Illustr. N. tussi, dyspnœa, febre &c. laboranti Pulsus in quarta pulsatione facti sunt intercepti: Fuit inventus tumor in parte sinistra Pulmonis, è quo materia fœtida sectione educta. *Vide ibidem.*

Observatio XXIX.

Pulsus magni, molles, quinta pulsatione intercurrentes, à Pulmonum tumentium &c. vitio.

Illustr. N. in febrem assiduam est delapsus cum dyspnœa, genarum rubore, pectoris gravitate &c. Pulsus erant magni, molles, sed in quinta pulsatione intercurrentes &c. Pulmones fuerunt inventi tumentes & pravi coloris, sed non fuerunt secti &c. *Vide lib. 5. de Febribus.*

Pulsus magni, molles, intercurrentes) Lethargicorum, peripneumoniorumque pulsus sunt magni, celeres, crebri ex calore: languidi, ex facultate gravata: molles undosique, ex partis & affectus mollitie cum subtensione: Intermittentes ex arteriarum compressione, Intercurrentes ac Dicroti duri, ex utroque casu, præcipue autem calore aucto, cum facultate languida in dicroto, non admodum languida in Intercurrente: Sunt autem ex Cerebro potius intermittentes quam Intercurrentes, Ex Pulmonibus autem potius intercurrentes. *Saxonia lib. 3. de Pulsibus cap. 97.* De pulsu intercurrente vide eundem cap. 95.

Observatio XXX.

Pulsus in dextra manu fere abolitus, In sinistra magnitudine & parvitate dispar, A dissimili inflammationis statu in dextro & sinistro pulmone, cum hydrope thoracis.

Carolus Pharmacopœus obiit ex peripneumonia & hydrope pulmonum: Hic duros non habuit Pulsus, sed in dextra manu fere abolitos, quod durior majorque in dextro pulmone: In sinistra, magnitudine ac parvitate dispares, quod minor ac mollior, & aliqua ex parte suppurata esset in sinistro pulmone inflammatio. *Saxonia l. 3. de Pulsibus c. 96.*

Quomodo ex unica affectione, ut inflammatione, tam varii prodeunt pulsus, cum idem sit locus affectus, causæ & affectiones, adeo ut sint quidam serrini, vibrati, convulsivi, simpliciter duri, atque dispares magnitudine ac parvitate; Respondeo fieri simpliciter duros ex tunicarum arteriæ siccitate, restigeratione, tensione, impletione absque compressione, atque obstructione & absque usu aucto, vel absque vehementia facultatis: Vibratos vero ex his quidem causis, sed accedente usu aucto & robore facultatis: Convulsivos autem irritata sentiente expultriceque nervi facultate; vel ex majori impletione quam in simpliciter duro, Serrinos vero, accedente tensioni compressione moderata: Dispares magnitudine, ex moderata compressione aut obstructione absque tensione: Intermittentes denique, aucta eo usque impletione, obstructione vel compressione, ut tota vasis cavitas in ea parte sit angustata: Idcirco in intermittentibus, atque magnitudine disparibus, ipsæmet arteriarum tunicæ, vel cavitates implentur, comprimuntur, vel obstruuntur: In aliis vero pulsibus jam dictis, vel siccantur ac refrigerantur, vel ad aliarum partium impletionem, ac tensionem comprimuntur atque tenduntur. *Idem.*

Cum Peripneumonia & Hydrope pulmonum) Si quispiam quærat cur hydrope pulmonis laborarit? censeo ex febre ardenti colliquatos fuisse in omnibus venis humores, fusoque sero, magnam illius partem ab ingenti pulmonum calore in thoracem esse tractam, partem vero per lotium fuisse expurgatam: toto enim hoc morbi tempore urinæ crudæ triplo plus reddebat quam biberet; Eandem ob causam existimo Excell. Ducem Pinellum habuisse in capite hujusce aquæ portionem multam, quod scilicet ab inflammationis calore eodem modo in caput attraheretur. *Idem.*

Observatio XXXI.

Pulsus inordinatus, intermittens, urgentibus paroxysmis convulsivis, cum inflammatione pulmonum.

Puella tussi humida conflictata fuit; quæ convulsiva plane evasit, &c. Dum paroxysmi convulsivi urgerent, Pulsus erat plurimum *inordinatus ac sæpe intermittens*, vomitione etiam crebra afficiebatur &c. Ventriculus sanus erat, nihil præter liquorem nuper ingestum continens, &c. Pulmonum caro valde rubicunda & velut cruore suffusa, inflammationis notas exhibens &c. *Vide lib. 1. tit. de convulsione.*

Vomitione crebra afficiebatur] Quanquam hujus vomitus causam rejiciat *Willis* in convulsionum participem factum ventriculum, Adnotatur tamen vomitum Pulmonicis familiarem esse, optimis præsertim diebus, forte quod membrana communis est œsophago & bronchiis pulmonum, adde & nervorum communionem, unde facile ventriculus pulmonibus συμπάσχειν solet.

Inordinatus ac sæpe intermittens) Scorbuticis anomalia illa Pulsus familiaris est, cujus causa cum quadrare possit in ejusmodi pulsum, aliis affectibus accidentem, eam ex Clar. *Willis* Tract. de Scorbuto cap. 3. §. 4. adducimus; Pulsus inæqualis *ait*, ac intermittens Scorburo gravioti sæpenumero accidit, cujus par ratio ac respirationis anomalæ, modo sanguinis in corde accensioni indebitæ, modo nervosi generis inordinationi merito adscribitur: Sanguis salsugineor factus, ac insuper fæculentis scorbuticis valde refertus, velut ellychnii oleum, fæle ac sordibus limosis imbutum, nonnisi inæqualiter ac interruptè accenditur: quare hinc pulsus irregularis cum spirituum vitalium crebro deliquio cietur: Porro si quando nervi cardiaci etiam materia scorbutica obsidentur, ut spirituum animalium influxus, quo cordis motus perennatur, haud justo dimenso & æquabili ritu peragatur, propterea quidem accidit cordis motum aliquatenus inhiberi, ejusque reciprocationes varie perturbari: Pulsus inæqualis vel intermittens, & parvus ac debilis, à dyscrasia sanguinis: Sin satis sit magnus & fortis, à functionis animalis vitio procedere videtur.

Observatio XXXII.

Pulsus Intercisus, Intermittens ob hydropem pericardii & thoracis.

IOh. N. vidua difficultatem spirandi per 30. annos habuit: E capacitate thoracis aquæ libræ 6. putrentis educunt: Aruerant pulmones, Pulsus magnus, elatus, tardus, intercisus & intercalarem habens in pulsatione una atque altera intermissionem. *Vide tit. de Dyspnœa.*

Pulsus magnus, elatus, tardus] Nec enim omnis magnus necessario est vehemens; nec vehemens magnus; Sicut non omnis pulsus parvus est languidus; neque omnis languidus est parvus: lethargicorum enim pulsus sunt magni simul & languidi: Pulsus autem magnus, docente *Franc. Sylvio* sequitur sanguinis rarefactionem amplam plenamque, concurrente arteriatum mollitie: Sed si aruerant Pulmones, cur pulsus potius durus non fuit? Verisimile est talem extitisse Pulsum antequam ariditas inducta sit pulmonibus, quam in morbi decursu ab aqua in thorace contenta, siccanti vi prædita, contraxerunt; vel quia lympham, qua plurima pulmonum superficies donatur, in capacitatem thoracis deposuerunt, qua privari ariditas illis accessit: Nisi dicas in vasis plurimum quoque serum inclusum, expansioni arteriarum ansam præbuisse.

Aquæ libræ sex putrentis &c.] Cavitas pectoris Serenissimi *De quo supra* aquosæ materiæ libras quinque continebat, cujus Pulsus omnino huic dissimilis, inæqualis scil. & parvus; morbo nempe ad exitum & exitium propetante, initio enim magni & fortes fuere.

Observatio XXXIII.

Pulsus inæqualitas ob Hydropem Pectoris & Pulmonum.

IOh. Baptista Ramundinus, sexagenarius, maximam in Pulsu inæqualitatem patiebatur & difficultatem respirandi, inde repente obiit:

Dissecti Pulmo aqua plenus inde, thorax inventi sunt. *Cardanus parte 3. n. 68. de causis, signis & locis morborum.*

Observatio XXXIV.

Pulsus debilitas ob bilem minus acrem in vesica fellea contentam.

DOm. *Franciscus Sylvius* fœminam aperuit, cujus bilis flavescebat, unde minus acris erat; hinc pulsum debilem derivabat: *Alardus Herm. Cummenus in miscellan. cur. anni 1673.*

HInc constat Bilem utilem esse succum, qui sanguini vigorem afflat, nec excrementis esse accensendam: Tantumque abest, ut ad Aristotelis & Plinii placita, quidam hominum absque bile inveniri fuerint, ejusque absentia vitæ productioni inserviat, ut potius ex ejus defectu homo superstes vix esse queat, quin hydropem vel saltem cachexiam incurrat: Id olim à *Fernelio* fuit observatum, qui in quibusdam non aliam mortis causam comparuisse ait, quam quod folliculus omni bile exhaustus fuerit: Præter utilitatem, quam ad coctionem primam expediendam & absolvendam affert, nullum dubium, ait *Moebius Fundam. Medicinæ capit. 16.* ipsam quoque hæmatosin, cùm in corde tum in hepate, bile ista alimentari juvari: Bilis ista nimirum videtur quasi flos sanguinis, unde chylus mixtus cum sanguine in corde, maxime hujus beneficio fermentari, & demum in sanguinem mutari videtur: Revera si inutile excrementum Bilis esset, & solum, ut vult *Galenus*, inserviret ad pituitæ incisionem & abstersionem, ac ut intestinorum expultrix ad deponenda excrementa sollicitaretur; natura eam non ad intestina renuia, ubi chylus ultimam accipit manum, at potius ad crassiora, quæ scybala crassiora continent, & stimulo pro excretione præprimis opus habebant, ablegaret.

Obser-

OBSERVATIO XXXV.

Pulsus deficiens à corruptione omnium viscerum ortus.

CUidam cum acuta febre Animi deliquium, Pulsus deficiens &c. Omnia viscera marcore confecta & abscessu putria inventa sunt. *Vide tit. de Febribus.*

PUlsus deficiens] Galeno 2. de causis Puls. cap. 3. est qui admoventi digitos videtur exsolutus, & tenenti applicatos paulatim prorsus definit: Deficiens autem alius est *Decurtatus*, Μυεΐζων εὔωρμὸς, qui & *mutilus* & *decrescens* dicitur, est qui perpetuo diminuitur, nec minui desistit, ad quierem denique omnimodam venit, prorsusque deficit; Qui si iterum redit, & de integro augetur, *Decurtatus reciprocus* dicitur, 1. de diff. Puls. cap. 11. Quod si in eo nulla servetur æqualitas, motuque ipso frequenter deficiat, *Deficiens inaequalis* appellatur. 2. de caus. puls. cap. 12. Nomen autem à figuris quæ in a entum desinunt, & à cauda muris transtulerunt Græci. Hujusmodi autem Pulsuum inæqualitas Systematica dicitur: Pulsus omnis μύουρος provenit ab imbecillitate facultatis Pulsificæ: verum ea imbecillitas, in eo qui μύουρος ἐκλείπων dicitur, maxima est, neque enim se recipit & recolligit, postea in eo, qui in qua desiit parvitare, hanc servat: minor vero ubi magnitudinem recuperat.

OBSERVATIO XXXVI.

Pulsus intersectus, myurus, capillaris, in ἀσφυξίαν desinens, ob partes vitales in angustum coactas ab hepatis mole, Pulmonum vitio &c.

SErenis. N. arthritidi obnoxius, capitis dolore prehensus fuit, post destillatione in pectus, febricula &c. Omnia frustra tentata sunt, crescente anxietate & aucta pulsus imbecillitate, ita ut intersectus videretur, postea myurus, mox capillaris, tandem sine pulsu: Pulmo, cor, pleura, ac septum transversum vi retracta ac in angustum coacta hepatis mole & ventriculi, septum quasi superantia; Pulmones nigricantes, digitis compressi tabum reddentes, cor integrum, sed inæquali figura præditum &c. *Vide tit. de mictione difficili lib. 3.*

PUlsus intersectus) Alias Intercidens, sive Intercisus, Inæqualis est in uno & eodem ictu, secundum unam & eandem arteriæ partem; ubi arteria suam distensionem finit, media quadam interjecta brevissima quiete: ac licet bis ferire videatur, unus tamen duntaxat est Pulsus, quia ad unam eandémque arteriæ distensionem pertiner. Hic minus periculosus quam intermittens statuitur, quod signum sit naturæ cum morbificis causis decertantis. Notandum vero ex Galeno 2. de Præsag. 5. quod intercurrens aliquando bonæ fit crisis prænuntius, naturæ ad pugnam se accingentis conatum indicans: aliquando fit symptomaticus, pravæ alicujus affectionis index, qui plures habet inæqualitates connexas, qualis fuit in Serenissimo, sequutus enim pulsus myurus, capillaris, fatiscentis indices facultatis: criticus autem, præter intercurrentiam, alias non habet insignes inæqualitates, suas prætetea obtinet distensiones magnas, validas, celeres, præsertim circa statum ac coctionis tempora.

OBSERVATIO XXXVII.

Pulsus vibrans ab Hepatis incendio, Sinistro pulmone purulento, &c.

IN Ill. Domina N. febre semitertiana affecta Pulsus erat Vibrans, qualis in ingentibus inflammationibus apparere solet. Hepar incendio incanduerat. In cysti aderant lapilli novem: Sinister Pulmo purulentus: Fœmina erat iræ præcipitis. *Vide Tit. de Febribus.*

PUlsus erat vibrans) Græcis dicitur κλονώδης: hic perpetuo durus est, & propter duritiem vehemens: fit autem cum valida est facultas, instrumentum durum & urgens usus: quorum unum si absit, ex Galeno, Vibrans fieri non potest. Eosdem autem quos & Pulsus durus morbos denuntiat.

Qualis in ingentibus inflammationibus) Quatenus facultas valet, non potest eor primo & per se insigni morbo laborare. Prout vero usus est valde auctus, oporter affectionem esse calidam, magnam, aut cordi proximam, aut saltem per magna vasa illi facile communicabilem: denique quatenus instrumenta sunt dura, opus est corpus arteriæ esse valde impletum, aut saltem valde tensum, ob membranas, nervos tendonesque affectos. Ex quo statim colligitur posse Vibratum fieri ex inflammatis, vel à calida materia impletis arteriis lævibus, aut iis quæ ex aorta ducunt originem (dummodo tamen affectio facultatem non exolvat) vel ex eadem inflammatione, aut impletione septi, pleuræ, meningum, oris ventriculi, vesicæ, uteri, intestinorum, aliarumque id genus membranarum, ut peritonæi, jecoris, lienis, renum, testium ac consimilium. Denique vero ex nervorum ac tendonum affectione, præcipue vero pedum ac brachiorum, qui cæteris sensibiliores ac duriores sunt. Ex his omnibus locis fieri Duros Pulsus, & accedente causa calorifica, ut *inflammatione*, erysipelate, impletionéve à materia calida *Vibratos* nemini jam ignotum est. *Saxonia lib. 3. de Pulsib. cap. 83.*

Observatio XXXVIII.

Pulsus inaequalis, deficiens, ob cordis ventriculos & pulmones sanguine refertos, cum caruncullis in sinistro cordis sinu.

Dom. N. de palpitatione cordis conquestus est, Pulsum illius contrectans, inaequalem illum invenio, omni genere inaequalitatis, ita ut statim mihi renovaverit memoriam Antipatri: Varia sunt praescripta, sed aeger in pejus perpetuo ruebat, summa difficultate respirandi laborans, & Pulsus nullus apparebat in carpo. Aperto cadavere, inventus fuit cordis ventriculus uterque sanguine concreto repletus ac distentus: tum etiam totus Pulmo sanguine multo refertus. In sinistro cordis ventriculo carunculae rotundae. *Vide Tit. de Palpit. cordis.*

Observatio XXXIX.

Pulsus intermissus, tandem asphyxia ob calculum in sinu dextro cordis inclusum, &c.

Honesti civis filia, cachectica, in febrem biliosam continuam incidit, succedit pervigilia. Pulsus intermissus, &c. In capsula cordis aderat humor putridus, cor duplo majus, bubulum referens, inveniuntur: circa valvulas dextri ventriculi calculus ex tartaro concretus. *Vide tit. de cordis palpitatione.*

Observatio XL.

Pulsus per triduum deficiens ab exhaustis sanguine cordis ventriculis.

Uxor N. quae gravida judicabatur, post varia symptomata vivere desiit. Cor illi elegans & pusillum, adipe fere rectum, in ventriculis ne gutta sanguinis comparuit, ut mirum non sit tribus ante obitum diebus Pulsum cessasse. *Vide lib. 3. Tit. de ventris tumore.*

Pulsum cessasse) Circa Pulsus validi & debilis causas sic ratiocinatur *Franc. Sylvius* Praxeos lib. 1. cap. 34. §. 43. & seqq. Arbitramur, ait, omne animi deliquium deduci debere proxime ac immediate *ab ipso sanguine ad cor utrinque accedente*, atque iis omnibus quae tum secundum rum p. n. ipsi conjunguntur, & unà cum ipso ad cor deferuntur, ipsiusque Effervescentiam naturalem ita turbant & immutant, ut non tantum sanguinis rarefactio imminuatur, sed cor ipsum non satis expandatur contrahaturque, Sanguisque insufficienter in Arterias effundatur, ideoque *Pulsus Minor* & *Languidior*, quin aliquando *Nullus sentiatur*.

Si enim ad pulsum laudabilem efficiendum requiratur, sicuti omnino requiri arbitramur, tum 1. *Sanguis* undique & utrinque ad utrumque cordis ventriculum refluens, tum 2°. *Bilis* ascendenti sanguini juncta; tum 3°. *Lympha* undequaque cum *descendente Sanguine* affluens, tum 4°. singularis ex continuo *Bilis*, *succi Pancreatici & Salivae* in tenui intestino confluxu post sui Effervescentiam ortus, & mox per Lacteas venas translatus *Liquor*; tum forsan 5°. *Aër inspiratione in pulmones attractus*, & aliqua sui parte Sanguini per ipsos circulanti admistus, dum in subsequente mox Expiratione excluditur iterum reliqua; tum aliquando 6°. *Chylus*, quamvis non semper is, sed post assumpta demum alimenta propellatur ad cor: Si haec omnia, inquam, requirantur ad laudabilem Pulsum efficiendum; utique singula tum adesse, tum rite disposita esse oportet: Quod si horum unum vel plura in totum aut ex parte desint, aut copia majore adsint, aut aliena qualitate donata eo accedant, vel alia insuper non requisita, ideoque necessario noxia confluant, continget dubio procul praeter aliarum in corde fieri solitarum functionum labefactationem, aliqua *Pulsus laesio*.

Ut autem in praesenti maneamus negotio, *Pulsus* deficiet plus minusve in *Magnitudine ac robore* 1. propter universalem *Sanguinis defectum*; post haemorrhagiam notabilem, aut, inediam diu protractam. Unde non tantum deficiet sanguis, verum alii quoque in corpore humores, Bilis, Succus Pancreaticus, Lympha & caeteri ad vitalem sanguinis rarefactionem, Pulsumque adeo magnum efficiendum necessarii.

Deficiet idem in Magnitudine, hinc & Robore Pulsus 2. Propter *Bilis defectum*, in alvi fluxu & vomitu enormi, ac praesertim cholera morbo; unde quantitate minore, tandemque forsan nulla si ad cor deferatur Bilis, an mirum si minor vel nulla fiat sanguinis Rarefactio, si minor vel nulla sequatur Ventriculorum cordis tum Expansio tum Contractio, Pulsusque sentiatur vel Minor vel Nullus.

Deficiet idem in Magnitudine, hinc & Robore Pulsus 3. propter *Lymphae defectum*, à Sudore nimio, cum quo, praeter spiritus animales, Lympham quoque minui evincere videntur Acida, non minus quam Spirituosa Volatilia, multum sudantes recreantia & restituentia. Defectus autem Lymphae Subacidae, tum sanguinis Consistentia mediocris, tum ejusdem Effervescentia deficiet, unde idem nec satis rarefiet in corde, nec hujus Explicatio Complicatioque fiet satis magna, unde Pulsus etiam observabitur necessario Naturali minor.

Deficiet idem in Magnitudine, hinc & Robore Pulsus. 4. propter Liquoris ex *Intestinali triumviratu exurgentis* defectum, in vomitu & alvi fluxu molesto ac inprimis continuo: Hoc enim ex parte, aut in totum excluso, carebit necessario Sanguis ejus beneficio. Censuimus autem alibi facere ipsum ad *Coagulationem naturalem Sanguini conciliandam*. Ea proinde si plus vel minus destituatur sanguis, nec hujus defectus reparatur continuo, minus aptus erit ad rarefcendum cordisque ventriculos explicandum

dum sanguis, sequeturque Pulsus necessario Minor.

Deficiet idem in Magnitudine, hinc & Robore Pulsus, 5. propter *Inspirandi Aëris defectum*, in Oris, Narium Fauciumque, aut Asperæ arteriæ angustia qualicunque, ob quam minori copia accedens aër, desideratum sanguini refrigerium, vel qualemcunque tandem mutationem satis nequit conferre, quocirca segnius ptopulsus per Pulmones sanguis, nec sufficientem novo ex dextro cordis ventriculo succedenti locum faciens, cordis contractionem impedit, & hactenus *Pulsus minoris* causa existit.

Deficiet idem in Magnitudine, hinc & Robore Pulsus 6. propter *Chyli defectum*, & in præpostera *Inedia*, sive voluntaria sive coacta, & in *Alimentorum fermentatione*, aut *Secretione*, aut *Transcolatione*, aut *Translatione* quovis modo impedita: Nisi enim quotidie, ac inprimis consueto tempore assumantur alimenta, ex quibus electus Chylus ad cor deferatur, non tantum non resarcietur sanguis continuo deperditus, sed in se, sanguinemque reliquum, nimium perpetuamve agent Humores in corde, ac intestino tenui confluentes, ac nonnunquam præstabunt sanguinem magis vel minus consistentem, hactenusque ad debitam sufficientemve sui Rarefactionem, cordisque ventriculorum Explicationem Complicationemque ineptum, unde necessario sequetur Minor & Debilior pulsus.

Non tantum ex enumeratorum Humorum *defectu*, verum aliquando excessu quoque, *Minor* & *Languidior* continget *Pulsus*. Nam 1. Sanguinis redundantia, plethora dicta, Impedit ne spatii & loci defectu copiosus in Arterias expelli possit Sanguis, nec proinde in dextro cordis ventriculo satisque rarefieri, cordisque parietes multum explicari rursumque complicari queant.

Quin 2. *Bilis* majori copia ad cor delata, in febribus ardentibus præsertim, non tantum sanguinem solito magis potentiusque rarefacit, cum Pulsu Majore ac Robustiore, sed postquam ista rarefactione nimia tandem vasa multum distendendo, & Plethoram ad vasa dictam dicendamve constituendo, spatia ipsorum omnia replevit, ut ut Ardorem conservet noxium, non potest tamen Loci defectu æque sanguinem ac prius diducere, atque Pulsum Magnum Robustumque producere, qui potius sensim observatur Minor ac Debilior, ob deficientem sanguinis Rarefactionem, Cordisque ventriculorum Explicationem Complicationemque, donec Sanguinis effusione qualicunque, locus paretur novus reliquo amplius rarefacto excipiendo, una cum Pulsu & Majore & Robustiore mox simul concurrente.

Pulsum Minorem, ideoque Languidiorem quoque producet. 3. *Lympha Subacida*, si copia majore accedat ad Cor: quoniam Consistentiam tribuet sanguini firmiorem ac solidiorem, quam ut debite satisque possit idem rarefieri ad cordis ventriculos sufficienter dilatandos, quo succedat notabilis eorundem constrictio ad Pulsum magnum ac Robustum constituendum omnino necessaria.

Idem dicendum 4. de *Liquore* illo intestinorum tenuium *triumvirali*, si præsertim ejus munus sit coagulationem naturalem, ab acido subaustero pendentem, Sanguini præstare. Hoc enim aucto augebitur quoque sanguinis coagulatio, minuetur contra ejusdem aptitudo ad rarescendum, ac minuetur proinde Pulsus, fietque simul Debilior.

Cum *Aëris* laudabilis copia magna in Pulmones allecta non possit non esse utilis, non poterit ab ipsa expectari, nec deduci Pulsus Minor, vel Languidior.

Potest tamen 5. à *Chylo* majori copia, quovis modo ad cor delato, Pulsus reddi & Minor & Debilior, quatenus sanguinea vasa nimium replet, ac plethoram tum efficit, tum auget.

Si quantitate, aut deficiente aut excedente, Pulsum minorem Languidioremque producere potuerunt & sanguis & alii memorati humores ad cor cum ipso delati, certe non minus idem præstabunt iidem quoties *qualitate* peccant noxia. *Sanguis* namque 1. vel *fluidior*, vel *solidior* ineptus est laudabili suæ rarefactioni, qua deficiente ostensum jam est non semel pulsum consequi Minorem Languidioremque.

Sic 2. *Bilis glutinosa minusque acris* effervescet minus, partesque igneas de se promet parcius, unde sanguis minus rarescet, & tandem pulsus fiet minor ac debilior.

3. *Lympha* vel *acidior* vel *austerior*, non tantum sanguinem præstabit *Glutinosiorem*, ideoque ad rarescendum ineptiorem, sed insuper non parum obrundet bilem, partesque Igneas undecunque erumpentes, atque sic pulsui & minori & languidiori dabit ansam.

4. Idem sentiendum dicendumque de *Liquore* laudato *Triumvirali* vel *acidiore* vel *austeriore*.

4. *Aër Borealis* & *Asperior* faciet multum ad sanguinem valde coagulandum, ipsiusque rarefactionem impediendam.

Si 6. *Alimenta* assumantur *acidiora* vel *austeriora*, chylus quoque parabitur similis, à quo notata incommoda sunt expectanda, cum pulsu minore ac Debiliore.

Pulsus minor ac Debilior, debetur quoque aliis Rebus præter naturæ leges ad cor delatis, quoties aut *Humores* in corpore corrupti, aut *Halitus Flatusve* ex ipsis producti, aut *venena* per os, nares cutisve poros, vel quamcumque aliam viam in corpus penetrantia una cum sanguine Cor accedunt, & sanguinem aut nimis coagulant, coguntve aut quovis modo alio ad debitam sui rarefactionem ineptum reddunt.

OBSERVATIO XLI.

Pulsus Inæqualis ob contenta extranea in sinubus cordis, succedente Asphyxia.

DOm. N. Pulsum contrectans, illum inæqualem invenio omni genere inæqualitatis, tandem ad asphyxiam devenit. Inventus fuit cordis ventriculus uterque sanguine concreto repletus, In sinistro caruncula. *Vide Tit. de Palpit. cordis.*

OMnis generis inæqualitatis) Inæqualitatis pulsus causas tum in Corde, tum extra id disquirit *Saxonia* lib. 3. de pulsibus cap. 14. Quamvis, *ait*, Galenus 4. de præsag. ex pulsf. 12. nos docuerit affecto corde omnium arteriarum pulsus mutari, contra verò quarundam tantum ubi in

ubi in arteriis quibusdam determinatis fuerit læsio, attamen non valet consequentia, omnes arteriæ inæquales proferunt Pulsus, ergo Cor in propria substantia est affectum. Potest enim affectio in Magnæ Arteriæ principio consistens, omnium arteriarum pulsus reddere inæquales, ut aperte colligitur ex *Galeno* 2. de Puls. causis 4. & *Antipatri* exemplo confirmatur 4. de loc. affect. ult. Itaque cordis affectionem in propria substantia factam, eo dignoscemus argumento quod ab Hippocr. propositum est 2. aphor. 41. *Qui sæpe ac vehementer, & absque manifesta causa exolvuntur, repente moriuntur:* Ex nulla enim alia parte affecta potest quispiam sæpe, & vehementer, & citra manifestam causam animo linqui, præterquam ex vitiato in propria substantia corde: Fit plerumque *omnis generis inæqualitas* in Pulsu, propter læves arterias obstructas vel compressas, ut de Antipatro proxime, nullo tamen existente animi deliquio, nisi prope mortem.

Fit quoque Pulsus insigniter inæqualis ex *ore ventriculi affecto*, accedente quinetiam frequenti syncope, sed causa erit manifesta, vel boulimos, vel frigidorum humorum copia, vel acrimonia atque tenuitas.

Fiunt plerumque non minus inæquales ex *utero*, cum animi defectu magni momenti: sed & hujus defectus atque inæqualitatis causæ erunt conspicuæ, sorte nec admodum frequentes. Solum Cor primario læsum omnem profert Pulsus inæqualitatem, cum frequenti ac valida syncope, interim nulla apparente in reliquis corporis partibus affectione: Ex quo statim concludendum Cor in propria substantia vim pati: Quia vero aut *intemperie nuda* afficitur, aut à materia aliqua *comprimitur, gravatur* vel *obstruitur*, utrobique quidem aderit omnium Pulsuum inæqualitas, frequensque syncope, sed in intemperie cum materia, aderit Palpitatio, In intemperie citra materiam, nulla, juxta Galenum 3. de Præsag. ex Puls. 4. *Quæ cum sit duplex, air, altera in succis ejus propriis, altera in partibus solidis, illa ex succis profecta, una cum totius corporis fit palpitatione, hæc ex solidis partibus absque palpitatione.* Utrum vero materia sit in ventriculorum cavitate, an solidæ impacta substantiæ, pertinet ad disquisitionem causarum syncopes & palpitationis. Nunc illud intellexisse sufficiat, Cor primario affectum omnes pulsuum proferre inæqualitates, cum syncope absque causa, addita quinetiam palpitatione, si adsit materia: absque palpitatione vero, cum desit materia. Idcirco noxias istas causas in aliis propinquis cordis partibus reperiri, facile ex hoc dignoscemus, vel quod careant syncope, vel si adsit, nec erit frequens, nec valida, nec tandem absque manifesta causa, imo vero cum ea cunctis cognita & perspecta. Hujus rei multa proferri possunt exempla, quorum primum ex *Antipatro* desumitur, qui omnem habuit in pulsu inæqualitatem, absque frequenti syncope, ob læves arterias læsas, 2. est alterius, de quo Observat. ex *Hollerio*. 3. est *Dodonæi*, qui ex magnæ arteriæ affectu eosdem vult fieri Pulsus, quos ventriculorum cordis affectio generat, sed absque syncope, cum palpitatione tamen, cujus fidem facit historia ab eodem conscripta, Vide Observat. Ex quo & aliis consimilibus casibus, patet, Magnæ arteriæ callos, tumores insignes, obstructionesve, Iuterruptos Inæqualesque omnis generis pulsus proferre, cum cordis palpitatione: Eosdem vero affectus in vena arteriosa omnia hæc præstare, palpitatione excepta, Id quod mihi quoque propria constat experientia & exemplo *Calceolarii*, cujus vide historiam inferius.

Sic ergo loci affecti in genere & affectiones sunt distinguendæ.

Causæ vero atque morbi in specie, qui gravitatem, obstructionem vel compressionem faciunt, ita inter se discerni debent, Nam si fuerit sola materia absque tumore, pulsus erit inæqualis, inordinatus: Si fuerit tumor aliquis, erit ordinatus stabilisque, propterea à Galeno *Hecticus* vocatus. Rursum si tumor non adsit, sed tantum materia, si quidem vaporosa fuerit, cito accedit & recedit omnis Pulsuum inæqualitas, neque interrupta est, sed tantum dispar: Si vero *corpulenta* fuerit, diutius permanet, Pulsumque interruptum, pro sui copia ac crassitie potest efficere, Imo vero ejusdem materiæ copiam ex disparitatis interruptionisque modo dignoscemus: Etenim qui interrupti, æque sunt languidi in principio ac fine, valde oneratam ostendunt facultatem, qui in fine tantum, minus: qui in principio magis quam in fine, omnium minime: Materias vero atque tumorum species sic distinguemus; nam materia, aut tumor calidus, pulsus simul profert aliquanto celeriores, majores, aut saltem crebriores; frigidus vero oppositos: idcirco cum calidis plerumque febris erit connexa, cum frigidis nequaquam. Et cum materia, ut diximus, pulsus inconstans erit, cum tumore vero, firmus hecticus ac constans.

Sed ambiget quispiam, an ex Inæquali pulsu, pet omnes arterias, cum magnitudine, celeritate, ac crebritate stabili, ordinata, atque cum syncope, possimus inferre Cor primario tumore calido, inflammatione scil. aut erysipelate laboraret, Ex *Galeno* enim 5. de loc. 2. &3. de præsag. ex pulsibus 8. Cor non potest inflammatione vel erysipelate tentari, quin prius animal intereat? Itaque non videtur valere consequentia nostra, *Pulsus est in omnibus arteriis inæqualis, hecticus, cum celeritate, magnitudine, crebritate, ergo calidum cordis tumorem significat.* Respondeo veram esse *Galeni* sententiam de maximis cordis tumoribus, qui totam illius substantiam occupant, non de illis qui unam duntaxat ejus particulam tenent. Docuit quippe experientia, ex multiplici sectione cadaverum comparata, cor, diu vivente homine, abscessus ulceraque sustinuisse: at vero si abscessus, ergo & inflammationes quæ abscessus præcedunt, Exempla passim obvia sunt: Itaque semper potius experientiæ quam authoritati adhærendum.

APPENDIX.

Pulsus inæquales in integra valetudine fruentibus aliquando accidunt.

Ex casibus Observat. superioribus allatis, apparet magnæ arteriæ callos, tumores insignes, obstructionesve, interruptos inæqualesque omnis generis Pulsus proferre, cum cordis palpitatione: Eosdem vero affectus in vena arteriosa omnia hæc præstare, palpitatione excepta.

excepta. Id quoque mihi propria constat experientia, Calceolarii cujusdam Patavini, septuagenatii, qui multos jam annos pulsus habet inæquales, illis omnino similes quos refert Galenus Antipatrum habuisse, absque palpitatione tamen: Imo vero usque adeo integra fruitur valetudine, ut omnia obite munia possit. Hoc vero admiratione dignum hunc tunc primum inæqualitatem hanc amittere cum febribus detinetur: febre autem recedente eandem statim recuperate. *Saxonia l. c.* Experientiæ huic mea accedat; Sub mea cura est ab octennio Nobil. Matrona, Dom. Favre, jam octogenaria, asthmati cum cordis palpitatione à juventute obnoxia. Illi similiter Pulsus inæqualis est continuo, inæqualitate systemarica, intercisus, intercurrens, imo sæpe intermittens; alias pro ætate, si crurum infirmitatem excipias, robustissima; quanquam hydrope ascite, asthmati complicato, affecta fuerit ante tres annos, cura autem nostra liberata: Alteram huic adjungo, Matronam Clarissimam, & opificio fimbriarum denticulatarum argentearum tota Europa celeberrimam, Dom. Andrion, alias Perdreau, mulierem sagacissimam, sexagesimum quartum annum prætergressam, sat firmæ valetudinis, cui etiamnum Pulsus mire variegatus est, interruptus, intermittens, sed fine cordis Palpitatione.

Observatio XLII.

Pulsus intermittens à corde exulcerato, &c.

Puella annos 14. nata febre prehensa, pulsum fere semper habuit intermittentem, cum tussi sicca, dyspnoea, &c. Mortuæ cor albicans visum est, & media sui parte exesum & exulceratum, &c. *Vide Tit. de Hæmoptysi.*

Intermittens) De pathemate hoc distinguere oportet, cujus duæ sunt distinctæ fiendi rationes: nam licet quandoque pulsus intermittat, quoniam cor pro eo tempore à motu cessat, attamen præterea tactu indice pulsus nonnunquam in carpo intermittere videtur, dum cor in pectore celerrime ac incessanter (utifit in Tremore ejus) vibrare sentitur, cujus causam esse suspicor, quod urgente illa cordis passione sanguinis portio tantum perexigua quaque systole in Aortam projicitur: quare hæc inanita & flaccescens, atque sarcina promovenda carens, nè frustra sæpius agat, contractionem suam quandoque intermittit. Pariter hoc fieri videtur ac circa navem exonerandam, vid. quo tempore merces difficilius & impedite admodum depromuntur, bajulatores exportaturi ituum & reditum vices quasdam prætereunt. Porro in febribus malignis aut funestis, si quando pulsus creber & debilis sit, etiam is subinde intermittit. Cujus ratio est, non quod cor à motu interdum cesset (hoc enim tunc inprimis indesinenter laborat) sed quatenus sanguis non uberi satis penu quaque systole in aortam profertur; quare hæc opere satis agendo carens, nonnunquã otiatur.

Verum insuper pulsus quaudoque intermittit, quia cordis ipsius contractio pro vice quadam suspenditur, sive pausa ejus duplo longior existit, quod quidem manu pectori admota quispiam in seipso aut alio facile deprehendat, imo laborantes pergravamen pectoris & oppressionem plane in se persentiunt, quoties cor à motu cessat: Porro hæc affectio non tam languidos, moribundos aut periculose laborantes, quam satis validos & quoad plurima recte habentes passim incessit: quare non semper; juxta vulgi opinionem, pro morbo aut signo perniciofo admodum, aut valde sontico sumi debet; Huic obnoxii plerumque etiam vertigine, cephalalgia aut pathematis spasmodicis molestari solent: Cæterum iste cordis defectus quoad typum varius est, nam intermissionum periodi modò sunt certæ & ad pulsus vicem quandam, puta 3. 4. 5. aliamve aut crebriorem aut rariorem, determinatæ: modo incertæ sunt ac vagæ, ut cessatio per pulsus jam pauciores, mox plures contingat: Arteriæ vibrationes dum continuantur satis validæ, sive fortes existunt, & plerumque sunt æquales: quandoque tamen pulsatio prima post intermissionem maxima est, quæ succedit paulo minor, ac ita sensim minuuntur, donec intermissio repetat, dein postea pulsus magnus incipiens, quasi per scalam rursus ad ἀσφυξίαν descendit.

Novi quosdam pulsu intermittente semper præditos, ut nullo non tempore arteriam tangens, ita habuisse deprehenderem, interim ut illi satis sani visi de nulla alia ægritudine quererentur: attamen quosdam alios adverti tantummodo cum adesset, vel immineret, cephalalgia immanis, aut capitis affectio quæpiam gravior, etiam pulsum solito tardiorem & intermittentem habuisse.

Ex his constare arbitror pathematis modò descripti causam, sive rationem formalem, non à sanguinis mistione, aut crasi, sed tantum ab irregulari spirituum animalium è cerebello in nervos cardiacos, indéque in tendines, cordis dispensatione pendere, Enimvero suspicari fas sit propter nervos istos nonnihil obstructos, spiritus animales haud pleno satis alveo, aut influxu ad musculi hujus tendines dependere: quare cum penus eorum nonnihil deficit, cordis motus pro unico pulsu subinde cessat; donec spirituum copiis mox denuo instauratis, actio ejus redintegrari possit. Ita videmus Molendinum à rivo perexiguo circumactum, lympha interdum subsidente & pene exhausta subsistere, & deinde mox cum assurgeret aquarum cumulus, circuitus suos repetere.

Quorum pulsus ex se magnus & satis fortis intermittere solet, illi non tantum cephalalgiis & affectibus Vertiginosis, sed plerumque etiam Incubo, & non raro Apoplexiæ obnoxii degunt, nam si contigerit nervos cardiacos, prius non satis apertos & expeditos, postea in totum obstrui, propterea necesse erit Corde (quod primus Elater est) immobili facto, corporis animati machinam mox totam à motu, & consequenter à vita cessare.

Quam-

Quamvis affectio hæc præsente incommodo aut periculo sæpe carens, præptoperam curationem non exigat, attamen præservationis gratia, ne morbi graviores insequantur, remedia adhiberi debent, ut quantum fieri possit morbida quævis seminatia intra ἐγκέφαλον jacta, aut ibidem progigni apta tollantur & præcaveantur: In hunc finem huc referimus methodum contra apoplexiæ insultus alibi à nobis propositum. *Willis Pharmac. Ration. p. 277. &c.*

Observatio XLIII.

Pulsus inæqualis, inordinatus, intermittens, ob obstructionem utriusque sinus cordis à substantia quadam ossium medullæ simili.

Illustr. Princeps bis aut ter in anno ex catarrho tenui ad pectus fluente, & orthopnoeam cum suffocationis periculo ad breve tempus generante, vexabatur, &c. cum pulsu inæquali, inordinato, intermittente, &c. Cor in utroque suo sinu substantiam quandam continebat oblongam, teretem, mollem, ex albo flavescentem, lentam, medullæ ossium calefactæ persimilem, sed appendicibus aliquot præditam: in dextro quidem longam digitos septem, in sinistro minorem crassitudine digitali, &c. *Vide lib. 3. Tit. de ventris Tumore.*

Pulsu intermittente) Ex pulsu intermittente sæpe exitium prædicunt Medici & falluntur: remittit quippe subinde in acutis morbis, oppresso sanguine in corde, pulmonibus, &c. sed postliminio redit, cum vel minuto sanguine vel revulso, liberiori per arterias cursu fertur: Exercitus Præfectus in febre ardente cum respirationis difficultate & molesta tussi, pulsu intermittente, non raro me turbavit, qui tamen extincta febre, redeuntibusque viribus cum sanitate pristina cursum consuetum repetiit: P. Servius Medicus Romanus, febre continua detentus, sex dierum spatio carebat pulsu, optime tamen convaluit. In moribundis pariter fallax judicium præbet, Civem curavi febricitantem cujus pulsus modo remittebat per vices, ut mortem instantem minaretur, modo vegetior recurrebat, ut sanorum similis videretur, quo sæpius repetito, tertio demum die serio desiit & pulsus & vita: Alios vidi chronico morbo enervatos, tribus ante mortem diebus pulsu prorsus carentes: Febre maligna quidam æstuans, toto ferme morbi cursu pulsu destituebatur, perraro recurrente, quem xiii. demum die sustulit fati necessitas: nempe malignitate ita sopiuntur sensus sanguisque, ut nullo ad arterias Pulsu ferantur: In mortis vero confinio sanguis, vel in corde vi caloris grumescit, ut fluere non possit, vel deficiens, arteriis relictis, cordi auriculisque movendis vix sufficiat. *Bartholinus centur. 4. histor. 42.*

Observatio XLIV.

Pulsus intermittens à calculo obsidente arteriam aortam juxta renes.

Juvenis incidit in vehementem cordis palpitationem, &c. quibus accessere Pulsus intermittens, &c. Prope renem sinistrum dedit se nobis in conspectum inauditum calculi genus, quod, à loco cui insedit, vocare lubet arteriale: insidebat quippe firmiter illi arteriæ aortæ ramo, qui vergit ad glandulam Eustachii, sinistro reni impositam, &c. *Vide Tit. de Palpitatione cordis.*

Inauditum calculi genus, &c.) Imo à calculis & arenulis circa renes retentis, & conatu naturæ in iis excernendis pulsus intermissionem contigisse, quibus exclusis ad pristinum tenorem redierit, notat *Bartholinus* histor. 37. centur. v. Unde infert hujusmodi intermissionem terrori Medico esse non debere. Hinc recte *Hollerius c.* de colico dolore in scholiis, vires ex pulsu non esse colligendas in magnis doloribus, quia tum solet esse admodum parvus. Sereniss. Princeps Anhaltinus Ludovicus, referente Rolfinkio Meth. med. spec. l. 3. c. 11. calculosus ex renibus, hypochondriacus, asthmate sicco laborans, pulsum à primis pueritiæ incunabulis habebat intermittentem quasi connatum.

Observatio XLV.

Asphyxia à cordis vasis majoribus sanguine concreto repletis.

Vidit Guido Patinus Facultatis Medicæ Parisiensis Decanus meritissimus, &c. Virum diutius asphyxia laborantem, in cujus cadavere dissecto cordis magna vasa sanguine concreto erant repleta. *Th. Bartholinus Tract. de lacteis Thoracicis cap. 14.*

Concretionis illius sanguinis causam refert in humoris, quo dilui debet, defectum, atque ἀσφυξίαν obstructis thoracicis lacteis induci credit. Variorum, *inquit*, affectuum generationem faciem & expeditam nuper invertæ lacteæ thoracicæ propalant, *1. &c. §. iv.* Pulsuum mutationes cibo sumpto, qui dignosci à Medico prudenti, idcirco debent. Imo pulsus interceptio in asphyxia obstructis his thoracicis inducitur, unde sanguis, copiosus alioquin, humore necessario dilui nequit. Hinc vidit G. Patinus, &c. Sæpius id quoque observavi in subito demortuis cadaveribus passim à me dissectis. Panarolus in febre ardentissima mortuo vidit

tuo vidit cor torrefactum pyri tosti instar, absque ulla pericardii aqua, unde febricitantes & potu indigent & eundem appetunt: Iisdem lacteis obstructis sine dubio animi deliquio occubuit *Rob. de Marca* apud *Smetium*; cujus ventriculi cordis coagulato sanguine scatebant, &c. *Vide infra Observ. 4.*

ANATOMIÆ PRACTICÆ

LIBRI SECUNDI

SECTIO X.

De Leipothymia, Syncope.

Observatio I.

Syncope à corde Sanie obsito.

Lucas Alantsea, civis & Bibliopola Viennensis, cum subitò ex syncope anno 1522. obijsset, apertum est ejus pectus, atque inventa est plusquam media pars cordis saniosa & putredine absumpta in hunc modum; Quæ certe putrefactio in exiguo tempore tam validum membrum consumere adeo non potuit; sed necessarium est diuturnam perstitisse priusquam tam nobile membrum, fortissimis & durissimis villis constans, adeo evinceretur: Hic eo anno quo obiit, multa & crebra passus est animi deliquia: *Matthias Cornax cap. ultimo suæ historiæ.*

Cor ipsum & putredinem & apostemata perferre posse aliquandiu, testimonio *Nic. Massa* ostendam, Qui in anatomia sua, cap. de corde, se secasse Mercatorem quendam Venetiis, ex vulnere capitis mortuum, testatur, in cujus corde; cùm obiter thoracis partes perscrutaretur, repetit præter omnium opinionem ulcus, seu apostema, in ipsa auricula & substantia cordis, magnitudine ovi gallinacei, quem tandem certo comperit, habita diligenti investigatione apud demortui familiares, quod in vita nunquam de corde fuerit conquestus: Sed non inconcinne fortassis aliquis inferre possit Venetum mercatorem immunem ab animi deliquiis fuisse, quoniam recentior lues, & non perindè magna putredo illius cor invaserat: Civem verò Viennensem ideo crebras syncopas perpessum, & hisce extinctum, magna putredine cor urgente & ad exitum vitæ impellente: Hæc à me dicta sunt, ut candidus Lector agnoscat multa præter opinionem veterum contingere, multa naturam aliquando moliri nobis incredibilia, nedum incognita, vera tamen. *Idem.*

Observatio II.

Syncope ab ulceribus sinistram cordis auriculam exedentibus.

Puero trimo ferebatur ab humido capite tam frequens destillatio in subjectos pulmones, ut præter tussim ac febriculam, contraxerit inde summam spiritus difficultatem, profundum soporem, & tam frequens animi deliquium, ut tandem repente migraverit è vita.

Qua defunctus, obtulit Medicorum oculis pectus aqua refertum, & pulmones non tantùm flaccidos, sed sinistram cordis auriculam variis ulceribus exesam: à quorum eructante fœtore descit proculdubio frequens animus ipsi.

Cordis deliquium etiam aliis ex simili causa vidimus contigisse: sed præcipue cuidam furi, quem propterea pusillanimem vituperavérant qui cum ipso versabantur nebulones. Sed viderint hic eruditi, utrum non oporteat ad insensibilem horum ulcerum *disruptionem*, referre repentinas illas mortes de quibus loquitur *Hippocrates* inquiens, Qui exolvuntur sæpe ac vehementer, sine evidenti causa, repente moriuntur: aph: 41: section: 2. *Nicolaus Tulpius lib. ij. cap. xvi.*

Observatio III.

Nobilis mulier frequenter animo deficiebatur: Omnibus remediis magnam & malignam vim morbi oppugnantibus consulebatur: Aperto cadavere, in sinistro cordis ventriculo repertus est exiguus quidam grumus sanguinis qui ibi concreverat, hinc repentinæ mortis occasio. *Ballonius Paradigmate xi.*

QUi ibi conreverat) Cum sanguis naturaliter concrescat & grumescat, quæritur, Unde illa fit in sanguine coagulatio & concretio? Censeo illam pendere ab Acido succo illi ex glandulis accedente: Ab acido pendere sanguinis coagulationem, evincitur affusione aceti, vel aquæ cum vitriolì sulphuris aliove spiritu acido mistæ in venam bruti adhuc viventis, unde mox potenter coagulabitur sanguis; acsi ad cor usque liquor infusus pertingat, morietur mox subito animal. A glandulis succum acidum accedere sanguini, evincunt & lympha, & succus Pancreaticus artificiose collecti, & acidi toties jam deprehensi, atque viis manifestis ad sanguinem in cor descendentem delati. Quemadmodum autem non dubitamus sanguinis coagulationem naturalem pendere ab Acido ex sanguine in glandulis conglobatis & conglomeratis secreto, iterumque ad descendentem sanguinem translato, ita non veremur affirmare Coagulationis ejusdem impedimentum & defectum acceptum ferendum sali valde volatili, & inprimis acriori: Asserti veritas evincitur quovis sale volatili Aqua diluto, & itidem per siphonem in venam immisso, à quo animadvertetur sanguinis coagulatio impediri, imo tolli. *Sylvius de le Boë Appendicis Tract. 2. §. 50.* Vide scholia ad Obs. de Apopl. ex Bayle.

Observatio IV.

Syncope à nigro concretoque sanguine in dextro cordis ventriculo, ejusque auricula; Et nigro crassoque in sinistro.

VVIlelmi Roberti de Marea, Principis Bullionei famulus quidam, jejunus in subitaneum animi deliquium præcipitatus, eodémque oppressus mox interiit, qui ante de nullo malo questus fuerat.

In cujus Anatome dexter cordis ventriculus, simul cum auricula ejusdem, nigro, crasso coagulatoque aut thromboso sanguine, multoque flatu distentus apparuit. Quin & in sinistro sinu non roseus floridusque, aut ex rubro flavescens sanguis, qualis arteriarum esse solet, sed nigricans quoque crassusque copiosus sese obtulit: Qua sanguinis cacochymia & crassitie vitalis spiritus suffocatus fuisse videtur. *Henr. Smetius Miscellan. lib. x. p. 542.*

THromboso sanguine &c.) De hac Syncopes specie agit *Riolanus* Encheir. Anat. lib. 3. cap. 8. Sæpe mentitur, *ait*, & præ se fert speciem Apoplexiæ, sed sine stertore, nec relinquit post se paralysin, Si sæpius fortiter recurrat, tandem cor obruit & suffocat, non tantum ob interceptum sanguinis excursum, ex plenitudine vasorum, sed ex oppressione cordis ab aliqua crassa substantia sanguinis, intra ventriculos cordis impulsa, quæ asphyxiam affert in motu cordis & arteriarum: interdum aphoniam, tandem interitum: Hic affectus Germanis æque familiaris ac apoplexia, ex athletico corporis habitu, quem tamen non curant exolvere venæ sectione liberali: nec mirum si à tanta sanguinis copia incidant in apoplexiam vel syncopen: Inde aphor. 42. 2. & explicatio dependet: *Hactenus Riolanus*: Cur vero ab hujusmodi sanguine concreto, aut corporibus crassis sanguini confusis, Syncope potius quam apoplexia, aut vice versa, eveniat, Item cur ad hæc non semper mors succedat, vide scholia ad Observat. 36. sect. 1. l. 1. ex *Wepfero* p. 201. Mortis autem repentinæ quæ in dicto Roberto de Marca contigit, causam refert Exc. *Bartholinus* tract. de lacteis Thoracicis, in harum obstructionem; *Vide ejus histor. infra.*

Observatio V.

Animi deliquium à fœtido humore in sinistro ventriculo cordis concluso.

CIvis Monspeliensis per triennium melancholia laboraverat hypochondriaca, eáque sævissima; quæ tandem acuta febre superveniente hominem è vivis sustulit: Priusquam tamen vita fungeretur, per mensem integrum bis in die levi & fugaci animi deliquio corripiebatur, cum modico urinæ ardore & incredibili meiendi desiderio: *Profusa* autem *prærubra* tenui & fœtida *urina* statim ad se redibat.

Dissecto cadavere, totam fere thoracis cavitatem tenui, prærubro & fœtidissimo humore oppletam invenimus, nec non cordis sinistrum sinum eodem humore plenum: Causam tam frequentis leipothymiæ, & fugacis stranguriæ, ad virulentæ materiæ per sinistrum sinum & arterias transfusionem transferendam esse existimavi: quia humoris in thorace contenti, & urinarum, quæ in leipothymia profundebat, idem erat color, eadem substantia, nec dissimilis fœtor. *Andreas Laurentius lib. v. quæst. iij. Anat.*

PRofusa urina prærubra) Inde assertam vult *Laurentius* opinionem *Galeni* 4. de loc. cap. 6. qui Empyicorum pus per urinæ vias expurgari statuit, sugente pulmonis substantia pus, ferrique inde in arteriam venosam, ab hac in sinistrum cordis ventriculum, permeare ab eo in aortæ truncum & emulgentes: Objectionem autem, qui fieri possit ut purulenta hæc illuvies per sinistrum cordis ventriculum, vitalis spiritus ἐργαστήριον, & officinam, necnon per arterias, ejusdem spiritus conceptacula, salvis & integris ægri rebus, expurgari queat, sic solvit, Aliud esse fieri quippiam κριτικῶς, aliud συμπτωματικῶς, Puris hanc per sinistrum sinum transfusionem, si

sit critica,

fit critica, si vires constent, fieri hac ægri incommodo, quia retinet & conservat spiritus natura, noxaque tantum excludit: At si vires sint debiles, mori in ipsa expurgatione ægrum, & eo dissecto, totum sinistrum cordis sinum purulentum apparere, quod rudioribus plerumque imponit, qui cordis abscessum fuisse clamitant: Quod & altero firmat exemplo, ex *Hollerio* desumpto, mulieris cui intolerabili cruciatu urina purulenta profluebat, in qua mortua post quartum mensem & dissecta, duo calculi in corde, cum multis abscessibus parvis inventi sunt, renibus integris & viis omnibus urinæ dicatis: Expurgaram ergo ait purulentam illuviem per aortam: Sed notandum cùm vena ἀζύγὸ non rato emulgentibus intercedere communionem (de cujus inventionis laude dissentiunt Anatomici;) per ramum qui aliquando in ipsam emulgentem inseritur, quanquam verisimilius est eam materiam per emulgentes arterias deferri, mediante corde.

Ad virulenta materia) A succo pancreatico acidiore, per lacteas venas in sanguinem translato, majorem consistentiam accedere, unde minus rarescens sanguinis pulsus fiat minor, existimat *R. de Graaf* Tit. de succo Pancreatico §. 134.

A quo vitio valde excedente Syncopen quandoque produci censet: quod confirmatur egregie, *ait*, exemplo quod *Laz. Riverius* refert prax. suæ lib. 8. cap. 1. Puellæ morte repentina sublatæ, quæ ab ineunte ætate huic symptomati erat valde obnoxia, ità ut ex quovis animi pathemate, etiam leviori, in leipothymiam aut syncopen incideret; ut & illius puellæ, de qua Observat. 14. cujus secto cadavere in arteria magna & vena cava totus sanguis concretus apparuit: De quo (inquit) si quis dubitaverit, meo & aliorum exemplo, liquorem multum acidum in viventis canis venam sensim infundat, observabit non tantum sanguinem inde ita coagulari & concrescere, ut postea sine ipsius effusione institui possit ulterior sectio, sed ubi ad dextrum cordis ventriculum notabili quantitate pertingit acidus ille liquor, mox extingui & subitò interire canem.

Observatio VI.

Leipothymia à frustulo carnis nigrioris in sinistro cordis sinu.

Mulier Clara nomine & genere, Cordis dolore interdum vexabatur, quem Medici à malo ipsius cordis habitu fieri arbitrabantur: Sed cum pluribus jam annis connubio juncta non conciperet, & sterilitatis causam quæreret ac tollere conaretur multis præsidiis; ita demum dolor ille cordis increbescere occepit, ut perpetuus fieret: Ex quo sæpius etiam mulier ipsa deficiens *recreari vix poterat*, donec eo jam magis magisque invalescente è medio sublata est.

Cæterum mortuæ corpore inciso, frustulum nigrioris carnis in sinistro cordis ventriculo, supra arteriam, quod mespili formam haberet, inventum est, quod mortis causam fuisse cognovimus. *Benivenius cap. xxxv. de abditis.*

Recreari vix poterat) Cur ab assumptis cardiacis tam cito vires resocillentur, causam quærit Excell. *Th. Bartholinus* in lacteis thoracicis, Vim restaurativam, *ait*, cum medicamentis, alimentis, cordialibus lacteæ thoracicæ recipiunt, vel ex ventriculo, per glandulas lacteas, vel ex œsophago; statimque ad cor deferunt: hinc citissime adeo cordialia, vini potus, acetum & alia hujus census vires reficiunt, & subinde inter cibum sumptum sedatur fames, roburque naturæ accedit ob famum lacteum œsophago conterminum, & lactearum reliquarum brevem ad cor commeatum: Adhæc potiones vulnerariæ, vel pectorales, mora brevissima & tutissima pervadunt ad cor & pulmones, quum per longas venarum ambages non ita sarta tecta perferantur: Deleteria quoque eadem celeritate cor petunt, ejus συγκρασίαν destituunt & spiritus inficiunt: Inefficaciæ autem cardiacorum in ista muliere, fuit causæ morbificæ conditio & resistentia.

Observatio VII.

Syncope Cardiaca à Verme in sinu cordis dextro oborta.

§. 1. Nos Vermem mirum in ventriculo cordis innasci vidimus: Cùm enim valetudinarius quidam Syncope Cardiaca, Palpitationeque cordis per intervalla quateretur immaniter, sævitia mali devictus subito occubuit: Dissecto cadavere, inventus est vermis cordis ventriculo dextro adhærescere, mortuus, nigerrimis magni forma, qui frustrà toties tentata præsidia illuserat. *Zacutus prax. adm. admir. lib. ij. cap. cx.*

Vermem ventriculo cordis) Vermes in corde generari multi asserunt *Mesues*, *Hollerius*, *Cornax*, *Alexius Pedemontanus* & alii: *Ioh. Hebenstreit*, lib. de Peste, narrat Principem quendam ex morbi sævitia periisse, cujus cadavere dissecto vermis albus, præacuto rostello, eoque corneo præditus, cordi adhærescere deprehensus fit: Author est *Trallianus* l. 7. c. 9. frequenter lumbricos sursum ad os ventriculi ascendentes cardiacos affectus & syncopas excitare; ut nonnulli statim, cùm à lumbricis roduntur, intereant; unde mors repentina adultos & infantes opprimat: Vermiculis in corde, & capsula ejus, obnoxias esse virgines, ait *Hartmannus* Prax. Chymiatr. cap. cx. Cognosci ex puncturis & doloribus cordis, tum ex lumbricis excretis vel non excretis: Signum diagnosticum esse convulsionem.

Tentata præsidia illuserat) Curationem instituit *Hartmannus* l. c. non per cordialia, quæ inutilia esse

esse ait, sed per Mercurii vivi purgati & mortificati cum saliva jejuni, vel succo limonum tempetari, exhibitionem ad ℈j. cum conserv. ros. ℥ß. benzoes gr. ij.

Quod si quis sumere reformidet, infusionem ℥j. vel ij. in aq. frigida, per noctem, facta colatura, praebet: vel aquam ex caepis aliove distillatam ad ℥ij. vel iij. Iis quidem excretis, sed convulsionem paroxysmis recurrentibus (quod pathognomonicum vermiculi cordialis) extracta specifica praescribit. allii, raphani sylvestris, nasturtii aquat. ad ℈. ex brodio vel jusculo, praemacerato raphano sylv. Extractorum penuria dentur succi omnium, & pari mensura misceantur, dozis ad cochlearia duo vel iij. omni mane: Efficaces & eorum sales. Initio antequam convulsiones adsint, aliquid posse lap. bezoar. dari, à gr. 4. ad 8. cum sale tanaceti aut dictamni Cretici. *Richardus Louver* tract. de Corde, vermes quoque intra ejus capsulam generari statuit, qui arrosione sua magnas cordi molestias quandoque pariant, cordis tremorem, anxietatem, pulsum intermittentem, dolorem pungentem & syncopen: Talem symptomatum & animalium catervam, cataplasmate è foliis cinarae, tanaceti, & absynthii vulgaris, aceto acerrimo incoctis, regioni cordis admotis & cum mithridatio pauco mixtis, bis dissipatam vidisse asserit.

§. 2. Excitatur syncope nonnunquam à vermibus, non solum orificium ventriculi, sed & cor ipsum vellicantibus, ut vult *Mesuéus*, qui mortem inde inferri docet: *Scholiographus Hollerii cap. 29. lib. 1.*

§. 3. Vermes cor erodentes intra pericardium gigni certum est, & scordio enecari: De hoc morbo tractavit *Salius*: Nec absurdum intra cordis ventriculos vermes repetiri qui tamen cavam intra venam geniti eo pervenere. *Riolanus Enchir. Anat. & Path. l. 3. cap. 4.*

Observatio VIII.

Leipothymia exulcerationem cordis sequuta.

Filia Dom. N. annos xiv. nata, per multos dies laboraverat vomitu pituitoso, cum Cardialgia per intervalla affligente: Item patiebatur dolorem in summa scapula sinistra & summitate brachii: Successit febris, à cujus invasione pulsus fere semper fuit intermittens, nec poterat aegra in sinistrum latus decumbere, quin statim cardialgia & tussi corriperetur. Die 34. morbi subito correpta est sanguinis sputo, quem per tussim excrevit ad ℥viij. quo redeunte, subito extincta est. Dissecto cadavere, inventus est pulmo colore albicante, ut & cor, quod media fere sui parte, quà diaphragma respicit, exesum atque exulceratum repertum est. *Vide historiam sect. 5. observ. 21.*

Observatio IX.

Syncope ob defectum pericardii.

Discipulum in Romana Academia mortuum secui: huic misero juveni pericardium deerat; itaque subinde in syncopen incidebat, subinde mortuo similis conspiciebatur, quo genere morbi exanimatus est. Columbus *Lib. xv. Anatom.*

Observatio X.

Animi deliquia à corde extenuato, cum variis partium vitalium & naturalium vitiis.

Cadaver dissecuimus in quo repertus pulmo consumptus, thoracis cavitas plena sanguine putrido & concreto, in pericardio plusquam mensura puris albi continebatur, tota cordis superficies absumpta erat & putrida, extenuatumque admodum cor: heparusque adeo magnum ut infra umbilicum descenderet, totam anteriorem hypogastrii partem occupans: Symptomata quibus vexabatur erant tussis, febricula, dolor in thorace, & in anteriore ventris parte, dyspnoea, paucis diebus ante mortem Deliquia animi: *Ex Observat. Iohannis Bauhini.*

Observatio XI.

Anatome juvenis crebris Leipothymiis tentati, cujus Cor magnitudinis insignis deprehensum &c.

Nic. à Sonnevelt circa xij. aetatis annum, ex febre quadam acuta evadens aliquandiu valetudinatius vixit: circa xx. annum in crebras cordis anxietates incidit, postea in Leipothy-

pothymias, tandem è vita decessit: Thorace aperto inventum fuit cor bovino non multo minus, quippe communem magnitudinem quater circiter excedebat: In villis septi intermedii tres calculi reperiebantur. *Vide tit. de Palpitatione cordis.*

OBSERVATIO XII.

Animi creberrima defectio ob putrem & fœtidum humorem intra pericardium contentum.

Si sine manifesta causa exolvantur quidam, vel defectum animi patiantur, & frequenter & fortiter, statim moriuntur: quoniam & his vitale robur valde imbecillum est: Ideo facile quibuslibet de causis exolvuntur, & propterea derepente moriuntur, Impedit enim cordis actionem moles quædam sparsa, id est, humidum vel siccum ipsi cordi incumbens; Cum autem quæreretur causa (ut testatur Galenus) in dissectione corporis, inventa est tunica quædam superjacens ipsi cordi, plena humiditate quadam fœdi odoris: quæ quidem humiditas viriosa illa qualitate corrumpebat semper, & destruebat robur vitale; & hinc oriebatur affectus exolutionis. *Philotheus comment. ad aph 41. lib. 2.*

OBSERVATIO XIII.

Syncope Pericardii inflammationem sequuta.

§. 1. Causa ob quam Authores de inflammatione septi transversi, membranarum intersepientium, pericardii, peculiarem non fecerunt commemorationem, ea est; quoniam, Authore *Avicenna* 10. 3. tract. 4. cap. 1. hæ iisdem symptomatibus insigniuntur quæ pleuritidem comitari solent, nam hæ partes non solum sunt cordi vicinæ, sed eadem tunica teguntur: Cum hoc tamen stat pericardii inflammationem acutissimum esse morbum ac lethalem, & sævissimis obortis symptomatis sæpe ex tempore interficere: Quidam in flore ætatis acuta febre est prehensus, quam comitabatur sitis ingens; anxietas, thoracis incendium, syncope, animi deliquium, cordis tremor &c. Triduo è vita sublatus est.

Sectio post mortem palam fecit fuisse pericardii inflammationem lethalem, nam tota fere tunica livida & rugosa visa est, & in multis partibus asperitudines apparuere miliaceæ, nigrore quodam infectæ, quæ omnia ab adurente & retorrido calore fuisse suborta res est manifesta. *Zacutus Praxis admir. lib. 1. observat.* 138.

§. 2. Agricola plaustri fœno onusti ruinam in se passus, de doloris sensu in pectore conquestus est: aliquot elapsis diebus febre corripitur ardente, cum asthmate, delirio, vigiliis, siti maxima, genarum rubore & Leipothymia sibi mutuo succedentibus: xi. vitam finiit: Aperto cadavere, pericardium scatens pure sanioso repertum, (à prægressa inflammatione) cui velut immersum cor &c. *Vide de Pectoris dolore sect. 3. observ.* 4.

OBSERVATIO XIV.

Syncope Cardiaca à concreto in venis Sanguine.

§. 1. Puella xiv. annum agens, cum per diem capitis gravitatem, vertigines & anxietatem passa esset, die sequenti subito extincta est: Cum dubitaretur quo morbo perierit, & an vitio cerebri, an hujus syncopes merito hoc factum fuerit, secta fuit post mortem, in qua immune cerebrum ab omni affectione p. n. invenimus: Sed in arteria magna; & in vena cava, ita totum sanguinem coalescere vidimus, ut apprehenso illius sanguinis concreti uno principio, totus sanguis coalescens ita integer ex vena & arteria educeretur, perinde ac gladius ex vagina extrahi solet: Quare judicatum fuit subitam hanc mortem, à sola interceptione & occlusione venarum, à sanguine coalescente facta causatam fuisse. *P. Salius Diversus de affect. particul. cap. iv.*

A Venarum interceptione & occlusione affectio deterrima, & quæ subitam mortem sæpe inferre solita sit, emanat: Evenir enim ut sanguinis copia non ad partes, nec ad cerebrum, sed ad vasa interna, scil. venam cavam & arteriam magnam aliquando affatim irruat, easque opplendo ibi sistatur, firmatisque exeuntibus, & fere extinctis spiritibus coalescat; cujus ratione nativa caliditas, quæ suffocationis vim, nequeuntibus spiritibus per vasa permeare, patitur, fere extinguatur; hincque syncope cardiaca ex ea accedente; nisi præsto remedia administrentur, subita mors subsequatur. De hac syncope cardiaca, genita ob extinctam serenativam caliditatem, ratione sanguinis venas opplentis; & ibidem coalescentis; meminit *Galenus* 4. de rat. v. in acut. Quam tamen viri ii qui singulorum morborum curationes tradere profitentur, adeo neglexerunt, ut de ea ne verbum quidem fecerint, cum tamen & ratione periculi & ratione affectionis hoc agere debuissent, Ratione periculi quidem, quoniam imminente subita morte, eam ante significare & anteverrere docere debebant: Ratione autem affectionis, quoniam tenebantur advertere insolitum hunc casum & à nemine consideratum, scil. in venis viventis hominis coalescere sanguinem, qui in mortuis solet

fluidus conservari: Ego autem de hac syncope perttactans, & hæc diu considerans scil. & periculum & affectionem, quoad periculum dico, Medicum fututam hanc syncopen, & imminentem subitam mortem, ex duobus præcipue cognoscere posse: quorum primum erit, quod isti patientes, ante casum syncopes, persentiunt nonnunquam præfocationem quandam, non ad fauces, nec ad partes spirituales superiores, sed in partibus internis, ac si manu cot ipsum subito constringatur, deficiuntque, ac mutato colote vivido in pallidum, sudant: Cùm autem revocantur ab hoc defectu, subsequitur lassitudo magna: Alterum est, quod in his pulsus quandoque accidit intermittens, qui si supra unicam intermittat pulsationem, magnum periculum minatur, significátque syncopen hanc instare: quæ intermissio, sicut & illa suffocatio, non aliunde generatur quam ex illa sanguinis coalescentis copia, obstruentis ac gravantis vasa illa & partes internas: Hæc duo signa vidi ego in nonnullis quibus, cum prædixerim periculum impendens, sectione venæ aliisque remediis opportunis, ab imminente discrimine præservati sunt: nonnulli autem alii qui, cum iisdem hoc significaverim, remedia renuetunt, subito de medio sublati sunt: Quoad affectionem, attestor & ego ultra *Hippocr.* & *Galeni* testimonium, me observasse in nonnullis ita sanguinem in venis & arteriis coaluisse, ut inde & syncope & mors subsequuta fuerit, præcipue autem in puella, de qua in historia allata: A teram vidi juvenculam, cum per menstruam fluxionem expurgaretur, mediâque die æstivo tempore in balneum aquæ frigidæ ingressa, & ibi morata fuisset, eadem die post cœnam hilariter sumptam, subitam oppetiisse mortem, hinc judicavi ob repressam menstruam purgationem, sanguinem, cujus maxime abundabat, ad vasa interna recurrisse, ibique coalescentem, ac venas & arterias una intercipientem, subitam etiam hanc mortem intulisse: In hac dubitatum fuit de veneno, tamen, mea sententia, causa illa procatarctica fuit sufficiens ad inferendam mortem; cum noverim sanguinem in venis coalescere posse, ad mortémque causandam hoc solum aliquando sufficere. Novi quidem à venenato pharmaco aliquando sanguinem coalescere in venis, indéque mortem subsequi, sed ab hac syncope differt veneni casus: quia si tale venenum celeriter hominem de medio rapere debet, ante mortem qui venenum assumpsit in profundissimum somnum rapitur, quo ingravescente, nec excitatur patiens, nec relevatur, sed ad mortem, non tamen subitam, properat: Si autem ad tempus hoc venenum suam promere debet violentiam, coalescet quidem sanguis, sed non affatim, nec tantum ut omnia vasa intercipiat, imo potius ea, quadam acquisita acrimonia, aperit, & hinc è naribus hi emunguntur sæpe sanguinem adeo concretum, ut digitis solis eum apprehendant, & ad notabilem quantitatem simul unitam extrahunt; talem etiam sæpe ab inferioribus partibus excernunt, hi tamen tandem liquato hoc sanguine, à proprioque calore destituto, vitam cum morte commutant, exanimanturque à solo sanguinis profluvio, quod ut plurimum è naribus prodire consuevit: Unde pateat veneni casum non esse huic syncope consimilem, licet ab utroque mors immineat impendeátque, pateátque in venis coalescere posse sanguinem: Quod qua ratione fieri possit, cum venæ proprium sint sanguinis conceptaculum, propriumque sit eis ipsum fluidum conservare, non ita facile est explicare: Qui tamen noverit qua ratione sanguis ad extra venas concrescat, poterit easdem causas ad sanguinem intra venas existentem adaptando, rem ipsam declarare: Sanguis è vena ejectus hac ratione concrescit, quoniam quamprimum ex conceptaculo proprio eductus est, statim evanescunt & exhalant ejus spiritus, moxque & simul pars ichorosa separatur, quo facto reliquum refrigeratum concrescit, & ita concrescit, ut non tantum pura & sincera sanguinis pars, sed etiam cæteri ei admisti humores, qui ex sui natura non possunt concrescere (hoc enim solius sanguinis est proprium) una cum sanguine ipso coalescant: Hinc videmus non solum utrâque bilem cum sanguine è vena ejectam concrescere, sed etiam pituitam ipsam, quæ adeo in sanguinis superficie nonnunquam concrescit, ne vix gladio incidi queat, nisique hæc & limosa pars sanguinis ei admisceatur, licet coucrescat sanguis quomodocunque è vena ejectus, non tamen ita ciro concrescit, nec ita dure coalescit, sicuti ei contingit quando copiose ei admisti sunt & humores melancholici & pituitosi: Sanguis igitur extra venas eductus, spiritibus exinanitis, & iisdem evaporantibus, ac parte ichorosa separata, ob refrigerationem, coalescit: Coalescunt siquidem & quæ siccantur, & quæ refrigerantur: hic autem non propter siccationem, ut patet causas consideranti, sed propter refrigerationem concrescit, & eo velocius & intensius concrescit, quo ei magis admisti sunt humores frigidiores, crassiores & viscidiores sicuti pituita & melancholicus humor, quorum ratione intemperiem consequutus frigidiorem, ad concrescendum faciliorem habilitatem & promptitudinem recipit: Hæ autem eædem causæ, cum non tantum in sanguine extra venas, sed etiam in venis existente contingere possint, clarum erit quare sanguis aliquando in venis coalescere queat: Evenit enim quandoque ut in sanguine, vel non genita, vel excreta ichorosa parte, vitiosi defluant & abundent succi, qui substantia crassiores, & frigidi temperie, sanguinem crassiorem & frigidiorem reddant, qui sanguis venas internas & majores nonnunquam occupans, adeo replet, ut spiritus intercipiens & penetrare non permittens, eos in extinctionem ducat; quibus spiritibus extinctis, sanguis refrigeratur ac concrescit, & una cum ipso vitiosi, qui in ipso defluunt, & qui eum ad concrescendum habilitant & disponunt, succi; nempe si hi non præsto essent, incorruptus & naturaliter fusus liquidúsque redderetur sanguis, quoniam nec extinctionis spirituum causa potens adesset, nec tantæ refrigerationis occasio, ut sanguis possit coalescere: at ubi hi maneant sistanturque, cum nativam caliditatem respuant extinguantque, faciliter ac expedite sanguis ob introductam refrigerationem concrescere potest: Unde in affectis hoc pacto corporibus, ut notabat *Galenus*, si sanguis detrahatur, is frigidus (quod vix ullus credere queat) crassusque & vix effluens conspicitur, idque propter hujusmodi refrigerationem. *Salius ibidem.*

Sanguinem coalescere] Hinc ob vasorum obstructionem ad cor fluere prohiberur: Locum hic habet inhibita sanguinis Circulatio, Cum sanguis in dextro ventriculo vel in auricula detentus,

tus, & quacunque de causa nec per pulmones, nec per septum cordis commeatum liberum habet, spiritus arteriosus, imo sanguis simul sinistro ventriculo non communicatur. Concretionis autem sanguinis juxta tenorem Silviani succi Pancreatici, causam sic explicat *Rolfincius* consult. ij. lib. iv. Afficitur, *ait*, Cor ut similare temperatum, quatenus ejus temperies naturalis calida, ab adventantibus succis acidis, vitriolatis, biliosis impetitur: Sanguis à cava vena adductus, admistis heterogeneis hisce vaporibus quasi coagulatus moveri renuit: Spiritus vitales nobiles gelida hac glacie fixati & concreti, per arterias ad partes non distribuuntur, hinc illæ lacrymæ ut dissimilare itidem afficitur cor, cum impacti hi, sive halitus sive vapores, vel si mavis flatus, viscositate in parietibus cordis, acrimonia sua acida cor vellicant, ut quasi in medio motu derepente consistere & jamjam succumbere videatur. Causa immediata syncopes est defectus ὀρμῆς sanguinis confluxus impeditus: Mediata proximior causa, secundum essentiam considerata, sunt vapores, halitus, flatusque quantitate & copia multi, qualitate acres, acidi & viscidi, motuque insolentes, ex vitiosa humorum in tenui intestino confluentium effervescentia: inde ad cor, adeoque ad omnes partes corporis elevati, ibidémque effervescentiam & rarefactionem sanguinis impedientes: quamprimum hi regiam cordis arcem copiis suis impugnant, sanguineam tincturam coagulant & figunt, illiusque rarefactionem impediunt: ut taceam quæ ex conflictu horum vaporum efficitur, qualitatem vitiosam, quæ vel sola ad syncopen inducendam sufficit: Elevantur hi ex pituita, viscida, glutinosa, crassa, quæ succo pancreatico acidiori & acriori confusa, vitiose effervescit & ebullit: Inde flatus & vapores generantur, viscidiores ratione pituitæ, acidiores & actiores succi Pancreatici & bilis ratione: Congrediuntur hi tres succi & confluunt in unum in duodeno, hinc effervescentia & ebullitio, hinc vaporum ad cor ascensus: Viæ quibus deferuntur hi vapores & halitus, sunt venæ lacteæ Asellianæ, primi & secundi ordinis: hauriunt hæ cum chylo vapores & μιάσματα illa acida, acria, viscosa, & per venam subclaviam cordi infundunt &c. *Vide Scholia ad Observ. 26.*

Sanguis integer ex vena & arteria educeretur &c. J. *Andr. Spigelius* Epist. ad *Gul. Sophierum*, asserit in omnibus morbo Cardiaco extinctis cor tali sanguine lento ac coagulato esse plenissimum: quod probat partim αὐτοψίᾳ: Partim etiam ex pulsu parvo & vermiculante, qui in hisce ægris observatur: Sicut & denique diversa partium externarum & internarum affectione, nam in talibus ægris partes externas frigere, interiores & incalescere & uti dicit: Hinc deducit causam incombustibilitatis cordis *Cæsaris Germanici & Hulderici Zuinglii*, vel saltem quod diutius igni restiterint, quia scil. sanguine ejusmodi viscido, mucoso ac melancholico oblita fuerint: quæ tamen adhibita majori flamma tandem consumi potuissent.

§. 2. In omnibus morbo cardiaco extinctis cor sanguine lento ac coagulato est plenissimum, quod probat αὐτοψίᾳ; in hujusmodi enim hominibus dissectis, non tantum cordis ventriculi, verum etiam venæ cavæ & arteriæ magnæ trunci, sanguine viscido ac concreto plurimo repleti deprehensi fuerunt, ita ut incisis illis partibus satis oblonga ac unita istius coagulati sanguinis portio extrahi potuerit. *Adrianus Spigelius Epist. ad Gul. Sophierum.*

Huc pertinet causa leipothymiæ illius supervenientis, quibus vena secta, soluta demum ligatura, non dum sanguis effluit; unde suspicio abest eam fieri à spirituum effluvio: cohibitus enim, vi ligaturæ, & refrigeratus in manu, cum hac soluta sursum remeat, cordi occurrens, leipothymiam invehit: sentiunt quippe quibus per multum spatium ligatum brachium, unde manus tumida pauloque frigidior inde reddita est, laxato vinculo, frigidum quid sursum usque ad cubitum vel axillas, obrepere, una scilicet cum revertente sanguine.

§. 3. Tribus præcipuè modis cordis motum pervertit sanguis 1. incrassatione & coagulatione. 2. abundantia nimia 3. defectu. 1. motus cordis à sanguine alteratur, cum aut ab alieni mixtione, aut propriarum partium secessione coagulatur & grumescit, adeo ut viam sibi ipsi & transitum omnino præcludat, prout in peste & veneno aliquando accidit, unde gravissima illa symptomata, cordis anxietas, tremor, palpitatio, pulsus intermissio, & tandem syncope & mors repentina succedunt: Quæ omnia in majore molosso, post injectam libram semis lactis recentis modice calefacti, (experimenti gratia) in venam cruralem, detracta prius pari sanguinis copia, quo lacti recipiendo locus esset, non sine magna commiseratione semel vidi: Vix enim semihora elapsa est, quin maxima præcordiorum anxietate & oppressione cordis, & diaphragmatis summa contentione (pro expediendo sanguinis circuitu) afficiebatur, quin & mox crebra palpitatione, tremore & gravissimis suspiriis succedentibus, tandem inter miserandos planctus & querelas *Syncope* extinctus est.

In dissecto mox observavi venam cavam, utrosque cordis ventriculos, vasa pulmonum atque aortam, lacte cum sanguine penitus concreto impleta, & adeo inter se compactus cum lacte sanguis fuit, ut digitis non ita facile divelli aut separari poterat: Unde similem in peste coagulationem esse non est quod dubitem, cum iisdem prorsus signis & symptomatibus se prodat. *Richardus Louuer. Tractatu de corde cap. 2. p. 126.*

OBSERVATIO XV.

Syncope à carnea excrescentia, inter magna arteria ramum & vena arterialis radicem suborta.

Quidam in ætate consistente constitutus animi deliquio vexabatur assidue: adhibita plura auxilia quæ flatus eliderent; nam ita in eo abundabant, ut etiam à somno, supervenientė

veniente orthopnea, cum strepitu quodam per os erumperent: Sed illa profuere nihil: Tandem ingravescente malo, & accessione oppressus, subito occubuit.

Aperto thorace inventi Pulmones flatu distenti: Pericardio dissecto, inter magnæ arteriæ ramum, & venæ arterialis radicem, carnea excrescentia dura & concreta, colore nigerrimo reperta, quæ binas fere uncias ponderabat. *Zacutus Praxis histor. lib. 2. cap. 8.*

Observatio XVI.

Syncope à corpore fibroso in aorta contento.

IN fœmina diu asthmatica, & cum cordis palpitatione conflictante, tandem cardiaca Syncope extincta, corpus pituitosum sive fibrosum, ulnæ longitudinem superans, ex aorta extraxi. *Wepferus Dissert. de Apoplexia.*

De generatione ejusmodi corporum, Vide Scholia ad observ. 36. sect. 2. lib. 1. ex eodem Clariss. *Wepfero.*

Observatio XVII.

Syncope ab abscessu in diaphragmatis parte carnosa.

OLim puellæ Leipothymia subita interemptæ cadaver dissecantes, in carnosa diaphragmatis parte abscessum magnum, cum cysti, sanie & vesiculis aquosis impleta reperimus. *Vide lib. 1. tit. de Phrenitide.*

Observatio XVIII.

§. 1. *Syncope Mediastini inflammationem, Pulmonum & Pericardii sequuta.*

NOb. cum febre acuta detineretur & convaliturus speraretur, ex insperato præcedentibus nonnullis Syncopis extinguitur. Exsecto, inventus est in membranis intersepientibus tumor satis notabilis magnitudinis, qui etiam in parte communicabatur pericardio. *Vide tit. de pectoris dolore.*

§. 2. Quidam orthopnoicorum more cubabat, alias supinus quiescens statim animi deliquio corripiebatur: Inventæ sunt membranæ intersepientes maxime inflammatæ. *Vide tit. de Dyspnœa.*

§. 3. Inflammationem mediastini vidimus, in qua æger quoties quiescere supinus cupiebat, statim Animi deliquio corripiebatur: Eo mortuo membranæ intersepientes dictæ maximopere inflammatæ deprehensæ: *Panarolus observ. 10. Pentec. 2.*

§. 4. Agricola plaustri fœno onusti ruinam in se passus, febre prehenditur &c. Leipothymia succedente: Pericardium in defuncto scatebat pure copioso, cui velut immersum cor: Pulmo ejusdem labis particeps, &c. *Vide tit. de pectoris dolore.*

§. 5. Puellus 4. annos natus febre continua corripitur, cum dolore lateris & sterni, tussi ac animi levi defectione. Una pars pulmonis velut stipula ardente deflagraverat. *Vide tit. de Febribus.*

§. 6. Mulier vomitu puris copiam cum defectione animi rejiciebat, vomica ingens in pulmone reperta est. *lib. 3. tit. de vomitu.*

Observatio XIX.

Leipothymia à Pancreatis abscessu orta.

MErcator apud Medicos conquerebatur quod cum dormire conaretur, in Leipothymiam incideret &c. In ejus cadavere Pancreas duntaxat repertum est abscessu putrefactum &c. *Vide historiam lib. 1. tit. de vigiliis.*

Q*Vomodo ad Syncopes & Leipothymiæ generationem concurrat Pancreas, ostendit Cl. Sylvius de le Boë Pract. lib. 1. cap. 36. ubi de utriusque causis, symptomatisque comitibus, accurate agit; unde quædam huc afferre voluimus*: Animi deliquii & Syncopes, affectuum cognitu explicatuque difficiliorum productio, sicut vulgo per vitales spiritus traditur, quoniam mihi non satisfacit, conabor illam ex causis manifestis, tanquam principiis notioribus, gradatim & paucis aliter deducere. Observantur ergo consequi 1. certos odores nunc gratos, nunc ingratos. 2. rerum ingratarum conspectum. 3. ab ingratis assumptis. 4. ab inedia protracta. 5. à quibusdam animi affectibus, 6. magnas sanguinis effusiones, 7. feminis. 8. humorum per vomitum, sudorem &c. inprimis cum id fit cum magnis doloribus, corporisve agitatione vehementi. 9. confertim factam vacuationem aquæ in hydropicis; aut puris in empyematicis. 10. Ictum vel morsum venenatum. 11. quarundam febrium paroxysmos. 12. dolores quosdam vehementes,

tes. 13. nimium corporis motum & defatigationem. 14. æstum summum ab igne, sole, febre, balneo. 15. famem, sitimve urgentem; 16. in fœminis quibusdam nimiam lactationem; item papillarum dolorem in suctione: Ex enumeratis autem ac similibus causis, ac iis quæ supra proposuimus, diligenter collatis, arbitramur omne *Animi deliquium* deduci debere, proxime ac immediate, ab ipso sanguine ad cor utrinque accedente, atque iis omnibus quæ tum secundum, tum p. n. ipsi conjunguntur, & unà cum ipso ad cor deferuntur, ipsiusque effervescentiam naturalem ita turbant & immutant, ut non tantum sanguinis rarefactio minuatur, sed cor ipsum non satis expandatur contrahaturque, sanguisque insufficienter in arterias effundatur, ideoque Pulsus minor & languidior, quin aliquando nullus sentiatur; Si enim ad Pulsum laudabilem efficiendum requiratur tum 1. Sanguis undique & utrinque ad cordis dextrum ventriculum refluens, Tum 2. Bilis ascendens sanguini juncta, Tum 3. Lympha undequaque cum descendente sanguine affluens, Tum 4. Singularis ex continuo Bilis, succique Pancreatici & Salivæ in tenui intestino confluxu, post sui effervescentiam ortus, & mox per lacteas venas translatus liquor, Tum forsan. 5. Aër inspiratione in Pulmones attractus, & aliqua sui parte sanguini per ipsos circulanti admistus, dum in subsequente mox Expiratione excluditur iterum reliqua; Tum aliquando 6. Chylus, quamvis non semper is, sed post assumpta demum alimenta propellatur ad cor; Si inquam hæc omnia requirantur ad laudabilem Pulsum efficiendum, utique singula tum adesse tum rite disposita esse oportet: quod si horum unum vel plura in totum, aut ex parte desint, aut copia majore adsint, aut aliena qualitate donata eo accedant; vel alia insuper non requisita, ideoque necessario noxia simul confluent, continget dubio procul, præter aliarum in corde fieri solitarum functionum labefactionem, aliqua Pulsus læsio: Pulsus ergo deficiet plus minusve (Nam per pulsum & minorem & languidiorem Animi deliquii species omnes dignoscuntur, quorum Pulsuum causam censeo tum semper Glutinositatem auctam in sanguine, cæterisque ex ipso secretis Humoribus; Tum simul aliquando Aciditatem auctam in succo Pancreatico, Lympha & forsan ipsa quoque Saliva) in magnitudine ac Robore. 1: propter universalem sanguinis defectum post Hæmorrhagiam notabilem, aut Inediam diu protractam, unde non tantum deficiet sanguis, verùm alii quoque in corpore humores, Bilis, succus Pancreaticus, Lympha & cæteri ad vitalem sanguinis rarefactionem; Pulsumque adeo magnum efficiendum necessarii: Deficiet itidem in magnitudine, hinc & Robore Pulsus 2: ob Bilis defectum in Alvi fluxu & vomitu enormi, ac præsertim cholera morbo, unde quantitate minore, tandemque forsan nulla si ad cor deferatur Bilis, an mirum si minor vel nulla excitetur in ipso effervescentia? si minor vel nulla fiat sanguinis rarefactio? si minor vel nulla sequatur ventriculorum cordis tum expansio, tum contractio, pulsusque sentiatur vel minor vel nullus? Deficiet idem in magnitudine, hinc & robore pulsus 3: ob Lymphæ defectum à Sudore nimio, cum quo præter spiritus animales Lympham quoque minui evincere videntur Acida, non minus quam spirituosa volatilia, multum sudantes recreantia & restituentia: Defectu autem Lymphæ subacidæ tum sanguinis consistentia mediocris, tum ejusdem effervescentia deficiet, unde idem nec satis rarefiet in corde, nec hujus Explicatio Complicatioque fiet satis magna, unde pulsus etiam observabitur necessario naturali minor: Deficiet idem in magnitudine, hinc & robore Pulsus. 4. ob Liquoris ex Intestinali Triumviratu exurgentis Defectum, in vomitu & alvi fluxu molesto, ac inprimis continuo: Hoc enim ex parte, aut in totum excluso, carebit necessario sanguis ejus beneficio: Censuimus autem alibi facere ipsum ad coagulationem naturalem sanguini conciliandam: Ea proinde si plus minus destituatur sanguis, nec hujus defectu reparetur continuo, minus aptus erit ad rarescendum, cordisque ventriculos explicandum sanguis, sequeturque pulsus necessario minor: Deficiet idem in magnitudine, hinc & Robore pulsus 5. ob Inspirandi aëris defectum, in oris, narium, faucium aut asperæ arteriæ angustia qualicunque, ob quam minori copia accedens aër, desideratum sanguini refrigerium, vel quamcunque tandem mutationem satis nequit conferre: quocirca segnius propulsus per Pulmones sanguis, nec sufficientem novo ex dextro cordis ventriculo succedenti locum faciens, cordis contractionem impedit, & hactenus pulsus minoris causa existit: Deficiet idem in magnitudine, hinc & Robore pulsus 6. ob chyli defectum & in præpostera inedia, & in alimentorum Fermentatione aut Secretione, aut Transcolatione, aut Translatione, quovis modo impedita. Non tantum ex enumeratorum humorum defectu, verùm aliquando Excessu quoque minor & languidior continget Pulsus: Nam primo Plethora impedit ne spatii & loci defectu copiosus in arterias expelli possit sanguis, nec proinde idem in dextro cordis ventriculo valde satisque rarefieri, cordisque parietes multum explicari rursumque complicari queant; Quin 2. Bilis majori copia ad cor delata; in febribus ardentibus præsertim, non tantum sanguinem solito magis potentiusque rarefacit, cum Pulsu majore ac robustiore, sed postquàm ista rarefactione nimia tandem vasa multum distendendo, & Plethoram ad vasa dictam constituendo, spatia, ipsorum omnia replevit, utut ardorem conservet noxium, non potest tamen loci defectu æque ut prius Sanguinem diducere, atque pulsum magnum robustumque producere, qui potius sensim observatur minor ac debilior ob deficientem sanguinis rarefactionem, cordisque ventriculorum explicationem, complicationemque, donec sanguinis effusione qualicunque locus paretur novus, reliquo amplius rarefacto excipiendo, unà cum pulsu & majore & robustiore mox simul concurrente: Pulsum Minorem, ideoque languidiorem quoque producet, 3. Lympha Subacida, si copia majore accedat ad cor, quoniam consistentiam tribuet sanguini firmiorem ac solidiorem, quam ut debite satisque possit idem rarefieri, ad cordis ventriculos sufficienter dilatandos, quo succedat notabilis eorundem constrictio ad pulsum magnum & robustum constituendum omnino necessaria. Idem dicendum 4. de Liquore illo Triumvirali, si præsertim is munus sit coagulationem naturalem, ab acido subaustero pendentem, sanguini præstare: hoc enim aucto, augebitur quoque

quoque sanguinis coagulatio, minuetur contra ejusdem aptitudo ad rarescendum, ac minuetur proinde pulsus fietque simul debilior. Cum Aëtis laudabilis copia magna in pulmones allecta non possit non esse utilis, non poterit ab ipsa expectari, nec deduci pulsus minor vel languidior: Potest tamen 5. à chylo, majori copia quovis modo ad cor delato, Pulsus reddi & minor & debilior, quatenus sanguinea vasa nimium replet, ac plethoram tum efficit tum auget: Si quantitate aut deficiente, aut excedente, pulsum minorem languidioremque producere potuerunt & sanguis, & alii memorati humores ad cor cum ipso delati, certe non minus idem præstabunt iidem quoties qualitate peccant noxia; Sanguis namque 1. vel fluidior, vel solidior, ineptus est laudabili suæ rarefactioni, qua deficiente ostensum jam est pulsum consequi minorem languidioremque: Sic 2. Bilis glutinosa minusque acris effervescet minus, partesque igneas de se promet parcius, unde sanguis rarescet minus, & tandem pulsus fiet minor ac debilior: 3. Lympha vel Acidior vel Austerior, non tantum sanguinem præstabit glutinosiorem, ideoque ad rarescendum ineptiorem, sed insuper non parum obtundet Bilem, partesque igneas undecunque erumpentes, atque sic Pulsui & minori & languidiori dabit ansam. 4. Idem dicendum de liquore laudato Triumvirali vel acidiore vel austeriore. 5. Aër Borealis & asperior facit multum ad sanguinem valde coagulandum, ipsiusque rarefactionem impediendam. Si 6. Alimenta sumantur acidiora vel austeriora, chylus quoque parabitur similis, à quo notata incommoda sunt expectanda, cum pulsu debiliore ac minore: Pulsus minor ac debilior debetur quoque aliis causis præter naturæ leges ad cor delatis, quoties aut humores in corpore corrupti, aut halitus flatulæ ex ipsis producti; aut Venena per os, nares &c. in corpus penetrantia una cum sanguine cor accedunt, & sanguinem aut nimis solvunt aut dissolvunt, aut nimis coagulant coguntve, aut quovis modo alio ad debitam sui rarefactionem ineptum reddunt: Ut autem hactenus præmissa Animi deliquio atque Syncopi pressius applicentur, & utriusque affectus naturam generationemque clatius deducamus, quoniam non tantum Pulsus in utroque observatur minor ac debilior vel nullus, Sed animales quoque functiones, Sensus & motus non parum labefactantur, videndum an, & qui ab una eademque causa tam diversi affectus possint produci? Consideranda vero & distinguenda sunt symptomata quæ utrique affectui solent esse communia, ab iis quæ syncopi sunt peculiaria: Sudor enim tum frigidus tum glutinosus erumpit in Syncope, non item in Animi deliquio, in quo nequidem corporis universi frigus semper observatur, quamvis perpetuum fit Syncopi. Cætera vero symptomata in affectu utroque solent subinde notari, Unde patet partim gradibus differre hos affectus, partim aliquid gravius Syncopen continuo comitari: Symptomata autem omnia superius enumerata, ut & causas externas, sive manifestas, si quis attenta mente rrutinatus fuerit, & cum iis quæ modo de Pulsu tum minore tam debiliore contulerit, concludet facile, affectum utrumque, ac præcipue Syncopen, ortum habere inprimis ab Acido majori copia ad cor deducto, & imperium in sanguine obtinente, non neglecta interim humorum variorum Glutinositate: Hoc ut fiat evidentius, libet ordine tum symptomata notata, tum causas memoratas expondere, ac omnia *Exasperanti Acido & Glutinoso* astruere: Signum instantis Animi Deliquii, ut plurimum & Cardialgia, vel Titillatio in orificio superiore ventriculi, Quid vero aptius est utrumque hunc affectum excitare quam *Acidum?* Illud enim si blandius fuerit, & ad superius ventriculi orificium Halitus forma ascenderit, partem dictam titillabit duntaxat & vellicabit: Sin acrius fuerit, mordebit eandem, atque dolorem pariet molestum, Cardialgiæ nomine notum. 2. Præcedit quandoque *Cordis compressio & oscitatio:* Quamvis autem pituitoso humori, tum copioso tum glutinoso, debeatur cordis compressio, & Halitibus flatulentis Oscitatio, quoniam vero hi affectus observantur non tam perpetuo ægros urgere, quam ipsos ante mox sequuturum animi deliquium infestare; ac proinde causam insuper aliam, & quidem vel pituitam otiosam in actum deducentem, vel halitus flatulentos ex eadem producentem agnoscere, facile patet; tum ad pituitæ vim excitandam & augendam, tum ad oscitationem gignentes halitus efficiendos requiri acidum, quippe quod austeriusculum præsertim si fuerit, glutinosiorem præstet pituitam, quæ gravitatis & compressionis sensum citius & potentius producat, cum bile autem vitiose ac victoriose effervescens, sicut in febrium intermittentium pleraruumque initiis evenit, flatulentis halitibus, adeoque ipsi oscitationi ansam præbeat. Præcedit & 3. aliquando Animi deliquium Ventris distensio, Rugitus vel Tormina, quæ omnia cum ortum habeant à flatibus, vel blandioribus vel acrioribus, ex pituita vel viscosa duntaxat, vel simul acida certo tempore, paulo ante animi deliquium deductis ac diductis, veritas dictorum nostrorum patet abunde: 4. Præcedunt nonnunquam animi Deliquium caligines aut tenebræ ob oculos versantes; una cum vertigine auriumque tinnitu, Hæc autem omnia quis ignorat ortum suum debere halitibus, nunc blandis, nunc acribus, atque semper pituitam viscidam, subinde eandem simul acidam pro materia habentibus, atque spirituum animalium motum mire conturbantibus? Denique 5. præcedunt aliquando Animi deliquium Pandiculationes, motusque convulsivi: Pandiculationum eadem quæ oscitationum causa est, Motus autem convulsivi ortum habent ab humore halituve acri, sed acido, nervorum initia alternatim rodente ac vellicante: Hactenus symptomata Animi deliquium præcedere solita, comitari vero solent Pulsus vel minor & languidior, vel nullus, sensui saltem manifestus, de quo ante: Trahuntur autem in omni in consensum sensus interni & externi, quin aliquando omnino cessant ab operatione: quo ratio pateat; considerandum in vertigine omni animi deliquium, præsertim gravius præcedere solita, turbari & offuscari quodammodo sensus tam internos quam externos: at vero cum notum sit gyros rei externæ visæ, aut ipsius corporis præcedere Vertiginem, agitans & iridem in gyrum, confuse saltem actis animalibus spiritibus, Cur dubitabimus quoties in corpore ab halitibus valde agitatis, & ad cerebrum assurgentibus similiter agitantur, conturbantur & in gyrum forsan coguntur iidem spiritus;

spiritus, non tantum turbari, sed etiam offuscari; tandemque ita obnubilari sensus tam internos quam externos, ut ad tempus cessare videantur? His sic constitutis, non mirum si in Animi deliquio animalis quoque sive voluntarius motus minuatur vel aboleatur, ipsaque respiratio vel obscuretur vel deficiat: Non tantum autem ad tempus cessabunt sensus omnes, motusque animalis ob conturbatum spirituum animalium motum, Sed etiam ob impeditum eorundem motum vel sublatum, quod fiet quando iidem produci atque à sanguine secerni desinent, ob coagulatam & immobilem factam ab acido quovis, & inprimis austeriore, sanguinis massam: Causam hanc confirmemus per ea quæ observari solent ubi solvitur animi deliquium, Tunc cor paulatim denuo agitari atque palpitare incipit: fuit ergo talis Deliquii causa quæ cordis motum impedivit, quaque superata motus ipsi restituitur; Si proinde cordis motus verus fiat cum ventriculus ejus dexter expanditur ab impulsi sanguinis copia, tum ab ejusdem mox ab effervescentia rarescentis amplitudine: Sinister vero imprimis à sanguinis fervidioris & adhuc quasi bullientis copia; uterque autem coarctatur ex mire turbinis ad instar contorta musculosa cordis substantia, cæterorum musculorum ritu, per animales spiritus fibras ejus replentes contracta, utique humorum sanguini confusorum Glutinositati vel Aciditati, vel utrique, tribuenda erit tum effervescentia in corde ad sensum cessans, tum partium ignearum eruptio valde diminuta, Tum sanguinis universi rarefactio deficiens: Tum proinde cordis motus & Pulsus desideratus: qui actutum redintegratur, ubi ex parte saltem correcta devictave est extrema glutinosi acidive vis & noxa, & quidem à Bile, vel quovis aromatico naribus admoto, vel potius, ori infuso, vel forinsecus applicato & ad cor usque, alimve mali focum fomitemque penetrante. Tunc enim à bile, usurpatisque aromaticis, successive dominium in glutinosum & acidum obtinentibus, non tantum sanguis denuo rarefit magis magisque, sed insuper halitus flatusve producuntur, à quibus omnibus expanduntur iterum cordis ventriculi, excitantur spiritus animales torpidi, mox & complicantur iterum ventriculi, atque sic restituitur sanguini suus motus, quin redditur idem concitatior & conturbatus, h. e. fit cordis palpitatio. Symptomata Syncopi omni ac semper conjuncta & hic expendenda, & 1°. *Frigus* illud & in corpore & in sudore algidum; quod ab humore acido deducendum credo, postquam in continua & sollicita aliquot lustrorum praxi; & omnium externarum causarum observatione, nihil reperi hactenus in rerum natura quod manifeste frigus pariat in homine præter Acidum, & quicquid de Acido participat: Ideo puto merito Frigidi Sudoris, corporisque in syncope causam existimare acidum humorem halitumve, sanguini aliunde admistum, ad cor delatum, & una cum sanguine quaquaversum propulsum, atque in corporis superficie hærentem: 2. Glutinositas sudoris, quæ fit ratione humoris pituitosi à notato acido soluti, & una cum ipso foras expulsi, atque sponte iterum extra corpus concrescentis ac coagulari. 3. Pallor accidit corpori universo, ratione ejusdem acidi dominium ubique nacti, accedente inprimis glutinosa pituitosa, acidi æmula & socia. 4. Anxietas cordis ac præcordiorum extrema, ægrisque inexplicabilis, partim mali focum, abdomen partesque in tenue intestinum se exonerantes, ac inprimis Pancreas; partim mali fomitem manifestat, humorem non tantum acidum, qui dolores lancinantes, rodentesve aut perterebrantes pareret, sed insuper glutinosum, qui partibus omnibus firmiter adhærens ab iisdem recedit lentius ac difficilius, ac proinde urget pertinacius, quin à bile oppressa in halitus flatusve viscosos lentosque diductus, notatam auget anxietatem. Animi ergo Deliquio & Syncopi, debetur humoris glutinosi & pituitosi continua lentaque correctio ac emendatio, ut & ejusdem, ubi simul redundaverit, aut in totum emendari nequiverit, per repetitas vices evacuatio, inprimis per alvum & urinas.

Observatio XX.

Syncope ab Iliacarum venarum concursu & dilatatione, in umbilico desinentium & Iecur afficientium.

Mulieri venæ duæ, post partum difficilem, varicosæ ab Iliacis venis externe ad umbilicum usque ascendebant, digiti pollicis crassitie; cum supina decumberet Syncope corripiebatur &c. Venæ illæ, dextra & sinistra, in unum coeuntes globum in umbilici regione terminabantur: Umbilicus ipse, aperta vena umbilicali, Jecur continuo impulsu sanguinis percutiebat: *Vide l. 4. tit. de Tumoribus.*

Observatio XXI.

Syncope à Lumbrico excitata, orificio ventriculi affixo.

Anno 1665. Puella quinquennis, filia Dom. Le Fortii, Aromatopolæ Genevensis celeberrimi, frequenter Syncope corripiebatur: Vermes crebro, etiamnum per os excludebat: exoriente tandem vehementi syncope & diuturna, irritis remediis extincta est: Ex judicio Medici familiaris, excitabatur syncope ubi lumbricus orificio ventriculi adhærebat: desinebat eo in fundum secedente: Aperto cadavere lumbricus in fundo ventriculi, prout prædixerat Medicus, repertus est.

Gravissima symptomata à lumbricis excitari præter naturam partis cui insident, notum est, sicut & quam eximio sensu præditum sit orificium ventriculi: Mortem sequutam à simili causa vidi in puero octo annos nato, syncope tamen non prævia, imo nec leipothymia, sed tantum insigni jactigatione. *Vide historiam lib. 3. tit. de ventriculi dolore.*

Observatio XXII.

Syncope à Tuberculo ventriculo innato & rupto.

Nos Illustriss. Alphonsum Ferrariæ Ducem in cura habuimus, in cujus ventriculo tuberculum disruptum est: Hic habuit cumulatim hæc omnia symptomata, *Exsolutionem*, vomitionem, *animi defectionem*, imo & mentis alienationem, & alia multa symptomata, & secunda die à disruptione mortem. *Brassavolus comm. ad aph.* 8. *sect.* 7.

Apostematis ventriculi in abscessum *transmutati & sanati* vide exemplum apud *Forestum* lib. 18. observ. 32. Sanatum vero fuit apostema, quia vergens ad exteriora sui indicia præbuit: prædictum autem diagnostica nulla, sed tantum communia læsi ventriculi habuit.

Exolutionem, animi defectionem) Hæc duo vocabula plerisque synonima sunt; quanquam ut distincta proponat *Brassavolus*: differentiam ostendit Excell. *Fortis* consult. 58. cent. 1. Nos, *ait*, distinguentes *animi exolutionem*, *deliquium* & *syncopen*, credimus potius à cerebro quam à corde horum ortum derivandum; Siquidem *Exolutio* fit cum sensus & motus sola perturbatione, *Animi defectus*, cum sensus & motus integra ablatione: *Syncope* vero cum omnium actionum, imo & ipsius pulsus privatione; quam differentiam significavit *Hippoc.* 7. aph. 8. A tuberculi intus ruptione exolutio, vomitio, animi defectio: Necnon *Galen.* l. de curat. per s. m. hanc præscribens usque ad animi deliquium, monebat Medicos pulsibus attentos esse debere, an mutarentur, ut scil. excluderetur syncope: Quare animi exolutio & animi defectus, fiunt læsa facultate animali, sicut syncope vitali: *Vide l. c.*

Observatio XXIII.

§. 1. *Leipothymia à corruptione Hepatis & Pulmonum.*

Dom. de Hodeville languit fere per 45. dies, nec manifestus erat morbus: Animo sæpe deficiebat, ut facultatis vitalis virtus videretur extingui, alimentis resurgebat, mors. Aperto cadavere *totum Hepar pene putre*, Pulmones corrupti.

Quibus in ægris eadem symptomata conspiciuntur, caute medicamenta exhibere oportet, nam sæpe calamitose statim à sumpto medicamento intereunt: at *præmatura morte corripiuntur. Ballonius Paradig.* 174.

§. 2. Dom N. in febre, singultu, Syncope &c. prehensus est: Pulmones erant purulenti, corrupti, Intestina quasi syderata superna parte, Lien plane putris: Vix ulla pars integra. *Vide tit. de Febribus.*

Quî fit ut plerique diu decumbant ægrotantes, quibus omnes partes internæ fere putrent & σφάκελον patiuntur: alii quibus sanæ sunt partes, oborto morbo facile intereant? Declaravit Dom. de *Hodeville* & uxor Dom. *Merlai*, cui utrique partes & earum parenchyma computruerunt. Idem uxori *Putrini* Notarii contigerat, & nesciebant quomodo tum valetudinaria foret, cum speciosa satis esset: Totum internum corpus putruerat, ac vere sepulchrum erat dealbatum, Quia in illis nutritio fit spiritualis, ut sic loquar, & per quandam ἀναπνοὴν & halitum, ut tandiu maneant quandiu spiritus recreantur; quanquam si morbus validus esset, statim interirent, sed non tam ægrotant quam languent: ut eorum morbus non ægrotatio, sed languor appelletur, corruptis nimirum & resolutis partibus, & officium suum deserentibus, Et diu resistunt, poste morbo fatum non accelerante, sed sensim mole corporis & partium compage dissoluta, Superstitibus spiritibus minime illustribus, qui euchymia alimenti supersunt & recreantur: declarat facilis eorum ἔκλυσις, nam si vel tantillum moventur, animo linquuntur & ἐκλύονται, vere autem syncopen non patiuntur, alioqui statim interirent *Ballonius Epid. p.* 57.

Præmatura morte corripiuntur) Id usu compertum in iis qui ex inflammationibus imi ac medii ventris (quoties in sphacelum abeunt) tentantur, ut inopina morte abripiantur & placide expirent, statim enim ac putredo in majores arterias irrepit, protinus succedit syncope & mors, non secus ac lampadis lumen, oleo non substituto, extinguitur: nam putridus & malignus vapor spiritum vitalem suffocat, temperamentumque cordis destruit: Eodem modo intereunt mulieres quibus secundina in utero putrescit, & quibus externæ partes gangrænâ obsidentur.

Totum Hepar pene putre) De ejusmodi Jecoris corruptione, notandum quod affert Clar. *Th. Kerckringius* observ. Anatom. 77. Cavendum esse ne forte ea imponat Medicis existimantibus, dum eam in cadavere inveniunt, ægrum diuturna illius Tabe laboravisse: quod viscus hoc sibitæ obnoxium sit colliquationi, ut brevissimo temporis spatio crasin omnem possit amittere: confirmat equorum exemplo, qui concitato nimis cursu extincti erant, eodem quo conciderant die, Hepar ita fœtidum atque putrefactum vidisse; ut nec parenchymatis partes cohærerent, & naribus eam afflarent mephitim, quæ vel constantissimum exanimaret; etsi equi isti valetudine integra, fortes, bene pasti, bonam præ se ferrent corporis valetudinem.

§. 3. Cui-

§. 3. Cuidam cum acuta febre, singultus, Animi deliquium &c. omnia viscera marcore confecta & abscessu putrida inventa sunt: *Vide lib. 4. tit. de Febribus.*

Observatio XXIV.

Syncope ab effuso, ob vas ruptum, sanguine in abdomen &c.

§. 1. Matrona dolorem in ventre habuit cum sensu alicujus rei disruptæ, paulò post sequitur syncope funesta: Abdomen sanguine plenum erat, ex vena rupta quatuor digitis infra majorem lobum Hepatis: *Vide lib. 3. tit. de ventris dolore.*

§. 2. Uxor N. post epulas tripudio indulsit; succedit animi deliquium, mors: Peritonæi cavitas cruoris plena disruptam venam esse testabatur. *Vide ibidem.*

§. 3. Princeps post ventriculi dolores nigra dejecit & syncope oborta exspiravit: Ventriculus sanguine concreto erat semiplenus, & in cavo jecoris manifesta solutio continui, venæque portæ disruptio reperta est. *Vide tit. de ventriculi dolore.*

§. 4. D. Contiæ gravidæ frequentes accidunt cardialgiæ, interdum etiam leipothymiæ: Dissecto mortuæ abdomine, in ipsius cavitate sex concreti sanguinis libræ reperiuntur. *Vide l. 3. tit. de Hypogastrii doloribus.*

§. 5. Ill. quædam Matrona à prandio animi deliquio correpta, horis quatuor post exspiravit, à rupta vena in ventre, quæ à nobis videri non potuit, sed sanguis totus in capacitate ventris inventus est. *Botallus lib. de curatione per s. m cap* 11.

§. 6. Quidam in hypochondrio dextro lato gladio vulneratur; sequuntur Leipothymiæ frequentes &c. Vulnus in ventriculi fundo maximum erat, è cujus vasis penitus discissis ingens copia sanguinis effluxit, cujus pars in abdomen illapsa erat. *Vide l. 4. tit. de vulneribus.*

§. 7. Militi gladius paulo infra cartilaginem xiphoidem intruditur, Syncope &c. obruit: Invenitur ventriculi orificium ad thoracem per vulnus delatum, Ac inferior abdominis capacitas, circa pubem, sanguine abundabat grumoso. *Vide l. 4. tit. de vulneribus.*

Observatio XXV.

Animi deliquium ab abscessu in ventre disrupto.

Puella febre tertianâ intermittenti haud dissimili laborans, levi animi deliquio cum rigore quodam prehensa fuit; diximus abscessum in ventre inferiore ruptum, ex quo brevi interitura esset, &c. Dissecto corpore, magna puris quantitas inventa est circa uterum, &c. *Vide lib. 4. tit. de Febribus.*

Levi animi deliquio &c.] Disquisitione dignum, cur ab exigua puris excretione animus facile deficiat? Cum enim Medici in missione sanguinis liberales esse soleant, mirum cur in eductione puris adeo parci sint, tamen quæ materies in pus abit, sanguis actu erat, at experientia probat exiguo pure, aut vi excreto, aut sua sponte manante, majorem virium jacturam contingere quam si sanguis plenius effluat: Sunt qui ad dolorem qui in aperienda vomica infligitur recurrunt; Sed si dolor hanc leipothymiam afferr, ob discissionem corpusculorum illorum, in sectione venæ secantur quoque & vasa & cutis: Dum abscinditur sphacelatum crus, arteriæ magnæ & nervi scinduntur, nulla fere animi defectione: Alii dicunt quod natura in partem abscessu occupatam multum sanguinis & spiritus in subsidium miserit, quorum evacuatio contingat cum pus effluit, At non est probabile inde tantam perturbationem & defectionem evenire, multo enim major utriusque fit evacuatio in phlebotomia, quàm in effluxione puris: Existimamus nos pus, etsi excrementum sui indicat, naturæ tamen opus esse, imo quid elaboratius quam sanguis. quem quantum potest nititur partibus solidis assimilare, natura autem est vis ipsa partium solidarum, quibus si vis infertur, non sine querela id fit: Æqualitas, albor, lævitas declarant naturam eo processisse, ut si materies id pateretur totum excultum id ultima assimilatione in naturam partis abiret: Imo puris cum spermate eam esse analogiam credimus, ut sicut minima seminis excretio ob materiei ipsius naturam, quod jam fere pars solida sit, & res naturæ familiaris, & spirituum copiam, corpus brevi prosternat, ita & puris eruptio: *Vide Ballon. cons.* 88. *l.* 1.

Observatio XXVI.

Leipothymia, Syncope, à variis imi ventris partibus affectibus oborta, Ventriculi, Hepatis, Lienis, Renum, Pancreatis, Uteri.

§. 1. Sartor materiam nigram per vomitum diu rejecit, & frequentibus Leipothymiis divexatus est: In ventriculo (qui hepati adnatus) continebatur ad mensuram unam materia nigra, pultis instar crassa. *lib. 3. tit. de vomitu.*

§. 2. Vir

§. 2. Vir de ventriculi dolore, (*vide lib.* 3.) querebatur, cui supervenit leipothymia: Aperto ventriculo nihil vitii invenio, sed salsum liquamen subcruentum.

§. 3. Quidam febre pestilenti extinctus, multis Deliquiis praeviis decem horarum spatio obiit. Inveni stomachum triplici eschara pertusum. *Vide tit. de Febribus.*

§. 4. Pistor querebatur de dolore Hepatis non valido, interdum Leipothymia tentabatur; Hepatis parenchyma in pus degeneraverat, integra membrana. *Vide lib.* 3. *tit. de Hypochondr. dolore.*

§. 5. Vidi cui hepatis parenchyma, illaesa sola superficie, in pus versum fuerat, sub *languida febre*, & frequenti Leipothymia solum. *Heurnius comment. in aphor.* 41. *sect.* 6.

§. 6. Ictus fuit scipione in regione lienis juvenis, cum insigni dolore, ac tam frequenti animi deliquio, ut postridie obierit: Lien, in gibba parte, in qua ictum exceperat, illaesus: In cava erat evidenter fissus. *Vide lib.* 3. *tit. de Hypoch. dolore.*

Lien) Syncopes à Liene adducit exemplum Lazarus Riverius Observat. comm. 8. cent. 4. de quodam qui in syncopen incidebat simul atque in latus sinistrum decumberet, ita ut difficulter ab ea revocaretur, adeo omnes vires collapsae erant; secus nihil doloris aut incommodi percipiebat, cibum sumebat, imo bene valentis omnia munia obibat: unde credidit medicus humorem melancholicum malae alicujus qualitatis participem, ex liene vaporem quendam venenosum ad cor mittere; confirmavit curatio, nam commoda victus ratione instituta, purgato universaliter corpore ab humore melancholico, & privatim exhibito medicamine lienem ab obstructionibus liberante, roborato corde, libero in minora saevo symptomate evasit.

§. 7. Matronae ventriculi dolore laboranti accedit Febris, Anxietas, frequentes Leipothymiae: &c. Pancreas maximum erat & scirrhosum: Ren sinister colliquatus omnino, *Vide lib.* 3. *tit. de ventriculi dolore.*

§. 8. Vidua N. nephritica in febrem marasmodem incidit; frequentes aderant Leipothymiae: Ren sinister lapide obsessus erat, Dexter admodum parvus. *Vide l.* 3. *tit. de Diabete.*

§. 9. Cuidam cor frequenter palpitabat, cui accessit frequens animi deliquium &c. Cor erat magnum, sed sine pericardio, Illi aortae ramo, qui vergit ad glandulam sinistro teni impositam, insidebat calculus &c. *Vide tit. de palpit. cordis.*

§. 10. Puella) *de qua Hystericis affectibus*) Leipothymia per intervalla afficiebatur: Juxta uteri testes vesiculae tetro humore plenae aderant: In thoracis cavo humor pravus ex Pulmone corrupto exudans.

§. 11. Mulier querebatur de inordinatis menstruis & de crebris animi deliquiis. In vulva delitescebat tumor, lividus, ater, cruore ac sanie perfusus. *Vide tit. de menstruis inordinatis.*

Inordinatis menstruis) A menstruorum vitio quo modo inducatur Syncope, juxta tenorem Sylvianae doctrinae sic explicat *Rolfinkius* cons. 8. lib. 4. Afficitur, *ait*, cor, ut similare temperatum, quatenus temperies ejus naturalis calida ab adventantibus succis acidis, vitriolatis, biliosis imperitur: Sanguis è cava vena adductus, admistis heterogeneis hisce vaporibus quasi coagulatus, moveri renuit: Spiritus vitales mobiles, gelida hac glacie fixati & concreti, per arterias ad partes non distribuuntur, hinc illae lacrymae: Ut dissimilare itidem afficitur cor, cum impacti hi, sive halitus, sive vapores, vel, si mavis, flatus viscositate in parietibus cordis acrimonia sua acida cor vellicant, ut quasi in medio motu derepente consistere & jamjam succumbere videatur: *Modus* quo cor in Syncope afficitur, duplex est, unus per essentiam, quo casu permanentem suscipit dispositionem, à nulla alia quae dependet parte, sed per se primario affecta est: Alter cum nondum permanens dispositio infixa & stabilata est, licet affectum penitus non excludat, sed ab alia & cum alia conflictur. Hac integra cor non patitur syncopen ἰδιοπαθῶς per συναθροισμὸν, γένεσιν, ἢ διάθεσιν, verum κατὰ ῥευματισμὸν ἢ ἐπίχυσιν, defluxionem & irruptionem: Interpolatus est affectus, per intervalla, novis mirum surrogatis ὑποκειμένοις, hoc cum affectu ae r conflictatur, idque per consensum positivum. Subjectum secundarium, mediatum, duplex est, uterus & primae viae: *Uterus*: quia in expellenda excrementitii sanguinis mole non rite officio suo defungitur: *Primae viae*, nam ventriculus ingestis cibis quantitate, qualitate, modo & tempore assumendi peccantibus, chylum produxit ineptum, Inde sanguis redditur impurior, succus Pancreaticus acidior, bilis acrior, pituita viscosior & copiosior, congredientibus postmodum his tribus posterioribus, & confluentibus in unum humoribus in duodeno, quanta quaeso effervescentia & ebullitio, quanti deinde vapores ad cor viam affectantes? *Via* quibus deferuntur hi vapores & halitus, sunt venae lacteae Asellianae, primi & secundi ordinis, & Pecquerianae: Hauriunt hae cum chylo vapores & μιάσματα illa acria, acida, viscosa, & per venam subclaviam cordi infundunt: Ipse adeo chylus in totum corruptus hos vapores saepiusque ad cor devexit, quousque demum signis suis se deprehendendum dederit effectus: *Causa immediata* est defectus εὐφορίας sanguinis confluxus impeditus: *Mediata* proximior causa, secundum essentiam considerata, sunt vapores, halitus flatusque; quantitate & copia multi, qualitate acres, acidi & viscidi, motuque insolentes, ex vitiosa humorum in tenui intestino confluentium effervescentia, inde ad cor, adeoque ad omnes corporis partes elevati, ibidemque effervescen-

centiam & rarefactionem sanguinis impedientes: Quamprimum hi regiam cordis arcem copiis suis impugnant, sanguineam tincturam coagulant & figunt, illiusque rarefactionem impediunt: ut taceam quæ ex conflictu horum draconum efficitur, virrosam qualitatem, quæ vel sola ad syncopen inducendam sufficit: Elevantur hi ex pituita viscida, glutinosa, crassa, quæ succo pancreatico acidiori & acriori confusa, vitiose effervescit & ebullit: Inde flatus & vapores generantur, viscidiores ratione pituitæ, acidiores & acriores ratione succi pancreatici & bilis: Pituita potest esse alimentalis, seu sanguis pituirosus, quarta massæ sanguineæ pars, frigidior & humidior: Excrementiria idem præstare potest pituita, frigidus, lentus, albus & tenax humor, in ventriculo & intestinis collectus: Acida, ὀξεῖα, nonnunquam est, nonnunquam ἁλμυρώδης salsa, vel ἄποιος insipida: Inde flatus variaut succique secundum essentiæ modum, *Quantitate*, ratione molis, & activitatis, tum Qualitate manifesta vel occulta: Quantitate & copia turbant & præcipitant sanguinem, Qualitate acri vellicant membranosum & nervosum in corde genus acida coagulant, viscida sanguinis motum impediunt: salsus, lixiviosus, biliosus succus, & acidus pancreaticus, si acredine & acore intenso peccaverint, seminaque gravia habuerint ascendentia, stragem hanc facile possunt edere, & tenuiori sanguini spirituoso litem movere: *Motu* peccant hi humores & vapores, generationis, & locali: Non generantur in loco affecto, per συναθροισμὸν, congestionem, ob facultatem læsam, sed extra locum affectum, à cacochymia pituitosa, biliosa, acida quæ conservatur à visceribus male habentibus, foventur, & συστροφικῶς globo quodam consensionis per ῥευματισμὸν ϗ ἐπίχυσιν influxionem & irruptionem, ad *Cor* per cavam deferuntur ἀθρόως καὶ βιαίως factam, sicque in momento vitale figunt horologium &c.

Observatio XXVII.

Syncope, Sanguinis nimiam effusionem per venæ sectionem sequuta.

VXor Dom. N. annos circiter 25. nata, pusillæ staturæ, ingenii vividi sed valetudinis parum firmæ, felici partu filiam enixa est anno 1669. At syncope subito prehensa paucis post diebus interiit: Dum viveret, parum & sæpe comedebat, ab *ingesto enim cibo* paulo copiosiore, *mire angebatur*, ac pene in suffocationem adigebatur. Præceps & improviso obrepens mors ad cadaveris apertionem impulit parentes.

In quo viscera omnia citra labem reperta sunt, sed Jecur & splen insignis magnitudinis, ut se mutuo in latera compellerent & cogerent; hinc angustia & compressio ventriculi: Uterus contractus erat, parvus & vacuus; quanquam Medicus in ejus cavo grumos sanguinis, eosque insignes, repertos iri jurejurando pene affirmaret, à quibus elati tetri vapores syncopen lethalem inducerent: Sed vasa omnia, & totum corpus sanguine destituebantur, à crebris & citra necessitatem factis ejus emissionibus.

Observatio XXVIII.

Leipothymiæ crebræ ob cor pericardio destitutum, cum hydrope pectoris.

D. M. Guillermetus (*Vide tit. de Respiratione læsa*) asthmaticus, crebris leipothymiis tentabatur: Aperto cadavere cor nudum apparuit, aquis innatans, pericardio omnino destitutum, cujus ne minima vestigia.

ADDITAMENTA.

Observatio I.

Syncope lethalis effusum risum sequuta, ob sanguinem nigrum & concretum venam cavam supra cor obturantem.

ANno 1675. honesta matrona annorum circiter xxx. temperamenti sanguinei, bene colorata, hilaris, *sterilis* tamen & nullius prolis genitrix, morbo articulari sub initium æstatis laborabat, post assumpta autem aliquot medicamenta melius habere videbatur, Dic quadam in statu convalescentiæ cum domesticis ancillis jocose confabulando in cachinnos & risum nimium tota effusa, paulo post ad secessum exire cupiebat, quo dum pervenisset, in *Leipothymiam* incidens, cum summa domesticorum consternatione, placide expiravit; ut causam tam subiti casus pervestigarem accersitus fui.

Lustrato toto corpore, omnia viscera naturaliter se habere, & bene disposita inveni, præter *uterum*, qui exiguæ molis mihi inconsuete videbatur, & instar pomi Borsdorfiani minoris contractus erat: Cordis ventriculi, modicum sanguinis continebant spissioris: Vena vero cava supra cor assurgens, cum principio venæ azygos; nigro & concreto sanguine oppleta in longitudinem medii pedis geometrici, quasi verme infarcta erat.

A dissipatione spirituum violenter commotorum, quorum absentia sanguis obriguit, hunc funestum casum processisse mihi persuadeo: Huc illud, *Ne quid nimis. Simon Aloysius Indecius Miscell. curios. anni IX. Obs. 125.*

A *dissipatione spirituum*) Tum vitalium tum animalium, quam sequitur sensus & motus privatio: Læsis spiritibus vitalibus in Syncope animales etiam læduntur semper, hi proxime, illi remote: Absentia spiritus vitalis in syncope remota est aboliti sensus & motus causa, proxima est spiritus animalis absentia, hic confici nequit nisi vitalis ad cerebrum deferatur: Syncope sensu & motu hominem privat, quia spiritus animales gigni non patitur: syncope correptus æger nec sentit, nec se movere potest, quia spiritus animalis deficit, deficit vero hic, quia deficit spiritus vitalis.

In risum nimium effusa] Risu mortuorum exempla afferunt *Quercetanus* diæt. polyhist 1. cap. 7. *Goglenius de risu* prob. 17. & alii. An vero a sola spirituum dissipatione mors contigerit dubium, si enim diaphragma in risu præsertim afficiatur in illius motum convulsivum, & interceptam respirationem, quam peculiariter promovet, mortis causa referri potest.

Observatio II.

Animi frequens defectio ab ulcere cordis.

Anno 1651. 26. mensis Maij. ex mandato Magistratus aperui cadaver *Othonis Christenet* interfecti: Hujus in thorace invenimus cor ulcere exedente profundo, circa auriculam dextram affectum: Morbo hoc jam à longo tempore defunctum laborasse indicare videbatur frequens ipsi, dum in vivis erat, Animi defectio, quam observasse se referebant domestici. Ante mortem rariora fuerunt animi deliquia, forsan quod corrosio cordis minor, observabamus enim quod ulceris labia augmentum sumpsisse quoties multiplicarentur lypothymiæ. *Iob Meckeren observat. Chirurg. xxxv.*

Cor *Aristotele* Authore, fons vitæ, corporis pars præcipua, etiam impetus spirituales æque ac corporeos sustinere valens, nunquam in homine aut animali alio absens, nullam patitur solutionem continui: Non minoris habetur *Hippocr.* l. 6. aph. 18. confirmat *Galenus* 5. de locis, *cor nullam fert continuitatis solutionem:* Veteres aphor. cordi applicarunt, ex eo quod cognoscerent structuram ejus miraculosam, motum continuum, vires summas, officia necessaria, imprimis situm valde remotum, adeo ut medicamentis id attingere curareque impossibile. Dicto nihilominus Aristotelico contradicere videtur *Telesius* rer. nat. l. 5. c. 28. adducto exemplo viri diuturno morbo emaciati, in quo post mortem nullum cor; sed solum pericardium repertum. *Idem ibid.*

Ulcere exedente profundo affectum) memorabile quod adducit *Cabrolius* Observ. xxvj. Ipsus ego præsentibus *Rondeletio*, *Asses*, *Faynes* duo mirabilia satis ad hanc rem facientia in duobus cadaveribus exhibui; *Primo* in basi cordis ad coronariam, cicatricem duos latos digitos longam, testonemque, ut vocamus, crassitie æquantem; *Secundo*, eodem loci anno insequente ulcus latitudine folii myrtini sat profundum: Ac ne quis hinc iis mortem allatam arbitretur, ambo laqueo vitam finiere.

Morbo hoc jam à longo tempore) Permittat, precor, Lector hic addamus morbos cordis absolute non esse lethales, adeoque quoties propria cordis substantia constitutione aliqua p. n. afficitur, æque sollicitos debere esse medicos chirurgosque ac in morbis hepatis cerebrive, neque negligenda esse media quæ in aliarum partium morbis similibus ex usu fuerint; mediis ex debito in cordis affectibus usurpatis, ægroque eorum opera sic restituto, quid obstabit quo minus in ejusmodi hominibus, postea demortuis, atque apertis, cicatrices, morborum quibus in vivis erat homo, cor obnoxium fuerat reperiamus, quales Cabrolius observavit? *Meckeren.*

Observatio III.

Syncope frequens, cum respiratione intercepta à Polypo insigni in vena Cava.

In Nobilis cujusdam cadavere (qui quadrimestri integro *febre continua* laboraverat) nuper vita defuncti, cujus comites erant crebræ *Syncopæ* & *Respiratio intercepta*, dissecta secundum longitudinem vena cava descendente, repertum est proxime cor initium Polypi, crassitiei insignis, qui ad inferiora vergens, vasis illius longitudinem occupabat per tres ulnæ partes: quare verisimile est interceptam fuisse sanguinis circulationem, adeo ut summam adeptus magnitudinem suffocationem omnino induxerit: *Russeus med. Parisiensis Zodiac. med. Gall. anno ij. Obs. 16. Iunii.*

Observatio IV.

Animi deliquii per consensum à ventriculo oborti ratio ex Anatome petita.

Animi deliquii per consensum, à ventriculo causa potest esse halitus aliquis per œsophagum ascendens, inspiratoque aeri junctus in Pulmones allectus, & sanguini circulanti permistus

permistus ad cordis ventriculum sinistrum transiens, atque naturalem sanguinis transmutationem immutans impediensve; sive halitus talis qualis sursum fertur ad ventriculum, per venas lacteas assurgens quoque ad cor: Id vero quod olim post Sectionem habitam accurate omnia expendenti incidit censeo communicandum: Eo loco quo tenue intestinum inter utrumque renem sub mesenterio in lumborum regione transversim, & quidem sinistrorsum fertur, observavi *vesiculam* sive cisternam *chylosam vel lacteam*, In quam intestino tenui prædicto proximam suspicor plura vasa inseri quæ chylum aliave inde inferant: atque sic via brevi satis contenta propelli poterunt ad cor, hinc & universum corpus. *Sylvius de le Boë Tract. vij. append.* §. 88.

Observatio V.

De Syncope ab inflammatione cordis.

IN Britone Syncopi & Palpitationi obnoxio inventa est Inflammatio cordis. *Hollerius lib. morb. Int. cap. de Palpit. cordis.*

S*yncopi & palpitationi obnoxio*] Propriores causæ, & velut intestinæ, quæ motum cordis altetant & labefactant, sunt primo, Cordis ipsius vitium. 2. vasorum continentium. 3. sanguinis. 4. spirituum in fluentium culpa. 1. *Cordis vitium*, cum non solum ad sanguinis motum expediendum requiratur ut uterque cordis ventriculus, tum sinus cavitate, tum pulsuum numero invicem respondeant, sed & ad continuandum sanguinis circuitum, eumque successive usque & in justa copia per vasa rite propellendum, ex rei natura necessarium fuerit ut pati robore ad sustentandum hoc munus latera cordis firmentur, exinde sequitur ubi quicquam horum desideratur sanguinis quoque motum inde multum alterati: quandoquidem vero iste error naturæ quo ventriculorum cordis exacta habitudo non sit, raro aut nunquam occurrat, non est quod de eo verba faciamus: Sed cum parenchyma cordis variis morbis & injuriis obnoxium fuerit, motum ejus quoque multum alterati necesse est: Si enim cordis parenchyma aut nimia pinguedine oneretur, aut inflammatione, ulcere, abscessu aut vulnere laboret, adeo ut sine magna molestia atque difficultate, aut absque gravi offensa sese vibrare & contrahere non possit, motum suum valde remittit, & sanguinem quantum potest, licet non quanto opus est reliquo corpori distribuit; unde sanguinis quoque motus debilis admodum & languidus existit; 2. uti autem cor proprio velut affectu intus aliquando laborat, ita quandoque sive suo, sive capsulæ suæ vitio ab extra opprimitur: sicuti si aqua pericardio inclusa nimia copia cor opprimat & inundet; aut si eadem prorsus deficit, Potest quoque cordis motus ab aliis hujus capsulæ incolis irritati & perverti, ut vermibus.

ij. *Ratione vasorum*, si quidem arteriæ proximum cordi ministerium præstant, ubi sanguini per illas in omnes partes æquus & apertus aditus patet; intra debitum ambitum ubique continentur: Ubi vero eas à materia aliqua impacta intus oppleri atque obturari, vel à partium marcescentia obliterari & exarescere, vel ab extremo aliquo corpore aut accidente ductum cujuspiam comprimi aut constringi contingit, quoniam sanguinis copia toti corpori commensurata & vis illi à corde impressa eadem est, ubicunque sanguinis cursus in arteria aliqua impeditur, proximæ & sociæ ejus totum impulsi sanguinis impetum sustinere debent, & copiam isti destinatam in sese omnem excipere; unde nunquam non accidit, ubi ductus alicujus arteriæ diu obstructus aut ligatus fuerit, quin sanguis in proxima sibi spatium amplius aperire atque patefacere satagat, atque dum hoc fiat, motus sanguinis in arteriis omnibus juxta positis multum corripi atque impetuosius trajici necesse habet: sanguis scil. in hoc vase obstructus & præpeditus in proxima impelli magis atque arietare debet, donec pro explicando sibi spatio illa multum dilataverit: Quod arteriatum alicubi obstructio, idem earum marcescentia atque extenuatio reliquis vasis præstat. Vide sect. 12. Observat.

Gibbositate) Pariter omnino; & ubi arteriam aliquam constringi aut comprimi contingit, cursus sanguinis in vicinis partibus majore impetu & vi acceleratur: ligata enim arteria cervicali altera, pulsus statim in adversa, tum etiam in axillari utraque, ob majorem sanguinis copiam affusam, valde augetur: quantum autem arteriarum, licet minorum, constrictio ad motum sanguinis in aliis corripiendum valet, ex arcta lumborum structura, quæ ad arcendum frigus utimur, appatet; non ideo solum quod vestes arctius corpori complicat, sed quatenus motum sanguinis in minoribus & exterioribus vasis coarctat, cursum ejus in interioribus concitatum magis & plenum reddit: Uri autem atteriatum minorum constrictio ad reliqui corporis commodum aut detrimentum facit, ita si decursus sanguinis per ipsum ejus truncum paulo infra cor impediatur, non sine maxima cordis molestia & periculo contingit, quatenus nempe sanguis toti corpori debitus, & justa mensura proportionatus, à dimidiata ejus parte totus excipi non potest, adeo ut necessario in ipsum cerebrum & cor redundet, & cum ab illo pro spatii defectu expelli non potest; ipsius ventriculos opplere nimis & *suffocare* necesse habet: uti vero sanguis alicubi præpeditus vasa proxima pro expediendo sibi transitu brevi dilatat, ita aliquando sive vasorum debilitate, sive quod sanguis in partem aliquam justo magis quam pro ejus usu derivatur atque allicitur, vasa quibus defertur, copiæ suæ atque impetus incremento diducit atque distendit, ut in proximas partes minus copiose & debite influat. Sicuti vero arteriæ cujuspiam obstructio, aut constrictio quævis, sanguinis motum in partibus vicinis concitatiorem reddit, ita ut ubi canalis

ejus aliquis aperitur, aut prorsus discinditur, adeo ut sanguinis torrenti exitus pateat, quia per apertum quasi ostium magis libere & expedite fluit quam per poros corporis urgeri poterat, ideo ubi facilius potest copiosius affluit, & via qua datur liberiore erumpit, adeo ut pulsus simul cum influxu ejus in vicinis partibus multum diminuatur: Idem in *Venis* atque arteriis contingere potest, circa quas notandum aut ob partis cujusdam compressionem, aut sanguinis copiam, vel (sive id ipsius ponderi, sive relaxato venarum tono, sive cordi sanguinem non debita vi impellenti debeatur) refluendi difficultatem venas potissimum ampliari: At si venæ in angustum adeo ambitum compingantur ut sanguini commeatum sanguini satis liberum non concedant, idem omnino incommodum cordi advenit; quippe in valde obesis animalibus ob venas à nimia pinguedinis mole & incremento compressas, quia sanguis pro motu cordis continuando debite suppeditari non potest, proinde in vasis suis & corde stagnare & concrescere aptus est, adeoque syncopi & morti repentinæ occasionem dare potest. (vide plura *obs. 1. sect. 2. lib. 2.*)

iij. Læditur & cordis motus *Sanguinis* vitio, id quod fit 1. ejus incrassatione & coagulatione. 2. abundantia nimia. 3. defectu. 1. motus cordis à sanguine alteratur cum coagulatur & grumescit, adeo ut viam sibi ipsi præcludat, unde anxietas, tremor, pulsus intermissio, syncope, mors: ij. si nimia sanguinis copia fuerit, aut plus debita seri aut chyli quantitate turgescat, vasa sua & ventriculos cordis ita replet aggravatque ut nimis distendi necesse sit, fatis autem contrahi non possint, adeoque nimia ejus plethora penitus obruantur, iij. Econtra cum tanta sanguinis jactura & vasorum inanitio fuerit ut ventriculos cordis irritet sollicitet, & non satis expleat, cor in suo opere sæpe frustratum à motu desistit:

iv. Prout regularis cordis motus à debito *spirituum* per *nervos influxu* omnino dependet, ita pro vario illorum influxu motus ejus plurimum alteratur, 1. acceleratur cordis motus in exercitio concitatiore, quatenus à motu musculorum sanguis in ventriculos ejus uberius urgetur atque ingeritur, quem cum necesse habeat pari passu expedire, in cerebrum quoque non aliter ac in cæteras partes majore copia suffundit, unde spiritus etiam pro mutuo præstando beneficio ad cordis motum corripiendum majore copia in ipsum amandantur: Prout etiam à potu vini generosi &c. motus cordis mire augetur, quia partes spirituosæ magna copia in cerebrum exstillatæ spiritus cerebri incolas in similes tumultus incitant: 2. Diminuitur cordis motus in magnis hæmorrhagiis, diuturna ægritudine, febribus malignis &c. in quantum vel ob sanguinis inopiam, aut malam ejus diathesin, aut deprædantem calorem &c. usque adeo degener est sanguis ut spiritibus in cerebrum extillandis omnino impar sit, ut vel ob eorum non rectam constitutionem, aut non debitam influentiam cor motum suum remittere necesse habeat: 3. Depravatur cordis motus in animi passionibus, quum spiritus nimia plus solita copia; aut majore impetu cordi advolant, motumque ejus maxime corripiunt, & horrendis aliquando subsultibus exagitant & convellunt: *Vide scholia ad observat. 21. sect. 8. hujus libri.* 4. Prout autem spiritus in cerebro & cerebello in tumultus acti cordis musculum aliquando nimis exagitant, ita sæpe accidit ut spiritibus alio raptis aut distractis, ille adeo arcte & rigide stringatur ut à diastole diu vacet, hinc fœminæ hysterica passione aut epilepsia affectæ ingravescente paroxysmo de cordis spasmo & constrictione quasi manu comprimeretur) queruntur: dissusso paroxysmo de magno cordis gravamine & oppressione, quia ob impeditum cordis motum sanguis in eo stagnans & grumescens illud onere suo valde gravat: 5. ubi influxus eorum penitus intercipitur, cordis motus omnino deficit, uti in apoplexia: Uti autem à debili & parvo cordis motu sanguinis stagnatio & concretio inducitur, ita è contra ubi motus cordis cum robore & vigore vibratur, mixtio ejus optime conservatur: Si vero intensior fiat motus, ex violenta concussione sanguinis liquor valde attenuatur, unde excretio, balneo &c. sudor supervenit: qui si diutius & ultra quam par est provocetur, ob seri defectum sanguis vehiculo suo spoliatus circulationi ineptus redditur, & cor ipsum propter spirituum dispendium in opere suo delassatur, unde *leipothymia & syncope succedunt: R. Louwer Tract. de corde cap. 2.*

Inflammatio cordis) cor ipsum aliquando inflammari testatur Galenus cap. 2. lib. 5. de locis affectis, qui gladiatores inflammato manifeste corde vidit pereuntes, non aliter quam si syncope cardiaca prehenderentur. Cor inquit *Fernelius*, morbi omne genus obsidet, maximè verò simplex intemperies, phlegmone, erysipelas, omnisque præter naturam tumor, ulcus quoque ac vulnus &c.

Observatio VI.

Syncope à Pericardio cordi undique adnato.

Uxor civis Londinensis ætatis xxx annorum, olim satis sana & alacris, per tres ultimos vitæ suæ annos mœsta valde & melancholica, porro & ad motum quemvis *anhels, cum pulsu parvo* & semper intermittente, de dolore insuper, cum insigni gravamine præcordia infestanre continuo fere querebatur: quin & crebris leipothymiis, & à levi corporis cujusvis motu spirituum deliquiis, & extremorum infrigidationi obnoxia demum evaserat; In quo statu à nullis medicamentis adjuta, tandem viribus sensim attritis interiit.

Cadavere aperto, circa viscera inferioris ventris nulla omnino vitia apparebant; dum vero alias partes perscrutamur, cordis affectionem deprehendimus, in quam malorum omnium causas, merito referamus: Thorace enim aperto, Pulmones sati sanis fuerunt, Cordi tamen toti pericardium ubique adeo arctè accreverat, ut digitis non nisi ægre ab illo separari potuerit: Porro hæc membrana non uti oportuit, tenuis & pellucida, sed

sed crassa, opaca & velut callosa evaserat; hinc cum nulla intercapedo pro libero cordis motu, & nulla, qua humectaretur; aqua adfuerat, nihil mirum, si de malis his omnibus continuo quereretur: Præterea cum pericardio humano diaphragma semper accrescat, ubi cor ipsum quoque pericardio uniri accidit, fieri non potuit quin in omni inspiratione cor etiam secum deducere, adeoque motum ejus tamdiu sistere & supprimere necesse habuit: unde pulsus ista intermissio, omni *inspirationi perpetua vice tam constanter* succedebat: Richardus Lovver tract. de corde cap. ij.

PRout capsula cordis non uno nomine illi officium præstare dicitur, tum quod illi irrigando & ab externis injuriis muniendo inserviat, ita neque uno modo ipsi nocumento esse aliquando accidit. Sicuti enim aquam nimis in se accumulando cordi nocumentum affert, ita ubi illa prorsus deficit, arctè adeo illi accedit, ut ipsi tandem undique adhærescat; unde cum diaphragmati accrescat quoque, cordis motum cum illo confundere & committere necesse habet; quod quanto utriusque impedimento atque incommodo fieri queat, superior historia fidem facit.

Anhela cum Pulsu parvo]. Cum in Syncope aboleri soleant semper Pulsus & Respiratio, permanentes in Apoplexia, ab his imprimis deducendam puto Syncopes naturam: id enim pro signo pathognomonico habendum, quia in illa sola, durante vita, aboleri potest pulsus & respiratio: Cum autem tum in syncope tum in morte utrumque aboleatur, videndum quando salva vita utraque illa functio possit aboleri, quando cum ejusdem interitu: Supponimus vitam nostram naturalem pendere à conservatione Ignis, calidive innati in corde, perpetuati & quaquaversum una cum sanguine ad partium singularum vivificationem propulsi; Ignem item illum vitalem in dextro cordis ventriculo accendi per effervescentiam sanguinis utriusque Ascendentis & Descendentis, perpetuo ad cor affluentis: sanguinis, inquam, *ascendentis*, ratione admistæ ipsi Bilis; sale lixivo, sed volatili & oleoso præditæ: *Descendentis*, ratione admistæ ipsi Lymphæ & succi pancreatici acidioris: Quamdiu ergo 1. sanguis ad cor undique refluens laudabilis existit, aptusque est recipiendo sustentandoque igni in dextro cordis ventriculo in prædicta effervescentia erumpenti: quamdiu 2. Bilis & lympha, una cum pancreatico succo, cum sanguine ad cor accedentes aptæ sunt in suo confluxu ita effervescere ut ex se latentes ignis particulas emittant; tamdiu conservatur in corde prædictus ignis vitalis, tamdiu idem sanguini se insinuat, eundemque rarefacit, tamdiu cordis ventriculus dexter dilatatur, tamdiu idem eo ipso ad reciprocam sui contractionem irritatur, tamdiu præsente sufficienti animalium spirituum copia cor contrahitur, tamdiu sanguis in arterias propulsus easdem expandit, & pulsum in carpo & alibi observari solitum producit: Quando autem 1°. Sanguis ineptus est recipiendo sustentandove igni vitali; aut 2. Bilis vel lympha cum sanguine ad cor accedens inepta est talem producere effervescentiam; in qua erumpant partes igneæ ipsi latentes, desinet accendi in corde vitalis ignis, desinet sanguis rarefieri, desinet cor ad sui contractionem irritari, desinet cor contrahi, desinet sanguis in arterias propelli, desinent arteriæ expandi, ac Pulsus in carpo & alibi produci: Quando etiam 3. spiritus animales ad cor pauciores vel nulli amplius accedunt, tunc itidem cessabit cordis, utut irritati contractio, cessabitque sanguinis in arterias expulsio & Pulsus: Hinc patet in Syncope aboleri Pulsum sanguinis contentorumque in sanguine culpa, In Apoplexia vero à spirituum animalium ad cor mittendorum defectu, aut impedito eorundem ad ipsum motum, *Sylvius de le Boë Append. Tract. ij. §. 240.* Cessantis respirationis in syncope eadem ratio, cum scilicet a corde in pulmones reciprocus sanguinis commeatus inhibetur.

ANATOMIÆ PRACTICÆ

LIBRI SECUNDI

SECTIO XI.

De Morte Repentina.

OBSERVATIO I.

§. 1. *Mors subita ob effusum sanguinem in dextrum cordis sinum & pericardium, à ruptura vena cava.*

ANNO 1670. 1. Augusti subito extinctus est Vir Clariss. D. Lud. Saladinus, Juriscons. Genevensis, annos natus 30. *Palpitationi cordis* diu obnoxius & *paroxysmis asthmaticis*: De *capitis* præterea *gravativo dolore* & *summo virium languore* diu conquestus, qua de causa raro in publicum prodibat; Ante biennium conjugium, sed sterile iniit: Ingruente asthmate liberiori aëri committere se, suffocationis metu, cogebatur: Mensæ accumbentem asthmate vel palpitatione cordis correptum, & ad fenestras properantem, mors occupat.

Paucis post horis eviſceratum cadaver, inquirendæ ſubitanei lethi & affectuum cauſæ gratia: atque ſequentia Medicis & Chirurgis præſentibus adnotata. 1. quidem protinus ſe obtulit Pericardium ſanguine concreto turgidum, tanta copia ut exemptus ſcutellam ſtanneam fere adimpleverit. 2. Magnus cavæ venæ truncus, in ventriculi cordis dextri confinio manifeſte diſruptus apparuit. 3. corpus quoddam partim membraneum, partim carneum, cavum, auriculis cordis annexum, parte ſuperiori, corde paulo minus, ovali figura, ſanguinem fibroſum, aduſtum continens, deprehenſum eſt, ac maxima adjacentium vaſorum & enormis dilatatio, quibuscum conjungebatur. 4. Pulmones erant permagni, intra ſe ſanioſam materiam & purulentam fere, continentes. 5. Jecur naturalem molem multum excedebat, à naturali ſtatu alias vix recedens: 6. Lien quoque magnitudinem ordinariam ſuperabat, cum duritie: 7. Ventriculus parvus, membranæ ejus tenues, interior phlogoſeos notas præ ſe ferebat: 8. Liventia Inteſtina & Meſenterium, prægreſſi æſtus & incendii notas præ ſe ferebant. 9. Aperto capite inſignis ſeri inter utramque meningem congeſtio adfuit.

Repentinam mortem adſcripſerunt Medici ſuffocato cordis calori nativo à ſubita ſanguinis, tum in pericardium, tum & maxime in cordis dextrum ventriculum effuſione: Diſruptionis autem inſignis illius vaſis cauſam exiſtimarunt, necnon varicoſæ trunci venæ cavæ conſtitutionis, exuberantem ſanguinis copiam, cui denegatus eſſet liber commeatus ab extraneo illo corpore, auriculis cordis, il'ſique annexis vaſis adnato, unde eorum compreſſio, concurrente procul dubio corruptione & putredine partis cavæ & interioris carneæ illius excreſcentiæ, ad venam cavam uſque propagatæ; qua de cau a paratior ad crepaturam & diſruptionem extitit. Capitis autem gravativi doloris cauſa, merito inſigni illi ſeri inter meninges cerebri coacervationi aſſignata fuit. Vitalium vero & Animalium ia ultratum languorem, à prohib tā tum ſanguinis tum ſpirituum σφύξει deduxerunt, producta à majorum vaſorum per dictum corpus compreſſione, ac in eo concepta putredine, ne non a viſcerum phlogoſi hincque inducta debilitate.

§ 2. Cuidam morte concidenti, fodiendi labore fatigato, vena cava prope cor diſrupta, ſanguine inundavit viſcera. *Thom Bartholinus.*

§ 3 Meminit *Amatus Luſitanus* cujuſdam qui ex frequenti uxoris ſuper ſe in re venerea decubitu, quæ corpulenta & vaſti corporis erat, in venæ cavæ rupturam incidit, & derepente omni ſanguine extravenato, mortuus eſt. *M. Donatus Hiſtor. mir. lib. 4. cap. 9.*

Quam Mors ſit Vitæ privatio, hujus Eſſentia inquirenda) Animæ corporeæ exiſtentia omnino ab actu ſeu vita ejus dependet: atque hoc re pectu flammæ vul ari, eique Solis ſimillima videtur, in quantum ſcilicet utriuſque ſubſtantia quamprimum à motu omni ceſſat, illico non eſt, nulloque modo eadem numero redintegrari poteſt: Ea autem Brutis perfectioribus & Homini communis, cum toti corpori organico extenditur, & ſingula, tum partes ejus, tum humores vivificat, actuat & irradiat, ita in duobus illorum eminentius ſubſiſtere, atque ſedes velut imperiales habere videtur: Sunt autem immediata hæc animæ ſubjecta, *Liquor vitalis*, ſive *ſanguis*, in *corde, arteriis & venis*, perpetuo gyro circulatus: atque *Liquor animalis*, ſive *Nervenus ſuccus*, intra *cerebrum & appendices ejus* blande ſcaturiens: Animam ergo corpoream binis conſtare partibus ſtatuimus, una in *ſanguine* radicata, quam *Flammeam*: altera in *cerebro & nervoſo genere gliſcens*, quam *Lucidam* appellamus: Quoad priorem, credimus 1°. *Sanguinem Animatum* eſſe, 2°. *Animationem* iſtam in pſius *accenſione*, aut in affectu huic maxime analogo conſiſtere. 1°. Sanguinis animationem & placita Philoſophorum & indubitata S. S. teſtimonia aſſerunt: Quod etiam ex obſervatione Clar. Harvei ſenſui conſtat, utpote cujus motus oculo diſcernendus, indicat primo ipſum vivere & ultimo mori: In ampliorem hujus probationem ſatis vulgo notum eſt, animalia tantum quouſque ſanguis in debita copia & motu perſtat vivere: hujus autem, ſi aur nimia detrahatur quantitas, aut motus ſupprimatur, protinus intereunt. 2°. *Sanguinis efferventis animam*, ſive *vitam* ab incendio ejus pendere, ac *proprias Ignis flammeæque* paſſiones, ſoli *ſanguinis vitæ* competere oſtendimus: Enimvero præcipua & maxime eſſentialia, ad flammam perennendam requiſita ſunt hæc tria, 1°. ut huic quamprimum accenditur, libera & continua aëris acceſſio conceditur. 2. Ut pabulo ſulphureo conſtanti fruatur. 3°. Ut Recrementa ejus tam fuliginoſa quam craſſiora perpetim amandentur, 1°. igitur ut Flamma accendatur, maneatque accenſa, libero & indiſcontinuo aëris acceſſu opus eſt, idque non ſolum ut effluvia vaporoſa, flammæ ſuffocationem minantia, foras convehantur & perpetim decedant: attamen longe potius, ut pabulum nitroſum, propter cujusvis rei incendium neceſſario requiſitum, ab aëre ſuppeditetur: Si quando enim *nitroſæ* aëris particulæ, quibus univerſa hæc ejus regio abunde refarcitur, ſubjecti cujuſvis *ſulphureis*, inter accendendum erumpentibus, præcludantur, & flamma & ignis illico diſpereunt: quod exinde conſtat, quoniam *hic aut iſta*, vitro impoſita, poſt aërem eductum vel excluſum, citiſſime exſpirant: Eodem ritu calidiora animalia, ſi reſpiratione prohibeantur, cito exſpirant; quare maxime vulgaris & promptiſſima eadem interficiendi ratio eſt, ſpiritum præcludere, quo penitus obſtructo, *vita* uti flamma perit: Quod ſi objicias *ſuffocatos* interire, quia fuligines retentæ maſſam ſanguineam inflant & intumefaciunt; quæ proinde, mole aucta, & fere immobilis facta, cordis ſinum oppleat, ejuſque motum inhibet: d co hoc improbabile eſſe, quoniam ſi arteriæ ubique n artubus, & circa collum ligaturis conſtringantur, ut ſanguis, quoad circuitus ſui ambitum coarctatus, circa præcordia plurimum conſtipetur, (plus certè quam à mera fuligine

fuligine retenta evenire potest) propterea tamen neque statim mors, neque lethalia symptomata insequantur: Hinc ut constet Respiratione prohibitos interire; quia *sanguinis flamma vitalis nitroso aëris pabulo destituitur*, potius quam quod eadem & propria fuligine detenta obruatur: Horum affinitas adhuc clarius observatur à mineralium fossoribus, qui passim experiuntur in cryptis subterraneis, ubi vel nitrum deficit, vel à vapore quodam alieno abigitur, si quando animi deliquium imminet, vel plane urget, eodem tempore lucernæ flammam diminui, cæruleam evadere, & demum exspirare.

Secundum *flammæ sustinendæ* requisitum, est constans *pabuli sulphurei*, quod continuo depascatur, *supplementum*, quo subtracto, aut propter incongruam mixturam depravato, flamma extinguitur: Uti cernitur in lampade, quæ oleo denegato, aut si aqua vice ejus suffundatur, exspirat; Eodem plane, quo *flamma* ritu, *calidorum animalium sanguis* (& è cunctis naturalibus, præter ignem, hic unicus) *pabulum sulphureum*, constans & copiosum exigit, illudque brevi atterens, magna ex parte in effluvia vaporosa absumit, capite mortuo, terræ, salis, fœtidique sulphuris relicto, interim è pabulo suo per accensionem attrito, particulas quasdam in alios usus necessarios disponit, *Sanguinis vitam*, sive *flammam*, alimento continuo egere nullus est qui non quotidie in seipso experiatur: Nam si aliquandiu illud denegatur, sanguinis vigor minuitur, quin & partes solidas atterens, earum ramenta, aliosque corporis humores, quibus depascatur, in finum suum rapit: Si nutrimentum ab assumptis quotidie suggestum tenue nimis & aquosum fuerit, sanguinis fervor instar flammæ jejunæ remitti solet: Sin pabulum valde sulphureum, ac spiritu vinoso turgidum copiose ingeritur, cruor statim inflammatur, ac non raro in febrem, quasi apertus incendium erumpit: interim ex isto sanguinis pabulo, uti videtur, per accensionem attrito, effluvia calida cum fuligine & vapore copiosissima decedunt, Et quod ipsorum indolem plane igneam testatur, non raro linguam & fauces torrefaciunt, & veluti caminum, attedine inficiunt: Porro sanguine conflagrante fæces adustæ instar capitis mortui, in vesicam fellis, lienem, & alia forsan emunctoria amandantur.

Tertio, ut flamma accensa aliquandiu permaneat, jugi eventilatione opus est, nempe ut effluvia ejus fuliginosa continenter avolent, quæ secus in vicinia densius aggesta & detenta ignem suffocant, in quantum scil. corporis accensi poros obstruendo, materiæ sulphureæ inflammandæ eruptionem impediant: Pariter ac *flamma* etiam *sanguinis vita ventilationem* continuam exigit, in quem finem, præter majora Tracheæ spiracula, minora innumera, scil. pori cutis, ubique per totum corpus hiantes, effluvia à sanguine æstuante decidua copiose emittunt; quos si constipari ac nimis occludi contingit, propterea sanguis quasi fumo & vapore obsitus inordinate effervescit: porro necesse habet circuitum suum corripere, ut crebriori vice Pulmones pertransiens, illac totam qua licet, fuliginem suam dispellat. *Willis Tract. de Anima Brutor. part. 1. cap. 2. Et Tract. de Accensione sanguinis, ubi fusius hæc tractantur*: De morte quatenus *sequitur ad vitia* Liquoris nervei, *vide tit. de Respiratione læsa; Syncope, Palpitatione cordis &c.* Vulgo autem mors adscribitur interitui caloris nativi, E causis autem eæ quæ maxime efficaces subitam inferre possunt, Quatuor autem de causis calor interit, inquit *Heurnius Instit. lib. 3. cap. 4.* Aut vehementia dissipante calorem, quemadmodum dicitur majus lumen obscurare minus: Vel à suo contrario, quemadmodum aqua extinguit ignem; denique copia affusi nutrimenti, suffocantis calorem, ut nimium oleum elychnii flammam: &, quemadmodum scribit *Hippocr.* ex hac causa, habitissima constitutio corporis quæ in summum evasit, qualem in athletis cernere est, summe periculosa, eo quod spiritus vitales copia affusi nutrimenti, suffocentur: Vel calor extinguitur Inopiâ alimenti, ut cum flamma angusto loco coercita marcescit, ut in cucurbitulis medicis, cum flamma aëre defraudatur; sic in hominibus quum fauces præcluduntur, & cutis spiracula.

Observatio II.

Anatome Virginis annosæ, subito mortuæ cujus vasa circa cor sanguine exhausta reperta sunt, cum Pulmonibus vitiatis.

Virgo Nobilis Genevensis, annum 40. prætergressa, cui crebræ à cerebro defluxiones in dentes & circumsitas partes molestæ, ac dorsum σκολίωσις deformabat, 15. Februarii mensis, 1672. repente de scotomia conqueritur, aurium tinnitu, capitisque dolore, succedente paulo post aphonia & ἀσφυξία, hinc morte quarta ab invasione hora: Multa administrata præsidia, ac inter cætera cucurbitula sicca sincipiti admota, quæ cruorem aliquem elicuit.

Apertum postridie cadaver, me præsente, in quo sequentia adnotata, 1. abdomine reserato, viscera satis integra se exhibuerunt, ventriculus omnino inanis, etsi cardiaca multa ingesta fuissent. 2. Uterus, quanquam pudicitiæ notissimæ, sartę & tectę esset, amplissimus, major quam in plurimis quæ sæpius pepererunt: 3. Thorace inciso, Pulmones variegati apparuerunt, lividi, viscida pituita circumfusi, cum plurimo pure intra parenchyma: 4. Neque cor, neque vasa adsita vel guttam sanguinis continebant: Effusus intra thoracis cavitatem animadvertebatur, sed non ea copia quę vasa dicta exhaurire potuerit. 5. Pericardium humore omnino erat destitutum. 6. Spina dorsi ad lęvum omnino deflectebat, ut vix à latere proximo duorum digitorum distantia quæ medium dorsum occupare debet abesset, literam S effingens, superiore parte extra vergens, inferiore, circa medios pulmones, admodum depressa, ut ideo admodum premerentur, unde asthmatis diuturni causa repetenda; & quod ad quemvis motum anhela fieret: Apertio capitis negata ob instantes exequias: Partem

Partem tamen sanguinis eo confluxisse ut crederem, impulerunt & paucitas ejus in thorace reperta, & querela de capitis dolore ingruente syncope, & elicitus ab admota cucurbitula cruor.

OBSERVATIO III.

Mors subita à vermibus cordis aut pericardii incolis.

§. 1. IN Palatio Magni Ducis Hetrutiæ, civis Florentinus circumforaneum fabulantem audiens, morte subitanea correptus est: quæ mors cum adstantibus & familiaribus ipsius maxime suspecta esset, dissecari cadaver curant, In quo dissecto nihil mortis causam quam vermem vivum in cordis capsula fuisse à Medicis repertum est. *Ex Petri Sphererii observationibus, Archiepiscopi Moguntini Medici.*

§. 2. Valetudinarius quidam Syncope cardiaca, palpitationeque cordis per intervalla quatiebatur, & tandem subito occubuit: Dissecto cadavere, inventus est vermis cordis ventriculo dextro adhærescere, mortuus, niger. *Zacutus Praxis med. admir. lib. 2. observ. 39.*

VErmes in corde posse reperiri confirmat historia à *Gothof. Sam. Polisio* allata *miscell. curios. anni noni Observat.* 13. Anno 1646. *ait*, die 18. Maij. Nobiliss. Juvenis G. Gothofredus à Giesdorff nocturno tempore in conflictu lethaliter vulneratur in sinistro abdominis latere, ita ut die xx. animam redderet: Cadaver apertum fuit à Dn. Parente Melchiore Polisio P. P. cumque ad cor deventum quod optime alias ac naturaliter constitutum fuit, ventriculique dissecti, non solum copia atri ac grumosi sanguinis; sed & vermes in iisdem latitantes oculis adstantium exhibiti, auribus, oculis, ac probosde instructi, colore albi, dimidium digitum longi, ambo tamen mortui.

OBSERVATIO IV.

Mors subita ab atro sanguine in cordis cavitate, Sero in pericardio, & Abscessu prope sinistram auriculam.

HYacinthus Burga, trium annorum, Nobil. D. de Burga, arcis Antuerpiensis præfecti filius, repente obiit: Aperto cadavere ab Excell. D. Nonnio, præter atrum sanguinem in cordis cavitate, & serositatem in capsula cordis inventam, Repertus abscessus est instar ovi prope sinistram cordis auriculam. *Nic. Fontanus Respons. & cur. medic. p. 60.*

OBSERVATIO V.

Mors repentina à corporibus extraneis in sinubus cordis contentis.

§. 1. INfantulus, Thomæ Hall, Aromatarii Dotchestrensis, trimestris filiolus, sanus & bene habitus, cum nutrix cum eo luderet, in sinu ejus subito, oculi quasi nictu, vitam exspiravit.

Dissecto à morte corpusculo, cordis dexter ventriculus sanguine congelato refertus fuit inuentus: In reliquis partibus nihil culpa dignum, sed viscera sana & firma apparebant. *Frid. Loßius observ. med.* 15. *lib.* 1.

CAusam proximam tam subitæ mortis, impeditæ forsan sanguinis circulationi adscribendam censeo: Hæc si prohibeatur, vel in torculari Herophili, vel cordis ventriculis, *Sim. Pauli* authoritate, idem in Microcosmo quod in Macrocosmo, interposita terra inter Solem & Lunam, accidit, & veluti Eclypsis quædam existit, quam necessario mors, ictius ocyus, insequitur. *Idem.*

§. 2. Intra ventriculum dextrum, ad orificium venæ cavæ, in quibusdam repentina ac inopinata morte suffocatis, deprehendi frustula carnea, pugni magnitudine, invicem conglobata, & nuper in Episcopo Malleacensi id à me fuit observatum. *Riolanus Antropographiæ lib.* 3. *cap.* 12.

§. 3 Juvenis 24. annorum, diu præter solitum mœstus, habitus melancholici, coloris nigri, subitanea tandem morte occubuit, antea tamen molestissimam sitim perpessus, & satis large ideo potans.

Secto à me cadavere, omnia se recte habuere, præter cordis ventriculum utrumque, qui non sanguine, sed pituita potius vitrea, tenaci, subalbida repletus erat. *Rumlerus observ.* 6.

§. 4. Præter adipem extrinsecus cordi adnatum, aliquando & intra cor, in ipsis sinubus & ventriculis *frusta pinguia*, sevo aut adipi similia, & quidem satis magna, nonnunquam reperiuntur: Ita refert *Posthius* in Ducis Ferrariensis, subitanea morte extincti, sinistra cordis cavitate: pinguedinis frustum, ad magnæ candelæ sebaceæ formam repertum fuisse: *Rolfinkius Dissertat. de corde cap.* 3.

§. 5. No-

§. 5. Notandum est quod ego anno 1574. cum Rev. Præceptore meo J. B. Canano, & Exc. Patre meo, Ostiarium Sereniss. nostræ Barbaræ Austriacæ inspexi, Subitanea morte correptum, cui insignis pinguedo ad magnæ candelæ sebaceæ formam sinistram cordis cavitatem occupabat. *Hippolitus Boscus de Facultate Anatomica lect. 4. p. 438.*

Observatio VI.

Mors subita ob Polypos in sinubus cordis, Pulmones sanguine infarctos &c.

§. 1. Filiolus N. per 4. aut 5. dies tussi, febricula, &c. laboravit, & intra biduum extinctus est: Pulmones mortui sanguine stagnante infarcti reperti sunt: Dum vero lethi adeo subiti causas adhuc rimamur, corde dissecto, in sinubus Polypi ingentes animadversi. *Vide tit. de Dyspnœa.*

Polypus) Præter naturam multa in ventriculis reperiuntur, *Bauhinus* frustula adiposa, & *Wormius* ex utroque ventriculo caruncululas quasdam interius albicantes, exterius rutilo colore emergentes, quod & non alias invenimus, *Erastus* concretionem pituitosam, flavescentis instar medullæ: *Vesalius* glandulosæ nigricantisque carnis libras duas, *Benivenius* frustulum carnis instar mespili. *Thom. Bartholinus Anatom. reform. lib. 2. cap. 7.*

§. 2. D. Simon Pauli Hafniæ vidit Polypum cordis, à sanguine tota substantia corrupto genito, in humano corde repentina morte extincto, cum veneni exhibiti suspicione. *Th. Bartholinus observ. 15. Actor. medic. ann. 1671. & 1672.*

§. 3. Subitanea morte concidentem anno 1669. aperuit Chirurgus, satique præcipitis causam detexit pinguedinem nimiam Pulmones comprimentem: Item Polypum cordis ventriculi sinistri transitum sanguinis retardantem. *Th. Bartholinus in miscell. cur. anni 1670.*

Observatio VII.

Mors subita ob sinistram cordis auriculam materia crassa refertam.

Filius Dom. N. quinque annos natus spirandi difficultate diu laboravit: Supervenit lipothymia, pulsus parvus languidus &c. Defuncti Pulmonis pars sinistra diaphragmati hærebat firmiter: Sinistra cordis auricula solito amplior erat, referta materia crassa & compacta, omnino alba, laridum coctum referente, quam subitaneæ mortis causam fuisse censuimus, cordis ventriculum sinistrum suffocando, & illius ventilationem impediendo, *Riverius cent. 1. Observ. 83.*

Observatio VIII.

Mors repentina ob sanguinem intra cor & pericardium effusum, & abscessus in Aorta.

Ira repente mortuus, pericardium sanguine repletum dissectus ostendit, Cum ejus causa ulterius perquireretur, inventi sunt duo abscessus in trunco arteriæ aortæ prope cor, unde sanguis exierat.

Pericardium &c.] Quod rupto vase proximo, aut dilatato saltem ejusdem orificio probabile videtur.

Abscessus] Crudi haud dubie, & sanguinei five inflammatorii nondum suppurati. *Welschius in mictomim. cent. 3. §. 25.*

Observatio IX.

Mors repentina à sanguine cor suffocante.

Præcipiti & repentina morte occumbere horrendum simul ac miserabile est, sicut hoc anno 1651. vidimus, nam brevi temporis spatio unus post alium hoc modo sub flebili mortis jugo reclinavit: habuimus anno præterito, fere per totum annum & amplius, siccitates immensas & præsertim æstatis tempore, cum ardentissimo fervore copularas: Autumno vero elapso anni 1650. aquæ copiosæ statim post calorem & siccitatem humectantes agros, rigantes prata visæ sunt: Post aquas vero siccitas eum frigiditate magna supervenit: hinc copia catarrhi, & frequentia ophthalmię, & anginę spurię visę sunt: Anatomica sectio mortuorum qui hoc modo perierunt, ostendit Medicis cor à sanguine suffocatum. *Dom. Panarolus observat. 7. Pentec. 3.*

Ex dictis facile credo posse cognosci hujus morbi causam, si dixerimus oriri ab humore aliquo crasso & vaporoso per venas redundante, suffocante calorem nativum, aut venam aliquam

aliquam disrumpente: Venæ etenim cum supra modum sint repletæ periculum est ne disrumpantur, ut provenit aliquando à copia sanguinis, sicut inquit *Galen.* aphor. 3. 1. Cum enim vasa fuerint cibis ac potibus supra modum repleta, periculum est ne aut ipsa disrumpuntur, aut calor nativus suffocetur: Non neglecta interim prohibitione insensibilis transpirationis per adventum frigoris, Et sic corpora excalefacta per immensas siccitates caloribus maximis associata, adveniente pluvia, humorem ad internas usque partes attrahunt, ob raritatem corporis & apertionem pororum, sicut accidit in ferro, dum durissimum reddere volumus, quoniam à ferventissimo igne extractum in undas immergitur, qui humor postea cum non possit exire per poros, per insensibilem transpirationem, propter frigus externi ambientis, quod poros claudit, alios quærit aditus, quos si non inveniat, per corpus excurrit cum periculo maximo, ne robur virale cordis, ipsiusque calor suffocetur: Confirmat copia catarrhi, ophthalmiæ & anginæ, & anatome mortuorum qui hoc modo perierunt: Ideo optimum remedium esset si hujus morbi indicium aliquod haberi posset, statim cucurbitulas applicare per totum corpus ad reserationem pororum: sicut etiam sanguinem ex brachio utroque minuere, ne cor ab ipsius copia suffocetur. *Idem ibidem.*

OBSERVATIO X.

Mors repentina à disrupta vena in ventriculo cordis, cum Pulmonum vitiis.

Rusticus carceribus detentus, cum optime cœnasset & dormitum ivisset, paucis habitis verbis cum socio, quicum decumbebat, perpetuo somno se tradidit: Socius perterrefactus carcerum custodes advocat, custos Judicem, qui cadaver aperiendum jubet.

Quo aperto, Omentum laceratum & putridum inventum: Jecoris portio circa costas suppurata, Pulmones putridi: Nec tussis adfuit nec respirandi difficultas: Corpus pariter lividum erat, præsertim ea parte in qua jacebat: Hujus tantum repentinæ mortis fuit causa, disruptio venæ in ventriculo cordis, *P. Poterius cap.* 60. *centuria iij.*

OBSERVATIO XI.

Mors repentina à sanguinis copia suffocante & obruente sinistrum cordis ventriculum.

IN Nosodochio aperui corpus cujusdam ancillæ, quæ in chorea inter saltandum subitanea morte periit; causam mortis investiganti, Sinister cordis ventriculus magnam continere sanguinis copiam apparuit: Omnia etiam in corpore contenta sanguine suffusa nigricabant, vel saltem rufescebant: Pulmones quoque ita arctè undique thoracis lateribus adhærescebant, ut vix separari potuerint; unde continua laborabat spirationis difficultate: Cerebrum alias erat bene constitutum, nisi quod omnes venæ sanguine turgerent, præter naturæ modum.

VNde conjeci mortis causam fuisse quod ex saltatione & motu vehementiore, cor & sanguis supercalefactus fuerit, quæ majorem requirebant respirationem, quæ cum denegaretur ob adnatos pulmones, necessario ipsum cor & calore & nimia sanguinis copia obrutum interiisse, idque subito & inopinato. *Saltzmannus Observat. Anat. pag.* 46.

OBSERVATIO XII.

Mors subitanea à retrocessione sanguinis ex arteria & vena axillari ad cor, ob corpus carneam cavitatem arteriæ obturans.

CUm ego in Nosocomio S. S. adessem gratia secandi corpora, accidit ut Pater quidam D. Antonii, desiderio impulsus anatomicæ sectionis ad ipsam intuendam me rogaret: libenti itaque animo aliquando dum feci, ut prope me sederet oravi: Opus complevi, atque ipse ex hujusmodi inspectione totus jucundus domum revertitur: Sequenti die quidam mihi retulit patrem istum è vivis decessisse, rogans ut reliquorum patrum gratia ipsum aperirem ad intuendam repentinæ mortis causam: Corpus secuimus, atque sub dextera axilla prius Aneurisma habuerat, quare Medicis consulentibus singulis annis, cum esset quadrato corpore, maxima ex brachio opposito sanguinis copia hauriebatur: accidit eo tempore, dum nunquam tam jucundus & promptior esset ad vitæ functiones, illi repentina mors & in terram cecidit.

Secto cadavere, venam azygos maxime turgentem inveni, ita ut rumpi videretur; Venæ item & arteriæ omnes, quæ musculos intercostales dexteros irrigant, summopere tensæ pleneque erant: ita ut dum sectio fieret circa claviculam & axillam, maxima sanguinis copia redundaret: Sed quod maxime admirandum fuit, arteriæ axillaris fuit inspectio: ipsa enim, non ut in cæteris aneurismatibus rupta & corrupta erat, sed undequaque integra: Ea tamen differentia, quod circa arteriam & venam axillarem, atque intra cavitatem arteriæ, *caro quædam*

quaedam alba, solida, dura & cartilaginosa maximę portionis, tam firmiter adhaerebat, ut secerni nullo modo posset, imo ferro mirifice resistebat: unde cum via sanguinis naturalis & vitalis ad irrigandum, brachium ex insigni interna & externa obstructione paulatim clausa esset, retrocedendo sanguis cor suffocando, Patrem illum inopinate sustulit. *Dom. Panarolus Pentecoste ij. Observat. xi.*

CAro quaedam alba, solida &c.) Similia corpora, pro variis quos obsident locis, varias laesionum species inferunt, apoplexiam, orthopnoeam &c. syncopen cardiacam, si in corde primas radices agnunt, vel in vicinis illis locis delitescunt, sique id languidum fit, nec sanguinem amplius propellere valeat, unde mature tanto oneri succumbit: Observatum quidem quosdam ista corpora diu impune gestasse, atque pleraque vitae munia obiisse, ubi scil. mobilia sunt atque hinc inde disperguntur; sin autem alicubi firmiter fixa, impedita sanguinis circumgyratione, subitam mortem inferre posse sunt.

Observatio XIII.

Mors repentina à sanguine circa cor &c. concrescente.

§. 1. TImoris damna non pauci experti sunt: Metus mali saepe major ipso malo, & formidine mortis quamplures moriuntur ante mortem: Fugiendus timor vel eo nomine, ne torpidus metu sanguis ingruentia mala facilius admittat: Corripiuntur multi pestilentia, quam forsan constanti animo & sereno evaderent. Romae mortuus est, me p aesente, vir Eminens, cui in thorace circa cor sanguis concretus mortis causa credebatur, natus ex timore in mari concepto, quum iniquitate ventorum agitatus Genua solveret in Sardiniam trajecturus. *Th. Bartholinus observ. lxxvj. cent. iv.*

§. 2. Saepius observavi in subito demortuis cadaveribus, passim à me dissectis, cordis magna vasa sanguine concreto repleta: *Idem. l. de lact. Thorac. cap.* 14.

§. 3. Puella cum per diem capitis gravitatem, vertiginem &c. passa esset, die sequenti subito extincta est &c. In arteria magna & vena totus sanguis illi coaluerat &c. *Vide tit. de Syncope.*

Observatio XIV.

In subita morte extincto, repertum Pericardium aqua & sanguine concreto repletum.

MIles subito post longum moerorem mortuus, visceribus reliquis salvis habuit in peri ardio, non aquam modo, sed & copiosum sanguinem concretum. *N. Abrahamus Fr. mbesartus in Exam. Doctor. fol.* 29.

HInc patet non omnes qui subito moriuntur, apoplexia mori, & frustra saepe causam quaeri ab anatomicis in capite, cum in thorace sit: Eo in milite cor obrutum & oppressum fuit tum ab aquae copia tum à sanguine, cujus interceptus fuit cursus, hinc ejus concretio: Moestos & melancholicos sero abundare constat, in moerore ad cor sanguinem confluere, ibique stagnare, ejus oppressio, ob quam vix explicatur; ostendit: Syncope autem cardiaca correpti vix ab apoplecticis distinguntur: animales enim actiones in prioribus statim debilitantur, ac tandem penitus deficiunt; hac enim ingruente oculis viridia nigráque observantur, aures tinniunt, & quandoque omnia in gyrum rapi videntur; mox omnis sensus & motus perit, instarque trunci jacent aegri: Quae ergo ratio distinctionis est? In apoplexia, quantumvis forti, stertor est, quamdiu id quod è cerebro accedit musculis thoracis, ad compiementum respirationis; solum est ablatum, durante adhuc ebullitione naturali in corde: In syncope cardiaca nullus est stertor, quia cor ipsum subito occupatur.

Observatio XV.

Mors subita ab aqueo humore in pericardio redundante.

ELapsis annis cum anatomen Nobil. cujusdam viri jussu Magistratus aggrederemur, eo quod repentina morte praeventus fuerat, & suspicio erat ne causa lethi veneficium fuisset, tandem cum nulli visceri vestigium, sive nota ulla deleterii pharmaci appareret; invenimus pericardium ingenti mole tumens, quo manibus leviter presso, humor ipse aqueus ex ore ubertim manasse liquido conspeximus: Conjeci ex his ob cordis palpitationem ipsum statim obiisse: *Iulius Iasolinus Tractatu de aqua in Pericardio, capite ij.*

AQua quae in involucro observatur, & quae in thoracis cavitate ortum ducit, nedum ex vasis inibi contentis; verum etiam & potus aliquid roris modo ac maioris eo penetrare censemus, tum per anastomosin, tum etiam per diapedesin, si cum potum assumimus lambendo veluti per parietes aliquid influit. Hoc ex Hippocr. clara sententia liquet; libri de Corde, initio. *Sed quomodo aqua acervatim irruens, turbationem ac multam tussim exhibet? praeterea inquam quod contra respirationem fertur: quod enim per rimam ilabitur, tanquam juxta parietem delabens, aeris*

aëris elationi non instar, sed levem ac lubricam quandam viam humectatio ipsi praebet: Hunc itaque humorem cor de pulmone una cum aëre abducit: Aërem quidem igitur, ubi in medelam cessit, necessario oportet retro per eandem viam, qua abduxit, rejicere: verum humorem partim in culeum ac vaginam suam expuit, partim rursus una cum aëre foras propellit: Hanc Senis sententiam confirmat *Galenus* 4. m. m. cap. 7. & 7. de us. part. c. 17. & alibi saepissime: Nec probatione authoritatéve egent quae sensus indicant, quandoquidem in nobismetipsis experiri licebit aestivo tempore, praecipue si quis in sole ambulaverit, & siti interdum vehementi cru ietur, vix loqui potest: sumpto postea aquae haustu, loto vel ore; statim vox redit: Ecquid amplius immoror, cum vetustissima sit haec sententia? imo ipsius Platonis? hic in Timaeo, *Cum vero ex cordis palpitatione, in terribilium rerum tumore, ex ira exercitatione, praviderent fore totum hoc irascentis partis domicilium aestuosum ac propemodum ignitum redderetur, subsidium illi pulmonum forma aggenerata invenerunt: quae mollis primum & exanguis, deinde cavernosa spongiae instar, ac foraminulenta est, ut spiritu potúque excepto respirationem refrigeraret aestumque mitigaret: Hippocr.* Platone vetustior, nedum ratione, verum experimento probavit, ostenditque notam, *Signum autem hujusrei hoc est, Si quis enim aquam caeruleo colore, aut rubrica temperatam sitienti valde bibendam dederit, maxime sui, hoc enim pecus non est curiosum neque munditiei deditum: deinde dum adhuc bibit ipsius guttur rescicet, hoc colore reipsa tinctum reperiet:* Sed non est cujusvis haec Ch rurgiae aggressio: Nequaquam fides nostra suspecta esse debet de potu quod homini in guttur vergat, comprobat historia superius allata.

Observatio XVI.

Mors subita ab adipis copia pericardium investiente.

Vixit ante aliquot annos Mercator Amstelodami, vir summe obaesus; (nomen subticeo) cujus cadaver, quod repentina morte occubuisset, cultro anatomico subjectum est, Atque pericardium adipe adeo obsitum animadversum est, ut cordi constricto debitam expansionem denegatam fuisse constiterit.

Observatio XVII.

Mors subita à nimia pinguedine.

Rever. Joh. Musonius Polonus, vir statura procera, corporéque ob nimiam pinguedinem vasto atque ad motum inepto, annos 58. natus, per aliquot annos de dyspnoea, maximè inter eundem saepissime conquestus est, qui antea frequenter haemorrhagiam narium fere usque ad animi deliquium patiebatur, & ex erysipelate pedis utriusque ulcere laborabat: his è consilio nostro aliquoties purgantibus usus est, ob metum hydropis, sed absque commodo, nam respiratio in dies difficilior, facultásque vitalis debilior reddebatur, ut se tandem lecto committere cogeretur: Lecti & quietis pertaesus, aura liberiore frui gestiebat, persuasus sibi inde valetudinis aliquod emolumentum: Cùm ipsum nullis rationibus à proposito abducere possem, ille denique 25. Aug. 1669. mane Cathedram Templi conscendens, habitáque concione Polonica brevi, circa meridiem rheda cum filia se vehi jubet ad vicinum pagum, milliare Germanicum ab urbe distantem profecturus; sed dum vix quartam milliaris partem perficeret, rheda descendens subito moritur.

Cadaver sectioni traditum est, ubi post Chirurgicam apertionem, in abdomine supra musculosam carnem satis amplam & robustam adeps, coloris ad citrinum vergentis, octo digitorum transversorum crassitiem superans conspiciebatur: Praeterea in cavitate abdominis ichorosi humoris aliquid, in intestinis vero flatuum paulo major copia: Sed viscera omnia medii ventris, cor insigni pinguedine praeditum cum pulmonibus: In infimo, ventriculus &c. optime constituta: hinc constat obesitatem nimiam mortem accelerasse. *Simon Scholzius in miscell. cur. anni* 1671. *observ.* 87.

Observatio XVIII.

Mors subita ab irruente affatim in Pulmones sanguine, ibique concrescente.

Plerumque onerantur sanguine pulmones in moribundis, & in subito extinctis, ex irruente in pulmones sanguine, ibique restitante ob motum circularem cessantem, causam mortis non semel sectione detexi. *Th. Bartholinus Tract. de Pulmonibus p.* 27.

Sanguine ibi restitante) Substantia pulmonum nostrorum compactior videtur quam ut cum avibus vel ranis comparetur: sanguine plena est nec transparet: Si vero aequa lance rem utramque expendamus, fateri cogemur & hominum & majorum animalium pulmones spiritu aëreo plenos esse, & adeo raros levesque ut aquae supernatent, evidenti vesicularum teneraeque constitutionis argumento: Huic pulmonum porositati & levitati imputant quidam causam, cur suffocati in aquis post tres dies iterum emergant natentque: Unde pulmones eximere Solent Piratae ne submersa cadavera fundum linquant: Praeterea pulmones ad unum omnes; qui

qui parenchyma quodam habere videntur, revera carne omni destituuntur, quia sanguine in amplissimis vasis abundant, nec ita accurate exprimitur, remanet is in pulmonibus, quibus coctis parenchyma mentitur, & cibi solidi vicem pauperioribus præbet; quemadmodum & farcimina, quæ vacuum intestinum sanguine replent, si coquantur parenchyma fingere possunt: Cæterum si debita diligentia pulmones corporibus exempti aqua eluantur, comprimantur manibus, per follem aqua immissa laventur, diuque subigantur; ut omnis prorsus sanguis exsillet, aliam faciem videbimus, candicabunt, & præter membranosum corpus superesse nihil: Plerumque onerantur sanguine in moribundis, ex irruente in illos sanguine ibique restitante ob motum circularem cessantem: Ita nisi fallit omen omne quoque parenchyma, seu sanguinis affusio in hepate & liene, evanescet tandem in solis fibris vasisque & membranis remanentibus, si sanguis qui illis inhæret & parenchyma simulans manibus vel bacillis exprimatur, vel aceto coctus dissolvatur: Lienis ita parenchyma disparuit, & *Highmori* dexteritate lib. 1. part. 3. cap. 1. tot vasa; tot fibræ nervosæ mire complicatæ, magnum carnis putridæ locum implent. *Idem ibidem.*

Observatio XIX.

Mors subita à putredine quinti pulmonum lobi.

IN Carolo Sabaudiæ Duce nono (præter alia monstrosa) quintum pulmonis lobum omnes vidimus; tetigimus incidimusque, quem una cum aliis penulis vitiatum putridumque deprehendimus, Ex quo judicatum est, cum aliis ipsum inopinatæ & subitæ mortis causam fuisse. *Franc. Puteus Apologia Anat. pro Galeno contra Vesalium.*

Observatio XX.

Morte subita abreptæ mulieris anatome cujus mediastinum plenum erat sero sanguineo, Pulmonis substantia pure referta Testiculus sinister vitiatus &c.

VIdua D. N. asthmate, febre, dolore pectoris corripitur: Die XI. morbi cum optime se habere videretur subitò extinguitur: Aperto cadavere inventum est mediastinum plenum sero sanguineo: quod forte rupta membrana versus partem superiorem pulmonis eumque atque asperam arteriam comprimens, subito suffocaverat: Universa pulmonis substantia referta erat materia purulenta: Testiculus sinister erat colore nigricante, cujus substantia interior veluti gangræna affecta apparuit. *Vide tit. de dolore pectoris.*

Observatio XXI.

Anatome viri morte repentina sublati, in cujus thorace reperta massa, saccum referens, in medio pendens, sanguine nigricante plena.

GAllus quidam, quadragenarius circiter, nomine Paris Sigillorum sculptor fine pari, dissolutam diu vitam vixerat, sanus hic sibi & aliis visus, festo nativitatis Christi, cum amicis quibusdam lætus, and mulram noctem bibens & saltans, male se habere cœpit, & cubiculum petens in lectum se conjecit: Famulus dormire eum ratus, in quiete eum reliquit, at mane mortuum reperit: Contigit hic casus in Vestrogotia, in arce Leckoe Illustr. Dn. magni Gabrielis de la Gardie; magni Regni Sveciæ Cancellarii, qui attonitus ob tam improvisam rem, jussit ut causam repentinæ illius mortis perquirerem.

Dissecto cadavere, infimi ventris viscera omnia sana reperta; Thorace reserato, apparebat massa quædam nigra, facei ad instar in medio pendens, quæ Pericardium erat, continens membranam cordis, Parenchymatis penitus consumpti loco, sanguine nigricante repleram: Pulmo dextra parte totus consumptus: Sinister integer quidem, sed fuscis plenus maculis. *D. Petrus Specth in miscellaneis curiosis ann.* 1674. 75. & 76. *p.* 55.

Observatio XXII.

Mors subita ab hydrope Thoracis, Pulmonum motum impediente.

VIr Nob. Sexagenarius, per quadriennium, initio levi, post gravi pectoris angustia detinetur; qui tandem frustra adhibitis multis subitò, quasi fulmine vel apoplexia tactus, morte inopinata corruit.

Ad inquirendam interitus causam, corpus post mortem aperio, discissaque cartilagine costis adnexa, mox aqua ex viridi citrina, cum impetu, ἀθρόως prosilit: Ulterius in sectione pergens, discisso mediastino, totum os pectorale caput versus reflecto, & ecce, Pulmo multis maculis nigris, diversis coloribus, instar spermatis ranarum, occurrit, quo dissecto, sanguis nigerrimus profluit. *Iohannes Bilgerus Medicus Campodunensis ad Gr. Horstium tom.* 1. *p. m.* 142.

Ex his facile colligere est quod pulmo aquæ putridæ innatans, spiritusque vitales sua labe inficiens, sese dilatare, prout par erat, ac spiritus fovere non potuerit.

Observatio XXIII.

Mors subita à Tabe & consumptione Pulmonum.

Puella trium annorum diuturna quartana laborans, subito extincta: Aperto corpore, visi sunt Pulmones adeo contabuisse ut nullum illorum vestigium appareret, sed tantum membrana plena purulenta materia, cùm tamen *nunquam vel de tussi* (mirabile dictu) conquesta fuisset, vel pus expuisset. *Lud. Nonnius Med. Antuerpiensis ad Zacutum, in Praxi admir. lib. 1. Observat.* 109.

Nunquam vel Tussi &c.) Id observatum à Nic. *Massa* interdum apostemata in pulmonibus existere, quæ nulla comitetur febris, nec tussis: refert enim *in introduct. anat.* fol. 57. se quendam secuisse, cui in substantia pulmonis, parte sinistra, ulcus magnum concavum & putridum inerat, in cujus cavitate fuit sanies multa & prava: cùm tamen doloris omnis & tussis fuerit expers: Verisimile ulcus illud enatum è tuberculo tandem in pus murato: Cur vero absit tussis & exspuitio præsente materia purulenta, *Vide tit. de Phthisi.*

Observatio XXIV.

Mors subita ob Pulmones sicciores & vitium cordis auricularum, unde impedita sanguinis circulatio.

Anno 1652. initio Februarii mensis, ob inconstantem aëris intempeciem, multi in urbe inopinatâ morte subito extinguuntur: Inter hos auriga in curru expiravit, natus annos 30. Longo autem tempore conquestus fuerat de abdominis doloribus ad jugulum ascendentibus, ut inde se crederet suffocari, nec levamen ante sensit quam premisse thoracem & abdomen manu comprimeret, vel opposito fulcro sublevaret: Insperatæ mortis causam investigaturus cadaver aperui & sequentia notavi.

1. In abdomine omentum invenimus putridum cum ingenti fœtore: 2. Hepar ingentis molis, ut utrumque hypochondrium fere impleverit, colore sano, sed duriusculum, imprimis sub ensiformi cartilagine: 3. Lien exiguus infra ventriculum, fibris membranisque mirum in modum vicinis partibus connexus & implicitus, figura singularis, referebat enim renes bubulos vel suillos, quatuor vel quinque lobis distinctus: 4. Ren sinister cætera sanus, incumbentis lienis impressum servabat vestigium, Liene uterque major: 5. In abdomine inter membranas plerasque hinc inde vesiculæ à flatu excitatæ: 6. Cœcum intestinum in sinistro hypochondrio colo adhærebat: 7. In Thorace pulmones sicciores ad livorem tendentes, Sinister mediastino adnatus, Prope gulam & dorsum inflammari, sicut & ipsa gula, unde vivus post cibum sumptum de dolore ibidem loci ingenti non immerito conquerebatur: 8. Cor inusitatæ magnitudinis & quovis bubulo majus: 9. Dextra cordis auricula amplissima, sed digiros transversos lata, sanguine turgida: Sinistra vero contracta, vix nucem æquans minorem.

Paret hinc facile mortis causa: Pulmones enim exsucci, ad motum inidonei, per venosam arteriam sanguinem non admisere per circulationem hac iturum, unde stagnans in ventriculo dextro & auricula dextra hominem suffocavit; Quo accesserunt flatus ex abdomine, qui presso diaphragmate & angustato corde spirituum intercluserunt. *Thomas Bartholinus cent. 1. histor xlv.*

Observatio XXV.

Mors repentina à retorrida bile in arterias effusa.

Retorridam bilem in duobus, qui à valida pilæ exercitatione repentina morte sublati sunt, in arterias effusam illic deprehendimus, in tophi nigri speciem concrevisse. *Fernelius, Patholog. l. v. cap.* 12.

Illi illi retorridæ palpitationis cordis causam assignat *Fernelius*, quæ melancholia hypochondriaca laborantes, & quibus lien atræ bilis copia turgescit fatigat, cum ex ea per arterias, quibus multis lien perfusus est, retegaterque vapor prompte cor vicinum subit: Ejusdem substantia, si cor per arterias invadat, lethum subitum invehere poterit, nedum palpitationem.

Observatio XXVI.

Anatome hominis subito extincti, cujus valvulæ semilunares, ad aortæ ostium sitæ, osseæ repertæ sunt.

SUtor Parisiensis in vico S. Jacobi habitans, sanguineus, corporis habitus obæsioris, non admodum senex, sumpto jentaculo; domo egressus vix xl. passus ab ea aberat, quando derepente concidens exspiravit.

Domum deportatus aperitur, & in toto corpore nihil morbosum, nihil p. n. repertum; nisi quod tres valvulæ semilunares, ad aortæ ex sinistro cordis ventriculo egressum sitæ, osseæ fuerint: unam dono accepi, coloris albicantis, adeo duram ut vix cultro aliquid abscindi potuerit. *Carolus Rayger in miscell. cur. anni* 1671.

AN tam repentinæ mortis causæ fuerint, dubito, cum nec circulationem sanguinis impedivisse, aut Apoplexiam istam fortissimam introduxisse credibile sit: Os in corde cervi annosi inveniri non adeo rarum, ut in homine insolitum. *Harveus* tamen in homine fortissimo, portionem arteriæ magnæ juxta cor in os rotundum vidit conversam: Exc. Bartholinus in corde Phthisici, cent. 1. Observ. 50. In corde Urbani VIII. Pontif. cent. ij. Observ. 45.

Observatio XXVII.

Mors subita ob corruptionem omnium viscerum vitalium & naturalium.

VIrgo valetudinaria, præcedente cardialgia, vertigine, subito occubuit: Peritonæum, mesenterium, Intestina omnia, Jecur, Lien, Testes &c. corrupta erant, Pulmones purulenti. *Vide l.* 3. *tit. de ventris dolore.*

P*Eritonæum, mesenterium &c.*) Notatu dignum quod affert Thevartus schol. 1. in Epid. l. Ballonii pag. 199. mortem sæpe obtingere ab oppressione cum partes humorum sarcina onustæ singulæ simul & semel ad noxii expulsionem insurgunt: Ut hæc ad præsentem casum accommodentur, cum nulla fere non pars in vitio fuerit, & præ debilitate plurimâ excrementa genuerit & congesserit, expultrix irritata exclusionem illorum molita est, cui cum præ mole & infirmitate impar esset, oneri & conatui proprio succubuit Natura.

Observatio XXVIII.

Mors repentina à Corde flaccido, suppurato &c. vitio omenti, pulmonum, jecoris &c.

QUidam juvenis annos 24. natus, arte figulus, cum pertransiret viam, quæ dicitur de *Mascontenti*, ad ostium proximum pulsat, introgreditur, & de doloribus ventris vehementer conqueritur: vix accersito Pharmacopola, cum sacerdote, qui ipsi postulanti Theriacam afferunt, animam agit & derepente moritur: Hæsitant amici an veneno mortuus fuerit, ideo ad Judicem criminalem recurrunt, qui de more præcepit ut à Medico & Chirurgo cadaver visitaretur: Cadaver omnino lividum reperitur: Plebs hac de re hominem fuisse veneno peremptum putat, qua de causa, ut cadaver à Chirurgo aperiatur jubeo.

Eo adaperto, inventum est omentum semicorruptum, Intestina mirum in modum distenta, Jecur male coloratum, Pulmones circa costas putridi, Cor insuper flaccidum & suppuratum: In hoc casu satis mirari non possum, quo pacto vir iste sanus à cunctis haberetur, nec de ullo affectu conquereretur; imo nuptias brevi erat celebraturus: Neque tussis neque respirandi difficultas adfuit. *Petrus Poterius centur.* 3. *observ. lix.*

Observatio XXIX.

Mors ex improviso adveniens, à rupta pulmonis vomica & pure ad Cor penetrante.

§. 1. NOn pauci inopinato è vivis horæ quadrante erepti sunt, In quibus dissectis non alia mortis causa comparuit quam repentina vomicæ disruptio in pulmonibus, è qua pus in cordis arcem penetraverat, ipsius vim extinguens atque obruens: Cumque ex his duo Medici essent percelebres, attamen nec febris nec inappetentia, nec aliud simile præcesserat: Id mihi quidem persæpe ejus loci memoriam revocavit, quo inquit Hippoc. Quibus suppuratio in corpore abdita non innotescit, ea propter crassitudinem vel puris vel loci delitescit. Etenim haud raro efficit obvolventis densitas, ut nihil tetrum à pure in cor vitæ fontem inspiretur. Omnibus tamen sic affectis, multo tempore antequam vomica rumperetur, cruenta exscreatio processit è pulmonibus eaque cum tussi, adfuitque spiritus

gravis ac fœtidus, pectoris gravitas, pectoris levis oppressio & spiritus difficultas, quibus Tabes tato comes. *Fernelius Patholog. lib. 5. cap. 10.*

§. 2. Ut plurimum pus repetitur in ventriculis cordis eorum qui subita morte intereunt. *Iacobus Challovius Tract. de Origine & motu sanguinis p. 83.*

HOc argumento quidam utuntur ad impugnandam sanguinis circulationem, si humor ab arteriis in venas, & ab his transit in cor, sanguis, juxta leges circulationis, cor ingressus dira proculdubio invehet symptomata, syncopen, imo mortem subitam, si quid alieni & corrupti ipsi immixtum sit. Pars enim adeo nobilis inquinamenta ejusmodi non sustinebit citra noxam insignem: Respondeo Valete hanc objectionem apud eos quibus ignota est corporis œconomia; At si quis probe perpendat inesse corpori vitæ principium, quod illius custodiæ assidue invigilat, Calorem scil. naturalem, qui alterare conatur, & probe temperiei restituere humorem in corruptionem abire paratum, si hic eum putredinis attigit gradum, ut in pristinum statum denegatus sit reditus, tunc temporis calor naturalis, quantum licet, illum à corde arcet & propellit, modo ad hæmorrhoidales ablegans venas, modo ad alvum, urinas, menses in mulieribus, modo extra vasa propellens tanquam noxiam, unde abscessus, tubercula, &c. Idem calor nativus si langueat, nec par sit ferendæ ejusmodi illuviei, succedunt languores, leipothymiæ, imo mors ipsa. Interdum idem humor, lento per cor transitu, leipothymias invehit, tandem vero plurimis peractis circulationibus, emendationem suscipit, pristinam induens naturam. *Idem ibidem.*

Pus in ventriculis) Eo ablegatum, sanguinis mediante circulatione, ab abscessibus variis in corporis partibus genitis atque disruptis, quod nisi celeri transitu ablegetur, vi malefica vitæ principium destruit.

OBSERVATIO XXX.

Mors repentina ab hydrope Thoracis & Pericardii, ac vitio cordis nigro sanguine distenti.

IOh. le Mons Flandri, placida, sed repentina morte extincti, cadaver apertum anno 1634. utrumque dextrum Pulmonis lobum, sed præcipue inferiorem ostendit nobis consumptum; ut sola membrana externa inferius residua esset, adeo crassa, ut triplo pericardii crassitiem ordinariam æquaverit. Non tamen membranosa hæc rota erat tunica, sed interiore facie qua pulmones ambiebat: consistentia instar sevi crassa apparebat, candicans, non absimilis cartilagineæ costarum substantiæ, nisi quod ob mollitiem digitis contrectata in pulpam resolveretur, atque utroque latere pleuræ adnata, inferiore loco ad diaphragma hydatides aliquot ingentes limpida aqua repletas formaverat, quæ fontis instar thoracis dextram partem aquatum copia inundaverant, & Thoracis hydropem accīverant; Pericardium quoque multa aqua distentum, ultra naturalem excreverat magnitudinem: Cor ipsum longe nativam molem excedebat, flaccidum, nigro sanguine plenum: In sinistro latere uterque pulmonis lobus videbatur sanus: parenchyma quidem consumptum non erat, color tamen luridus, viscidáque materia puriformis passim inspersa comparebat. *Thomas Bartholinus cent. ii. Observ. 66. Ottho Heurnius Observat. xiv.*

OBSERVATIO XXXI.

Mors subita ab appenso amuleto ex Arsenico, à quo cor siccum, nigricans & ulceratum fuit.

REferunt Nob. quendam qui supra cor venenatum illud antidotum (*pentaculum ex arsenico*) appenderat, pestis præcavendæ gratia, pila palmaria ludentem, è vestigio exanimem corruisse.

Cujus aperto cadavere, siccum, nigricans, ulceratumque cor apparuit, *Guibertus tractatu de Peste.*

AMuleta, præsertim ex auripigmento illo factitio, quod Arsenicum crystallinum vocatur, ad arcendum pestis contagium magnopere à multis commendatur: ajuntque Adr. VI. Pontif. Max. à peste quæ Romæ anno 1522. sævit, beneficio sacculi, arsenico repleti, atque è collo suspensi, immunem evasisse. At hanc de Arsenici ἐνέργεια quamplurimi in dubium vocant, Erastus, Hor. Augenius, Columba, Joh. Matthæus, H. Saxonia, Horstius: Quod Adrianus VI. à peste immunis fuerit, credo, at illam arsenici gestationem causam fuisse nondum exinde colligo: Multa simul fiunt quæ à diversis pendent causis: Atque ad stabiliendam experientiam, non sufficit unum alterumve experimentum, sed virorum prudentum longâ observatione opus est. Plurimi contra tempore contagii serpentis, ejusmodi amuleti gestatione, non modo non adjuti sunt, sed citius aliis pestilenti lue fuere polluti, teste Untzero: E contra plurimi tale præsidium susque deque habentes, vel idem non adhibentes, adhibitis duntaxat probatis alexiteriis, à contagione maligna incolumes servati sunt. Addit *Guiberti* commentator, ex Siculi cujusdam Medici relatione, Juvenem quendam, pila palmaria ludentem, derepente in sphæristerio extinctum, cui ex collo sacculus arsenico plenus dependebat. Paravinus Medicus, inquit, porro scripto prodidit Jurisperitum, qui hujusmodi sacculum gestabat,

gestabat, cum incaluisset, in ardentem febrem malignam incidisse: In quibusdam Aulicis observatum, inquit, qui hujusmodi venenum cordis regioni applicuerant, toto pectore erupisse pustulas, ex vi arsenici caustica ac maligna: Visi sunt alii, *inquit*, animi deliquio passim corripi, ex gestato sibi delecterio illo amuleto, qui eo ablato protinus convaluere.

OBSERVATIO XXXII.

Mors subita à Cordis corruptione & pericardii consumptione.

IN Equite Aurato deprehendi penitus absumptum Pericardium, ut ne vestigium ejus restaret, Corque ipsum ita corruptum, ut ejus substantia butyri instar mollis fuerit, digitique in apprehensione facile penetrarint. Ægrum tamen quatriduo ante mortem chartis ludentem vidi. *Rob. Flud. à Fluctibus lib. 4. Anat.*

OBSERVATIO XXXIII.

Mors subita ab alterato ventriculi fundo.

VXor N. diarrhœa affecta interiit, cum nihil minus quam de morte cogitaret: Inventus ventriculus in fundo ulceratus. *Vide lib. 3. tit. de Diarrhœa.*

OBSERVATIO XXXIV.

Mors subita à subito bilis in ventriculum confluxu.

PRosper N cum diu ictero laborasset, & subito ex bilis in ventriculum confluxu exspirasset, Jecur habuit magnum, durum & viride cum grandi liene. *Vesalius.*

OBSERVATIO XXXV.

Mors subita in quodam cui ventriculus vinculo quasi strictus videbatur.

PResius, Medicus Romanus insignis, retulit se in Anatomica sectione Lienem quasi vinculo quodam ita cinctum vidisse, ut geminum Lienem repræsentaret: Vinculum vidimus nos in Ileo levi intestino, de quo in volvulorum observatione. *In stomacho audivi repertum fuisse in fratre Advocati Citadini, præcipiti fato è vivis sublato.*

VNde hi orbiculi oriantur, An à mala compositione in ipso ortu, an vero à morbo Medicis contemplandum relinquo. Tamen in Liene ex primo ortu evenisse existimarem, non sic in stomacho & intestinis, ubi villi circulares ob ingentem caliditatem & siccitatem contracti cingulum efficiunt: Exemplum habemus in yræ nervis, qui prope ignem positi statim contrahuntur. *Dom. Panarolus Pentec. 10. Observ. xi.*

OBSERVATIO XXXVI.

§. 1. *Mors repentina à bilis in ventriculum effusione.*

PRosperum Marcellum, qui multis annis regio morbo laboraverat, inspetatâ subitaque morte, ut Belloarmatus, interierat, dissecui, quo mortis causam inquirerem; quæ bilis in ventriculum injectio erat præcipua, Is enim sola bile occurrit turgidus, una cum jecoris scirrho, & illius contractione; seu in unum condensatione; cum Lien interim mollior & grandior naturali esset, sanguinique parando subservire videretur, Bilis tamen vesicula duorum pugnorum magnitudinem facile adæquante, & exiguis lapillis quodammodo plena, qui invicem connexis granis, seminibusve milii, aut potius asperæ superficiei vulgaris officinarum tutiæ erant quam simillimi: Ubicumque venas aperirem, nihil præter densissimam bilem inveni, Imo & in arteriis occurrens liquor, manus non minus quam bilis ipsa tingebat. *Vesalius Epistola de rad. China.*

§. 2. In Nicolæa Honoré visa est summa bilis effusio in intestina: Cystis fellea videbatur exhausta: Fernelius cap. de morbis Cystis felleæ, meminit quosdam interiisse, in quibus nulla interitus causa alia comparuit, quam quod folliculus fellis exhaustus esset. *Ballonius Ephem. & Epid. lib. 2. pag. 201.*

Observatio XXXVII.

§. I. Mors subitanea à pure ex abscessu rupto, & pure in intestina confluente.

Ostendimus in puellæ dissecto cadavere, quæ cum optime habita omnibus videretur, in levem quandam febrem incidit, intermittenti Tertianæ haud dissimilem, sine dolore in febre: Ad eam circa mediam noctem vocati, quod levi animi deliquio laboraffet; cum rigore quodam, quem paroxysmi initium esse putabant, prædiximus abscessum in ventre ruptum, ex quo brevi interitura esset; Id cum alteri Medico absurdum videretur, ac brevi illa objiisset, Dissecto corpore magna puris quantitas circa uterum inventa est, quæ ad superiores usque partes redundabat, cum intestinorum colore subnigro. *Iacotius comm. ad aph 9. lib. 3. sect. 2. Coac. Hipp.*

§. 2. Ac nos quidem ter superiore anno observavimus, in febre tertiana cum rigore non ita ordinato, exortam suppurationem in imo ventre, cujus nullum signum memoratu dignum præcesserat: unde subito effuso pure supra intestina, aut in intestinis ipsis ad sphacelismum perductis, improvisa mors sequuta est, cum rigore, sudore frigido, animi deliquio, sudore, ventris & inflatione. *Idem comm. ad aphor. 76. lib. 5. sect. 2. Coacar. Hipp.*

Observatio XXXVIII.

Mors repentina à vermibus ventriculum perforantibus.

Ob præteriti anni humidissimi intemperiem, corrupto fœno, pecudes initio veris anni 1649. catervatim in Dania moriebantur: In dissectis bobus visæ in ventriculo vesiculæ plurimis vermibus scatentes, à quibus erosus credebatur ventriculus illis quæ sua sponte moriebantur: Author est Trallianus l. 7. c. 9. frequenter lumbricos sursum ad os ventriculi ascendentes, cardiacos affectus, immodicas animi defectiones, syncopas excitare, ut nonnulli statim, cùm à lumbricis roduntur, intereant. Hinc sæpè mors inopina infantes adultioresque opprimit, sine causa manifesta, ex ventriculo à vermibus perforato, præsertim si ad stomachum pertingant. *Th. Bartholinus hist. 77. cent. 4.*

Observatio XXXIX.

Mors subita ob Fungorum esum, à quibus redditum Hepar turgidum & albidum.

Die IX. Novembris 1651. Montispessuli, non longe ab ædibus Dom. Vendemiam hospitis mei, mortui sunt Pater, filiæ duæ, & vicina ob hesternum fungorum esum: His dissectis inventum Hepar turgidum & albidum. *I. Nicolaus Binningerus cent. 1. Observ. xxvii. 1.*

Observatio XL.

Anatome cujusdam subito extincti, cui gibba Iecoris pars ulcere affecta erat.

Illustriss. Renata Ferrariæ Ducissa, jussit ut famulum quendam Gallum, repente mortuum, aperiri facerem, ut qua morte obierit decerni posset. In Jecoris gibbo ulcus inventum est, quod ad suppurationem devenerat. *Brassavolus comm. ad aph. 18. sect. 6.*

Observatio XLI.

Anatome mulieris repentina morte sublatæ, In cujus hepate lapis repertus.

Excell. Comitissa Nadasti, cum esset in procinctu partus, derepente extincta fuit: Aperto, ut fœtus baptisaretur, ventre, repertus fuit lapis magnitudinem ovi anserini referens, ponderis levissimi, intus candicans, ac si ex contritis diadematibus coagmentatus fuisset, Lapis autem hic adhærebat tunicis hepatis. *Paulus de Sorbait Pract. Viennensis in Miscell. curiosis anni 1671. Observat. 106.*

Observatio XLII.

Mors subita à ruptura vesicæ felleæ.

Anno 1654. in mense Novembri, accidit Rostochii, ubi exorta inter conjuges lite, cum alter alterum baculo percussisset, in apoplexiam, vel potius in lethalem leipothymiam,

miam, illico conjux vapulans resoluta interiit: Quare convocatis Medicis cum Chirurgo, deliberatum fuit de causa tam repentinæ mortis. Alii ad principium nervorum obstructum à materia ab ira commota recurrebant, Alii alia afferebant.

Sed ubi in dissectione ad vesiculam fellis perventum fuerat, aliis illæsis partibus illam ruptam invenerunt. *Simile quid apud Benivenium cap.* 110. *Frideric. Hofmannus meth. med. cap.* 20. *lib.* 1.

OBSERVATIO XLIII.

Mors subita à sanguine è Liene putri effuso.

I. Formageus de hypochondriorum doloribus conquestus, & præsertim sinistri, in quo ingens pulsatio, derepente interiit. In Liene putri & magno sanguis concretus erat, qui è propriis vasis effusus, tandem ruptis tunicis quibus concludebatur, inopinatam mortem intulit. *Vide tit. de Febribus lib.* 4.

OBSERVATIO XLIV.

Mors subita sequuta Vasorum rupturam & sanguinis intra corpus effusionem.

§. 1. Quidam lumborum doloribus affectus, emaciatus, repente interiit; Duæ lumborum vertebræ corrosæ repertæ, una cum aortæ & venæ cavæ ruptura, undè magna ex utroque vase facta fuerat sanguinis eruptio. *Vide tit. de Lumborum dolore.*

§. 2. Chirurgus (*de quo tit. de Lumborum dolore*) calculosus creditus: Difficultate quadam respirandi prehenditur, hinc vix advertentibus adstantibus moritur. In sinistro pulmonum lobo copiosissimus sanguis concretus repertus est. Vena cava, quà spinam decurrit, corrosa.

§. 3. Uxor N. Doloribus parturientium corrupta fuit, subitoque extinguitur: Ventris vacuum sanguine seroso repletum erat: venæ nonnullæ in parenchymate hepatis, & circa os sacrum, ruptæ fuerant à violento motu infantis. *Vide lib.* 3. *tit. de Partu difficili.*

§. 4. Quidam ex aneurismate arteriæ verrosæ repente rupto vase corruit: dissecto cadavere magnam sanguinis copiam in thoracis capacitatem effusam inveni, arteriæ verò corpus in amplitudinem dilatatum, internamque ipsius tunicam osseam. *Vide tit. de pulsu p. n.*

OBSERVATIO XLV.

Mors subita ab Abscessu Hepatis, Sanguine circa id extravasato, & Fœtu in utero mortuo.

NObil. Matrona annorum 38. temperamenti calidi & humidi, habitus carnosi, coloris rosei & floridi, acris ingenii fixæque imaginationis, postquam XVI. partus feliciter in lucem edidisset, tandem XVII. vice concepit, quem conceptum cum ultra tempus consuetum gestasset, sibi præsagium fecit ultimam hanc uteri gestationem fore fatalem. Dictum factum, cum enim tempus pariendi ipsi fuisset præterlapsum, nullàque apparerent partus indicia, œconomicis operam dabat, ita ut vix unica die, antequam naturæ debitum persolveret, lecto affixa hæreret; obstetrici se submitteret; quo tempore subinde tormina & dolores in diversis abdominis & lumborum partibus percipiebat, qui tamen proportionatis adhibitis remediis cessabant, itaut desuper se melius habere mulierculis indicaret: Quid fit? sumpta cœna ex improviso convulsione epileptica corripitur; accurrunt omnes, sed frustra, jam enim natura succumbente animam suo reddebat Creatori: Circumstantes terrore perculsi apertionem cadaveris urgebant, ut fœtus, si adhuc vitalis, salvari posset: Vocatus chirurgus properanti manu uterum discindit, sed nihil vitale in fœtu, sed potius eum jam ante biduum fuisse extinctum, experientia edoctus confirmat: erat enim totus lividus, & gangrænæ indicia præ se ferebat: Secundinæ etiam putrefactæ, uteri cornubus firmissime annexæ, & nonnisi summa cum violentia poterant avelli.

His perspectis, Hepatis constitutionem explorare fuit desideratum: tractatur cultro anatomico hepar, sed totum corruptum, & manu Chirurgi in centum particulas, instar lanæ, discerptibile; In cujus cava parte ingens se monstrabat abscessus, quo disrupto materia heterogenea copiosissime prorumpebat, cum sanguine grumoso diu extra venas fuso & refrigerato, non exiguæ calidum innatum extinguendi occasio. *Tobias Czaskelius in Miscellaneis curiosis anni* 1672. *observ.* 267.

IN hac historia offerunt se nonnulla inquisitione digna, 1°. qua ratione Nob. Matrona cum tanta hepatis corruptela colorem faciei tam floridum, album & rubicundum habere potuerit, cum color bonus sit character illæsi Hepatis, color vero malus viscerum latens vitium ostendat? 2. Utrum hic casus non confirmet quod pulchriores & colore vividiores citius

tius intereant? Intemperans est natura pulchriorum celerius aliis morientium Pulchriores citius intereunt, aiebat Cardanus, quia plurimum habent calidi innati, quod sua activitate facilius depopulatur humidum radicale: licet enim color vividus optimos supponat humores, intellige de humoribus in superficie, non autem in centro existentibus: hinc *Alexander Petronius* dixit, ideo homines magis coloratos citius interire, quia humor deterior in centro consistit. Recte *Celsus*, Qui nitidiores sunt sua bona suspecta habere debent 3°. indagandum est, Cùm Hepar totaliter corruptum fuerit inventum, & præcipuum sanguificationis organum credatur, quænam pars vices Hepatis egerit, & sufficientem, pro nutritione sanguinem pro matre & fœtu suppeditare potuerit? Nonne & dicendum cum Hippocr. lib. 4. de morbis, Sanguinis fons est cor: idem vult Aristoteles, & cum his sentit tota virorum doctissimorum hujus sæculi corona, uti per anatomiam omnibus notum esse potest: *Idem ibidem.*

Observatio XLVI.

Mors repentina à Pancreate sphacelato, Pinguedinis copia in partibus internis, &c.

Vir quidam temperamenti calidi & humidi 42. ann. sæpius reiterata colica, non tamen adeo intensa divexatur, applicato clystere carminativo sedatur semper dolor, excreta materia viscosa, tremula instar vitri fusi transparente: incipit vesperi circa Solis occasum conqueri de frigore interno, Sole alias tota die satis potenter urente; incidit in colicam ordinariam, patitur deliquia, adhibentur debita remedia, sed frustra; applicantur calentes lateres, sed eos non sentit; applicantur clysteres, sed excreta simili ut ante materia dolor non remittit: datur laxativum, sed facta bona operatione augentur symptomata, & spatio 18. vel 19. horarum moritur sine convulsione, sine minima violentia, aut in agone solito accidente, ita ut illum potius obdormivisse quam mortuum esse adstantes putaverint.

De hoc funesto tàmque repentino casu amici solliciti, me ad cadaveris apertionem vocarunt; Prima statim abdominis sectione tantam pinguedinem inveni, ut similem in saginato porco nunquam quisquam viderit; profunditas hujus pinguedinis se extendit, ultra pedem, præ eadem pinguedine nullus musculus apparebat in abdomine, sed tantùm membranæ videbantur: Omentum erat mera pinguedo scirrhosa, in formam globi contracta: pinguedo intestinorum majorem occupabat locum quam ipsămet intestina cum excrementis infarcta: erat denique stupenda pinguedinis machina, qua excepta, reperi Pancreas plane sphacelatum, in cujus defectum natura aliam similem massam suggessit rotundam in dextra parte, versus hepar, huic sphacelato adnatam, per cujus medium, instar rami Wirsungici, dispersæ erant venulæ, sed sine ordine: hoc sphacelatum Pancreas infecit simili contagio, non tantùm adjacentes omnes partes, sed etiam diaphragma penetrans, sinistrum Pulmonum lobum plane, sicut in Tabe absumpsit, & copiosa, ingentis licet, sed flaccidissimi cordis, pinguedo majorem thoracis locum occupavit. Hepar assimilabatur Sanguini grumoso in colore & substantia: in cujus vesicula fellis reperiebantur 4. lapilli majores cubici, una cum innumerabilibus pene aliis minimis, etiam quantum videre licuit, cubum referentibus. Huic vesiculæ fellis erat in fundo adnata alia tunica, quæ alium aliis omnibus majorem talem cubicum lapidem continebat: hæc lapidum massa ponderabat simul ℥ij. ʒvj. bilis cum his lapillis permixta, erat coloris intense viridis, & saporis acidi magis quam amari. Statura hujus corporis erat magna & vasta, sed habebat ossa sicut subtilissima quædam puella, musculos plane exiles, magis membranosos quam carnosos: Ego curiositatis gratia, ob stupendam pinguedinem in variis partibus corpus modicum aperui, sic secundum sensum conjecturaliter judicare possum corpus illud ultra 8. vel 9. ad summum 10. libras carnis non habuisse, quin tota reliqua corporis machina mera pinguedo fuerit. *I. Georgius Greiselius, in miscell. curiosis anni* 1673. *Observ.* 45.

Observatio XLVII.

§. 1. *Mulieris mors repentina, cui Testiculus dexter mirum in modum intumuerat.*

Lugduni anno 1578. quum subito mortua esset mulier quædam sola, & suspicio esset de vi aliqua illata, Ego, imperante magistratu, corpore interne & externe rite prius inspecto, nullam causam subitaneæ mortis reperire potuimus, præter eam quam magistratui retulimus. Nempe Tumorem magnum Testiculi dextri, ob copiam pilorum & materiei similis sevo, cum pure: Unde *matricis suffocationem* violentissimam & lethalem excitatam fuisse verisimile est. *Ex Observat. Ioh. Bauhini Medici Lugdunensis.*

§. 2. In virgine triginta annos nata, *pallidis coloribus* divexata, & quæ repentina & inopina morte fuit sublata, inveni Testiculum sinistrum pugno majorem, intus humore seroso & subflavo refertum, foris vero sanguine suffusum. *Riolanus Anthropogr. lib.* 2. *cap.* 30.

Observatio XLVIII.

Mors subita ab uteri gangræna & corruptione.

DOmina N. sensim emarcuit, omne alimentum fastidiens, ac subito est extincta. Uterus corruptus erat, & quasi gangræna affectus, plenus tabo & sanie. *Vide. lib. 4. tit. de Febribus.*

Observatio XLIX.

Anatome mulieris subito mortuæ, in qua nihil repertum præter Testiculorum alterum corruptum.

IN muliere subito mortua nullam causam invenire potui præter tumorem magnum Testiculi dextri, in quo pili, pus, &c. *Vide lib. 3. tit. de Hystericis affectibus.*

Observatio L.

In cadavere mulieris subito mortuæ, & perpetuo cum magnis ejulatibus querulæ, uterus convolutus inventus cum binis embryonibus, & lapide in cysti fellea.

ANno 1654. Uxor Bernardi Giessen, ex Hernia umbilicali mortua est, cujus vesica fellea quinque lapillos continebat, ponderis ℥j. Porro, cum Parens μακαρίτης Offenbachium ab Illust. Pincipissa Isemburgica anno 1656. 9. Jun. esset evocatus, ob subitam mortem alicujus administratricis famulæ, cum magno ejulatu continuo querentis de duabus mulieribus, ac si virgis ab iis sine intermissione cæderetur, quum tamen nemo adstantium domesticorum aliquid videret, Is & ego tum temporis ex Ducatu Witembergico redux, cum duobus Chirurgis causam obitus exploraturi sectionem instituebamus, &c.

Aperto cadavere, sana omnia inveniebamus viscera, nisi quod uterus bis esset convolutus, binis embryonibus masculis, digiti longioris magnitudine, & elegantioris formæ imprægnatus: Præterea in vesica fellea calculum formæ ovalis, *dactylum integrum referentem)* pondere tunc temporis ℨß. fere, modo vero ℨij. ℈ß. quem inter rariora mea condo. *In Miscell. cur. annor. iv. & v. p. 302.*

VTerus convolutus] Hunc morbum vocat Hippocr. Complicationem uterorum quem *Ballonius* Epid. lib. 2. observavit in Ducissa Lotharingiæ post dolores acerbissimos ad imum ventrem mortuæ: Huic repertus est uterus omnino revolutus & complicatus.

Observatio LI.

Mors subita ob vomicam in Cerebro excitatam.

NOb. duo vulnera in capite accipit: Cum utrumque pene consolidatum esset, & æger periculum evasisse videretur, præter expectatum extinctus est, exacta 4. septimana: Dura meninx sphacelo correpta erat: vomica in contigua cerebri parte latitabat. *Vide lib. 4. tit. de vulneribus.*

Observatio LII.

Mors subita ob influxum seri in quartum cerebri ventriculum, Nobilem dictum.

TAnta est ventriculi quarti dignitas ad Vitæ conservationem ut eo tacto confestim pereat animans, ex subita jactura spirituum: ideoque Galenus sectione spinalis medullæ in occipitio animalia enecabat: eoque modo mactari pecudes in Græcia recitat. 7. de admin. Anat. Unde si contingat serosum humorem in eum ventriculum subito & confertim irruere, derepente etiam sanus homo extinguitur, atque suffocatur, sine ulla convulsione: Ut in quibusdam observatum, qui reliquas corporis partes sanas habebant: ideoque raro in aliis cerebri affectibus lethalibus, nisi repentino isto casu, moriuntur ægri, quartus hic ventriculus humore differtus reperitur. Ut huic incommodo prospiceret natura, repagula interposuit humores intercipientia: Quare si quendam videbis subito & inopinato mortuum, illico tentabis exsiccationem cerebelli, & revulsionem humoris illapsi in quartum ventriculum, profunda ustione occipitis cum ardenti carbone, vice candentis ferri, quod semper non est ad manum, & ad cujus ignitionem opus est tempore, Præsidia cum festinatione ibi rapienda. *Riolanus Anthrop. lib. 4.*

Obser-

OBSERVATIO LIII.

Mors subita à fracto osse temporali sub ipso musculo.

FRacto osse sub ipso musculo, omnino lethale est, ac proinde sectio musculi est supervacua: quod & ego sæpe vidi, & publice frequenti theatro demonstravi, in quibusdam solam rimam in osse subjecto musculo temporali, repentinæ mortis causam fuisse, cum falso apoplectici haberentur, sola præsente contusione, quæ nonnisi gravis, cum ossa subjecta frangit, & musculum ipsum, tum partes internas ipsius cerebri, unde certa mors. *Marchetti sylloge Observ.* 15.

REpentinæ mortis) Læso cerebro quosdam evadere, alios vitam diu protrahere; quosdam repente interire certum est. Plurimi ad cordis consensum recurrunt, Sed ex se, sine hujus consensu, mortem inducere quid vetat? Ratio pendet ex cerebri nuclei conditione, quo vel leviter læso, sive ab interiori incidente, sive punctura exteriore, animans inopinato mortis genere prosternitur, Sic SubAlpini laniones sola acus in cervicem immissione boves necant. Quippe interior ille nobilioris cerebri recessus, quem medullam vocant, animalis vitæ tenet arbitrium & potestatem.

OBSERVATIO LIV.

Mors repentina à sanguine in ventriculos cerebri illapso, ibique concreto, Plexu choroide quasi contuso, Pulmonibus lateribus annexis.

ILlustr. & Reverendissimus Episcopus Vivariensis pestis seminaria, variis in locis pullulantia, excludere satagens, scripsit ad me & Dom. Arque D. M. citatisque equis advocavit, quo causas timaremur mortis Matronæ cujusdam septuagesimo tertio ætatis anno subitò extinctæ: Eo cum pervenissemus, inspecto cadavere, illico asseruimus *apoplexia* tactam interiisse; quod aperto cranio amplius innotuit, reperti enim in ventriculis cerebri tres grumi sanguinis, unusquisque amygdalum suo cortice involutum æquans. Reserato vero thorace, pulmones arctissimo nexu costis affixi apparuerunt, qui vix sine laceratione distrahi inde potuerunt, quæ asthmatis diu fatigantis causa fuerat. *Iosephus Covilliardus Observ. Iatrochirurgic. Gallice editarum xxxvii.*

OBSERVATIO LV.

Mors subita, cujus nulla causa intus in corpore reperta, à venenata aura cor subito opprimente nata.

VIdi Juvenem subito mortuum, cui statim post obitum, extra, in regione cordis, syderatio, seu livior ingentis latitudinis apparuit: Intus, (ut per αὐτοψίαν videre licuit) nihil mali fuit repertum.

HOc quid aliud fuit quam venenata quædam aura per longum tempus delitescens, quæ tunc demum vel syderum influxu, vel quavis alteratione, quasi è somno suscitata, nullum sui vestigium in parte in qua fuit orta & conservata relinquens, proprio, sed occulto impetu, Cor, vitæ fontem, cum quo venena inimicitias gerunt, est aggressa? Sed non solum cor, verum & cerebrum hujusmodi hostilibus incursionibus est obnoxium: In memoriam revoca historias à *Galeno* narratas 3. loc. aff. c. 7. duorum adolescentum, quibus aura a d caput ascendebat, ex tibia initium capiente. Venena enim quæ nobis innascuntur (Gal. 3. de loc. c. 7. & lib. 6. c. 5.) in locis in quibus fuerunt genita, quasi connaturalia illis, nihil nocent, postea si quavis occasione agitentur, vel cor petunt & occidunt, vel cerebrum & epilepticos insultus inducunt. *Rodericus à Castro. l. Quæ ex Quibus cap.* 7.

OBSERVATIO LVI.

Mors subita ab impedito sanguinis ingressu in cordis sinistrum ventriculum.

VIrginem aliquando Basileæ, robustam prius & bene valentem, oborto repente ascite, inopinato mortuam, dissecuimus, in cujus solummodo corde, intaminatis reliquis visceribus omnibus, vitium latuerat.

Cujus subitaneæ mortis, & hydropis, alia causa non erat quam vinculum arteriæ venosæ injectum; quippe mitrales valvulæ in osseam substantiam penitus occalluerant, ostium, quominus in sinistrum ventriculum penetrare sanguis posset, præcludentem. *Ioh. Conradus Peyer, in methodo histor. Anatomico Med. cap. 6. p.* 64. & 101.

APPENDIX.

Mors subita interdum contingit ob Renes pinguedine onustos.

OBservavis diligenter adipem Renibus circumfusum, qui non tantum instar fomenti, sed etiam emunctorii & spongiæ modo comparatus est, ad excipiendas sordes Renum, Inde morbosa Græci περίφεια vocant, quoties Renes undequaque pinguedine obruuntur: Hoc malo magis afficiuntur animalia, quæ sevo pinguescunt, maxime autem ovis, ut etiam intereat, In causa est pabuli uberras, qualis in Leontino agro Siciliæ: Hinc *Aristot.* 3. de part. animal. cap. 9 ait, Cum cæteris animalibus Renes habere pingues proficiat, & plerumque totos obesos habeant, Ovibus hoc lethale est: Quamobrem hominibus etiam qui vitio Renum laborant, quamquam pinguescere juvat, tamen si pingues admodum efficiantur, dolores profecto accidunt lethales. Itaque humore flatuque intercluso *celeriter præ syderatione intereunt.* Namque per venam & aortam statim vitium ad cordis sedem transvehitur: meatus enim ex iis venis ad Renes continui pertendunt. *Riolanus Anthr. lib. 2. c. 26.*

ADDITAMENTA.

OBSERVATIO I.

Mors subita ob vitium Pulmonum & cordis sanguine turgentium &c.

§. 1. VIr sexaginta duos annos natus, domesticos in auxilium uxoris quæ Apoplectica conciderat convocans, illico præ dolore vel mœrore obiit, Lugduni nuperrime. Aperto cadavere, reperti sunt Pulmones lividi, illorum vasa admodum turgida, Cor sanguinis copia adeo insigni distentum, ut nequaquam flaccidum deprehensum sit, sicuti in illis quos alia quæpiam causa extinxit: Imo observatus cruor, quem continebat ventriculus dexter fere omnis concretus. *D. Panthotus Zod. med. Gall. anni iij p.* 28.

§. 2. Vir xxvj. annos natus ad conspectum duorum amicorum pugnis decertantium, ac fauces mutuo sibi præcludentium, illico extinctus est dum illos dirimere studet, nullo adhibito conatu, ac ne minimo ictu imperitus.

Cadaver aperui, & observavi cor & pulmones sanguine admodum turgere; præ timore & studio componendi inter amicos dissidii, illuc compulso & subito concentrato: Lobus alter Pulmonum lateribus cohærebat, alter prave constitutus erat; sanguis autem ventriculo dextro contentus, media parte concreverat. *Idem Ibidem.*

OBSERVATIO II.

Mors subita à cruoris copia cor obruente prægressis illius palpitationibus crebris.

DOmina à Ribelpré, vidua Illustris Marchionis à Ribelpré, Gubernatoris Hamensis, non diu post obitum Illustriss. Marchionissæ à Sourdis (qui contigit initio præsentis mensis Novembris 1681.) interiit: Negotiorum quorundam causa Ambianum venerat: multus sermo illi fuerat de repentina morte prædictæ Marchionissæ à Sourdis cum Dom. N. N. quod ante triduum sacris interfuisset integra valetudine: Eo major huic metus incutiebatur, quod non secus ac in prædicta Marchionissa à Sourdis frequenti vaporum appulsu infestaretur, comite extraordinaria cordis palpitatione. Vix ædes egressi erant prædicti D D. cum ingressa conclave lepothymia prehenditur, advocans pedissequam in auxilium quæ vinum adferret: Tantillum de eo delibavit, & capite inclinato in puellæ humeros, Ah. mi Deus, *inquit*, quantum mali mihi imminet! Post varia incassum usurpata remedia, insignis quantitas Essentiæ Jacobi dictæ illi exhibita est, hoc est decupla dozis: Ab Efficacia istius essentiæ discussa est leipothymia: quod vero vitæ superfuit, id totum impendit sacræ exhomologesi, etsi ob vocis libertatem ademptam inchoata tantum fuerit, nam paulo post è vivis excessit.

Aperto cadavere, copia sanguinis concreti circa cor reperta est. *Ex Mercurio amœno anni 1681. mensis Novembris.*

OBSERVATIO III.

Mors repentina Canis, ob Polypos omnes totius corporis venas & arterias occupantes.

CAnis quædam Islandica, quæ pro indole sua valde ludibunda & agilis fuerat, à semianno pinguescere & torpescere incepit, & tum temporis quasi *Syncope* correpta in terram corruens, animam, ut mihi videbatur, efflatura erat: Tandem vero convalescens, sed non pigra non ita pridem catulos tres parturiit, duos vero mortuos: Tempore prandendi solito

solito cibos sollicite quaeritans, huc illuc cursitando, & post devoratos cum satis alacris visa est, ad catulum fovendum rediit: Sed hora una vel altera elapsa cum famulus obiter canem minus integre, ut ipsi visum est, se habentem observasset, ad focum admovet, sed illico crura & pedes summe extendens, & in tergum se volutans exspiravit.

Mortis tam repentinae causas scire gestiens, corpus dissecui, & cum caetera viscera satis integra videbantur, in dextro cordis ventriculo & Auricula Polypum insignem ejus cavitatem occupantem observavimus: Sed quod rarius, ni fallor, adnotatum est, per totius venosi generis systema ramulos dispergebat, ita ut in Pulmonibus, in Hepate, in Renibus, in venis mesentericis, in cava, in ramis Iliacis, uno verbo in omnibus totius corporis venis polyposam hanc sanguinis coagulationem quasi in theca inclusam advertimus: Sectis venis Polypum integrum cum suis ramulis è corpore exemi, & in tabulam explicavi, qui demum exsiccatus mihi nunc inservit pro systematis venosi schematismo: In sinistro ventriculo & auricula itidem Polypum alterum satis grandem notavimus, qui eodem ritu ac in venis per singulas arterias diffundebatur: Hoc vero discrimen interfuit, quod Truncus illius qui arterias occupaverat, gracilior fuit & minoris molis, *Eduard. Tysin in Actis Danicis anni 1679. Observat. 29.*

MInoris molis) Arteriae quippe fervidiorem sanguinem continent & ob motum circulationis rapidum minus concretioni id meum: In venis cum tepescat, & segnius moveatur, idem contigit quod aquis, vitium capiunt ni moveantur aquae.

Canis) Canis istius morbus memoriam mihi revocat caniculae quam in juventute ad venationis usum educavi, insignis sagacitaris: Ter vel quater in anno catuliebat, quo tempore aedes canum caterva obsidebantur, qui ad sexagenarium numerum aliquando concurrerunt: molestia hac me liberaturus castrationi eam exposui, quae feliciter successit, adeo ut venationi non minus idonea fuerit, praeterquam quod obesior facta minus agilis evaserit, at non minus sagax: Cum bimestri exacto, villam proximam peterem, ac circiter stadia duo progressus essem, media in via subito concidit canicula convulsionibus vehementibus correpta, spuma plurima ex ore effluente, ac paulo post mortuae speciem exhiber: Forte fortuna ancilla rustica occurrit obviam, urbem petens, asinum clitellatum ducens, coujicitur canis in canistrum vacuum, pergitque in itinere ancilla; cum in urbem pervenit, in ipsa Porta, inter praesidiarios milites è latebris erumpit, ac mei memor, remeat, neque attingit priusquam in locum destinatum pervenissem, ut antè hilaris: Deinceps ter aut quater in anno iisdem convulsionibus prehendebatur cum senior facta est, (decimum septimum enim exegit annum) ab iis libera.

OBSERVATIO IV.

Mors repentina à Sanguine in Pulmonis effuso, & renis vitio.

NUdiustertius adstiti dissectioni cadaveris Abbatis cujusdam, cognomine à Sancto Germano, Fratris Praesidis à Costa in senatu Gratianopolitano: morte repentina sublatus is fuit, antea sat prospera usus valetudine, Deambulaverat aliquandiu in suo cubiculo, post cathedrae innixus illico interiit.

Non aliam causam tam subitae mortis deprehendere mihi licuit quam subitam circulationis sanguinis interceptionem: Pulmo tum in omnibus suis vasis, quam vesiculis, parenchyma illius occupantibus, sanguine omnino infarcta erant, adeo ut is, omnino denigratus apparuerit, admodum gravis & tensus: Ventriculi cordis sanguine destituti erant, adeo ut ex utroque vix quartam cochlearis partem educere licuisset: nulla obvia in vasorum orificiis, aut in substantia cordis, excrescentia carnea, polypo aut corpore extraneo: nihil extraordinarium praeterea se exhibuit, si exceperis lienem constitutione praeternaturali affectum, tum in colore tum consistentia, tota sua substantia faeci vini persimilem, quem digitis discerpere facillime licuit. *Observatio communicata à Nobil. & celeberrimo Dom. D. monginot, medico Regio Parisiensi, anno* 1681. 6. *Iunii.*

SI conjecturae locus vas aliquod insigne in Pulmonibus exesum fuit, unde subita in illorum substantiam sanguinis irruptio facta est: Nec enim causae cujuspiam violentae fit mentio, à qua vas aliquod difruptum fuerit, imo prospera valetudine usus fuisse dicitur, & lento passu per cubiculum deambulasse; Neque plethorae ulla sunt argumenta, etsi enim pulmonum parenchyma universum sanguine extravasato scateret, hujus tamen penuria in corde deprehensa est: Adeo ut in Liene primaria causa quaerenda sit, cujus substantia cum dissoluta, omnino apparuerit, facile lacerabilis, verisimile est ab acri succo depraedante id contigisse, qui ad pulmonis vasa circulationis ope delatus, solutionem continui in vase aliquo peperit, quam subsequuta est sanguinis effusio, hinc suffocatio, &c.

Observatio V.

Mors repentina mulieris, quasi suffocatæ, cujus ventriculus flatu distentus repertus cum amurca nigra, & abrasione muci; intestina tenuia inflammata cum aliquot vitiis Pulmonum.

Die 27. Dec. 1676. in xenotrophio cum D. D. *Matthia Hardero* dissecui fœminam 25. circiter annorum, pingui robustoque corporis habitu & magno præditam: moriebatur repente cum ante putaretur sana: postquam enim noctu cum aliquot Gallis in eodem conclavi decubuisset, ab iisque porum quendam propinarum hausisset, posteris diebus in Xenodochium rediens de maxima præcordiorum angustia querebatur; pauloque post cruorem ex ore fundens vitam quasi suffocata finivit.

Ut viscerum constitutionem nosse daretur, cadaver ejus dissecuimus, apertoque cadavere notavimus ventriculi dorsum & pylorum universum extrinsecus admodum fuisse infectum bile ex vesicula eo transsudante, à qua etiam pylori fibræ jam corrodebantur: Idem ventriculus flatu plurimum distentus tumebat, qui ex en facta incisione cum impetu erupit, intus continebatur amurca nigra, cruenta & mucosa; Crusta ventriculi villosa alicubi derasa, *mucus interior omnis* à parietibus detersus erat: Pylorus exacte fibris se constringentibus claudebatur: Intestina tenuia, nempè Duodenum & Ileum quatuor in locis prorsus rubicunda & inflammata, atque in gangrænam prope conversa reperimus, eodem fere modo ut in *Dysenteria* fieri assolet: Hepar pulchre admodum rubebat, nec vitii quicquam in eo animadversum est, nisi quod bilis in ejus vesicula valde acris & caustica videretur, neque in reliquis ejus abdominis visceribus labes ulla adparuit, In thorace Pulmones adhuc aëre semipleni extumescebant, proinde ut ultimo halitu aërem non omnino efflaverint: *Iidem à sanguine stagnante, & quasi sphacelato seu corrupto nigricabant*: Invenimus quoque in sinistro Pulmone lapillum seu calculum durum fabæ magnitudine, cordis ventriculo dextro inerat Polypus crassus ex albo rubescens, reliquam pectoris & pericardii cavitatem implevit aqua turbulenta & sanguinea loturæ carnium similis, quantitate unciarum circiter octo: Præter hæc nihil amplius investigare vacabat: Advertimus insuper cruorem in vasis sanguiferis plane atrum ac velut adustum fuisse: Partes generationi dicatas se nullo laborasse vitio comperimus; ovula in his manifeste conspici potuerunt, quibus uterque testiculus scatebat; Tubarum extremitates patebant laciniis plurimis ornatæ, flatus immissus per eas in uterum more penetravit eamque distendit: Cavitati uteri nil nisi muci pauxillum inerat. Orificium internum hiabat. *Observ. Nobil. D. I. Conradi Peyeri in Tractatu de cicuta aquat. I. Iac. VVepferi.*

Mucus interior omnis) Sensus tactus circa stomachum & pylorum magis viget & acutior est quam in reliqua interna superficie, sive fundi, sive laterum, sive superni tabulati, non quod membrana nervea in his partibus minus nervis dotetur quam pylorus & stomachus, ut quidam opinantur, intuentes solummodo plexus insignes nerveos ad has foris accedentes, atque undique amplectentes, cum nec mole, nec numero nervea filamenta magis membranam nerveam hic quam alibi dotent, omnes enim ulterius dispergunrur, & partim fibris uniuntur, partim in hanc membranam expanduntur atque ita obliterantur: Causa potius vegetioris tactus est, quia membrana nervea in pyloro & stomacho magis in propatulo & nudior est quam in cætera interna superficie: obtegitur enim *tunica mucosa*, hoc nomine insignienda, quia in homine multisque animalibus quadrupedibus unico ventriculo præditis, statim post obitum aperto ventriculo, nihil nisi *mucus* pellucidus esse apparet: Si vero spiritu vini maceretur, aut ei fervida affundatur, in crustam opacam & veluti villosam degenerat, quam magna cautione adhibita prope integram à nervea separare potui. Hæc tunica, sive mucosa, sive crustacea, neutiquam sensum abolet, aut plane impedit, quamvis illum moderetur atque efficiat, ne quibusvis injuriis obnoxius sit ventriculus, non secus ac cuticula cutim contra has munit: Patent quoque tunicam hanc non solum pro diversitate animalium aliter atque aliter se habere, atque in quibusdam admodum crassam, densam & tenacem esse, indeque fieri quod quædam aliis venenum, aliis alimentum existunt; verum etiam in eadem specie animalium, e. g. in homine variare, unde quidam faciie cujuscunque generis fercula optime tolerant, alii facile à dulcibus, acidis, & acribus etiam in parva quantitate ingestis læduntur; novi quosdam qui jusculá fervidissima sine molestia ingluticrunt: forte anus Attica apud *Galenum*, & fœmina Batava, de qua *Nic. Fontanus*; Cicutam sine noxa devorarunt, densiore quoque crustacea præditæ erant, forte etiam talem nactus erat cultrivorus Basileensis, de quo l. 3. sect. xiv. Obs. 18. Ipsam cuticulam ita densari & crassescere rustici, fabri ferrarii, aliique labores durinres persagentes docent; ut præ aliis qui mollicule cuticulam curant, vasa calidiora impune attingere aut apprehendere audeant. &c. *Wepferus ibidem.*

ANATO-

ANATOMIÆ PRACTICÆ
LIBRI SECUNDI
SECTIO XII.
De GIBBOSITATE.

OBSERVATIO I.

Gibbositas ob sinistrum Pulmonem & Pericardium firma cicatrice costis adnata.

QUIDAM Purulenta tussiens, circa diaphragma sinistrum vehementissime doluit, tandem ascitide obiit: Aperto cadavere, parenchyma sinistri pulmonis fere totum consumptum, bronchia vero relicta cum pauco parenchymate, & ipso pericardio firmissima cicatrice, seu callo, costis adnata coaluere, ita ut propter diuturnum dolorem, hoc latere compresso depressoque, gibbosus altero latere factus fuerit miser. *Sal. Reiselius in miscell. cur. anni* 1673. *Observ.* 191.

Gibbosis, H. *Mercuriali* definitore morbus est tum in situ tum in figura, non solum rectitudinem corporis depravans, verum & flexionem, ad posteriora saltem, non parum impediens: Præter hæc est imperfecta Situs emotio, sub qua juncturæ, madefactis luxatisque vinculis diducuntur & hiant, tantummodo servata rectitudine. *Galenus* primus hanc invexit *ὀσίων* appellatam, quæ laxatio & abductio quædam est, spatio latiore relicto vertibulorum, cui vitio pueri privatim ob nervorum mollitudinem sunt obnoxii.

Fit Gibber ab abscessu, nedum communiter, sed & proprie dicto: Natura autem quæ hominis cœlestis suæ originis indagatoris sublimes vultus, cum respondente in rectum, sed flexili corpore præstiterat, architectata est spinam, idest ventriculatis ossibus & cardinis modo instructis; in longum actam compagem, quæ sic corpus sustentat, ut catenæ (*carina*) navem: Hujus autem ipsius omnes nodos atque tessellas, qui tum cervici, tum dorso lumbisque discreti sunt, extrinsecus ligamentorum aponeurosi firma, è cranio derivata, & à prima cervicis vertebra ad inferas usque producta, convestit atque contegit: cui succum quendam pinguem lentumque, vertibulorum motui conservando commodaturum perpetuo subdidit: Cui naturali liuimento postea temporis commista inerte viscida pituita, quæ confertim è superioribus demissa irruit, nedum quidem ductus nervorum, qui per osseas illas coagmentationes exiliunt, sed etiam ipsarum vincula, quæ modo dixi, distendit ita, ut sæpe sua de sede revellat, ac nunc uno quidem situ, nunc alio contorqueat: Quarum eversionum modos tres fecere, tum primus *Hippocr.* in lib. de artic. partic. 1. 2. 7. 22. 68. tum *Galenus* ibid. ac lib. 4. de loc. c. 3.

Una situs perversio est extrorsum, cum vertebræ recedentes ab æqualitate laterum in medium ipsorum abscedentes, & se coaptantes in unum quasi turbinant conum: Hæc *κύφωσις* & *κύρτωσις*, homines vero his affecti *ὑβοὶ καὶ κυφοὶ* Græce dicuntur, Affectionem vero Gibber, corpus vero Luxum & Gibberosum dicere consuevere Latini: Alter modus est introrsum, qui fit cum à naturali rectitudine in hunc situm rapta spondilia, simam & velut infossam dorsi partem relinquunt: *Lordosis* hæc à primoribus magistris; Divaricatio vero & Repandicas à nostris est nominata: Tertius est ad Spinæ latera conflexus, tum dextrum tum sinistrum; quem Græcia *Scoliosis*, Obstipitatis vero nomine Latium extulit: Est autem sic dicta quod scolion, i. e. lubricum terrestrem reptantem refert, spirarum similitudine.

Adverti Gibber extrorsum frequentissime fieri, non infrequentem etiam ad latera, verum ad anteriora permultum insolens est, authore *Hieron. Fabritio*: Eam scil. ob causam quod anterius inter binas vertebras interjecta cartilago multa, non potest non facere quin impulsus omnis spinæ retrudatur, id quod aliis situs inversionibus non accidit. Illud enim animadverto necessarium, quod cavo partis unius respondeat oportet convexum alterius adversæ, i. e. cum gibberus sit thorax posticus, cavus erat anticus, & contra, si dorsi sit cavitas, pectoris tuber erit. Sic quoque cum cavitas in altero latere facta fuerit, continuo in adverso respondebit tuber, quanquam non ita luculentum hoc ut in prioribus, nisi magna lateris facta fuerit divaricatio.

Costis adnata coaluere, &c.) Singulæ distractiones illæ Dorsi, communes quidem sæpe, sed privatas etiam agnoscunt causas: communes quidem externæ sunt, id est, quodcunque grave durumque corpus quassat, allidit, percutit: plurimum autem hæ causæ vertebras ad interiora compellunt, qualis unus est casus de sinuata in vesicam spina, à Galeno narratus 6. de loc. aff. 4. Hæ quidem manifestæ, sed & cœcæ sunt causæ, de quibus mox audies, si simul approbes referri modos quibus hi, qui jam perstabant in sua sede nodi depravantur. Hi Galeno teste 3. de loc. causæ sunt & spasmi communes, quæ sunt siccitas & plenitudo. Siccitatis & squaloris primus meminit 2. caus. Puls. c. 11. cui addidit & frigus immodicum, à quo

cen

ceu gelu convulniva intentio est. Sed & inæqualis intemperies, eodem authore, distorquere potens est censenda. Siccitas in ardente febre potissimum visitur, cujus febris vi arefacta vincula vertebrarum, has in anteriora pertrahunt, ut & cervicis interdum, affirmante Hippocr. 4. aphor. 34. *Si à febre detento collum pervertatur, & cibum devorare vix ipse possit, sine ullo tumore, lethale.* Mens est Hippocr. colli vertebrarum æstu febris distractarum comminisci, sic contractione & ariditate abstrahuntur fibræ ligamentorum, & quæ has sequuntur ossea verticilla.

Ex adverso plenitudo ac distensio multa sæpius etiam distortiones parit: itaque inflammationes. & scirrhi, abscessus & quorundam crudorum tuberculorum generatio, breviter omnes præter naturam tumores vicinas partes ad se retrahere valent, res hercle veteribus Medicis difficillima investigatu, quæ verba sunt Galeni lib. de causis Puls. & lib. de loc. affi.

Causæ autem internæ externæque ut separatim luxate vertebras possunt, sic & utræque possunt sibimet ad invicem consentire, nempe vis procatarctica forinsecus impulsu facto vertebram adurget in anteriora, interior vero quæ plenitudo est, distendendo, siccitas contrahendo eo versum etiam adducit.

Vertebrarum quidem ossa per se, neque pervertuntur à Tuberculis neque trahuntur, sed primum vitium fit in iis corporibus quibus vertebræ alligantur. Igitur ubi ad vertebras Tuberculum oritur, ac tum in tumorem assurgit atque augetur, ab interiori sive priori parte (utroque enim vocabulo licet uti) necesse est ut tuberculum sequantur ligamenta, atque rursus vertebræ, Itaque si in una parte duntaxat tuberculum oriatur, ubi hæc in interiorem trahatur, in priorem partem spina convertetur. Sed si in duabus, ubi aliqua sic interjecta sit inviolata, gibba evadet, utroque enim tuberculo adjuncta vertebram trahente, quæ in medio sunt à posteriore parte gibbæ fiunt, quod evidentet intueri licet omnibus evenire quæ curvari modice possunt, cujusmodi sunt virides rami, quos si quis dextera digitis ab una parte, sinistra ab altera prehendens ad se traxerit, medium in contrariam partem attractum gibbumque conspiciet, atqui nisi alia de causa spina ad latus convertitur, quam ob crudum tuberculum quod ab ejusdem latere fit; hæc autem tria vitia in spinam incidunt cum vertebræ loco moventur.

Præter internas jam expositas causas, est & vitium imbecillitas, cujus unius vitio vincula lacertique, dorsi minime valentes onus sustinere, faciunt ut nutans spina curvetur, quæ fortasse causa est una qua senes omnes gibbosi existant. Fit autem imbecillitate, ut succi prævaleant tum copia tum viribus, cum eo loco tum impinguntur, unde mox & luxatus adornatur. Est & ex causis externis consuetudo corporis quoquo versum inflectendi atque inflexum continendi; quemadmodum enim virgulis & viridibus lignis pondere pressis, assidueque contortis, ita & dorso nostri corporis accidit, sub institutis vitæ diversis ac opificiis.

Costis adnata conlutere, &c.] Quidam censent exoriri posse Gibbosin à Tuberculo, quod sustinente ægre pulmone, sic agitatio multa pectoris respiratio, depravatio & inde vertebrarum emotio suscitetur; quem Gibberis exortum haud vere explicat *Mercurialis*, nam quod concutiatur spina motu thoracis insolentiore, ac magnum inde laborem expetiatur, id profecto non facit ut gibbus pariatur, præsertim quando confessum est agitationem illam thoracis ab incommodo respiratus undelibet æqualis, non magis uni quam alteri parti situve vim ac noxam inferre debere: Demum cur posita necessaria causa, id est, posito pulmonum tuberculo, atque agitatu depravato thoracis, non consequatur gibber? At equidem sequutam Gibbosin à tuberculo semper verum contendo, si res solum intelligatur ad sententiam Galeni qui comm. 3. de artic. procreationem Gibbi necessariam retulit ad una vertebrarum tubercula, non autem ad tuberculum pulmonis, quod falso credidit *Mercurialis*. Sed respondeat velim, qui phthisici & asthmatici non Gibbi omnes? Itaque tussis & asthma Hippocr. sunt symptomata & affectus consequuti ex dirupto jam abscessu circa Spinam. H. *Saxonia* Panthei lib. 2. cap. 4. causam Gibbi repletionem fecit ligamentorum spinæ vertebris annexorum, Errat vero, quod sibi nobisque suaserit, distensionem induci tuberculo Pulmonis inerti, maxime si crudum ac parte postica consistens, atque non nisi diruptum & parte posita positum conceperit, Nam quæ vel pulmoni, vel hujus tuberculo corporibus vacuitate locorum, & aëris interjecti dissitis vis fit, ut vertebras spinæ convellat? at neque resultans à tuberculo pus tam aut penetrabile, aut tam erga solidissima ligamenta prævalens est ut hæc vincere queat: Præterquam quod fluere naturali suo nutu comparata purulenta substantia, nequaquam media spinæ rectitudine consistere, sed ad infima repere debebit: quapropter aut his private partibus gibbosin, aut etiam aliud quodcunque malum potius quam gibbum excitabit, quod si tamen *Saxonia* detur, ut ex adversa pulmoni parte spinæ consistat & non diffluat sanies: Tum & deter ius incommodum argumentationis subibit Hercules, quod perpetuo circa dorsum erit spinæ luxatio, atque adeo non erit unde vertebrarum cervicis, aut lumborum, aut ossis sacri perversio fiat. *Hieron. Fortunatus* censuit Gibber primum rheumate quidem initiatum, mox sub asthmate ac tuberculo magna pulmonis, necessitate quadam avertendæ difficultatis, atque laboris inspirando ac respirando flexu dorsi completum; quod multum liberius agitur pulmo, laxiusque succedit respiratio, dorso jam conflexo; quam tenso septo transverso atque externis musculis; qua de causa cogitur homo, sic instigante natura, testitudinem thoracis, quoquo pacto licet, atque etiam ampliante curvitate dilatare, qua inflexus assuetudine in dies facta, sic demum absolvitur Gibbosis. Ingeniosa quidem excogitatio, at nihil ad sensum Hippocr. qui causas plane necessarias, non contingentes Gibbi posuit. Fieret autem per hanc opinionem, ut gibbosi & commoda semper respiratione fruerentur, & in quacunque dyspnœa perpetuum esset in dorsum incurvatio levamen, & illud quidem paratu facile. *Quarta opinio* eorum est qui à tussis vehementia vertebras loco pelli censent, Res ab Hippocr. nusquam asserta, ut asthma ac tussis sint causa gibbi, verum ut gibber sit cum asthmate & tussi conjunctum. Ut appareat jam ex his omnibus summe veram opinio Galeni, qui causam Gibberem haud tuberculum quidem pulmonis, sed spinæ contiguum alterum indicavit. *M. Aur. Severinus de Abscessibus p. 327. &c.*

Quanquam autem *Saxoniæ* sententiam rejiciat, ex allato tamen exemplo manifestum fit quomodo à Pulmonis tuberculo Gibber exoriri possit; si scil. id posticam Pulmonum partem occupet; maturetur id, disrumpatur hians ulcus, costis putris, interventu, adhæreat; Quam partium cohæsionem sæpe ea de causa fieri in partibus internis animadvertit *Platerus*.

Observatio II.

Gibbositatis causa in capite reperta, ob vitiosam ossis Ethmoidis conformationem.

Adolescens à pueritia Gibbo & asthmate vexatus, tandem *ex phthisi obiit*, circa annum ætatis xvi. Hujus cranium aperui, & inveni processum sive interstitium, aut septum illud quod eminet in medio ossis ethmoidis, seu cribrosi (qui processus crassitiem papyri excedere vix solet) in latitudinem & altitudinem ita auctum, ut fere totum os cribrosum obtegeret, adeo ut foramina hujus ossis, *per quæ pituita ex cerebro ad nares solebat effluere*, plane oppleta viderentur, & quamvis percocto cranio, vix eorum ullum pateret. Denique ossicula superioris maxillæ, quæ in magno oculi cantho conspiciuntur, adeo excreverant, ut septum nasi hinc inde propemodum attingerent: Hanc præcipuam fuisse Gibbositatis causam verisimile est; nam cum pituita per nares minime posset expurgari, versus spinalem medullam tendebat, *sicque vertebræ, earumque cartilagines, assidue irroratæ pituita viscida & relaxatæ*, tandem excreverunt in Gibbum maximum. Nec solum pars illa Dorsi *ex hac defluxione* & irroratione pituitæ relaxata fuit, verum etiam omnia ossa à collo usque ad pedes, præcipue vertebræ, os sacrum, os pubis, ossa pedis, denique omnes epiphyses sive appendices, præter consuetudinem molles ac tenellæ erant, ita ut fere instar ceræ tractari possent. Illud præterea in hoc cadavere notandum visebatur, quod 6. 7. 8. 9. & 10. *vertebræ* metaphreni, quæ Gibbum efficiebant, *exesæ erant carie*, præcipue autem 7. 8. & 9. quarum nihil præter exteriores semicirculos, & eorum processus conspiciebantur. Interiores autem partes harum vertebrarum, in quatuor aut quinque fractas partes, non sine admiratione; in ipsa pulmonis substantia invenimus; Pulmo enim in parte, quæ dorsum respiciebat, ulcere magno & calloso laborabat, per quod ea fragmenta, ex continuo pulmonis motu attracta fuisse, dubium non est: Tanta enim est pulmonis ad se attrahendi facultas, ut nonnunquam turundas ex vulneribus pectoris penetrantibus ad se traxerit. *Fabritius Hildanus cent.* 1. *Observ. xlv.* Diximus in Gibbo illo 7. 8. & 9. vertebram metaphreni ita exesas fuisse, ut nihil præter exterioris semicirculos & eorum processus repertum sit: ubi admiratione non caret quomodo spinalis medulla conservata fuerit, Erat enim plane denudata, & nonnisi membrana sua cooperta: interim tamen insigni illa putredine ossium cariosorum, & ulceris pulmonis sordidi circumdata, neque tamen sequutum ullum symptoma ex iis quæ spinali medullæ læsæ accidunt. *Idem cent. v. Observ. lxvi.*

Adolescens à pueritia gibbo & asthmate vexatus *obiit anno ætatis xvi.*] Huc quadrat Aphor. 46. sect. 6. *Qui gibbosi ex asthmate & tussi fiunt, ante pubertatem moriuntur*: cujus interpretatio varie torsit interpretes, quod multi gibbi à pueritia provectam ætatem attingant, nec omnes dyspnoea aut tussis premat; Ingeniosam commentus est explicationem M. Aur. *Severinus* lib. de Abscessibus, Hippocratis menti & experientiæ consonam, commutatione facta vocis ἐξ in ἔξω, aut elisione vocalis unius, ut legendum sit sic aphor. ὁκόσοι ὕβοι ἔξω ἄσθματος, ἢ βηχὸς γίνονται, &c. Vocem autem ἔξω Græcis, æque ac Latinis, non *Extra* solum significare, sed etiam, *Præter*, exemplis adductis contendit, Aphorismi ergo sensum hunc esse, Qui præter anhelationem & tussim gibbi quoque fiunt, eos ante pubertatem mori. Jam igitur eo constituto, *subdit Vir ingeniosissimus*, Hujus orationis sensus quidem mihi videtur necessario quodam nexu comprehendendas has tres res simul omnes, gibberis, asthmatis, tussis affectiones, ut ante pubertatem, annum xxv. necessitas moriendi sit; quippe postquam unum aliquod istorum non explevit morbum, quod expleturum alioqum abunde videbatur, reliquum nova epigenesi facta, pessimum & exitiale malum oportebit. Difficultas autem spirandi simplex, haud necessaria absolute causa videtur ut vitæ vim inferre queat, multo quoque minus tussis compulisse quemquam ad interitum visa est: Ac neque sola Gibbosis tantam habet vim ut fatum accersat: necessum est enim, ut pulmones, aut spiritus organa laborent sic, ut ex horum affluxibus malis tussicula parta plurimum molestet: Quæ omnia cum non sunt, videmus quotidie multos qui gibberis belle ferunt incommoda, propterea quod nullam aut tussis aut spirandi difficultatem experiuntur. Quinimo visi sunt inter nostrates homines gibbi, qui in arte canendi consummati vocem quam maxime deprimunt aut intendunt: Verum enimvero gibbere pectoris angustiam faciente, post angustiam vero difficultatem respirationis, ac multo maxime post disruptos abscessus tussim ac asthma consequens, sic plenissima & necessaria causa est ut mors homini lente subrepat, evanescente scil. calido cordis, quod diu persistere in ea pressura, velut piscis in arido solo, non potest, quando nimirum alimentum primum aëris desit viventi. Hæc universalis nostra lex esto, deinde requiritur specialis, ut hi homines imbecilli, graciles, ac prope squalidi sint, quo calore ac siccitate constante fit ut major sit usus respirandi, qui maximus in angustia pectoris maxima: vides

vides quantam ex difficultate spirandi præ se ferat noxam: Sed vegetiores moderatéque catnosi, etsi gibber experti, nil detrimenti, ac neque spiritus difficultatem perpetiuntur: Sic *Hippocr.* lib. 3. de artic. ait, *Multi quidem gibbi facile, at non scimus quam bene valentes jam usque ad senectutem id mali sustinuerunt, præsertim quibus corpus carnis plenum ac pingue effectum est: pauci autem ex iis ad sexagesimum annum pervenerunt, plerique enim citius moriuntur.* Requiritur & tertio causa vis præpotentis, hæc autem est defluxio crudi gravisque succi, multa copia de capite contertim ad inferiora ruentis, cujus pars ad spinam delata, & circa vincula vertebrarum coacta, gibbum, ea qua dixi ratione contrahat, pars ad pulmonis & anhelitus vias brevius derivata, & spiritus anxietudinem, & tussiculam excitet, sive quidem hic relicto phymate submolli subcrudoque, quod sudorulentum suum veluti madorem in asperam arteriam insinuet, sive spiritalibus tandem irrigatis viis, & nullo phymare relicto: Ex quibus omnibus noxis, quæ primum se prodit, est pulmonis: quæ causa fuit scil. ut ex spirabili viscere, languorem præ se ferente, suscitatos spinæ conflexus opinati fuerint nonnulli. Accedit ad has gibbi causas & alia, quæ veluti principium est omnium, improba videl. capitis conformatio, expers naturalis utriusque projecturæ, maxime vero posterioris, cum Thersitica prope forma, tum capitis tum faciei: præcipue vero naribus hiulcis atque anhelis, & oris ampliore rictu, cum ratione, aliquando & latiore dente, collo vero nullo, vel intra thoracem reducto. Hæc capitis universi conformatio plurimum incommoda est, vel quod ad ipsum pertinet, quæ cursum exhibet, ac non coercet, humoribus superfluis; vel quatenus includens primam intemperiem & imbecillitatem facultatis formatricis, causa est mali potissima qua necessariæ ac verendæ fluxiones pectoris œconomiam infestent.

Sæpe etiam cum formatricis vitio, quod intra matricis claustra constitit, conjungitur extra uterum imbecillitas nervorum, quæ maxime cedit & opportunam se reddit inflexui, Sic & mala partium conformatio & gibbi perversio apparet, quo multas afferre narrationes possem, sed superat omnes ea quam mox audies, Vide Observat.

Ad hæc in Gibbosi illud potissimum requirimus; ut circa vias spiritus incubuerit, amploque non tenui schemate fit ille panus qui Gibber excitarit: Enimvero non spectans ad ductus spiritales exile phyma, haud sane valentem ad intertumpendum vitæ cursum vim habere poterit. Itaque superiores spinæ partes tentet, atque ad exteriora potius quam interiora vergat gibbus, tacitam homini tabem illaturus.

Sic vertebræ assidue irrorata, &c.) Bennettus theatri Tabidorum Exercitat. xxii. E fluxione acriori spinæ accumbente, dorsi vertebras luxatas, ossaque alia ex acetabulis detrusa & extorta vidisse se ait: Imo si fluxio qualitate naturæ prorsus aliena sit delibuta, ut in lue venerea, ossa, præsertim tibiæ, ad veprium similitudinem aliqualiter inflexa protuberare, friabilia, spongiosa minusque tensa undique evadere.

Ex hac defluxione) Tres statuuntur viæ quibus cerebri humor in spinalem medullam manare perhibetur; prima est quam excogitavit *Fernelius*, qua humores, inter pericranium ac cutem capitis collectos in subjectas partes, ac in medullam quoque spinalem fluere arbitratur: Secundam viam recentiores itidem monstrant, quam ii grande illud *Occipitis foramen* pandere arbitrantur. D. Sennertus exemplum superius ex Hildano petit, *Ossa nasi*, inquit ille *erant depravata, hanc præcipuam fuisse Gibbositatis causam, quum itaque pituita per nares minime posset expurgari, versus spinalem medullam tendebat, sicque vertebræ, earúmque cartilagines assiduo irrorata pituita viscida, ac relaxata, tandem excreverunt in gibbum maximum.* Quæ quæso est argumentatio? est magis infirma quam hæc ipsa ossa: Nam subjungit Hild. *Non solum pars illa dorsi, ex hac defluxione & irroratione pituita relaxata fuit, verum etiam omnia ossa à collo usque ad pedes, præcipue vertebra, os sacrum, os pubis, ossa pedis, denique omnes epiphyses seu appendices præter consuetudinem molles ac tenellæ erant, ita ut fere instar ceræ tractari possent.* Ais tu, Pituitam cerebri occipitii foramine, & mox spinæ tramite decurrentem, ossa pedis novissima, tam mollia, tam cerea, ut ita loquar, effecisse? Illa spinæ fistula non usque ad ossa pedis, non ad epiphyseis, non ad ossa pubis extenditur; quam invia sunt omnia, tam de via quoque à vero: In multis ossa fuerunt male formata, ac quoque simul ossa nasi, per quæ pituitam cerebri ferunt habere exitum, Ergo illorum oppilatio fuit fons & origo mali; O languida vis ratiocinandi. Plurimis de causis ossa, & præsertim tam multa, simul vitiari poterunt. *At inveni, inquis, processum, sive interstitium, quod eminet in medio ossis ethmoidis, seu cribrosi, (qui processus papyri crassitiem excedere vix solet) in latitudinem ac altitudinem ita auctum, ut fere totum os cribrosum obtegeret, adeo ut foramina hujus ossis, per quæ pituita ex cerebro ad nares solebat effluere, plene oppleta viderentur; & quamvis percocto cranio, vix eorum ullum pateret.* Nec catarrhosi, nec sani hominis cranio cocto ossis cribriformis foramina prius patula fiunt, quam nervuli omni studio adhibito fuerint protracti, qui de cetebri membranis tracti, per ea ad narium tunicam excurrunt: Falsus igitur est *Hildanus*, non sæpius inspexit illa foramina: Hæc in crudo cranio & succido extantia naturaliter cœca & inobservabilia: Dissectionis Professor, monstratis nervis odoratoriis, ut vocant, & mammillaribus processibus, foramina ossis illius cribriformis, nec aliorum oculis subjicere potest, nec suis consequi. Nuper nos quoque processum ossis, *Vomer* dicti, deprehendimus oppido quam incurvatum, Homo autem in vita sua sæpe coryza pressus fuerat, Nec forte hic miser, cujus cranium postea est contemplatus *Fabritius*, siccis semper fuit naribus: Plurimum evenit, ut quæ observant Medici, ad scita veterum sequius, studiosiusque accommodent, Hac via falsum gliscit & tam altas agit radices: Merito prædicanda erit prudentia *Francisci Glissonii*, hic scitissime exequitur naturam & ingenium illius morbi quo ossa mirifice vitiantur: Vocat Rachitidem (*Vide inferius*) Fabritius Hild. & D. Sennertus si in pueros ad hunc modum ægros incidissent, caput mali continuo judicaturi fuissent esse caput: Eo namque tam grandi, ossibus tam mollibus, tam vehementer vitiatis epiphysibus, hujus morbi fontem esse nihil aliud quam talem capitis catarrhum, qui ex superiori observat. proditur: Longe secus laudato Glissonio videtur.

Tertia via quidem in monumentis Hippocr. sæpius occurrit; est vero admodum fallax & falsa;

falsa. Qui influit sanguis, non est cerebri privatus, sed communis sanguis, venæ quoque non sunt cerebri, sed rami venæ cavæ, ut & illæ quæ in spinalem medullam Dorsi aut Lumborum feruntur. Ipsi *Hippocr.* interpretes talem humorem tradunt ex spinali medulla per nervos multo longius diffundi; verum spinalis medulla tribus membranis obtenditur, humor in eam tam facile non influet, quanquam id aliquando fieri non inficiamur, sit semper est corporis sanguis, aut humor *massæ sanguineæ*. Eo calidiore recepto, erit inflammatio partium ad spinalem medullam tendentium: eodem frigidiore & lento, orientur tumores. *Gibbam* inde reddi posse spinam Dorsi non abnuo, ast ea fere ratione quam libr. de Rachiride cap. 13. ostendit Glissonius. Minime vero ille humor cerebri est, nec talis vel per venas aut arterias cerebri, ut videtur *Hipp.* vel superficiem vertebrarum, vel per foramen occipitii, ut placet asseclis Hippocr. ad intimam spinalem medullam iter molitur. Hæ viæ sunt nullæ; Nullus itaque cerebri catarrhus fit in spinalem medullam, fluxio autem in eam, mota massa sanguinea, concitari potest, arteriis maxime æstuantibus, quæ sunt membranarum spinalis medullæ, ut Cervicales arteriæ, arteriæ Intercostales, Lumbares & Sacræ arteriæ. *Schneiderus lib. de catarrhis specialissimo pag.* 473.

Per quæ pituita ex cerebro ad nares, &c.) Illud hic prætereundum non est, quod authores tradant per hæc ossis cribriformis foramina, illum saltem excerni humorem qui supra cerebri meninges & supra corpus callosum colligitur. At multo major vis humorum, ut vulgus credit, per ossis cuneiformis foramina jugiter decurrit: quæ via tum patuit, atque si humoribus ad os cribriforme profluentibus iter est interclusum, illi exitum etiam per ossis cuneiformis foramina tandem aliquando habere posse videntur: Quæ cum ita sint, tanta vitia ossium ab occlusis ossis cribriformis foraminibus oriri haud potuisse videntur, quinimo æger vitam tandiu trahere non potuisset, cum cerebrum aura qua, (ut illorum fert opinio) indiget maxime, privatum fuisset. *Idem lib. de osse cribriformi p.* 399.

Ex phthisi obiit) Ulceri magno & calloso in Pulmonibus adscribenda. Quanquam & in contorsionem & compressionem subdiri Ductus chyliferi possit referri; cum Excellent. *Bartholino Tractatu de Hepat. exauth. desperata causa p.* 704. Excell. ait *Schenckius* opinatur in Gibbere à causa interna producto, haud torqueri aut premi lacteum Thoracicum, sed sequacem ad extensionem spatii evadere, Ab externa & violenta causa illud probabile judicat, si præcedant anorexia & vomitus chylosi. At ille *Hippocr.* advertatur, qui lib. de Articul. de Gibbere ex morbis loquutus, ait, Quibus adhuc pueris, ante perfectum corporis augmentum, spina in gibbum attollitur, iis corpus ad spinam augeri non solet: credidit scil. vasa sanguinea comprimi, quibus corpus ὑφ᾽ ἥπατος nutritur: *Galenus* in comm. l. 3. receptaculorum distorsionem tum incusat, motionis difficultatem & laborem. Igitur si cætera receptacula spinæ vicina, si vasa vulgaria comprimuntur & distorquentur, quæ prærogativa Lacteas thoracicas spinæ accumbentes hac difficultate eximet? In externa causa quod vim quoque patiantur lactei ductus, patet. Premuntur enim nervi ex spina eo loci exeuntes, unde non raro paralysin legimus sequutam, quanquam nervi ad extensionem æque sint sequaces, hinc etiam totius corporis impotentia & stupor ex *Hippocr.* Ex quo insuper notandum lib. de *Artic.* Spinæ contorsiones versus interiora periculosas esse, quando in anguli, non in circuli flexum commoventur, in qua commotione, siquidem, ex eodem *Coo*, urina & stercus supprimitur, pedes & crura perfrigerantur, quæ spes lacteis supererit? evadentne commune periculum? Reliquas Gibbositates, quanquam in tanto non constent periculo, noxæ tamen obnoxias laudatus *Cous* decernit. In κύφωσι igitur si ad circulum emineat spina, levius damnum patitur lacteus surculus; si ad angulum gravius, unde tales observavi macie incredibili notabiles esse. Ad latera quoque spina torta torquet lacteum, qui licet in scoliosi non prorsus excludat chylum, eundem tamen nonnihil obtorto itinere tetardat.

OBSERVATIO III.

Gibbositas ob spinæ dorsi irrigationem à cerebro humido.

JOh. Pfeiffer (*Vide Tit. de phthisi*) à morbis complicatis extinctus est: Spina dorsi, à continua defluxione humorum ex capite, adeo erat emollita, adeoque vertebræ telaxatæ, ut figuram hic adjunctam referrent. Prima incurvatio sinistram partem pectoris occupabat, altera è regione hepatis &c. hinc omnes partes adeo in globum contrahebantur, ut octennis vix puerum trium annorum adæquaret.

OBSERVATIO IV.

Gibbositas Pectoris & Dorsi à magnitudine Hepatis extraordinaria, Rachitis Anglis dicta, Tabes Pectorea.

PEctoream Tabem appellamus, non quæ intra Pectus sedem habeat, quo facto Phthisis Pulmonia eo nomine comprehenderetur, sed in qua ipsa Pectoris crates vitietur, id quod fit in morbo quem describendum suscipimus, Est autem hic Puerilis duntaxat seu infantilis, & vulgatissimus in Anglia, uti & in Hibernia ab aliquot annis, ubi antea solebat rarissimus esse ac vix cognitus. Invadit autem non grandiusculos tantum infantes, sed & valde teneros ac recens natos, sicuti contra rarissime trimis majores adoritur, & ut plurimum intra bimatum se continet: Multæ corporis partes in hoc morbo afficiuntur, pectus, caput;

pur, artus, aliæ; sed præ omnibus ac ante omnia pectus, cujus pars anterior, quæ lata esse debebat ac plana, angustior fit, & utrinque acclivis, in medio, seu sterni regione, altius assurgit, tandem prorsus carinatur: Costæ inferiores, ad latus foveæ ventriculi, introrsum retrahuntur, ac quandam utrinque velut scrobem faciunt, totoque sui ductu, quibusdam velut nodis asperantur ac inæquales fiunt; vitiata pectoris figura respirationem facit impeditiorem ac crebriorem, quam etiam tussicula plerumque sicca, comitatur: Caput grandescit ultra debitum modum, ac proportione inferiores corporis partes, coxæ, femora, crura, extenuantur & debilescunt; unde infantes incessui inepti redduntur; non modo illi qui nunquam adhuc eo usi fuerant, sed & qui firmiter admodum agilitérque incedere ac discurrere cœperant, diu antequam hoc morbo prehenderentur: Dorsi spina in multis curvatur, atque arcus instar in exteriora flectitur: Ossa articulorum in brachiis & cruribus, non omnium, sed carporum ac talorum augentur, ac tantopere protuberant ac si duplicata esset fere eorum moles; unde etiam *Doubling of the joints*, i. e. junctuitarum duplicationem id vitium nominant Angli, qui morbum ipsum, hoc symptomate stipatum *Tent* indigitant: quum alioquin eum generaliori vocabulo, omnemque ejus speciem includente *The Rickets* appellent: Præter hæc omnia dextrum hypochondrium intumescit totum, tumore æquali, magno ac renitente, sic ut digitos sub costas nothas adigere non possis: Et sane omnis mali vel origo vel fomes latet hoc in loco, Tumor iste cum pectoris aliqua angustia, statim initio morbi apparent, sic ut interdum quidem ambo ista simul, eodémque tempore se prodant, alias vero vel hoc vel illud altero nonnihil anterius fit: Nodi in costis, ac scrobes istæ in imis oris pectoris postea accedunt: quando etiam pectus fit magis magisque angustum: Capitis incrementum istis posterius est, nisi quod pectus toto morbi decursu arctius redditur, donec ad summam angustiam deventum sit, sic ut carinæ instar acutum fiat, ac promineat, quod fere non fit nisi paucis ante mortem diebus: Est enim lethalis hic morbus, si vel negligatur penitus, vel sero aut prave curetur; plurimosque quotidie absumit, neque ullus est annus quo non aliquot millia infantium pereant: Articulorum granditas fere nonnisi ultimo loco supervenire solet: quanquam multi sunt qui eam nunquam patiuntur, ac moriuntur prius quam ad eam deveniatur: sicuti rursus ex iis, quibus illa accidit, permulti evadunt, etiamsi incuriosius habeantur, quippe haud ita periculosa est illa Tabis Pectoreæ species quæ hoc symptoma trahit, quam quæ eo caret.

Origo hujus labis à Jecore est, persæpe non vitiato ullamvè noxam passo; sed supra modum adaucto, ita ut plerumque duplo, imo ferme triplo majus sit quam par erat, totamque anteriorem epigastrii partem occupet, & ipsum quoque sinistrum hypochondrium attingat, interdum quoque impleat: Jecur sic adauctum, cum in ipso ventre non inveniat spatii satis ubi se commode explicet, à thorace mutuatur quod ipsi deest, ac versus superiora assurgens, diaphragma longe impellit, adeo ut interdum pectoris cavo vix dimidiam partem spatii ipsi debiti relinquat: Pulmones sic in arctum redacti, contrahunt sese ac in sese colligunt, unde fit ut pectoris quoque crates, ipsorum causa facta, iis se accommodet ac angustior evadat; Quandoque ab ipso pectore & pulmonibus incipit malum, hectica quadam siccitate, cum nonnullo etiam caloris excessu, obsessis, qua sensim marcescentes illæ partes, ac sese contrahentes; quum vix ullum nutrimentum tunc capiant, sanguinem quem in statu naturali valde copiosum ad se trahere ac absumere solent, Jecori refundunt; quod eo circumfluens, plus justo increscit, atque in omnem partem sese adauget: cujusmodi nimium Jecoris incrementum principalis hujus morbi causa est, ita in hoc quoque non parum ad eundem fovendum confert, atque in progressu eadem omnia mala importat, quæ modo memoravimus: atque sic morbum, quanquam non ab ipso cœptum, fovet tamen & magnopere adauget: Neque in hac Pectoreæ Tabis specie ullum magnopere periculum est, donec ista à Jecore noxa supervenerit: quæ & supervenit semper si diutius trahatur malum, neque statim initio curetur, aut ab alia causa præmortuus infans fuerit. *Ego sane, quum plurima corpora, utrevis hujus morbi specie extincta secuerim; autopsia deprehendi rem ita se habere, neque unquam mihi adhuc infantis, isto morbo defuncti, corpus aperire contigit, in quo non pergrande ejusmodi Hepar repererim.*

Mali hujus originem infantes sæpe in utero matris contrahunt, idque vel mox in ipso conceptu vel gestationis tempore: Prius evenire solet ubi vel pater, vel uterque parens calida & sicca utriusque visceris, Jecoris & Pulmonum, vel alterutrius intemperie laborat; Alterum à sola matre proficiscitur, quando ea in victu multum peccat; interea dum uterum gerit, atque vinum, cerevisiam fortem, aquam vitæ crebrius ac largius ingurgitat: Eodémque vel matris, vel adscititiæ nutricis vitio, hæc labes accersitur etiam infanti, qui alioquin ei ab ortu obnoxius nequaquam fuerit, si liberaliori cujuscunque Siceræ potui crebrius ac largius indulgeant, istoque pacto lac suum inficiant; ac naturalem ejus bonitatem corrumpant: Quandoque cœcæ huic malo causæ subsunt, infantésque, ejus initia secum ex matris utero deferunt, vel postmodum id contrahunt, absque eo ut ullus ejusmodi defectus vel in

parentibus vel nutrice compareat: Sane ut in aliis permultis humani corporis affectibus, ita in hos quoque astra plurimum pollent, certorumque siderum ictus isti vel procreando vel fovendo magnopere inserviunt. Morbus iste ægrius tollitur si à jecore cœpit, quam si à pectore: magisque etiam si à primo ortu infans ei obnoxius fuerit: Quando in pectore ipso originem habet, curatio ejus satis facilis est; quum siccitas, etiam hectica, quæ in corporibus adultis fere immedicabilis, in corpore infantili cum minori difficultate emendetur. Curatur autem balneis unguentisque emollientibus atque chalasticis, aliisque ad humectanda pectoris ossa pulmonesque accommodatis, inter quæ pellis ovi aut agno recens detracta, & adhuc calens admota, atque aliquot horis relicta, mirifice multis profuit: Quod si jam in progressu est morbus, atque jecur superaugeri cœpit, aut si ab ipso jecore processit malum, isti quoque medicatio adhibenda est, omnibusque modis conandum ut incremento ejus obsistatur, atque intra naturalem modum coerceatur: quam in rem, non linimenta modo & unguenta, aliáque topica, sed interna quoque in usum trahenda: sic tamen ut non salubritatis tantum ratio habeatur, sed & teneræ isti ætati effectus ac sapor medicamentorum attemperetur: Pari quoque prudentia cavendum, ne dum refrigerare ac contrahere Jecur nitimur, obstructiones aliáque mala in eo generemus, nimio adstringentium, aut intempestivo emplasticorum usu, atque sic geminam pro simplici labem accersamus, morbumque penitus incurabilem reddamus: Super autem omnia sciendum pro internis externisque medicamentis, ea hic deligenda, quæ & Jecori privatim amica sint, & præter communes cum aliis multis Refrigerandi & Adstringendi facultates, peculiarem aptitudinem huic operi necessariam, sortita sint: Purgatio hic nullum locum habet; ne sanguinis quidem missio, nisi morbo longius progresso, ac capite jam nimium aucto: quando sanguisugæ venis post aures, atque in fronte & temporibus utiliter admoventur, multumque ad universam curationem conducunt; ideoque si res ita ferat secundo ac tertio usurpandæ sunt: Victûs ratio longe alia in hoc morbo instituenda est quam imprudentioribus, ac naturam ejus non satis perspectam habentibus, videri posset: Non enim Atrophiæ, qua infantes contabescunt, per se attendendum est, neque conandum ei occurrere pleniore cibatu ac validius nutriente, quod esset oleum addere camino, sed contrà omnis opera in id adhibenda est, ut exuperans sanguinis copia compescatur, ac nimius ejus fervor, nimiáque tenuitas & acrimonia coerceantur; quod quibus potissimum rebus effici debeat neminem doctum Medicum latere debet: Quod si ita teneri sunt infantes, ut nihil dum præter lac nutritium assumant, matri vel nutrici ea danda sunt quæ prædictis scopis inserviant, ac lac earum debito modo attemperare valeant: In iis vero infantibus qui grandiusculi jam, nondum tamen ablactati, & ubera sugunt, & alios præterea cibos ac potus assumunt, utroque modo agendum est, & rum ipsorum, tum nutricum victus, ita ut diximus ordinandus. Hæc curationis via solicite admodum observata, & diu admodum continuata; nihil enim hic parvo temporis spatio effici potest, (præsertim ubi altius hæsit malum) feliciter curatur iste morbus.

Morbum istum non in Anglia duntaxat & Hibernia, sed & in aliis quoque regionibus grassati verisimile est, & de Gallia quidem mihi certissime constat: diversos enim Parisiis infantes vidi eo laborantes. *Arnoldus Bootius de affectibus omissis cap. xij.*

Caput grandescit ultra debitum modum] ubi sanguini in omnes partes æquus & apertus aditus patet, intra debitum ambitum ubique continentur: si quarundam marcescentia & extenuatio accidit, sanguis hic præpeditus in proxima impelli magis atque arietare debet, donec pro explicando sibi spatio illa multum dilataverit: Cum enim ventriculi cordis & sanguis, omnibus vasis commensurati sint, si pars aliqua aut membrum corporis marcescat, sanguis isti prius destinatus in alias corporis partes impendi debet, proindeque tum vasa ejus dilatare magis, majusque incrementum deferre; atque ideo Doctissimus *Glissonius* in Rachitide affectis, hepatis & capitis magnitudinem ab aliarum partium marcescentia rite deducit, ingeniumque simul cum cerebro, ob majorem sanguinis copiam affusam, incrementum capere observat; quippe cum pars aliqua corporis marcescit & extenuatur, sanguis isti parti impendi solitus in alias corporis partes mandari debet: Et cum nulla pars corporis cerebro & hepate mollior, & impulsui sanguinis magis cedere apta fuerit, facile ab irruente sanguinis majore copia distenduntur ea, & in rantam molem atque incrementum assurgunt. R. *Lower. Tract. de corde pag.* 110.

Origo hujus labis à Iecore) Glisson. cap. 45. Anatom. Hepatis, sedem hujus morbi statuit in medulla spinali extra cranium, nervisque inde oriundis, deducitque ortum à nutritionis inæqualitate, quæ proveniat à quorundam nervorum præ aliis ad partes nutriendas ineptitudine: Ubi scil. nervi isti in fungendo officio debiles atque languidi sunt, præ iis qui è spinali medulla intra cranium natales suos deducunt: Inde evenire, ait, ut caput, facies, atque imi ventris viscera grandescant, ut pote nervos intra cranium enatos sortita: Brachia, aurem, & pedes præcipue, macrescant, reddanturque flaccida & enervata, quia nervis à languidiore spinalis medullæ parte forinsecus extra cranium prodeuntibus irrigentur: Præterea quoniam interdum nervorum quorundam ramulus aliquis præ cæteris magis debilitetur, fiat ut altera pars artus alicujus, altera plus crescat, adeoque totum membrum illud tandem incurvetur.

Consti-

Constitutio corporum, interna & externa, ex Rachitide defunctorum.

Testamur plures nostrum variis corporum hoc morbo occumbentium dissectionibus interfuisse, eáque quæ longa experientia, frequentíque dissectione observavimus, quæ propriis oculis vidimus, manibus tractavimus hoc loco narraturos: Interea tamen duo hic præmonenda sunt, 1°. Defunctos quos dissecuimus gravissime ante obitum hoc morbo affl.cto. fuisse, siquidem ipsi magnitudini morbi maxima ex parte succubuisse supponuntur: Ne igitur expectet in aliis corporibus adhuc vivis, sive recens affectis, sive saltem ad ἀκμὴν nondum provectis, eam morbi magnitudinem aut symptomatum quæ hic depingitur: 2°. Morbos fere omnes tractu temporis alios diversi generis sibi adsciscere, ideoque morbos Chronicos plerumque ante obitum esse complicatos: Ne ergo putet in defunctis corporibus quicquid præternaturale reperitur, ad hunc affectum necessario pertinere, forte etiam magis id alium morbum huic ante mortem supervenientem, quam hunc ipsum respiciat, Progrediamur jam ad ipsas observationes: Observata hæc nostra Anatomica distinguuntur in ea quæ extrinsecus, nondum aperto corpore occurrunt, Et ea quæ nonnisi diss.cto prius corpore se offerunt.

1. *Quæ statim denudato defuncto exterius occurrunt.*

1. Irregularis seu irrationalis partium proportio: caput nempe justo majus, faciésque habitior respectu reliquarum partium: atque hoc quidem in omnibus hoc morbo extinctis, quos hactenus vidimus apparuit, unico tantum excepto, qui simul cum hoc affectu suppuratos habuit Pulmones, phthisíque confectus est: Hic vero habuit etiam per totum ferme morbi decursum caput majusculum faciémque pleniorem, atqui per xiv. circiter dies ante obitum subito collapsæ sunt partes carnosæ circa caput, faciésque Hippocratica reddita est, non sine omnium ob subitam mutationem admiratione.

2. Membra externa, musculique totius corporis graciles & emaciati, quasi atrophia vel tabe absumpti cernuntur: Atque hoc, quantum quidem scimus, perpetuo observatur in iis qui ab hoc affectu intereunt.

3. Cutis universa, tum vera, tum membrana carnosa & adiposa, flaccida & quasi pendula, laxáque instar chirothecæ apparet, ita ut multo plus carnium eas continere posse putes.

4. Circa articulos, præsertim in carpis & talis, protuberantiæ quædam extant, quæ si aperiantur, non in partibus carnosis aut membranosis, sed in ipsis ossium extremis, præcipue in eorum epiphysibus, radicari deprehenduntur: Quod si forte has ossium prominentias lima radas facile percipies eas esse ejusdem similaris substantiæ cum cæteris ossium partibus.

5. Articuli, artus, habitusque omnium externarum partium, minus firmi ac rigidi, minus inflexiles sunt quam alias solent observari in defunctis, & speciatim collum post mortem vix riget à frigore, aut saltem multo minus quàm in aliis cadaveribus.

6. Pectus exterius macrum & valde angustum, præsertim sub alis, & à lateribus quasi compressum cernitur, sternum vero nonnihil acuminatum, instar carinæ navis, aut pectoris gallinæ.

7. Costarum extrema, quibus cum cartilaginibus sterni committuntur, nodosa sunt, ut de articulis carpi & tali diximus.

8. Abdomen exterius quidem, respectu nempe partium continentium, macrum est; interius vero respectu contentarum nonnihil prominens, tumidiusculum sentitur.

2. *Aperto abdomine hæc notavimus.*

1. Hepar in omnibus à nobis dissectis justo majus, alias autem non male coloratum, neque valde induratum aliove aliquo vitio notabili contaminatum: Excipienda hic volumus nonnulla corpora, in quibus ante obitum alii morbi cum hoc implicati fuerunt, quemadmodum in hydropico & extreme tabido meminimus.

2. Lienem ut plurimum (quantum nempe hactenus nobis vidisse licuit) non contemnendum, sive magnitudinem, sive colorem & substantiam ejus spectes, quamvis ob complicationem cum aliis morbis aliter accidere posse non negemus.

3. Aquam serosam in cavitatem abdominis illapsam aliquoties vidimus, sed neque frequenter, neque eam valde copiosam.

4. Ventriculum & intestina nonnihil ultra morem sanorum flatibus repleta, quæ ex parte causa esse potest tensionis hypochondriorum supra memoratæ.

5. Mesenterium aliquando inculpatum, aliquando glandulis justo majoribus, si non strumis

mis affectum: Cæterum de Pancreate nihil certi hic pronuntiamus, suspicamur tantummodo posse hic nonnunquam obstructiones, si non scirrhum, accidere.

6. Renes, ureteres, vesicam, nisi alius adfuerit morbus, satis sanos: Notamus in genere de visceribus omnibus in hoc ventre contentis, quod licet partes ea continentes multum extenuatæ & emaciatæ occurrant, ipsa tamen æque magna ac plena, si non majora & pleniora, ut de Hepate dictum, quàm in sanis deprehenduntur.

3. Detracto sterno in Thorace hæc sese ostentarunt.

1. Adnascentia quædam Pulmonum cum pleura, quæ in omnibus quos hactenus dissecuimus plus minusve adfuit: arbitramur tamen contingere posse hunc affectum sine hujusmodi coalescentia, licet ea in progressu morbi plerumque, ante obitum superveniat.

2. Pulmonum infarctus non minus frequentes, præsertim in ipsis partibus adnascentibus: Tumores item eorum duri à sanguine crassiori, viscidiori & nonnihil nigricante nati, modo in una, modo pluribus pulmonum lobis, non tamen hi semper conspiciuntur, frequenter quoque abscessus & empyemata.

3. Aliquis nostrum testatur se semel vidisse glandulas strumosas, tam numerosas ut viderentur æquare, si non superare magnitudinem ipsorum pulmonum: sitæ autem fuerunt utrinque inter pulmones & mediastinum, & à thymo usque ad diaphragma protensæ.

4. In cavitate thoracis vidimus aliquas serosas collectas, & frequentibus quidem quam in cavitate abdominis, non tamen in omnibus.

5. Vidit & aliquis nostrum affectum hunc complicatum cum magno empyemate simulque phthisi: Amoto sterno, Pulmones sinistri lateris toti occupati sunt abscessu, atque undique pleuræ adnati, compresso leviter tumore, pus copiosum, subflavum, crassum & fœtidum per trachæam arteriam in ipsum os effluxit: Eorum membrana exterior, qua firmiter pleuræ adnati sunt, crassior apparuit solito, eáque mediante lobi istius lateris ita coaluerunt, ut vix in lobos distinguere potuisses: eadem etiam membrana tum pulmones, tum ipsum abscessum involvit, qua aperta, in conspectum venit magnitudo abscessus, qui adstantium æstimatione continuit ad minimum libras duas puris: tantum abscessum in tantillo corpore merito quis miretur? sed is totum ferme sinistrum latus occupavit: parenchyma pulmonum istius lateris corruptum erat, semiputridum & pure quasi intertextum.

6. Thymus in puerili ætate semper magnus solet deprehendi, & forte adhuc major in iis qui ex hoc morbo intereunt.

4. Cranio orbiculatim Serra circumscisso, ejusque operculo ablato, hæc observavimus.

1. Duram matrem firmius, atque in pluribus locis quàm solet in adultis, cranio adhæsisse: forte idem observari potest in aliis pueris hoc morbo non affectis, licet, ut opinamur, non tantopere: si quidem certum est in recens natis multas esse & arctas connexiones pericranii cum dura matre, quæ postea abrumpuntur, vixque notari possunt.

2. Inter duram & piam matrem, atque in ipsis ventriculis cerebri, serosas aquas in nonnullis à nobis dissectis reperimus, unde patet affectum hunc cum hydrocephalo complicari posse.

3. Cerebrum in aliis à nobis dissectis satis firmum & inculpabile, neque illuvie serosa inundatum deprehendimus.

4. Et ultimo observavimus jam aliquoties in corporibus novissime à nobis apertis, carotides justa proportione ampliores fuisse, similiter quoque venas jugulares: arterias verò venásque ad exteriores partes delatas multo exiliores debito extitisse. An vero hoc perpetuum sit in hoc affectu, nondum ut oculati testes hoc asserere possumus. *Franc. Glisson. lib. de Rachitide cap. ij.*

Rachitis) Anglis dicitur *The Rickets*, in quod nomen aliquis nostrum casu quodam inci dit, quod sibi, & cæteris quoque arrisit: absque enim torsione vocis à voce ῥαχίτις, ῥαχίτης, deduci prompte potest: Fuit autem νόσος ῥαχίτις, morbus spinalis; item νόσος τῆς ῥάχεως, morbus spinæ Dorsi, quæ inter partes primo hoc morbo affectas princeps. Aitiologiam hujus affectus, vide dicto libro.

Observatio V.

Gibbositas ob vertebras dorsi in cavo inflexas.

Matrona, (cui Hepar in magnam molem excrevit, Ascitica obiit, *Vide lib 3. tit. de Ventris tum*) Vertebras habuit Dorsi in cavo flexas, seu ita incurvatas ut Græcorum, s, aut Latinorum, s, minus referrent.

De

DE flexura seu incurvatione vertebrarum spinæ dorsalis inter nos erat quæstio: Corpus non fuit deformatum, ut in gibbosis solet, licet breve; nec inflexio vertebrarum in vestitu animadvertebatur: cum erectionem non læderet, maxime juvenculæ & virgini: Non nego Luxationis fuisse speciem quandam, non quidem unius aut alterius vertebræ, sed plurium flexura quædam simul, ad latus dextrum quarundam, & aliarum ad sinistrum, ita tamen ut fortiter vinctæ ac connexæ in medio dorsi ad lumbos usque manerent; Et talis curvitas non ita conspicua, nec ita deformis ut illa quæ in thoracis vertebris ad extra Gibbum causat: Naturalem non fuisse hanc incurvationem etsi à causa externa, cum mater artifex in gibbi curatione habita sit, & hujus deformitatem sua arte delinivit. *Hachsteiterus Casu x. cent. x.*

Vertebras Dorsi in cavo flexas) Varia accidentia suboriuntur prout aut cervicis, aut dorsi, aut lumborum vertebræ afficiuntur, quæ ex *Hippocr.* recenset *Hollerius.* Primæ quidem cervicis perversio mentum deprimit ad pectus, summam loquendi ac deglutiendi difficultatem excitat, ac extremum fatum accersit: At vero in gibberibus reliquarum colli scandularum, cervix contorquetur, respiranti pariter & loquenti spiritu tenuius angustiusque eliso exhibitarum, dormienti vero stertorem facit: Sed in gibbere Dorsi ac thoracis, spiritus difficulter & cum sono fertur, costarum incrementa in latum sunt nulla, thorax anterior in quendam veluti conum acuminatur, sterno in acutum coacto: Sed in lordosi extremus Dyspnœæ modus, paralysis, torpor, stupor coxis, præter subitum voluntatis mictus ac defæcatus: Post hæc in scoliosi, solutio nervorum frequentior ad partem laxatam, ad latus vero adversum distensio: Postremo quibus ad Lumbos repanda est, his accedunt renum & vesicæ vitia, abscessus ad ilia atque inguina, coxendicis gracilitas, tarda & parca pubertas ac barbæ emissio, infœcundioresque sunt magis quam quibus obtigit gibber partibus diaphragmate superioribus tenus. *Severinus.*

Observatio VI.

Gibbositas à vertebris intus vel extra, aut ad latera inclinantibus ortum ducit.

SEmel vidi utrumque os Ilium cum osse sacro, Et bis horum alterum tantum cum prædicto osse symphysi unitum, accidentaria διὰ τὴν humorum pituitosorum ἔμφραξιν ibi congestorum, & eorundem concretionem, atque in osseam substantiam aut callum, si velis osseum, conversionem: Sæpissime vertebræ ῥάχεως, nunc plures nunc pauciores simul conjunctæ, aut, ut verius dicam, unitæ, & tanquam in unum os redactæ visæ sunt: figuram nunc rectam nunc curvam, intro vel extra, vel ad alterum latus inclinatum habentes, unde λόρδωσις, κύφωσις, σκολίωσις, cæteraque vitia spinæ fiunt: Quæ Lutetiæ frequentissima sunt, & ubique in Gallia apud nobiliores familias, maxime puellas infestant, quas matres student demissis humeris esse vincto pectore, ut graciles fiant &c. *Severinus Pinæus lib. 2. de Not. Virginit. cap. 9.*

Observatio VII.

Anatome Gibbosi, cujus Pulmo integer repertus est; unde constat ejus affectus dyspnœam non semper esse comitem.

MAla partium conformatio & Gibbi perversio apparet, quo multas quidem afferre narrationes possem, sed superat omnes ea quam audies: nimirum Antonio Santoro puero Neapolitano, quidem pusioni, sed 14. jam annos emenso, visos à me Gibberes omnes mire complexos, ad cervices inquam & lumbos, & coccygis repanditatem, ad dorsum & pectus cyrtoses; à supremo dorso ad lumbos usque scoliosin; præter quas omnes gibboses estne alia quæ supersit? Quod autem summe dignum notatu visum est, nulla puero respirandi difficultas, aut tum fuit, aut antehac; de qua quidem re certos nos idem fecit; propterea quod Pulmo huic purior visus est. Non de his autem, sed de aliis secundum pulmonem affectis dixit *Cardanus*, quod Gibbosi crebriter spirent.

C*Yrioses &c.*) Illud cum Lordosi perniciosa necessarium advertit Nic. Florentinus serm. 7. summ. 2. tr. 3. c. 40. ut nulla sit contra pectoris projectura, seu cyrtosis: Sic enim præter magnam pectoris angustiam, parva pectoris est intercapedo, ac modica commoditas, per quam pulmo, quoad sit satis, extendi se permovendo possit: Sed contra hanc *Nicolai* hypothesin est *Cardanus*, qui simul cum costis contorqueri dorsi spinam, atque hanc vicissim cum costis notavit, propterea quod costæ vertebris æque ac sterno mediæ, colligatæ sunt cum utrisque, quo fit, ut quam emotionem incurrerit posticus thorax, eandem & anticus subeat oportet, & contra, quæ quidem *Cardani* ratio ut plerumque vera sit, at non perpetua, namque constare partis alterius integritas potest, subversa altera, quam nos rem Neapoli non semel vidimus, & admoniti per nos amici multi. *Severinus l. c. pag. 342.*

Nulla respirandi difficultas,) Causas quære in scholiis ad observat. 1.

APPEN-

APPENDIX I.

Gibbositas insignis, musculorum thoracicorum vitio excitata, feliciter topicis curata.

Proceræ staturæ vir xl. annorum sic incurvabatur ut siliceruium potius nonagenarium quam id ætatis homo videretur. Adiit ille varios, qui se vel dislocata membra restituere, vel male conformata ad debitam figuram revocare profitentur, sed irrito omnium conatu: Is quoque me adiit: Visa est non tam ex ossium quam musculorum malis humoribus obsessorum vitio orta esse hæc mala corporis conformatio: Præparandis igitur & purgandis humoribus dum operam do, eáque fomenta adhibeo quæ isti morbo censebam idonea, cœpit ille non præter spem, sed opinione tamen mea citius se erigere, & intra sex septimanarum spatium ita sanari, ut corpus illud procerum, rectum sanumque circumferret: Observatio hæc admonitio fit ne Anatomia incautos decipiat, dum existimant omnem deformationem externam solum ab aliquo interne distorto osse originem sumere. *Theod. Kerkringius Observat. Anat.* 15.

APPENDIX II.

Spinæ incurvatio & tortuositas febrem sequuta, resolventibus & roborantibus curata.

A Febre spinæ inflexionem & tortuositatem, à cervicis fine ad extremos lumbos, at non diu superstitem, vidi uno eodémque tempore in puero & puella: Anno 1668. per æstatem vagata est febris terriana Genevæ, qua prehensus fuit filius Nob. & Clar. Dom. Alex. de Harsy Jurisconf. annos natus novem; Hanc excepit spinæ inflexio & contorsio, per abscessum in vertebratum ligamenta & musculos factum: sollicitus & anxius admodum parens, qui mortuum filium superstiti & deformi præferebat, præcipuos Chirurgos in consilium adhibuit: hi machinis thoracibus cupreis & artificio multo rectitudinem & restitutionem moliebantur: Ergo resolventibus solis & roborantibus rem transigendam esse asserebam; discusso humore musculos & ligamenta imbuente, eo per metastasin & abscessum ablegato, nec fortiter impacto, suam spinæ & rectitudinem brevi restitutum iri: Fidem fecit eventus, cum enim curæ meæ tunc temporis commissa esset puella septem annorum, filia D. Favon Pharmacopœi olim peritiss. post febrem quoque solutam Gibbosa facta, fotus ex roborantibus & neuroticis parati ope; ac litus ex oleis lumbric. vulpini, catellor. & de castorco, cum adipe hum. paucorum dierum spatio integre sanata fuisset, Eo exemplo commotus vir Clar. curam ut solus aggrederer voluit, puellumque charissimum (Juvenem nunc procerum, præstanti corpore & animo) eadem methodo felicissime restitui; Hinc firmari potest opinio Schneideri Clar. de Gibberi causis, Scholiis ad Observat. 2. allata: quæ de Tuberculis spinæ adnascentibus, vulgatissima Gibbositatis causâ, afferuntur, suspecta mihi sunt, nec enim ullum ex Anatome prostat exemplum: Aliquos insigniter gibbosos dissectos vidi, in quibus solam spinæ inflexionem deprehendere licuit, phymata vero nulla aut tubercula.

ADDITAMENTA
De Rachitide.

OBSERVATIO I.

Rachitidis & respirandi difficultate laborantis, anatomica inspectio.

INfans dentitionis tempore languebat. Adfuit à principio tussis molesta & spirandi difficultas, quæ indies increscebant; caput solito majus erat, membra flaccida, carpi ac tarsi protuberabant; aderant nodi in costarum cartilaginibus; venter tumebat; pectus macro fuit. Tandem emaciatus obiit diem.

Abdomine inspecto, cuncta sana, sed justo majora. Intestina aëre turgida. In thorace sternum reflexum, pulmones exucci & plumbei coloris. Mirum, membrana pulmones succingens aspera erat protuberantiis, tuberculisque, verrucis non dissimilibus. Apertis pulmonibus, in plurimis locis tartarea seu gypsea substantia concreverat.

Infantem hunc ex diætæ vitio, sive cibi sive lactis, quo sugendo alebatur, Rachitide seu morbo Anglico, laborasse certum est, cum omnia signa huic quadrarent. Omnia viscera in hisce symptomatibus, quæ nervos à cerebro accipiunt melius habere videntur, quam membra, quę nervis ex spinali medulla gaudent. Causam genuinam in obstructione medullæ

dullæ spinalis pono; quæ non quidem plane paralytica est, sed pro parte. Succi enim nervosi talem particularum proportionem possunt habere, ut cerebri glandulas, ejusque nervorum originem facile permeent medullamque spinalem quasi obstruant. Hinc causa petenda cur quædam partes nimium nutriantur, quædam autem flaccescant.

Incurvantur ossa, quia musculi non crescunt, eodem ritu ac si funis arbori circa radicem & summitatem accommoderur, tum arbor primo esset recta, elapsis vero aliquot annis plane esset curva, hoc modo etiam tota spina incurvatur, adeo κυφώσει vel λορδώσει laborent.

Ossium nodi protuberant, quia alimentum tenax ad nodos copia quidem affluit; sed propter lentorem altius in substantiam magis osseam non penetrat, ideoque intra ossium tubercula magis spongiosa subsistit, & protuberare facit.

Cùm spina ita contrahitur, thorax angustatur, hinc pulmones haud juste explicantur, & ansam difficili respirationi præbent. Humores interim ibi stagnantes si particulis salinis scateant, crystallisantur, & calculosos pulmones efficiunt. Glandulæ enim minimæ, quæ pulmones perrepant, facile lentis & salinis humoribus obsidentur. Vidi sæpe calculos tracheæ adhærentes, qui unciam semissem & aliquando integram pendebant, ut dixisses totam tracheæ fistulam petrefactam fuisse, adeo calculosa erat. Ejusmodi petrefactionem refert *Clariss. Theod. Kerckringius obs. 27.*

Non mirum igitur in infantulo nostro pulmones ita inæquales fuisse tactu; cum calculi per ipsam membranam ferè protuberabant, hinc liquet cur respiratio difficilis fuerit; aer enim ab hisce tuberculis excludebatur, quo melius succi petrefacturi crystallisando ansam habebant, quàm cùm moverentur: nullus liquor salsus crystallos mittet, quamdiu moveatur, sed duntaxat, cum quietus sit. *Stephanus Blancardius in Anatomiâ practicâ.*

Observatio II.

Rachitidem consequutus dolor Colicus lethalis, in quo Intestina, ac præcipuè crassa, rubore inflammatorio hinc inde perfusa; Cæcum tumidum ac sphacelo tactum; Bilis ad instar picis paulò dilutioris nigra &c.

Rachitide priùs affecta puella, spinamque propterea ad lumbos non parum intrò adactam gerens, languida semper vixit, ac subinde de doloribus colicis conquerebatur, qui tandem eò atrocitatis devenere, ut sibi quandoque intestina dilacerari crederet, tumque quicquid abdominis regioni umbilicali & cordis scrobiculo interjacet, non parum attollebatur. Singultu præterea ac vomitibus frequentibus; subsistente tamen appetentiâ, vexata, die Jovis 25. Junii 1696. circa sextam matutinam, anno ætatis prope 19. adhucdum tamen non menstruata, staturæ pro ætate humilioris, ac tabida moritur. Cum post meridiem ejus exenterationi assideremus, adnotavimus primum exterius cutem admodum desiccatam; Abdomen tensum ac tumidum; spinam, ut jam diximus, intrò incurvatam. Abdomine autem apertò vidimus Omentum rubrum, tenue, sed vasis varicosis ad suas origines consitum, omni prorsus adipe destitutum, & ad usque umbilicum non descendens. Lien sine vitio erat, quantumvis totam morbi culpam in ipsum rejicientes mulierculæ eidem innumera applicuissent remedia. Hepar grandius, malè coloratum, pallidum, maculis lividis conspersum, diaphragmati per sui convexam partem largiùs ac intimiùs adhærens; minimè interim purulentum, verùm ejus substantia quasi friabilis erat, velut aquæ diutius incoctum fuisset. Vesicula fellea adeò visa est turgida ut aliquid bilis contentæ transudasset quò proximum intestinum extus inficiebatur; Hæc autem bilis adeò degener erat, ut colore ac consistentiâ picem nigram aliquatenus liquatam, referret; ejus vero sapor dissectori subdulcis apparuit, non aliter quàm cùm animalium bili spiritus admiscemus acidos; prædictæ autem vesiculæ parietes glutine illò biliosò ita erant infecti, ut eò nisi adhibitis multis lotionibus, digitorumque confricationibus expurgari minimè quiverit. Pancreas bene se habebat, ut & itidem Ren sinister; dexter verò purulentus reperiebatur circa pelvim; nullâ tamen apparente ulcerosâ cavitate, sed totâ illâ purulentiâ potiùs è fibris visceris tubulatis per dissectionem, non aliter quàm alibi lotii materiâ, promanante. Uterque figuræ erat inæqualis, quam loculamento à contortâ spinâ efformato, in quod profundius compulsus erat, acceptam debebat. Uterus cum ovariis suis bene sanus, cavitate vix excipere potis semen orobi, & tamen inde ad exteriora specillum libere transmittens. Intestina, quorum aperturam ab inferioribus ordiebamur, eâ ratione, quò ordine describemus affecta, observata sunt. Rectum rubicundius undique, ac eò mucore, qui illud contra excrementi acrimoniam tuetur, prorsus spoliatum, materiam continebat pultaceam, griseam, odoris non ità exquisitè fœtidi. Colon admodum erat dilatatum, tam secundùm sui latitudinem, quàm secundùm longitudinem, ita ut vi sic factâ freno ipsum corruganti, in plicas minus profundas cogeretur, ac in longum non parum explicaretur, valvulasque conniventes intus sibi appensas;

appensas, seu potius per interioris tunicæ corrugationem efformatas aptèque se intersecantes, ex parte obliteratas exhiberet. Hinc inde bilem viscidam parietibus suis agglutinatam cum exquisita circum inflammatione ostentabat. Materiam ejusdem indolis, quam in Recto descripsimus complectebatur. Cæcum tumidius, coloris extus atri, vasis varicosis totum consitum, circa sui originem crassius, prorsus sideratum, ac putridum, digitis æque facilè ac charta malida lacerabile suprà dictâ materia cum aliquot cerasorum nucleis, plenum, reperiebatur. Ileon. Jejunum ac Duodenum rubore inflammatoriô, non parum perfusa. Ventriculus admodum contractus, sui cavo materiam pultaceam bile saturatam gerebat. Thorace hinc reseratô nihil quod contra naturam foret in eo advertere licuit, ut nec in ipso cerebrô quod firmioris erat texturæ, per omnes suas partes perquam sanum & probè constitutum, præterquàm quòd glandula pinealis naturali grandior, ad fabræ minoris magnitudinem accedebat.

Non possumus causam mortis dolorumque illam accersentium ex aliô repetere quàm prava hepatis constitutione, rachiticis familiari, unde bilis degener ferociorisque indolis efformata, ac secreta est, quæ post varios per totum intestinorum tractum dolores excitatos, impressiones tandem funestas pluribus locis peperit, quas cultrô anatomicô detectas, mox explicuimus.

APPENDIX.

De causis incurvationis ossium & Gibbositatis in Rachitide.

SOlent in Rachitide Ossa nunquam non plùs minùs incurvati: præsertim Ossa Tibiæ & Cubiti. Articuli etiam plerumque extrorsum inclinantur; costarum externa, ubi cum cartilaginibus Sterni committuntur, nodosa; articulorum Ossa protuberantia; item tota Spina partim extrorsum, partim introrsum variè inflectitur. Incurvitatem hanc ossium ab eorum flexibilitate procedere non existimo; siquidem pueris morbo hoc afflictis, majora potiùs & firmiora sunt ossa, quàm in aliis: uti mox fusiùs dicetur; cùm tamen notabilis adeò sit hæc ossium incurvitas; liceat in ejusdem disquisitione, paulo prolixiorem esse: & primò Doctissimi Glissonii opinionem, dein nostram breviter proferam.

Comparemus, inquit Vir Clariss. Ossa, quibus curvitas accidere solet, columnæ, & certè satis appositè, cùm si erigantur, columnam quodammodo referant; atque inde demonstrationem, rem hanc explicantem deducimus: esto ergo columna è tribus lapidibus, sibi invicem impositis, exstructa: Supponimus talem, quæ ab omni latere perpendiculariter sit erecta, ejusdemque altitudinis: si ergo à dextro latere immiseris cuneum inter lapides duos inferiores caput columnæ, supremus nempè lapis inclinabitur ad latus oppositum angulumque efficiet; & altitudo columnæ erit elatior, quàm ab unâ parte ab aliâ. Similiter si alterum impuleris cuneum inter duos lapides superiores amplius adhuc inclinabitur columna, fietque alius tursus angulus, sicque reinclinabitur eadem columna. Quo autem ex pluribus lapidibus columna extruitur, si inter quosvis duos, uti dictum est, cuneus ab uno solo latere interponatur, lapides isti non columnæ speciem, at portionem arcus referent.

Ut ergo hoc ad præsens negotium accommodemus, si ossa prædicta ab uno latere pleniùs alantur, atque proinde secundum illud latus pleniùs excrescant, quàm secundum oppositum, necesse est, illa eò ipsò incurvari; nam hic eodem modo se habet plenior istius lateris nutritio ad incurvandum os, quo se habet cuneus immissus ad columnam incurvandam; nisi quòd cuneus certis tantum locis lateris columnæ infigatur, plenior tamen nutritio lateris ossis fit ex æquo ferè secundum totam illius longitudinem; & ob hanc æqualem nutritionem, ossis inclinatio exactè segmentum circuli sine ullis angulis effingit.

Secundùm hanc hypothesin, pleniorem viz. lateris unius nutritionem, Vir Clariss. ingeniosô utique commentô, ossium incurvitatem demonstrat. Sed tanti viri pace, unde constat de pleniori illâ lateris unius nutritione, cùm sanguis, ex quo nutriuntur ossa, non minùs, in hoc affectu, quàm in sanis, æqualiter dispensetur? & si qua esset hæc inæqualitas, in posteriori Tibiæ latere, ut pote frigori minus exposito, eoque molliori, alimentum pleniùs admitteretur; & ita posterius, & elongatum latus Tibiæ incurvatæ esset convexum; anterius autem concavum, cujus tamen contrarium obtinet; etenim Tibia in hoc affectu antrorsum prominere solet.

Imò ulteriùs, ex ipsa ossium incurvatorum figurâ colligere est, quòd ab utroque latere æqualiter excrescant. Ossa enim in Tibia habent latus concavum æque longum ac latus convexum: alioquin enim os cruris ei superimpositum non sine manifestâ corporis obliquitate sustineri poterat.

Liceat ergo aliam incurvitatis hujus causam investigate, & quò clariùs res procedat, sequentia breviter præmittenda sunt.

Primò.

Primò Asserimus ossa in hoc affectu non esse numeranda inter partes affectas respectu nutritionis; illa enim non minus, quàm in sanis aluntur, & crescunt; uti observatione compertum est: ad horum enim nutritionem, sanguinem solum sufficere, neque succo nervoso, uti in cæteris partibus nutriendis, opus esse videtur: Etenim ossa, cùm ex se sentire non credunrur, parum utique aut nihil commercii cum nervis habere putandum est.

Secundò. Pro concesso habemus partes Nervosas, & Musculosas propter succi nervosi, ad earum nutritionem requisiti defectum, haudquaquam in hoc affectu excrescere.

His præmissis, si os tibiæ crescat, & elongetur; idem tamen à musculis qui pari passu non crescunt, tanquam à chordâ detineatur; ita ut non possit rectâ extendi: necesse est ut os illud à musculorum fibris brevioribus tensum, tanquam arcus incurvetur. Liceat Hypothesin hanc nostram exemplo illustrare. Si arbori teneræ, & crescenti chorda superiùs, & inferiùs alligetur, ita tamen ut eadem à chordâ non tendatur; nullus dubito, quin arbor dicta crescendo incurvabitur. Etenim demonstratio hæc mathematicæ huic assertioni innititur; viz. si linea quævis intra eosdem terminos elongetur, necesse est, ut ea à rectâ in obliquam mutetur; id quod ossibus in hoc affectu contingit.

Atque hoc ulterius ex eo confirmari potest, quòd ossa incurvata musculum sibi annexum, tanquam arcus chordam suam, concavo semper latere respiciant: uti in Tibia videre est, quæ anteriùs prominens, & convexa est; in latere tamen posteriori, musculos respiciente, concava: & hoc idem in cæteris ossibus locum habet; argumentô haud invalidô, non aliter à musculis, quàm à chordâ arcum, ossa inflecti.

Ex quibus ratio petenda est, cur Medicastræ solent quotidie latera ossium concava, & non convexa cum successu fricare, nempe per hujusmodi frictionem succo nutritio uberiùs evocato, musculus in concavo ossis latere situs alitur, crescitque; ut jam mirum non sit, si chordâ elongatâ, os ab eâdem tensum, & incurvatum relaxetur simul, & rectius fiat. Et ob hanc causam, ab affectu hoc curati, quàm maxime in staturâ assurgunt; etenim ossa non tantum, uti in aliis crescunt; sed etiam dum ab incurvatis rectiora evadunt, magis adhuc elongantur.

Spina etiam varie inflectitur, partim introrsum, & partim extrorsum; quod à variâ musculorum in diversis spinæ partibus positione oritur; nempe Spina in superiori parte à musculis exterius affixis introrsum; parte tamen inferiori à musculis Psoas interius annexis, & præpollentibus extrorsum incurvatur.

Et hanc utique incurvitatis causam non tantum in hoc affectu, sed etiam aliàs locum habere existimo; Enimverò si quando in tenerâ ætate contigerit, musculum quemvis ob nutrimenti defectum extenuari, necesse est, ut ab eodem inflectatur os, cui idem annectitur.

In Crure, & Humero, ubi ossa à musculis, ab omni latere affixis æqualiter restringuntur; ea in æquilibrio posita, à nullâ parte, nisi rariùs inflectuntur: cum tamen ea in longitudine extendi nequeant, necesse est ut in magnitudine, uti fit, & aliquandò etiam in nodos excrescant.

Tertiò. Accidit insuper in hoc affectu, ut Pectus angustum fit, & acuminatum: & hoc utique symptoma à nostrâ hypothesi facile illustrari potest: etenim Costæ non possunt arcus suos ampliare, nisi musculi intercostales etiam extendantur, at pro concesso habemus, musculos dictos, utpote quibus nervi à spinali medullâ impertiuntur, non posse ob alimenti defectum elongari; quapropter neque Costæ, eoque nec pectus ulteriùs ampliari possunt: cùm autem alantur costæ, neque tamen à musculis dictis impeditæ, possunt secundum longitudinem augeri; necesse est, ut in nodos uti sit, excrescant: at neque hujusmodi augmentum alimenti copiæ respondet; quapropter costarum extremitates anteriores ulteriùs adhuc in acumen elongantur; quippe hic unus restat iis crescendi modus, neque enim introrsum inflecti possunt, cùm hoc magis adhuc contra naturalem situm esset.

Ad istiusmodi pectoris angustiam haud parum etiam conducunt musculi Abdominis, qui extenuati, uti diximus, tensique, costas quibus connectuntur, inferiores deorsum trahunt, & ita pectus angustant.

Simili plane ratione ossium cæterorum vitia illustrare possumus: nempe Articulorum ossa in Carpis, Talisque, cum præ brevitate incurvari nequeant, in nodos protuberant. Sec hæc de ossium incurvitate dicta sufficiant.

Quartò. Ob prædictam pectoris angustiam haud mirum est, si Pulmones, quibus se dilatandi spatium non conceditur, sanguine grumoso, uti fit, infarciantur, & intumescant; hinc nonnunquam iidem purulenti evadunt, & Pleuræ plerunque adnascuntur: hinc etiam Asthma, & spirandi difficultas affligunt.

Quintò. Quoad summam in hoc affectu corporis imbecillitatem, & ad motum quemvis ineptitudinem, quanquam musculorum extenuatio ad hoc symptoma nonnihil conducit, hæc tamen sola non videtur satis efficax: cùm major sit, quàm pro musculorum extenuatione

tione virium imbecillitas; neque enim ægri pedibus insistere, nec in morbi progressu capitis onus sustinere possunt. Quapropter tantæ imbecillitatis causa ulterior investiganda est, quæ quidem nihil aliud esse potest præter Spirituum Animalium defectum, dictas nervorum obstructiones necessariò consequentem. Spiritus enim Animales non tantum ad nutritionem, sed etiam ad motum omnino requiruntur.

Et ita demum morbi hujus symptomata à Medullæ Spinalis obstructione, tanquam à fonte deduximus.

At hîc quæri potest, qui fiat, quòd ætate grandiores morbo hoc nunquam infestentur, cum illi, æque ac infantes nervorum obstructiones patiantur, uti in paralysi, aliisque istius generis morbis contingit? Respondeo, quanquam fortè pueruli morbo hoc præcipuè sint obnoxii; grandiores tamen hoc affectu sub diverso nomine nonnunquam laborare. Quòd tamen symptomata prædicta quoad maximam partem senioribus nunquam adveniunt; non hoc à morbi, sed ab ætatis differentiâ oritur: Etenim cum Capitis moles, ossium incurvitas, & alia nonnulla symptomata ab enormi partium augmentatione proveniant, adultos, grandescendique apicem adeptos, qui sc. amplius accrescere omnino non possunt, eos enormiter crescere, omnino impossibile est: nempe ideo grandioribus morbo hoc laborantibus, non uti pueris plus justò augetur capitis moles, quia metam crescendi jam adeptum est caput, quam præterire negant ipsius naturæ leges. Utcunque tamen senioribus partes enormiter augeri non possint, satis tamen se morbus prodit, quod unum in illis potest, easdem extenuando.

Quoad prognosin morbi hujus; plerumque ex se lethalis non est: nonnunquam tamen, ingravescentibus symptomatis, in Phthisin, Tabem, Febrem Hecticam, Hydropem Pulmonum, aut Ascitem degenerat, & ita demum fit patienti exitialis. Prognosis autem facilior ex regulis sequentibus institui potest.

1. Affectus hic, si ante partum, aut statim à partu invadat, periculosissimus est, & plerumque lethalis.

2. Quò citiùs à partu morbus hic invadit, & eò periculosior est.

3. Quantò magis ingravescunt morbi symptomata, viz si nimia fit partium disproportio, & extenuatio summa, eò difficilior est curatio.

4. Si affectus hic morbos prædictos sibi conjunctos habeat, vix unquam in salutem terminatur.

5. Quicunque ante annum quintum non curantur, postea per totum vitæ spatium valetudinarii sunt.

6. Scabies aut pruritus morbo huic supervenientes, ad ejusdem curationem multum conferunt.

7. Quibus morbi symptomata non augentur, sed potius minuuntur, non est quod de eorum salute dubitetur. *Clariss. Ioh. Mayovv. Tractatu de Rachitide.*

Finis Libri secundi.